

37
38 C
9



VETUS ET NOVA ECCLESIÆ DISCIPLINA

CIRCA

BENEFICIA, ET BENEFICIARIOS,

DISTRIBUTA IN TRES PARTES, SIVE TOMOS,

Quæ & ipsæ in tres Libros singulæ distributæ sunt.

PARS TERTIA, sive TOMUS TERTIUS,

UBI AGITUR

Lib. I. De Bonis Ecclesiæ temporalibus.

Lib. II. De eorum Distributione.

Lib. III. De Canonico, & pio eorundem usu.

Opus ex Sanctis Patribus, ex Conciliis, ex quorumque temporum Historicis decerptum.

Editio prima Italica, variis Animadversionibus locupletata.

AUTHORE EODEMQUE INTERPRETE

LUDOVICO THOMASSINO

ORATORII GALLICANI PRESBYTERO.



LUCÆ MDCCXXVIII.

Sumptibus LEONARDI VENTURINI.

SUPERIORUM LICENTIA.

INDEX CAPITUM TERTII TOMI,

In quo agitur, De Bonis Ecclesiæ temporalibus. De eorum distributione. De Canonico, & pio eorundem usu.

LIBER PRIMUS.

Cujusmodi fuerint Bona Ecclesiæ temporalia, Decimæ, Primitiæ, Oblationes, Possessiones, Agri, Dominia & Principatus.

De temporalibus Ecclesiæ Rebus per tria priora sæcula.

De Decimis & Primitiis post Imperium Constantini.

De Oblationibus.

De Terris, Fundis & Hæreditatibus, etiam Testamento datis Ecclesiæ.

De Dominiis, Principatibus, Ducatibus Ecclesiæ concessis.

Index Capitum.

De Immunitatibus Personarum & Terrarum Ecclesiæ.

De Simonia.

De Laudabilibus Consuetudinibus.

CAP. LXXIV.

LIBER SECUNDUS.

In quo agitur, De distributione, & partitione rerum Ecclesiae temporalium.

Potestas Episcoporum, Oeconomorum, Presbyterorum, Diaconorum in administratione bonorum Ecclesiae temporalium.

Distributio rerum Ecclesiae temporalium, in Episcopos, Clerum, reparationes, pauperes.

De Pensionibus.

CAP. XXXI.

Index Capitum.

LIBER TERTIUS.

In quo agitur, De usu Canonico & pio proventuum Ecclesiasticorum.

A temporalibus cupiditatibus alienissimi erant Clerici in usu & dispensatione rerum Ecclesiæ temporalium, & plerumque patrimonio nuntium remittebant.

An quibus aliquid est patrimonii, ii fructibus Beneficii sui gaudere possint.

De opere manuum Clericorum & Monachorum.

De Negotio licito, aut illicito Clericorum.

Res Ecclesiæ, res & patrimonia sunt pauperum, Earum Beneficiarii non domini sunt, sed dispensatores.

Index Capitum.

De usu moderato & religioso proventuum Ecclesiasticorum.

De nefario & perverso usu rerum Ecclesiæ, proventuumque sacrorum.

De Hospitalitate.

Finis Tabulæ Tomi Tertii.

VETUS ET NOVA ECCLESIÆ DISCIPLINA

CIRCA

BENEFICIA ET BENEFICIARIOS,

DISTRIBUTA IN TRES PARTES,

Quæ & ipsæ in tres Libros singulæ distributæ sunt.

PARS TERTIA ET ULTIMA,

IN QUA AGITUR,

Lib. I. De Bonis Ecclesiæ temporalibus.

Lib. II. De eorum distributione.

Lib. III. De Canonico, & pio eorumdem usu.

LIBER PRIMUS,

Cujusmodi fuerint Bona Ecclesiæ temporalia, Decimæ, Primitiæ, Oblationes, Possessiones, Agri, Dominia & Principatus.

De temporalibus Ecclesiæ Rebus per tria priora sæcula.

CAPUT PRIMUM *P.1. l.3. c.1.*

De temporali re Ecclesiæ, in ipsa prima sui institutione per Christum & per Apostolos.

I. Lege Naturali & Mosayca alendorum Altaris Ministrorum onus populis incumbit.

II. Speciali lege id Christus ipse sanxit. Tria subsidia, quibus ipse & Apostoli se sustentarunt.

III. Prædicatores Evangelici, Sacerdotes & Sacrifici habendi & ipsi sunt.

IV. Qui primi in Palæstina nomen Christo dedere, ii possessionum suarum divenditarum pretio Ecclesiam donavere.

V. Temporalium administrationem ipsi primò subiere, tum in Diaconos transtulere Apostoli.

VI. Pauli verbis invictissimè constituitur jus Altaris Ministrorum vivendi de Altari.

VII. Cum esset ipse à temporalium cupiditate alie-

nissimus instantissimè fideles urgebat, ut largissimè darent.

VIII. Urgebantur divites, ad ea largè seminanda, quorum maximus ad ipsos fructus rediturus esset, nonnullas etiam ad pauperum sustentationem.

IX. Collectas instituerunt Apostoli, ad pauperum Hierosolymitanorum levationem.

X. Apostolis & Clericis aliis, quæ justa erant stipendia, erant & eleemosynæ.

XI. Fideles justa hæc à se deberi stipendia intelligebant.

XII. Possessiones Ecclesiæ nihil officiunt laudatissimo ejus paupertatis amori. Usus possidendi fundos, & servandi aliqua in venturas necessitates, fundamenta Christus ipse præstituit.

XIII. XIV. Omnium longè perfectissima fuit paupertas Christi, Apostolorum, & Apostolicorum olim Præsulum.

XV. Cur vendi agros desitum sit.

XVI. De Decimis & Oblationibus.

I. ON hic ego exempla congeram, vel argumenta, ex omni Gentilium antiquitate & religione petita, ut demonstrem, quàm latè patuit universus orbis, Ministros Altaris, vel populorum oblationibus, vel Principum largitatibus & donis sustentatos fuisse. Tenebricosa ea erat imitatio, & decolor imago verissimæ religionis. Sed utcumque tamen ex ea vox naturæ exauditur, & lex deprehenditur, quam omnium pectoribus inscripsit summus Conditor, quæque ideo in omnes orbis nationes, in omnes hominum ætates propagata est. Legem eam naturæ forsan obscuratam, non certè oblitteratam, innovavit Lex Mosyaca, quæ Ministros sacros procurandæ populorum saluti, populos temporali Ministrorum sacrorum sustentationi mancipavit.

II. Abundè id nobis erit, ut verba proderemus summi & æterni Ecclesiarum Magistri Christi, & eorum, qui primi omnium Scholam ejus frequentarunt. Ex his enim manifestè elucescet, non solùm jus Ministrorum sacrorum ut sustententur, & officium populorum, ut stipem conferant; sed usus etiam & observantia sanctissimæ hujus legis, quandiu mortalem in terris vitam summi & immortalis Dei Filius agitavit, & prima dedicavit Ecclesiæ suę exordia. Quo primum die Christus Apostolos suos ablegavit ad Evangelii promulgationem, auro, argentoque, cibis, vestibusque superfluis illos exoneravit, quod operariis necessaria vitæ adminicula negari non possint. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque duas tunicas, &c. Dignus est enim operarius cibo suo. Matth.10. v.10.* Jussit illos: *Manere in eadem domo edentes & bibentes, quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua. Luc.10. v.7.* Quin & ipse Christus Apostolorum suorum sodalitio cinctus, & prædicans regnum Dei, sectatrices habebat fœminas opulentas, quarum expensis vitam toleraret. *Et aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis. Lucæ 8. v.3.*

Binos ergo jam hic aperuimus fontes beneficentiæ fidelium in Evangelicæ sementis satores; quæ ultro suppeditantur quibusvis in locis alimenta; & quæ fidelium eis se comites jungentium ubique pietas, etiam iter agentibus subministrat. Tertium nunc indigito, eleemosynas videlicet, quæ recondebantur in futuros usus, ut patet ex Juda perfidioso hujus sacri depositi custode. *Fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur portabat. Joan.12. v.6.* Inde illa Apostolorum conjectatio, Judam à Christo monitum, ut quæ necessaria essent ad celebrationem festi, compararet. *Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus, eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret. Joan.13. v.29.*

III. Triplici ex hoc penu promebantur necessaria alimenta, quibus victitabat Christus cum Apostolis suis, quandiu & explicabat ipse, & ab Apostolis explicari jubebat sacerdotalium functionum longè pulcherrimam, dignissimamque eo etiam, qui Verbum & Veritas est æterna & incommutabilis. Qui nimirum verbo suo prædicando, verè summum implet sacerdotium; dum Patri Deo eos omnes immolat, quos fide & charitate corpori suo, verissimæ Patris hostiæ adglutinat & coagmentat. Si prædicatio enim Evangelii sacrificium non esset, non venditaret se Paulus Christi gratia illa donatum, ut sit minister Christi in Gentibus, sanctificans Evangelium Dei, hoc est, Deo sacrificans Gentiles prædicatione Evangelii ad Deum conversos, ut oblatio gentium munda & grata Deo sit. *Ut sim minister Jesu Christi in Gentibus, sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta & sanctificata in Spiritu Sancto. Ad Rom.15. v.16.* Nec Christus ipse Petrum mittens ad Gentiles fidei adgregandos, quos ei specie indutos variarum animantium exhibebat, jussisset, ut occideret & manducaret, hoc est, immolaret, transferretque in membra quædam hostiæ ejus, quam Ecclesia secum, velut unam hostiam offert. *Surge, Petre, occide & manduca. Act.10. v.13.* Jus ergo unum idemque est Sacerdotum & prædicatorum, ut de Altari vivant, quia & utrique sacrifici sunt.

IV. Postquam revectus ab inferis Christus secessit in sempiternum Patris sinum, à quo nunquam discesserat, tum Apostolis fons scaturire cœpit longè superioribus tribus uberior, ex fidelium munifica largitate. Qui enim Christi fidei accedebant, tum incunctanter hæreditates & latifundia sua distrahebant, pretiumque in eos dispensabant, quibuscumque quovis opus esset, atque ad eum modum communia erant omnia. *Habebant omnia communia, possessiones & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Act.2. v.49.* Ne dubitari quidem potest, quin dispensandæ hujus substantiæ potestas summa esset penes Apostolos, cum ex eorum prędicationibus & sudoribus hi fructus exuberassent. Ideo & ad pedes Apostolorum effundebantur pretia rerum, quæ divendebantur, ut & ab eis ea fieret pia dispensatio. Eam ab exordio sollicitudinem in se suscepere, & gessere Apostoli, ea sapientia & charitate, quæ non paulò plus ipsis Ecclesięque admirationis conciliaret, quàm miracula illa, quæ passim ad summum omnium stuporem patrabant. *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, & gratia magna erat in illis omnibus. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat. Act.4. v.26.* Cœlestis iræ vindicta in Ananiam & Saphiram effusa, qui de pretio venditi agri sui aliquid fraudaverint argumento fuit, quàm accepta Deo esset hæc fidelium ultra modum excurrens liberalitas.

V. Mox Apostoli sanctioribus ut Ministerii sui functionibus, augustioribusque totos se darent, in fideles & religiosas viduas hanc dispensandæ Ecclesiasticæ rei curam transfundere. Coaluerant tunc in Ecclesiam Christi, Judęi duplicis generis, quorum alii ex Palæstina ipsa oriundi, alii, qui Græci vocabantur, aliunde affluxerant, ex Imperii Græci variis Provinciis. Hi posteriores æmulatione nescio

qua

qua in priores illos exarsere, quo suæ gentis viduæ eo dispensandi res Ecclesiæ ministerio non æquè decorarentur, aut non æqua forsan & ipsæ recrearentur stipe. Ea occasione adducti Apostoli aligi curarunt septem Diaconos, in quos hanc tandem administrationem traduci placuit. *Convocantes duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est aquum, nos derelinquere Verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo, &c. Et elegerunt Stephanum, &c. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus, &c. Act.6.* Porro hi Diaconi Apostolicæ prædicationis zelo fervebant, eoque simul interim munere fungebantur, & cœlestes Pauli exemplo opes pleno ore fundebant: quibus locupletati fideles, terrenas jam aspernabantur facultates, & in necessitates pauperum ultro largiebantur.

VI. Hioc ad Pauli Apostoli Epistolas rapimur, in quibus scatet fons largissimus eleemosynarum, dum Collectæ fiunt ad publicæ & gravioris inopię levamen. Sed aotè obiter nobis audiendus est idem Apostolus, ubi ex lege Naturæ, ex lege Mosayca, ex lege denique expressa Christi invictissimè probat, insolubili juris vinculo teneri populos, ut temporalis vitæ subsidia illis sufficiant, qui vel prædicatioois verbo, vel Altarium ministerio, sempiternæ eorum salutis curam agunt, *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? An & lex hac non dicit? Scriptum est in lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Si nos vobis spiritalia seminavimus, magnum est, si carnalia vestra metamus? Nescitis quod qui in sacrario operantur, qua de sacrario sunt, edant. Et qui Altari deserviunt, cum Altari participant. 1. Cor.9.* His inscriptæ naturaliter, & descriptæ in tabulis legis argumentis, expressissimum addit ille Christi mandatum: *Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* Testatum mox facit ea potestate usos esse cæteros Apostolos, se usum non esse Corinthi quidem; idque de industria à se ibi usurpatum, ut Corinthios facilius ea temporalium abdicatione Christo lucraretur. *Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi, sicut & cateri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* Non verba facit, fateor, Apostolus, nisi de Apostolis, sed Clerici & Beneficiarii omnes successere in vices & functiones Apostolorum, quos compertum est omoia tum Clericatus munia perfunctos esse. Clerici omnes vineæ hujus cœlestis operarii, omnes hujus agri agricolæ sunt, omnes divinæ huic militiæ ascripti, omnes Altari serviunt, omnes in locum & partes subiere Levitarum, qui Mosayci summi Pontificis ministerio addicti erant.

VI. Etsi autem tam inconvulsis fundamentis adstruxit Paulus Clericorum jus exigendæ à laicis sustentationis suæ: etsi ex alia parte tantam ipse prę se tulit rerum terrenarum contemptionem, & incuriam hujus sui juris, ut sereret, nec quidquam meteret, & opere manuum vitam toleraret; etsi profiteretur à quibusvis non exigi, nisi planè necessaria ad victum: *De Evangelio vivere.* Et alibi: *Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi.* Nihilo tamen segnior fuit Paulus in cohortandis inflammandisque fidelibus, ut hoc justitiæ officio fungerentur summa quadam animi charitate, rerum copia & largitate. Quanquam enim Clericorum fit & Beneficiariorum, non sumere sibi, non consumere ipsos, nisi quæ ad victitandum sunt necessaria, reliqua pauperibus dilargiri. Consentaneum tamen est, & ipsis fidelibus laicis maximè conducibile, ut largissimè effundant terrenas opes in cœlestes thesauros, quod maximè alendis Clericis & pauperibus fit, & dotandis Ecclesiis.

Dilucidum id quidem est, in Sacerdotum & Levitarum Mosaycorum opulentia, quibus opimam & exuberantem portionem Deus ipse admensus erat. Dilucidum ex ipso Christo, qoi factus pauper, ut nos inopia sua locupletaret, & paupertatis summæ non præco tantùm, sed exemplum, tam copiosis tamen eleemosynis colebatur, ut & familia ejus sacra hinc aleretur, & superesset, non dico quod suffuraretur Judas, sed quod erogaretur in pauperes, ut ex superioribus liquet. Dilucidum ex primævo Ecclesiæ Hierosolymitanæ fervore, ubi ad pedes Apostolorum congerebantur, non quasi justa laboris salaria, non quasi stipendia, sed domorum, agrorum, latifundiorum pretia sanè ingentia. Dilucidum id denique ex Pauli hortamentis, quo nemo expeditior, nemo liberior à terrenis cupiditatibus; & qui tamen suadet ut novus auditor Evangelicæ fidei & sectator, non in partem aliquam vocet suorum bonorum suos in Christo Pædagogos, sed omnia prorsus cum illis habeat communia. Hoc esse ejus consilium, ex his verbis liquet. *Communicet autem is, qui catechizatur verbo ei, qui se catechizat, in omnibus bonis. Nolite errare, Deus non irridetur. Qua enim seminaverit homo, hac & metet. Bonum facientes, non deficiamus; tempore enim suo metemus, non deficientes. Ad Galat. 6. v.6.* Hoc est ea copia seminari oportere, qua cupimus & meti. Eandem vim habent hæc alia ejus verba: *Qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Hilarem datorem diligit Deus. 2. Cor.9. v.6.*

VIII. Tam vehementia hæc ad dandum incentiva, non eo pertinebant, ut tantum daretur, quantum necesse erat alendis Verbi prędicatoribus. Sciebant illi parvo contenti esse. Et quanquam duplici stipendio cumulari præciperet Paulus strenuissimos quosque Evangelii satores: *Qui bene prasunt Presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. 1. Tim. 5. v.17.* Tam magno non erant ii numero, quin facillimè sustentarentur. Duo ergo quædam alia moliebatur Paulus inflammatis his sermonibus suis, quæ pastoralem maximopere ejus commendarent sollicitudinem. Primum erat, ut is qui corruptibiles hic spargebat divitias, incorruptibile sibi thesauros in beata mox patriæ acervaret. Alterum erat, omnium levatio paoperom, io longinquis etiam Provinciis. Ubi Apostolus ajebat, *Non quaro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra. Philipp. 4. v.27.*, satis prodebat, divitibus magis consuli, quam pauperibus, dum illis suadetor, ut sua in hos effundant. Quid enim potest emolumento esse majori divitibus, quàm ut quisquilias, ut terrenas res, pietatis, religionis & charitatis thesauro mutent? Cum una & eadem opera adlaborabaot Apostoli, ut pauperibus cibum corporeum, utque divitibus sanctimoniam pararent, nemo sanus ambiget, quin majoris boni longè majori flagrarent cupiditate.

In causa id quoque fuit, ut curam pauperum Apostoli, exemplo Christi, in se reciperent, eaque successores suos onerarent, in administratione rerum Ecclesiæ, Beneficiarios videlicet omnes. Ex Evangelio jam adnotavimus, eleemosynarum quas suscipiebat Christus cum Apostolis, partem eum aliquam in pauperes decidisse. Quin & ex iis plura aliquando hominum millia, non sine cœlestis ostentatione miraculi exaturavit. Testatur Lucas in Actis, suppeditatum cuique fuisse, quo egeret, atque ita eguisse neminem. *Dividebatur singulis, prout cuique opus erat, &c. Neque quisquam egens inter illos erat. Act.4. 34. 35.* Hanc ille Apostolis propriam laudem vendicat & providentiam, ut cum animo & voluntate omnes paupertati studerent, nec proprium quidquam retinuissent, nulla tamen

re necessaria deficerent. *Et gratia magna erat in omnibus illis.* Sexcenties Paulus procurationem à se pauperum geri significavit, nec antiquius quidquam sibi vel optatius esse posse, quàm ut ea vigeret in Ecclesiis æqualitatis lex, ut horum copia illorum levet inopiam, atque omnium inter omnes sit communio & reciprocatio bonorum. *Vestra abundantia illorum suppleat inopiam, ut fiat æqualitas.*

IX. Ab his diverticulis, nec alienis tamen ab instituto nostro, nec infructuosis, in viam redeamus, & ad novam illam scaturiginem largitionum plebis fidelis, ad Clericorum pauperumque alimenta necessaria. Collectæ eæ fuerunt, & spontaneæ pensiones pecuniæ, ad levandos longinquarum pauperes Provinciarum, maximè verò Palæstinos. Initia res tam præclaræ eadem fuere, quæ gravissimæ persecutionis post mortem Stephani in fideles concitatæ. Antiocheni fideles pro suo quisque modulo erogavere, & tam piæ largitionis summam Paulus & Barnabas Hierosolymam tulere. *Discipuli prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus; quod & fecerunt, mittentes ad Seniores, per manus Barnabæ & Sauli. Act.11.* Exinde manavit in Ecclesias usus, Dominico quoque die ejusmodi Collecta fieret. *De Collectis quæ fiunt in Sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite. Per unam Sabbati. 1. Cor.16.* Ad Palæstinos ex Judæis Christianos potissimum ea largitas pertinebat, quam ne suo quidem ævo exolevisse testatur Hieronymus; idque à Synagoga in Ecclesiam esse derivatum religiosissima imitatione; his denique stipendiis levari, & sustentari solitos eos, qui terras Christi vestigiis nuper impressas incolerent, unique incumberent rerum cælestium contemplationi. *Hæc in Judæa usque hodie perseverante consuetudine, non solùm apud nos, sed & apud Hebræos, ut qui in lege Domini meditantur die ac nocte, partem non habent in terra, nisi solum Deum, Synagogarum & totius orbis foveantur ministeriis. Adversùs Vigilant.* Inferiùs ostendetur, non longinquis tantùm Ecclesiis has dicatas fuisse Collectas.

X. Ubi verò eleemosynarum voce complexi sumus quidquid fideles conferunt ad Cleri pauperumque subsidium, accipientium potius, quàm dantium persuasionem animumque expressimus. Dominus enim cœli terræque cum esset Christus, integrum utique illi erat, Ecclesiam suam universi orbis donare imperio. At cum primigenia hominis innocentia & salus, opum, voluptatum & honorum copia atque ubertate labefactata fuisset; certiorem illi salutem ac restaurationem Redemptor cœlitus delapsus paupertate, humilitate, & cruce attulit. Hoc ille sibi ipsi amplissimum decus adseruit, ut non haberet, ubi caput reclinaret. Collegio suo non adscivit, nisi qui consiliis ejus acquiescentes, substantiam suam omnem distraxere, aut abdicavere uno tanti Magistri consortio, tantique Domini censu satis locupletes futuri. Apostolici omnes viri Apostolorum vestigia sectati sunt aureis illis prioribus sæculis. Quo tempore fideles Laici & fæx ipsa vulgi Christiani, non præceptis tantùm, sed & consiliis se accomodabant Evangelicis; suppuduisset, ut opinor, Clerum, non saltem sequi, quibus præire debuissent, & ad perfectionis culmen illis præcurrentibus, non properare. Sed ab ea ignavia procul erat profectò Clerus ille, quem sua finxerant manu, & informaverant Apostoli. Si enim Hebræi omnes, si non pauci Gentilium Christo adglutinati, paupertatem Evangelicam incunctanter professi sunt; exemplo utique illi inhæserunt Apostolicorum Evangelii præconum, qui splendidiorem multò factis, quàm verbis eloquentiam explicabant. Author est Lucas, *Act.6.*, Barnabam prædium amplissimum distraxisse, ejusque pretio ad pedes Apostolorum abjecto, Apostolico ipsummet aggregatum fuisse Collegio, officioque. Non paucis Pauli testimoniis planum fit, Apostolos, & Apostolicos tum Cooperatores, ac Prædicatores eleemosynis victitasse, nec potuisse ipsum specialem quampiam sibi prærogativam & lauream parare, nisi his ipsis abstinuisset eleemosynis, & opere manuum se transegisset.

XI. Ea ergo imbuti erant cogitatione, ea persuasione occupati Prædicatores illi omnes Evangelici, voluntariam sibi omnium rerum abdicationem profitendam, nec alias, quàm sapientiæ & charitatis aggerandas opes. At contra tamen Laici fideles ita secum ipsi certissimè statuebant, quæ ad eorum sustentationem largiebantur, ea esse jura, tributa, debita, necessariò exsolvenda; solvenda, inquam, & ministris Christi, & Christo ipsi Imperatori, cui se, & sua deberent omnia. Quin & hostias has esse intelligebant, quibus colendum sibi esset summum Numen, ex quibus & ejus Sacerdotes victitarent. Unde & oblationum hujusmodi portio ad sacrificium seligebatur, quæ *fractio panis* dicebatur. Denique quorsum diutius immorari aucupandis argumentis, quibus id efficiatur, fidelibus omnibus persuasissimum fuisse, non arbitraria esse ea dona, quibus ministros Christi munerarentur, sed necessaria vectigalia, quæ summo Deo & Sacerdoti Christo penderent; cum suprà declaratum sit, naturali, Mosayca, & ipsissima denique Christi lege præceptum fuisse, ut Altaris ministri viverent de Altari?

XII. Indubium est ergo Laicos erogasse instinctu & afflatu religionis & sacrificii, ut qui inexorabili servirent legi & necessitati, colendi his largitatibus Dei, Clerique divino addicti ministerio; Clericos autem accepisse, quæ erogarentur, quo sua recrearetur paupertas, ut qui summa in inopia opulenti essent, tanquam nihil habentes & omnia possidentes, de publicæ charitatis & munificentiæ thesauro id delibantes tantùm, quod tolerandæ vitæ necesse esset. Ea persuasio hinc & hinc verissima, pulcherrimaque, ad nostram propagata est ætatem, & in posteras usque propagabitur. Largissimè semper effundunt fideles in Christi ministros, hi de paupertatis amore nihil remittunt. Quanquam enim oblatæ Clero primùm hæreditates distraherentur, nunc observentur, ea exterioris disciplinæ mutatione, de interiori abdicationis professione demutatum nihil, nihil minutum est. Divendita fuere prædia in Judæa, quòd diutiùs ibi ea retineri non possent, cum à Judæis ad Gentiles traducenda mox esset Ecclesia. Denique si quid distractum necdum fuerat, ubi gravis illa persecutio incubuit post Stephani mortem, id totum fidelibus periit. Sed sive serventur, sive distrahantur prædia, res eodem redit, si modò vel divenditorum pretia, vel servatorum fructus annui in alimenta pauperum consumantur.

Luculentissimè ab Augustino animadversum est, possessionibus, fundis, annuisque & certis reditibus agrorum Ecclesiæ, exemplo præisse, & authoritatem conciliasse Christum ipsum, cum Oeconomum & custodem communis pecuniæ voluit constitui unum ex Apostolis, scilicet in futuros usus, & suos, & sacri Collegii sui, & pauperum erogandæ. Tum enim facto hoc ipso suo pulcherrimè interpretatus est ipse sua illa alibi verba, de crastino die sollicitari neminem debere, in diem vivi oportere, & incumbi Patris cælestis providentiæ; qui mutuas pascit animantes, tam serendi, quàm metendi incuriosas. Ut nil derogatur ei perfectionis præcepto, etsi exemplo Christi deponatur pecunia, servaturque in necessitates venturas; ita nec ei detrahitur quidquam, servandis possidendisque

que fundis & hæreditatibus, quòd cupiditate & anxietate procul possideantur, sola suis & pauperum necessitatibus servandi charitate. Vides ut verbis Christi ipsa ejus facta faciem preferant, atque ita se ipse interpretetur. Audiamus jam Augustinum. *In Evang. Joan. Tract.62. Ergo & Dominus loculos habuit; & à fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primùm Ecclesiastica pecunia forma est instituta, ut intelligeremus, quod præcipit non cogitandum esse de crastino, non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecunia servetur à Sanctis; sed ne Deo pro ista serviatur, & propter inopiæ timorem justitia deseratur. Nam & Apostolus in posterum prævidens ait, ut si quis fidelis habet viduas, sufficienter tribuat eis, ut non gravetur Ecclesia, quò veris viduis sufficere possit.*

Hæc Apostoli ergo doctrina, hæc Ecclesiæ observatio consentit adprimè dictis factisque Christi, & ex utraque illud existit, summota avaritia & sollicitudinum anxietate, charitati providæ & tranquillæ sua esse promptuaria, esse multiplex penu, unde promat in præsentes & futuras necessitates. Porro hæc, quæ ab Augustino dicitur *Ecclesiastica pecunia*, cujus originem ab ipso usque Christo repetit, non aurum tantùm & argentum, sed & fundos amplectitur & hæreditates, cum annuis reditibus. Huic enim Ecclesiæ consuetudini lucem & authoritatem quærebat Augustinus ab exemplo Christi & Apostolorum.

XIII. Poterat Christus ad fastigium aliquod sublimius suam & paupertatem Evangelicam attollere, & abstinentiam, si optimum factu id duxisset. Poterat jejunia Joannis æmulari, & superare; poterat quod fecit Paulus, Evangelium disseminare gratis, & suo se labore manuum, suosque secum sustentare. Sed summæ hoc ipsum fuit ejus & perfectionis fastigium, & charitatis, cæteris omnibus mortalibus inaccessum, quod cum ad ulteriora & summa omnia posset consurgere, accommodare se nobis & mediocritatem sectari maluit, eam nimirum, quam possent & Apostoli omnes, & Apostolorum amplexati successores. Plures habuit admiratores, quàm imitatores Joannis abstinentia, & Pauli fervor singularis. Humani totius generis magisterium Christus præ se ferebat: itaque Apostolos sic imbuit, sic informavit, ut turbas hominum ad imitationem sui accenderent, non virtutum quadam inaccessa præstantia deterrerent. Stupenda illa abstinentiæ exempla conducunt non parum, possunt & aliquando ad excitandam ignaviam sæculi necessaria videri; sed ne id quidem consequi possunt, nisi rara sint & inusitata. Sicubi ergo Cœnobiorum paupertas accuratior, strictiorque fuit, quàm primorum fidelium & Apostolicorum virorum: non tamen est quod quisquam sibi persuadeat, Monasticas has virtutes Apostolicis, vel Christi ipsius virtutibus antestare potuisse. Summus omnium virtutum apex charitas est, quæ tum in summum quemdam consurgit verticem perfectionis, cum ad imos usque delabitur sapientissimæ & amantissimæ indulgentiæ gradus. Non aliter sentiebat Augustinus. *De opere Monac. c.3. Dominus noster more misericordia sua infirmioribus compatiens, cum ei possent Angeli ministrare, & loculos habebat, quò mitteretur pecunia, quæ conferebatur utique à bonis fidelibus, eorum victui necessaria. Quos loculos Judæ commendavit, ut etiam fures si evitare non possemus, tolerare in Ecclesia disceremus.*

XIV. Quæ Augustini doctrina præstantissimè explanata fuit à Nicolao III. Papa in Decretali *Exiit*. En ipsa ejus verba. *In Sexto.5. Tit.12. c.3. Sic Christus, cujus perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quòd interdum infirmorum imperfectionibus condescendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret. Sic infirmorum personam Christus suscepit in loculis, sic ut nonnullis aliis infirma humana carnis assumens, non tantùm carne, sed & mente condescendit infirmis, &c. Egit Christus & docuit opera perfectionis: egit etiam infirma, sicut interdum & in fuga patet, & in loculis. Sed utrumque perfectè perfectus existens: ut perfectis & imperfectis se viam salutis ostenderet, qui utrosque salvare venerat, qui tandem mori voluit pro utrisque.* Hoc oculo, hoc animo Christus, hoc Apostoli spectandi sunt nobis, hoc Præsules quicumque Apostolico spiritu animantur: paupertatis illi Evangelicæ virtute resplendent supra austerissimos quosque Monachos, quanquam ab ejus specie ostentanda longiùs absint. Præsules hi, immo & Beneficiarii ejusmodi omnes ad Christi imitationem sese componunt, qui cum lex ipse & summus esset sanctitudinis & perfectionis apex virtutes tamen quasdam modo tenus aliquo, & mediocres exercere voluit, quo ad imitationem sui plures pelliceret. Nihil usquam perfectius summa hac humanitate, quæ se imperfectis accommodat. Fuga Christi specie tenua obscurior videri poterit, quàm si infracto pectore impetum & audaciam inimicorum fregisset. Sed singularis & divinæ fuit sapientiæ, & charitatis cujusdam immensæ, ut nostris se infirmitatibus attemperaverit, exemploque suo solatus sit eos, qui fuga sibi postea consulturi erant. Eadem de causa mœroris, timoris & tristitiæ argumenta quædam edidit, quo tempore passurus & crucem aditurus erat: cum ab eo in tot Martyres diffusa sit invicta illa animi vis & fortitudo, quæ his ægritudinibus omnibus invia & intacta fuit. Verùm summus perfectionis cardo in eo vertitur, ut vigorem & celsitudinem animi inexpugnabilem aliis inspires, te ipsum verò ad imbecillium patientiam attempere, quo & ipsos sensim ad majus robur promoveas. Præsules Apostolici Christum ipsum & Apostolos æmulantur: possident, tanquam non possidentes: utuntur tanquam non utantur: strictissimæ paupertatis sectatores novo ipsi vigore animant & corroborant: quod ad ipsos attinet, cumulatissima quadam & perfectissima charitate, eum Ecclesiasticæ professionis modum, eam stationem mediam tenent, ut perfectissimam præ se non ferant paupertatem, quo saluti imperfectorum faciliùs feliciùsque serviant.

XV. Miltiadi Papæ à Gratiano tribuitur, quod à nobis in antecessum jam animadversum est. Nempe Apostolos non multo post tempore dilatandam in Gentibus Ecclesiam præsagientes, noluisse in Judæa fundos ullos servari, atque operam dedisse, ut qui dati fuerant, quamprimùm venirent. *Futuram Ecclesiam in Gentibus Apostoli prævidebant, idcirco prædia in Judæa minimè sunt adepti, sed pretia tantummodo ad fovendos egentes. 12. q.1. C. Futuram.* Urbano mox Papæ ab eo adscribitur, *Ibidem. C. Videntis*, quod non paulò etiam probabilius est, & Episcopis, & fidelibus ipsis in mentem venisse tandem, expeditius fore, consultiusque, ut fundi ipsi retinerentur, uti perennes eleemosynarum fontes deinceps futuri. Qua de re Capite sequenti.

XVI. Ad calcem hujus Capitis addam, verissimè dici posse, à primis illis fidelibus initiatas, concessasque esse Ecclesiæ primitias, decimas, oblationes, possessiones denique ipsas suas. Ea enim omnia complectebatur illa domorum agrorumque distractio, pretiumque ad pedes Apostolorum congestum. Qui totum largitur, primitias & decimas largitur, nec solas. Si plerique autem in hoc primo Ecclesiæ fervore totum erogabant patrimonium: quis ab aliis ambigat primitias saltem & decimas impensas fuisse? Quoad alias verò ex Gentilibus collectas Ecclesias, & si non literis mandatum sit,

ven-

venditos, aut donatos fuisse agros, ab illis saltem sacri Ministri & pauperes alebantur, ad quem usum primitiæ & decimæ revocantur.

CAPUT II. *P.1. l.3. c.2.*

De Bonis temporalibus, de Oblationibus, de Decimis, de Collectis, de fundis & agris Ecclesiæ Latinæ usque ad tempora Constantini Magni.

I. Ad Altare oblationes largæ, & ad eas excitabantur fideles à Sanctis Patribus.

II. Ab omni cupiditatis fuligine purus erat hic zelus.

III. Urgebant Sancti Patres, ut daretur, & largissimè daretur, ad solatia pauperum.

IV. Multi agris ipsis suis Ecclesiam donabant.

V. Quarto sæculo offerebant Monachi ad Altare ex pietatis officio, quo gnari erant ex certa lege perfunctos fuisse laicos prioribus sæculis.

VI. Non admittebantur oblationes nisi communicantium.

VII. De Collectis extraordinariis.

VIII. De Collectis ordinariis.

IX. Suum erat Ecclesiæ penu, suus fiscus, qui solis pauperibus pateret.

X. Quid negotii, quid artificii possent Episcopi, & alii Clerici exercere.

XI. Erant jam Ecclesiæ fundi aliqui.

XII. Etiam decimæ jam tum solvebantur.

I. SEcundo & tertio Ecclesiæ sæculo certissimum est rem ejus temporalem ex oblationibus potissimum excrevisse, quæ ad Altare fierent. Cum Ecclesiæ enim sua essent & Templa, & Altaria, sicut & sacrificia, divinæ prorsus victimæ qui vel ex Judæis ad eam, vel ex Gentilibus confluebant, non poterant non illi ex prioris suæ impulsu religionis, quin immo ex instinctu ipso impetuque naturę, ad Altare hoc novum hostias offerre, quibus & sua eluerent commissa, & Ministros Altaris sustentarent. Tanto autem suavius validiusque invitabantur fideles, ad has hostias offerendas, quod ad earum communionem mox ipsi vocabantur, quod rarum erat in Judęorum, & Gentilium sacris. Pseudoepiscopos quosdam ait Cyprianus, non aliud quidquam vehementius concupiscere, quàm ut eleemosynis & oblationibus fidelium saginentur & ditescant. *Stipes, & oblationes & lucra desiderant, quibus priùs insatiabiles incubabant. L.1. Ep.7.*

Acerbissimè alibi invehitur in divites eos, qui ad Ecclesiam ventitabant illi quidem, at nihil in pauperes erogabant, nihil offerebant ad Altare, de pauperculi alicujus oblatione communicabant. *Locuples & dives Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omninò non respicis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis. Serm. de Eleemos.* Ubi oblatio ipsa fidelium ad aras sacrificium appellatur, propterea quod portio ejus aliqua ad Eucharistiam conficiendam seligebatur, reliquum cedebat Ministris alendis: quod quæ affertur Deo hostia, jam tum hostia est & sacrificium, cum Dei esse incipiat, cum primùm Deo devovetur, antè etiam quàm immoletur; propterea denique quod hæ oblationes, verè hostię erant, quas fidelium pietas profanis usibus abjungebat, ut Deo consecrarentur, servitutis ad ipsum nostræ documenta futura, & religionis, ac pietatis. Tantò verò fœdius erat à locupletibus nihil offerri, quod ne pauperes quidem eo religionis officio & nexu absolverentur. *Pudeat divites sterilitatis utque infelicitatis suæ: vidua & inops viduus in opere invenitur. Cumque universa, quæ dantur, & pupillis & viduis conferantur, dat illa, quam oportebat accipere; ut sciamus quæ pœna divitem sterilem maneat, cum hoc ipso documento operari etiam pauperes debeant.*

II. Instantius urgebat Cyprianus, ut ex his ejus verbis manifestum est, nec tamen terrenę cupiditatis stimulo agebatur. Mera erat & purissima charitas, quæ illum incendebat ad divitum salutem procurandam, quam non alio magis compendio promovere poterant, quàm his donis & eleemosynis, quę in pauperes mox, in pupillos & viduas disseminabantur. *Cumque universa, quæ dantur, pupillis & viduis conferantur.*

III. Nec id unum moliebatur Cyprianus, ut exemplo pauperum divites, vel pudore suffunderet, vel inflammaret ad largiores oblationes: *Dat vidua, & viduus inops; dat, quam oportebat accipere: Ibidem.* sed ut illos ad eam excitaret munificentiam, quę non eorum modo opulentiæ responderet, sed quę primigenium etiam ęmularetur fervorem Christianorum Palęstinę Ecclesiæ, qui patrimonium suum omne devovebant Christo, Apostolis dispensandum in pauperes concredebant. Nec enim oblectandæ curiositati nostrę, inspiratæ divinitus Scripturæ eam nobis Ecclesiæ Hierosolymitanæ historiam consignarunt; sed ut formam hanc & imaginem accuratissimæ perfectionis præ oculis haberemus posteris omnibus sæculis, & hinc nobis vel incuteretur pudor, vel calcaria subjicerentur. Ideo & fideles hortabatur Cyprianus, Patris ut sui cœlestis, quàm filii, tam imitatores essent; ejus exemplo omnia sua omnibus communia esse vellent: cum inexausto ille beneficiorum torrente bonos & malos, amicos & inimicos perfundat. *Sicut legimus in Actibus Apostolorum, Erant illis omnia communia. Hoc est nativitate spiritali verè liberos Dei fieri, hoc est lege cœlesti æquitatem Dei Patris imitari. Quodcumque enim Dei est, in nostra usurpatione commune est, nec quisquam à beneficiis ejus ac muneribus arcetur; quò minùs humanum genus bonitate, ac largitate divina æqualiter perfruatur. Sic æqualiter dies illuminat, Sol radiat, imber rigat, &c. Quo æqualitatis exemplo, qui possessor in terris reditus ac fructus suos cum fraternitate partitur dum largitionibus gratuitis communis ac justus est, Dei Patris imitator est. Ibid. Serm. De Eleemos.*

Ubi & illud animadverti velim, promiscuum pene haberi Cypriano, sive divendat quis prædia sua, & pretium pauperibus eroget: sive ea servet, & non tanquam sua; sed velut aliena, & sibi commendata dispenset, in communes usus, tam suos, quàm pauperum omnium. Expostulat idem alibi, quòd olim quidem fideles agros suos, domosque distraherent, quo pretium per manus pauperum in cœlestes trajicerent thesauros: at tunc vix decimas darent: *At nunc de patrimonio nec decimas damus; & cum vendere jubeat Dominus, emimus potius & augemus. De simpl. Prælat.* Denique pœnitentes maximè urget, extimulatque Sanctissimus Pater, ut patrimonio propter Christum renuncient, cujus antè amore Christo renunciaverant, & sempiternæ saluti suæ. *Pro hoste vitanda res, pro latrone fugienda, &c. Nec tenere jam, nec teneri patrimonium debet, quo quis & deceptus, & victus est, &c. Incunctanter & largiter fiat operatio. Census omnis in medelam vulneris erogetur, &c. Sic sub Apostolis fides viguit, sic primus*

cre-

credentium populus Christi mandata servavit, prompti erant, largi erant, distribuendum per Apostolos totum dabant, & non talia delicta redimebant. De Lapsis.

IV. Tam vehementes non poterant penitus steriles esse exhortationes. Simillimum ergo veri est, non mediocri ex parte fideles, aut pœnitentes saltem, tam pulchra & tam salutaria amplexatos esse consilia, & patrimonia Deo consecrasse, quæ mox persecutor involaturus esset. Itaque reflorescebat semper in Ecclesia illud primævum decus eorum, qui voluntaria sua paupertate, & omnium egenorum inopiam levabant in terra, & in cœlis incorruptibilem sibi congerebant thesaurum. Jam dubitare ea quidem de re non poterit, quisquis hunc Hymnum audierit Prudentii in laudem Beati Laurentii. Hæc enim Gentiles fidelibus objectabant, tanquam probra, quæ summæ cujusdam virtutis erant insignia. *Tunc summa cura est fratribus, ut sermo testatur loquax, offerre fundis venditis sestertiorum millia. Addicta avorum prædia fœdis sub auctionibus successor exhæres gemit, sanctis egens parentibus. Hæc occuluntur abditis Ecclesiarum in angulis, & summa pietas creditur, nudare dulces liberos.* Hymno 2. De Coronis. Quibus Paganorum in nos convitiis, quid in nostram commendationem amplius dici potuit? Inde enim elucescit nunquam in Ecclesia exaruisse rivulos Apostolicæ illius paupertatis, ex qua fons mirificæ largitatis hujus manabat.

V. Statas verò ad Altare oblationes, usque adeo populus frequentabat universus, ut ne Monachi quidem ea lege soluti sibi viderentur, ut non & ipsi religiosa hæc tributa divinis Altaribus & Ministris inferrent. Author & testis erat idoneus Hieronymus, ad Heliodorum scribens de vita Eremitica: *Clerici de Altario vivant, mihi quasi infructuosa arbori securis ponitur ad radicem, si munus ad Altare non defero. Nec possum obtendere paupertatem, cum in Evangelio anum viduam duo, quæ sibi sola supererant, æra mittentem Dominus laudaverit.* Ex quo patet laicos certè omnes generali ea lege oblationum constrictos fuisse.

VI. Vetuit Eliberitanum Concilium, ne quà Episcopi dona acciperent ab iis, qui communicandi jure excidissent. *Episcopos placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere.* Can. 28. Ex quo efficitur fideles omnes, seu quibus integra esset communicandi facultas, jure etiam eximio potitos esse offerendi ad Altare; eoque sejunctos fuisse ab excommunicatis & pœnitentibus, quorum non admittebantur oblationes.

VII. Præter has omnium fidelium statas oblationes ad Altare, præter usitatas eorum largitates, qui patrimonii reditus sibi, Ecclesiæ, & pauperibus communes esse volebant; præter inusitatas eorum profusiones, qui sua distrahebant omnia, eorumque pretia in fiscum Ecclesiæ conferebant, erant & collectæ quædam extraordinariæ, quas urgente nova quadam necessitate Episcopi indicebant. Hinc calumniandi ansam aucupatus est Tertullianus adversùs Catholicos Episcopos, postquam ab eorum se communione segregavit. *Episcopi universæ plebi mandare jejunia assolent, non dico de industria stipium conferendarum, ut vestra captura est, sed, &c.* De jejun. adv. Psychic. Liberas has largitiones sola charitas exprimebat, quæ ipsamet libertas est, ejus persimiles, cui præfuit Paulus, & quam ipse posterorum memoriæ immortali Epistolis suis consecravit. Frustra est ergo Tertullianus, cum Episcopis ex eo convitium facit, quo Apostolum imitantur.

Nec minùs idem alibi præposterè expostulat non de avaritia, sed de ignavia Episcoporum, qui tributa quædam à fidelibus exprimebant, ut ingenti pecunia ab Infidelibus redimerent potestatem liberam congregandæ in religiosas Synaxes Christianæ multitudinis. *Massaliter tota Ecclesia tributum sibi irrogaverunt. Hanc Episcopatui formam Apostoli providentius condiderunt, ut regno suo securi frui possent, sub obtentu procurandi. Sed quomodo colligemus, inquis, quomodo Dominica solemnia celebrabimus? Utique quomodo & Apostoli, fide, non pecunia tuti.* De fuga in persecu. Hæ fuere magni aliàs viri hallucinationes, aliæ ex aliis contextæ. Semel enim, & quidem perperam persuasus, nefas esse fugere in persecutione, ut fuga, ita & numerata pecunia noluit eam declinari.

VIII. Sed præter has extraordinarias Collectas, erant & ordinariæ, & certæ, ubi quisque mense quolibet, aut quolibet etiam Dominico die, in Gazophylacium Ecclesiæ publicum mittebat perinde, ut pietas charitasque suadebat erogare in pauperes, & ex temporali perituraque stipe æterna sibi lucra comparare. Affirmat Justinus Martyr in Apologia II. fideles omnes ruris, Urbisque convenisse quolibet Dominico die ad solemne sacrum, quo expleto, pro suæ quisque modo substantiæ & pietatis conferebat in ærarium quoddam sacrum, unde Pastor in pauperes & ægrotos, viduas & orphanos, hospites & peregrinos erogaret. *Qui copiosiores sunt & volunt, pro arbitrio quisque suo quod visum est, contribuunt; & quod ita colligitur, apud Præpositum deponitur; atque inde opitulatur pupillis & viduis, & his, qui propter morbum & aliam ob causam egent, &c.* In Apologetico quoque suo Tertullianus elegantissimam hujusmodi piarum erogationum imaginem delineavit. *Præsident probati quinque seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti; neque enim pretio ulla res Dei constat; etiam si quod arcæ genus est, non de oneraria summa quasi redempta religionis, congregat. Modicam unusquisque stipem, menstrua die, vel cum velit, & si modo possit, apponit: nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, non potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur; sed egenis alendis humandisque, & pueris ac puellis, re ac parentibus destitutis, ætateque domitis senibus, item naufragis; & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodiis, dumtaxat ex causa Dei sectæ, alumni confessionis suæ fiunt.* Has non immeritò charitatis mutuæ inter Christianos significationes mirabantur Ethnici: *Vide, inquiunt, ut invicem se diligant.* Respondet verò Tertullianus, fratres sibi mutuò dici, & esse Christianos, atque ita in commune omnia possidere: omnium eorum unam animam, unum cor esse: atque adeo & unum patrimonium terrenum, unam & cœlestem hæreditatem. *Ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos ferè dirimit fraternitatem. Itaque qui animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos, præter uxores, &c.*

IX. In hæc Tertulliani verba nonnulla sunt, quæ operæ pretium sit observari. 1. Pro Sacramentorum erogatione nihil dari, nihil accipi solitum tunc fuisse. *Nec enim pretio ulla res Dei constat.* Unde & à Concilio Eliberitano excisus est, qui inolescebat mos perversissimus in Hispania, ut qui baptismo tingebantur, nummorum aliquid erogarent. *Emendari placuit, ut qui baptizantur, ut fieri solebat, nummos in concham non mittant.* Cap. 48. 2. Fuisse in Ecclesia Ærarium, quæ Tertulliano dicitur *Arca*, Cypriano *Corbona*, Concilio Eliberitano *Concha*, quos Evangelia *loculos* appellasse videntur. 3. Contulisse unumquemque quolibet saltem mense, vel quando facultas erat, aliquid pecuniæ, si tamen facultas erat. Usque adeo enim non exugebantur pauperes, ut in eos effunderetur, quid-

qoidquid exprimebatur divitibus. 4. Prætermitti à Tertulliano Clericos, ubi eos recenset pauperes, in quos hæ charitatis stipes dispensabantur. Sed satius est tamen, ipsos ut dicamus ab eo pauperum nomine comprehendi. Nec enim eos Ecclesia alit, nisi ut pauperes, cum panperibus, de pauperum patrimonio; ita ut thesauros suos ubi charitas explicat, inde excludi non possit paupertas. 5. Ait denique Tertullianus inter Christianos communia fuisse omnia: non quò omoes sua divenderent, ut quondam, & distribuerent; sed quod germani Christiani, dispensatores sibi potiùs sui ipsorum patrimonii viderentur esse, quàm domini. Itaque eum ea prælibassent, quæ sibi, suæque familiæ neeessaria essent, pro modulo Christianæ frugalitatis: reliqua tanquam sibi superflua, & pauperibus debita spectabant, quorum Deus patrimonii administros illos coostituisset. Eo eertissimè sensu, qui legi Evangelicæ adprimè consentaneus est, bona omnia tum erant, eruntque semper Christianis omnibus, ejus nomioia dignitatem non dedecorantibus, communia.

X. Quæ hie porro dicta sunt nobis, Canoni Eliberitano nonnihil lucis insundent, quo scilicet permittitur Episeopis, Presbyteris, Diaconisque aliquid exereere negotii, dum ne suæ finibus exiliant residentiæ; data etiam copia, ut filios, amicos, libertos, servos ei negotio in locia remotis præficiant, vicariam sibi operam navaturos, dum ne extra Provinciam illa negotiatio distrahatur. *Episcopi, Presbyteri & Diaconi de locis suis negotiandi causa non discedant: nec eircumeuntes Provincias, quæstuosas nundinas sectentur. Sanè ad victum sibi conquirendum, aut filium, aut libertum, aut mercenarium, aut amicum, aut quemlibet mittant; & si voluerint negotiari, intra Provinciam negotientur.* Can.19.

Usque adeo certè Ecclesia Beneficiariis nonnisi necessaria subministrabat vitæ subsidia, & Episcopis etiam ipsis nempe velut pauperibus, ut complures ex ipsis artificioli aliquid ad vitam tolerandam exercerent; & forsan non tantùm ut sportulas pro suo sibi loco debitas dimitterent pauperibus impartiendas, sed & ut pauperes ad lucelli etiam sui partem aliquam vocarent. Paulus Apostolus in hoc præluxerat, arte & labore manuum victitans, & alios alens. Id seeuti non erant cęteri Apostoli, ut usum legemque potiùs instituerent generalem, & in mores inducerent, & fideles insuefacerent sustentandis Ministris sacris. Hæc ergo eadem mens est Canonis Eliberitaoi, Paulo consentanei, qui & ipse distrahi curabat tentoria, quæ contexuerat. Totum id negotium alendis Clericis, levandisque pauperibus dicatum est. *Ad victum sibi conquirendum*: non ad eos collocupletandos. Eodem enim Canone prohibetur sordidum negotium, quo laboratur, non ut fiat satis necessitati, sed insatiatæ hominum avaritiæ: *quæstuosas nundinas*; & cui servitur inquieta per Provincias discursatione. Quod vitii à Cypriano inustum est iisdem propè verbis: *Episcopi plurimi, quos & ornamento oportet esse cæteris, & exemplo, divina procuratione contempta, procuratores rerum sæcularium fieri, derelicta Cathedra, plebe deserta, per alienas Provincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari. Esurientibus in Ecclesia fratribus habere argentum largiter, &c.* De lapsis.

XI. Nihildum diximus de agris & fundis Ecelesiæ per hæc duo sæcula, quod paucos sanè obtineret, nec enim dixerim nullos. Alexander Severus Imperator, referente Lampridio, Christianis addixit Eeelesiam, de qua controversiam faciebant caupones. Gentili licèt superstitione occupatus Princeps, satius tamen fore duxit, ut locus Numini dicaretur: *Cum Christiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupassent: contrà Popinarii dicerent sibi eum deberi, rescripsit melius esse, ut quomodocumque illic Deus colatur, quàm popinariis dedatur.*

Jam ergo inficias nemo ierit, quin Ecclesias & templa nostræ sectæ in communi possideremus, ceu fundos; quos cum oobis Imperatores ipsi adjudicarent, adsererentque adversùs vim illos temerè usurpantium; hinc probabilia conjectura, non vetuisse illos, quin ruri & in urbibus fundos agrosque passim acquireret Ecclesia. Res in aperto est. Si Romæ, si Antiochiæ sinebant Imperatores aliquas Ecclesias Christiano coltu frequentari, ut sequenti capite referemus, non intercessisse eos, quin prædia & fundos ruri & in urbibus illæ Ecclesiæ obtinerent.

XII. Decimas suprà strictim attigit Cyprianus, & in eo uno satis argumenti est, ut existimemus Christianos eo religionis officio functos esse tantò scrupulosiùs, quantò certissimi erant, justitiam & charitatem Christianorum Pharisæis concedere non debere, qui decimas omnium religiosè persolvebant. Paulò apertiùs rursum alibi idem Sanctus Pater de eadem re, quando docet, uti Collegio olim Sacerdotum & Levitarum pendebantur decimæ ab undecim Tribubus aliis, ut ab aliis occupationibus feriati, uni possent se Altaris & Templi ministerio totos impendere: *Ad victum atque vestitum ab undecim Tribubus de fructibus, qui nascebantur, decimas perciperet*: ita nunc Clerum oblationibus & donis fidelium ali: *Quæ nunc ratio & forma tenetur, ut qui in Ecclesia Domini ad ordinationem Clericalem promoventur, nullo modo ab administratione divina avocentur, ne molestiis & negotiis sæcularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab Altaribus & sacrificiis non recedant.* L.1. Ep.9.

CAPUT III. *P.1. l.3. c.3.*

De bonis temporalibus Ecclesiæ Orientalis usque ad Imperium Constantini. De Oblationibus, Decimis, Collectis, fundis & prædiis.

I. Ecclesia Romana largitiones in omnem effusa Orientem.

II. Non pauci prædia adhuc sua divendebant.

III. Ecclesiæ Orientali ante Imperium Constantini erant sessiones, domus, agri.

IV. A Principibus ipsis Ecclesiæ vendicati fundi, quod Evangelicæ paupertati nihil obstrepebat.

V. De oblationibus.

VI. De Primitiis & Decimis, ex Canonibus & Constitutionibus Apostolicis.

VII. Irenæi doctrina in eam rem.

VIII. Expeditissimi à terrenis affectibus Antistites Apostolici, magna animi & eloquentiæ vi fideles ad largiùs dandum cohortabantur.

IX. De Primitiis & Decimis ex Origene.

X. Pia hoc genus largitiones pro sacris hostiis habita.

XI. Marci Aurelii Imperatoris largitio.

I. Finitima erat Occidentali Orientalis Ecclesię lex & disciplina in rebus fundisque suis. Celebrata est ab Episcopis Græcis summis quibusdam laudibus Ecclesiæ Romanæ liberalitas effusissima in omnes Orbis Ecclesias alias, qui rivuli tam longè latèque manantes uno ex fonte exoriri po-

te-

terant spontanearum Romanæ plebis oblationum, vel confluentium eò undique fidelium. Quod tam studiosè commendabant, eumque pro virili sua parte imitari satagebant Episcopi Orientales. Prodibit hic ante alios Dionysius Corinthi Episcopus in Epistola ad Soterem Papam, ubi hunc morem commendat, quem testatur Eusebius ad sui usque ævi persecutiones observatum fuisse. *Hæc vobis consuetudo est, jam inde ab ipso Religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis, & Ecclesiis quamplurimis; quæ in singulis urbibus constituta sunt, necessaria vitæ subsidia trasmittatis. Et hac ratione tum gentium inopiam sublevatis, tum fratribus, qui in metallis opus faciant, necessaria suppeditatis. L.4. c.23.* Dionysius Alexandriæ Episcopus datis ad Stephanum Papam literis eas largitiones Ecclesiæ Romanæ permanasse refert in Syriam usque & Arabiam. *Syriarum quidem Provincia omnes cum Arabia, quibus identidem necessaria suppeditatis. L.7. c.5.*

II. Confirmat porro idem Eusebius ab Orientalibus non paucis initam fuisse eandem, de qua Lucas, viam & rationem Ecclesiæ Hierosolymitanæ, abdicandis caducis omnibus, & in egenos dispensandis, quin & cælestibus mox Evangelicæ doctrinæ thesauris varias in Orbis Provincias spargendis. *Siquidem plerique ex illius temporis discipulis, quorum animos ardentioris Philosophiæ desiderio verbum divinum incenderat, Servatoris nostri præceptum jam antea expleverant, divisis inter egentes facultatibus suis. Deinde relicta patria peregrè proficiscentes, munus obibant Evangelistarum. L.3. c.37.*

III. Non diffidet à verisimilitudine, in Oriente complures fidelium Ecclesiis dono dedisse fundos & hæreditates ipsas, non vendidisse, ut simul & semel pretio earum pauperes juvarentur. Profertur enim ab Eusebio Lex ipsa Constantini, qua restitui jussit Ecclesiis domos, possessiones, agros, hortos, quibus eas persequentium furor spoliarat: ut jam ambigere queat nemo ante Imperium Constantini suos fuisse Ecclesiæ fundos, agrosque. *Omnia ergo quæ ad Ecclesias rectè visa fuerint pertinere, sive domus ac possessio sit, sive agri, sive horti, seu quæcumque alia nullo jure quod ad dominium pertinet imminuto, sed salvis omnibus atque integris manentibus, restitui jubemus. De vita Constant. L.2. c.39.*

IV. Enimvero eum Ecclesia esse extrnique finereot Ethnici Imperatores: cum author sit Eusebius, novas in dies & magnificentiores exædificatas fuisse: *Priscis ædificiis jam non contenti, in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis extruebant Ecclesias. L.8. c.1. 2.* Cum primus omnium Diocletianus eas everti Edicto publico coegerit, ecquis dubitet, quin sui illis fundi, reditusque antè esse potuerint, ad Altaris ministerium, ad ministrorum cibos? Refert Eusebius sub Imperio Constantini cœptum esse restaurari Ecclesias, nitore & opulentia majore, quàm priùs. *Nobis incredibilis erat lætitia, cum loca cuncta, quæ Tyrannorum impietas paulò antè subruerat, reviviscere videremus; templaque rursus à solo in immensam altitudinem erigi, & longè majore cultu ac splendore, quàm illa, quæ priùs expugnata fuissent initescere. L.10. c.2.*

Cum Paulus Samosatenus ex eodem Eusebio, L.9. c.10., morem gerere detrectaret decreto Concilii Antiochiæ adversùs eum ejusdem urbis Episcopum congregati, nec *domo Ecclesiæ* excedere vellet, jussit Aurelianus Imperator illi eam addici, ad quem Episcopi Italiæ, & Romanus Præsul rescripsisset. *Iis demum tradi præcipiens, quibus Italici Christianæ Religionis Antistites, & Romanus Episcopus scriberent. L.7. c.30.* Fateamur ergo necesse est, fidelium pietate & largitate Ecclesiis dono datas esse terras, domos, hæreditates antè etiam, quàm habenas Imperii Christiani Principes tractare incœpissent, eorumque fundorum Episcopos usumfructum & administrationem habuisse penes se, ut eos tuerentur etiam judicio & ope Principum, necdum Christiano nomine & mysterio initiatorum.

Hinc & illud emergit, nunquam restingui potuisse primævum illum æstum & ardorem Ecclesiæ nascentis, donandis & addicendis latifundiis, quin immo effudisse se in omnes & Orbis Provincias & posteras ætates. Quanquam enim vendi suaserit Christus, & dari pauperibus, nec de crastino anxiari: non ea tamen ejus fuit vel mens, vel voluntas, ut literæ ipsi & verbis præcepti serviremus; uti nec quod alibi præcepit, genam cædenti unam, alteram objici. Cæsus est & ipse in genam, nec alteram obtulit cædendam: discipulum quoque habuit, qui in loculos reconderet, quæ futuris usibus prodessent. Factis ejus verba aptanda sunt. Voluit ergo & ipse, ut purissimis Ecclesiæ suæ sæculis, Episcopi illi Apostolici, & martyria ad ipsa toto pectore anhelantes, fundos agrosque Ecclesiæ oblatos susciperent & possiderent, quo hæc jam tum lex & consuetudo præformaretur futuris Ecclesiæ sæculis, posse ab Ecclesia fundos & possessiones obtineri, illæsa paupertatis Evangelicæ professione, cum possidentes non possidentibus simillimi essent, utentes non utentibus; cumque patrimonii pauperum nihil quisquam nisi ut pauper delibaret, quamvis pinguium administrator esset Beneficiorum.

V. Venio ad oblationes, quas duplicis generis fuisse declarant Canones Apostolici. *Can.3. 4. 5.* Alii enim ad Altare offerebantur, puta triticum, racemi, oleum, thus. Aliæ in domum Episcopi deferebantur, mel, lac, legumina, volatilia, pecudes; porrò horum inter Clericos partiendorum penes Episcopos & Presbyteros cura erat & potestas. Certum est ergo horum tunc Beneficiariorum, seu Clericorum proventus, ex solis emersisse distributionibus, nec ullo eos adhuc fundo, vel donari, vel onerari solitos fuisse; sua omnia in commune possidente Ecclesia omni, & singulis quo egerent suppeditante; prælucente jam tum ea lege sanctissimis quibusque Congregationibus, & regula, ut charitas & paupertatem foveat, & propulset inopiam.

VI. Ex Constitutionibus Apostolicis dilucidius intelligetur, ut primitiæ & decimæ omnium à fidelibus Ecclesiæ exolverentur. *Dabis Sacerdotibus omnes primitias torcularis & areæ, vindemiæ & messis, boum atque ovium. Dabis omnem decimam pupillo & viduæ, pauperi & proselyto. Dabis etiam Sacerdotibus primitias panum recentium, vini ex dolio, olei, mellis, pomorum, sive baccarum, uvæ, aut aliorum fructuum. Primitias verò argenti aut indumenti, cæterarumque rerum, quas possides, tribues pupillo & viduæ. L.7. c.30.* Suppetebat ergo unde tolerare vitam possent, non deliciari. Suppetebat, quod necessarium, quod etiam commodum videri posset: superfluitas, fastus, splendor omnia præcidebatur. Hæc ad Clericos. Jam ad laicos, habes hic quo jure astringerentur, sive decimas, sive primitias, sive quocumque alio nomine rem adumbres, tributa justissima, ut Deo, Deique Ministris persolverent, cui se & sua deberent omnia.

Inde est quod & alibi Scriptor idem Constitutionum Apostolicarum testatum facit, ut ingenti cum fœnore sola Eucharistia pensantur nobis sacrificia omnia Mosaycæ legis; ita iis, quæ nunc ad altare Ecclesiæ convehuntur oblationibus, exhiberi primitias, decimas, & quascumque alias Templi Hierosolymitani largitiones. *Audi sacra Catholica Ecclesia, quæ antea sacrificia, nunc precationes*

& obsecrationes & Eucharistia; quæ tunc primitiæ & decimæ & portiones, ac dona, nunc oblationes quæ per sanctos Episcopos offeruntur Deo per Christum, qui pro omnibus mortuus est. L.2. c.25. Denique si jugum Legis permolestum nostris excussit cervicibus libertas Christiana, non ea tamen nos exolvit, authore eodem Clemente, seu quovis alio, necessitate inexorabili sustentandi Cleri, sublevandorumque pauperum. *Tametsi vos Deus à servitute asertorum vinculorum liberavit, &c. Non tamen à pensionibus liberavit, quas Sacerdotibus debetis, & quas egentibus benignè largiri oportet. Ait enim Dominus in Evangelio: Nisi abundaverit justitia vestra, plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* L.2. c.35. Bona fide Pharisæus primitias, decimas, aliaque pia vectigalia pendebat Templo Hierosolymitano. Christus eo ob oculos posito fidelibus suis exemplo, abundantiam quandam uberiorem justitiæ, & pietatis ab eis se desiderare sanctissimè affirmat; alioqui sepiendum illis aditum, & occludendas fores Regni cœlestia.

VII. His assentitur Irenæus, ubi ait, quæ Israelitæ suo, vel Templo, vel sacrorum Ministrorum Collegio offerebant, umbratiles tantùm eas fuisse imagines ejus longè effusissimæ munificentiæ, qua Ecclesiam, quà pauperes omnes fidelium largitas inexhausta prosequitur. *Nihil enim otiosum, nec sine signo, & sine argumento apud eam; & propter hoc illi quidem decimas suorum habebant consecratas; qui autem perceperunt libertatem, omnia quæ sunt ipsorum ad dominicos decernunt usus, hilariter & liberè dantes ea, non quæ sunt minora, utpote majorem spem habentes.* L.4. c.34. Vides quo sanctissimus Antistes, & Martyr conflare volucrit eam libertatem, qua Ecclesiam suam donavit Christus, à servitute legis Mosaycæ absolutam. Non ut decimas & primitias jam non pendant, aut non totas Christiani pendant, sed ut totum pendatur, & quidem ea charitate, quæ alacritatem hilaris animi spiret, eamque despicientiam rerum omnium, qua par est, ut nosmet nostraque omnia Deo dependamus. Sunt ergo veteris, sunt & novi Testamenti oblationes, sed quantò novum veteri antecellit, tantò & uberiores sunt ejus oblationes, ut quæ à charitate longè effusissima proficiscantur. *Non genus oblationum reprobatum est; oblationes enim & illic, oblationes autem & hic, sacrificia & in Ecclesia; sed species immutata est tantùm, quippè cum jam non à servis, sed à liberis offeratur. Unus enim & idem Dominus; proprium autem character servilis oblationis, & proprium liberorum: uti & per oblationes ostendatur indicium libertatis.* Parcè ergo dabant Israelitæ, quia servi erant, vinculis suis constricti & innexi cupiditatibus rerum terrenarum: eratque pro servili conditione doni parcimonia. At Christiani abruptis carnalium affectuum compedibus, verè liberi sunt: & munera liberis, Deique filiis consentanea amplissimaque offerunt: nempè cupidissimi omnia cum cœlesti Patre, cum fratribus suis ejus filiis omnibus communia habere.

VIII. Hæc Irenæi, hæc aliorum tum Patrum, ad largissimè dandum hortamenta, nulla sordium, nulla vel suspicione avaritiæ infamari poterant. Terrena enim illi & mortali omnia infra se posita habebant, ubique & semper ad fundendum pro Christo sanguinem paratissimi, aliquando tandem à se fusum iri persuasi plerumque: interim de tota Ecclesiæ opulentia tantum velut primoribus labris delibantes, quantum cæteri pauperes, quantum tuendæ vitæ, fovendæque paupertatis opus erat. Itaque sola eis animarum lucra oculis obversabantur, quando excitabant laicos, ut ultro nuntium illis omnibus remitterent bonis, quæ posset persecutor auferre, quæ cœlestibus thesauris ita commodè & certissimè inferri possent. Cum verò & eadem persecutionis, mortisque præcipitis discrimina imminerent fidelibus omnibus, omnibusque eadem Martyrii laurea desponderetur, non ægrè ab illis abjiciebantur, quibus terræ & immortalitati huic possent adglutinari. Ita his illisque fixum illud animo, certissimumque erat, compendiosius esse dare, quàm accipere; & cum Deo totum dabatur, totum fœnori dari, cumulatissimè mox refundendum: denique lutea & terrena à nobis Deum accipere, hic bona, aurea & æterna rependere. *Verbum dedit populo præceptum faciendarum oblationum, quamvis non indigeret eis, ut disceret Deo servire. Sic & ideo nos quoque offerre vult munus ad Altare frequenter, sine intermissione. Est ergo Altare in cælis. Illuc enim preces nostræ & oblationes nostræ diriguntur.* Ibidem.

IX. Fusè illud exequitur, sed & vehementer premit Origenes argumentum, *In Num. Hom.* 11. Quod lege Mosaycæ de primitiis, & decimis præcepit Deus, id etiam nunc à nobis religiosissimè observari debere, ut invariabile ejus præceptum, qui totum cum daret, portionem aliquam sibi retinuit, quam ut nostræ pietatis & grati animi repeteret monumentum. Sed non iis se finibus circumscribi patitur Origenes. Pharisæum enim observat ipsius Christi testimonio, Primitiarum & Decimarum legis observantissimum fuisse; & non posse tamen cuiquam regni cœlorum januam patere, nisi abundatiore sanctitatis copia affluat: *Quod ergo vult fieri à Pharisæis, multò magis & majore cum abundantia vult à discipulis impleri.* Quòd confirmatur ab eo, recensitis compluribus aliis Judaicæ religionis capitibus, quibus tamen longè ulteriores pietatis regulas, & elimatiores præscribebat Christus suis virtutes. *Quomodo ergo abundat justitia nostra plusquam Scribarum & Pharisæorum, si illi de fructibus terræ suæ gustare non audent, priusquam primitias Sacerdotibus offerant, & Levitis decima separentur; & ego nihil horum faciens fructibus terræ ita abutar: ut Sacerdos nesciat, Levites ignoret, divinum Altare non sentiat?*

X. Observatum est illud jam à nobis, & hic rursus tamen inculcandum, sic Scripturas, sic Sanctos Patres de primitiis, dè decimis & oblationibus, de stipe denique & eleemosyna, quæ erogatur in pauperes, & in Clericos, verba facere tanquam de hostiis quibusdam, & uno de eodem sacrificio, quo Christus ad aras nostras quotidie immolatur. Alebantur Aaronici Sacerdotes victimis, quas obtulerant, & nunc Ministros Altaris alere, unum idemque est, atque hostias offerre. At Christiani Sacerdotes & Ministri omnes sacrorum, verissimo quodam & luculentissimo sensu, in unum conflantur cum Christo Sacerdotem, unamque victimam: in illo sese & in sese illum offerunt, unum inter se, unum cum ipso corpus, unus panis. Cum pauperes omnes vescantur eleemosynis & hostiis oblatis Deo, in Corpus Christi & ipsi trajiciuntur, conflanturque in unum summum Sacerdotem, & in illam universalem hostiam, cujus oblatio ad orbis usque fines, & ad sæculorum usque exitum propagatur, & perpetuatur.

XI. His obiter addenda mirifica largitas M. Aurelii Imperatoris, qui annuis ter mille frumenti modiis donavit Ecclesiam Hierapolitanam, cujus Episcopus filiam ejus à dæmone exagitatam sanaverat. Nec illud donum nisi à Juliano Apostata retractatum est. Vide Acta Beati Abercii, hoc erat Episcopi nomen, apud Metaphrasten & apud Baronium, anno 163.

De



De Decimis & Primitiis post Imperium Constantini.

CAPUT IV. P.1. l.3. c.4.

De Decimis & Primitiis in Ecclesia Latina post Imperium Constantini, usque ad annum Christi quingentesimum.

I. Ecclesia opibus facta est ingens accessio post Imperio admotum Constantinum.

II. Ex Hincmaro, cum Clerici Levita sint novi Testamenti, debentur illis decima.

III. Qua Primitiarum quantitas esset.

IV. Arctiori fideles vinculo tenentur, quàm Israelita, ad decima & primitias dandas & ulterias aliquid.

V. Quàm blandè & quàm instanter Augustinus imminneret fidelibus, ut eadem eliceret.

VI. VII. Plusculum, quàm decimas exigit Augustinus, & ex opere quoque manuum, atque ex industria exigit.

VIII. IX. A quibus non abludunt Julianus Pomerius, & Cassianus.

X. Decima & primitia quandoque ad vicina convehebantur Cœnobia.

XI. XII. Quàm unxiè urgeret Augustinus fideles, ne modulo Pharisaica justitia, ne decimarum jejuna solutione contenti essent.

I. IMperio Constantini pax affulsit Ecclesiæ. Pacem ingentia secuta sunt opum, virium, & dignitatum incrementa. Quæ rerum accessio temporalium gratulanda utique fuisset, si Santimoniæ quoque & virtutum incremento cederet, non detrimento. Verè enim Hieronymus in vita Malchi Monachi: *Ab Apostolis usque ad nostri temporis facem Ecclesia persecutionibus crevit, Martyriis coronata est, & postquam ad Christianos Principes venit, potentia quidem & divitiis major, sed virtutibus minor facta est.* Hac mente, hac animi persuasione Sancti Patres temporalia Ecclesiæ bona, eorumque novas accessiones spectarunt, non ut lætitiæ, sed ut tristitiæ potius & gemituum materiam, timorisque ejus religiosi, & cautionis necessariæ, ne his caducis bonis suffarcinati, tanto simus verorum & æternorum bonorum inaniores, & quò inaniores, eò fastidiosiores.

II. Opes Cleri enumerare ordiemur à decimis, quo veluti tributo summi Numinis Majestas, toto pene orbe terrarum colebatur. Erant Clerici nostri novi Testamenti veluti Levitæ? utrorumque portio in Scripturis Deus dicitur. Id sonat vox ipsa Cleri, cujus sors Deus, qui & ipse vicissim Dei sors est. Hinc æquum censet Hieronymus, ut decimis & oblationibus Clerici sustententur. *Si ego pars Domini sum, & funiculus hareditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras Tribus, sed quasi Levita & Sacerdos vivo de decimis, & altari serviens. Altaris oblatione sustentor, habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar.* Ita ille in Epistola ad Nepotianum de vita Clericorum. Vides hic & Laicos astringi solvendis decimis, & Clericos obligari, ut de Altari vivitent illi quidem, non luxurientur.

III. Rursos enim ille elegantissimè, ut decimæ & primitiæ alendis, non ditandis Clericis impendi debeant: extricandis illis à temporalium cura & sollicitudine, non amplius immergendis: in Epistola ad Fabiolam de veste sacerdotali: *Primitia frugum & omnium ciborum atque pomorum offeruntur Antistiti, ut habens victum, atque vestitum, absque ullo impedimento securus & liber serviat Domino.* Idem alibi vir doctissimus observat in sacris Literis non designari quantitatem & modum primitiarum. Traditione inter Hebræos nescio qua vulgatum esse, quadragesima parte constare eas debere, saltem sexagesima. Videri denique Ezechielem eas affixisse sexagesimę parti, ad avaritiam Sacerdotum frænandam. Nemini autem ambigere fas ex Hieronymo, *In Cap.45. Ezech.*, quin à plebe justa stipendia possint Sacerdotes & Clerici Ecclesiæ exigere, quamvis vehementer illis succenseat, qui ultra jus & modum quidvis extorqueat. *Sugillat Propheta non solùm illius temporis Sacerdotes & Principes, sed nostri quoque, qui ditiores fiunt Sacerdotis dignitate; & prater ea, qua sibi Domini dispositione debentur, tollant à pauperibus per violentiam, vel sub honoris nomine divites spoliant.* Non ergo necessario locupletari, sed sustentari debent à populis Clerici; *qua sibi Domini dispositione debentur. Ibid. c.46.*

IV. Sibi, hoc est, Sacerdotibus & ministris suis Deus hanc olim integram servaverat portionem de terrenis omnibus bonis, decimas & primitias. Christus non eo se continuit modo, suos quippe cohortatus, ut omnia abdicarent, & in pauperes, ac operarios Evangelicos distribuerent; plura utique ab illis deposcebat, etsi non exigebat, quam olim expressum fuerat ab Israelitis, quibus ejusmodi perfectionis consilia ne proposita quidem fuerant unquam. Ita scilicet argumentatur Hieronymus in Commentatiis ad Malachiam. *Cap.3. Quia decimas & primitias Levitis populus non reddebat, se ipsum dicit Dominus fraudem sustinere, cujus Ministri fame coacti & penuria templum deseruerint, &c. Quia fraudastis me parte mea, hortor vos, ut inferatis decimas in thesauros templi. Si enim per alios visitatur in carcere, & agrotas suscipitur, & esuriens sitiensque cibum accipit atque potatur; cur non in Ministris suis ipse decimas accipiat, & si non dentur, parte sua ipse privetur?* Quin & validiora non paulò sunt, quæ mox subduntur; divino & naturali jure, & insolubili proinde vinculo teneri Laicos, teneri Christianos promiscuè ac Judæos, sed illos magis, ut à quibus spiritalia accipiunt, illis temporalia refundant alimenta. *Quod de decimis primitiisque diximus, qua olim dabantur à populo Sacerdotibus ac Levitis, in Ecclesia quoque populis intelligito; quibus praeceptum est, non solùm decimas dare & primitias, sed & vendere omnia, qua habent, & dare pauperibus, & sequi Dominum Salvatorem. Quod si facere nolumus, saltem Judaeorum imitemur exordia, ut pauperibus partem demus ex toto, & Sacerdotibus ac Levitis honorem debitum referamus.* Decimis ergo & primitiis donantur & coluntur Clerici, tanquam majestate Dei circumfusa effulgentes, tanquam Christi personam induti, tanquam vicem omnium circumgestantes pauperum, quo fit ut eis non frui, sed uti debeant religiosè, piè & parcè.

V. Nihil Augustino fieri potuit expeditius, puriusque ab omni terrena cupiditate. Et non potuit non tamen ille fideles vehementissimè commonefacere, atque urgere, ut justa Clero vectigalia, ut dona, ut decimas exolverent, vel quidvis aliud largius adhuc & munificentius. Quanquam daret enim Pharisæus decimas religiosissimè, exspes tamen fuit & exhæres Regni cælestis. Laicorum et ergo antevolare Cleri necessitatibus & petitionibus, atque ita secum statuere, sua pluris interesse, quàm

Cleri, decimæ ut solvantur, conducibilius sibi esse dare, quàm Clero accipere. Si qua blanda vis fiat aliquando, ipsis potissimum consuli; nec enim eorum dona, sed fructum & salutem cordi esse; si quid quandoque Clerus minus justo exigat, hanc ejus moderationem ipsi decoram, populo invidiosam & exitialem esse. *Dominus ait, Manducate qua ab ipsis sunt; & ne putarent aliquid de suo donare, Dignus est, inquit, operarius mercede sua. Talia non quaerentes à vobis: ideo liberius dicimus. Sed & si quaereremus, fructum vestrum quaereremus, non vestras opes, sed vestram justitiam. Efficite ut vos ipsos exigatis, efficimini exactores vestri. Christus tacitus exigit, & major est vox tacentis, quia in Evangelio non tacet, &c. Nemo enim è vobis potest exigere, nisi fortè exactione opus est, ut qui vobis in Evangelio serviunt, petant à vobis. Si ad hoc ventum fuerit, ut petant, videte, ne quod vos à Deo petitis, frustra petatis. Estote ego exactores vestri, ne aliquid illi, qui in Evangelio serviunt vobis, non dicam, petere cogantur, nam fortè nec coacti petunt; sed ne silentio vos arguant. In Psal.146.* Ita ingeniosa charitas non exigendo exigit, non flagitando flagitat. Molestiùs, sed & efficaciùs exigit, qui exigere se posse, nec velle ostendit. Ubi Evangelica lege convenitur laicus, qua jubetur dare, patientiæ postea & silentii mira vis est ad quidvis extorquendum.

VI. Præclarissimè mox ibidem subjicit Augustinus Orbis universi dominum & Imperatorem esse Christum; regium illi ærarium & fiscum esse; seponi ab unoquoque fideli debere ex reditibus & bonis suis omnibus, quod in Imperatoris sui fiscum inserat, ne fur audiat & fraudator; vix decimis nostra posse debita expungi. *Nunquam hoc facietis, nisi aliquid de rebus vestris sepositum habueritis, quod cuique placet pro necessitate rei familiaris sua, tanquam debitum, quasi fisco reddendum. Si non habet Rempublicam suam Christus; non habet fiscum suum, &c. Pracidite ergo aliquid, & deputate aliquid fixum, vel ex annuis fructibus, vel ex quotidianis quastibus vestris. Exime aliquam partem redituum tuorum. Decimas vis? Decimas exime, quanquam parum est. Dictum est enim quia Pharisai decimas dabant: Jejuno bis in Sabbatho, decimas do omnium qua possideo. Et quid ait Dominus? Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisaeorum, non intrabitis in regnum Cælorum. Et ille super quem debet abundare justitia tua decimas dat, tu autem nec millesimam das. Quomodo superabis eum, cui non aquaris?* Quibus verbis insinuatur perspicua necessitas bonorum omnium saltem decimas Clero dandi, nec decimas tantùm proventuum terrarum & fundorum dandi, sed negotii etiam & artificioli, *Aliquid fixum, vel ex annuis fructibus vel ex quotidianis fructibus vestris.*

VII. Quæ duo eadem magni momenti capita pulcherrimè declarantur Sermone hoc 219. *de Temp.* Augustini nomine evulgato: *Jam propè sunt dies, in quibus messes colligere debemus, de offerendis, imò de reddendis decimis cogitemus. Deus enim qui dignatus est totum dare, decimam à nobis dignatur repetere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam, &c. Decima tributa sunt egentium animarum, redde ergo tributum pauperibus, offer libamina Sacerdotibus. Quod si decimas non habes fructuum terrenorum, quod habet agricola, quodcunque te pascit ingenium, Dei est; inde decimas expetit, unde vivit; de militia, de negotio, de artificio redde decimas, &c. Primitias rerum & decimas dignatur petere, & negas avare? Quid faceres, si partibus sibi sumptis, tibi decimam reliquisset?*

VIII. Nec minùs dilucidè ex Juliano Pomerio, *De vita contemplat. l.1. c.21.*, constat decimas Clero persolutas certissimè fuisse, ubi invehitur in Pastores sui amantes, gregis immemores, qui se ipsos, non gregem à Deo sibi creditum pascunt. *Gregem Domini pascendum Pastores facti suscipimus, & nos ipsos pascimus, quando non gregum utilitati prospicimus, sed quid foveat & augeat nostras voluptates attendimus. Lac & lanas ovium Christi, oblationes quotidianas ac decimas fidelium gaudentes accipimus, & curam pascendorum gregum, à quibus perverso ordine volumus pasci, deponimus.*

IX. Memorata est à Cassiano singularis religiò agricolæ, qui Joanni celeberrimo illi Eremi incolæ, *quasdam frugum suarum primitias deferebat*; sed & diebus singulis matutinis & vespertinis horis ad Ecclesiam convolabat, impensissimas Deo acturus gratias tam munifico largitori eorum bonorum, quæ antè ne delibabat quidem, quàm primitias & decimas proventuum suorum ei obtulisset. *Neque se unquam de fructibus suis aliquid usurpasse, nisi priùs Deo primitias, eorum & decimas obtulisset. Collat.14. c.7.*

Novum porro aut insolitatum non erat ad Monachos deferri decimas & primitias ruris. Ejusmodi piis oblationibus, decimis, primitiisque certatim coli, ac cumulari solitos sanctissimos Monachos, fidem facit idem Cassianus. *Collat.21. c.1. Ad hunc Beatum Joannem cum juvenis advenisset deferens religiosa munera, inter cateros possessores, qui certatim decimas vel primitias frugum suarum memorato seni de suis substantiis offerebant.*

Refertur mox ab eodem Cassiano ejusdem sanctissimi Monachi sermo, mirificè consentiens iis omnibus, quæ ex Hieronymo suprà & ex Augustino decerpsimus; primitiis decimisque hostias contineri, quas Deo, ejusque ministris, & pauperibus fideles offerre teneantur; sed qui hactenus eo officio functus sit, eum Legi fecisse satis, nondum Evangelio obtemperasse, ubi aliquantò major desideratur cumulus perfectionis. *Gratanter amplector, quia fideliter primitias vestras ac decimas indigentium usibus profuturas, velut sacrificium Domino bona suavitatis offertis. Quam devotionem fideliter exequentes, scitote vos Legis antiqua justitiam consummasse, sub qua tunc positi & transgredientes eam, reatum inevitabiliter incurrebant, & implentes ad perfectionis apicem pervenire non poterant. Ibid. c.2.* Primitias ad quinquagesimam annui proventûs partem consurgere, religiosiores quadragesimam dare, torpentes & tepidos sexagesimam; sed perfectæ justitiæ non eos esse terminos, quos Legis: nec ipsam sibi videri fecisse satis, ubi præceptis morem gessit. *Justi enim quibus lex non est posita, sic probantur non esse sub lege, ut justitiae legis non solùm implere, verùm etiam superare contendant, sitque devotio eorum legali major imperio, qua observantiam cumulans praceptorum, voluntaria addat ad debita. Ibid. c.3.*

Theonas ad quem Joannes verba faciebat, professus est se quotannis eidem Monasterio decimas obtulisse; de primitiis dandis, ne venisse quidem sibi in mentem, quòd ea lege obligaretur: sed etsi eas persolvisset, ab Evangelicæ perfectionis normam procul se futurum semper fuisse; unde sibi jam certum esse, ut omnia abdicaret, totumque se in Deum reconderet. *Cum decimas frugum suarum solitus esset Diaconia annis singulis dependere, primitiarum rationem ac ne audisse quidem arbitraretur, quam tamen etiamsi similiter implesset, longè nihilominus secundùm senis sententiam se ab Evangelica perfectione distare suppliciter fatebatur. Ibid. c.8.*

X. Perspicis hic derivatas non raro fuisse in Monasteria decimas & primitias Laicorum, nec iniquo id Clericos tulisse animo, usque adeo & illic

pie-

pietas & religio, hîc charitas & terrenorum contemptio eminebat. Id enim eximia sanctitate assequebantur Cœnobia, ut & hæ fidelium largitiones ad ea confluerent, & ei jacturæ suæ Clerici gratularentur. Enimvero cum ad alendos etiam pauperes spectet, quidquid primitiarum, decimarum, & cæterarum oblationum Clero offertur: non poterat non gratissimum id accidere, ot earum pars nonnulla ad pauperes deferretur eos, qui vitæ sanctimonia paupertatem ipsam ornabant & quodammodo consecrabant, rebusque oblatis parcissimè utentes, reliqua in pauperes omnes largissimè effundebant. Suum in ærarium Clerus decimas congeri velut patrimonium pauperum interpretabatur; unde nec suis opibus quidquam decedere existimabat, ubi pauperibus Monasteriorum decimæ cedebant. Denique si dantium potiùs saluti, quàm accipientium studebatur utilitati, nihil magnopere referebat, cui decimæ penderentur, dum penderentur. Ita imbuti, ut existimo, ita affecti erant Clerici, Monachique.

XI. Rursus inculcant Augustinus & Hieronymus, jure divino niti decimarum solutionem, ut quæ Deo debeantur, Deo exolvantur. Unde Hieronymus. *In Matth. c.22. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, id est, nummum, tributum, & pecuniam: & quæ sunt Dei Deo, decimas, primitias, & oblationes ac victimas sentiamus.* A' quibus non abludit Augustinus. *L.50. hom. hom.48. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Majores nostri ideo copiis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & censum Cæsari reddebant. Modò autem quia discessit devotio Dei, accessit indictio fisci. Nolumus partiri cum Deo decimas, modò autem totum tollitur.*

XII. Alibi rursum describuntur ab eodem Augustino officia fidelium, qui cum Deo astutè non agunt, nihil suffurari, & nec tantillum de salute periclitari volunt. Cum Pharisaicæ justitiæ modum exuperare teneantur, bonorum quinta parte pauperes donant, aut dimidia, exemplo Zachæi, præter restitutiones in quadruplum. *Quisque operatur in Christi Ecclesia, abundat justitia ejus super Scribarum & Pharisæorum; ut enim illi decimas darent, isti dimidias dent, sicut non de fructibus, sed de ipsis bonis suis fecit Zachæus. Aut certè duplices decimam, & dum decimas dando superet impendia Judæorum. Quæst. Evang. L.2. c.34. De Tempore hom.205. 216.* Qui ad hæc obcalluerint teneritudinis & charitatis mutuæ inter mortales blandimenta, iis nihilo plus sapiet, quod idem alibi habet Augustinus, *Serm.219. de Temp.*, tam largè ministris Altarium, tam munificè pauperibus largiendum esse, ut non supersit nisi is nobis facultatum modus, qui decoram retinet mediocritatem. *Qui sibi aut præmium comparare, aut peccatorum desiderat indulgentiam promereri, reddat decimam, & de novem partibus studeat eleemosynam dare pauperibus; ita tamen ut quidquid excepto victu mediocri & vestitu rationabili superfuerit, non luxuria reservetur, sed thesauro cælesti per eleemosynam pauperum reponatur. Quidquid enim nobis Deus plusquam opus est dederit, non nobis specialiter dedit, sed per nos erogandum transmisit; quod si non dederimus, res alienas invasimus.*

⁂

CAPUT V. *P.1. l.3. c.5.*

De Decimis & Primitiis in Ecclesia Græca post Imperium Constantini usque ad annum Christi quingentesimum.

I. Damnati in Concilio Gangrensi Pseudomonachi, qui debitas Clero decimas ad se derivabant.

II. Stomachatur Epiphanius in Monachos inertes & otiosos, qui alimenta Clero dicata sibi vendicabant.

III. Nazianzeni & Nysseni placita de Primitiarum & Decimarum necessaria solutione.

IV. Doctrina Chrysostomi in eandem rem. Ut agrestibus Parochiis Decimæ sint tributæ.

V. De Decimis specialiter agit Chrysostomus.

VI. Theodoreti doctrina.

I. Illisum est in Concilio Gangrensi anathema in Pseudomonachos fucatæ pietatis amatores, germanæ interpolatores & pietatis & Ecclesiarum disciplinæ, qui præ cæteris hoc novabant, quod ad se perferri vellent, eminentissimæ religionis ergo, primitias & decimas, quas traditio Ecclesiastica Clero addixerat. *Primitias quoque fructuum, & oblationes eorum, quas veterum institutio Ecclesiis tribuit, sibimet vindicasse, tanquam sanctis, & apud se, & inter se dispensandas. Præfat. c.7. 8.* De primitiis & decimis hic agi apparet, quæ deponi jubentur apud Episcopum, vel designatum ab eo Oeconomum Ecclesiæ. Episcopo etiam & Clero adjudicant Apostolici Canones, *Can.4. 5.* tum primitias, tum cæteras id genus sacras largitiones.

II. Cleri ergo indulgentiæ vel tolerantiæ imputandum erat, quod, perhibente suprà Cassiano, decimæ fidelium ad Monasteria devehebantur. Porro tantò tum justior erat illa indulgentia, quòd & pereximia esset illorum Cœnobitarum sanctimonia: & bis illi largitatibus usque adeo ad iners & pingue otium non abutebantur, ut indefesso manuum labore & sese sustentarent ipsi, & in pauperes vicinarum regionum bene multa effunderent. Complures etiam longè præstantissimos Clericos author est Epiphanius in eadem ingressos esse vestigia; & quanquam sacri ipsi Codices eorum curam alendorum populis indixerint, opere nihilominus manuum & sese eos transegisse, & quidquid sibi residuum esset, vel de pio illo quæstu, vel de Cleri patrimonio in pauperes effudisse. Non aliò sanè collimat hic Epiphanii sermo, quàm ad exibilandos Massalianos Monachos, qui fucum faciebant, & contemplationis specie desidiam prætexebant suam, ne manibus operari cogerentur. Intoleranda planè perversitas & præpostera licentia, ut decimas invaderent ii, qui nullo ad eas jure nitebantur; dum penes quos earum jus erat, ii abstinerent, easque ad pauperum usus transferrent. *Populos adhortatur Apostolus, ut quæ ad alendos Sacerdotes necessaria sunt, justissimis laboribus sint quæsita, suppeditent; offerendis primitiis, oblationibus & reliquis id genus. Quæ cum in potestate sua habeant, quibus regendorum à Deo populorum est commissa provincia, horum tamen usui plerique penitusque non indulgent, qui Deo placere perfectè se velle profitentur. Illi enim tametsi è Sacerdotum numero sint, ad Pauli Apostoli imitationem non omnes quidem, sed plerique tamen ad susceptam verbi Dei prædicationem, externam manuum operam adjungant, &c. Ut cum*

sibi

sibi ipsis, tum fratribus & egentibus operis sui quæstum impertiant, &c. Hoc est, tam primitias & oblationes, quàm quod manuum suarum opera lucelli quæsierit, cum proximis suis ultro pro ardenti suo in Deum amore communicet. Epiphan. hæres. 80. c. 5. 6. Quandiu Massalianorum ignaviæ imitatores fuere Monachi, non justitiæ tantùm, sed & charitatis officio prohibuit Clerus, ne capiendis decimis non tam vitam tolerarent, quàm ignaviam alerent.

III. Primitiarum Deo & Ministris ejus debitarum fraudatores, gravissimi piaculi reos agit Nazianzenus. *Orat. 15. Alius usuris terram contaminat, alius area & torcularis primitiis Deum, qui omnia donaverat, fraudavit.* Sicubi religiosa hæc pietatis officia populus intermittat, ingemiscere Clerum, & sese excutere vult Nazianzenus, quò peccantes ad officium revocet, eorum saluti, quàm lucro suo addictior. Nec enim quidquam vel ad gloriam præclarius, vel etiam compendiosius est, quàm Paulum imitari, & in disseminando Evangelio, non alia sibi polliceri, qoàm cœlestis demetenda gloriæ præmia. Ea sanè persuasione & spe olim Clerici, quæ sibi deberi non nesciebant, ultro relaxabant. *Nam quosdam ex his, qui altari ministrant, & pulerè inopes sunt, pro viribus recreastis, ut animis minùs distractis altari magis resideant, ac bonorum vestrorum participes facti, sua quoque vicissim vobis conferant? Turpe sanè est, hæc & nos exposcere, & vos non elargiri. Nec verò ideo hanc admonitionem habui, ut ita in me fiat. Melius enim mihi est mori, quàm ut gloriatio mea evacuetur, ac mihi prædicati Evangelii merces pereat, si hic laborum messem fecero. Evangelii enim prædicatio necessitatis est, munificentia autem & laus in eo sita est, ut gratis hoc munus obeamus. Verùm eò hæc ratio spectat, ut de Christo bene mereri discatis.* Orat. 28.

Certissimum est ergo indeclinabili lege quadam vinciri Laicos, ut necessaria Clericis sufficiant stipendia. Sed ubi hæc sibi debita vectigalia exigunt Clerici, optatissimum fuerit, ut his Nazianzeni institutionibus informati, religioso quodam tremore concuterentur, ne minùs valeat ad æterna præmia consequenda is labor, quo & temporale commodum captatur. Denique censet Nazianzenus æquum esse ut Deo solvantur non agrestium tantùm fructum primitiæ; sed & hæreditatum. *Quemadmodum area & torcularis primitias, & filiorum, eos qui verè filios amant, Deo consecrare justum ac pium est, quoniam ab ipso & nos ipsi & nostra omnia sunt; ita nova quoque hæreditatis; ut pars promptè & libenter oblata, majori parti securitatem conciliet.* Epist. 80 Gregorius Nissenus in ea quam literis mandavit sororis suæ B. Macrinæ vita, ait matrem ejus Deo dicasse ex liberis suis primum & decimum; veluti primitias & decimas uteri sui.

IV. Chrysostomus verò eos omnes, qui rusticas & suburbanas domos habebant, hortabatur, ut Ecclesiam ibi, vel capellam struerent, dotarentque eò comportandis primitiis frugum suarum. Hinc porro & id eligitur in more positum fuisse, ut has Christianæ pietatis partes obirent laici fideles in pauperes & in Clerum: verùm nec dum tunc inter Clericos decertatum fuisse, his an illis vectigalia hæc pia exolverentur. Omnibus mirum in id unum conspirantibus, ut hostiæ Deo, Laicis bona opera, pauperibus solatia pararentur. *Quasi ducta uxore, vel sponsa, vel data virgine, sic erga Ecclesiam affectus esto, dotem ascribe illi, ita tibi benedictionis prædium multiplicabitur. Quid enim non erit illic bonorum? parumne est, oro, torcular benedici? Parumne est Deum ex omnibus frugibus tuis partem & primitias primum accipere.* In Acta. hom. 18. Suadet quin etiam Chrysostomus, ut communicato consilio & censo plures simul ad unam aliquam ejusmodi Ecclesiam extruendam collaborent. *Et si quidem tres fuerint domini, in commune conferant; si autem unus, & aliis vicinis suadeat.* Probabile cum primis est hinc exortas esse complusculas ruris Ecclesias, decimasque circumjacentium agrorum iis adsignatas.

V. Quidquid hactenus testimoniorum hic congestum est à nobis, ejusmodi non fuit, ut dubitationem omnem de usu decimarum in Ecclesia Græca eximeret. Nec enim vel Canones, vel Patrum contextus isti nisi primitiam sonant, *aparchas*: vel universim oblationes, *carpophorias*. Necdum vox ipsa decimarum insonuit. Sed illam apertissimè usurpavit Chrysostomus, & inde forsan quis conjecerit, alibi quoque de decimis verba fieri, etsi vox ipsa non adhibeatur. Tradit porro Chrysostomus, si decimæ, & decimarum plura genera à Judæis exolvebantur, qui necdum tam enixè à terrenis bonis & avocamentis abducebantur ad cælestia, quàm Christiani: uberiorem esse debere nostram in pauperes & in Clericos munificentiam. *Illi decimas & rursus decimas præbebant orphanis, viduis, proselytis. Si tunc erat periculum decimas non relinquere, cogita quantum nunc sit.* In Epist. 1. ad Ephes. hom. 5.

VI. Theodoretus sanctissimum Monachum Theodosium ita philosophantem inducit, *Histor. Relig. c. 10.*, si Laici opere & lucello manum & familiam alerent, & tributa Principi penderent, & Deo primitias: multò æquius esse, ut Monachi labore manuum vitam tolerarent.

CAPUT VI. *P. 2. l. 3. c. 1.*

De Decimis ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. De decimis agunt Concilia, ut divino jure constitutis, & inexorabilis necessitatis.

II. Invitantur decimas dare etiam servorum.

III. Et aliquid pecunia in singulos liberos.

IV. V. Probationibus novis efficitur decimas esse juris divini, & semper in Ecclesia solutas fuisse.

VI. Decima voventur B. Martino. Equis iusta clavus ejus Ecclesia.

VII. Jam inde ab ævo Apostolorum soluta decimæ, declaratumque, quos in usus consumenda essent.

VIII. Episcopo potissimum solvebantur, ad pauperum, Monachorum, & Clericorum solatia.

IX. Affirmat B. Cæsarius, non decimas modò, sed superflua omnia pauperibus deberi.

X. Superfluorum etiam suorum divites meram habere dispensationem.

XI. Quarum rerum decimæ solverentur.

XII. Græcorum usus.

I. UT eleemosynarum quandoque donatæ sint nomine, certè debita sunt & necessariò pendenda tributa ex, de quibus agimus, decimæ. Post Concilium II. Turonense Episcopi, qui ei affuerant, Synodicam scripsere, ad omnes vastissimæ hujus Provinciæ fideles, ut admonerent, quàm arcto necessitatis vinculo tenerentur, decimam saltem partem Deo pendere ejus substantiæ, quam à Deo commendatam obtinerent: voluntariis hostiis his peccata sua redimere; imitari sin minùs Israelitas, à quibus Lex decimas exprimebat: certè Abrahamum, fidelium omnium Parentem & authorem, qui eas ante Legem solo innatæ pietatis instinctu, & legis naturalis, inscriptæque ipsius animæ medullis, impulsione exsolvisset: denique præcurrere bel-

belli civilis calamitatibus imminentibus, & quæ illo incendio depasci & absumi poterant, in cœlos transferre. *Illud verò instantissimè commonemus, ut Abrahæ documenta sequentes, decimas ex omni facultate non pigeat, Deo, pro reliquis, quæ possidetis, conservandis offerre: ne sibi ipse inopiam generet, qui parva non tribuit, ut plura retentet: & quod dicendum est verius, suum persolvat pretium, ne se trahi videat peccato dominante captivum. Ergo si quis in Abrahæ collocare vult gremio, ejusdem non repugnet exemplo; & solvat eleemosyna pretium, quisquis optat regnare cum Christo.*

II. Servorum etiam & ergastulorum decimas pendi suadebant hujus Concilii Patres, ne hostilis grassatio, ne decimae, quidem eis reliquas faciat bonorum suorum. *Licèt superius dictum sit, ad exemplum Abrahæ hostias offerre debere, attamen propter cladem, quæ imminet, hortamur, ut etiam unusquisque de suis mancipiis decimas persolvere non recuset.*

III. Si mancipiorum nihil habeant, non sint autem sine prole, pro filiorum singulorum numero singulas conferant pecuniæ pensiones, quæ liberandis impendantur captivis, & æternæ ipsismet comparandæ libertati. *Quod si mancipia non sint, & fuerint aliqui habentes binos aut ternos filios, per unumquemque singulos tremisses in Episcopi manu contradat; aut quem suo loco Pontifex elegerit, assignare non dilatet, quod possit in captivorum redemptionem conferri; ut cum sic agitur, & præsentis ira remotio, & merces proficiat in futuro.*

IV. Nec multò post in Concilio Matisconensi II. expressius adhuc hæc eadem de decimis placita corroborata sunt. 1. Esse eas juris divini. 2. Omnibus retro semper sæculis persolutas fuisse. 3. Clero persolvi debere sustentando, ut terrenis ab omnibus curis liber & expeditus, totus divino vacet ministerio. 4. Quidquid post parcè & frugaliter sustentatos Clericos residuum fuerit, id totum in pauperes & captivos erogandum. *Leges divinæ consulentes Sacerdotibus ac Ministris Ecclesiarum, pro hæreditatis portione omni populo præceperunt, decimas fructuum suorum sacris locis præstare, ut nullo labore impediti, horis legitimis spiritalibus possint vacare ministeriis. Quas leges Christianorum congeries longis temporibus custodivit intemeratas. Nunc autem paulatim prævaricatores legum, pene Christiani omnes ostenduntur, dum omnes, quæ divinitus sancita sunt, adimplere negligunt. Unde statuimus ac decernimus, ut mos antiquus à fidelibus reparetur: & decimas Ecclesiasticis famulantibus ceremoniis populus omnis inferat, quas Sacerdotes, aut in pauperum usum, aut in captivorum redemptionem prærogantes, suis orationibus pacem populo, ac salutem impetrent. Can. 5.*

V. Non abs re verò augurabantur Conciliii Turonensis II. Patres, religiosa in exolvendis decimis fide & diligentia, posse fideles laicos ingruentes bellorum civilium procellas suis à cervicibus amoliri. Authore enim Gregorio Turonensi sanctissimus Anachoreta Hospitius vaticinatus fuerat Longobardos in Italiam exundaturos, non sine fœdissima omnium vastatione, quo pœnæ sumerentur de immanibus flagitiis, passim scatentibus, ac præ cæteris de inhumanitate eorum, qui nec decimas solverent, nec eleemosynas erogarent, & ita obdurescerent in fratres suos, quasi cœlestis parentis miseratione ipsimet nihil indigerent. *Est enim omnis populus infidelis, perjuriis deditus, furtis obnoxius, in homicidiis promptus, à quibus nullus justitiæ fructus ullatenus gliscit, non decimæ dantur, non pauper alitur, non tegitur nudus, non peregrinus hospitio recipitur, &c. L. 6. c. 6.*

VI. Verba facit alio loco Gregorius Turonensis, de alterius generis decimis voluntariis, quæ Beati Martini ab iis vovebantur Ecclesiæ, qui Beneficii quidpiam ab eo consecuti essent; ad animantium etiam incolumitatem, quibus inuri faciebant claves ejus Ecclesiæ, tanquam cauteria quædam servitutis, qua Beato Martino addicerentur. *Caballorum extitit morbus, &c. Adveniente supradicta clade, accedebant ad oratorium, vota facientes pro equis, ut scilicet si evaderent, ipsi decimus loco conferrent. Cumque his hæc causa commodum exhiberet, addiderunt ut de clave ferrea, quæ ostium oratorii concludebat, caracteres caballis imponerent. Quo facto ita virtus Sancti prævaluit, ut & sanarentur, qui ægrotaverant, & qui non incurrerant, nihil ultra perferrent. Mirac. Beati Martini. L. 3. c. 33.*

VII. In ea, quæ ab Othlono Presbytero exarata est B. Bonifaci Archiepiscopi Moguntini vita, affirmatur ab Apostolis & ab Apostolicis primum Antistibus nascentis Ecclesiæ, adsignatas fuisse Ecclesiis & Episcopis decimas; sed ea conditione, sexcenties in Canonicis Regulis innovata, ut earum dimidia pars insumeretur reparandis Ecclesiis, fovendis pauperibus, Xenodochiis, Monasteriis. Itaque non posse Episcopos & Clericos omnia prorsus in suos ipsorum usus convertere, nisi ut in publicam offensionem incurrant, & in gravissimum flagitium. *Primi Principes Ecclesiarum Apostoli, omnesque qui eorum vestigia frequentes, unicuique genti sacram fidem primitus tradiderunt, potestatem habuerunt, possessiones vel decimas, quæ sibi contingebant, illi & illi Ecclesiæ donare. Quandoquidem juxta Sanctorum Canonum decreta, decimas in quatuor portiones dividentes, unam sibi, alteram Clericis, tertiam pauperibus, quartam reparandis Ecclesiis. Nunquid avaritia sua tantummodo consulentes, in distributione decimarum, obliti sunt pauperum reparationisque Ecclesiarum, sicut modò, proh dolor! cernimus agi? Canones enim Sancti, ex quorum authoritate colliguntur decimæ, non solùm decimas dari, sed etiam inter varios jubent distribui, ut in urbibus quibuslibet & vicis Xenodochia habeantur, ut pauperes & peregrini alantur. Sed tam Sanctum, tam necessarium præceptum in plurimis locis, non solùm minimè curatur, sed etiam pene ignoratur. Nam solummodo illud legitur, quod decimæ Episcopis sint tribuendæ. Quid verò exinde agendum sit, vel si quidpiam aliud curandum sit circa Monasteria, &c. ignorantia commendatur. In Præfat. apud Sur. die 5. Junii.*

VIII. Prolixus, fateor, contextus, sed iis refertus, quæ juvet observasse diligentius. Nam præter antiquitatis gloriam, quæ decimis asseritur, ut quæ Ecclesiæ ipsi coævæ & suppares sint; præter earum usum & distributionem, convenienter Ecclesiæ legibus: duo supersunt magni sanè ponderis. Primum est, Episcopis potissimum deberi decimas. Ipsi enim Apostolis successere, ipsi Ecclesiarum post Apostolos fuere Apostoli, patres, satores, cultoresque, succisis gentilitiæ paulatim superstitionis dumetis. *Illud legitur, quod decimæ sunt Episcopis tribuendæ.* Itaque ad priorum sæculorum mores Ecclesiæ illæ propius accedunt in hac parte, & ad decimarum ipsam originem, quarum Episcopi præscripta consuetudine & possessione decimas omnes percipiunt. Alterum est, Canonicum usum decimarum eum esse, ut sustententur Clerici, & pauperes, & pauperum selectissima portio Monachi, denique *ut in urbibus quibuslibet & vicis Xenodochia habeantur.*

IX. Revocanda ad laicos oratio est, quos Beatus Cæsarius Arelatensis Archiepiscopus sedulò monet, decimas ipsorum substantiæ, non ipsorum esse, sed Ecclesiæ; nec retineri ab eis posse citra furti & sacrilegii infamiam. Quin & contestatur superflua eorum omnia, hoc est, post moderatam & frugalem familiæ sustentationem residua omnia;

jam

jam nihil ad ipsos, sed ad pauperes pertinere. Si superflua verò hæc coacervent, quo ampliores vel sibi opes, vel filiis dignitates parent, toties illos homicidii noxa contaminari, quoties pauperes extrema necessitate oppressos levare cessant. *Sed tu fortè respondes, & dicis: Ex eo, quod mihi Deus amplius dederit, quàm opus sit, volo filiis & filiabus meis argentum emere, ornamenta pretiosissima comparare. Cui ego respondeo: Ornamenta quidem emis, sed peccata non redimis. Et quia non solùm decima non sunt nostra, sed Ecclesiæ deputata: verùm quidquid amplius, quàm nobis opus est, à Deo accipimus, pauperibus erogare debemus. Si quod eis deputatum est, nostris cupiditatibus, vel vanitatibus reservamus, quanti pauperes in locis, ubi nos sumus, fame & auditate mortui fuerint, noverimus nos rationem de animabus illorum in die judicii reddituros. Hom.9.*

X. Has Cæsarius morum regulas fidelium mentibus altissimè infigendas, eoque sæpius inculcandas non abs re existimabat. Quidquid post necessarias familiæ expensas reliquum foret, id jam ad pauperum censum spectare, cujus non domini jam, sed administratores dumtaxat essent. Itaque ut viam sibi tutissimam ad salutem munirent, non satis esse ut decimas darent, sed ut ex aliis etiam partibus novem in eosdem pauperes refunderent, quidquid necessariis suis usibus superflueret. *Quæcumque Deus excepto mediocri & rationabili victu & vestitu, sive de quacumque militia, sive de agricultura contulerit, non tibi specialiter dedit, sed per te pauperibus eroganda transmisit. Si nolueris dare, noveris te res alienas auferre. Quia sicut dixi, hoc solum est nostrum, quod nobis, vel nostris rationabiliter sufficit. Quidquid superfuerit, Deus noster pauperibus erogandum transmisit. Ac sic non solùm decimas dare debemus, sed etiam de novem partibus, quidquid solutis, vel expletis sumptibus nostris remanserit, quasi aliis transmissum fideliter erogare debemus. Hom.21.* Hæc erat sanctorum Patrum doctrina, hæc morum norma, cui non omnes forsan animo, pauci moribus assentiebantur. Sed ipsius summæ Veritatis testimonio, Arcta via est, qua itur ad vitam, & à paucissimis teritur. Ideo & mox Cæsarius rursum: *Et tamen fratres non video, qua fronte illi non offerimus decimum, à quo accepimus totum.*

XI. Singulas rerum species & formas expressit Beda, *L.4.Hist.c.29.*, quarum vir antiquæ probitatis offerebat decimas, præter copiosa alia in pauperes dona: unde & Episcopalibus tandem infulis decoratus est. *Ordinatus est post hæc Eadbertus, vir Scripturarum scientia, simul & præceptorum cælestium observantia, ac maximè eleemosynarum operatione insignis: ita ut juxta legem, omnibus annis decimam, non solùm quadrupedum, verùm etiam frugum omnium atque pomorum, nec non & vestimentorum partem pauperibus daret.*

XII. In Ecclesia verò Græca, in ipso Justiniani Codice proditum est, eum jam inolevisse morem, ut Episcopi severitatem Ecclesiæ & mucronem distringerent in eos, qui Ecclesias decimis, vel primitiis frugum suarum defraudarent. Ei pœnæ gravitati intercedit Codicis lex: sed nihilominus perspicuum est, quàm acriter Ecclesiæ Præsules instarent, & quàm stricto nexu vincirentur laici, ut decimas vel alia quævis stata penderent Ecclesiæ vectigalia. *Non oportet Episcopos, aut Clericos cogere quosquam ad fructus offerendos, aut angarias dandas, aut alio modo vexare, aut excommunicare, aut anathematizare, aut denegare communionem, aut ideirco non baptizare. Quamvis usus ita obtinuerit. Transgressor cadit ab Ecclesia, & administratione ipsius, & dat decem libras. Cod. De Episcop. & Cleric. c.38.*

CAPUT VII. *P.3. l.3. c.1.*

De Decimis & Primitiis ab anno Christi octingentesimo ad millesimum.

I. Ad exigendas decimas volunt Capitularia non juramenta adhiberi, sed anathemata.

II. Opem ferebat Episcopis armata Regum & Magistratuum authoritas.

III. Nec Episcopis hic, nec Regibus illis poterat macula terrenæ cupiditatis alla.

IV. In decimis spectabatur religiosum officium, ut saluti potius conducerent æterna laicorum, quàm Clericorum temporali vitæ.

V. Vetat Herardus Archiepiscopus Turonensis, ne Parochi vi extorqueant decimas.

VI. Jus exigendi & solvendi decimas legi Divinæ & Scripturis innixum.

VII. Principum est & Episcoporum laicos fideles compellere ad solvendas Parochis decimas, non Parochorum.

VIII. Prohibentur laici decimas usurpare.

IX. Jam cœperant eas invadere.

X. Diluitur objectio ex Alcuini Epistola petita de gentibus nuper fidei adgregatis.

XI. In oriente nefas erat vim adferre ad quidvis exprimendum.

I. ID sanciebant Caroli Magni Capitularia, ut Episcopis, vel Parochis decimæ persolverentur, usque ad id non juramenta adhiberentur, sed anathematum minæ. *Qui decimas post crebras admonitiones, & prædicationes Sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur. Juramento verò eos constringi nolumus propter periculum perjurii. L.2. c.38.* Circumspectissimè prorsus, ne crimina cumulent Laici perjurio; satius ducitur ut nec jurent; sed aliis vinculis constringantur.

II. Præsides, Magistratus, Reges suam interponebant authoritatem, ad compellendos Laicos contumaciores, quò Pastores tam justo & necessario prosequerentur officio; nec verò quidquam tergiversando de stato jure decerpi minuique posse sperarent. *De decimis, quas populus dare non vult, nisi quolibet modo ab eo redimantur, ab Episcopis providendum est, ne fiat. Et si quis contemptor inventus fuerit, & nec Episcopum, nec Comitem audire voluerit, si noster homo fuerit, ad præsentiam nostram venire compellatur. Ceteri verò distringantur, ut inviti Ecclesiæ restituant, qui voluntariè dare neglexerunt. L.5. c.46.* Et temporalibus ergo & spiritalibus sæviebat Ecclesia pœnis, quò ad obsequium tam justum obstinatos frangeret.

III. Id enim pii moliebantur Imperatores, Capitularium conditores, hæc Legum Canonumque sævitia; non ut Ecclesiæ corruptibiles thesauros reconderent, sed ut fidelibus veras pietatis & grati memorisque divinorum beneficiorum animi divitias accumularent. Non indicebantur ergo hæ potissimùm pœnæ, nisi ad æternam eorum salutem, à quibus temporalia hæc vectigalia exprimebantur. Quibus etiam ipsis diuturnior bonorum suorum temporalium firmabatur possessio, propitiato eo, cujus hæc omnia nutu vel constant, vel diffluunt. *Admonemus atque præcipimus, ut decima Deo omninò dari non negligatur, quam Deus ipse sibi dari constituit. Quia timendum est, ut quisquis Deo suum debitum abstrahit, ne fortè Deus per peccatum suum auferat ei necessaria sua; & qui decimam dare neglexerit, novem partes auferantur ab eo. L.5. c.89. Et Conc. Mogunt. Cap.38.*

IV.

IV. Parochorum munus erat, ut plebibus suis renuntiarent, profanam esse, & penè gentilitiam totam hanc terrenorum prædiorum possessionem, nisi rore quodam cælesti, & summi Numinis gratia ac favore eam perfundi curarent, dandis ad Altare primitiis, ad Cleri alimenta decimis, & largis in pauperes eleemosynis ex novem partibus reliquis. *Adnuntient Presbyteri plebi publicè ut primitias omnium frugum terræ ad benedicendum afferant, & sic postea inde manducent. Et decimas ex omnibus fructibus & pecoribus annis singulis ad Ecclesias reddant; & de novem partibus, quæ remanserint, eleemosynas faciant, & ex ipsis peccata redimant.* L.6. c.189.

Non ergo ea erat decimarum natura, quæ ditandis Clericis comparata esset, sed quæ religionem populorum testificaretur, & se suaque Deo offerendi pronissimam voluntatem. Clericorum verò non ea erat avaritiæ materia, sed virtutum complurium, dum medias inter opes parcè ipsi quidem victitant: at eorum opulentiam illi experiuntur, qui quacumque calamitate vel inopia laborant. His iisdem porro præceptis imbuebantur & documentis, qui negotio vel artificio quopiam occupabantur, animum ut crebriùs ardentiùsque arrigerent ad æternæ salutis opes; utque ne quid usquam lucri corraderent, quin ex eo largas eleemosynas præter solemnes decimas darent, non secus ac ii qui agrum colunt. *Decima dari non negligantur, quam Deus ipse sibi dari constituit. Placuit ut admoneantur omnes fideles, qui negotiis ac mercationibus rerum invigilant, ut non plus terrena lucra, quàm vitam accipiant sempiternam, &c. Sicut his, qui labore agrorum necessaria acquirere instant, decima & eleemosyna danda sunt; ita his quoque, qui pro necessitatibus negotiis insistunt, faciendum est. Unicuique homini Deus dedit artem, qua pascitur, & unusquisque de arte sua, de qua corporis necessaria, vel subsidia habet, animæ quoque, quod magis necessarium est, subsidium administrare debet.* L.6.c.238. *Et Capit. Theod.* c.35.

Ne Ecclesia quidem decimarum se immunem esse volebat; quocirca ex ipsis etiam decimis sibi persolutis decidebat ipsamet decimas, quas in pauperes erogaret. *Ut de omnibus in eleemosynam datis, tam Ecclesia, quàm fratribus, decima pauperibus dentur.* Addit. 1. c.49. Hic usus erat, & mos Monachorum. Excerptum enim hoc caput est ex eorum Constitutionibus in Conventu Aquisgranensi anni 817.

Id quoque non pauci augurabantur, ulciscendę eorum avaritiæ, & religionis incuriæ, qui decimas non solvebant, famem quandoque & id genus calamitates alias à Deo immitti. Audiendi sunt hic Patres Concilii Francofordiensis. *Omnis homo ex sua proprietate legitimam decimam ad Ecclesiam conferat. Experimento enim didicimus in anno, quo illa valida fames irrepsit, ebullire vacuas annonas à dæmonibus devoratas, & voces exprobrationis auditas.* Can.25.

Hinc Synodi Principesque adnitebantur, ut plenissimè solverentur decimæ: nihil minui, nihil subtrahi sinebant, quo & consecratio ac benedictio superna uberrimè afflueret. Unde Concilium II. Remense, *Ut decima pleniter dentur.* Can.38. Et Capitulare Ludovici Pii: *De nonis & decimis: unde & genitor noster, & nos frequenter, & in diversis placitis admonitionem fecimus, & per Capitularia nostra ordinavimus, volumus atque jubemus, ut de omni conlaborato, & de vino, & fæno, fideliter & pleniter ab omnibus nona & decima persolvatur. De nutrimine verò pro decima, sicut hactenus consuetudo fuit, ab omnibus observetur.* Copia tamen fiebat Episcopo accipiendæ pro frugibus pecuniæ, si Laici ita cuperent: *Si quis tamen Episcoporum fuerit, qui argentum pro hoc accipere velit, in sua maneat potestate, juxta quod ei, & illi qui hoc persolvere debet, convenerit.* Capit. Car. Mag. l.2. c.22. Conc. Gall. Tom.2. p.456.

V. Herardus Archiepiscopus Turonensis jubet ille quidem ut decimæ religiosè offerantur, primitiæ verò frugum deferantur ad Altare: *Ut omnes primitia frugum benedictionis gratia ad Ecclesiam deferantur.* Sed à Parochis vetat conveniri quemquam ad decimarum solutionem exprimendam. Nec enim illas elici placet, nisi monitionibus piis & prædicationibus. *Nullus Sacerdotum decimas cum lite & jurgio suscipiat, sed prædicatione & admonitione.* Cap.35. 37. 132.

Nec iis tamen erat Herardus, qui tot Conciliis, Regibusque litem moveret, quibus placuit temporales concrepare pœnas & spiritales in eos, qui officio deessent, in re divino jure constituta. Sed aut supersederi posse existimabat iis pœnis in sua Diœcesi, ut quæ docilior esset, & monitionibus solis revocari posset ad officium. Aut eas pœnas à Conciliis sancitas, ab ipsis potiùs Episcopis, vel Principibus infligendas esse, quàm à Parochis; quòd illorum, quàm horum invictior sit potestas, & zelus in hujusmodi quidem rebus purior habeatur.

VI. In omnibus enim Legibus & Canonibus id perspicuum est, divino & inconcusso Scripturarum jure decimas institutas. Unde & pulcherrimè Concilium Troslejanum anno 909. eos primùm vituperabat, qui cum juri ipsi derogare non possent, ex eo defraudare saltem aliquid gestiebant: *Defraudant Deo debitam decimarum partem, dicentes, non se debere decimas dare de militia, de negotio, de artificio, de lanarum tonsione, & de cæteris quibuscumque sibi à Deo largitis commerciis.* Can.6. Non Ecclesiæ, sed Dei ipsius voces illis inculcantur ad hoc jus constituendum: *Audiant non nostra, sed per Sacras Scripturas Dei de talibus mandata, atquè sancta sanctorum Patrum exempla, &c.* His intexuntur testimonia libri Numerorum, Levitici, Deuteronomii, Evangelii ipsius; quibus ex omnibus constat Dominum universorum & Deum decimas sibi universim rerum omnium integras servasse, ut justa & necessaria nostræ in ipsum pietatis & religionis officia. *Ecce audistis; cujus sint, & cui sacrificentur, & cui dari, scilicet Deo, decima debeant. Sed & quæ sibi dari præcipiat; scilicet non tantùm omnes omnium, quæ nascantur in terra decimas, sed etiam universas frugum, quas gignit humus, primitias, necnon & decimas boum: ovium, & armentorum, cum primogenitis eorum: manuum quoque vestrarum decimas, ac primitias, ut sedant in usus Sacerdotum, &c. Audiat quicumque est ille, miles sit, negotiator sit, artifex sit. Ingenium quo pascerit, Dei est; & ideo inde ei dare debes decimas.* Capitul. l.5. c.101. Baluz. Cap. Tom.1. p.665.

VII. Hinc illud concluditur, tametsi decimas & primitias Parochi non aliter vel spectare debeant, vel accipere, quàm ut eleemosynas: id Episcopis tamen & Principibus ex officio incumbere, tanquam vices Dei in terris obtinentibus, ut religiosos, & divinæ immemores beneficentiæ compellant, hæc vicissim in Deum & ministros ejus pietatis suæ munera rependere. Ideo & in Concilio Forojuliensi sub Paulino Patriarcha, Can.14., eadem Prophetarum testimonia & divinæ depromuntur comminationes, quæ in Concilio Trostejensi. Excommunicationis in hoc Concilio pœna siletur, non siletur in Concilio Ticinensi *sub Leone IV.* c.17. Voluit & Ludovicus in Capitulari Vormatiensi anno 829. pœnas in eos distringi, qui decimas subtraherent. *Distringantur, ut vel inviti Ecclesiæ restituant, quæ voluntariè dare neglexerant.*

VIII. Nec segniór Conciliorum & Principum cura in id conferenda fuit, ut ne decimas Laici ipsi usurparent, uni persolvendas Ecclesiæ. Tanti duces & authores flagitii damnati sunt à Concilio Metensi anni 888. in eosque conjecta est invidia ejus famis, quæ Gallias depopulata fuerat. Expressa ad id Malachiæ Prophetæ verba promuntur, quibus par pœna pari imputatur impietati. *Dominus loquitur per Prophetam, afferte omnem decimam in horreis meis, &c. Scimus quoniam peccatis exigentibus clauditur cœlum, & fit nostris diebus sæpissimè fames. Ideo statuimus, ut deinceps nemo Seniorum de Ecclesia sua accipiat de decimis aliquam portionem; sed solummodo Sacerdos, qui eo loco servit, ubi antiquitus decimæ fuerunt consecratæ, ipse eas accipiat cum integritate. Can.2.*

In Concilio Ingelheimensi anno 848. id ipsum pronuntiatur adversùs Nobiles quosdam, qui Ecclesiasticas decimas sibi vendicarant: *Ut oblationes fidelium, quatenus Altari deferantur, nihil omninò ad laicalem pertineat potestatem, dicente Scriptura; Qui altari serviunt, de altario participentur. Can.8. 9.* Ex Canone primo colligitur hunc de decimis exponendum nobis fuisse. Eo enim declaratur infanda licentia usurpatas esse à Laicis decimas, de quibus si quæ moveantur lites, eas necesse sit apud Ecclesiæ Judices ventilari. Aderant porro huic Concilio Ludovicus IV. Rex Franciæ, & Otto Rex Germaniæ. *Ut decimæ, quas Dominus præcipit in horreum suum deferri, si Ecclesiis Dei non fuerint retentæ, sæcularia super hoc non exerceantur judicia, nec in forensibus discutiantur causis, sed in Sancta Synodo ab ipsis Sacerdotibus, quorum deputatæ sunt usibus, quid exinde debeat actitari, certis diffiniatur promulgationibus.*

IX. Ex his verò posterioribus Canonibus emicat, necdum tunc in mentem quidquam venisse de decimis infeudatis. Involaverant decimas Laici, necdum pacificè possidebant, necdum obducere potuerant huic rapinæ vel colorem legitimæ possessionis. Quin identidem commonebantur profani deprædatores, ut Ecclesiæ restituerent, quæ jure retinere non possent. Unde & incessit eos cupido, ut Monachis potiùs, quàm Parochis, vel Episcopis restituerent. Ubi verò ejusmodi aliquid contigerat, non facilè poterant Episcopi se continere, quin Monachis instarent, ut Parochis potiùs, quę Parochorum erant jura, redintegrarentur. Eo forsan pertinet illa Hincmari Archiepiscopi Remensis Epistola, ad Monachos Sandionysianos tum data, ubi illos inaudiit decimam nescio quam Parocho vendituros. Monuit vendi non posse, quę restitui deberent; gravi id fore, non Clericis tantùm, sed & Laicis offendiculo; si quibus ab aliis, quàm à Sandionysianis Monachis, in quorum sinu prima olim tyrocinia posuerat, tentatum id fuisset, dirum in eos anathema se jaculaturum fuisse. *Absit, fratres, ut alii Ecclesiastici & Religiosi viri hoc audiant, quia Monachi de Monasterio Sancti Dionysii decimam vendere quęrant, ut de ipso pretio infernum comparent. Flodoard. L.3. c.25.* Copiosè infernis hac eadem de re.

X. Unum restat quod elucidemus dubium, ex Epistola Alcuini ad Carolum Magnum scripta, *Epist.7.*, quem dehortari videtur, ne sinat decimas ab Hunnis exigi, qui non ita pridem Christi gregi accessere. Orat seriò perpendi, an consultum sit tam gravi statim jugo subjici tam rudes & barbaros. *Si melius sit rudibus populis in principio fidei jugum imponere decimarum, ut plena fiat per singulas domus exactio illarum.* An simile veri sit inter ipsa Ecclesiæ primùm cunabula decimas ab Apostolis expressas fuisse: *An Apostoli, à Christi edocti, exactiones decimarum exegissent?* Ecqui speres rudes & in fide tyrones facilè obtemperare posse ei legi, quam vix subeant qui Christianis institutionibus jamdiu sunt ionutriti? *Nos in fide Catholica nati, nutriti & edocti; vix consentimus substantiam nostram pleniter decimare. Quantò magis tenera fides, & infantilis animus, & avara mens illarum largitati non consentiit? Le Coiate. ad ann.798. n.57.*

Respondeo verò ea ipsa Epistola, qua nuper conversis gentibus dispensatio & indulgentia necessaria suadetur, approbari inveteratam consuetudinem, & inexorabilem necessitatem cæteris omnibus fidelibus impendentem exolvendarum decimarum. *Roborata verè fide & confirmata consuetudine Christianitatis, tunc quasi viris perfectis fortiora danda sunt præcepta, quæ solida mens Religionis Christianæ non abhorreat.* Adde quod ne de relaxandi quidem neophytis omninò illis ab ea lege hic agatur, sed tantùm de decimis non ea ab eis austeritate & copia exigendis, qua ab aliis fidelibus: *Ut plena sit per singulas domos exactio.*

Scripsit Rex Pipinus Caroli Magni parens, ad Lullum Archiepiscopum Moguntinum, decimas ut authoritate regia sibi accumulata exigeret, nec ullum sineret abire immunem. *Sic faciatis ordinare de verbo nostro, ut unusquisque homo, aut vellet aut nollet, suam decimam daret. Du Chesne. tom.2. pag.663.* Christo nomen dederat ea gens jamdiu, satis multo jam à tempore, ut ejus jungi patiens essent. At Carolus Magnus perdomitis Saxonibus, statim illam inflixit decimarum legem, ut patet ex Chartis fundationis Episcopatus Bremensis. *Victi jam Christo & Sacerdotibus ejus, omnium suorum jumentorum & fructuum, totiusque culturæ persolvant decimas.* Quin & illud voluit Rex Christianissimus, ut omnium, quæ in fiscum inferrentur decimæ, Ecclesiæ adjicerentur: *Ut undecumque census aliquid ad fiscum pervenerit, decima pars Ecclesiis & Sacerdotibus reddatur. Baluz. Cap. Tom.1. pag.246. 253. 267.* In alio Capitulari & calamitates publicas omnes in decimas non solutas refundit. Ad Consulta Bulgarorum respondens Nicolaus Papa, his nuperis quoque Christianæ fidei sectatoribus, proponit tantùm exempla veteris Testamenti, ab ipsa usque petita mundi origine pro primitiis. *Fruges novas & rerum offerre primitias etiam veteribus moris erat, quod pene in ipso initio mundi Abel & Cain egisse legimus. Cap.89.*

XI. Laudat Photius in Nomocanone, *Tit.6. c.1. 2.*, Imperatorias Constitutiones, quæ vetant divelli ab Ecclesiæ communione, vel sacramentis defraudari eos, qui vulgatissimo non funguntur officio in solvendis primitiis, decimis, oblationibus: nec valere ulterius sinunt vetustissimæ consuetudinis inolitam sævitiam. Transgressoribus harum Constitutionum indicitur Beneficii exauthoratio, & mulcta decem librarum. Ubi tamen à Photio ipso observatur, ei Constitutioni locum non esse, nisi Constantinopoli, & Metropolibus, quæ ei subjiciuntur.

CAPUT VIII. *P.3. l.3. c.2.*

De Decimis & Nonis, quæ exigebantur à laicis, fundos Ecclesiæ Beneficiario jure obtinentibus sub Imperio Caroli Magni. De Precariis.

I. Sponte sua privati quidam ultra decimas aliquid conferebant.

II. Qui jure Beneficiario fundos Ecclesiæ obtinebant

sant Laici, decimas eis & nonas solvere tenebantur.

III. Probationes ex Capitularibus Caroli Magni, & Ludovici Pii.

IV. Reparandis Ecclesiis iidem astringebantur.

V. Urgent Concilia, ut laici hujusmodi Beneficiarii officio fungantur.

VI. Concilii Carisiaci testimonio ostenditur Carolus Martellus, adeoque & Pipinus prædia Ecclesiæ militibus distribuisse.

VII. De Precariis. Duplicis erunt generis. Alia nempè militum beneficiarii Ecclesiæ Prædia assecatorum. Alia eorum, qui suos agros Ecclesiæ largiebantur, moxque eosdem ab ea, & duplo, vel triplo majores alios recipiebant in usumfructum.

VIII. Quando & quomodo hæc precaria innovabantur.

IX. Urgent Episcopi Ecclesiæ restitui, quæ usurpata fuissent: assentiuntur Reges.

X. Varia genera precarii posterioris ordinis.

XI. Monasteria quandoque ipsa in precarium data.

XII. Qua ejus rei etiamnunc vestigia.

XIII. Multa observatu in precariis primi generis.

XIV. De Emphytheosibus.

I. SAnctitatis nomine celebratus Geraldus Comes Auriliacensis, cujus vitam literis mandavit B. Odo Cluniacensis Abbas, lecto & perpenso diligentissimè illo Evangelij contextu, ubi asseverantissimè Christus negat patere eis posse januam regni cœlestis, quorum non exuberaverat justitia, ultra eos fines, quos sibi præscripserat Pharisæus; secum ipse constituit, non decimas tantùm solvere, & largissimas effundere eleemosynas, sed & nonas, hoc est, nonam partem omnium substantiarum suarum in pauperes & calamitosos erogare. *At verò non immemor quia Christianorum justitia debet justitiam Pharisæorum supergredi; cum universæ fruges ejus rectissimè decimarentur, Nonas etiam jubebat seorsum recondi, quæ in diversis pauperum necessitatibus dispensarentur. L.5. c.26.*

II. De his decimis egimus capite superiore. De his nonis ne hoc quidem agemus: quod eæ arbitrariæ fuerint, nec ullis humanis legibus sancitæ. De iis verò decimis nonisque versanda nobis nunc quæstio est, quæ Clero pendebantur à laicis, qui terras Ecclesiæ obtinerent, sive à se suo marte usurpatas, sive à Regibus concessas, consensu libero Episcoporum, aut extorto, cum jam eo præsidio necessario munienda videretur Ecclesiæ & Regni salus. Erat æquitati prorsus consentaneum, ut si agri hæreditarii laicorum decimas solverent; quos usurpassent, & quorum usufructuarii tantùm essent, vel Beneficiarii, ii duplices penderent decimas. Erat & illud æquissimum, ut summi principes, qui his usurpationibus locum dederant primum, ex parte saltem aliqua Ecclesiæ satisfacerent, donec suis illam agris & prædiis redintegrarent. Nec ab æquitate denique recedebat, ei indulgentiæ prorsus mirabili assentiri Episcopos, & ad hæc omnia connivere, cum Principes alioqui cernerent Ecclesiarum tuitionem repudiaturos, & in certissimam eas conjecturos perniciem, cum eo tempore undique fremerent, irruentque Sarraceni, Normanni, aliique Ethnici & Barbari, non regno, quàm Ecclesiæ infestiores.

III. Accipe jam ipsas ad hoc Caroli Magni, & Ludovici Pii Constitutiones. *Ut qui Ecclesiarum beneficia habent, nonam & decimam ex eis, Ecclesiæ, cujus res sunt, donent. Et qui tale beneficium habent; unde ad medietatem laborent, de eorum portione proprio Presbytero decimas donent. Capit. Car. Mag. l.1. c.163.* Duæ hic classes laicorum Beneficiariorum secernendæ sunt. Alii Ecclesiæ prædium aliquod obtinent, fructusque ejus omnes accipiunt; & hi sanè eidem Ecclesiæ decimas & nonas, id est, duas quotannis decimas solvere jubentur. Alii sunt Ecclesiæ *Medietarii*, Agros hi Ecclesiæ colunt, in fructuum partem ab ea vocantur, ex sua ipsi portione decimas ei rependunt. De his quoque nonis capienda Constitutio Ludovici Pii, quando convenienter anterioribus Caroli Magni Capitularibus, designat quibus ex rebus solvendæ sint, tum decimæ, tum novæ. *De nonis & decimis, unde & genitor noster, &c. Volumus ut de omni conlaborato, & de vino, & fœno fideliter & pleniter ab omnibus nona & decima persolvatur. L.2. c.21. 22.* Quoad animantes morem usitatum retineri præcipit, sinitque ut Episcopi vice decimarum pecuniam oblatam accipiant.

IV. Capite proximo de reparandis Ecclesiis agitur, quarum ad expensas exiget Episcopus ab hujusmodi Beneficiariis, quod æquum censuerit. *Similiter quidem de operibus in restaurationem Ecclesiarum, sive in faciendo, sive in redimendo, Episcopalis potius sequatur voluntas. Nullatenus autem remaneut, quin sicut à nobis sæpè jussum est, hoc aut illud partibus Ecclesiarum persolvatur.* Cujus statuti is sensus est, posse ab Episcopo accipi pecuniam pro decimis & nonis, si ultro offeratur; non posse exigi. At verò quoad reparationes Ecclesiarum, quibus etiam tenentur, penes Episcopum potestas & arbitrium erit, an ipsosmet operam navare sinat, an pecuniam potius pro modo rei ab illis solvi diffiniat.

Ita exponi hoc Capitulare debere, liquebit ex hoc alio, ubi lege promulgata decimarum & nonarum, præcipitur, ut Beneficiarii Ecclesiæ laici reparandis obligentur Ecclesiis, pro modo agrorum, quos obtinent: porro ab Episcopis, Abbatibus & Regiis Officialibus diffiniri sigillatim debere, quid & quantum quisque resarciat Episcopus Abbas, aut Beneficiarius laicus. *Considerandum est, ut de frugibus terræ, & animalium nutrimine nona & decima persolvantur. De opere verò, vel restauratione Ecclesiarum, Comes & Episcopus, sive Abbas cum Misso nostro, quem ipsi sibi ad hoc elegerint, considerationem faciant, ut unusquisque eorum tantum inde accipiat ad operandum & restaurandum, quantum ipse de rebus Ecclesiarum habere cognoscitur. Similiter & Vassi nostri aut in commune tantum operis accipiant, quantum rerum Ecclesiasticarum habent, vel unusquisque per se juxta quantitatem, quam ipse tenet. Aut si inter eos convenerit, ut pro opere faciendo argentum donent, juxta æstimationem operis in argento persolvant, cum quo pretio Rector Ecclesiæ ad prædictam restaurationem operarios conducere, & materiam emere possit. L.4. c.40.* Nihil dilucidius optari poterat. Perspicuum est autem hoc jam Capitulari, non licere Episcopo modum & quantitatem reparationum cuiquam indicere Beneficiario laico, nisi unà adsit ei Comes & Officialis Regius, quem volet; nec pecuniam exigere, si malint ipsi Beneficiarii in reparationes laborem & industriam suam conferre.

Gemina ergo hæc sunt sive onera, sive munia laici Beneficiarii, ut decimas nonasque pendat, utque reparandis Ecclesiis adlaboret, vel industria, vel pecunia sua. *Quicumque Beneficium Ecclesiasticum habent, ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas omninò adjuvent & nonam & decimam reddant. L.5. c.92.* Cùm non possint quandoque sarta tecta servari, nisi ut in melius aliquid restauretur, occupata est à Capitularis authore ea ambiguitas, & ei quoque oneri ferendo subjecti fuere Beneficiarii.

V. Regum Capitularibus nititur Concilium Francofordiense, *Can.25. 26.*, quo decimas & nonas

exigat. *Ut decimas & nonas, sive census, omnes generaliter donent, qui debitores sunt ex Beneficiis & rebus Ecclesiarum, secundùm priora capitula domni Regis.* Reparandas quoque illis Ecclesias indicit: *Ut domus Ecclesiarum & tegumenta, ab eis fiant emendata, vel restaurata, qui beneficia exinde habent. Can.46.* Concilium III. Turonense anni 813. *Ann.828. Capitul. l.5. c.145. 146. Conc. Gall. Tom. 2. pag.467.* querelis suis Carolum Magnum interpellavit, quod vanæ tam sæpè & cassæ cecidissent querelæ Ecclesiarum de his laicis Beneficiariis, utroque nexu devinctis, neutri satisfacientibus. Cessatores hos Ludovicus Pius gravi mulctæ subjecit; nisi resipiscerent, Beneficiis orbavit.

Diximus alibi, quàm sollicitè & anxiè interpellatus sit ab Episcopis Carolus Calvus, quò restitui Ecclesiam juberet prædiis & agris omnibus suis, quorum usurpatores facinus suum nominis dignitate obumbrabant, cum Beneficiarii dicerentur. At Concilium Suessionense II. optari magis posse sentiens, quàm sperari plenissimam illam restitutionem, flagitavit, ut interim saltem, ne decimis nonisque suis Ecclesiæ frustrarentur. *Ut ex possessionibus, quæ Ecclesiastica certis inducíis comprobantur, nec plenè propter varias necessitates possunt restitui, saltem nona ac decima tribuantur. Ann.853. Can.9.* Concilium Valentinum III. anno 855. easdem preces iteravit, convenienter Principum Edictis: *Sicut Edictis Principum jussum est. Can.50.*

VI. Verùm Episcopi Remensis & Rotomagensis Provinciarum ad Concilium Carisiacum adunati, anno 858. liberius querelas suas effudere, *Can.7.*, scriptis ad Ludovicum Germaniæ Regem literis, testificati Carolum Martellum sacrilegæ hujus usurpationis auctorem fuisse, principemque, ideoque longè acerbissimas dedisse pœnas; à Pipino ejus filio congregatam fuisse Synodum Liptinensem; ibi eum restituisse quidquid tum quidem in potestate habuit; cum agros verò fundosque omnes redintegrare Ecclesiæ non posset, propter bella, quæ tum flagrabant cum Gaifaro Aquitaniæ Principe, adductos ab eo fuisse Episcopos, ut ea Beneficia Precarii nomine concederent militibus, decimas, nonasque & reparationum expensas persoluturis, donec tempestivior se daret occasio totius implendæ restitutionis. *Quantumcumque de rebus Ecclesiasticis, quas Pater suus abstulerat, potuit Ecclesiis reddere procuravit. Et quoniam omnes res Ecclesiis, à quibus ablata erant, restituere, propter concertationem, quam cum Vaifario Aquitanorum Principe habebat, non prævaluit; precarias fieri ab Episcopis exinde petiit, & nonas ac decimas, ad restaurationem tectorum, & de unaquaque casata XII. denarios, ad Ecclesiam unde res erant beneficiatæ, dari constituit, usque dum ipsæ res ad Ecclesiam revenirent.*

Multa hic sunt non perfunctoriè expendenda. 1. Illud quippe intelligitur sensisse Pipinum ipsum bona fide, non potuisse à Carolo Martello occupari res Ecclesiæ, citra consensum Episcoporum, quibus demum cumque angustiis premeretur Ecclesia. 2. Restitutas esse ex aliqua parte à Pipino possessiones Ecclesiæ, nec ceteras retentas esse, nisi annuentibus Episcopis, donec consopitis bellis civilibus omnia redintegrarentur. 3. Preter decimas, nonas, & expensas reparationum, indixisse Pipinum denarios duodecim annui census in singulas familias, quà latissimè pateret Beneficiarius ager. Id verò forsan designabatur voce *Census* in Canone suprà laudato Concilii Francofordiensis. Quæ eadem vox usurpatur in Capitularibus Caroli Magni. *L.5. c.527.* 4. Precarii & Beneficii voces promiscuè hic habentur.

In Concilio quoque Tullensi anni 859. idem Carolus Calvus ab Episcopis interpellatus est, *Can.18.*, ut agros ipsos restitui curaret; decimas saltem, nonasque solvi urgeret, quę quinta pars est proventuum omnium. *Quinta pars Ministrie offertur.*

VII. Non abs re forsan erit in hoc loco de Precariis pauca hæc libare, vel ex superius delibatis refricare: cum ejus rei peropportunus sit hic locus. Duplicis Precariæ sunt generis in Capitularibus Caroli Magni. Aliæ concedebantur, & confirmabantur Beneficiariis laicis, quo Principi bellicis in expeditionibus presto essent. Illæ ipsæ sunt de quibus jam diximus. Alię verò ad Ecclesię emolumentum pertinebant, quę sponte sua & lubens iis assentiebatur. *Precaria ubi modò sunt, renoventur; & ubi non sunt, scribantur. Et sit discretio inter precarias de verbo nostro factas, & inter eas, quas spontanea voluntate de ipsis rebus Ecclesiarum faciunt. Capitular. Anno 779. c.13. Addit. 4. c.132.*

Innovatæ hęc Precarię illę ipsæ sunt Concilii Liptinensis, & quę in libris Capitularium referuntur. *L.5. c.3.* Ne Pipinus quidem petiit, vel Precarias, vel Beneficia, nisi dum superstes esset, qui illis donabatur. Ejus morte rei suæ restituebatur Ecclesia, vel Precaria innovabatur. *Si moriatur ille cui pecunia commendata fuit, Ecclesia cum propria pecunia revestita sit. Et iterum si necessitas cogat, Princeps jubeat, Precarium renovetur & rescribatur novum.*

Quin & superstite Beneficiario, sive Beneficium, sive Precaria quandoque revocabatur. Si vel Ecclesia enim, vel Cœnobium gravi inopia laborare inciperet, ei restituebantur & agri, & quidquid hic nomine *Pecunię* comprehenditur. *Et omnino observetur, ut Ecclesia, vel Monasteria penuriam & paupertatem non patiantur, quorum pecunia pro precario prestita sit. Sed si paupertas cogat, Ecclesia & domini Dei reddatur integra possessio. Ibidem.* Si his legibus cautionibusque cautum fuisset, non contemnenda ea fuissent tam acerbi vulneris delinimenta.

Sed erant Precariæ alię de quibus in Concilio Turonensi III. anno 813. jussu Caroli Magni actum est, *Can.31.*, ut eorum sedarentur querimoniæ, quorum proximi sua Ecclesiæ largiti erant. Hujus Concilii Præsules multis produnt documentis, quàm præposteræ & iniquæ essent hæ querelæ. 1. Quisquis rerum suarum aliquid Ecclesiæ conferebat, tantundem illico ab ea, vel etiam duplo, triploque amplius in usumfructum accipiebat. 2. Nec ipse tantùm, sed & proximi ejus omnes, de quibus convenisset, eo usufructu gaudebant, dum in vivis essent. *Nam penè nullus est, qui res suas ad Ecclesias donet, nisi de rebus Ecclesiasticis, aut tantum, quantum donavit, aut duplum, aut triplum usu fructuaria accipiat. Ex quibus ille tunc aut quantis filiis & propinquis à Rectoribus impetraverit, post discessum ejus eadem conditione, qua ille tenebat, posteri ejus sibi vendicent. Hic usus & hæc ratio apud nos usque modo de talibus tenebatur.* 3. Denique proximis & hæredibus eorum, qui rebus suis Ecclesiam donaverant, etsi omni jam jure spoliatis, copiam fecere Præsules, ut eosdem rursus agros Precariæ & Beneficii jure acciperent, dum Ecclesiæ se tuitioni & clientelæ adscribi assentirentur. *In ejus nomine iterum Precaria à Rectoribus Ecclesiæ scriberetur, &c. Nobis visum est prædictis hæredibus hanc dare optionem, ut si voluissent traditiones parentum suorum consequi, de qua illi jam erant per legem exclusi, Rectoribus Ecclesiarum se commendarent, & hæreditatem illam in beneficium, unde se adjuvare ac sustentare possent, acciperent.*

VIII. Itaque virorum suo quodam in Ecclesias beneficio insignium proximos, & hæredes ad hoc genus semper precarias admittere præstò erant Episcopi. Sed alterius generis Precarias Carolus Magnus propagari, vel revocari voluerat ab Episcopis,

pis, prout ipsis pro summa sua potestate collibitum esset, post excessum primi Beneficiarii. *Pracipimus, ut nullus res Ecclesia aisi precario possideat, & postquam ipsa precaria finitę fuerint, faciant potestativè speculatores Ecclesiarum, uteum elegerint, aut ut ipsas res recipiant, aut posteris eorum sub precario & censu habere permittant.* Etiam tum cum speculator Ecclesiarum, hoc est, Episcopus, precariæ prorogandæ assensus erat, necesse erat agros Ecclesiæ illi reddi, & tum rursus ab eo conferri. *Ita tamen ut ipsi peoprias & utiles res eisdem Ecclesiis, de quarum jure esse videntur, legaliter tradant: & sic à Rectoribus earundem Ecclesiarum precaria si renovanda sunt, canonicè renoventur. Anno 800. Conc. Gall. Tom.2. pag. 236. Capitul. l.7. c. 104.*

Videbatur Pipinus Caroli Magni pater potestatem sibi integram servasse in Concilio Liptinensi, innovandarum, cum opus esset, precariarum. *Si necessitas cogat, aut Peinceps jubeat.* Sed eo se jure exuit Carolus, iotegrumque voluit Episcopis esse, ut precarias interrumperent, aut prorogarent; ut qui persuasus esset, ex rerum Ecclesiæ usurpatione regna non rarò labefactari: *Novimus multa regna & Reges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias spoliaverunt; resque earum vastaverunt, abstulerunt, & pugnantibus dederunt*: militesque his Ecclesiæ rebus ditatos armatosque, pondere magis criminum, quàm robore hostium obtritos fuisse: excidisse ipsos regno cœlesti, ruinaque sua terrenum regnum pessumdedisse. *Quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, nec victores extiterunt; sed terga multi vulnerati, & plures interfecti fuerunt, regnaque & regiones, & quod pejus est, regna cœlestia perdiderunt, atque propriis hæreditatibus caruerunt, & hactenus carent.*

IX. Hæc præfatus Carolus testatum facit, se communicato consilio cum Leone Papa, & cum Episcopis suis omnibus: *Adjuncto Leonis Papę, & omnium Episcoporum, quorum consilio usi, hoc egimus, spiritu nostro spiritui*: vehementissimè probibere, filii & successores sui, ne quid unquam usurpent rerum Ecclesiæ præter assensum Episcoporum; *absque consensu & voluntate Episcoporum. Ibid.* Jubet denique sacrilegas ejusmodi deprædationes rerum Ecclesiæ io posterum anathematum jaculis obrui, & Civilium Magistratuum autboritate. *Quod si quis fecerit, tam nostris, quàm successorum nostrorum temporibus, pœnæ sacrilegii subjaceat, & à nobis, nostrisque successoribus, nostrisque Judicibus vel Comitibus, sicut sacrilegus & homicida, vel fur sacrilegus legaliter puniatur, & ab Episcopis nostris anathematizetur, ita ut mortuus etiam sepultura, precibus & oblationibus careat.*

His Caroli Magni vestigiis statutisque longiùs abscessisse Carolum Calvum dictum est superiùs, unde & difficillima ejus regno tempora incidere, & calamitates luctuosissimæ. Suadebat Concilium Meldense anno 845. *Can.20.* prædia ut omnia dominii regii sui aliis & aliis privatorum artibus intercepta, eisque data *in beneficiario jure, aut in alodio*, ad sese revocaret, fiscoque recuperaret regio. Ita demum fore, ut posset, intactis Ecclesiæ rebus & libertatibus, Aulam Palatiumque suum pro dignitate sustentare. *Quoniam domestica domus vestra aliter obsequiis domesticorum repleri non poterit, nisi habueritis unde eis meritum rependere, & indigentia solatium ferre possitis: Et sic demum Respublica vestra de suo suffragetur sibi, & Ecclesię, à quibus non expedit, habeantur immunes.* Revocanda cum primis esse brevia & dona rerum Ecclesiæ, quæ extorta ei fuissent. *Ut precepta illicita jure beneficiario de rebus Ecclesiasticis facta à vobis sine dilatione rescindantur, & ut de cetero ne fiant, à dignitate vestri nominis Regii caveatur. Can.13.*

Rescindendas & precarias esse omnes, sive commutationes rerum Ecclesiæ, ab iis factas, qui Episcopatus iovaserant. *Ut precarię & commutationes tempore viduatarum Ecclesiarum factę ab his, qui loca Episcoporum occupaverant, rescindantur, & cum authoritate Ecclesiastica, vel civili, si faciendę sunt, fiant. Can.21.* Non Canonicis tantùm repugnare decretis, sed & ipsi rationi, ut precariæ, seu Beneficia Ecclesiæ Regum brevibus & dono impetrentur. *Precepta autem regalia super precariis Ecclesiasticis fieri nec ratio sinit, nec authoritas qualibet modo permittit.* Innovandum esse denique priscum morem, ut precariæ quinto quoque anno renoventur. *Ut precaria secundùm antiquam consuetudinem & authoritatem, de quinquennio in quinquennium renoventur.*

X. Quantùm efferbuere hujus Concilii Patres, ut ne fundi Ecclesiæ dilaberentur: tantùm & effudere in eos benevolentiæ ac largitatis, qui rem Ecclesiæ augerent, donandis hæreditariis bonis, & vicissim accipiendis precariis. Plura ex hoc Concilio erant Precariarum genera. Alii bonorum suorum proprietatem trascribebant Ecclesiæ, retento usufructu solo. His jubet Concilium dari usumfructum præterea agri duplo majoris. *Precarię autem à nemine de rebus Ecclesiasticis fieri pręsumantur, nisi quantum de qualitate convenienti datur ex proprio, duplum accipiatur ex rebus Ecclesię, in suo tantùm qui dederit nomine, si res proprias & Ecclesiasticas usufructuario tenere voluerit. Can.22.*

Alii ne usum quidem fructum retinebant agrorum à sedatorum, & his refundebatur ususfructus prædiorum triplo majorum. Porrò hic ususfructus usufructuarii morte extinguebatur, nec ad posteros aut hæredes traducebatur. *Si autem res proprias ad pręsens dimiserit, ex rebus Ecclesiasticis triplum ad pręsens fructuario usu in suo tantùm qui nomine sumat. Spic. tom.12. pag.146.* Anno 887. Ecclesiæ Viennensi dono datus est ager à viro nobili, cui idem ipse mox cum duobus aliis ad usum fructum redditus est.

XI. Non prædia autem dumtaxat, sed & Cœnobia ipsa precariæ titulo & nomine dabantur iis, qui ingenti hæreditate aliqua ipsam munerabantur Ecclesiam. Ita enim Ludovicus Abbas Sancti Dionysii dedit, & Regio diplomate confirmari fecit Conrado viro nobili, Monasterium Lebrabense, quod in ditione erat Abbatiæ Sancti Dionysii. *Monasterium vobis in precariam, acceptis rebus vestra traditione ad eandem casam Dei delegandis concessisset Ludovicus Abbas.*

Concilium II. Vermeriense anno 853. Sandionysianorum Monachorum querelis ioterpellatum, eam concessionem revocavit irritamque jussit esse, propterea quod Fulradus Abbas, cum eo Cœnobio donaret Abbatiam Sancti Diooysii, hanc addiderat cautionem, ut ne illud unquam ab hac divellere fas esset. *Nec beneficiario, nec precario jure distrahendum.*

XII. Indubitatissimum est, has precarias, ubi Ecclesia acceptos agros remunerabaotur duplo, triploque usu fructu aliorum agrorum, ejusmodi uberrimum fuisse fontem, ex quo in Ecclesiam opes terræque innumerabiles exundarunt. Nec multùm abludit ab eo precariarum usu res etiam nunc pervagatissima, ut suas quis Xenodochiis, vel Religiosis domibus pecunias, agros, domos, fundos quoslibet donet, eorumque proprietate & possessione sese abdicet, annuas autem pecuniæ pensiones vicissim percipiat, multò pinguiores, tantòque abundantiores, quantò ætate ipse provectior, largiùs, quàm diutiùs illis perfruitur. Illud interest discriminis, quod nunc pecuniariæ pensiones rependuntur ad vitam, olim agri aliqui commendabantur ad usumfructum cum vita finiendum.

Hum. Perspicuè vides, quàm immani distent intervallo geminæ istæ precariarum classes; quàmque ut illæ detrimento, ita hæ compendio essent Ecclesiis, quò earum damna harum utilitate resarcirentur.

XIII. Affirmat Hincmarus Remensis Archiepiscopus, ab Hincmaro Laudunensi nepote suo occupatas fuisse in Carolum Calvum Regem terras quasdam, quas suæ Ecclesiæ juris esse existimabat, & in beneficio datas clienti cuidam suo; quas juridica evictione postea amiserat, comperto eas Ecclesiæ Laudunensis in ditione nunquam fuisse. Hinc elucet in his rerum commissuris quanta fuerit aliquando Episcoporum magnanimitas; sed quæ tamen prudentiam non disparem desideraret. Regi rursus ipsi eidem idem Hincmarus terras donavit ab eodem Ecclesiæ suæ redditas, ut eas beneficiario jure cuidam donaret, nomine Normanno. Qua in re eo peccatum est ab Episcopo, quòd nec Archiepiscopi sui, nec Episcoporum Provinciæ consilio usus sit. *Postquam Rex illas res à longo tempore de Ecclesia Laudunensi abstractas eidem Ecclesia sua pietate restituit, ipsi domno Regi illas sine meo ac Coepiscoporum nostrorum & comministrorum tuorum conscientia & consensu beneficiasti, quatenus eidem Normanno illas beneficiaret. Tom.2. pag.*603. Illud postremò additur ab Hincmaro Remensi, cum Laudunensis Præsul precarias vel Beneficia quibusdam abstulisset, iique apud Regem expostulassent, voluisse Regem ut tribus, quos Metropolitanus delegisset, Episcopis causa ea judicanda delegaretur, aliisque viris probis. Denique excussa causa coram ipso Rege, sicut Episcopus expetierat, Beneficiis restitutos eorum nonnullos fuisse, qui iis exuti fuerant. Lupus Ferrariensis Abbas rescita morte mariti neptis suæ, Eneam Episcopum Parisiensem per literas obtestatus est, ut filio ejusdem neptis paternum beneficium prorogaretur; addito tutore, qui militaria beneficii munia obiret. *Ut filio ipsius concedere dignemini beneficium, Tutorem verò qui & moribus vestris congruat, & militare obsequium exigat, statuatis. Epist.*119.

XIV. In Concilio VIII. *Can.*15. 20. damnatæ sunt Emphyteoses, sed ita tamen, ut verba ipsa Canonis insinuent, non damnari eas, nisi perpetuas, quòd tum alienationes sint. Ideo & alio Canone vetatur, ne terræ Ecclesiæ in Emphyteosin datæ auferantur, nisi priùs commoniti fuerint, qui eas obtinent, iis spoliatum iri, & alios fidei suę tenaciores subrogatum, si toto triennio non solvant.

CAPUT IX. *P.4. l.3. c.1.*

De Decimis & Primitiis post annum Christi millesimum.

I. Ut Archiepiscopus Moguntinus Abbates & Turingia Provinciam omnem compulerit ad decimas solvendas.

II. Quo fundamento immanitas decimarum concessa alicubi sit Nationibus recens ad fidem conversis, & Congregationibus recentioribus.

III. In Anglia præter primitias, rerum omnium decima solvebantur.

IV. In Gallia, Germania, Italia usus erant aliquantùm diversi sæculo undecimo, sed ubique tamen decima & primitia solvebantur.

V. Sæculo duodecimo illi eximebantur legi decimarum solvendarum, qui paupertatem profitebantur, & sua omnia pauperibus erogabant: cum decima ad pauperes sustentandos exigantur.

VI. Varia ejusdem sæculi statuta de Decimis.

VII. Gratiani placita de exemptionibus decimarum, quibus Pontifices & Episcopi Monachos quandoque ornaverant.

VIII. Varia Decretalium regula sæculo decimo tertio promulgata super exemptionibus his, & decimis.

IX. Non alio Ecclesia Christi stimulo agebatur, ut ad decimarum solutionem cogeret, quàm ut juri divino obtemperaretur, & consultum esset saluti solventium tam justa Deo tributa.

X. Varia ejusdem sæculi decreta Conciliorum de decimis & primitiis.

XI. Decreta Conciliorum posterioris ætatis.

XII. Nonnulla universim adnotata in hanc Canonum & decretorum farraginem.

XIII. Placita Sancti Thomæ Aquinatis de Primitiis & Decimis.

I. Diligentissimè Lambertus luculentæ in primis conditor historiæ scriptis mandavit permolestam illam in Germania concertationem super decimis, ubi Henrici Regis Germaniæ auxilio fretus Archiepiscopus Moguntinus, Provinciam Turingiam hactenus immunem, legi & jugo decimarum subjicere adgressus est. *Baron. an.*1069. *n.*1. 1073. *n.*4.5.6. Concilium primò Erphurdiense ab eo convocatum est, ubi Abbates duce & principe Abbate Fuldensi, Archiepiscopum obtestati sunt, ut privilegiis eos frui sineret, quæ prisci concessissent Pontifices, de quibus majores ejus nunquam sibi controversiam fecissent. Responsum est ab Archiepiscopo, privilegia ea indulta Monasteriis fuisse, inter ipsa sui incunabula, velut lactis quædam & infantiæ blandimenta, quæ excuti jam par sit, ut generalibus sese Ecclesiarum consuetudinibus legibusque accommodent. Abbates consensu fulti totius Provinciæ, cujus patrocinabantur causæ, rogarunt Archiepiscopum, si nec Pontificum bullis, nec concessionibus Caroli Magni, cæterorumque Imperatorum acquiesceret, quarta saltem parte decimarum contentus esset, tres reliquas permitteret Ecclesiis particularibus fruendas, cum ea sit decimarum partitio, Canonicis institutis approbata. *Ipsarum saltem decimarum eam ipse partitionem fieri sineret, quam & Canonum scita aquam judicassent, & cætera per orbem terrarum Ecclesia usitatum habent; scilicet ut quarta parte ipse pro suo suorumque Missorum servitio contentus, tres reliquas portiones Ecclesiis, quibus antiquitus attitulata fuissent, permitteret.* Cum his non assentiretur Archiepiscopus, appellationem ad Pontificem Thuringi meditabantur, nisi à Rege, qui coram aderat, prohibiti fuissent, à quo quà minis, quà blanditiis compulsi sunt Abbates, ut cum Archiepiscopo pacificerentur, & cum eo partirentur decimas. Exemplo Abbatum haud ægrè se accommodavit Provincia.

II. Quod de blandimentis infantiæ dixerat Moguntinus, à veri specie non recedebat. Narrat enim Saxo Grammaticus, quas artes & quas machinas admoverit Canutus Daniæ Rex, quò Danos suos nuper Christi ovili adglutinatos adduceret ad decimas Clero solvendas; nec dissimulat infringi non potuisse contumaciam gentis novæ & necdum satis ad gustum Religionis mansuefactæ. *Idem populares adhuc sacrorum rudes decimarum religioni assuescere conabatur. Sed propositi irrita suasio fuit, quippe maturitatem rerum capere novelli cultus rudimenta nequibant. Baron. an.*1181. *n.*38.

Nec abhorrebat à vero quod ajebat Moguntinus, nascentibus Cœnobiis exemptiones decimarum quandoque indultas, donec hoc velut infantiæ lacte paulatim ita convalescerent, & roborarentur, ut jam lacte non indigerent. Etenim Ci-

Ace-

stercienfis Ordinis Abbatiarum miram paupertatem inter ipsa sui exordia ubi rescivit Innocentius II. eas deinceps immunes esse sanxit à decimis, quas hactenus Cluniacensibus Monachis & Ecclesiarum Prælatis exolverant. Calamo suo intercessere huic privilegio Petrus Cluniacensis Abbas, & Petrus Blesensis, ille ne Ordini suo, hic ne Clero deesset; sed eos tandem obices minis, censuris, & interdictis Romani Pontifices disjecere. *Ibidem Anno 1121. n.10.* Hospitalarii Equites Palæstini privilegia eadem à Romanis Præsulibus expresserant, cum summa rerum inopia inter primordia sua laborarent. Cum illos postea comperisset Patriarcha Hierosolymitanus opibus circumfluere, Romam ipsemet profectus est, cum Episcopis quibusdam suæ ditionis, ut has immunitates revocari curaret. *Ibidem. Anno 1155. n.25.* Sed si qua fides Vuillelmo Tyrio, ingens illa opum copia, cujus contemplatione causa cadere debebant Equites, victoriam illis conciliavit. Archiepiscopatum Tyrium regebat Vuillelmus, & ejus permagni intererat, ut victi succuberent Equites.

III. In dubium verò trahi non potest, quin solutæ Clero primitiæ fuerint, & decimæ, quanquam solvendi ratio non una semper & ubique gentium fuerit. In Concilio Angliæ, quod anno 1000. affixere, jubetur, ut *Eleemosynu uratri*, hoc est, ut primitiæ solvantur intra quindecim post pascha dies, decimæ pecudum ad Pentecosten, decimæ frugum ad festum omnium Sanctorum, oblationes ad luminaria, quater singulis annis. Diffidet nonnihil Epistola, quam Canutus Daniæ Rex Roma scripsit anno 1031. nec enim eosdem indicit dies, & eleemosynam aratri à primitiis seminum sejungit. *Eleemosynu pro aratris, primitia seminum.* Regis hujus leges Ecclesiasticæ anni 1032. mulctas pecuniarias eis inflixere omnibus, qui suo quovis jure Ecclesias fraudarent. *Cap. 8. 9.* Expressiores sunt etiam sanctissimi Regis Eduardi Leges. Jubent decimam omninò solvi partem, tum animantium, tum frugum terræ, decimas denique solvi præcipiunt apum, sylvarum, pratorum, aquarum, molendinorum, septorum, hortorum, negotii. À quo enim omnia in nos proficiscuntur, ei decimam omnium saltem rependi jus fasque est. *De apibus verò similiter decima commodi, quin etiam de bosco, de prato, de aquis & molendinis, parcbis, vivariis, piscuriis, virgultis, & hortis & negotiationibus & omnibus rebus, quas dederit Dominus, decima pars ei reddenda est, qui novem partes simul cum decima largitur. Cap. 7. 8.*

IV. Plusculum intererat discriminis in aliis Ecclesiis hoc seculo undecimo, sed quod circumstantias magis aliquas spectaret, quàm ad rem ipsam. In Concilio Tolosano anni 1056. præceptum est, ut qui assuevissent Episcopo & Clero solvere Tertiam, Metatum, seu Gistium, & Synodaticum, ii muneri posthac eidem suo ne deessent. Qui vero nec Tertiam, nec Metatum solvebant, tertiam partem decimarum penderent, cum primitiis, & oblationibus mortuorum. Nec ab his immunes essent Ecclesiæ, quæ ad Monasteria pertinerent. *Statuimus etiam ut Ecclesię ad sedem pertinentes, qua solvunt tertium, aut paratam, vel Synodum, solito more persolvant Episcopis vel Clericis. De iis verò Ecclesiis, qua non dant tertium, vel paratam, tertia pars decimarum cum primitiis & oblationibus, qua de Cæmeteriis & defunctis consequuntur, Episcopo & Clericis assignetur. Similis quoque modo statuimus de Ecclesiis ad Monasteria pertinentibus. Can. 10.* Diximus, dicemusque suo loco diligentius ab Episcopis acceptas fuisse tertias, vel quartas partes decimarum suæ universæ ditionis. Hic tertia pars accipitur, & de ipsis accipitur oblationibus, quod ad Episcopi, & Cleri sustentationem accipiatur.

Proximo Canone præcipitur, ut Parochis cedat saltem tertia pars decimarum illis in locis, ubi Nobiles occupant decimas infeodatas: Episcopi Clerique authoritate fulciantur, ne eo jure suo frustrari possent. *Item de Ecclesiis in alodiis laicorum constitutis, ut tertia pars decimarum cum primitiis & Presbyterio, & cateris in Potestate Presbyteri, ad servitium ipsius Ecclesia, sub Episcopi vel Clericorum ditione permaneant. Can. 11.* Huc etiam pertinebat illa Germaniæ Monachorum interpellatio ad Archiepiscopum Moguntinum, quarta ut decimarum parte contentus esset. Verùm ille tantillæ parti non acquievit.

In Concilio Romano anni 1059. universim definitum est, primitias, decimas, oblationes Ecclesiæ conferendas esse: sed ut in potestate essent Episcopi, eas, ut opinor, partituri pro singularum consuetudine Ecclesiarum; denique communione summovendos eos, qui juri tam sancto & necessario non satisfacerent. *Ut decima, & primitia seu oblationes vivorum & mortuorum Ecclesiis Dei fideliter reddantur à laicis, & ut in dispositione Episcoporum sint. Quas qui retinuerint, à sancta Ecclesia communione separentur. Can. 5.* Subluecnt hic vetustissimæ disciplinæ vestigia, ut in Episcopi potestate & arbitrio sint res Ecclesiæ Diœceseos suæ & proventus omnes. Expostulavit Gregorius VII. de Archiepiscopo Salisburgensi, quod cum ab Alexandro II. Papa facultatem impetrasset erigendi Episcopatûs novi intra sui fines, qui latissimè fundebatur: Episcopatum quidem excitasset, non adsignasset autem ei decimas territorii, quod ei adscripsisset. *Comperimus illum quidem in societatem laboris misisse, sed sibi fructum laboris, scilicet decimas retinuisse, &c.* Suadet mox, ut ei Ecclesiæ decimas suas restituat: *Ecclesiam decimarum suarum redditibus revestias. L. 2. Ep. 77.* Idem Gregorius ad Canonicos Turonenses rescripsit, ut Novalium etiam decimas solvi cogerent. *Decimas novarum terrarum subtrahunt Ecclesia: L. 6. Ep. 9.* & siqui contumacius repugnarent, eos excommunicatione vincirent. Profertur & Rescriptum Paschalis II. *17. q. 1. c. 47.* quo decimarum immunitas conceditur Congregationibus Clericorum omnium & Monachorum, ad eos agros, quos suis ipsi manibus colunt.

V. Si ad sæculum delabamur duodecimum, occurrent Cluniacenses, qui impatientius tulerant exemptionem decimarum Cistereiensibus concessam, & qui nunc à Callisto II. sibi ipsis eandem immunitatem confirmari ambiebant, ad eos nimirum agros, quos ipsi colerent, tam suis, quàm servorum suorum manibus, juxta Cœnobia ipsa sua. *Decimas laborum vestrorum, pro quibus tam vos, quàm alios Monastica Religionis viros inquietare Episcopi consueverunt, illorum videlicet, quos Dominicaturas appellant, qui vestro sumptu à Monasteriis, & cella vestra clientibus excoluntur, sine omni Episcoporum & Episcopalium Ministrorum contradictione deinceps quietius habeatis, qui vestra peregrinis fratribus & pauperibus erogatis.* Ita Callistus ipse II. Papa, *Epist. 22.*, harum immunitatum causam justissimam aperiebat; cum exigantur decimæ ad pauperum & Cleri alimenta, scrupulosè eas exigendas non esse ex Clericis, Monachisque, vel ex iis omnibus, qui cum voluntariam profiteantur ipsimet paupertatem, jam pauperum sunt, quæcumque sunt res eorum.

In Regula equitum Templi, quam illis aptavit Concilium Tricassinum anni 1128. regnum illis cœlorum despondetur, tum quod paupertatis sectatores essent, tum quod in pauperes alios essent nihilominus munifici. Ut his eleemosynis modus adhiberetur, jussi sunt diebus singulis pauperibus dilargiri decimam panum suorum partem. *Decimam totius panis quotidie eleemosynario vestro dare jubemus.*

Cap.

Cap.15. Eadem Hospitalariorum Equitum immunitas confirmata est ab Anastasio IV. Papa quod eorum opulentia communis esset pauperum & peregrinorum omnium census. *Quia verò omnia vestra sustentationibus peregrinorum & pauperum debent cedere, ac per hoc nullatenus aliis usibus ea convenit applicari. Epist.12.*

VI. Cum rescriberet Alexander III. ad Upsalensem in Suecia Archiepiscopum, hortabatur, ut censuras & anathemata vibraret, quo legis divinæ præceptis populi obtemperantes essent, decimis solvendis: *Decimas fideliter persolvere ab ipso Domino noscitur institutum. Append.2. Epist.19.* In Concilio Londinensi anno 1175. constitutum est, *Can.13.*, ut juxta hujus Pontificis decretum censuræ Ecclesiasticæ distringerentur in sacrarum detractatores decimarum, quorum numerus in dies singulos augescebat. Sunt & plures hujus Pontificis Epistolæ, ad Episcopos Angliæ, ubi vetat decimas aliis rebus temporalibus commutari. *Quia decimæ cum temporalibus non sunt commutandæ.* Rerum omnium decimas solvi præcipit: *De proventibus molendinorum, & piscariarum, & de fœno, & de lana, de pomis, pyris, & apibus.* Denique ut plenæ exolvantur decimæ, antequam de toto anni proventu quidquam decerpatur ad expensas & stipendia servorum. *Append. Conc. Late. Part.4.* Sunt & complures aliæ ejusdem Pontificis Epistolæ, ut ne Monachi exemptionum suarum limites transgrediantur, eorumque usitatissimas solvant decimas, quorum nulla sunt privilegia consecuti. Ad Episcopum denique Hungariæ rescripsit idem Papa, *Ibidem. Part.13. & 50.*, ubi vici, vel oppidi alicujus colonia tota in aliam demigrabat Diœcesin, iniquum esse, ut uterque decimas exigat Episcopus, sed ei nimirum eas solvi debere Episcopo, cujus in Diœcesi Ecclesia esset, ubi illi sacris interessent toto anni spatio, si ex artificio, at negotio solverentur, aut ex cultu agrorum in Diœcesi suorum. Concilium Eboracense anni 1194. ejusdem Pontificis decreto subscribens, voluit ex Novalibus ipsis decimas solvi, & indemnitate, hoc est, ex integra proventuum copia, necdum subductis expensis. In Concilio Londinensi anni 1200. idem rursus constitutum est, *Can.9.*, utque immorigeri excommunicationi subjicerentur. Concilium Avenionense, *Can.5.*, anni 1209. eadem innovavit decreta, addiditque, citra lethale scelus non posse retineri decimas, non posse eas unquam contraria præscribi consuetudine, aut verò laicis in perpetuum elocari.

VII. Antequam penitius in sæculum decimumtertium subeamus, observari par est, illam à Gratiano, 16. *q.1. c.41.*, versatam esse quæstionem; An Monachi solvendis decimis exempti sint; & ab eo tandem id definitum esse, Exemptos esse à decimis agrorum eorum pendendis, quos manibus ipsi suis colunt: privilegio nimirum Levitarum novi Testamenti illis communicato, unà cum Sacerdotio. *In quibus hac discretio servanda est, ut de agris & vineis, quæ ad proprium stipendium coluntur, decimas sibi retineant. Si enim decimæ à populo filiis Levi reddebantur pro ministerio, quo Domino deserviebant in Tabernaculo, offerendo sacrificia & holocausta pro populo, patet, quòd Monachi de propriis prædiis non magis, quàm alii Sacerdotes decimas solvere coguntur.* Si Gratiano fidem adjiciamus, qui Monachis Pontifices veniam fecere decimarum, juris dumtaxat interpretes & promulgatores fuere, quod eis ipsa Sacerdotii participatione partum fuerat.

Si contra insurgas, quos Monachis colunt agros, ex iis antea decimas persolutas fuisse Clero, qui non debeat suis justissimis proventibus spoliari. Respondet Gratianus omnes prorsus decimas ex canonicis sanctionibus in potestate Episcopi esse, & potuisse Episcopum Monasterii conditorem, vel ejus ex licentia sua condendi ducem & auspicem, decimas ei addicere agrorum ei adsignatorum, & excolendorum à Monachis ipsis. Ut enim in potestate Papæ est Episcopatus dividere, aut adunare: ita & juris est Episcopi, unam in plures secare Parochiam, & inter eas partitionem facere decimarum. *Quod antiquiores Ecclesiæ propter novas, nec decimis, nec ulla possessione priventur, non ita intelligendum est, ut nullo modo credatur licere Episcopo aliquam partem possessionum vel decimationum unius Ecclesiæ alteri pro tempore tribuere. Sicut enim Papa duos Episcopatus in unum potest redigere, ita & unus proprio consentiente Episcopo in duos potest dividi, &c. Sic Episcopus de baptismalibus & parochianis Ecclesiis facere potest cum consensu suorum Clericorum.*

Et rursum alibi Gratianus idem affirmat, posse à Pontifice, sive Parochialem Ecclesiam, sive Cœnobium ejusmodi donari privilegio, ut decimas suas omninò omnes sibi uni vendicet, etsi juxta Canones quadripartito illæ debeant dividi, io Episcopum, in Clerum, in reparationes, & in pauperes. Et ab eo tandem concluditur, non posse Ecclesiis Parochialibus officere immunitates à Pontifice Monasteriis datas, aut quod ea immunitas non complectatur nisi agros antè incultos ac senticosos, & à Monachis primum excoli cœptos; vel quòd ea non collimet, nisi ad parcam & frugalem Monachorum sustentationem, non ad coacervaodas ipsis possessiones tam vastè fusas, & enormes, ut Parochialis Ecclesia in angustias redigatur. *Privilegia ergo, quæ Religiosis domibus conferuntur, vel in eo casu accipienda sunt, in quo ita eis consulitur, quod nulli aliquid derogatur, videlicet ut ex Novalibus, quorum decimationes nulli assignatæ fuerant, privilegiorum authoritate decimas aliquibus persolvere non cogantur: vel si propter instantem temporis necessitatem eis consuli non poterit, nisi aliis derogetur, ita privilegiorum authoritas videatur esse servanda, ut eorum subveniantur inopiæ, non ut suarum divitiarum augmento, & possessionum non modica extensione porrecta, baptismales, seu Parochiales Ecclesiæ penitus destituantur. 25. q.1. 2.*

VIII. Tertio decimo tandem sæculo publicati sunt Decretalium libri; atque adeo opportunum jam hic est aliqua ex illis in rem nostram decerpi. Rusticos eos, qui agros Monasterii colerent, voluit Alexander III. *Extra. de transact. c.8.* ut Parochiæ exolverent integras decimas agrorum, & minutas animantium hortarumque decimas. *De reliquis minutis decimis, utpote nutrimentis animalium, & de fructibus hortorum.* Et de quocumque demum lucrandi genere voluit idem decimas solvi: *De proventibus molendinorum, piscariarum, fœno, & lana, de apibus, de omni fructu.* Quin & illa Gratiani superiora, *Extra. De decimis, c.5. 6. 9. 13.*, confirmavit, ubi ait decimarum immunitatem Abbatiis fuisse concessam, quando exiguo arant adhue illæ numero, & re admodum tenuit. *Nam quando Romana Ecclesia Ordini vestro privilegia de decimis dederat, ita erant raræ Abbatiæ vestri Ordinis, quod exinde nulli poterat de jure scandalum suboriri. Sed nunc in tantum augmentata sunt, & possessionibus ditata, quod multi viri Ecclesiastici de vobis apud nos querelam sæpè proponunt.* Declaratum ab eo est decimas Novalium, quæ nullius Parochiæ finibus clauderentur, ad Episcopum pertinere, cujus in arbitrio esset aut retinere eas, aut Parochiæ alicui abdicere. *Ipsas secundùm discretionem à Deo tibi datam, alii Ecclesiæ deputare, vel ad opus tuum poteris retinere.* Ubi non obscurum vestigium universalis illius juris, quo potiebatur Episcopus in universas suæ Diœcesos res Ecclesiarum. Declaratum

rursus

rursus ab eodem est decimas esse juris divini. *Cum decimæ non ab hominibus, sed ab ipso Domino sint instituta, quasi debitum exigi possunt. Ibid. c.14. 21. 22. 23.*

A' Clemente III. definitum est, si unius agri anno uno & eodem plures essent proventus, plures & decimas exolvi debere. A' Cælestino III. confirmatum est, omnium prorsus lucri rerum solvendas esse decimas, & quidem antequam expensæ deducantur. *Revera sicut Sancti Patres in suis tradiderunt scripturis, de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, de ipsa etiam militia, de venatione, de molendinis ad ventum, & de omnibus bonis decima sunt Ministris Ecclesia tribuenda, &c. Antequam ullas deducatis expensas.* Idem firmavit & Innocentius III. jure divino niti decimas. *Decima à divina constitutione debentur. Ibid. c.25. 26. 28. 33. 34.* Id quoque ab eo significatum est, solvi eas debere, non deductis sementis expensis; solvi debere, non ex pretio venditionis terrarum, domorum, gregum, sed ex lucro ex his emergente. Solvi debere non deductis vectigalibus publicis, aut ex ipsis vectigalibus decimas detrahendas, quod eo se Deus coli voluerit honore, ut rerum omnium summum Dominum. *Cum in signum universalis domini, quasi quodam titulo speciali, sibi Dominus decimas reservaverit.* Ab eo denique Pontifice in Concilio Lateranensi IV. Cistercienses Monachos & quoscumque alios privilegiatos declaratum est, decimas exoluturos omnium agrorum, quos in posterum comparaturi essent, si decimis illi antè obnoxii essent, quamvis eos suis ipsi manibus excolerent.

IX. Ut apertius autem fiat, hunc Pontificem, ubi Majorum suorum vestigia legens, curæ habebat, decimæ Clero ut quam religiosissimè penderentur, Creatoris potiùs omnium Dei cultui consuluisse, & æternæ omnium saluti, quàm temporali Cleri compendio, paulò attentiùs perpendenda est illa ejusdem alibi regula oppidò pulcherrima, ubi agebatur de ratione & modo implendi, quæ quis Deo vota nuncupasset. Monet enim Pontifex Episcopos, cum ab ipsa origine sua arbitraria fuerint hæc vota, minùs austerè cum eis agendum, quorum est muneris ea implere. *Quoniam cum hujusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benignius sunt à viris Ecclesiasticis exigenda, ne tanquam exactores videantur lucris temporalibus inhiare. Extra. De censibus c.18.* Eadem indulgentia in decimis uteretur sanè Ecclesia, si liberæ aliquando illæ fuissent originis & observationis. At cum divini sint juris, nihil remittebatur, cum totum cessurum esset dispendio animarum.

X. In Concilio Lateranensi IV., *Can.53. 54. 55.* anno 1215. Innocentius III. hæc libravit decreta omnia: solvendas esse decimas, etsi eis locarentur, qui non solvere insuevissent. Solvendas esse non detractis exactionibus publicis; quantiscumque munitos privilegiis Monachos, ex comparatis posthac agris persoluturos, si ex illis antè solebant persolvi. Ad Arelatense Capitulum rescripsit Gregorius IX., *Extra. De privil. c.33.*, immunes esse Monachos decimarum ex iis agris, quos primi excoluissent. A' Concilio Tolosano anno 1229. declaratum est solvi debere decimas & primitias ex fundis & proventibus, non deductis expensis, nec contrà præscribi posse. *Universi etiam de bonis & proventibus suis, non deductis expensis, Ecclesiis integrè decimas & primitias solvere teneantur, præscriptione vel consuetudine aliqua non obstante. Can.19.* Idem habent Constitutiones B. Edmundi, *Cap.40.*, anno 1256. In Synodo Vorcestrensi anno 1240. plura de decimis constituta sunt, ex quibus liquet solvi eas solitas fuisse ex negotio, ex artificio, ex gregibus, lanis, & fœnis: & pro fœnis, fuisse Parochias, quibus loco decimarum assignata essent prata, quod non improbat Synodus, dum non dispar esset pretium. Constitutiones Archiepiscopi Eboracensis anno 1250. easdem exhibent rerum omnium decimas. *Cap.43. 44. 45. 46.*

In Concilio Burdegalensi anni 1255. plurimi de decimis editi sunt Canones, *Can.13. & seqq.*, in eos potissimùm, qui solvere recusabant, vel in Laicos, qui etiam eas usurpabant. Unum hic promo Canonem de primitiis, quæ hic ad eum ferè modum desiguntur, qui suprà ex Hieronymo animadversus est, nempe ad partem tricesimam, quadragesimam, vel quinquagesimam. *De primitiis verò statuimus, ut laici per censuram Ecclesiasticam compellantur ad tricesimam, vel quadragesimam partem, usque ad quinquagesimam nomine primitia persolvendam.* Concilium Campiniacense anno 1260. hæc statuta maxima ex parte innovavit, & illud potissimum quod nos effugerat, quod jubetur, ut decimæ Novalium Parocho persolvantur, quanquam aliæ decimæ ad alios spectent, Clericos, Laicosve. *Omninò prohibemus, ne quisquam de cætero Clericus aut laicus occasione veteris decima novalia recipiat. Sed ea Parochialibus Ecclesiis, in quibus Novalia excreverunt, liberè possidenda permittat. Can.21.* Quod jam in Concilio Burdigalensi decretum fuerat. In Synodo Nemausensi anni 1284. observare est, decimas exolutas fuisse omnibus ex speciebus suprà perstrictis; persolutas fuisse & primitias, quas hæc Synodus ad tritici & vini sexagesimam partem redigit, intacta & illibata eorum locorum consuetudine, ubi convenisset de certa quadam tritici & vini quantitate loco primitiarum annuarum. Synodus Excestrensis, *Can.53.*, prolixè & ipsa in eodem argumento versata est, convenienter Conciliis Angliæ. Sed omnium prolixissimæ sunt Constitutiones Provinciales Archiepiscopi Cantuariensis anno 1300. Quæ congesbavimus hactenus omnia, illa in eas congesta sunt, & illud præterea memorandum de mercatoribus, artificibus, opificibusque, qui & ipsi laboris, industriæ, lucrique sui decimas Deo per Ecclesiam dicare ac consecrare jubentur; *Statuimus etiam quod decima solvantur de artificibus & de lucro negotiationis, per mercatores, & quoscumque alios; & similiter de carpentariis, fabris, mercatoribus, sutoribus, &c.*

XI. In Concilio Vaurensi *Can.75.* anno 1368. statutum est, ut Monachi, qui decimas perciperent, partem earum aliquam refunderent in Parochos, quibus non ea esset rei copia, qua possent & se ipsos sustentare, & muneri suo satisfacere, ac jura Episcopalia persolvere. Nec illud prætermissum, istiusmodi judicia fori esse Ecclesiastici. In Synodo Lingonensi anni 1404. decimæ aliæ declarantur esse personales, alię agrestes, alię denique mixtę. Personales sunt *ex quocumque artificio, ex quocumque negotio, seu negotiatione, ex scientia & militia; ex venatione & similibus. Bochel decreta Eccles. Gal. p.967.* Agrestes sunt tritici, vini, oleorum, frugum, ortorum, fœni, locationis domorum, furnorum, balneorum, tinctuarium, lapicidinarum & fodinarum: Mixtæ sunt animantium, agnorum, vitulorum, equorum, caprarum, apum, pullorum Gallinaceorum, &c.

Missa lubens alia facio Concilia complura, quibus superioribus decretis novus subinde vigor additus est; ut pergam ad Concilium Generale Constantiense anno 1415. ubi *Sess.8.* præ cæteris aliis, & hic Viclefi damnatus est error, decimas non aliud quàm meras esse eleemosynas, liberasque, quas posset populus Pastoribus subtrahere, quorum professionis sanctimoniæ mores non consentirent. *Decima sunt pura eleemosyna, & Parochiani possunt propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum auferre eas.* Ex antedictis dilucidè &, spero, in-

victissimè pstefactum est, ita Ecclesiæ semper fuisse persuasissimum, decimas divini juris esse; & nullis non Orbis Nationibus omnibus retro sæculis certissimum fuisse eos, qui ad aras pro salute Reipublicæ sacras agunt excubias Reipublicæ sumptibus alendos esse: id legem insitam, id naturam hominis ipsam vociferari. Ideo & Concilium Moguntinum anni 1549. lege divina decimas præcipit exolvi.

Verùm eo ipso in Concilio Moguntino, *Can.*75., illud observatum est, quod necdum à nobis usquam deprehendi potuerat, decimas personales iis tantùm locis exigendas esse, in quibus earum solvendarum perpetua est consuetudo. *Cum autem Domino testaate, mercinarius dignus sit meccede sua, statuimus & decernimus, ut decima, quæ jure debentur divino, tam majores, quàm minoees, sine fraude aut diminutione solvantur: etiam personales, quibus ea solvendi consuetudo est.* Inde insesses quoad decimas personales, aut non eas ubique terrarum usu receptas fuisse; aut oblivione nonnullis in locis obrutas fuisse aliquandiu ante hoc Concilium, quod multò probabilius est, cum hoc demum Concilium ea primùm utatur exceptione. Concilii Tridentini Patres unum id præcepere, sedulo solvi decimas. *Cum solutio decimarum debita sit Deo, Sess.*24. *c.*12., nec ad id, ubi opus erit, abstineri excommunicationem telis. Prætereo & Concilia complura alia, Narbonense anni 1151. *Cap.* 63. Cameracense anni 1565. *Cap.*26. Turonense anni 1583. *Cap.*16. Tolosanum anni 1590. *Cap.*4.

XII. Ex prolixa hac Statutorum Synodalium enumeratione circa decimas & primitias, ratione temporum serieque servata, facilè poterit lucis aliquid affundi ei parte disciplinæ sacræ, & historiæ. Ingens planè non paucis in rebus elucescit consensio. 1. Omnibus indiscriminatim Regnis ac Provinciis viguisse legem solvendarum decimarum. 2. Et quidem jure divino fultam legem. 3. Et contra quam prçscribi non possit. 4. Fulmina excommunicationum merito & jure vibrari, ne tam religioso quisquam desit officio. 5. Justas fuisse causas dispensandi de ea lege cum Congregationibus quibusdam Monasticis.

Sed & dissensiones non paucç ac vicissitudines observari potuere, quç paci tamen & unitati Ecclesiarum nihil obstreperent. 1. Non omnes Monastici Ordines iisdem exemptionibus decorati sunt, quia non omnes æquè se stricta distrinxerant paupertate. A' pauperibus enim verecundiùs exigebantur, quod non nisi ad pauperum exigebatur levamen. 2. Ubi Congregationes illæ exemptæ opibus crevere, decrevere & exemptionibus & privilegiis, uni antè paupertati indultis. 3. Decimarum quàm primitiarum lex austerior & consuetudo altiùs infixa, & effusa latius. Non facilè evinci poterit omnium semper rerum aut speciarum decimas solvi jussas, aut verò solutas fuisse, maximè personales.

Quin & intervenere nonnunquam Magistratus Civiles, ne qua nova inveheretur exactio decimarum, prçter receptissimam consuetudinem. A' Rege Franciæ Philippo IV. declaratum est anno 1303. petitorium & possessorium de decimis fori esse Ecclesiastici. Et cum id tam multis consentiat superiùs laudatis Conciliis, rescripsit tamen idem ipse Rex ad Episcopum Santanensem, ut vetaret ne ab ipso, vel cujus jussu à quovis alio exigeretur decima rerum, quarum nulla unquam persolutas fuisset. *Contra consuetudinem diutiùs observatam decimam exigitis de rebus de quibus præstari non consuevit; in grave scandalum Provinciæ. Macca De Concord. L.*4. *c.*10. Intererat Regis, & ejus tum erat juris, tum potestatis, ut innovationibus iis intercederet, quibus regni pax concuti posset, & Ecclesiæ.

XIII. Præstantissimè enim à Beatissimo Thoma animadversum est, quanquam jure divino constitutæ sint decimæ & primitiæ, & Ipsa Cbristi institutione, nihilo tamen minus Ecclesiæ sapientiæ & providentiæ permissum fuisse, ut ipsa de qualitate, de quantitate earum, & de personis diffiniret. *Pertinet ad jus naturale, ut homo ex rebus sibi à Deo datis aliquid exhibeat ad ejus honorem. Sed quod talibus personis exhibeatur, aut de primis fructibus, aut in tali quantitate, hoc quidem fuit in veteri lege jure divino determinatum; in lege autem nova definitur per determinationem Ecclesiæ, ex qua homines obligantur, ut primitias solvant secundùm consuetudinem patriæ, & indigentiam ministroeum Dei.* Hæc ille de primitiis, quas tamen addit ad sexagesimam saltem partem consurgere debere; ut summum ad quadragesimam ex B. Hieronymo; in ea re verò cujusque Ecclesiæ consuetudini serviendum esse. *Unde videtur quod inter hos terminos sint primitiæ offerendæ secundùm consuetudinem patriç.* 2. 2. *q.*86. *art.*4.

Vide jam ut de decimis philosophetur in eundem modum, & jure eas divino sancitas esse, & Ecclesiæ tamen, immo & particularium Ecclesiarum moderationi atque arbitrio permissum, ut & quantitatem earum, & alias circumstantias determinent. *Sic ergo patet, quod ad solutionem decimarum homines tenentur quidem ex jure naturali, partim etiam ex institutione Ecclesiæ. Quç tamen pensatis opportunitatibus temporum & personarum posset aliam partem determinare solvendam. Prçceptum de solutione decimarum, quantùm ad id quod erat morale, datum est in Evangelio, à Domino, ubi dicit, Matth.*10. *Dignus est operarius mercede sua. Et etiam ab Apostolo, ut patet* 1. *ad Cor.*9. *Sed determinatio certç partis est reservata ordinationi Ecclesiæ.* 2. 2. *q.*87. *art.*1.

Addit quin etiam si vetus Lex alias prætereà decimas prçscripsisset in pauperes erogandas, longè ulteriùs eluctatam esse Evangelicam legem, quç superflua in pauperes erogari præcepit; quos & Clerici vocant in quandam participationem decimarum suarum. *Tertiç decimç, quas cum pauperibus comedere debebant, in nova lege augentur, per hoc, quod Dominus non solùm decimam partem, sed etiam omnia superflua pauperibus jubet exhiberi, secundùm illud Lucç* 2. *Quod superest, date eleemosynam. Ipsç etiam decimæ, quç ministris Ecclesiç dantur, per eos debent in usus pauperum dispensari.*

Addit porro si qua sint loca, ubi exigi decimæ sine offendiculo & populari tumultuatione non possint, in culpa nec Clericos esse, qui vi abstineant: nec Laicos ipsos, si per eos non stet, quin Ecclesiæ persolvantur, quæ tam arctis juris divini & humani vinculis ei fideles pendere constringuntur. *Laudabiliter ministri Ecclesiæ decimas non requirunt, ubi sine scandalo requiri non possent propter dissuetudinem, vel propter aliquam aliam causam. Nec tamen sunt in statu damnationis, qui non solvunt in locis illis, in quibus Ecclesia non petit, nisi fortè propter obstinationem animi habentis voluntatem non solvendi, etiamsi ab eis peteretur.*

Articulo rursus proximo ab eodem additur, cum omnes in commune obligentur fideles alendis Altarium ministris, nec tamen omnibus aliqui sint agri fundique, hinc nasci jus & præceptum personalium decimarum, quod attemperari tamen necesse est cujusque usui regionis, & sacrorum Ministrorum inopiæ. *Ideo in nova lege tenentur homines ad decimas personales, secundùm consuetudinem patriæ & indigentiam Ministrorum. Quodlib.* 2. *q.*4. *art.*3.

Idem

Idem verò rursus Theologorum facilè Scholæ Princeps illud cum primis memorandum adnotat; quamvis lex decimarum à veteri Testamento ad Novum traducta sit, cum cæteris moralibus præceptis; quod inerat tamen cæremoniale nempe definitio decimæ partis, non unà traductum fuisse, sed ab Ecclesia ultro adoptatum, quæ relaxare idipsum potest, aut ex parte, aut omninò, ut in partibus Italiæ, & in Oriente, ubi nec solvitur, nec exigitur quidquam decimarum, quamvis penes Ecclesiam sit eas exigendi jus inconcussum, quod nec præscribi possit, nec alienari.

Ex Innocentio III. plus satis liquet, abolitum jam fuisse in Oriente decimarum usum. Et quod ad Italos attinet, in Epistola ad Patriarcham Latinum Constantinopolitanum data idem ipse ait; Venetos cogendos esse ad solvendas in Oriente decimas, nec insistendum esse consuetudini, quæ Venetiis viget, solvendi vel decimas omnes, vel decimam partem eorum omnium, quæ patrimonio adjicerint paulò antè, quàm animam agant. *Non obstante consuetudine, quam habitatores Venetiarum observant, ut videlicet in morte dumtaxat decimeat illa, quæ acquisierint in vita. Gesta Inn. III. p.107.* 111. Negat Pontifex eum morem Constantinopoli tolerandum, quòd Veneti, toto vitæ curriculo Constantinopoli emenso, Venetias tandem remigrare, & ibi vita migrare possent. Ubi Latini rerum potiti sunt in Oriente, suas eò decimarum consuetudines invexere.

Historiæ Hierosolymitanæ Scriptor Baldericus Dolensis Episcopus, Ramolam urbem memorat, L.4., à nostris in Infideles expugnatam fuisse, tumque electum ab iis Episcopum, cui cum nulli adhuc suppeterent reditus, decimæ incunctanter fuerint persolutæ. *Quoniam Episcopus, quibus vivere posset possessiunculas non habebat, Christiani facultatum suarum ei decimas obtulerunt, quibus vivere, & Ecclesiam reficere potuisset.*

Referuntur à Fagnano, *In l.3. Decr. Part.3.p.401.*, opiniones Canonistarum diversissimæ & aversa fronte pugnantes. Illis ipse assentitur, qui personales decimas negant juris divini, ideoque contra eas censent præscribi potuisse. Secus verò res habet de aliis decimis, potissimùm verò post Constitutionem Urbani VIII. anni 1641.

Finem faciet huic Capiti Beatus Carolus Mediolanensis Episcopus, qui constantissimè Episcopali benedictione sua impartiri recusavit incolas tractûs cujusdam Episcopatûs Brixiani: & ideo recusavit, quòd interdicto perculsi essent ab Antistite suo, cui pertinacissimè decimas persolvere abnuebant. Delegavit Carolus Episcopum ex Comitatu suo ad emolliendos ejus plebis animos; quod & ita feliciter cessit, ut solutum sit interdictum. *Giossano. L.6.c.5.*

CAPUT X. *P.4. l.3.c.2.*

De Decimis & Ecclesiis Parochialibus, quæ Monachis concessæ sunt post annum Christi millesimum.

I. Ecclesiæ Parochiales ab ipsis Pontificibus summis concessæ Regularibus.

II. Concessæ & ab Episcopis.

III. Quas eas plerasque usurpaverant laici Nobiles, iisdem Regularibus restituere maluere, consentientibus Episcopis.

IV. Quibus argumentis defendi possit hæc Monachorum & Episcoporum ratio.

V. Annotantur aliqua in Canones Conciliorum, quibus approbata illa ratio restituendi Parochiales Ecclesias & earum decimas Regularibus potius, quàm ipsi Clero.

VI. Non passi sunt Pontifices his Episcopos restitutionibus adversari, aut dissentire. Nec dissensere Episcopi, quanquam parum rationi & sacris regulis consentaneæ viderentur.

VII. Ubi assensum præstiterant Episcopi, censum annuum exigebant à singulis novis Parochis, vel certam pecuniam. Hanc pecuniæ exactionem damnavere Concilia, non Censum, etsi secus sentiat Goffridus Abbas Vindocinensis.

VIII. Ab undecimo sæculo ad duodecimum venitur. Congregationes aliquæ Monasticæ specialiter id ample-xæ & professæ sunt, Parochiales Ecclesias, & decimas nunquam attingere.

IX. Duplicis generis Ecclesias Episcopi Monasteriis donabant, alias pridem à laicis usurpatas, alias nunquam ab illis usurpatas. Si quid abnuerent Episcopi, à Romano Pontifice privilegiis eliciebantur.

I. Delibata summatim est quæstio hæc Capite superiori; cui nunc paulò copiosiùs pertractandæ incumbemus. Hinc enim jurgiorum segetes inter Clerum & Regulares. Quæ confidimus sedari ex parte magna posse, si penitius res exploretur, & intelligatur, quàm variis & quàm justis causis tanta Parochiarum & decimarum copia Regularium potestatis facta sit.

Indubitatissimum quippe est, & Romanos Pontifices, & Episcopos persæpè Parochiales Ecclesias Regularibus commendasse, ut Ecclesiis ipsis potissimum consulerent. Privilegio Apostolico munivit Leo IX. *Epist.18.* Eremum B. Petri Damiani, cujus nimirum ipse & fundator erat, & Prior. *Tibi Petre Damiane, Prior ejusdem Eremi, tuisque successoribus Eremum adjudicamus.* Concessit ut ex ea Monasterium perficeret: *Per semetipsum fieri Monasterium permittimus.* Sed ea lege, ut ne cui unquam Monasterio alteri subiiceretur, quod ea subjectione plerumque Monasteria labefactarentur. *Non enim ignoramus, quia hujusmodi suppositio, plerumque loci est absque dubietate destructio.* Quod apparet ad Eremos spectare. Cæterùm illi Prioratui Parochialem Ecclesiam Pontifex subjecit, & adglutinavit. *Sancimus etiam ut plebem Sanctæ Mariæ positam in loco, qui dicitur Vincole, præfata Eremus perpetuo jure possideat.* Concessit, ut & novos acquireret agros, sospite semper jure & incolumi honore Patronorum, qui Eremum extruxerant. *Salvo jure fidelium laicorum, qui ejusdem Eremi Patroni sunt, & eam pro animarum suarum remedio condiderunt.* Ne suspiciuncula quidem avaritiæ aut cupiditatis in Petrum Damiani cadit, ubi legitur Ecclesia Parochialis ejus Monasterio adjecta, subjectaque fuisse. Totum ergo Pontifici triboendum, Ecclesiæ magis, quàm Petro consulenti.

II. Simillimis donis Monachos prosecuti sunt & Episcopi, donatis agris amplissimis, Parochiisque, quæ eorum ambitu continebantur. De his Ecclesiis apparet exponendum esse Canonem 6. Concilii Pictaviensis anno 1078. quo ejusmodi possessio Regularibus confirmatur. *Ut Abbates, Monachi, Canonici Ecclesias, quas nunquam habuerunt, non emant, nec alio modo sibi vindicent, nisi consentiente Episcopo, in cujus fuerint Diœcesi. In illis verò, quas hactenus absque calumnia habuerunt, reditus beneficiaque obtineant. Presbyter tamen de cura animarum & de Christianitatis ministerio Episcopo respondeat.*

III. Hoc Canone proditur classis altera Parochiarum Cœnobiis concessarum, aperitur & tertia,

rarum nimirum, quas Monachi à laicis nobilibus usurpatas ab illis receperant, vel gratuitas, vel pecunia numerata. Id enim significatur his verbis: *Ecclesias non emant, nec alio modo sibi vendicent.* Diximus enim alibi cum labefactata corrueret Caroli Magni Progenies regnatrix, in illa acerbissima rerum omnium perturbatione, involatas fuisse à laicis res plerasque Ecclesiarum, adeoque & Ecclesias ipsas, maximè Parochiales. Cum veritatis autem postea & justitiæ Sol illucescere cœpisset cœcis his & sacrilegis Christi patrimonii deprædatoribus, exarsere tandem etiam illi ad abstergendum à se tantum dedecus, ad tam certum salutis suæ discrimen propulsandum, & ad sacras denique manubias manibus suis excutiendas. Sed quoniam cum regno collapsa fuerat & Ecclesiæ disciplina; Nobiles illi nescio quo Cleri fastidio, qui non ita forsan moratus tum esset, ut par erat, nec ea, qua olim sanctimonia morum splenderet, Monachis maluere, quàm Episcopis, vel Parochis eas restituere Ecclesias & decimas, quas retineri jam ulterius à se posse desperabant. Nonnulli purè & citra sordes ullas restituerunt: alii pecuniæ aliquid antè extuderunt, quàm opimam sibi prędam sinerent extorqueri. Pastoribus Ecclesiæ non ea erat tum vel authoritas, vel potestas, ut sibi potius, quod suum erat, cogerent restitui; ideo & necessariò acquievere, ut Monachis potius cederent res Ecclesiæ, quàm diutius à laicis profanarentur. Non multò post tamen subiit animum quanta ea Cleri jactura postbac foret, si plerasque omnes Parochias & decimas Monachi obtinuissent. Eo compulsi sunt Patres Concilii Pictaviensis suprà laudati, & complurium mox aliorum Conciliorum, ut constituerent, ne in posterum Monachi Ecclesias Parochiales, earumve decimas vel acciperent, vel redimerent, nisi consentiente Episcopo, qui non antè assentiretur, quàm profiterentur Monachi his Ecclesiis Parochum à se vel Vicarium præstitutum iri, quin in procurando animarum regimine Episcopo subesset.

IV. Tertia hæc ratio partarum Monachis Parochialium Ecclesiarum & decimarum, vel gratuito, vel non prorsus gratuito Nobilium dono: invidiosa hauddubio statim videbitur, & indecora, nisi hæc pauca animo recurrant, quæ magni prorsus momenti sint, ad eam infamiam eluendam. 1. Obstinatæ laicorum voluntati id imputandum esse, non Regularibus. 2. Consultissimè ac sapientissimè & Episcopos tum existimasse, & à nobis existimandum esse, gratias agendas & quidem impensius esse, quod sacra ea præda laicorum tandem manibus extorqueretur. 3. Coiere tum in plura Concilia Episcopi, & ne in mentem quidem ipsis venit, ut vel Monachos accipere, vel laicos dare Parochias & decimas prohiberent. Quin duo tantùm hæc temperamenta præscripsere, ut & Episcopi Diœcesani interveniret consensus, & Monachi solo primitivi & Principis Parochi nomine contunti, Clericum Episcopo præsentarent, à quo ille institueretur, & spiritalis regiminis ratio subinde exigeretur. 4. Optatissimum fuisset, ut & aliç bene multæ similiter Regularibus restitutæ fuissent decimæ, nec nobilibus laicis postea in feudum cessissent, unde & infeodatæ dictæ sunt. Hæc juvabit observasse in Canones istiusmodi Conciliorum.

V. Concilium Romanum anno 1078. idem definiit, quod suprà Pictaviense: *Nullus Abbas decimas & primitias sine authoritate Romani Pontificis, seu Episcopi consensu, in cujus Diœcesi habitat, detineat.* Can.8. Concilium ad Juliobonam anno 1080. paulò enucleatius rem edisseruit. Statutum est, ut *si donatur Monachis Ecclesia*, jure omni ut antè suo gauderet Parochus, tantò jam lætius, liberiusque, quod viris pietate conspicuis conjungeretur. *Quanto sanctioribus associatur hominibus.* Can.11. Sed eo vivis excedente, Monachi Presbyterum sæcularem Episcopo præsentarent, ab eo instituendum, ubi idoneum judicaret. *Quem si recipiendus est, Episcopus recipiat.* Si mallet autem Parochus his cum Monachis in Monasterio degere, curaret saltem diligentissimè, ne qua re Ecclesia deficeret. Si nollet cum Monachis vitam agere, suppeditaretur illi ab Abbate, quo commodè sustentaretur ipse, quo Ecclesiæ provideri, & Episcopo Canonica jura persolvi possent, cui quoad regimen Ecclesiæ omninò obnoxius foret Parochus. Reliqui eius Ecclesiæ omninò obnoxius foret Parochus. Reliqui ejus Ecclesiæ reditus ad fiscum Monachorum, vel Canonicorum devolverentur. *Quod si Presbyter cum Monachis vivere noluerit, tantum ei det Abbas de bonis Ecclesiæ, unde & bene vivere, & Ecclesiæ servitium convenienter valeat adimplere. Quod si Abbas facere noluerit, ab Episcopo convenienter cogatur ut faciat. Presbyter verò Episcopo suo justè sit subditus, & Episcopales reditus persolvat. Quæ verò superabundant, in usus Monasterii sui Abbas habeat. Hoc idem in Ecclesiis Canonicorum observetur.* Illud quoque animadverti velim, Parochi arbitrio & voluntati permitti, ut adjungat se Monachis, & cum illis vitam agat, vel sejunctim; in potestate fuisse Episcoporum, cogendi Monachos, ut necessaria quæque subsidia Parochis suppeditarent: denique gratanter assensos fuisse Episcopos, ut decerpto, quo Parocho & Ecclesiæ consultum esset, redituum quidquid supererat, in alimenta Regularium cederet.

VI. In Concilio porrò Melfensi anno 1089. apertissimè declaratum est, quàm non molestè ferrent Episcopi Ecclesias Parochiales earumque decimas à laicis ad Monachos transferri. Hinc enim statutum est, ut si ejusmodi laicorum concessioni refragaretur Episcopus, ad Papam recurreretur. *Quod si quis Episcopus improbitatis & avaritiæ causa consentire noluerit, Romano Pontifici nuncietur, & cum ejus licentia, quod offerendum est, offerat.* Can.5. Anno 1095. à Concilio Claromontano declaratum est, non posse nova altaria, id est, novas Parochias à Monachis obtineri, nisi illis ab Episcopo confirmarentur. *Libera redeant altaria in manus Episcoporum, nisi fuerint illis per eorum scripta vel privilegia confirmata.* Can.7. Publicata est à Gratiano, 16. *q.7. c.2.*, Epistola Urbani II. qua refertur in Claromontano hoc Concilio, cui ille præerat, statutum fuisse provida & sapientissima indulgentia, ut Canonici & Monachi Ecclesias retinerent & decimas, hactenus sibi etiam citra assensum Episcoporum concessas, in posterum ne nisi iis assentientibus ullas susciperent. Nec id obscurè Canone suprapositο insinuatur. In hoc Concilio, quod in Galliis habitum est, nequaquam ea addita est clausula, quæ in Concilio Melfensi, ut ne dissentire possent Episcopi, aut Papæ consensio flagitaretur. Ejus discriminis ratio non alia probabilior succurrit; quàm mira quædam Episcoporum Gallorum abalienatio à præpostera illa restitutionis forma, ubi res Clericorum Monachis ingerebantur. Luculentè Ivo Carnutensis descripsit, quàm jure stupendum esset, tota temporalium Ecclesiæ bonorum copia & suavitate frui, atque oblectari Monachos, rejecta in Clericos regiminis animarum sollicitudine tota & defatigatione. *Qua audacia, ô Monachi, præsumitis, seu vinum de vinea, quam non plantastis, seu lac de grege, quem non pascitis? Quo pacto ibi exigitis, ubi nihil exhibetis? Certè si ita vultis, baptizate nascentes, sepelite morientes, visitate jacentes, copulate nubentes, &c. & in medio denique Ecclesiæ aperiat os suum Monachus, cujus officium est sedere & tacere.* Epist.280.

Ve-

Vehementius nihil, aut aculeatius dici poterat ut hunc usum, ne dicam abusum, quem sola excusabat necessitas. Et tamen alibi rursus idem Ivo eidem usui ultro assentitur, ut Clerici, quorum potissimum sunt juris decimæ & oblationes, in earum participationem non penitendam socios sibi adsciscant pauperes, & hos maximè Evangelicæ abdicationis gloria circumfusos pauperes, qui rebus suis renunciarunt, ut opulentissimæ Christi se devoverent inopiæ. *Licèt enim decimæ & oblationes principaliter clericali debeantur militiæ, potest tamen Ecclesia omne, quod habet cum omnibus pauperibus habere commune. Quanto magis cum his pauperibus, qui relictis facultatibus propriis, non in angaria bajulantes Christi crucem, sequuntur pauperem Christum. Epist. 107.* Nec dissimulat tamen Ivo, quæ sibi videri soleant justæ querelarum causæ de Monachis, nimirum si decimas susciperent, non Episcoporum, sed laicorum voluntate, qui tam non possint dare, quàm nec potuerant possidere; & si reditus antiquos, seu portiones congruas Parochorum decurtarent. *Est tamen in quo Abbatibus & Præpositis Monasteriorum parcendum esse non æstimo, si ab illis, ad quos non pertinet, id est, à laicis decimas & oblationes accipiant, si inordinatè eas à quibuscumque personis acquirant, si terminos transgrediantur antiquos, id est, si stipendia Presbyterorum antiquitus instituta minorent, ac sibi usurpent.* Has literas exarabat Ivo, ad concerpendam Monachorum quorumdam zeli insaniam, qui Abbatibus jam subesse detrectabant suis, eosque ut decimarum Cleri usurpatores infamia conspergebant, exiliebant Cœnobiis, & pestilentissimos jam duces sectari, seipsos videlicet, meditabantur. Abbatibus patrocinium suum commendavit Ivo, tutoque ab eis posse demonstravit, & accipi decimas, & retineri, si hoc se modo & gyro continerent.

VII. Sed & alia non sileri exempla consensionis Episcoporum suadet jubetque historiæ fides. Cœperant Victor II. & Gregorius VII. suis in Conciliis execrari insolentissimas rerum Ecclesiæ, & Ecclesiarum ipsarum per laicos invasiones. Cum fulmina Ecclesiæ undique & excommunicationes perstreperent, bis consternati Nobiles, Cœnobia longè plurima exædificarunt, aut locupletarunt, restitutionum magis, quàm largitatum suarum monumenta, Clericis & Monachis promiscuè restituebatur. Urbanus II. & quæ sub eo coaluere Concilia, consensum Episcoporum sanxere interponi. Episcopi eò lubentius assentiebantur, quò novus quisque Parochus novum illis censum pendere cogeretur. Vendi Ecclesias decimasque, quod factitaverant laici, Pontifices & Concilia prohibuere. Cœptum est & ab Episcopis exigi aliquid pecuniæ à Monachis, uti quandam juris sui compensationem. Id author est Goffridus Vindocinensis Abbas ab Urbano II. tanquam simoniacum in Concilio Claromontano damnatum esse. *Redemptionem Ecclesiarum, quæ vulgari hoc vocabulo altaria nuncupantur, simoniacam pravitatem vocavit, & Apostolica authoritate damnavit. L. 3. Ep. 12.* Ne Urbani & Concilii Decreto obstreperent Episcopi, annuum censum ab his Ecclesiis exigere cœperunt, minorem utique eo, quem ante ab unoquoque Parocho, aut Vicario exigebant, sed annuum utique, eoque forsan graviorem. Hinc Goffridus idem Vindocinensis invidiam faciebat Episcopis, quasi simulatæ simoniæ macula aspersis, cum simoniacum peræquè sit pecuniam exigi, vel semel totam à novo quolibet Parocho, sive ab Ecclesia per annuas pensiones. *Nam si in pluribus annis nonnisi semel per Vicarios pecunia pro altaribus dabatur Episcopis, & pecuniam ipsam Apostolica authoritate probatam sit simoniacam esse: singulis annis Episcopis pro Vicariis altarium pecuniam dare, quid est aliud, quàm pro plurimorum annorum simonia per annos singulos sub nomine annui census annuam simoniam exercere? Pecunia itaque pro Ecclesiis sub palliata cupiditate extorta, quæ redemptio altarium dicitur, ab Apostolica sede damnata, sive per Vicarios rariùs, sive pro Vicariis frequentiùs sub qua licumque nomine ac occasione extorqueatur, simoniaca pravitas esse nulla ratione dubitatur. Illa tamen gravior, quæ sæpiùs agitur.*

Haud satis scio, an canonicis sanctionibus illud Goffridus confirmare posset, pensiones istas annuas simoniæ ergo vitiosas esse. Parochiales enim Ecclesias ad annua aliqua Episcopis suis jura & dona astringi, familiare & usitatissimum est: nec tritius quidquam aut vulgatius annuis illis censibus, quos Summi Pontifices ab illis exigebant Monasteriis, quæ indultis privilegiis Apostolicæ Sedis tuitioni subjiciebant. Edidit Sirmundus in Notis suis ad Goffridum Rescriptum Paschalis II. quo vetantur Episcopi quidquam exigere ab Ecclesiis illis, quæ annis triginta vel quadraginta in Monasteriorum possessione versatæ fuerant; quòd eas illis Concilium Claromontanum & Urbanus II. omninò adjudicassent. Verùm non spectat hoc totum nisi ad Ecclesias illas longa possessione præscriptas: nec de simonia ibi agitur, sed ne concutiatur jus, quod canonica præscripto firmaverit. De simonia infrà prolixè disseremus. Hic illi tantùm elucidandæ incumbimus Episcoporum consensioni, quæ necessariò interveniebat, ubi Monachis nova fiebat Ecclesiarum & decimarum accessio. At is consensus nihilo obscurior fuisset, etsi aliqua his exactionibus simoniæ nota inuri jure potuisset.

Nemo tamen dubitare jam poterit, quin à simoniæ suspicione liber & immunis fuerit is census, si non perfunctoriè expendatur Canon Concilii ejusdem Claromontani, nuperrima Parisiensi Conciliorum editione publicatus. *Con. Gener. Tom. 10. p. 580.* Ibi enim vetito semel ne quid exigatur à Parochis novis in iis Ecclesiis, quas in possessione habuerint Monachi ante triginta, aut etiam amplius annos; intactus finitur annuus census, quem exigunt Episcopi ab illis Ecclesiis, quæ à triginta etiam annis possessæ fuerint. *Salvo utique Episcoporum annuo censu, quem ex eisdem Altaribus habere soliti sunt. Can. 1.*

Eadem iterantur verba in Concilio Nemausensi anno 1096. ubi Urbanus II. Decretum Claromontanum confirmans, damnat illam certæ pecuniæ exactionem à novo quoque Parocho, aut Vicario, tanquam simoniacam, intacto & intemerato censu annuo Episcoporum. *Salvo utique Episcoporum annuo censu, quem ex eisdem Altaribus habere soliti sunt.* Complusculos jam suprà Canones laudavimus, quibus præcipitur, ut Abbates suæ præsentationis Parochos tam largis donent pensionibus, ut justa Episcoporum jura exolvere possint. Fateri ergo cogimur Goffridum Vindocinensem nimio plus indulsisse suæ causæ, nec advertere potuisse animum ad illud perspicuum discrimen, quod Canones interjiciunt exactionibus illis duabus, quas indiscriminatim ille tanquam simoniacas traducit.

In Concilio Romano anno 1099. sub eodem Urbano II. innovatæ sunt illæ rursus, toties ingeminatæ cautiones, ne quas Monachi Ecclesias, decimas, vel res ullas alias Ecclesiarum, nisi ex Episcoporum consensu acciperent. Sed & illud innovatum est, si abnueret Episcopus, requirendum Papæ assensum. *Nullus laicus decimas suas, aut Ecclesiam, aut quidquid Ecclesiastici juris est, sine consensu Episcopi, sive Romani concessione Pontificis, Monasteriis aut Canonicis offere præsumat. Quod si quis Episcopus improbitatis & avaritiæ causa consentire noluerit, Romano Pontifici nuncietur, & ejus licentia, quod offerendum est, offeratur. Can. 15.* Idem ipse Canon est ac Melfensis Synodi suprà memoratæ.

Ex-

Extrema autem illa elausula inserta non fuerat Conciliis in Gallia ab eodem Pontifice habitis, ne Galli Episcopi forsan abalienarentur, quibus se ille tamen satisfecisse arbitratus est concesso annuo illo censu. In Concilio Pictaviensi anno 1100. prohibitum rursus est vendi emique Altaria, vel Ecclesias. Monachi hîc vetiti sunt, permissi verò Canoniei Regulares officia & functiones obire Parochorum. *Cap.9. 10. 12.* Utrorumque intererat, ut sui Ordinis Parochos Episeopis præsentarent instituendos. Verùm latum ioter eos hic diserimen interpositum est.

VIII. Progrediar ad historiam & ad Concilia sæculi duodecimi, ubi monuero ab Orderico Vitali, *pag.465. 491. 528.*, intertexta esse memorabilia quædam exempla hujus Altarium venditionis; à quo & illud notatur, non Monachos tantùm, sed & Laicos Clericosque Altaria redemisse, ut sonant verba ipsa Concilii Remensis anni 1072. *Emuntur & venduntur Curæ Pastorales, scilicet Ecclesiæ Parochianæ, tam à Laicis, quàm à Clericis, insuper etiam à Monachis; quod ne amplius fiat interdictum est.* Si Cleriei & Monachi eos accipiebant Ecclesiæ fundos, ne ab aliis emerentur Laicis, qui res Ecclesiæ restituturi nuoquam essent, non est quòd eis magnopere suecenseamus. Docet idem Scriptor Administratores Xenodochiorum nihil intentatum reliquisse, ut his prædatoribus auferrent patrimonia pauperum ab iis invasa, & ubi irrita cadebant hortamenta, etiam pecuniam numerasse. *Solliciti Xenodochiorum dispensatores, Laicos ut decimas Ecclesiæ Dei redderent, admonuerunt; eisque quoquo modo auferre ardentes, ingentem pecuniam dederunt. Ibid. p.575.*

Id quoque ab eodem commemoratur, ut Robertus Molismensis Cœnobii Abbas; condito celeberrimo eo Cœnobio, B. Benedicti Regulam, strictissimamque ejus observantiam imposuerit suis Monachis, in primis opus manuum, ut eò se transigerent decimas & oblationes ne attingerent quidem, ut quæ Clericorum juris sint. *Decimas & oblationes Clericis, qui Diœcesi famulantur, relinquamus.* Cui eum Monachi respondissent, se quoque Clero consociatos & iisdem emolumentis atque privilegiis adgregatos: *Nos autem & ordine & officio Clerici sumus, & Clericale servitium summo Pontifici, qui penetravit cœlos, offerimus, Ecclesiastica igitur Beneficia jure possidemus, & communi sanctione semper tenere decernimus. Ibid. p.711.* Eos videns Robertus à sententia abduci non posse, ut qui exemplo etiam niterentur Cluniacensium, & aliorum Regulariom, secessit ab eis eum duodeeim aliis sibi conjunctissimis, quibuscum Cisterciense à fundamentis excitavit Monasterium & Institutum, ubi statim professi sunt, non deeimas se, oon Eeclesias ullas Parochiales suscepturos.

Nec multò post gravis Cluniacenses inter & Cistercienses super ea re conflagravit dissensio, suum utrisque hinc & hinc propositum, tametsi adversum, non æquum tamen tantum, & laude dignum sed & necessarium altero repudiato contendentibus. Sui ordinis defensioni strenuam navavit operam Petrus Venerabilis, Cluniacensis Abbas, adversùs querelas B. Bernardi, & vituperationem Cisterciensium: eo in primis constituto, nonnisi ex Ecclesiæ, Pontificum & Conciliorum authoritate decimas & Eeclesias à Cluniaeensibus possideri. *Nos Ecclesiæ Catholicæ authoritatem prætendimus, atque ipsius sanctionibus nos Parochiales Ecclesias, & idcirco earum primitias & decimas legitimè possidere confirmamus. L.1. Ep.28. Bibl. Clun. pag.678.* Si Levitæ enim decimis victitarent suo iure, quòd Altaris ministerio dicati, terrenis hæreditatibus renuntiassent; non dispari jure & Monachos fulciri, cum & ipsi sacro ministerio addicti sint, & terrenis omnibus nuntium remiserint. *Rectè eadem Monachis conceduntur, qui sicut illa Tribus, rerum temporalium hæreditate privati sunt, ac divinis servitiis die noctuque insistunt.* Denique in Concilio III. Toletaoo, quod refert Gratianus, 22. *q.2. c.73.*, permittuntur Episcopi Monasteria condere in Ecclesiis Parochialibus, ex eorum proventibus Monachos sustentare. Plures alias omitto ejusdem Petri Epistolas, *L.1. Ep.33. & seqq.*, de eodem argumento, ubi demonstrat prodigiosas illas, ut fama vulgarat, opes Cluniacensium, & usque adeo invidiosas, si necessariæ & inevitabiles detraherentur expensæ, à Cisterciensium paupertate ooo multùm discrepare.

Pervenimus, atque adeo altius jam penetravimus in sæculum duodecimum, in quo non minùs perspicuum est, ingentes Monasteriorum opes ex decimis Parochialibus Ecclesiis acervatas, Episcoporum consensu & dono illis affluxisse. Author est idem Petrus Cluniacensis Abbas, ab uno Genevensium Episcopo variis Cluniacensium Cœnobiis dono datas esse Ecclesias amplius sexaginta. *Sexaginta & eo amplius Ecclesiarum reditus diversis ad Cluniacum pertinentibus Monasteriis in perpetuum dedit.* In Bibliotheca ipsa Cluniacensi, *Bibl. Clun. p.1285. 1387. &c. 1403., &c.* legere est consimiles hujusmodi donationes longè plurimas, ab Episcopis factas. Simillimas etiam plures suggeret historia Sancti Martini de Campis. *pag.182. 290. 316. 328. 340. 350. 353. 395. 530.* Ibi Cœnobiis Cluniacensibus complurimas donant Episcopi Parochias & Deeimas, partim suopte ex penu, partim à Laicis eo consilio restitutas, ut Monachis cederent, quibus rem gratissimam facere vellent. Erant & quas olim laici Nobiles ex beneficio Ecclesiæ antè obtinuisseot.

IX. In Concilio Tricassino anno 1128. ubi Bernardus Claravallensis aderat, & ubi Regula concinnata est Equitum Templi, Equitibus his sanctissimæ se militiæ devoventibus concessum est, ut decimas possiderent, assensu & dono Episcoporum, quod videlicet terrena omnia abdicassent. Sed in hoe Coneilio aperta est distinctio utriusque generis decimarum, quæ ab Episcopis dabantur; quarum scilicet aliæ ex ipsius Ecclesiæ mensa decernebantur, & tunc interveniebat etiam Capituli consensus: aliæ à Laicis Episcopo fuerant restitutæ, & his dandis unius Episcopi consensus desiderabatur. *Credimus namque relictis affluentibus divitiis, vos spontaneæ paupertati esse subjectos, unde decimas vobis communi vita viventibus justè habere hoc modo demonstravimus. Si Episcopus Ecclesiæ, cui decima justè debetur, vobis charitativè eam dare voluerit, assensu communi Capituli de illis decimis, quas tunc Ecclesia possidere videtur vobis tribuere debet. Si autem laicus quilibet adhuc illam vel ex patrimonio suo damnabiliter amplectitur, & seipsum in hoc valde redarguens, vobis eandem reliquerit, ad nutum ejus, qui præest, tantùm sine consensu Capituli id agere potest. Can.66.*

In Concilio Lateranensi III. *Can.9.* sub Alexandro III. anno 1179. erimini datum est Equitibus Templariis, Hospitalaris, & aliis Regularibus, quòd donari sibi decimas non abnuerent, citra consensum Episcoporum, atque ita transilirent limites privilegiorum ab Apostolica Sede sibi concessorum. *Indulta sibi ab Apostolica Sede excedentes privilegia, contra Episcopalem authoritatem multa præsumunt, &c. Ecclesias recipiunt de manibus Laicorum.* Additum porro non tantùm, ut ne amplius nisi donante, vel eonsentieote Episeopo acciperent: sed ut restituerent, quæ non ita pridem præter anteriores jussiones accepissent. *Ecclesias sanè & decimas de manu Laicorum sine consensu Episcoporum, tam illos, quàm quoscumque alios Religiosos recipere*

re probibemus, dimissis etiam, quas contra tenorem istum moderno tempore receperunt. Confirmatus est hic Canon io Concilio Londineosi, *Can.14.*, anni 1200. ubi & ipsa eadem verba iterata sunt; itemque in Concilio Lateranensi IV. *Can.61.* sub Innocentio III. anno 1215. Et oihilo tamen minus à doctissimo & illustrissimo viro Petro de Marca observatum est, *In Can.7. Claromont.* lapsu temporis nova Regulares privilegia ab Apostolica Sede elicuisse, ut à Laicis decimas & Ecclesias accipere possent, commonito priùs, etsi non consentiente Episcopo. Quod noo multùm abludit à Canone Concilii Melfensis, superiùs laudati. Nisi quod hic io aotecessum consensus Apostolicæ Sedis dissensum irritat Episcopi, io Melfensi Canooe posterius irritabat.

CAPUT XI. *P.4. l.3. c.3.*

De Decimis infeodatis, & de Commendis Militaribus.

I. Ex quo primùm Hugo Capetius rerum potiri cæpit in Galliis, repetita sunt à laicis decima ab eis usurpata.

II. Probatur bas decimas aon illas penitus fuisse, qua sub Carolo Martello fuerant usurpata. Utramque disparitas, in utrisque par Ecclesia indulgentia.

III. Qui Pontifices, qua Concilia saculi undecimi laicis imminere cæperint, ut usurpatas redderent decimas.

IV. De eodem. Probibentur Episcopi in posterum laicis decimas dare, vel fundos Ecclesia, unde exurgebant Commenda Militares quarta bujus atatis.

V. Qui Pontifices, qua Concilia saculi duodecimi operam navariat, ut extorquerentur laicis, vel decima, quas involaverant; vel jura, qua sibi integra servaverant, in illis restituendis: vel denique pradia ipsa, feuda, & beneficia Ecclesia, quibus se uti Commendis Militaribus jactabunt.

VI. Contextio Conciliorum & Pontificum usque ad Conciliam III. Lateranense. Ipsimet persapè Episcopi decimas & pradia Ecclesia laicis in Commenda concesserunt.

VII. Animadversiones aliqua in Canonem Concilii Lateranensis III. quo videntur dimissa & donata laicis decima, qua hactenus in feudum data fuerant.

VIII. Varii gradus Ecclesia indulgentia in bac parte.

IX. Cur vebementius enixa sit Ecclesia, ut decimas, quàm ut fundos & Beneficia laicis auferret.

X. Nova rationes dubitandi de sensu Canonis Concilii Lateranensis III.

XI. Innocentium III. Marchioni Brandeburgensi decimas Ecclesia donat in Commendam militarem. Conjectura non leves, ab Innocentio potiùs III. & à Concilio Lateranensi IV. laicis dimissas & donatas decimas hactenus infeodatas.

XII. Decreta posteriorum Conciliorum usque ad Tridentinum, adversùs usurpatores decimarum.

XIII. Decreta Concilii Tridentini. Edicta Regum.

XIV. Hallucinationes varia de origine decimarum infeodatarum.

XV. Veræ origines earum, usurpatio laicorum, donum Regum, concessio Episcoporum, Ecclesia consensio tacita.

XVI. Probationes harum originum ex Fulberto, & ex Gratiano.

XVII. Ex Petro Damiani.

XVIII. In Germania Commenda Militares eadem, atque in Italia, & Gallia.

XIX. De Hispania, Anglia, & Oriente.

XX. Quo potissimum tempore fuerint ba decima usurpata.

XXI. Objectio proponitur & diluitur.

XXII. Quæ onera & officia borum feudorum, & an reverti, ac retro in fontem unde fluxerunt, agi possint.

I. CApite superiori magna saltem ex parte desudatum est à nobis, in pervestiganda decimarum & Ecclesiarum historia, quas laici usurparant, & quibus Ecclesias ex parte saltem restituerunt, sive Clero, sive Monachis eas reddere collibitum est. Isto jam nobis Capite extricanda est spinosissima & impedita quæstio de decimis, quas Infeodatas dicunt, eo nimirum insignitas oomine, quod eas Nobiles laici usque obtinuerint, obtineantque etiamnuoc, sive io feudum sibi primò ab Ecclesia datas, sive ab ipsis invasas, & longa tandem Ecclesiæ iodulgentia dimissas, ut velut in feudum datæ retinerentur. Ab Aimoino proditum est, *In vita Sancti Abbonis c.9.*, Concilium Sao-Dionysianum anno 997. consilium iniisse, laicos Monachosque compellendi, ut decimas Clero restituerent; sed à sanctissimo Abbate Abbone vehementissimè repugnatum esse: laicos verò usque adeo efferbuisse, ut contumeliis, luto, lapidibus Episcopos insectati sint: Seguino ipso graviter in capite sauciato, qui Archiepiscopus Senonensis cum esset, Concilio præerat, nec veneranda capitie sua ac grandæva ætate, factiosos tumultuantes ae facinore deterrere potuerat. In Abbonem conjecta est causa & infamia infandæ seditionis, quam ille absterfit apologia ad novos Reges Hugonem & Robertum filium transmissa.

II. Non facilè adduci possum, ut credam, quæ tunc decimæ repetebantur, easdem illas fuisse, quæ ante tempora, vel tempore ipso Caroli Martelli Nobilibus prædæ fuerant: quanquam virorum doctissimorum ea fuerit seotentia. *Marca in Can.7. Conc. Claromon.* 1. Interlapso trecentorum circiter annorum spatio, agri illi & fundi olim Ecclesiæ ab hæreditariis laicorum dignosci vix jam potuissent. 2. Ecqui potuisset cessari trecentis annis, & tum demum repeti res tam æqua? 3. Concilia Suessionense & Liptinense, Bonifacius Papæ Legatus, Zacharias ipse Papa assensi tandem erant ei rerum Ecclesiæ usurpationi post tempora Caroli Martelli. Itaque jam repeti agri illi non poterant, aut declarandum fuerat eum Ecclesiæ assensum temporarium fuisse, quandiu nimirum atrox illa urgeret oecessitas. Ostendendum fuerat eam jam evanuisse necessitatem, & nuper evanuisse, ut non antè potuerint laici de tam justa restitutione conveniri. Sed cum ducenti amplius insumpti sint anni in sacris illis spoliis vindicandis à laicorum potestate, altissimum de his omnibus utrioque silentium. Illud unum etiam sexcenties inculcatum est, decimas & Ecclesias non posse à laicis teneri. 4. Sub Imperio Caroli & Carolinæ prosapiæ authoritate Regum, ac Regum Regnique & Ecclesiæ salutem contutandam adscriptæ sunt laicis decimæ & Ecclesiæ. Ideo & in Regnum Regiorumque Officialium potestate eæ fuerunt, veluti feuda, beneficia & authoramenta, quibus devincti stipendia facerent & copias Regibus subministrarent, si quando bellicæ infremerent procellæ. Vix quidquam ejusmodi habebant decimæ & Ecclesiæ, ad quas Clero recuperandas sæculo xI. & xII. tantopere laboratum est. Io causa jam nec Reges erant ferè, nec Regum Ministri, Officiales, Milites. In culpa erant ferè Episcopi, qui iocoosideratius dederant, aut laici,

laici, qui audacius res Ecclesiæ invaserant. Unde & cum crepare cœperunt diræ in eos Ecclesiasticæ, non aliud illis perfugium fuit, quàm ut vel furtum celarent, aut illustri quapiam Cœnobii fundatione ex eo ipso clarescerent. 5. Sub Carolo Martello & Pipino Commendæ maximè Militares excitatæ fuerant in Abbatiis, at prædones, qui hic à nobis exagitantur, in Abbatias grassari non poterant, præ virium tenuitate, solas invaserant Parochiales Ecclesias cum decimis suis: denique adeo non Abbatias invaserant ullas, ut ipsis maximè Abbatiis & Cœnobiis reddere maluerint decimas & Ecclesias Parochiarum. 6. Nec Petrus Cluniacensis, nec quisquam alius causæ Monachorum Patronus in ea causa id allegavit, Monachis tum demum restiti, quæ in eos tempore Caroli Martelli usurpata fuissent; aut non aliud saltem magna ex parte restitui. 7. Novi Reges Hugo capetius & successores ejus ei forsan restitutioni minus æquo animo consensissent, si earum possessores qualescumque decimarum merere & stipendia facere in eorum exercitibus hinc obligati fuissent. Nutabunda adhuc eorum potestas non facilè his præsidiis nudari se passa esset. 8. Penes quos decimæ infeodatæ sunt etiamnunc, nullo ii tenentur ex iis vinculo in exercitu Regio militare. Ejusdem ergo generis erant & decimæ reliquæ, quæ restitutæ fuerunt. 9. Sola in Gallia ævo Martelli & posteriorum res Ecclesiæ militibus sunt transcriptæ. At Concilia Melsense & Romanum, aliaque sęculi XI. & XII. expilatas ejusmodi res Ecclesiæ in Italia & in reliquo Occidente repetiere. Nimirum latiùs patuit Regnum posterorum Caroli Martelli, quàm ipsius Martelli, nec everti potuit nisi lentius & complurium ruina regnorum. Atqui per diuturnam illam corruentis, & dissilientis Carolinæ Monarchiæ calamitatem, pulsis Parochis, in Ecclesias Parochiales & decimas impetum fecere laici ii, à quibus eas repeti cœptum est illucescente demum regno Hugonis Capetti, & revecta per eum tranquillitate.

Non injucunda, ut reor, nec infructuosa hæc erit enucleatio atque distinctio duplicis & quidem diversissimæ rerum Ecclesiæ usurpationis, cui & diversissimam adhibere studuit Ecclesia medicinam. Ut enim occupata primum fuerant à Regibus bona Ecclesiæ ad Regni incolumitatem, qua intelligebat Ecclesia contineri suam: ita nec ea nisi circumspectissimè repetita sunt, nullis usquam evibratis excommunicationum jaculis. At cum posteriores rapinæ privatorum dumtaxat licentiosæ & effræni imputarentur cupiditati, anathematum fragor sępius concrepuit, ut sacrilegis manibus patrimonium pauperum excuteretur. Quanquam nec in secunda hac rerum suarum revocatione potoerit Ecclesia non ex indulgentia etiam rem temperare: indulgentia autem duplici. 1. Non statim contrectando crudo adhuc vulnere, & quod sui præcipiti curatione ægresceret, sed mora interposita, dum remitteret mali vis, & quò tardior, eò certior curatio veniret. 2. Relaxanda prædæ totius parte, ne tota periret, ut mox aperiemus.

III. Cum tam inauspicatus fuisset ille primus in San-Dionysiano Concilio conatus, consultissimè statuerunt Episcopi, cunctatione sanandum vulnus, quod præfestina curatio exulceraret. In Concilio Bituricensi novum editum est in eandem rem decretum anno 1031. prohibitis Nobilibus, qui feudos sibi veluti quosdam pepererant ex Ecclesiis Parochialibus, ut ne Parochos tyrannica potestate opprimerent, neu illos injussu Episcoporum suo arbitratu instituerent, vel destituerent. *Ut saculares viri Ecclesiasticu Beneficiu, quod Fevos Presbyterales vocant, non habeant supra Presbyteros. Ut nullus laicus Presbyteros in suis Ecclesiis mittat, nisi in manu Episcopi sui.* Can. 21. 22. Erant ergo, *Beneficia Ecclesiastica, & Presbyterales Fevi*, sive feudi, Ecclesiæ Parochiales ab his Nobilibus usurpatæ. Inde & nomen decimarum infeodatarum, hoc est, instar feudi habitarum. *Fevus* enim & feudus ona eademque vox. In Concilio Remensi, cui Leo IX. præerat, anno 1049. vetitum est, ne laici altaria retinerent, hoc est, Ecclesias Parochiales, & ne Episcopi eas concederent. *Ne quis laicorum Ecclesiastirum ministerium, vel altaria teneret, nee Episcoporum quivis consentiret.* In Concilio Tolosano anno 1053. prohibiti sunt laici, ne Abbatias, ne Archidiaconatus, ne Parochias invaderent, hoc est, agros, fundos, reditusque horum Beneficiorum. *Nemo laicorum Abbatiam Monachorum, vel Clericorum Archidiaconatum, neque Præposituram, vel honorem Presbyterii, vel Sacrista, seu Magistri Schola, neque ullos honore ad jus prædictum pertinentes, ausit suis usibus retinere; & si fecerit excommunicationi subjaceat.* Can. 8. 11. Canone proximo jubentur Nobiles vicorum domini, ut suæ ditionis Parochos sinant, tertia frui decimarum parte, & oblationum. *Item de Ecclesiis in alodiis laicorum constituti, ut tertia pars decimarum cum primitiis & Presbytero & cæteris in potestate Presbyteri ad servitium ipsius Ecclesia sub Episcopi, vel Clericorum ditione permaneant.*

Verùm universim prohibuit Gregorius VII. ne laici, aut invaderent, aut retinerent decimas, quę juris omninò sunt Clericorum. Et initio quidem & jaculis, & jaculorum Ecclesiasticorum minis ille abstinuit. Quin & molestè tulit excommunicatos ea de causa ab Episcopo Diensi Legato suo Nobiles aliquos: cum temporum importunitas flagitaret, inducias dari, & spatium temporis, quo sese sibi redderent, & errorem suum sponte retractarent. *Innotuit nobis, quod multos milites, propterea quod decimas dimittere nolebant, excommunicando turbaverit.* Præsidio fuerant ii Nobiles Legato Pontificis, eique omni ope & studio affuerant adversùs simoniacos Parochos quosdam & concubinarios. Ea enim inciderat etiam gemina temporum calamitas, ut Clerici complurimi simonia & libidine sordidarentur. Ea quoque laici causa, vel potius causatione abutebantur, ut decimas & Ecclesias occuparent, cum eas & ipsi pretio emerent Parochi, ac libidinum sordibus contaminarent. Legatum monuit Pontifex, tempestivum, tutumque necdum esse, rigore Canonum in hos depredatores sevire. *Super his consulimus & hortamur ut nunc pro tempore canonicum rigorem vestra sapientia temperet, atque hac turbationis tempestate quadam parcendo, nonnulla dissimulando, ita studeat moderari, ut non ex severitate justitia deteriorandi occasionem sumant, sed suspenso nunc judicio, spatium recognoscendi æquitatem habentes, postmodum facilius acquiescant.* L. 9. Epist. 3. Eadem Epistola Pontifex justissimis laudibus extulit Regem Angliæ, qui laicos compulisset ad decimarum restitutionem. *Laicos decimas, quas detinebant, etiam juramento dimittere compulit.* In Concilio Romano sub eodem Pontifice proscripta est decimarum invasio, sancita restitutio, diræ tamen sacræ siluerunt. *Decimas, quas in usum pietatis concessas esse Canonica authoritas demonstrat, à laicis possideri, Apostolica authoritate prohibemus. Sive enim ab Episcopis, vel Regibus, vel quibuslibet personis eas acceperint, nisi eas Ecclesia reddiderint, sciant se sacrilegii crimen committere, & æterna damnationis periculum incurrere.* Can. 10. Posset hinc aliquid conjici in eorum opinionis suffragium, qui decimas, de quibus tota hæc tunc erat controversia, easdem volunt fuisse, atque illas, quas Carolus quondam Martellus in militem suum distribuisset. Sed simile non est veri, novam hic de inju-

ria

ria quavis post quadringentos demum annos moveri litem. Poterant plures postea Reges, & quidem nuperi ipsi, & occupasse decimas & donasse. Agitur & de iis hoc Canone, quibus Episcopi & alii quivis poterant donasse laicos.

IV. De Commendis quartæ hujus ætatis dicere abstinuimus, quanquam in secunda & tertia ætate eas non siluissemus. Ratio in aperto est, quod eas quarta hac ætate Ecclesia nec approbasse videatur, nec tolerasse, nisi dum sapientissima indulgentia, ut mox dicemus, decimas infeodatas toleravit. Non quo Episcopi non ejusmodi aliqua laicis gratificarentur, sed eas donationes illico damnabat Ecclesia & revocabat. Concilium ipsum Romanum anni 1078. aliud suggeret exemplum, præter illud de laicis, quos Episcopi decimis donatos volebant. Et illud enim in hoc quoque Concilio vetiti sunt Episcopi, ne fundos Ecclesiæ laicis in Beneficium, vel in feudum darent, sine Metropolitani & Episcoporum Provinciæ consensu, suspendendo alioqui Episcopo, & Beneficio revocando. *Ut nulli Episcopi prædia Ecclesia in Beneficium tribuant sine consensu Papa, si de sua sunt consecratione. Cateri autem sine consensu Archiepiscopi sui & fratrum suorum hoc idem non prasumant. Si autem prasumpserint ab officio suo suspendantur, & quod venditum est, vel datum Beneficiam, Ecclesia reddatur, omninò evacuata omni venditione, vel in Beneficium traditione.* Concilium Quintiliniburgense in Germania anno 1085. connivere adhuc & assentiri videbatur, his beneficiis, vel feudis decimarum, ab Episcopo laicis traditarum. *Ne laici decimas sibi vendicent in proprietatem, nec etiam in Beneficium, nisi concessione legitimorum possessorum.* Can. 5.

Rursum Urbanus II. prohibuit ne laici Ecclesias, vel decimas retinerent. *Interdictum est omnibus laicis ne amplius Altaria vel Ecclesias sibi retineant.* Decretum hoc ipsum est Claromontani Concilii, Can. 20., anno 1095. Eadem decreta anno sequenti in Concilio Rotomagensi, Can. 5. 6., promulgata sunt, multaque addita, ad evertenda residua jura ea, quæ in decimis restituendis Nobiles retinere sibi nitebantur. *Statuit Synodus, ut omnes Ecclesia ita sint saisita de rebus suis, sicut fuerunt tempore Guillelmi Regis, & eisdem consuetudinibus; & quod nullus laicus participationem habeat in tertia parte decima, vel in sepultura, vel in oblatione Altaris; nec servitium, nec aliquam exactionem inde exigat, prater eam, qua tempore Guillelmi Regis constitutu fuit. Statuit etiam, ut nullus laicus det, vel adimat Presbyterum Ecclesia sine consensu Prasulis: nec vendat, nec pecuniam inde accipiat.* Vvillelmus Nothus Angliæ Rex, ut paulò antè admonebat nos Gregorius VII. Nobiles suos omnes compulerat, ut Clero decimas redintegrarent & Ecclesias, unde & Ecclesiasticæ libertatis non frustra reparator audiebat. Cœpere Nobiles in ejuratas à se Ecclesias & decimas retinere quasdam veluti reliquias antiquæ dominationis suæ, verbi gratia, exigere tertiam saltem partem decimarum, oblationum, mortuariorum, nonnihil etiam vel obsequii, vel pecuniæ, dum Parochias darent, quarum se Patronos semper agebant. Hoc Concilio hęc damnantur omnia, etsi non dissimuletur obnoxias adhuc aliquo nomine his Patronis esse Ecclesias; sed quo, non expeditur. Quę sibi Nobiles jura retinebant, eadem ipsa erant jura Episcopalia, aut his similia, utpote partem decimarum retinere & oblationum. Cum his juribus non Parochi olim, sed Episcopi fruerentur, ubi Nobiles suis Parochos Ecclesiis reddebant, Episcopalibus eos his donandos juribus non censebant. At hoc Concilio statutum est, *Ut nullus laicus consuetudines haberet Episcopales.* Ex his autem reliquiis, quarum retinentiores erant Nobiles, non obscurè conjicitur, quàm exertè & cupidè priùs totis Ecclesiis potirentur & decimis.

Cum autem non ea diligentia & celeritate decimarum restitutio in Gallia urgeretur, atque in Anglia, statuit Urbanus II. in Concilio Nemausensi anno 1096. ut excommunicatione illaquearentur Laici, qui diutiùs cunctarentur suas Ecclesiæ decimas reddere, oblationes, sepulturas, & terras. *Laicus, qui oblationem Ecclesia, sepulturam, decimam, aut terram Sanctuarii tenuerit, ab omnium fidelium communione separetur.* Can. 6. Quod hîc vocatur *Terra Sanctuarii*, illud ipsum forsitan est Concilii Tolosani suprà *Presbyterium*. Et is si fors erat fundus terræ qui *Mansus* Presbyteralis, quemque Carolus Magnus voluerat omninò liberum & immunem constare singulis Parochis, præter decimas & oblationes. In eodem Nemausensi Concilio proximo Canone damnatur mulctatione omnium prorsus Ecclesiasticorum Beneficiorum, quisquis Ecclesiis, vel Ecclesiarum rebus tanquam hæreditariis bonis incubaverit. *Quicumque Ecclesias vel earum bona hareditaria possessione possident, tandiu Ecclesiastico careant beneficio, donec quae tenent Ecclesias dimittant.* Ex quibus liquet fuisse adhuc Ecclesiastica beneficia, quibus Laici fruerentur, hoc est, Commendas Militares, quibus hic exuuntur cessatores, & decimarum restitutionem importuniùs protrahentes. Ecclesia itaque tametsi nollet novas erigi id genus Commendas, cuperetque eas vel rarissimas, vel nullas esse; ideoque præciperet, ut ne nisi ex assensu Metropolitani & Episcoporum Comprovincialium novæ excitarentur: vetustas tamen tolerabat.

V. Præerat per Legatos Paschalis II. Concilio Pictaviensi anno 1100. ubi & renovari jussit decreta tum Concilii Claromontani ad restitutionem decimarum & Altarium, tum Nemausensis adversùs Laicos, qui participes se volebant esse oblationum & mortuariorum: *Ut nullus Laicorum de oblationibus qua offerantur, vel donantur ad Altaria, sive ad manum Presbyteri, vel quod pro sepultura fidelium devotè donatur, prasumat participare, sub excommunicatione interdicimus.* Can. 14. Hæc fortasse erant, quæ ventilabantur jura feudorum Sacerdotalium: *feudi Presbyterales*: de quibus suprà. Anno 1119. celebratum est Callisto II. Concilium Remense, cui & ille præfuit. Statim damnavit ibi Pontifex investituras quascumque Beneficiorum per Laicos. *Investituram omnium Ecclesiarum & Ecclesiasticarum possessionum per manum laicam fieri modis omnibus prohibemus.* Eo mox promulgato Decreto usque adeo Clerici Laicique, qui aderant, tumultuati sunt, ut compulsus sit Pontifex modi & temperamenti aliquid adhibere, quòd videretur eo extinguere voluisse, aut imminuere jura Laicorum, qui perdiu jam decimas vel Beneficia Ecclesiastica obtinebant. *Videbatur enim eis quod sub hoc Capitulo Dominus Papa decimas & catera Ecclesiastica Beneficia, qua antiquitus Laici tenuerant, conaretur minuere, vel auferre.* Modus autem ille Pontifici consentaneus visus est ad dispescendam tempestatem paci Ecclesiæ exitialem, ut decretum hoc suum ad Episcopatus & Abbatias arctaret. *Investituram Episcopatuum & Abbatiarum per manum laicam fieri omnimodis prohibemus.* Ei temperamento assensi sunt omnes: *Quod cum placuisset omnibus, &c.*

Fateamur ergo necesse est, quantęcumque excommunicationis, vel potius minæ excommunicationum detonuerint, nec enim nisi minas hactenus crepuisse vidimus; complures tamen decimas & Ecclesiastica Beneficia à Laicis retenta fuisse, & quidem tam ingenti numero, ut exitialis alicujus secessionis & schismatis terrore consternatus, à proposito recesserit Pontifex; magni quidem ille animi, sed cu-

cujus fortitudini invictæ sapientia & charitas moderarentur. Observa etiam in potestate Laicorum tunc fuisse non decimas tantùm, sed & beneficia Ecclesiæ, hoc est, terras & fundos: etsi nusquam appareat, quòd ea de causa census aliquid, vel obsequii militaris exolvere tenerentur: ut adnotatum jam non semel est, Commendas Militares sub Caroli Magni Imperio, & censui obnoxias fuisse, & militiæ. Prohibitum est ab eodem Callisto II. in Concilio Lateranensi I. *Can.*14. anno 1123. ne de oblationibus Altarium quidquam Laici delibarent.

VI. Cæterùm Callistus quidem quò certiùs & invictiùs investituræ Episcopatuum & Abbatiarum abolescerent, cautè & consideratissimè abstinuit ab urgendis eodem tempore decimarum & beneficiorum restitutionibus; & cessatione sua ac silentio Laicis invasoribus suffragari visus est. At mox Eugenius III. oblitteratis jam & funditus eversis investituris Episcopatuum & Cœnobiorum, exarsit ad ea, quæ pulcherrimè à Callisto incboata, & interrupta fuerant, ad exitum perducenda. Remis Concilium indixit, & proscripsit usurpationem decimarum à Laicis factam, nec vibratis tamen excommunicationum jaculis, & intacta sinens Beneficia Ecclesiastica ab iisdem Laicis usurpata. Canon ergo hic ille ipse promulgatus est, qui in Concilio Romano anni 1078. & qui suprà adscriptus fuit. Nec mirum si tam difficilis & operosa esset ejus mali curatio, quod publicè Episcopi detestabantur illi quidem, at privatim fovebant, decimis dandis & Ecclesiis permittendis arbitrio Laicorum. De ea re graviter expostulavit Alexander III. in Concilio Turonensi anni 1163. *Dum quidam fratrum & Coepiscoporum nostrorum, aliorumque Prælatorum Ecclesiæ decimas laicis & Ecclesiarum dispensationes indulgent, & in devia eos mortis impellunt, &c. Can.*3. Nec ultrà tamen rem premit Pontifex, quàm ut Laicos contestetur non posse non & grandi se obligare flagitio, & salutis incurrere discrimen, possidendis Ecclesiæ bonis: at ibidem Episcopis ipsis interminatur, gradu ejiciendos, si quas Laicis posthac decimas, oblationes, vel Ecclesias conferant. *Unde statuimus, ut si quis alicui laico in sæculo remanenti Ecclesiam, decimam, oblationemve concesserit, à suo statu succidatur.*

In Concilio Abrincatensi anni 1173. cui Pontificis duo Legati præerant, statutum est, *Can.*3. 9., ut *Laici partem oblationum in Ecclesia non percipiant*. Permissumque iis, qui hæreditarias haberent decimas in patrimonio & censu, iis ut quemcumque vellent Clericum donarent, eo extincto ad Ecclesiam redituras. *Item his, qui decimas hæreditario jure tenent, licentia sit cui voluerint, idoneo Clerico dare, eo quidem tenore, ut postea ad Ecclesiam, cui de jure competunt, revertantur.* In Concilio denique Lateranensi III. anni 1179. cui præerat Alexander III. præmonitis Laicis non posse ab eis decimas citra piaculum retineri, addita est prohibitio, ne ad alios, quàm ad Clericos transferrentur. Denique honore spoliati sunt Ecclesiasticæ sepulturæ ii, qui à Laicis decimas acciperent, nec statim Ecclesiæ restituerent. *Prohibemus etiam ne laici decimas cum animarum suarum periculo detinentes, in alios laicos possint aliquo modo transferre. Si quis verò receperit, & Ecclesiæ non reddiderit, Christiana sepultura privetur. Can.*14.

VII. Ea pene omnium animos occupavit opinio, à Concilio Lateranensi III. toleratas saltem fuisse decimas, quas Laici obtinerent, vel hactenus obtinuissent, ut jam de iis controversia illis fieri non posset, dum ne novas ullas aut invaderent ipsi, aut ab Episcopis acciperent. Vereor tamen ut satis certa sit hæc decimarum infeodatarum Epocha. Vulgò ita sibi persuadent, legitimè eas possideri, si ante Concilium hocce Lateranense III. possideri cœpissent, nequaquam verò si posteriùs. Ei sententiæ sunt quæ contrà objici possint. Nam ejus Concilii & verba & sententiæ à superioribus Conciliis nec transversum unguem deflectunt, exertèque vociferantur, apertum salutis æternæ discrimen adiri, si Laici decimas retineant. *Laici decimas cum animarum suarum periculo detinentes.* Non conceditur, ut antiquas tutò retineant dum novas ne accumulent: nec in Canone, nec in Concilio hoc verbum est ullum, quo id significetur, aut vel levissimè innuatur. Vetat tantùm Synodus, si decimas dimittant, ne aliis dimittant Laicis; sinens imitatione utique Concilii Abrincatensis, ut Clericum quemvis iis investiant decimis, post ejus obitum, ad Ecclesiam revolvendis. Itaque si non perfunctoriè ponderentur hujus Concilii verba, nihil ab eo novatum comperietur; nulla nova in usum invecta indulgentia.

Idque rursum perspicuum fiet ex ejusdem Alexandri III. Epistola ad Præpositum & Decanum Ecclesiæ Remensis, quibus delegat causam Clerici, in quam pater transfuderat decimas à Majoribus susceptas, quo obtunderentur stimuli, qui conscientiam cruentabant. *Cum pater suus quasdam decimas, quas jure hæreditario possidebat, volens peccati maculam evitare, sibi in eleemosynam dedisset.* Jubet Pontifex eas à Clerico possideri decimas, in censum Ecclesiæ eo vivere desinente revocandas, quanquam non dissimulet eas à patre citra gravem culpam teneri non potuisse: *volens peccati maculam evitare:* nec jure in filium transferri: *licèt pater suus eas de jure sibi dare non potuisset:* nec concessum fuisse Laicis decimas, quas retinerent, Clericis addicere, nisi ut ne eas in alios Laicos transferrent. *Quia tamen tutius, ut idem Clericus ipsas habeat, quàm ut ad laicum devolvantur. Append.* 1. *Ep.*42. Quibus ita constitutis, jam non facilè videtur eum Pontificem adduci potuisse, ut sineret sacras decimas in Laicorum patrimonio perpetuari, dummodo eas ante Concilium Lateranense III. obtinere cœpissent.

VIII. Nec inficiari tamen possumus, quin Pontifices & Concilia humanissimè & indulgentissimè se habuerint in hos Laicos, & quin ea indulgentia in dies singulos augesceret, unde & ea emersit tandem opinio, relaxatas esse Laicis veteres decimas, dum à novis se continerent. Nam cum cœpissent Gregorii VII. Legati jaculari excommunicationes, eas ipse revocari sanxit. Interminatus est Urbanus II. eadem tela, nunquam jaculatus. Deinceps diligentissimè commonefacti sunt Laici, eo facto suo & furtum, & sacrilegium, & damnabile facinus contineri; excommunicationis ne minæ quidem intentatæ. Callistus II. in Concilio Remensi ultra progressus, revocavit ipse semet; & rem ita temperavit, ut decimarum usurpatores ne attingeret quidem, ne cui graviori periculo & schismati Ecclesiam committeret. Denique indultum est, ut decimas istas qui obtinebant, cui vellent Clerico resignarent, post ejus mortem Ecclesiæ restituendas. Hi sunt certè dispensationum gradus varii, quibus se Ecclesia astrinxit, nusquam tamen non professa sine piaculari crimine decimas à Laicis non retineri.

IX. Fateor his extremis prohibitionibus, quas protulimus, Pontificum & Conciliorum, decimarum dumtaxat mentionem fieri, non Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ priora decreta peræquè prohibebant à Laicis possideri. Ea potest subesse causa, quòd sanctior sit & sacratior decimarum natura, spiritalior, Ecclesiasticæ sanctimoniæ affinior, à Laicis alienior, addictior Clero; quàm terræ & fundi, quibus etiam constat patrimonium Christi.

Pos-

Posset & aliquis suspicari beneficiis innexa fuisse aliqua munia & obsequia, Ecclesiæ, vel Regoo exhibenda. Ita forsan id Regibus donatum est, quorum intererat, Commendas militares non prorsus extingui. Non facilè quidem hactenus deprehendi potuit io Conciliis, Ecqua militia his Beneficiariis laicis defungeoda incumberet. Sed fidem faciet Beroardus, *L.9. Epist.377.*, ad Archiepiscopum Senonensem; quem orat, ut Laico permittat Beneficium suum Ecclesiasticum Monachis S. Benedicti resignare. *Cum Laici Ecclesias, sive Ecclesiastica Beneficia, quæ illicitè tenent, relinquere volunt, unum bonum est, &c.* Præsulem monet, multò expeditius ipsi fore, ut hoc Beneficium obtineant Monachi, precibus suis faciles illi aditus ad regnun cœlesti paraturi, quàm miles, Regiis exercitibus inscriptus. *Quemnam, quæso, de illa Ecclesia libentius elegistis vobis heredem successorem? Qui inde deserviat exercitibus Regis; an intercessorem pro peccatis vestris?* Probabile cum primis est militiam hanc Ecclesiastico illi Beneficio innexam fuisse.

X. Sed retorquenda jam oratio est ad decimas iofeodatas, & illud explorandum est scrupulosiùs, quid de iis senserint, quid dixerint Scriptores Ecclesiastici post Concilium III. Lateraoense. Odo de Soliaco Parisiensis Ecclesiæ iofulis decoratus anno 1196. annis scilicet circiter viginti post Concilium Lateranense, de iis verba facit in Constitutionibus suis Synodalibus, sed eorum sensu quo ante illud Concilium, probibitionibus & temperamentis prorsus iisdem, quibus & nos suprà. *Nullus Clericus vel Regularis accipiat decimam de manu laici, nisi per manum Episcopi. Synod. Pari. pag.13.* Hæc est prima prohibitio. Atqui si antiquiores decimæ jam ab Ecclesia relaxatæ Laicis erant, & condonatæ, eorum jam potestatis erat, ut eas vel Laicis darent, vel Clericis, vel Monachis, etiam inconsulto Episcopo. Jubet idem Odo, Laicis id ut frequenter insusurretur, non posse ab eis decimas retineri, nisi gravi salutis dispeodio. *Frequenter moneantur Laici, ut non detineant decimas, quas in periculum animarum suarum detineant. Ibid. pag.14.* Cum denique Laici harum decimarum possessores, eas interdum legarent illis ex plore sua qui Clerici essent; monet hos Clericos Odo, non posse ab eis hæreditarias retineri res Ecclesiæ: sed posse Episcopum concedere, ut fructus percipiant, dum seriò operam dent, quò res Ecclesiæ illi restituantur. *Nullus sibi Clericus potest retinere decimas jure hereditario possessas, sed authoritate Episcopi fructus possunt Clerici percipere: ita tamen quod semper laborent ad hoc, quod ad Ecclesiam revertantur.*

XI. Assensus est Innocentius III. Marchioni Brandeburgensi, Congregationem Canonicorum in ea regione excitare meditanti, quam ipse & Majores ejus subegerant, expugnatis ejectisque Gentilibus eorum fioium: ea certè lege, ut decimarum tertiæ duæ Marchioni adjudicarentur ad Ecclesiæ fabricam, & ad sustentationem militiæ ibi pernecessariæ ad propulsandos Ethnicos, subinde incursantes. *Ita quod duæ partes decimarum ejusdem terræ ad Marchionem & heredes ipsius pro Ecclesia fabrica, quam ipsi debent propriis sumptibus reparare, nec non etiam pro stipendiis militum devolvantur, sine quibus terra memorata non posset contra Sclavorum impetum gubernari fidem Catholicam impugnantium. Innoc. III. Regest.13. Epist.21.* Habes hìc utique decimas infedeotas, vel potiùs duas tertias decimarum unius Ecclesiæ, in Commendam militarem condonatas ad tuitionem Ecclesiæ ipsius, ex consensione Sedis Apostolicæ. Sed illud præ cæteris ponderandum est, Marchiones Brandeburgenses regionem omnem illam perdomitis Barbaris sibi subjecisse, & solos potiri potuisse fructu victoriæ suæ. *Si constiterit terram illam esse solitariam, aut desertam, maximè quod non sit in memoria hominum illam fuisse per Christicolas habitatam, sed Paganos habitatores inde fuisse depulsos, &c.* Suppetit & hæc alia ex eodem Epistola, *Regest.16. Epist.9.*, quæ plusculum faciat ad rem nostram. Ab eo Pontifice veniam sibi fieri flagitaverat Capitulum Suessionense redimendarum à Nobilibus laicis decimarum infeodatarum: *Decimæ quæ in feudum à Laicis detinentur.* Annuit Pontifex, ea cautione, ut milites ii eadem obsequia semper Ecclesiæ præstarent, cum futurum esset, ut & semper gauderent, sin minùs decimis, certè pretio decimarum; nisi eas illi tam vili pretio addixissent, ut omni obsequio reliquo absolvendi essent. *Proviso, ut consueta servitia ad quæ laici pro decimis illis Ecclesiis tenebantur, etiam post contractum talis venditionis impendant: cum ad eos pretium perveniat earundem. Nisi fortè tam modico pretio velint esse contenti, quod ob hoc Ecclesia ab exatione servitiorum illorum, tanquam pro redemptione majoris incommodi, commodè valeant abstinere.*

Ubi pauca hæc advertere fas est. 1. Non ait Pontifex Laicos hos tam vendere non potuisse; quàm nec possidere antè potuerant has decimas; unde nec posse ab illis earum pretium retineri, quam tamen loquendi ratiooem secuti fuerant superiores Pontifices. 2. Aliquo obsequio his Ecclesiis obligabantur hi Nobiles, decimarum incubatores, sive ut tuitioni earum incumberent, sive ut sartas tectasque prestarent. Ita Ecclesia tanquam legitimo subscribebat eorum juri, hanc veluti remunerationem pro concessis decimis accipiens. 3. Eadem venditis decimis Nobiles illi præstabant obsequia, si justo eas pretio vendidissent. Itaque decimis, vel decimarum pretio respondebat modus obsequii præstandi: quo rursuio declaratur æqua & justa possessio. Videri ergo potest Innocentius potiùs III. Papa decimarum usurpatoribus antiquis indulgentiam eam accomodasse, ut ne eos, eorumve bæredes ad restituendum urgeret, admoneretque subinde non posse ab iis decimas retineri, citra salutis discrimen; quod prædecessores ejus semper inculcaverant. Et sanè cum Lateranense Concilium IV. congregasset Innocentius anno 1215. promulgassetque in eo Canones complurimos, 32. 53. 54. 55. 56., quorum etiam nonnulli ad decimas spectarent, & sinuosos anfractus Laicorum, ut iis Ecclesias fraudarent: de decimis usurpatis à Laicis & earum restitutione nec verbum fecit ullum; quanquam ab annis amplius centum majores omnes Synodi ad eam corruptelam abstergendam vehementer exarserant, & ipsum quoque Lateraoense III. sub Alexandro III. Innocentio igitur III. & Concilio Lateranensi IV. illud potiùs imputandum, quòd silentio saltem suo & tolerantia decimis infeodatis faverint. Et idem enim rursum Innocentius decretali quadam sua diffinit, decimas Novalium nihil attinere ad Laicum nobilem, qui antiquas decimas io feudum tenet. *Nec occasione decimationis antiquæ, licèt in feudum decimæ sint concessæ, sunt decimæ Novalium usurpandæ, cum in talibus non sit extendenda licentia, sed potius restringenda. Extra. De Decimis. c.25.* In alia rursus Decretali de iisdem decimis in feudum datis. *Hoc de illis decimis intelligimus, quæ laicis in feudum perpetuò sunt concessæ. Extra. De iis quæ fiunt à Prælat. sine consil. Capi. c.7.*

Cum videam ab Innocentio dici, non tantùm detineri à Laicis decimas in feudum: *decimæ in feudum à laicis detinentur*: sed etiam in feudum illis esse datas, *in feudum sunt concessæ*: & antè ab eo dictum esse, militaria aliqua, vel qualiacumque demum obsequia Ecclesiis debere hos Nobiles deci-

marum possessores, non prorsus dissonantia à modo ipso decimarum & pretio: probabilis ea in primis conjectura mihi videtur esse, abjecta jam spe extorquendarum bis Nobilibus decimarum, consultius tandem visum esse eas illis in feudum dimitti retinendas, atque obsequia diffiniri, quæ ab illis Ecclesiæ præstarentur, ad modum & quantitatem ipsarum decimarum admensa. Quî potuisset enim alioqui Innocentius ea sapientia & constantia Pontifex, tantopere à Majoribus suis discedere? His adde quod prælibavimus de Marchione Brandeburgensi, cui idem Innocentius duas addixit partes decimarum tertias, jusso reparationum & defensionis, ac militiæ ad id necessariæ expensas facere.

Nec his adversatur Decretum Gregorii IX. In Parisiensi fœdere anni 1218. inter B. Ludovicum Regem & Comitem Raimundum Tolosanum inito, spopondit Comes daturum se operam, ut Laici decimas Ecclesiæ restituerent. *Quod milites & alii laici non habeant decimas, nec permittens eos habere, sed ad Ecclesias integrè revertantur, juxta dispositionem Legati, vel Ecclesia Romana. Ibid. c.35.* Apparet de novis usurpationibus dictum hoc esse. Si malis de antiquis, hinc aliud rursus argumentum ad interpretandum Concilium Lateranense III. conveniente nostræ rationi. In Concilio Viennensi anni 1267. simpliciter prohibitum est, ne laici decimas usurparent, maximè Novalium. *Nec liceat alicui laico, nobili, vel ignobili, decimas, maximè de minutis & novalibus usurpare. Can.7.*

Nec tamen dissimulabimus non temerè factum esse, ut Concilio Lateranensi III. potissimùm adscriberetur relaxatio, & legitima deinceps possessio decimarum infeodatarum. Quanquam enim eo Concilio disertè non approbentur, immo & improbentur; tantulo tamen intervallo distat Pontificatus Alexandri III. & Innocentii III. ut deviatum magnopere non sit, quando quod unius erat, alteri tributum est. Aliunde verò cum ab Alexandro IV. declaratum sit, decimas ante Concilium Lateranense infeodatas, posse à Laicis consentiente Episcopo Monachis reddi: hinc adduci potuere, ut Concilio Lateranensi III. Epocham affigerent decimarum infeodatarum. *Illas autem decimas intelligimus posse taliter à Religiosis de manibus laicorum recipi, vel acquiri, qua ante Lateranense Concilium ipsis laicis in feudum perpetuò fuerant concessa. C. Statuto. De Decimis, In Sexto.* Sedebat hic Pontifex in solio Petri eodem sæculo medio, quo ineunte sederat Innocentius III. cujus ideo consilia non poterat nescire; ex quo conjicitur Innocentium quoque decimas tolerari voluisse ante Lateranense III. Concilium infeodatas. Adverte & eadem ab utroque hoc Pontifice usurpari verba; *Decima, qua laicis in feudum perpetuò sunt concessa.* Itaque non injuria conjicitur perpetuam ejusmodi concessionem in feudum ab Innocentio III. factam esse.

Si à recentissima denique sententia abduci non potes, & omninò Lateranensi III. Concilio & Alexandro III. eam laudem vendicas, ut hactenus infeoditas decimas tolerarint, posteriores irrevocabili damnatione proscripserint: nihil abnuo, suggero tantùm, elicitum id probabiliter esse ex eo Canone ejus Concilii, quo unum id prohibetur, ne laici decimas, quas non sine periculo retinent, in alios transferant laicos. *Ne possint in alios laicos aliquo modo transferre.* Inde conclusum est, concessum igitur esse ut eas retinerent, dum ne iis alios laicos donarent, sed post eorum mortem sine herede ad Ecclesiam illæ refunderentur. Plausibilis esset ea conclusio, nisi ibidem statim adjicerentur hæc verba: *decimas cum animarum suarum periculo detinentes.* Et nisi probabile esset, ubi hic vetantur decimas infeodatas *in alios laicos aliquo modo transferre*, eorum filios & hæredes ibi comprehendi, nisi Clerici sint. Nam filii & hæredes utique his verbis continentur, *alios laicos aliquo modo*: & ea prohibitio manifestè revolvitur in eundem sensum cum Canone Abrincatensi superiùs relato anni 1172. sub eodem Alexandro III. quo permittebantur possessiones decimarum hæreditariarium, cui eas Clerico transcribere, quo excedente Ecclesiæ restituerentur. *Licentia sit, cui voluerit, idoneo Clerico dare, at postea ad Ecclesiam revertantur.* Hic permittitur ut Clerico, illic vetatur ne laico decimæ hæ transcribantur, utrumque eodem redit, & alterutro modo decimæ ad Ecclesiam revocabuntur.

Lubet hæc confirmare statuto Synodi Pictaviensis anno 1284. ubi referuntur, quæ præcipiebat jus Canonicum de decimis de laicos usurpatis, & exordium sumitur à Canone Concilii III. Lateranensis, quo vetantur decimæ à laicis ad alios laicos transferri. *Cum jure canonico sit prohibitum, ne laici decimas cum animarum suarum periculo detinentes, in laicos possint quoquo modo transferre. Can.4.* Additur decretum Innocentii III. quo antiquarum possessores decimarum novarum spe exuuntur: tum utrique Canoni obtemperari jubetur. Hinc liquet, jus, Concilia, & Decreta nihil amplius statuisse; ex soloque eorum silentio post Innocentium III. persuasum fuisse tuta posse conscientia antiquas retineri decimas, ubi potissimum onera illis & obsequia consentanea affixa fuere.

XII. Objici rursus potest Canon 2. Concilii Bituricensis anno 1186. quo prohibetur accipi decimas à Laicis, nisi ex consensu Episcoporum. Sed eo Canone certum est agi de omnibus indiscriminatim laicis, qui libitu suo decimas suas convehebant, non ad Parochos suos, quod jus fasque est, sed ad Monachos, aut Clericos quoslibet. Nonnulli quoque elucidamenti desiderat Synodus Bajocensis. *Can. 53. 54. Nullus laicus, vel Clericus, vel religiosa persona recipiat decimam de manu laicali, nisi per Episcopum.* Idem sensus qui præcedentis Canonis: *Nullus Clericus vel Religiosus intret possessionem decima sibi collatæ à laico, vel Ecclesia, occasione juris patronatûs sibi à laico collati, vel aliter acquisiti.* Cujus Canonis alia species est, nempè Patroni laici, qui decimas quoque Parochiæ obtinet, easque cum Patronatu ipso in alium transfert. Concilio III. Lateranensi permissum fuerat transferri decimas ad Clericos, non quò eas ipsi possiderent, sed ut permittente Episcopo fructus earum perciperent, & in ipso mortis discrimine decimas ad Ecclesiam transcriberent. Huc satis probabiliter revocanda sunt hæc statuta.

Concilium Coloniense anno 1310. jam quidem controversiam non faciebat Nobilibus laicis de antiquis decimis, quas obtinebant, vel dono Principum, vel privatorum largitate, vel quavis denique alia ratione; sed illud unum expostulabat, quod obtentu antiquarum novas etiam ambiebant decimas; quod omnino prohibetur. *Eo quod laici antiquarum decimarum occasione, quas in aliquibus Parochiis vel largitione Principum, aut donatione aliorum; seu alia de causa percipiunt, decimas novalium occupant. Can.1.* In Concilio Provinciæ Auscitensis anno 1326. *Cons. Marciosense. Canon.31. 32. 33.* extremum quendam rigorem distringi placuit in laicos, qui decimas usurpabant, interdicta videlicet eis Ecclesiastica sepultura, interdicta & eorum filiis & familiaribus eadem, sed & omni spe Beneficiorum amputata. Sed apparet de novis id capi usurpatoribus, non de iis qui ante Innocentium III. usurpassent. Nec aliter interpretabimur Concilium Coloniense anni 1536., ubi destomachantur Patres in laicos complurimos ejus ævi, à quibus decimæ Parochis unis debitæ com-

pi-

pilantur. *Porro decimas potissimam Parochis aat Ecclesiæ Ministrie debeei non dubium est. Nunc cum illa passim à laicis magna ex parte usarpeatur, neque facilè ex eoram manibae divelli possint, &c. Par. 8. c.5.* Quod de novis intellige decimarum per laicos audaciores deprædationibus, inter illas scilicet tumultuationes bellorum, quæ occasione Lutheranæ vesaniæ ubique flagrabant.

XIII. Huic humaniori Canonum interpretationi non obscurè suffragantur Tridentini Patres. Quanquam enim à vero non recedat, solo silentio decimas infeodatas ab Ecclesia toleratas esse, & sola cessatione urgendæ earum restitutionis in Conciliis suis; exceptis Episcopis iis, qui eas expressiùs Nobilibus condonabant, quædam suis Ecclesiis obsequia præstituris. Certum est tamen post Pontificatum Innocentii III. abstinuisse Concilia à repetendis iis decimis antiquis: quod & ex Tridentino confirmari potest. Quanquam enim ibi præcipiatur, ut *qui decimas impediunt, aat subtrahunt, excommunicentur*, *Sess.25. c.12.*, alibi tamen, *Sess. 23. c.18.*, de reditibus idoneis Episcopali Seminario parandis agens Synodus, jubet ut aliquid conferant laici, qui decimas Ecclesiæ obtinent. *Etiam ex decimis quacamque ratioae ad laicoe, ex qaibas subsidia Ecclesiastica solvi solent, pertinentibue.*

Æquum est porro illud animadverti ex Tridentinis Patribus, quanquam decimæ à laicis in feudum teneantur, suæ illas tamen naturæ tenacissimas esse, ideoque obnoxias esse exactionibus quibusdam Ecclesiasticis, putà ad Seminarii sustentationem. His adde Edictum Sanctissimi Regis Ludovici IX. anno 1269. quo concessit, ut qui id genus decimas ab eo obtinerent in feudum, *In feudis nostrie moventibus mediatè, vel immediatè de nobis*, eas ut Ecclesiis in perpetuum restituerent, nulla permissione alia requisita, nec obice ullo à posterioribus Regibus admovendo. Edicta missa facio & Senatusconsulta alia complurima, quibus declaratur, decimas infeodatas, ubi Ecclesiis venduntur, revocari repetique non posse, & jam tum fori Ecclesiastici eas esse, quod priori suæ institutioni & origini redditæ sint. Denique definitum est, possessores decimarum infeodatarum, ad portiones congruas Parochorum cogendos aliquid ex suo decidere. Laudatur Edictum Sancti Ludovici anno 1218. quo præcipit restitui Ecclesiæ decimas, jamdiu ei subtractas. *Decimæ, quibue fuit longo tempore Ecclesia defraudata, ordinamus, quod restitaantur citius, & ampline laici decimae non detineant, sed eas habere Clericie permittant. Memoiree du Clergè en.1675. Tom.3. pag.139. & seq. pag.141.* Constare mihi certè videtur ad ordinarias decimas id pertinere, non ad eas, quæ in feudum sint datæ. Id liquet ex comparatione alterius suprà Edicti ejusdem Regis. Refert Chassanæus à Clemente V. concessam esse Philippo Pulcro Francorum Regi, ut laici vendere & alienare possent decimas infeodatas eadem licentia, qua cæteras res suas, quod à temporibus Concilii Lateranensis III. vetitum fuerat.

XIV. His ita præstitutis, jam arduum non erit, originem indigitare earum decimarum, de quibus sermo hìc à nobis institutus est. Opiniones hic planè sunt & dissensiones inter doctos, non facilè conciliandæ, de earum origine, atque adeo & de natura, quæ non potest non & plurimum origini consentire. Volunt eas aliqui Ecclesia ipsa antiquiores, quòd Ciceroni & aliis antiquissimis Scriptoribus memoratæ sint decimæ, quas Romani in Provinciis exigebant. Alii ex adverso à temporibus tantùm Philippi Augusti Francorum Regis eas accersunt, quo maximè servebant ævo bella Latinorum sacra in Oriente. His opinatiunculis, ne umbratica quidem veri speciea ulla affingi potest. Quæ enim à nobis hactenos disputata sunt, apertè produnt ante tempora Philippi Augusti longè plurimas infeodatas fuisse decimas, immo nec tolerandas visas esse postea, nisi eas, quæ Concilio Lateranensi III. anteriores essent, quo aliquantò posterior fuit Philippus Augustus. Nec minùs eadem Conciliorum & Pontificum acies illis aversatur, qui earum originem ab ipsis usque repetunt Romanæ Reipublicæ sæculis. His enim Pontificibus & Conciliis ipsis inureretur injustæ usurpationis infamia, si Nobiles exturbare adgressi essent, illis hæreditariis bonis, quibus eorom Majores ante ipsa Christiani nominia exordia potirentur. Nec illud recentiores hi Scriptores adverterunt, de quibus Cicero agit decimis, eas fisco potius & Reipublicæ persolutas fuisse, quàm privatis; de illis altum semper in Galliis silentium fuisse; à nullo Scriptorum de Rebus Gallicis, Francicisque memoratas esse has Nobilium decimas, à decimis Cleri diversas; verùm ab eia persæpè enarratas invasiones bonorum & decimarum Ecclesiæ per Nobiles, maximè sub prioribus Carolinæ familiæ Regibus; quibus & Conciliorum post qualiscumque accesserit consensus; postremò denique contestari Pontifices ipsos & Concilia sæculi XI. XII. & XIII. paulò ante ea tempora à laicis invasas fuisse eas decimas, statim ab Ecclesia repetitas, ex parte aliqua redditas, reliquas in feudum retentas, quæ tamen Ecclesiæ rursus redintegrarentur, si contingeret eas Ecclesiæ vendi, vel Clerico legari, vel si legitimo hærede carerent, qui eas obtinuisset.

XV. Propius à verisimili abfuere alii, quibus persuasum fuit, cœptas esse eas, vel à privatis invadi, vel à Regibus donari à temporibus Caroli Martelli & posterorum ejus, non sine obsequio aliquo Ecclesiis præstando, & intacto penes eas jure postliminii. Aliis visum est à privatis occupatas fuisse, dum familia & Monarchia Carolina collabasceret, & omnia tum susdeque verti viderentur. Alii suspicati sunt, à Regibus ipsis eas tum in Officiales Regios & milites dispensatas fuisse, ad necessariam Ecclesiæ & Regi defensionem. Alii denique ita statuerunt, illis investitos fuisse laicos ab Episcopis ipsis, aut effectui privato indulgentibus, aut milites, defensoresque Ecclesiæ parantibus, ut essent militum cunei ad tuitionem Ecclesiæ parati, & ad Episcopos in Exercitum regium deducendos, cingendosque, qui tunc mos vigebat. His opinionibus nihil inest, quod eas collidat; quin immo tantò propius à vero absunt, quantò copulari omnes possunt, omnes propugnari, si modò tamen variæ decimarum infeodatarum species, variæ causæ intelligantur fuisse. Potuere enim aliquæ superfuisse ex reliquiis secundæ Regum nostrorum dynastiæ. Potuere aliæ aliæque subinde ab Episcopis concedi. Potuere & quæ priùs à laicis usurpatæ fuerant, vel à Regibus concessæ, provida postea Ecclesiæ indulgentia condonari, ut desperata tandem aliquando earum restitutione, obsequii saltem aliquid à laicis his præstaretur: & præsidio essent Ecclesiæ, qui ejus quam tutò fruerentur feudis. Ex Canonibus suprà congestis patebat, decimas nunc à Regibus, nunc ab Episcopis dari. Innocentius III. & Alexander IV. apertissimè pronunciarunt decimas aliquas in feodum perpetuum concessas esse, quod nisi ex legitima authoritate proficisci non potuerat. *In feudum perpetuò sunt concessa.*

XVI. Nec minùs perspicuè liquet ex Epistolis B. Fulberti Carnotensis Episcopi, & à mollioribus quibusdam, reique sacræ incuriosis Episcopis Parochiarum decimas laicis concessas fuisse, & à successoribus celsiore animo & puriore zelo eas repetitas esse, receptasque, quanquam non sine gravi molestiarum & persecutionum vi. Eo consilio Episcopum quendam muniebat & animabat Beatus Fulber-

bertus ipse, *Epist.10.*, nulla se ei re & ope defuturum pollicitus, affuturum denique Deum, ut & calumniæ & persecutioni invictum pectus objiceret. *Usumfructum Altarium, quem tui antecessores laicis tradiderunt, tu alendis debilibus publica voce destinare suadeo; tum nequis illis inde fraudes aliquid intermittari, & si qui in hanc fraudem irruperint, sicut fures sacrorum & occisores pauperum anathemate condemnari.* Et postea: *Ne vereaeris hominem innocentem offendere propter Deum, ut sis ea dignus, &c. Me servulum Dei non defuturum polliceor, sive ad coercendum manus persequentium, sive ad ora contradicentium obstruenda.* Fulberti prædecessores decimas laicis & ipsi annuerant, sed usufructuario tantùm jure tenendas, atque ita facillimè revocabiles. At alii postea in perpetuum dedere feudum, ut suprà ostensum.

Alia docet idem Fulbertus Epistola, *Epist.34.*, ab Archidiacono Parisiensi Lisiardo datas esse Nobilibus laicis decimas inconsulto & imprudente Episcopo. *Decimas & oblationes Altarium, stipem videlicet pauperum, suo Episcopo inconsulto sæculari militia tradit.* Dabat & laicis oblationes Altaris Lisiardus. Concilia suprà protulimus, à quibus hæc proscribebatur oblationum per laicos usurpatio. Porro in Episcopi sui vestigia & exempla ibat Archidiaconus, cui & ipsi præiverant anteriores Episcopi, in temerariè & nefariè dispergendis in laicos decimis, & oblationibus. Gravissimè Fulbertus Lisiardum objurgavit, rogitans, ecqui jam quorum censor fuerat, imitator evasisset? & qui se ipsum impelleret ad idem audendum? *Doleo super te charissime, cum te à pristina virtute apostatare video. Olim apud me conquerebaris de tuo antecessore, qui sacrilega temeritate Altaria laicis in Beneficium dederat. Nunc mihi suades, ut ego similiter faciam. Epist.59.*

Gregorio VII. tribuitur à Gratiano, *16. q.7. c.2.*, acerba quædam expostulatio de Episcopis, qui Nobiles, qui Officiales suos & proximos munerabantur decimis & oblationibus Ecclesiarum. *Quidam Episcoporum non Sacerdotibus propria Diœcesis decimas, atque Christianorum oblationes, sed potius laicalibus personis conferunt, militum videlicet, sive servitorum, vel quod gravius est, etiam consanguineis.* Facessere hinc jussi Epistolam, quam affingit idem Gratianus B. Hieronymo, qua diffinitor, à laicis non posse retineri, posse Monachis donari decimas & oblationes, quas alendis pauperibus leges Canonicæ consecrant. Nihil ejusmodi in operibus Hieronymi reperire est; nec ab ejus calamo manare potuit, quod immane quantum abhorret ab usu & ingenio ejus ævi. Commentitia apertissimè est ea Epistola, quanquam in Decretali quadam Innocentii III. citetur, ut allegata à patribus, non ut ipsi probata, nedum ut ad incudem vocata. *Extra. De his quæ fiunt à Prælat. non consent. Capitul.c.7.*

XVII. Vicem dolet Petrus Damiani Ecclesiæ & Episcoporum sui ævi, qui in publicum non veniebant, nisi caterva clientium & militum armato cuneo cincti, quibus in feudum decimas Ecclesiæ dabant, opem laturis, ubi usus esset. Vide ut de sanctissimo Episcopo Bonito verba faciat. *L.1. Ep. 10. Quid iste faceret, si tormenta, quibus nostri cruciantur Episcopi & ipse perferret? Si scurratorum & lancearorum turmæ post equitantis terga confluerent? Si cum tanquam gentilis militia ducem in procinctu positum armati undique manipuli constiparent. Unde fit, ut modò Pontificem non comitentur, ut dignum est, diversi Clericorum ordines, sed castra potiùs, & armati telis vibrantibus bellatores. Prætereamus quale hoc sit quia hæc nonnulli & inviti perferunt, & tamen eos, quos tolerant, prædiis ac facultatibus Ecclesiæ, velint, nolint, cariùs emunt.* Quia Epistola ad Alexandrum II. Papam data comprobatur, tristissimam, sed ineluctabilem tum eam incubuisse Episcopis necessitatem, etiam optimis quibusque, ut copiosum militem alerent, & Ecclesiæ suæ fidei atque obsequio devincirent, decimis & oblationibus Ecclesiarum Parochialium donatos. Altenius id & insolentius videtur Petro, militibus decimas, quàm ipsos Ecclesiæ fundos dari. *Inter omnia porro hæc mala illud excedit, & diabolicam propemodum videtur æquare nequitiam, quia prædiis in militiam profligatis, omnique possessione terrarum, insuper etiam decima ac plebes adduntur in beneficium sæcularibus.* Ex quibus id denique efficit Petrus, nec calamitosius quidquam esse Episcopis, nec inquinatius, si eos non indeclinabilis necessitas, sed propria agit vanitas, futilitasque, ut res Ecclesiæ tam miserandum in modum dissipent. *Quod totum in malè munifici caput redundare nulli dubium est, si tamen eum ad hoc propria vanitas trahit, non necessitas antiqua compellat.*

Quanquam ergo austeritatis & inclementiæ nomine celebretur Petrus Damiani, assentitur tamen & ipse, Episcopos, qui ei se consuetudini accommodabant, culpa vacasse, si non aliud ipsi quàm inexpugnabili necessitati servirent. Ea autem necessitas potest videri duplex. Nempe ubi Summi Principes pro more sui ævi Episcopos comites sibi adesse jubebant cum selectis militum turbis in militaribus expeditionibus suis pro Regni & Ecclesiæ defensione. Et rursus cum non poterant tutò Episcopi Provincias peragrare, necessariò sibi peragrandas, nisi clientium & militum satellitio succincti, quòd privatorum bellis tum perstreperent omnia. Non ergo jam stupebimus, si Episcopi etiam sanctitate & morum innocentia clarissimi, in feudum, sive in beneficium Laicis fundos Ecclesiæ quandoque darent, cum authore ipso Petro Damiani rem alioqui absurdam necessitas excusaret. Quæ ab illo dicitur *necessitas antiqua*, illa est, ut mea fert opinio, quæ à Regum jussione proficiscebatur, cum ea ipso Caroli Magni Imperio anterior esset: cum quæ arcessitur à bellis particularibus omnia armorum fragore infestantibus, ortum non habuerit, nisi ex Carolinæ Monarchiæ ruina.

Idem rursus alibi Epistola ad Episcopum data fundos docet Ecclesiæ Laicis, nonnisi in beneficium, hoc est, ad usumfructum datos fuisse: & tamen velut in feudum perpetuum retentos, ad posteros & ad hæredes transmissos fuisse. *Illa quoque, quæ sub nudo beneficii vocabulo sæculares accipiunt, revocari de cætero, atque restitui Ecclesiis nullo modo possunt. Ita quippe manus diripientium diabolica tenacia glutinis inviscantur, ut quolibet modo semel acceperint, Ecclesiis reddere sua bona nullatenus acquiescant. Et non modò ipsi dum vivunt, proprietario quasi jure possideant, sed & in posteros transmittant. L.4. Ep....* Addit porro flagitiosius etiam esse, decimas dari sæcularibus. Quæ sanè querelæ illud etiam nobis confirmant, ipsos potissimùm Episcopos duces & authores facti fuisse. Si qui enim alii Laicos donassent vel fundis, vel decimis Ecclesiæ, non is erat Petrus Damiani, qui hæc tacitè, aut modicè ferret.

Hinc verò patet in Italia non minùs impunè quàm in Gallia eam luem grassatam fuisse. Callistus II. anno 1121. ut refert ad eum annum Vuillelmus Malmesburiensis prohibuit, ne Nobiles Romani, quod hactenus fecerant, sibi vendicarent oblationes Altaris Sancti Petri Romæ. Ante Callistum tam effrænata & indomita insolentia id ausi fuerant, ut summos ipsos Pontifices contumeliosè repellerent, si quando restitare adgrederentur. *Oblationes apud Sanctum Petrum, quas pro petulantia, proque libidine potentes diripiebant, antecessores Apostolicos, qui vel mutire auderent, indignis afficientes*

tes

tes contumeliis, Callistus revocavit ad medium; scilicet ad Apostolicæ Sedis Rectoris publicum usum. Baron. eo anno n.4.

XVIII. Nec ab Italia & Gallia multò discrepare poterant Germaniæ mores. Unde & in illa permolesta Pontificum & Friderici I. Imperatoris concertatione, cum instaretur, ut Germani Proceres decimas & oblationes, quas invaserant, suis manibus excuterent, responsum ab illis est: Primigenio quidem jure eas esse Cleri, sed ad ipsius Cleri & Ecclesiæ defensionem Nobilibus concessas fuisse. *Scimus decimas & oblationes à Deo Sacerdotibus & Levitis primitus deputatas. Sed cum tempore Christianitatis ab adversariis infestarentur Ecclesiæ, easdem decimas præpotentes & nobiles viri ab Ecclesiis in beneficio stabili acceperunt, ut sibi Ecclesiarum defensores fierent, quæ per se obtinere non valerent. Baron. ann.1189. n.9.* Notanda sedulò hæc verba, accepisse Nobiles eas decimas in beneficium perpetuum: *in beneficio stabili acceperunt.* Inde enim existit, eorum donorum authores fuisse Episcopos, qui quanquam usufructuario jure utendum darent, beneficium perpetuum laici interpretabantur, ut modò Damianus monebat. Imperatori ipsi Crantzius eadem verba adscribit, additque minimè mirum esse, si quæ Militares Commendæ ex bonis erigantur Ecclesiæ, cum consentaneum in primis sit, opibus Ecclesiæ eos sustentari, qui ejus otio, paci, saluti, vitam quotidie & sanguinem impendunt. *Illud quoque nobis velut malefactum opponit, quod vel jubeamus, vel sinamus in rebus Ecclesiæ Præfecturas esse militares, ut laica manu Ecclesiarum prædia defendantur. Et quæ injuria est, si quiescentibus Ecclesiarum Prælatis, & ad sola ministeria divina intentis, milites exeant, eorum quieti consultari, Præfecturis gubernantes subjectum Ecclesiis populum, ut pareant ad æqua omnia superioribus. Saxoniæ L.6. c.52.*

Ab eodem autem Crantzio alibi traditur, ita pervulgatum fuisse, Carolum Magnum perdomita & subacta Saxonia statim legem decimarum publicasse, quòd ab eo nomine minùs abhorrerent aures feræ & indomitæ gentis, quàm à voce tributi: porro decimas accepisse milites & militiæ duces, ad expensas militiæ; & inde tot ibi Nobiles decimis Ecclesiasticis incubare. Sibi verò Crantzius ait illud videri solere, cum non possent Clerici arcere rapinas & grassationes Magnatum, ultro decimas illis dilargitos esse, ut iis contenti ad reliqua tuenda præsidio sibi essent. *Cum non satis fiderent Pontifices sua jura ab Laicis Principibus tueri, dedisse arbitror partem decimarum Principibus in manum per speciem feudi & beneficii; malentes amittere dimidium, quàm totum. Metropol. L.1. c.2.*

XIX. Nec secus in Hispania declarabit Mariana Clerum Nobilitati collisum fuisse. Priùs tamen referendum hic nobis est, quod narrat in Summa sua sanctissimus vir, idemque doctissimus Raimundus de Pennafort; venditari solitum à Nobilibus Catalaunis privilegium illud Comitibus olim Barcinonensibus concessum, ut decimas sibi vendicarent terrarum, quas Mauris subactis reciperent. Si in perpetuum eo privilegio donati essent Comites Barcinonenses, tutissima conscientia eo uti posse, cum & plausibilis & justa sit causa. *Sed quid de Militibus Cataloniæ, qui nituntur se defendere privilegio Apostolicæ Sedis indulto, ut dicunt, quondam Comiti Barcinonensi, in favorem Christianitatis & fidei Catholicæ: ut scilicet decimas omnium locorum, quæ Paganis expulsis redeuntur ad cultum Dei, possit licitè retinere; & inter Principes & milites terræ suæ, qui ipsum juvarent ad hoc, dividere; numquid possunt tales decimas licitè retinere? Dico, salvo meliori judicio, quod si privilegium fuit concessum in perpetuum sibi & suis successoribus; ita quod fuit reale, & non personale, & non propter hanc tam favorabilem causam, & à Sede Apostolica, possunt licitè retinere, vel ad tempus, vel in perpetuum, juxta formam in privilegio expressam. L.1. p.129.*

Habes doctissimi sanctissimique viri sententiam, venio ad Marianam, qui narrat in Comitiis Generalibus Regni Castellæ anno 1390. gravissimè conquestos esse Episcopos de decimis à Nobilitate usurpatis: Patronatûs enim obtentu Parochos designabant, & attributa illis permodica portione, maximam decimarum partem sibi vendicabant. Nobiles ex adverso, *Morem per multas ætates continuatum, majorum merita, priorum Pontificum veniam excusabant ante Concilii Lateranensis tempora, Alexandro III. Pontifice scilicet, cum novo decreto est cautum, ne decimas prophani invaderent, ne Pontificum quidem permissu. L.18. c.13.* His se rationibus tuebantur Nobiles. Totus in favorem Præsulum propendebat Rex, sed veritus tunc est, ne Nobiles & oppidorum vicorumque dominos exulceraret, & à se abalienaret, quos scilicet non ita pridem graviter pupugerat, cum provocari ab eorum Judicibus & Officialibus ad Judices Regios permisisset.

Ejusmodi forsan aliquid de Nobilibus Angliæ conjici posset ex ea Epistola Petri Blesensis, quam Archiepiscopi Cantuariensis nomine scripsit ab Abbatem & Ordinem Cisterciensem, ut suaderet abstinere privilegiis Pontificiis, quibus à decimis immunes sunt. Etenim Nobiles Gallos hæc eorum privilegia floccifacere, & ad pendendas sibi decimas vim adferre: si privilegia sua valere velint, æquius esse, ut iis adversùs Nobiles armentur, quàm adversùs Clerum. *Milites Galliarum sibi jus decimationis usurpant, nec vestris privilegiis deferentes, eas à vobis potenter extorquent. Adversùs eos deberetis insurgere, non adversùs Clericos, aut Ecclesias Clericorum. Epist.82.* Si quid ejusmodi tentassent Nobiles Angliæ, exemplo Gallorum usus non esset Archiepiscopus; & facilè illi reposuissent Monachi, Archiepiscopi zelum in Nobiles potiùs exardescere debere Cleri decimarum usurpatores, quàm in Monachos, qui suas retinerent. Nec repugnabo tamen, si cui non videatur satis esse momenti in hoc argumento, ut demonstretur Anglia libertatum Cleri observantior fuisse, quàm Francia, Italia, Germania, & Hispania. Decimę verò illæ, quas narrat Mathæus Paris Henrico III. Regi à Papa concessas fuisse, non istæ utique sunt decimæ, de quibus hic agitur, sed pars decima omnium Ecclesiasticorum proventuum Angliæ, qua de re prolixè suo infrà loco.

In Decretali *Ex Parte*, *De Transactionibus*, affirmat Honorius III. Papa, nihil decimarum exegisse Episcopos Orientis: alios nimirum proventus quospiam populo suppeditante. At postquam Constantinopoli rerum potiti sunt Latini, tum Barones & Nobiles, Græcos passim Latinosque invasisse Abbatias & alias Ecclesias cum decimis suis, nec excommunicationum jaculis ad officium revocari potuisse. *Quidam Barones & milites, tam Latini, quàm Græci, Abbatias & Ecclesias alias cum dominibus & bonis aliis earundem contra justitiam detinentes, decimas non exolvunt, &c.*

XX. Ad calcem hujus Capitis novum edam documentum ejus rei, quam suprà multis confirmavi, has usurpationes non omnes, immo ne maxima quidem ex parte, tam antiquas fuisse, ut prioribus Regibus familiæ Carolinæ ascribi potuerint. Anno 903. Berengarius Imperator Ticini Conventum habuit Episcoporum & Baronum. Multa ibi decreta sunt, & hoc præ cęteris, ne distribui possint decimæ nisi ab Episcopo. Si Capellæ quis suæ eas addicere vellet injussu Episcopi, ipsum quidem ana-

anathemate vinciendum esse, evertendam verò Capellam. *Ut omnis decimatio ab Episcopis, vel his, qui ab eis substituti sunt, prabeatur, nullusque eam ad suam Capellam, nisi fortè concessione Episcopi conferat. Quod si fecisse contigerit, &c. Goldast. Const. Imp. tom.3. pag.300. Cap.910.* Ea astutia erat Laicorum, ut Capellæ suæ privatæ decimas conferrent, Ecclesiam fraudarent Parochialem. Nec minùs mox dilucidum est statuto, quod ibi subjicitur, decimo illo sæculo, quod illud ipsum erat corruentis Monarchiæ Carolinæ, laicis donatas fuisse decimas & terras Ecclesiarum, quæ paulò post ab eis hæreditariæ jactarentur. *Ut plebes Ecclesia nullatenus Comitibus, aut Episcoporum Vassallis, aut ullis laicis in beneficia tribuantur.* Usitatissimum id ergo tunc erat, ut in feudum, vel beneficium commendarentur Ecclesię Parochiales Comitibus, Clientibus Episcoporum, & quibusvis demum laicis. Has laicorum Prędationes damnavit Concilium Andegavense anni 1060. cui præerat Nicolai II. Papæ Legatus, ut recentissimas. *Quicumque laicorum aliquid de iis, qua ad oblationem vel eleemosynam Ecclesia pertinent, sive sepulturam, sive saltem tertiam decimarum partem possidere, vendere, aut sub nomine beneficii alicujus dare ulterius prasumpserit, anathematis gladio feriatur. Can.8.* Certè eò eruperat laicorum audacia, ut decimas & alias Ecclesiæ res quascumque non invaderent ipsi solummodo, sed & distraherent, aliisque in feudum conferrent. Hæc *ulterius* prohibet Concilium, intentato anathematis jaculo. Quo in futurum ita prospicitur, ut præterita mala quæ medicinam jam non viderentur pati posse, oblivione obruantur.

Ex decreto Concilii Romani sub Gregorio VII. anno 1078. elucescet, quàm increbuissent ea tum flagitia, & qui eorum essent authores, in Commendis potissimum militaribus ex substantia Ecclesiæ excitandis; *Quicumque militum vel cujuscumque ordinis, vel professionis persona, prędia Ecclesiastica à quocumque Rege, seu sæculari Principe, vel ab Episcopi invitis, seu Abbatibus, aut ab aliquibus Ecclesiarum Rectoribus susceperit, vel susceperit, vel invasit, vel etiam de Rectorum privato, seu vitioso consensu tenuerit, nisi eadem predia Ecclesiis restituerit, excommunicationi subjaceat. Can.1.* Quo ex Canone perspicuum est, 1. Donatos fuisse laicos fundis Ecclesiæ, non ab Episcopis tantùm, & ab Abbatibus, sed & à Regibus, atque Principibus, denique quod extremum malorum est, à Parochis ipsis. 2. Damnari hoc Concilio concessiones omnes à Regibus factas, à Proceribus, à Parochis, peræquè ut ipsas laicorum proprio suo impetu irruptiones. 3. Damnari quidem laicos, qui has Commendas Episcopis, & Abbatibus extunderent: ipsis verò Episcopis & Abbatibus non interdici, quin ubi suadebit Ecclesiæ utilitas, ubi necessitas defensionis flagitabit, eas ipsi conferant. 4. Non recedit ergo à vero ante tempora Concilii Lateranensis III. Episcopos & Abbates, vel petentibus Regibus, ac Principibus, aut sua ipsos sponte ad Ecclesiæ defensionem plures ejusmodi feudos contulisse, quos Innocentius III. & reliqui deinceps Pontifices liberos Nobilitati dimittendos censuerunt.

XXI. Nec est quod nos ille scrupulus remoretur: Esse decimas juris divini, ideoque ne potuisse quidem laicis concedi. Respondet enim pulcherrimè Sanctus Thomas juris divini esse, ut colligendarum decimarum potestas & jus sit penes Clerum, at eo jure, ea potestate solum etiamnunc Clerum gaudere, ut eas, vel ipse colligat, vel ejus concessione alii quicumque. Unde & à Clero susceptio ipsa decimarum persæpè translata est in pauperes, in Nobiles, in Monachos laicos tunc, id est, nulla tunc Sacerdotii parte fungentes, his ad inopiæ levationem, illis ad tuitionem Ecclesiæ. *Sicut rex nomine decima acceptas potest Ecclesia alicui laico tradere, ita etiam potest ei concedere, ut dandas decimas ipsi accipiant, jure accipiendi ministris Ecclesia reservato: sive pro necessitate Ecclesia, sicut quibusdam militibus decima debentur in feudum per Ecclesiam concessa, sive etiam ad subventionem pauperum, sicut quibusdam Religiosis laicis, vel non habentibus curam animarum, aliqua decima sunt concessa per modum eleemosyna. 2. 2. q.87. Art.3. ad.3.*

XXII. Æquissimum jam verò est, postquam Nobilibus infeodatarum decimarum possessoribus studiosissimè patrocinati sumus, ipsos ut admoneamus officii sui, & ejus obsequii, quo Ecclesiæ tenentur, vel ipsa ex feudorum lege. De his obsequiis agit Innocentius III. *Extra. De Feudis c.1. 2.* nec nos de iis hactenus obmutuimus. Possent & aliqua adjici de altera feudorum conditione, ut ad Ecclesiam revocentur certis, nec paucis occasionibus, ubi integrum est Episcopo, eas vel Ecclesię suæ communi mensæ redintegrare, vel nova investitura rursus alicui conferre, ut ibidem declarat Innocentius. Sed otiosum esset bis immorari, si veritate certa nitatur Bulla Clementis V. superius allegata, ut fidem faciunt Gallicani nostri Canonistæ.



De Oblationibus.

CAPUT XII. *P.1. l.3. c.6.*

De Oblationibus utriusque Ecclesiæ, quinque prioribus Ecclesiæ sæculis.

I. Offerebantur hostia Deo, Clero tributa, alimenta pauperibus.

II. Nec vivi, nec mortui Communionis Ecclesia consortium adipiscebantur, nisi per oblationes.

III. Ad Altare ipsum non offerebatur, nisi panis, & vinum.

IV. Nomina recitabantur offerentium.

V. Erant & alia oblationes privata. Semel anno quolibet offerebatur lac & mel.

VI. Privata & rerum quarumlibet fiebant oblationes.

VII. Nec Monachos sua paupertas excusabat, quin & ipsi offerre tenerentur.

VIII. Quàm varia species privatim offerrentur.

IX. X. Quo jam cumulo excrevissent his oblationibus opes Ecclesia Romana, & Summi Pontificis.

XI. Annua oblationes ex Testamento B. Remigii.

XII. Constantii Imperatoris oblationes repudiat Liberius Papa; Valentis non repudiat Basilius.

XIII. Earum oblationum magnificentia.

XIV. Innocentia offerentium, quam munificentia carior optatiorque erat Ecclesię.

XV. Annuas instituerat Constantius frumenti oblationes, ut Sacerdotio Imperium copularet ipso augustissimi sacrificii vinculo. Eas rescindit Julianus; Jovianus ex parte restituit.

XVI. Ejusdem rei probationes alia.

XVII. Domesticum & familiare cuique fideli debebat esse Gazophylacium, ad quotidianas Ecclesia oblationes.

Of-

I. Offerebant fideles Deo ad aras religionis in ipsum suæ hostias, grati & memoris animi in Presbyteros & Clerum monumenta, suæ in pauperes pignora charitatis. Triplici enim huic usui quotidianæ serviebant oblationes. Hostiæ erant, cum portio inde aliqua in immortalem Hostiam cœlestem Agnum decerperetur. Tributa erant, quæ sibi Deus reservaverat per Ministros suos colligenda, fruendaque, ut summus universarum rerum dominus. Largitates, restitutiones erant Patrimonii pauperum, quod divitibus Deus commendarat.

II. Impietatis, sacrilegii, & furti crimine, & infamia onerat Concilium Vasionense eos, qui Ecclesiam fraudant oblationibus eorum, qui jam vivis excessere. *Qui oblationes defunctorum fidelium detinent, & Ecclesiis tradere demorantur, ut infideles, sunt ab Ecclesia abjiciendi; quia usque ad exinanitionem fidei pervenire certum est hanc divinæ pietatis exacerbationem: quia & fideles de corpore recedentes, votorum suorum plenitudine, & pauperes collatu alimoniæ & necessaria sustentatione fraudantur.* Can. 4. Hoc eodem Concilio, *Can.2.*, jubentur suscipi oblationes pœnitentium eorum nomine factas, quos nondum exhausto pœnitentiæ curriculo suo, nondum Ecclesiæ reconciliatos mors immatura præripuit. Quo dilucidum fit, nec superstites, nec fato functos quoslibet suam cum Ecclesia communionem approbare potuisse, nisi his oblationibus: eoque discrepasse sive excommunicatos, sive pœnitentes à fidelibus, quòd fidelium oblationes duntaxat, & eorum, qui consortes essent communionis sacræ, ad Altare admitterentur.

III. Ideo & Concilio III. Carthaginensi declaratur, oblationes fidelium ad Altare admittendas, saltem ex usu Occidentalium, minùs consentaneo Canonibus forsan Apostolicis, solo pane & vino constare potuisse; quòd ea tantùm summus Sacerdos Christus in Corpus & Sanguinem suum converti voluerit. *Ut in Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aqua mixtum.* Can.24. Qui ergo Christi carnis communione, ii & oblationum jure arcebantur. Vetat Carthaginense Concilium IV. eorum oblationes admitti, qui implacatas alebant simultates, vel pauperes opprimebant. *Oblationes dissidentium fratrum neque in Gazophylacio recipiantur. Eorum, qui pauperes opprimunt dona à Sacerdotibus refutanda.* Can. 93.94. Denique hoc Concilio, *Can.95.*, ut & superiùs Vasionensi, ejici communione præcipiuntur qui *oblationes defunctorum* abnuunt, aut remorantur.

IV. Nec oblationes tantùm & hostiæ fidelium ad Altare admittebantur, sed & eorum nomina omnium recitabantur, quorum oblationes susceptæ fuissent: & hæc erant Diptycha, seu Monumenta solemnia, quæ publicè prælegebantur inter Missarum solemnia ex Ambone, sive ex superiore suggestu. Ante suspiciendas oblationes, & tum demum recitanda nomina ab Innocentio I. Papa pronunciatum est. *Ep.1. c.3. Quàm superfluum sit, & ipse recognoscis, ut cujus hostiam necdum Deo offeras, ejus ante nomen insinues. Priùs ergo oblationes sunt commendandæ, ac tunc eorum nomina quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, &c.*

V. Ex Canone Concilii Carthaginensis IV. observare datur, duplicis generis oblationes fuisse, alias ad Altare, alias *In Sacrario, in Gazophylacio.* Ad altare non offerebatur nisi panis & vinum, excepta quæ ibidem fiebat oblatione mellis & lactis, non sine precum benedictione solemni, semel anno quolibet, cum baptismo initiabantur Catechumeni, & degustare jubebantur mel & lac, velut symbola innocentiæ morum Christianæ, ejusque suavitatis, qua exhilarandi erant, semel ingressi in Ecclesiam, in terram, inquam, verè promissam olim, nunc per baptismum repræsentatam. Id sanè liquet ex Canone Concilii Africani. *Can.4. Primitiæ verò, seu mel & lac, quod uno die solemnissimo, in infantum mysterio solet offerri, quamvis in Altari offerantur, suam tamen habent propriam benedictionem, ut à Sacramento Dominici Corporis & Sanguinis distinguantur. Nec amplius in primitiis offeratur, quàm de uvis & frumentis.* Oblationes reliquæ extra Altare, & nihil attinentes ad Eucharistiæ celebrationem, cum decimis & primitiis sæpenumerò promiscuè habebantur, ut ex hoc ipso Canone manifestum est.

VI. Agit alicubi Augustinus de privato Gazophylacio, ubi offerebantur, quæ usui Clericorum dicabantur, linum, lineæ vestes, & id genus alia. *Si aliquid vultis Clericis dare, &c. Omnes quod vultis offerte, &c. Gazophylacium attendite, & omnes bene habebimus. Valde me delectat, si ipsum fuerit præsepe nostrum, ut nos simus jumenta Dei, vos ager Dei. Nemo det byrrum, vel lineam tunicam nisi in commune; de communi accipiam mihi ipse. De Diversis Serm* 50. Addit porro si quid pretiosæ vestis sibi, ut Episcopo destinatum offeratur, id se distrahi jussurum, pretiumque addici Collegio suo Clericorum: nec enim alia se, quàm Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum suorum veste indui velle.

VII. Oblationum tam arcta omnibus imminebat Lex, ut et ne Monachi quidem absolverentur, teste & authore Hieronymo; nec enim illos excusare poterat paupertas, quò minùs Evangelicam saltem æmularentur viduam, cujus extrema inopia largitionem illustriorem fecit. Sic enim Hieronymus in Epistola ad Heliodorum de vita Eremitica. *Alia Monachorum est causa, alia Clericorum. Clerici pascunt oves, ego pascor. Illi de Altari vivunt, mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem si munus ad Altare non defero. Nec possum obtendere paupertatem, cum in Evangelio anum viduam, duo, quæ sola supererant æra mittentem, laudaverit Dominus.*

VIII. À Victore Vitensi in Africa Episcopo, in historia Africanæ persecutionis proditum est, *L.2.*, omnes prorsus oblationes Altaribus imponi solitas, ut quæ verè hostiæ essent. Sic enim ille ubi de cæco agit, cui cœlesti quodam miraculo lumen redditum est. *Procedit ad Altare cum Eugenio, sicut moris est, qui fuerat cæcus, sua salutis oblationem Domino redditurus. Quam Episcopus accipiens Altari imposuit.* Id satius tamen est capi de oblationibus, quæ ad sacrificium destinabantur. Cæteras enim persequitur diligentissimè Paulinus, *Natal.6.*, ubi agit de oblationibus, quæ ad tumulum beatissimi Martyris Felicis frequentabantur, tapetum, aulæorum, auri argentique cœlati, ceræ, lampadum, denique pecuniæ copiosissimæ in pauperes erogandæ.

IX. De his privatis oblationibus Ammiano Marcellino sermo erat, cum tam invidiosè Ecclesiæ Romanæ opulentiam exaggerabat, & Romani Pontificis sumptus immensos; onde illæ tumultuosæ factiones anhelantium ad hoc summum honoris & divitiarum fastigium, & omni virium contentione eluctantium. *Cum id adepti futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes, circumspectè vestiti, epulas curantes profusas; adeo ut eorum convivia regales superent mensas.* L.27. Si à vero nihil deviavit Ammianus, nec exaggeratius amplificavit vitia Pontificum ejus religionis, à qua alienus erat; assentiamur necesse est illi, & tum culpanti verissimè cul-

pandam prodigalitatem, & postea summis laudibus prosequenti frugalitatem Episcoporum Provincialium, qui sæcularibus sæculi ipsius & mundanæ pompæ contemptu seipsus commendabant. *Qui esse poterant beati cevera, si magnitudine urbis despectu, quam vitiis opponunt, ad imitationem quorundam Antistitum Provincialium viveccut: quos tenuitas edendi, potandique paccissimè, vilitas etiam indumentorum & supercilia humum spectantia, perpetuo Numini vecisque ejus caltoribus, ut pucos commendant & veccundos.* Sed ut diffidamus Ammiano Romanorum Præsulum opes luxumque exagitanti, facit illorum per ea sæcula persecutionum pietas indubitatissima, & ad Martyrium semper parata. Facilè ergo opes illas & sumptus traducemus ad hospitalitatem, & curam alendorum pauperum pene innumerabilium: ut in id oon immeritò infioitæ quædam opes absumerentur.

X. Verùm id saltem ex illo exsculpemus Ammiani testimonio, incredibilem quandam opum vim sibi Ecclesiam, hoc est, pauperibus ex oblationibus eoacervasse. Hinc rursus author est Hieronymus, Prætextatum Consulem designatum. Damaso Papæ, cujus occasione illa scripserat Ammianus, quasi jocantem dixisse, accessurum se lubentissimè fidei & Ecclesiæ Christianorum, si Episcopatum illi sibi Romanæ Civitatis pollicerentur. *Facite me Romanæ urbis Episcopum, & ero protinus Christianus.* Eodem pertinet & illud, quod testatum facit idem Hieronymus de summa opulentia Episcopi Hierosolymitani, cui Orbis universus ad adoranda Christi vestigia confluens, religiosum pendere tributum videbatur. *Tu qui sumptibus abundas, & totius orbis religio tuum lucrum est. Hieron. in Ep. ad Pam. adv. erroces Joannis Hieros.* Sic ille ad Pammachium scribens, Joannem Hierosolymitanum Episcopum objurgabat.

XI. Si nulla ex parte claudicaret fides testamenti B. Remigii Remensis Episcopi, esset quod in eo miraremur opes illorum temporum Ecclesiæ, & effusas largitiones, unde profluerent perpetuæ quædam oblationes apud seros nepotes. *Vineam tibi catenus derelinquo, ut diebus festis & omnibus diebus Dominicis sucris Altaribus mea inde offeratur oblatio, atque annua convivia Remensibus Presbyteris & Diaconibus offerantur. Flodoar. Hist. Rem. L. 1. c. 18.* Hinc suspicari datur, harum oblationum exordia manasse ex commeodatissima in Actis Apostolicis primorum fidelium largitate, qui sua omnia offerebant, & in sacrum transfundebant penu, & inde Eucharistiæ sacrificium, inde pauperum substentatio suppeteret, cum sacra & communis tuoc quidem mensa una esset eademque.

XII. Liberii Papæ Constantius Imperator animum mollire tentavit muneribus suis, aut frangere minis. Eunuchos ab eo ablegatus, Liberii integritatem & constantiam expertus, nec donis, nec comminationibus labefactari posse, munera, quæ Liberius aspernatus erat, ad Ecclesiam B. Petri comportavit. Liberius ineunctanter abjici jussit, ut prophanam hostiam; Sic enim Athanasius ipse in Epistola ad Solitarios: *Templum Petri ingressus Eunuchus, ibi ea ipsa dona consecravit. Quod cum cescitum esset à Liberio, magnopece increpuit custodem loci, quòd id non prohibuisset; ipse deinde pcogressus, dona, ut victimam illicitam projecit.* Non concedebat Constantio Valens, vel amplexandis Arianis, vel insectandis Catholicis. Humanius tamen in eum consuluit Basilius. Solemnitati enim nostræ Mysteriorum passus est illum interesse, in penetrale ipsum Ecclesiæ subire non prohibuit, nec vetuit, quin ejus oblationes admitterentur, & dona regiis ipsius manibus elaborata. Audi Nazianzenum hæc narrantem. *Orat. 20. Cum dona, qua ipsemet effecerat, divina mensa offerenda essent, nec quisquam, ut mos ferebat, simul ea caperet, quod non liqueret, an ea Basilius accepturus esset, &c. Jam verò cam ille cursum nescio qaomodo nobis…um in Ecclesiam se contulisset, & intca velum extitisset, atque in colloquium Basilii venisset, &c.* Hac Basilii lenitate & indulgentia emollitus est tum Valens, & persecutionum fluctus omnes detumuere. Nec ab his discedit Theodoretus in historia. *L. 4. c. 17. Valens recta ad templum se confert, fitque doctrina Basilii Magni auditoc, & consueta dona altari offert. Basilius autem intra sacra aulea, ubi ipse sedebat, venice eum jubet, ad quem longam occasionem de dogmatis divinis instituit, eique dicenti Valens auscultavit.*

Virtutum splendore & fama celebratissimus ille Theodosius Archimandrita Basilium imitatus est, munera ab Anastasio Imperatore fidei adversario missa ad eum à sententia deducendum accepit, incorruptam fidem retinuit, de perfidia & avaritia scelestissimi Principis unum triumphum egit. Ita enim Author diligentissimus Theodosii vitæ apud Surium. *Duplici damno afficit adversarium, simul quidem privans pecuniis, cum esset alioqui avarus, & simul etiam spem vanam & inanem ostendens, &c.* Exempla Liberii & Basilii declarant, alio & alio tempore diversissima consilia & facta & tutò usurpari posse, & summæ pietatis legibus consentire.

XIII. Triginta auri pondo miserat Anastasius, in Monachos & pauperes dispensanda. Hinc conjectura probabili assequimur, Nobilium Procerumque oblatione, pro suo quasque modo ad Imperatorias accessisse. Ajebat modò Ammianus Matronarum Romanarum magnificentissimas oblationes luxum aluisse Pontificum Urbis, toto orbe principis. Narrat & illud Theodoretus, *L. 2. c. 17.*, Matronas easdem Romanas conjugibus suis commioatas esse, secessuras se ad Pastorem suum perquirendum, Liberium Papam exulem, nisi actutum ab Imperatore ejus reditum extorquerent. Illis forsan cessantibus, adire ipsæmet Constantium, qui ex earum veste & ornatu facilè intellexit, hunc esse delibatum Romanæ Nobilitatis florem. Humanior tunc fuit Constantius, quàm antè religiosior, annuitque earum votis. Hinc astrui potest fides Ammiano, pingues ostentanti Romanarum Matronarum oblationes: cum illas hic videas tam religiosè & tam vehementer Pastori suo addictas.

XIV. Nec ad magnificentiam tameo oblationum, sed ad offerentium puritatem & innocentiam maximopere intuebatur Ecclesia. Nam præter illas temporum molestias, ubi necesseriò remittendum erat de vigore disciplinæ, lege illibata & generali cautum erat, ne admitterentur nisi dona puris manibus, puris cordibus oblata. Pura enim sit hostia necesse est. Illam verò puram maximè facit offerentis conscientia. Sed quæ immaculato Agno & divinæ Victimæ inferendæ sunt hostiæ & oblationes, illas necesse est eximi & summa quadam perfundi munditia. Unde Epiphanius io Expositione fidei Catholicæ. *Cap. 24. Oblationes ab his, qui injuria neminem affecerint, neque scelus aliquod perpetrarint, sed justè vitam instituant, admittit.*

Jubet sanè Patriarcha Theophilus apud Balsamonem in Commonitorio, ut consummato sacrificio, reliquiæ oblationum, quæ consecratæ non fuere, inter Clericos & Fideles distribuantur, nullam in earum partem vocatis Catechumenis, ut ait Balsamon, quod profanari nefas sit, quidquid Altari oblatum fuerit. *Quia enim Altari oblata sunt, & ad divina dona ex illis partes sumpta sunt, illaque sanctificata sunt, quomodo illis, qui sunt imperfectiores, dabuntuc consumenda? Cap. 7.*

XV. Ad oblationes & eleemosynas Imperatorum retorqueoda jam oratio est. Et quidem à Constan-

stantino ipso author est Athanasius constitutam fuisse distributionem annuam frumenti in viduas Lybię & Ægypti, cujus administraror esset Episcopus Alexandrinus. Sic enim ille in Apologia de fuga sua. *Frumentum dabatur à Patre Imperatorum, in alimentum viduarum, partim Lybicarum, partim Egyptiarum, quod etiam nunc accipiunt, Athanasio nihil inde nisi operam & laborem referense.* In crimen vocatus est ab Arianis Athanasius, quasi largitionem eam in suam domum derivasset: quo factum est, ut eis Constantius eam curam delegaret: *Ut frumentum quod hactenus Athanasio cum suis cedebat, illi adimeretur, dareturque eis, qui Arianica saperent.* Ita rursum Athanasius in Epistola ad Solitarios.

Sed multò splendidiora Theodoretus oculis subjicit Constantini largitionum documenta. Confirmat enim ab eo omnibus Ecclesiis datam immensam quandam frumenti quantitatem, ad sustentationem sacrarum virginum, viduarum, pauperum, & Clericorum; à Juliano Apostata revocatum id donum, à Joviniano ex parte tertia restitutum, quæ suo adhuc ævo dispensaretur copiosè adeo, ut vel ex hac tantula parte incredibilis Constantini largitas æstimari posset. *Quin etiam literas ad Provinciarum Præfectos dedit, mandavitque ut certus frumenti numerus viduis, & his, quæ perpetuam servant virginitatem, quin etiam illis, qui divinis ministeriis obeundis consecrati sunt, in singulis civitatibus quotannis suppeditaretur; eumque non tam egentium necessitate, quàm sua ipsius magnificentia mensus est, &c. Quod si congiarium quod id temporis à Constantino donatum erat, triplo majus fuit, quàm quod jam datur, facilè inde quisque Imperatoris magnificentiam poterit perspicere. L.2.c.2.L.4.c.4.* Non potuit statim Jovianus totam restituere & repræsentare Constantini largitionem, quod tum quidem fames gravissima Imperium infestaret. Spem faciebat ille totius beneficientiæ redintegrandæ, cum præfestina morte abreptus est. Idipsum confirmat Sozomenus, *L.1. c.8. L.5. c.5.*, qui & hanc mirificam tradit Imperii & Sacerdotii effloruisse concordiam & conjunctionem, cum omnes Imperii ditiones & terræ jam Christi sacerdotio & sacrificio vectigal penderent, ipsique Imperatores hostias Altaribus templisque suppeditarent; denique de fisco Imperii tanquam sibi communicato Clerici & pauperes, cum Imperatoribus alerentur.

XVI. Quod dixi de arctissima conglutinatione Sacerdotii & Imperii, & de sacerdotali Imperatorum pietate Christianorum, qui Orbis universi aras Christianas voluere suis hostiis instaurari: illustrare, hîc lubet verbis Ischyrionis Diaconi Alexandrini, in libello supplici, qui perlectus fuit in Concilio Calchedonensi. Conqueritur Ischyrion de truculenta rapacitate Dioscori Patriarchæ Alexandrini, qui unus ipse invaserat universum frumentum, quod Constantinus quotannis addixerat distribuendum Ecclesiis Libyæ, ubi nihil frumenti nascitur, ad alendos nimirum pauperes, sed ad incruentum maximè sacrificium Ecclesiæ. *Ut etiam frumentum quod à piissimis nostris Imperatoribus Ecclesia Libya propter ariditatem illius Provincia, & quia ibi omninò triticum non nascitur, præstitutum est, in primis quidem ut incruenta ex ipso Hostia offeratur: deinde ut & peregrini, nec non & Provinciales pauperes aliquod mereantur solatium, non permitteret suscipere sanctissimos illius Provincia Episcopos, &c.* Et postea: *Et ex hoc neque terribile & incruentum sacrificium celebratum est, neque peregrini aut Provinciales hoc solatio fruiti sunt. Con. Calch. Act.3.*

XVII. Duplicis generis distinguit Gazophylacia sacra Chrysostomus, alterum in Ecclesia publicum, alterum cujusque fidelis proprium domi, in quod singulis diebus Dominicis inferret, authoritati Pauli & hortamentis obsecutus, quod in pauperum alimenta seponeret; ex quo privata jam quævis domus sacro hoc ærario in Ecclesiam quodammodo consecraretur, & tutelam invictissimam rei familiari universæ præstaret; non aliter, quàm si privatæ opes in ærario Principis custodirentur. *Faciamus, sic Paulus præscripsit, & die Dominica unusquisque nostrûm domi opes Dominicas reponat, fiatque ex hoc lex & consuetudo immutabilis. Cum privatis fiat opes in domibus nostris reposita, futurumque ut per eas etiam privata conserventur. Quemadmodum si opes subditorum in regiis promptuariis conserventur, ob regias secura sunt ista. Hoc itaque modo uniuscujusque domus Ecclesia fiat, sacratas opes intra se conservans. Enimvero Gazophylacia, quæ in templis sunt, illarum symbolum gerunt. T. 5. p.22.* Qui rursus alibi pulcherrimè ait, ita posse quemlibet ad sacerdotii consortium aliquod assurgere, pia largitate ipsum quodammodo inaugurante, domum ejus in Ecclesiam consecrante, ut & ipse sacri sui thesauri & templi ædituus & custos sit. *Apud te sepone, & domum tuam fac Ecclesiam, arculam, Gazophylacium. Benignitas & humanitas dat tibi hoc Sacerdotium. In Epist. I. ad Cor. hom.45.*

CAPUT XIII. *P.2. l.3. c.2.*

De oblationibus ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. Oblationes sunt sacrificia laicorum, ut hac jam materia sit veri sacrificii.

II. Hinc etiam Clero alimenta. Pars earum aliqua & ad Monachos derivabatur.

III. Discrimen oblationum altaris, & earum quibus victitabat Clerus. Discrimen rursus earum, quæ à privatis, & quæ in commune offerebantur.

IV. Legata pia inter oblationes.

V. VI. Concilium Matisconense II. præcipit, ut singuli laici singulis Dominicis offerant.

VII. Fidelium tessera, excommunicatis & pœnitentibus concessa, jus oblationis. Mortuorum oblationes admittebantur, etiam eorum, qui capite luerant.

VIII. Varia oblationum genera.

IX. Earum disjunctio pane & vino, quo fiebat consecratio & communio ad altare.

X. In Hispania Cathecumenorum, itemque extremo supplicio ob scelera affectorum oblationes rejiciebantur.

XI. Implacata odia exercentium repudiata oblationes.

XII. Jubet Concilium XI. Toletanum, ut ne ad Eucharistiam adhibeantur nisi parvi purique panes, & diligentius eum in usum parati.

XIII. Reliquarum oblationum ita erat exuberans copia, ut unius avaritia stimulo incitati laici Ecclesias extruerent, quò earum participes essent. Quod postea prohibitum est.

XIV. Multa observantur in oblationes Ecclesia Græca.

XV. Episcopi ipsi custodes & defensores oblationum.

XVI. Imperatorum & Regum opulentissima Roma oblationes.

I. OBlationes ad altare fiebant, quò verissimè ea esset sacrificii materia à laicis subministrata. Displicuit Gregorio Magno, quod Syracosanus Episcopus oblationes respuisset Parritii Venantii inter Missarum solemnia, jussitque ut in do-

mum ejus ipse concederet, & ibi sacra illi celebraret. *Quatenus & oblationes antedicti viri omnimodo in dulcedine suscipere debeatis, & celebrando apud eum Missas priorem gratiam reformare. L.5. Epist.42. 43.*

Disertissimè affirmat Joannes Diaconus Eucharistiam consecrari solitam ex panibus ipsis, quos privati obtulissent. Tritissima narratio de muliercula, quæ risum non continuit, ubi celebrans Gregorius sacrificium, porrexit ei portiunculam panis, quem ipsamet suis manibus fecerat, affirmavitque ex ritûs sacri formula hoc esse Corpus Christi. *Matrona quadam B. Gregorio per stationes publicas Missarum solemnia celebranti, solitas oblationes obtulerat, &c. Panem quem propriis manibus me fecisse cognoveram, tu Corpus Dominicum perhibebas. L.2. c.41.* Erat tamen jam tum is panis ex quo Christi Corpus conficiebatur, à vulgato diversus, cum ex ipsomet Gregorio in Dialogis Presbyter quidam remuneraturus leviora quædam sibi præstita obsequia, duos obtulerit ejusmodi panes, sacrificio destinatos: *Duos secum oblationum coronas detulit.* Et hic tamen panis ea ipsa destinatione utcumque jam sanctus habebatur: *Iste panis sanctus est. Dial.l.3. c.55.*

II. Agens idem Gregorius de muliere, quæ pro conjuge suo, quem extinctum existimabat, ad altare offerebat, eam pro viro sacrificium obtulisse ait. *Pro quo suus conjux diebus certis sacrificium offerre consueverat. Ibid. l.4. c.57.* Et alibi de oblationibus pro mortuis verba faciens: *Dum oblatio pro eis fuisset immolata. L.2. c.23.* Sed quanquam eæ oblationes altari, & ministerio altaris dicatæ essent: illas tamen fidelium pietas etiam Monachis & Eremi incolis impertiebat; ut ex eodem Gregorio constat. *Dial. l.3. c.26.* Enarratis enim miraculis, quæ à sanctissimo Italiæ Anachoreta edebantur, cœpisse ait populos viciniores suas ad eum comportare oblationes, & cum suas cæteris nefarius quidam permiscuisset, sanctissimum virum eas dignovisse & abjecisse. *Fecit oblationes suas, easque inter oblationes aliorum misit, ut ejus munera saltem nesciendo susciperet. Sed cum coram eo fuissent oblationes omnium deportata, &c. Hom.37. In Evang.*

III. Quæ quidem oblationes privatim fieri solitæ ad usum Clericorum & Monachorum, & ad victum eorum, nonnullo distabant ab illis intervallo, quas sanctissimus Papa ex trito Patrum usu *Hostias & Oblatas* vocitat. Rursusque secernendæ oblationes privatorum à publicis, de quibus agit Gregorius in Epistola ad Joannem Proconsulem Italiæ, quem hortatur, ut ne cesset à largitionibus Imperatoris, quæ frequentatæ semper fuerant in Ecclesia Neapolitana, sub prioribus Italiæ Præfectis. *Fertur itaque, quod annonas atque consuetudines Diaconia, quæ Neapoli exhibetur, Eminentia vestra subtraxerit. Quod minùs fortasse fuerat obstupendum, si Joannis decessoris vestri non fuissent tempora ministrata. L.8. Epist.20.*

IV. Ecclesiarum Gallicanarum semper flagravit zelus, ut Ecclesiis & Cœnobiis persolverentur oblationes, donationes, largitiones cujusque modi destinatæ ad fovendos alendosque pauperes, quos occidisse est, non pavisse. *Clerici etiam, vel saculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamentis relictas, retinere persliterint, aut id, quod ipsi donaverint Ecclesiis vel Monasteriis, crediderint auferendum, sicut Synodus sancta constituit, velut negatores pauperum, quousque reddant, ab Ecclesiis excludantur.* Ex hoc certè Canone, compluriumque Conciliorum, *Conc. Agathen. Can.4. Conc.III. Vasense c.4. Conc.II. Arela. c.43.*, simillimis decretis dilucidum est, oblationum nomine comprehendi solita dona quævis, & legata pia, quæ superstites, ac morientes Ecclesiis ac Monasteriis contraderent. Quod nimirum, omnia utcumque referrentur ad verissimum sacrificium, cujus ea essent umbratica quædam imitamenta *Aurel.III. Can.22.*

V. Concilio Matisconensi II. anno 585. doluit, *Can.4.*, refrigescere pietatem fidelium, jam non frequentari oblationes, & cultum Altaris religiosissimum torpere. Hinc illud ejus præceptum, non sine excommunicationis interminatione, ut utriusque sexus fideles, quolibet Dominico die panem & vinum ad sacrum offerrent. *Ita ut nullus eorum parere velit officio Deitatis, dum sacris Altaribus nullam admovent hostiam. Propterea decernimus, ut omnibus Dominicis diebus, Altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur, tam panis, quàm vini; ut per has immolationes, & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel vel cæteris justè offerentibus, promereantur esse consortes. Omnes autem qui definitiones nostras per inobedientiam evacuare contendunt, anathemate percellantur.*

VI. Hæ germanæ Altaris oblationes à fideli quolibet, quolibet Dominico die offerendæ, ad sacrificium ex iis celebrandum. De his oblationibus exponendus Canon Concilii Arelatensis V. ubi præcipitur, ut Episcopi omnes Provinciæ Arelatensis, in easdem leges, eosdemque ritus consentiant Ecclesiæ Metropolitanæ Arelatensis. *Ut oblata, qua in sancto offeratur Altario, à Comprovincialibus Episcopis non aliter nisi ad formam Arelatensis offerantur Ecclesiæ. Can.1.*

VII. Vigebat denique ea ubique regula, non alio magis privilegio fideles sejungi, sive dum adviverent, sive post mortem, ab excommunicatis & pœnitentibus, quàm quod jure potirentur admittendæ oblationis suæ ad incruenti & divini sacrificii celebrationem. Ad manum sunt probationes, & ea copia, ut supersedere satius sit iis acervandis. Unum non omittam notabilem Aurelianensis II. Concilii Canonem, quo jubentur suscipi oblationes eorum, qui extremo supplicio criminâ luerunt, dum ne ipsi mortem sibi consciverint. *Oblationes defunctorum, qui in aliquo crimine fuerunt interempti, recipi debere censemus, si tamen non ipsi sibi mortem probentur propriis manibus intulisse. Can.15.* Id animo suo præceperant hi Antistites, potuisse scelerosos istos sincero facinorum suorum dolore ac pœnitudine concuti, vel antequam in satellitum manus inciderent, vel dum litem Judices instruerent. At qui sibi & vitam sua manu, & pœnitendi spatium eripuissent, tam non posse eos Ecclesiasticæ communionis, quàm nec cœlestis patriæ felicitatis compotes fieri.

VIII. Ethnicos agricolas rusticosque ejusmodi alios narrat Gregorius Turonensis, Episcopi concionibus incitatos, in Ecclesiam Beati Hilarii Pictaviensis oblationes advexisse easdem, quas impia & profana antè superstitione in lacum conjiciebant, justissima hac mercede, ut quatriduo post ex eodem lacu quotannis tempestas quædam exorta latè omnia popularetur. *Certo tempore multitudo rusticorum, quasi libamina lacui illi exhibens, linteamenta projiciebat, ac pannos, qui ad usum vestimenti virilis præbentur, nonnulli lanæ vellera, plurimi etiam formas casei, ac cera, vel panis, diversasque species, unusquisque juxta vires suas, quæ dinumerare perlongum puto, &c. Omnia qua ibidem projicere erant soliti, ad Sanctam Basilicam conferebant. De gloria Confess. c.2.* Hæc ille de oblationibus in Cleri & pauperum sustentationem. Quoad illas quæ ad Altare fiebant, sic ille rursus de ea vidua, quæ pro conjuge offerebat: *Mulier per annum integrum ad hoc templum degens, assiduè orationi vacabat, celebrans quotidie Missarum solemnia, & offerens oblationem pro memoria viri, &c. Sextarium Gazeti vini in sacrificium &c. Ibidem. c.65.* Paulò dilucidius de eodem mox, ubi ait vinum generosum eam obtulisse,

quam-

quamvis ipsa quidem non reficeretur quotidie Eucharistia: *Mulier non semper ad communicandi gratiam accedente.* Quod consultò hic monui, ut intelligas, quamvis oblatio & communio res essent conjunctissimæ, non ita cohæsisse tamen indivulsè, ut seculis his saltem mediis non offerrent aliqui, qui eodem ipsi quidem die à communione se abstinerent. Rursus idem alibi declarat studuisse fideles, ut oblationes etiam illas, quæ ad sacrificium nihil pertinerent, ante Missarum solemnia offerrent, quod ea quoque suo quodam modulo sacrificia esse intelligerentur, in quæ odor aliquis è vero sacrificio Corporis Christi inhalaretur. *Ultrogotha Regina mane oblatis muneribus multis, Missas expetiit celebrari.*

IX. Observavit B. Eligius Noviomensis Episcopus in homilia quadam sua morem vetustissimum, ut participes fierent fideles panis & vini à se oblati post consecrationem factam. *Hæc dixit Apostolus, quia Corinthii, qui per prædicationem ejus ad fidem venerant, solebant in hac die offerre ad Ecclesiam panem & vinum, & dabant Sacerdoti ad consecrandum; expletisque mysteriis unusquisque, quod dederat, recipiebat. De Mirac. B. Martini. L.1. c.12. Hom.15.* Quæ ad Altare fiebant oblationes, ex quibus & populus communione impertiebatur, ab aliis diversissimæ erant.

X. Venio ad Hispaniam, ubi Ilerdense Concilium fidelium eorum respuit oblationes, qui filios suos ab hæreticis tingi sinunt sacro fonte. *Oblatio illius in Ecclesia nullatenus recipiatur. Can.13.* Quod eodem redit ac si communione ejicerentur. Eadem ratione & iisdem verbis Braccharense Concilium, *Can.16.*, eos summovet communione, qui cruentas sibi manus intulerint, vitaque seipsos ejecerint. Et in eo quidem Aurelianensi suprà laudato Canoni consentit hic Braccharensis; qui rursus ab eodem vehementer dissonat, cum eos pari innodat excommunicatione quos Judex publicus noxios morte affecerit. Quo & illud referri par est, quod idem Braccharense Concilium jure oblationis post mortem & sepultura interdicit Ecclesiastica Cathecumenos, qui ante baptismum inopina & præcipiti morte rapiuntur. *Neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium.* Erant & aliæ Ecclesiæ, ubi humanius aliquid in hos consuleretur. Ea porro disciplinæ varietas ex eo capite oriebatur, quod quædam Ecclesiæ excommunicatos eo nexu solverent etiam post mortem, ubi justæ succurrebat causæ: aliæ, qui superstites communione spoliati fuissent, eos nec mortuos unquam restituebant. Pugnabant sibi in speciem usus ejusmodi contrarii, æquitati & pietati minimè repugnabant. Pium est enim res sacras discrimini non committere, ubi nutant & vacillant omnia. Pium est nihilominus, de Dei miseratione & hominum salute non desperare, quandiu tantillum spei allucescit.

XI. In Concilio Toletano XI. communione & oblationis jure spoliati sunt, ut & aliis jam suprà laudatis decretis, qui mortales cum sint, immortalibus servent inimicitiis. *Discordantium fratrum oblationes, juxta antiqui Canonis definitionem, nullo modo recipiendas esse. Can.4.*

XII. Sed apertissimè docebit nos Concilium Toletanum XVI. quod necdum potueramus, nisi fluctuantibus assequi conjecturis, de forma & præparatione ejus panis, qui primaria & princeps oblatio est. Damnatur enim in hoc Concilio eorum consuetudo Presbyterorum, qui ad Altare non consecrabant, nisi portiunculam, & crustulum rotundum panis alicujus communis & usitati. *Eo quod non panes mundos, & studio præparatos supra mensam Domini in sacrificio offerunt, sed passim de panibus, suis usibus præparatis, crustulam in rotunditatem auferant, eamque super Altare, cum vino & aqua, pro sacro libamine offerant. Can.6.* Eum usum à Græcis, ut apparet, profectum, apud quos & etiamnunc viget, convellunt hujus Toletani Concilii Antistites, ex eo quòd Evangelici Codices, & Paulinæ ipsæ Epistolæ confirment disertis verbis, panem integrum à Christo consecratum fuisse, & ita Apostolis distributum. *Accepit Jesus panem, &c. Quid aliud innuit nisi quia panem integrum accipiens, & benedicendo confringens particulatim unicuique discipulorum sumendum contradidit.* Ex quo id ab illis concluditur, Ecclesiam huic exemplo, & divinæ formæ obsequentem, offerre debere panes integros, diligentissimè paratos & elaboratos ad sacrificium, sed ita tenues, ut vel hinc æstimari possit, eo cibo, non carnem, sed mentem pasci; nec corporales, sed spiritales veritatis delicias degustari. *Ut non aliter panis in Altari Domini, sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus; neque grande aliquid, sed modicu tantùm oblatu, secundùm quod Ecclesiastica consuetudo retentat; cujus reliquia aut ad conservandum modico loculo, absque aliqua injuria facilius conserventur; aut si ad consumendum fuerit necessarium, non ventrem illius, qui sumpserit, gravis farciminis onere premat, nec quod in digestionem vadat, sed animam alimonia spiritali reficiat.*

XIII. Quantumvis modicus & tenuis esset panis Eucharisticus, qui *oblatu* dicebatur, sive *oblatio*, unde & usus Gallicani vernacula etiamnunc vox: (Oublies.) reliquæ certè oblationes tam copiosæ erant & uberes, ut Basilicas aliqui extruerent, avaritiam sacrilegam pietatis fuco obumbrantes, ut oblationum, quæ ibi fierent, partem aliquam ad se derivarent; Ei corruptelæ extirpandæ operam dedit Concilium Braccarense II. vetuitque ne Episcopi eas dedicarent Basilicas, quarum Patroni dimidiam adscripturi sibi erant oblationum partem, parte altera sacris Ministris cessura. *Si quis Basilicam non pro devotione fidei, sed pro quæstu cupiditatis ædificat, ut quidquid ibidem de oblatione populi colligitur, medium cum Clericis dividat, eo quod Basilicam in terra sua quæstus causa condiderit, &c. Can.6.*

XVI. Nec multùm ab his Oriens abhorrebat. In Concilio Trullano, *Can.28.*, oblitterata est prior consuetudo exprimendi uvas in Calycem sanguinis Christi, quo populus communicabatur, statutumque ut primitiæ uvarum separatim à plebe offerrentur, à Sacerdote benedicerentur. Vetitum est & illud hoc eodem Concilio, *Can.57.*, ut ne mel & lac ad Altare offerretur; nec enim prohibebatur, quin privatim offerretur, cum hæc sacra sint spiritalis infantiæ Symbola, quibus Neophyti pascebantur. Denique eo Concilio vetitum est, ne plebs ad oblationes veniens in Sanctuarium ad Altare penetraret, ex antiquissima consuetudine solis Imperatoribus eo privilegio utentibus.

Sancit etiam Isidorus Hispalensis Episcopus, ut Subdiaconi obviam procedant, fidelium oblationes accipiant, ad Diaconum ferant, à quo Altari imponantur. *Ibidem. L.7. c.12.* Crebra mentio in Codice, *l.1. De Sacrosanct. Eccl. l.17.*, panum civilium: *Panes civiles*, & à probabili non diffidet frumentum illud fuisse publicum, vel panem, quo Ecclesia ad sacrificium donaretur, ex Reipublicæ, vel Principis fisco. Congessit Joannes Damascenus in sermonem de Defunctis, quæ pulcherrimè & vehementissimè dicta fuerant à Sanctis Patribus, ad cohortandos fideles, ut oblationes ingeminarent pro consanguineis & proximis suis, ut ne mortuos quidem defraudatos vellent eo fructu, quem ex terrenis hic quondam suis bonis capere

adbuc

adhuc possunt. Si enim Ethnici flammis voracibus injiciebant, quæ carissima defunctis fuerant: quantò justius est per manus vicarias pauperum in cœlos transmitti, quæ amici & proximi in potestate hic habuere.

XV. Ut onde exorsa est, eò se restctat oratio, hoc addam, in Concilio VI. Romaoo sub Papa Symmacho, anathemate inustos fuisse, qui oblationes & agros Ecclesiæ invaderent, præter voluotatem Episcopi. *Oblationes fidelium à nemine præsumantur, absque consensu & voluntate Episcopi.* Quantumvis Regiam prætexerent donationem. *Sub specie largitatis regia, vel cujuscumque potestatis.* Cum custodes omirum & defensores sint Episcopi, non Chartarum, sed rerum Ecclesiæ. *Iniquum enim esse censemus, ut potius custodes chartarum, quàm defensores rerum creditarum, ut præceptum est, judicemur.*

XVI. Ex tam opulentis oblationibus ad Sancti Petri Romæ Basilicam, quas prolixè descripsit Anastasius Bibliothecarius in vitis Romanorum Pontificum, oon attingam, oisi quas Hormisdæ Papæ offerri curavere Clodovæus Francorum Rex, Imperator Orientis, & Theodoricus Rex Italiæ. *Venit Regium donum cum gemmis pretiosis à Rege Francorum Clodoveo Christiano B. Petro Apostolo. Sub hujus Episcopatu multa vasa aurea & argentea venerant de Græcia, &c. Pallium holopherum blattenm cum tabulis auro textis, de chlamyde vel de stola Imperiali, &c. Hæc omnia à Justino Augusto orthodoxo, votorum gratia oblata sunt. Eodem tempore Theodoricus Rex obtulit Beato Petro Apostolo cerostrata argentea, pensantia libras septuaginta.* Ita Imperatores & Reges certatim ad Altaria Christi congerebant, abjiciebantque Regias coronas, Imperatoria pallia, quidquid usquam esset opulentissimum.

C A P U T XIV. *P.3. l.3. c.3.*

De Oblationibus ad Altare, de pane, de vino, de Pane Benedicto, sub Imperio Caroli Magni, ejusque stirpis.

I. Duo genera oblationum, ad Altare, & domi.

II. Panes duplicis generis offerebantur; nempe alii mundiores, & candidiores ad Eucharistiam.

III. Quando inoleverit primùm mos azymos consecrandi panes.

IV. Panes, qui offerebantur, hostia erant sanctæ, etsi non omnes consecrarentur.

V. Quorum respuerentur oblationes. De pœnitentibus, de necis suæ authoribus, de obtruncatis Judicum sententia. Qua spes residua salutis eorum.

VI. De Latinorum Pane benedicto.

VII. VIII. De pane benedicto & oblationibus Græcorum.

I. Distingui videntur in Concilio Francofordiensi duæ oblationum species; aliæ ad Altare, ad sacrificium ipsum offerendæ & impeodendæ: aliæ ad Presbyterorum, vel Episcopi ædes convehendæ, ad sustentandos pauperes, quorum numero Clerus ipse inscribi se gestiebat. *De oblationibus, quæ in Ecclesia vel in usus pauperum conferuntur, canonica observetur norma, & non ab aliis dispensentur, nisi cui Episcopus ordinaverit.* Can. 48.

II. Panes tamen, qui à Presbyteris ad altare offeruntur, à Presbyteris ipsis conficiendos fuisse insinuat Theodulphus, aut ipsis præsentibus à junioribus Clericis, summa quadam cura & munditia, vinum & aquam eadem diligentia parari debuisse: oblationes denique mulierum inter sacra longè ab his distare: nec verò permittendas eas esse ad Altare accedere, ad offerendum: sed obvios prodire Presbyteros ad earum sedes, ut ibi oblationes suscipiaot. *Panes, quos Deo in sacrificium offertis, aut à vobis ipsis, aut à vestris pueris coram vobis nitidè & studiosè fiant. Et diligenter observetur, ut panis, & vinum, & aqua, sine quibus Missa nequeunt celebrari, mundissimè atque studiosè tractentur, & nihil in his vile, nihil non probatum inveniatur, &c. Fæminæ Missam Sacerdote celebrante, nequnquam ad Altare accedant, sed locis suis stent, & ibi Sacerdos earum oblationes Deo oblaturus accipiat.* Cap. 5. 6.

Ex quo Theodulphi Capitulari intelligis, jam Eucharistiæ destinatos amplius non fuisse panes, qui à Laicis offerebantur, sed aleodis egenis; ad sacrificium verò adhibitos panes illos nitidiores, quos Clericorum saltem suorum maoibus muodissimos fieri Presbyteri curabant.

III. Si ut non paucis, nec indoctis visum est, consecrata est olim Eucharistia ex panibus fermentatis in Ecclesiis Latinis, quando consecrabantur panes illi ipsi, quos Laici domo sua allatos offerebant: & rursum si eo usu destitum noo est, nisi paucis antè sæculis, quàm hinc Græci ansam accuparentur invidiæ Latiois faciendæ: ea mutatio disciplinæ non injuria imputari poterit ei causæ, quam perstrinxit Theodulphus. Cum enim iocessisset novus amor & nova cura nitoris & munditiei panum consecrandorum, unde & eis elaborandis præpositi sunt Presbyteri: simillimum veri est, tum cœpisse Presbyteros conficere & offerre nitidiusculos, candidiores & mundiores panes hos iofermentatos.

IV. Ex ea mutatione non erat, quod charitas fidelium remitteret, aut exarescerct, vel decresceret largitas. Erant enim semper eorum oblationes charitatis hostiæ & propitiationis; quibus cum vescerentur membra Christi potissima pauperes, in Christi etiam ipsæ corpus quodammodo convertebantur. Cum ne primis quidem sæculis Ecclesiæ exorientis, credibile sit, quidquid offerebatur panis & vini, consecratum totum fuisse. Prona fides est eorum portionem taotùm modicam consecratam fuisse; ot reliquæ partes pignora essent pacis & concordiæ inter omnia Christi membra conglutinandæ. Ita seotire, id spirare videtur Concilium Moguntinum: *Oblationem quoque & pacem in Ecclesia facere jugiter admoneatur populus Christianus; quia ipsa oblatio sibi & suis magnum remedium est animarum, & in ipsa pace vera unanimitas & concordia demonstratur.* Can. 44.

V. Certè oblationes quæ in defunctorum memoriam semper fiebant, hortantibus ipsis Caroli Magni Capitularibus, *Capital. l. 5. c. 94.*, & quibus frustrabantur ii soli, qui anathemate soluti non fuerant, antè quàm vita: hæ, inquam, oblationes jam non poterant iis communicandis adhiberi, pro quibus offerebantur. *Anathematizetur, ita ut mortuus precibus & oblationibus careat, nec eleemosynam suam quisquam recipiat.* Admittebantur tamen oblationes pænitentium, recooeiliationi suæ præmorientium; quanquam inclementiores aliquæ Ecclesiæ ne eas quidem dignatæ essent suscipere. *Quanquam diversitas præceptorum de hoc capitulo habentur, illorum tamen nobis sententia placuit, qui multiplices numero de hujusmodi humanius decreverant, & ut memoria talium in Ecclesiis commendetur, & oblatio pro eorum dedicata spiritibus accipiatur.* Conc. Gall. Tom. 2. p. 237. Capitul. L. 5. c. 65. 77.

Cum pœnitentes omnes excommunicatorum al-

bo

bo inscribi possent, ot nec Eucharistiæ compotes fieri, nec sacrificio interesse possent: eorum oblationes alicubi abjiciebantur, si necdum Altaribus reconciliati interirent; in aliis Ecclesiis, utique bene moltis, *multiplices numero*, admittebantur, contemplatione pœnitentiæ, qua Deo clam reconciliari potueraot. In his postremis erant Ecclesiæ Romana & Gallicana.

Qui mortem sibi ipsi coosciscebant, jore merito excidebant hoc oblationis posthumæ jure, qua restitutio quædam in communionem continebatur. Sed pro iis preces & eleemosynæ effudi poteraot, quòd arcana & incompreheosibilia sint Dei judicia, *De eo, qui semetipsum occidit, aut laqueo suspendit, consideratum est, ut si quis compatiens velit eleemosynam dare, tribuat: & orationes in Psalmodiis faciat, oblationibus tamen & Missis ipsi careant, quia incomprehensibilia sunt judicia Dei, & profunditatem consilii ejus nemo potest investigare. Capitul. l.6. c.70.*

Cum ex hujus qoidem Constitutionis authorum senteotia, prorsus conclamata non esset ejusmodi hominum spes salutis, quos sua tamen communione mortuos arcebant, hoc est, quorum tunc oblationes vetabant suscipi: quî ergo & eodem modo confidamus eas Ecclesias, quæ pœnitentium reconciliationi præmortuorum oblationes abnuebant, non tamen omnino de eorum salute desperasse? Sed ex hac sanè Constitutione illud monemur, altissimè animis commendandum nostris, ne præcipitemus assensionem nostram in rebus hujusmodi non prorsus certis, & ubi tantì interest ad animarum salutem: utque potiùs damnemus præfestinas omnes ejusmodi rerum, pro cujusque libitu definitiones. Certissimæ sunt regulæ generales, nutant semper particulares species, & causæ personales.

Eadem eaotio ac moderatio animi, assensusque suspensio ad alia complusculа Capitularium loca diffundi debet, etsi nihil ejusmodi exprimatur, propterea quod de Officiis tantùm agitur publicis Ecclesiæ, quibus privari quis potest, & ante & post mortem, citra periculum salutis, & citra jacturam spiritualium subsidiorum, quæ cuiquam affluunt ex aliorum fidelium precibus & eleemosynis. Id enimvero tantò certius est, quòd eadem io classe locentur, quos publicus Judex morte damnat. Eccui autem dubium, quin ii possint, debeantque cæterorum fidelium charitate & precibus foveri? *Placuit ut qui sibi ipsis, aut ferro, aut veneno, aut præcipitio, aut suspendio, vel quolibet modo violenter inferunt mortem, nulla illis in oblatione commemoratio fiat, neque enim Psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur. Multi enim sibi per ignorantiam usurparunt. Similiter & de his placuit, qui pro suis sceleribus puniuntur. Cap. l.7. c.322. Ad.4. c.59.* Hos posteriores indulgentiùs habuit Rabanus in Concilio suo Moguntino, *Can.27.*, anno 848. Voluit enim, ut oblationes eorum susciperentur, & post mortem pro eis offerretur, si antè Deo confessi essent. *Post confessionem Deo peractam.* Quod omninò concinit Concilio II. Aurelianensi. Sed omnium frequentissimæ erant oblationes, quas vivi pro se ipsis offerebant.

VI. Statutum illud quoque in Capitularibus, ut Dominico quoque die fideles sacra Altaria suis oblationibus venerentur: *Et hoc populo nuntietur, quod per omnes dies Dominicos oblationes Deo offerent, & ut ipsa oblatio foris septa Altaris recipiatur. L.5. c.219.* Hic obiter adverte oblationes virorum extra & juxta cancellos susceptas fuisse, ubi eorum sedes: sicut & mulierum inferiùs, ubi & ipsis adsignatæ sedes propriæ.

Non quò optatissimum non fuisset, ut fideles diebus singulis, & Mysteriis interessent, & sacro epulo reficerentur. Sed serviendum fuit tempori & infirmitati plebium, & acquiescendum, ut Dominicis saltem diebus eo religionis fungerentur officio. Fideles dixi, qui enim flagitio quovis irretiti fuerant, ii pœnitentiæ mancipandi erant, & utroque excutiendi jure oblationis & communionis. *Placuit ut fideles oblationes eorum Sacerdotibus quotidie, si fieri potest, in Ecclesia offerant; & si quotidie non potest, saltem Dominica die absque ulla excusatione fiat, & ut prædicationem audiant; Et si fieri potest, enim Dominica die communicent, nisi criminali peccato & manifesto impediantur. L.6. c.157.*

Duo nobis supersunt in hoc Capitulare animadvertenda. Primum est, fidelium complurimos adhuc offerre solitos inter sacra diebus singulis, cum illud exoptetur, ut nemo non offerat quotidie. Sunt enim semper in Ecclesia aliquantuli priscæ observantiæ retinentissimi, qui glíscenti remissioni obluctentur. Alterum est, cum præcipiantur fideles omnes offerre, si fieri possit, quotidie, & Dominicis saltem diebus: nec invitentur, ut & singulis diebus communicent: in eo rursus argumenti satis esse, ut dicamus, non ita jam ut quondam indivulsa cohæsisse jora offerendi, & communicandi.

Nec mioùs perspicuè hæc omnia observanda veniunt in Constitutionibus Synodalibus Herardi Archiepiscopi Turonensis. Sancit enim ille quidem, ut invitentur fideles ad frequenter offerendum; sed quod ad communionem attinet, cupit tantummodo, ut tertio vel quarto Dominico quoque die ad communionem accedant, si modò nullo sint ejusmodi illaqueati crimine, quod pœnitentię sit subjiciendum publicæ. *Ut populus prædicetur, ut oblationes Deo offerant, & ut tertia Dominica, vel quarta communicent, abstinentes se à luxuria propriisque uxoribus, & reliquis illicitis, nisi fortè criminalibus culpis sint impliciti. Anno 858. Cap.53.* Quin & illud docet, quæ creberrimę fierent io Ecclesia oblationes, oleom, thus, panis, primitiæ omnium frugum. *Quando populus ad Ecclesiam venerit, moneantur, ut luminaria, incensum, & buccellas, & fructuum primitias afferant. Cap.114.* Locum denique observat, ubi sedes erant plebis, & ubi oblationes extra cancellos admittebantur. *Ut laici infra cancellos non stent, & ut oblatio populi foras septa recipiatur. Cap.82.* Si probibeatur autem eleemosynas suscipi impiorum, vita functorum, ad sacrificium id spectat & ad publicas preces, quibus privantur profectò, ut & Ecclesiastica sepultura. *Quoniam nec impiorum eleemosyna à Sacerdotibus vel reliquis fidelibus accipienda est, nec sepultura fidelium tribuenda. Cap.116.*

VII. In Concilio Nanoetensi jussi sunt Presbyteri, non antè Mysteria auspicari, quàm Ecclesia eos ejecerint omoes, qoi proximo reconciliari detrectaverint. *Non enim possumus munus, vel oblationem ad altare offerre, donec prius fratri reconciliemur. Can.1. 9.* Sed in eo Concilio insignis & famosus in primis est Canon, quo de Eulogiis agitur, sive de Pane benedicto. Jubetur enim, ut Presbyter benedicat reliquias panis omnes, post cooconsecrationem peractam residuas, easque dispeoset quolibet Dominico & Festo die, in eos omoes, qui ad sacram non accesserint Corporis Christi communionem. *Ut de oblationibus, quæ offeruntur à populo, & consecrationi supersunt, vel de panibus, quos offerunt fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis Presbyter convenienter partes incisas habeat, in vase nitido, ut post Missarum solemnia, qui communicare non fuerint nati, eulogias omni die Dominico & in diebus Festis exinde accipiant. Regino. l.1. c.1. num.61.* Subjicitur ibidem apud Reginonem Collecta ad ejus benedictionem panis. Hinc liquet fuisse tum adhuc Ecclesias, ubi consecrarentur aliqui ex iis panibus, quos populus obtulisset. Sed

oon

non minùs dilucidum est in hoc Canone secerni oblationes, & panes à populo oblatos, fierique Eucharistiam ex oblationibus, non ex panibus. Ratio in promptu est, quod oblationes jam usu receptissimo dicerentur, modici illi & candidiusculi panes, ac infermentati, qui ad Eucharistiam conficiebantur, & ex quibus tamen si quæ residuę essent, ut & ex panibus Panis benedictus fiebat.

Hoc decretum iisdem prorsus verbis occurrit in Capitulari Hincmari ad Presbyteros suos. *Hincmar. Tom.1. pag.711. c.7. & pag.715. c.16.* Si ea certè primigenia non est institutio Panis benedicti, antiquissima est saltem ejus confirmatio quædam, & quasi promulgatio. Prolata est à Balsamone Theophili Alexandrini Episcopi Epistola canonica ad Ammonem, in qua edicitur, ut post panis & vini Eucharisticam consecrationem, reliquiæ Clericis & Laicis distribnantur, Cathecumenis eius Beneficii penitus exortibus. *Qua in sacrificii rationem offerantur, post ea, qua in Sanctorum usum consumantur, Clerici dividant: & nec Cathecumenus ex eis bibat, vel comedat; sed solùm Clerici, & qui cum eis sunt fideles fratres.* Habes hic panem fidelibus proprium, Eucharistiæ afflatu aliquo persusum, quo nec Cathecumeni impertiuntur; sed qui tamen non expressè hic præcipitur Dominicis & Festis diebus singulis distribui. Quanquam nil vetat rem eo argumentando derivare: cum his maximè diebus & Eucharistiæ celebretur Mysterium, & supersint panis reliquiæ non consecratæ.

Est in eodem Hincmari Capitulari statutum aliud, de Confratris, quo permittit ad Altare offerri à Confratribus cereos, vel ante Missam, vel ante Evangelii recitationem. Nec plures à singulis *oblatas*, seu oblationes offerri patitur. *Oblationem autem unam tantammodo oblatam & offertoriam, pro se suisque omnibus conjunctis & familiaribus offerat.* Annuit denique ut Presbytero ante, vel post Missam tantùm dent, aut vini, aut oblatarum, quantum volent, ot iis ille plebem impartiatur, aut ad necessaria Parochi alimenta. *Si plus de vino voluerit, in butticula vel canna, aut plures oblatas, aut ante Missam, aut post Missam Presbytero, vel ministro illius tribuat, unde populus in eleemosyna & benedictione illius eulogias accipiat, vel Presbyter supplementum aliquod habeat. Reginon. L.1. c.1. n.72. 73.*

VIII. Inter Græcos sub Imperio Alexis Comneni Nicolaus Patriarcha Synodales Responsiones edens ad varia Consulta, constituit reliquias panis & vini, quæ oblatæ illæ quidem, non consecratæ tamen fuissent, non posse nisi in Ecclesia comedi; si earum prima à Presbytero facta esser exaltatio; si verò eæ exaltatæ, sive elevatæ non fuissent, satis esse ut separatim comederentur, nequaquam cum alia re quavis. Ad aliam rursus percunctationem qua quærebatur, an *oblata*, quæ exaltatæ, hoc est, elevatæ & oblatæ fuerant, non consecratæ, possent iis condonari, quibus Eucharistia interdicta fuerat: respondetur à Patriarcha; In vita Theodori Siceotæ legi eos indignos esse judicatos. *An oportet eos, qui à sancta donatione sunt probibiti comedere exaltatas oblationes. Respondetur; Invenimus in vita Sancti Theodori Siecota eos fuisse prohibitos.* Addit Balsamon, *pag.230. 232.*, eum ipsum fuisse sui seculi usum; excipiendas tantùm esse existimat mulieres, quæ pœnitentiæ addictæ fuere. Ut enim ex statuto Basilii sacrificio præsentes illæ adsunt, ne qua iniquior suspicio mentes maritorum exagitet; ita ne pane quidem hoc Benedicto eas fraudari fas est, cujus participes sunt fideles omnes; ne hinc etiam exitialibus illis suspicionibus janua pandatur.

IX. Author est rursus idem alibi Balsamon, *In Can. 3. Apost.*, quotannis à Patriarcha Constantinopolitano offerri ad Altare primitias uvarum, post celebrata Mysteria die festo Assumptionis, in Ecclesia Beatæ Mariæ de Blachernis. Ubi verò Canone Trullano uni permittitur Imperatori in sanctius Altaris adytum subire, ut dona sua offerat: ait Balsamon, *In Can.69. Trullan.*, utcumque sentiant alii, in ea se esse sententia, non ea tantum de causa posse Imperatorem illud inire penetrale sanctissimum; sed posse semper, etiam ad adolenda Thymiamata. *Imperatores, qui per Sancta Trinitatis invocationem Patriarchas provehunt, & sunt Christi Domini, sine ullo impedimento, quando voluerint, ad sacrum Altare accedunt, & sufficiunt, & cum triplici cereo signant, sicut & Pontifices.* Minùs mirabimur, quod à Balsamone arrogatur Imperatori, qui Christus Domini est, & qui investit Patriarcham, aliquid privilegiorum Sacerdotii: si pensitemus, quod alibi idem ipse narrat. *In Can. 44. Laod.*, inter Latinos intra ea adyta sacra, intra cancellos penetrasse fœminas, quoties liberet. In Jure Orientali Leunclavii prohibetur, *Tom.1. pag.25. 339.*, ne ad Altare admittantur oblationes Parentum, qui filios non emancipatos luxuriari sinunt & intemperantiæ se dedere.

CAPUT XV. *P.4. l.3. c.4.*

De Oblationibus & de Collectis generalibus, post annum Christi millesimum.

I. Quàm uberes essent & abundantes Romæ oblationes.

II. Non arbitraria erant illa, sed necessaria, ut decima.

III. Ab undecimo sæculo ad duodecimum venitur, ostenditurque, etiam tum solitas exigi oblationes, & earum participes esse non potuisse laicos.

IV. Aliqua adnotantur de pane in Oriente & Occidente benedicendo & consecrando. De jejuniis. De Missis. De Communione sub utraque specie.

V. Rursus de oblationibus sæculo decimo tertio. Dissensiones ea de causa inter Clerum & Monachos.

VI. Jam olim Pontifices & Episcopi Regularibus annexerant oblationes & decimas plurium Ecclesiarum.

VII. Quæ oblationes à Judæis exigerentur.

VIII. Series Canonum & Decretorum ejusdem sæculi de oblationibus, ubi multa nudantur notatu digna.

IX. Statuta nuperorum Conciliorum.

X. Decreta Conciliorum Mediolanensium, ad restaurandum priscum oblationum fervorem.

XI. Decreta Conciliorum Galliæ.

XII. De Collectis.

I. VAriæ descriptæ sunt à Victore II. Papa & magnificentissimæ oblationes, quæ Romæ fiebant ad Altare, & ad Confessionem, sive ad tumulum Beati Petri. quæ item Palatio Pontificio, quæ Pontifici ipsi offerebantur; auro, argento, vestimentis pretiosissimis, cera, aliisque speciebus, inter Missarum solemnia, inter divina Officia, totis denique diebus solemnioribus. Accipe hic, quæ decerpsimus ex privilegio, quod ille concessit Humberto Cardinali, & ejus Ecclesiæ Sylvæ Candidæ, ipsi & Ecclesiæ ejus dilargiens oblationes Feriæ quintæ in Cœna Domini, & Sabbati Sancti. *Quidquid auri, argenti, pallii, seu ceræ vel quarumcumque rerum omninò jactatum, vel positum fuerit, vel oblatum in Altari majori Sancti Petri, sive in ejus vene-*

venerabili confessione, aut certè sibi suisque successoribus oblatum ab inchoatione matutinorum quinta Feria in Cœna Domini, usque dum Completorium peractum fuerit, veluti in Sabbato Sancto ab hora tertia per totam ipsam diem, deinceps usque post completam in crastinum Missam, qualescumque, vel quantascumque, oblationes prædicti Altaris & Confessionis ejus. Hinc facilè colligas, quàm incredibilis esset ea oblationum opulentia, cum solis duorum dierum donis Episcopus & Ecclesia alia locupletaretur.

II. In Concilio Romano anni 1059. secernuntur oblationes viventium, & mortuorum, hoc est, pro mortuis. Episcopi potestati eæ permittuntur, & imperiosè exiguntur, non aliter quàm decimæ & primitiæ. *Ut decimæ & primitiæ, seu oblationes vivorum & mortuorum Ecclesiis Dei fideliter reddantur à laicis, & ut in dispositione Episcoporum sint. Quas qui renuerint, Sanctæ Ecclesiæ communione separentur.* Can.5. Id potissimum superioribus Capitibus observari potuit, à Conciliis & Pontificibus plerumque oblationes & decimas conjunctissimas res visas esse, eadem religione & diligentia exigendas, vel à laicorum etiam prædatorum manibus extorquendas. Gregorius VII. in confirmanda sententia depositionis, qua Legatus ejus Episcopum Aniciensem confixerat, prohibuit, nequid posthac oblationum Altari imponeretur, aut offerretur Presbyteris Sanctæ Mariæ Aniciensis, donec incubator ille ab Ecclesia discessisset. *Nullam pecuniam aliquis offerat in Podio Sanctæ Mariæ, sive ad Altaria, sive ad manus Sacerdotum, donec Ecclesia liberetur à tam impia oppressione. Quia oblationes fidelium prædictum Stephanum à Deo apostatare, atque contra eum faciunt superbire.* L.4. Ep.19. Cathedrali ergo potissimum Ecclesiæ & altari ejus oblationes copiosissimæ ingerebantur. Hinc minùs mirum accidet, si ubertas earum esse, tanta & magnificentia. In eodem Concilio Romano anni 1078. ab eodem Pontifice statutum est, ut ne fideles vacuis unquam manibus ad sacrum ventitarent, cum ipsæ vetustissimæ preces Ecclesiæ testatum faciant aliquid semper à fidelibus offerri. *Ut omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre, & ducat ad memoriam, quod Deus per Moysen dixit; Non apparebis in conspectu meo vacuus. Etenim in Collectis Sanctorum Patrum liquidò apparet, quod omnes Christiani offerre aliquid Deo ex usu Sanctorum Patrum debent.* Can.12.

III. In Concilio Pictaviensi anni 1100. proscripta est eadem, quæ in Conciliis Rotomagensi & Nemausensi anni 1096. rapacitas Patronorum Laicorum, qui oblationum partes aliquas sibi vendicatum ibant. Audi Canonem 14. Concilii Pictaviensis. *Ut nullus Laicorum de oblationibus, quæ offeruntur vel donantur ad Altaria, sive ad manum Presbyteri, vel quod pro sepultura fidelium devotè donatur, præsumat participare, sub excommunicatione interdicimus.* Anno 1123. in Concilio Lateranensi I. Eidem rapinæ eadem intentata pœna, quoad oblationes trium principalium Romæ Ecclesiarum, & Altarium quorumcumque aliorum: *Ac de aliis omnium Ecclesiarum Altaribus, sive crucibus.* Can.14. Suprà jam Callistum II. diximus anno 1121. perfregisse audaciam laicorum, qui rerum potiebantur in Ecclesia Sancti Petri, ejusque oblationes usurpabant. Tum verò in eas contrusi angustias laici, ut anathematis in laqueos se induerent, si suo marte oblationes invaderent, eas ab Episcopis extundere aggressi sunt. Fuere ex Præsulibus, qui sive ignavia, sive propriæ utilitatis infanda cupiditate, flagitio assentirentur. In eos detonuit Alexander III. in Concilio Turonensi anni 1163. indixitque atrocissimas minas, si pergerent porro decimas & fundos Ecclesiæ alienare. *Si quis laico in sæculo remanenti Ecclesiam, decimam oblationemve concesserit, à suo statu succidatur.* Can.3. In Concilio Abrincatensi anno 1172. idem error in laicis proscriptus est. *Laici partem oblationum in Ecclesia non percipiant.*

Cinnamus Grammatici dignitate conspicuus in Palatio Constantinopolitano, & historiæ Manuelis Commeni Scriptor, ut qui etiam militiæ semper ejus hæsisset lateri; Sedem commemorat, *L.2.*, vacasse Constantinopolitanam, cum Manuel habenas primùm tractare cœpit imperii: Patriarcham ab eo designatum fuisse Abbatem Monasterii in Insula positi, à quo mox & ipse coronam accepit Imperii, cum inter sacra obtulisset *auri centenarium*, hoc est, centum auri pondo, ejusque summæ duplam in annuas Clero pensiones assignasset. Vides quæ oblationum regiarum magnificentia.

IV. Ex his abundè constat, usque ad exitum sæculi duodecimi, increbuisse oblationes, & publicè ad sacram synaxin, & privatim apud Episcopos & Presbyteros, inexhausta quadam divitum largitate, qua patrimonia pauperum mirificè augescebant. Ad hanc stylum reflectemus historicam oblationum contextionem ubi rem observaverimus memorabilem cum primis. In his nempe testimoniis de pane & vino altissimum ferè fuisse silentium. Eo difficultatis nodo hic constringimur paulò diutiùs immorari, in enucleanda hac oblatione, in qua maxima sunt Mysteriorum momenta. Jam alicubi perstrinximus aliqua de Humberto Cardinali, qui Constantinopolitana Legatione functus est, anno 1054. cujus historiam ipsemet literis consignavit, uti & disputationis suæ cum Græcis, super iis Disciplinæ sacræ capitibus, in quibus tum à Latinis Græci dissidebant. Docet porro hîc Humbertus, tunc ab Ecclesia Latina panem azymum offerri solitum, ab ipsis sacris Ministris in loco sacro confectum. *A Ministris Sacris Altaris in secretario confectum offert azymum.* Convenienter Latinæ, in Ecclesia Hierosolymitana offerri solitas *oblationes tenues ex simila.* Non eo ibi ritu quo apud Græcos communionem impartitam fuisse, corpore Christi intincto in Sanguine, sed solius panis participem factum fuisse populum. *Coclear autem cum quo communicent, sicut in Ecclesiis Græcorum minimè habent; quia non ita commiscent Sanctam Communionem in calice, sed sola Communione communicant populum.* Si quæ superessent hostiæ consæcratæ, eas in crastinæ diei communionem servatas, quòd sacris iis locis quotidie sacræ mensæ consortes fiant. *In pixidem mundam recondant, & sequenti die communicant ex ea populum; quia quotidie communicant ibi, eò quod conveniunt ibi ex diversis Provinciis Christiani.* Hæc non improbabiliter creditur origo communionis laicorum sub una specie panis in Ecclesia Hierosolymitana, propter frequentiam incredibilem peregrinorum ad sacræ mensæ Mysteria confluentium. Hinc verò exempli authoritas in reliquum manavit Occidentem.

Illud postremò subjicitur ab Humberto, quod panes, qui consecrantur, & in communicantes dispensantur apud Latinos, tam modici, tenuesque sint, id eo factum esse, ut degustetur suavitas Panis cœlestis; cum persuasissimum sit minima quavis mica divini Panis hujus, totam contineri Incarnati Verbi dulcedinem, totam sempiternæ Dei sapientiæ, & incorruptæ Veritatis voluptatem. *Cum summa parcitate prægustamus, videre tantummodo cupientes quàm suavis est Dominus; nec dubitandum in quantulacumque portione ejus fideles sibi manducare totam vitam.* Hinc ab eo concluditur participatione divini hujus sacrificii non solvi jejunium: ut quod cibo cœlesti & incorruptibili solvi non possit; ubi sempiterna vita pascitur mens,

nihil hinc integritati jejuniæ carnis deteri, & perire posse. *Credit non vitam incorruptibilem comedentes corrumpere integritatem jejuniorum?* Saginari potest anima nostra sapientiæ, justitię, verisasis, sempiternæ & incorruptibilis vitæ epulo, quod totum in Eucharistia ipsa Christus est, ut eo tamen corporis jejunium non solvatur. Hinc Quadragesimæ & iis jejuniorum diebus omnibus apud Latinos mysteria celebrantur, & illibata jejunii lege ad Eucharistiæ communionem acceditur, cum nulla Christi lex ineffabili ea cum Christo conjunctione violari ac solvi possit. Cum ex adverso Græci, quod panibus usitatis & communibus Missam celebrent, hinc solvi jejunium suspicentur, ideoque per Quadragesimam Dominico tantùm die & Sabbato sacra faciant. Quod subalienum videtur; ut quo tempore impentius rebus sacris & precibus insistendum est scilicet quadragesimali, eo abstineatur re sacra, & sacrificio precum.

A proposito nobis argumento non abs re nonnihil deflexim**us** aut ne deflexim**us** quidem forsan, cum oblationis longè sanctissimæ, & reliquarum oblationum omnium principis ac perfectissimæ usum & naturam aperuerimus. In causa enim id demum fuit, ut ne à fidelibus amplius ii offerrentur panes, ex quibus Eucharistia conficeretur. Si à sacris Ministris panes ii conficiendi erant, nec nisi in secretario, & usque adeo tenues, ac mundi, jam non poterant ejusmodi esse vulgi oblationes. Ab Honorio Augustodunensi traditum est, olim oblatam à fidelibus farinam, ex ea Presbyteros confecisse panes, quos consecrarent, & communicantibus impertirent, eoque etiam tum more Græcos uti. Non facilè ejus usus vestigia vel apud Græcos deprehenderis, vel apud Latinos. Addit porro ille idem augescente deinde fidelium turba, & decrescente pietate, offerri cœpisse denarios, qui pauperibus erogarentur, vel in impensas sacrificii. *Qui tamen denarii in usum pauperum, qui membra sunt Christi, cederent, vel ad aliquid, quod ad sacrificium pertineret.* Adjicit & oblatas, quibus plebs communicabatur, denarii quantitatem non superasse; eisque impressam fuisse Christi eum nomine imaginem, ut qui imago sit Patris, & sua nos imagine cælesti informaturus per Eucharistiam veniat. *Ideo imago Domini cum literis in hoc pane exprimitur, quia & in denario imago & nomen Imperatoris scribitur, & per hunc panem imago Dei in nobis reparatur, & nomen nostrum in libro vitæ notatur. Honor. Gemma animæ l.1. 66.35.* Offerebantur nihilominus à populo panes adhuc aliqui, cum eos in pauperes distribui suadeat Petrus Damiani in Epistola ad Episcopum scripta. *Volo ut in Diœcesanis Ecclesiis, in quibus oblati sunt per celebriora solemnia panes, & si qua sunt alia, quæ ad cibum videntur pertinere, vel potum, pauperibus erogentur. L.4. Ep.1.* Fatetur & quandoque adhuc offerri ad Altare panem & vinum. Sed non hoc vinum, non illi panes & denarii illam pellexissent insatiabilem Laicorum avaritiam, ut rapaces oblationibus sacris manus inferrent. Erant ergo forsan eæ pauperum oblationes; cum interim offerrent divites aurum & argentum, & quidquid usquam pretiosissimum est. Ita enim rursu ille. *Quidam de populo aurum, quidam argentum, quidam de altera substantia sacrificant, &c. Qui panem offerunt, &c. Qui vinum offerunt, &c. Gemma animæ. l.1. c.27.*

Tradit Lanfrancus in Statutis suis ad Officia Ordinis B. Benedicti, quibus diebus Eucharistica abstinebant communione, iis impartitus fuisse Laicos, pauperesque, oblatis non consecratis, sed prece & signo crucis benedictis. *Expleta Missa communicat Sacerdos pauperes, de oblatis non consecratis, signo tantùm Sanctæ Crucis in nomine Domini super eas facto.*

In Concilio Burdegalensi anno 1255. prohibitum est, *Sect.5.Can.5.*, ne Presbyteri parvulos adhuc rudes die Paschæ donarent oblatis consecratis, sed pane eos benedicto impertirent; ut & eos omnes, qui sacra communione interdicti sunt. *Inhibetur Presbyteris, ne hostias consecratas pueris dent ullo modo pro communione in die Pascha, sed panem benedictum communem. Item de aliis prohibitis communicare præcipimus observari.*

In antiquis Cluniacensibus Consuetudinibus, *Spicil. Tom.4. pag.75. 89. 149. 175.*, frequens est mentio oblatarum non consecratarum, quas qui sacra fecerat Presbyter, Monachis postea in refectorio distribuebat iis, qui se sacro Christi Corpore abstinuerant. Die festo S. Sixti, seu cum maturescere cœperunt uvæ, earum primitiæ in Ecclesia benedicebantur, tum in refectorio pro oblatis dispensabantur. Denique ut qui communicaturi erant Monachi, oblatas ipsi ad Altare offerebant, quibus consecratis mox impatirentur: ita eisdem eæ servabantur, & in refectorio reddebantur, ubi oblatione & communione abstinuerant.

V. Redeo ad historiam oblationum post annum ducentesimum supra millesimum. Anno 1205. Urbe Constantinopolitana & Imperio potiti Galli, Venetique, consilium iniere irreligiosum, & ab ipsa humanitate alienissimum, Clero ut fundos darent, ejus sustentationi, & Ecclesiæ decori necessarios, reliquos ipsi inter se dividerent. *De possessionibus Ecclesiarum tot & tantum Clericis debet providerè & Ecclesiis, quod honorificè possint vivere & sustentari. Reliqua verò possessiones debent dividi & partiri secundùm ordinem præsignatum. Raynal. an. 1205. n.6.* Jam non est quòd stupeamus, tam brevi corruisse Imperium, cujus conditores ipsimet fundamenta jam inde ab exordio subduxerant, religionem & pietatem. Non constat an oblationes eo statuto continerentur. Similius veri est, eas Clero dimissas fuisse, sed tantò pluribus fundis suis spoliato.

In Occidente acerbissima dissensio exarsit inter Prælatos & Regulares novos, qui cum ex institutione ipsa sui & Bullis summorum Pontificum adgregati essent ad Hierarchias functiones, oblationes quoque admittebant, tum privatim, tum inter sacra, quod novum statim & non tolerandum visum est Prælatis. Duo in eam rem à Gregorio IX. Decreta edita sunt, *Extra, De excessibus Prælat. c.16. 17.*, quorum altero ait, Prælatos contendere, ut ne possint Monachi suis in Oratoriis Eucharistiam servare: *Nec volunt, ut Corpus Christi in eorum Oratoriis reservetur*: ut in Ecclesiis Parochialibus tumulentur ipsimet, aut ad eas saltem ipsorum corpora deferantur, quò & oblationes Parochiæ cederent: *Funus primò ad Ecclesias deferri cogunt, ut oblatio suis usibus cedat.* Ut omnes in Parochiali Ecclesia celebrarent prima Mysteria, postquam Presbyteratu initiati fuissent; utque oblationes Missarum in privatis eorum Oratoriis celebrandarum, ad Parochos & Episcopos perferrentur. *Nec permittunt quod novi Sacerdotes alibi, quàm in Ecclesiis suis celebrent primas Missas, eos nihilominus compellentes, ut in quotidianis Missis, quas in suis locis & altaribus celebrant, oblationes ad opus eorum recipiant ac reservent.* Ut oblationes, quæ ad altare Monasteriorum fiebant, libri sacri, & sacræ vestes ad Parochialem Ecclesiam referrentur. *Quidquid etiam eis dum celebrant Missarum solemnia intra domorum suarum ambitum pia fidelium devotione donatur, ab ipsis extorquere oblationis nomine contendentes. Quod eisdem tam in ornamentis altaris, quàm in libris Ecclesiasticis absolutè confertur, vindicant perperam juri suo.* Mandavit Pontifex, ut à divexandis Franciscanis & Dominicanis abstineretur, Episcopos obtestatus, ne

de-

decimas amplius ex eorum hortis emungerent, neu censum annuum ex eorum ædibus, ut factitabant ex Judæorum ædibus, eo obtentu, quod ea terrarum spatia aliàs ii occupaturi essent, & insessuri, qui matrices Ecclesias culto & dono quopiam suo prosequerentur. *Abreis etiam de hortorum fructibus decimas, nec non de habitaculis fratrum, sicut de domibus Judæorum, contendunt reditus extorquere. Asserentes, quod nisi fratres morarentur ibidem, ab aliis habitatoribus proventus aliqui absolverentur.*

VI. Novum haud erat Regulares oblationibus, ut & decimis frui, dum ne injussu id facerent Episcoporum. Conciliorum suprà, Canonumque congeries à nobis prolata decimas & oblationes à Laicis usurpatas, ad Monachos transferri permisit, dum assentiretur Episcopus, cui vix, ac ne vix quidem fas erat non assentiri. Confitebatur Ivo, *Epist.* 207., cum Ecclesia tam larga manu in pauperes effunderet sacras opes suas, decimas, & oblationes: multò cumulatius eas profundi debere in Evangelicæ paupertatis voluntarios sectatores. *Licèt decima & oblationes principaliter Clericali debeantur militia, potest tamen Ecclesia omne, quod habet cum omnibus pauperibus habere commune. Quantò magis cum his pauperibus, qui relictis facultatibus propriis sequuntur pauperem Christum.* Si priscis Monachis, qui nulla ferè re aderant Parochis, non verbi divini prædicatione, non sacramentorum administratione, concesserant nihilo tamen minùs Episcopi, ut decimas susciperent Ecclesiarum Parochialium: quantò æquius erat, ut novos Regulares, qui professione ipsa sua dicabant se levandis Parochiis & Prælatis, ne fraudarent Episcopi propriarum oblationibus Ecclesiarum? Fateor repugnasse & olim Episcopos, ne debitas Clero decimas & oblationes laici ad Monachos transferrent: sed accomodaverant se illi tandem, & necessitati temporum, & summorum Pontificum ac Conciliorum authoritati.

VII. Nec abs re erit hic elucidari, quod cursim strinxit Gregorius IX. in decretis superioribus de oblationibus, quæ ex Judæis exculperentur. Habes in Historia Catelli, *Catel. Memoi. de l'histor. du Languedoc. l.5. pag.*890., litem excitam Tolosæ Æ
dituum inter Ecclesiæ Sancti Stephani & Judæos, de quadraginta quatuor ceræ libris annuis, quas Æedituo Judæi pendere tenebantur. Contendebat Æedituus libras eas capi debere communes, Judæi autem de iis, quæ primæ dicebantur, quarum singulæ solidorum erant viginti. Episcopus qui causæ & judicio præerat, libras quadraginta quatuor solvi jussit ceræ communes & usitatas. Anno 1232. inter Raimundum Comitem Tolosanum, & Legatum Pontificium convenit, tum de multis aliis, tum ut die Paschæ annis singulis Judæorum familiæ singulæ Ecclesiis Parochialibus quinque denarios pro oblatione solverent. *Statuimus etiam ut Judæi singulis annis in festo Dominica Resurrectionis quinque denarios Melgorensis moneta per singulas familias pro oblationibus Ecclesia Parochiali persolvant. Catel. hist. des Comt. de Toulous. pag.*352.

VIII. Hinc concluditur quàm non relaxarentur fideles à jure oblationum, cum eo & Judæi obligarentur. Ultra æqui etiam modum quandoque ibatur. Anno 1240. Synodus Vorcestrensis in Anglia Parochos eos vituperavit, qui fideles cum communicarent, offerre compellebant: *Cum communicant, offerre compellunt; propter quod simul communicant, & offerant.* Concubinas Clericorum vetuit hæc Synodus, vel ad panem benedictum admitti, vel ad aquam benedictam, vel ad osculum pacis. *Publicis Clericorum concubinis, nec panis benedictus, nec aqua benedicta, nec pacis osculum concedatur. Can.* 17. In Concilio Londinensi anni 1268. Ecclesiæ matrici adjudicatæ sunt oblationes omnes Succursalium. Constitutiones aliæ Episcopi cujusdam Angliæ anno 1256. quotannis jubebant à fidelibus omnibus oblationes solvi *ex debito*, natalitio Christi die, Paschæ, festo Patroni & Dedicationis, quo die in Quadragesima apud Confessarium peccata exonerarent: & in sacra Parasceve, dum Crux adoratur. *Conc. Angl. Tom.2. pag.*250. 303. 361. 393. In Synodo Excestrensi anno 1287. præceptum est, ut ab anno ætatis decimo-quarto cogerentur ad Altare offerre, quatuor anni Festis solemnioribus in Ecclesia Parochiali. *Ecclesiam Parochialem suis oblationibus venerentur. Can.*54. Succursalium, vel Capellarum oblationes ad Matricem Ecclesiam comportandæ erant, dum ne eam Monachi insiderent; & quoniam omnium prorsus Ecclesiarum parens quædam erat, & origo Cathedralis in Diœcesi universa, hinc ad eam convehi necesse erat à Parochis, vel conferri à Parochianis oblationes omnes Pentecostes. *Quia verò Ecclesia Exoniæ mater est omnium Ecclesiarum Diœcesis, omnibus Parochianis nostris per Presbyteros Parochiales sollicitè præcipimus suaderi, ut in signum debita subjectionis, oblationes suas Pentecostales ad Ecclesiam antedictam deferant, vel saltem per suos Presbyteros Parochiales transmittant. Cap.*52. Ab hac eadem Synodo succidi jussa sunt gazophylacia omnia laicorum in Ecclesias intrusa, vel in Cœmeteria. Synodus Cicestrensis anno 1292. idem præcepit, ne ea arte fraudarentur Parochi oblationibus.

Nec Gallorum Præsulum & Conciliorum segnior fuit industria & vigilantia, ut ne defervesceret tam justa fidelium pietas in Pastores suos. Anno 1255. in Concilio Burdigalensi, Ecclesiastica sepultura summoveri jussi sunt, qui Parochos suos fraudarent justis oblationibus dierum solemniorum, & eorum subsidiorum, quibus illi ad victitandum egerent. *Statutum est ab initio, & nos volumus observari, ut Parochiani per Capellanos suos compellantur, ubi contradictio erit, procurationes annuas exhibere. Et insuper monemus, festivas oblationes in præcipuis solemnitatibus & alia jura Parochialia Capellanis suis solvere: & si gratis noluerint, Ecclesiastica sepultura præcipimus coerceri. Can.*25. Concilium ad Castrum Guntherii anni 1336. anathema illisit iis, qui Parochianos avocarent ab iis oblationibus, quia consuetudo & prisca pietas confirmaret: aut qui eas aliò transferre suaderent, vel ad alios usus convertere.

IX. Concilii Coloniensis Patres anni 1536. innovare studuerunt, *Part.8.c.6.7.*, exolescentem jam consuetudinem, solemnius offerendi quatuor solemnioribus anno quolibet Festis: Natalitio, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis: sed pro denario uno, ut ante, placuit eis, ut duo offerrentur. Et ne Parochi litibus objicerentur, vel obliquioribus suspiciunculis, statutum est eos denarios exigi, vel ab Oeconomis, vel ab aliis spectatæ probitatis viris. Et id quidem ad ruris Parochos spectabat; quoad Urbanos, præceptum est laudabiles & antiquas retineri consuetudines, donec alia quapiam via eorum procurationi in ipsa Civitate consuleretur. *Laudabilem tamen consuetudinem in civitate nostra Coloniensi erga sanctam Ecclesiam, pia devotione fidelium introductam per has nostras Synodales Constitutiones nolumus immutare, donec ipsis Parochis intra eandem civitatem de sufficienti victu fuerit provisum.* In Concilio Coloniensi II. *Can.*10. anni 1549. pietas priscorum fidelium in cœlum evehitur, quorum tam munificæ erant oblationes, ut alendis Clericis & pauperibus, Ecclesiis reparandis & sacra veste ornandis abundè suppeterent: præsentis temporis inhumanitas & depravatio ex adverso proscinditur, ubi religio ea exolevit, plerisque ne originem quidem & finem tam piæ institutionis scientibus, aliis eas esse Clericorum ava-

ritlæ præstigias calumniantibus. Denique Concionatoribus ab hujus Concilii Patribus faces subjiciuntur, iis potissimum, quibus nulla propriæ utilitatis captandæ suspicio illini potest, ut populis hos errores eximant, stimulosque addant, ut ad tam necessarium religionis officium, ad alendos Pastores suos animentur, ad Deum donis ipsis suis colendum: quo in officio tantò major sit pronitas, largitasque singulorum, quantò & opum copia. *Inculcent eis, quod Deus non tam ad dona, quàm ad voluntatem & mentem piorum respiciat: quanquam locupletes & divites convenit esse liberaliores.* In Concilio Moguntino anni 1549. excitantur fideles ad quatuor solemniores oblationes, & ad reliqua Parochorum jura. *Debent quatuor offertoria, & cætera jura Parochialia integrè solvi.* Can.75.

X. Huc evaserat labes antiquæ pietatis populorum. Stimulis & incitamentis Conciliorum opus erat, ut quater anno quolibet offerrent. Post Concilium Tridentinum nervos rursus omnes contendere cœperunt Episcopi, ut priscus oblationum fervor instauraretur. Vetuit Concilium Cameracense, *Sess.*56. *num.*2., ne Patroni laici oblationes exigerent ultra eum modum, quem eis consuetudo firmasset. *Earum oblationum partem, quæ Patrono cedere debeat, iidem Pastores fideliter reddant, ac de re tota, ne ullum offendiculum nascatur, inter se conveniant.* Concilium I. Mediolanense anno 1565. edixit, ut ne excitarentur fideles ad offerendum, nisi circumspectissimè, & moderatissimè, utque pecuniariæ oblationes ne admitterentur, nisi ea ratione, ut quid quisque daret, non pateret; quò daret pietatis fervor, non pudor. *Cum pro cujusque Ecclesiæ consuetudine populus ad oblationes invitatur; id graviter & modestè faciendum est. Nec eo vasis aut sacculi genere pecuniam accipiunt, in quo quod quisque dederit, cerni possit: ut fideles pietate adducti, non pudore quodammodo coacti, eleemosynam afferant.* Can.62. Concilium II. Mediolanense anno 1569. vetuit, ne qua Musica instrumenta in Ecclesiis inter Missarum solemnia personarent præter Organa; neu Collectæ fierent per puellas; ne vel ipsarum, vel per ipsas aliorum pudor periclitetur. *Ne item puellæ eleemosynas Ecclesiarum aut Ecclesiasticorum hominum nomine quærant; id quod non sine earum pudicitiæ discrimine quibusdam in locis introductum erat.* Can.24. Sed in Concilio IV. Mediolanensi anno 1576. statutum est, ut omni virium contentione conniterentur Præsules inflammandis rursum fidelibus ad primigenium oblationum studium & fervorem; cum jam ab Apostolicis usque temporibus, Patres, Concilia, Pontifices tantum operæ curæque posuerint ad eas commendandas; quò in eas hæretici impotentius bacchrentur, impensiori à nobis pietatis zelo in eas incumbendum esse; invitandos fideles, ut Dominico & Festo die quovis aliquid offerrent, sive in Ecclesia Cathedrali, sive in Parochiis. Offerentium verò nomina in sacrificio commemoranda. *Diebus Dominicis & Festis, quos coli, aut præcepti, aut consuetudinis est, omnis Christianus aliquid Deo offerre procuret. Offerentium commemoratio in Missæ sacrificio fiat.*

XI. Concilio Turonensi, Can.54., anno 1583. non tantùm illud placuit, decimas juris esse divini in novo, æquè ut in veteri Testamento: sed & Parochis tertiam saltem partem adjudicari oblationum, tum Ecclesiæ Parochialis, tum Succursalium: vetito etiam, ne eas laici vel delibarent: nec enim quacumque consuetudine colorem aut fucum obduci posse tam scelestæ & profanæ rapinæ. *Ab hujusmodi oblationum perceptione laicos omnes excludentes, non obstante quacumque in contrarium consuetudine, quæ potius corruptela censenda est.* In Concilio Aquensi, *Tit. de Parochis*., anno 1585. ut eidem obviam iretur pravitati laicorum oblationes usurpantium majoribus & solemnioribus Festis, easque ad profanos usus detorquentium, sancitum est, ut ne offerretur amplius, nisi ad Ecclesiæ & ejus Ministrorum usus, intentato immorigeris excommunicationis mucrone. *Abusus irrepsisse audivimus in oblationibus, quæ à laicis percipiuntur in quibusdam anni Festivitatibus, & in profanos usus convertuntur.* Concilio Tolosano, Can.4., anni 1590. placuit ad offerendum quolibet Dominico die allici laicos, non cogi; quod paris periculi sit, hæc pietatis documenta, vel abnegere, vel extorquere.

XII. Inter oblationes potest & Collectis aliquid loci relinqui. In Concilio IV. Mediolanensi eum morem voluit Beatus Carolus instaurari, cum tam illustria Collectarum sint in Paulinis Epistolis vestigia, & in sermonibus B. Leonis Papæ, quibus Ecclesiæ orbis universi personant. Jussit ergo ea Synodus, Collectas fieri generales in omnibus Ecclesiis, etiam Regularium, ad sublevandos pauperes, & eos maximè, quos à mendicando pudor deterret. Fieri id porrò omnibus primis cujusque mensis diebus Dominicis, & in Quatuor temporibus, quæ sua spontè jam jejunio & pœnitentiæ dicata sunt; denique commonendum priore Dominico die populum, ut parati omnes & suis instructi donis accederent. *Paratiores enim voluntariis oblationibus veniant.* Cap.12. In Concilio Turonensi anni 1583. jussi sunt Parochiani omnes ex antiquo more die Paschæ quinque denarios Parocho offerre, aut majusculam summam, si ita mos ferret. *Hic quoque Rectoribus album, sive quinque denarios, aut aliud majus debitum honorarium in die sancto Pascha, aut alio in majoribus Festo, per singulos parœcianos annuatim præstari solitum, ut præstetur præcipimus.* Cap.14.

De Terris, Fundis & Hæreditatibus, etiam Testamento datis Ecclesiæ.

CAPUT XVI. *P.*1. *l.*3. *c.*7.

De fundis & hæreditatibus Ecclesiæ datis, etiam testamento, per quinque priora sæcula.

I. Restitui Ecclesiæ fecit Constantinus, quos ante persecutionem possidebat fundos: Martyrum hæreditates ei adjudicavit; omnibus copiam fecit testandi in favorem Ecclesiæ.

II. Qui capi deceat illud Augustini; Ecclesiam sua omnia temporalia ab Imperatoribus habere.

III. IV. Exempla complura testamentorum in favorem Ecclesiæ.

V. Exempla eorum, qui quo primum die Christo nomen dabant, sua omnia Ecclesiæ donabant.

VI. Alia exempla Testamentorum Ecclesiæ utilium.

VII. Quàm æquum esset, ut lege Principis declararetur Ecclesia hæres Clericorum ab intestato morientium.

VIII. Monasteria Monachorum hæreditates excipiebant.

IX. Mirabilia Salviani placita, quæ pene cogant, sua Ecclesiæ & pauperibus saltem testamento relinquere.

X. Argumenta & verba Salviani ad fideles omnes in communi.

XI.

XI. XII. XIII. Ad viduas, ad Continentes, ad Virgines sacras.
XIV. Ad Episcopos & alios Clericos.
XV. Ad eos, quibus nulli sunt proximi.
XVI. Ad Parentes, qui liberos habent.
XVII. Ad eos rursus, quibus nulli sunt proximi.

I. PRoperamus jam dudum ad fundos, & ad ditiones Ecclesiæ. Constantinum jam diximus Ecclesiæ restitui jussisse fundos omnes, quos diutius persecutorum grassatio invaserat. *Omnia, quæ ad Ecclesias rectè visa fuerint pertinere, sive domus ac possessio sit, sive agri, sive horti, sive quæcumque alia restitui jubemus.* Ita Eusebius, *L.2. c.39.*, de vita Constantini. Edixit etiam ut eorum hæreditates, qui pro Christo martyrium, mortem, exilia, bonorum proscriptiones passi erant, vel ipsis redintegrarentur, vel eorum proximis, aut si proximi essent nulli, Ecclesiæ, *Ibidem. c.35. 36.*, jure enim præsumebantur, Ecclesiæ potius daturi quidvis fuisse, pro qua & sanguinem fundebant. Postremò denique ab Augustissimo pacis & libertatis Ecclesiæ authore promulgata lex est, quas fas erat Ecclesiæ Catholicæ quod quisque vellet legare testamento. *Habeat unusquisque licentiam sanctissimo, Catholico, venerabilique Concilio, decedens bonorum quod optaverit relinquere, & non sint cassa judicia ejus. Cod. de sacros. Eccles. L.1.* Eò collineabat ea lex, ut persecutio prorsus in posterum conticesceret. Eccui enim dubium, quin fas sit Deo sua, ab eo utique accepta, dare, aut potius reddere? Cum ergo ante persecutiones sui fuissent Ecclesiæ fundi, suæ hæreditates, suæ vel ex testamento partæ ditiones: non aliud Constantinus, quàm pristinum in statum omnia revocavit, nec tam hæc donavit Ecclesiæ, quàm restituit.

II. Ad eum quoque sensum deflectendum est, quod ait Augustinus, non alio, quàm Imperatorio jure, & Cæsarum legibus sua Ecclesiam possidere. *Quo jure defendis villas, divino, an humano? Divinum jus in Scripturis habemus, humanum jus in legibus Regum. Unde quisque possidet, quod possidet? Nonne jure humano. Jure ergo humano, jure Imperatorum. Quia ipsa jura humana per Imperatores & Reges sæculi Deus distribuit generi humano. Tract.6. in Joann.* Ut non splendidè magis, quàm solidè hæc dicantur, ita scilicet capienda sunt, non quò dono & largitate Imperatorum omnia obtineantur & legibus Cæsarium, sed quòd quidquid incidit litium & controversiarum, finiendæ eæ sint, & res ipsæ adjudicandæ ab Imperatoribus, vel Legibus Imperatoris. Ea regula certum est Augustinum complecti, non Ecclesias & Clericos tantùm, sed laicos. Ita nec potuerant Ethnici Imperatores Ecclesias suis spoliare agris, fundisque, uti nec quosvis laicos. Ratio prompta & perspicua est, quod Imperatores Regesque regnis non dominentur, ut domini, rerum omnium proprietatem assecuti, ut pro arbitratu dent, vel auferant quidvis, sed tanquam summi Judices & Defensores, ut cuique sua adjudicent & vendicent ex Justitiæ & Legum norma. Sed ad propositum revocandus sermo.

III. Eo Constantini exemplo & decreto illecti Proceres, testamento multa subinde legaverunt Ecclesiæ. Ad opem & tuitionem Theodosii Imperatoris confugit Cælestinus Papa, adversùs eos, qui sacrilega audacia invadebant terras, quas opulentissima matrona Proba in Oriente ad hæredes transmiserat ea lege, ut eorum redituum pars longè maxima ad pauperum & Clericorum solatia impenderetur. *Possessiones Proba sic reliquit, ut majorem summam redituum Clericis pauperibus, & Monasteriis præciperet annis singulis erogandam. Epist.12.* Ischyrionis libellus suplex, quode jam verba fecimus, & quem perlectum fuisse diximus Sessione III. Concilii Calchedonensis, testatum facit locupletissimam fœminam Peristeriam testamento suo ingentem prorsus pecuniam addixisse Monasteriis dispensandam Ægypti, & variis Xenodochiis. *Illa pro anima sua salute testamentum condens, jussit multam quantitatem pecuniarum præstari Monasteriis, nec non etiam Xenodochiis, & Parochis, & aliis pauperibus Ægyptiacæ provinciæ.* Iniquissimo tulit animo Dioscorus Patriarcha Alexandrinus non sibi concreditam fuisse infinitæ pecuniæ distributionem: eam itaque vi, quo erant ingenio, invasit, & profana sacrilegaque effusione dissipavit magis, quàm dispensavit. A Pulcheria verò Imperatrice non immensum tantùm pondus auri & argenti, aut annui reditus dati sunt Ecclesiæ, sed & quidquid fundorum & dominorum Imperatrix potentissima & diutino potita regno comparare potuerat. Ejus largitatis consortium meriti & gloriæ consecutus est Marcianus Imperator, assensione sua. *Pulcheria pia moritur, multis post se præclaris factis, & cunctis bonis, quæ habuit ad sustentationem pauperum relictis. Quibus Marcianus non contradixit, sed cunctorum necessitatibus animo propenso servivit. Theodorus Lector. l.1.*

IV. Cum germanos fratres duos hortaretur Gregorius Nazianzenus, ut Ecclesiæ pecuniam repræsentarent, quam ei mater testamento legaverat, pulcherrimè admonebat, quàm optatius sibi esse deberet, quàm conducibilius esset, incorruptibilia thesauros acervare sibi in cœlis: denique eorum illos incendebat exemplo, qui fundos domosque Ecclesiæ transcripsere, suaque egestate egenorum omnium parentem & nutricem locupletaverunt. *Cogitate complures extitisse, qui totas etiam domos Ecclesiis addici passi sunt, non etiam defuisse, qui suapte sponte facultates suas omnes obtulerint, ac pulcherrimum quæstum fecerint, hoc est, propter futuræ vitæ opes inopiam amplexi sint. Epist.80.*

V. Nemo tam peregrinus est in Annalibus Ecclesiæ, cui non sit compertum per hæc priora sæcula, quibus illustrandis insudamus, innumerabilea pene primariæ nobilitatis viros, ex quo primum, vel Christianam fidem baptismo professi sunt, vel Clericatum Ordinatione, vel denique Monasticum institutum, ingentia patrimonia abdicasse, pauperibus distribuisse, & tum sibi se verè divites visos esse, has divitias fucatas & umbraticas postquam abjecissent. Atqui unum idemque tunc erat pauperibus dari, vel Ecclesiæ pauperum omnium altrici. Ut enim tota Ecclesiæ substantia patrimonium erat pauperum, ita & quæ in pauperes eroganda legabantur, ea solebant Ecclesiæ committi. Author est Julianus Pomerius, *De vita Contempl. L.2. c.9.*, B. Paulinum fundos suos omnes distraxisse, pretium effudisse in pauperes. Potuit Paulinus suis ipse manibus pauperibus distribuisse, potuit & pecuniam omnem Oeconomis Ecclesiæ concredere, quorum muneris erat, omnium & singulorum egenorum curam agere. *Sanctus Paulinus, ingentia prædia, quæ fuerant sua, vendita pauperibus erogavit.* Non multum ab his abhorrent, quæ ille narrat de Beato Hilario Arelatensi Episcopo, qui proximis quidem partem aliquam copiosissimæ substantiæ suæ dimisit, reliquam effudit in pauperes, postea Episcopus creatus, dispensationem & administrationem suscepit longè plurium hæreditatum, quas fidelium pietas Ecclesiæ transcripserat. *Quid Sanctus Hilarius, nonne & ipse omnia bona sua, aut parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogavit? Is tamen cum merito perfectionis suæ fieret Ecclesiæ Arelatensis Episcopus, quod illa tunc habebat Ecclesia, non solùm possedit, sed etiam acceptis fidelium numerosis hæreditatibus ampliavit.*

Ibi-

Ibidem. Subdit Pomerios ita pauperum esse, quidquid est Ecclesiæ: ut Clerici, quibus res propriæ suot, non possint rerum Ecclesiæ, hoc est, patrimonii pauperum participes fieri; Episcopos denique tum dispensatores fieri communis pauperum & Ecclesiasticæ substantiæ, postquam possessiones ipsi suas, vel propinquis, vel pauperibus, vel Ecclesiæ suæ contulerunt. *Sacerdos enm laude pietatis dispensat, qua accipit à popalo dispensanda, & fideliter dispensat accepta, qui omaia sua aut parentibus erliquit, aut pauperibus distribuit, aut Ecclesia eebus adjnagit. Ibidem. Cap.10. 11.* Reliqua Pomerii verba inferius attexemus. Eo Ambrosius animo Clericalem amplexus est professionem, quo solent Monasticam, & jam tum pauperibus & Ecclesię largitus est, quidquid auri, argenti, prædiorumque aggerari potuerat viro, & natalium splendore, & gestis summis Imperii dignitatibus clarissimo. Vide ut bæc edisserat Paulinus in ejus vita: *Sollicitus etiam aiminm pro panperibus & captivis. Nam in tempore, quo Episcopus ordinatus est, omne aueam atque argentum, quod babere poterat, Eeclesia vel panperibus contalit. Prædia etiam, qua babebat, reservato usufructu germana sua, donavit Ecclesia, nibil sibi, quod bic suum diceret, derelinqueas, ut andus atque expeditus miles Christi, Dominum suum seqaeretur, qui cum esset dives, propter aos pauper fuctus est, ut nos ejus inopia ditaremur. Sutins die 4. Aprilis c.29.*

VI. Radiat in Jure Orientali Leunclavii, *Tom.2. pag.203.*, Testamentum Gregorii Nazianzeni, quo declarat suas se res omnes addixisse Ecclesię Nazianzenæ ad sustentationem pauperum: qua in re non aliud se, quàm parentum obsequi voluntati, qui eodem jam se voto obstrinxerant. *Omaia mea bona consecravi Ecclesia Catholica, qua Naziaazi est, ad ministerium usumque panperum, &c. Qaum omnia puuperibus jam ante promiserim, vel potius beatissimis parentibus, qui ante promiserant, obsecutus sim.* Nestorii insanæ novæque hæreseos architecti res omnes fisco addixerat Theodosius Imperator, qui easdem mox Ecclesiæ contulit Constantinopolitanæ, deportato Nestorio. Accipe quæ in eam rem Theodosius ad Isiodorum Præfectum Prætorio rescripserit. *Tua proinde celebris authoritas hac Pragmatiea Sanctione prædictum Nestorium ob admissum impietatem in perpetuum deportari jubeat exilium. Omniaque bona illius Ecclesia Constantinopolitana addicat: quo augustissimi illius loci opes, cujus ille sacra Ministeria nuper prodidit, uuctiores evadant. Conc. Ephes. Part.3. c.15.* Athanasius Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, Cyrilli Archiepiscopi Alexandrini nepos, in libello supplici, quem Concilio Calchedonensi obtulit, testatum facit legatam successori esse à Beato Cyrillo patrimonii sui partem maximam, commendatis ei nepotibus suis. *Hic moriturus testamentum condens, honoravit eum, quicumque fuisset post eam ordinatus Archiepiscopus, plurimis & magnis legatis de propria sua substantia. Conc. Calch. Act.3.*

Detestatus est Salvianus eorum inhumanitatem Diaconorum ac Presbyterorum, potissimum verò Episcoporum, quibus nulli cum sint proximi, in quos patrimonia sua possint transfundere, malunt ea exteris & alienis legare, quàm Ecclesiæ, cujus sponsi sunt, quàm pauperibus, quorum Patres sunt, quàm Christo denique parenti suo & totius hujus suæ opulentiæ largitori. *Quod at ita dixerim prope inter monstra reputandum est, ad Levitas etiam atque Presbyteros, & quod his feralius multo est, etiam ad Episcopos pervenisse. Ex quibus multi sine affectibus, sine pignore, non familias, non filios babentes, opes & substantias suas, non pauperibus, non Ecclesiis, non sibi ipsis, non denique quod his omnibus majus est ac præstantius, Deo, sed saecularibus, vel maximè & divitibus, & extraneis deputarent. In Epistola ad Salonium Episc.* Alio verò loco ita auguratur, cum veteris Testamenti Levitis nefas esset vineas, agros & fundos possidere: multò minùs Clericis nostris licere, ubi bæc possederint, ea etiam ad bæredes suos trajicere. *Ex quo intelligi potest, an ea nunc Deus noster velit in Evangelio viventes Clericos suos mundanis post se hæredibus derelinquere, qua adhuc in lege positos ipsos quidem noluit possidere. L.2. ad Eccl. Cath.* Cum denique regulas istas sanctissimas, quas hic Salvianus expromit, altissimè combibisset Theodosius Junior, lege ad Præfectum Taurum missa constituit, ut res omnes Episcoporum & Clericorum, Monachorum & Sanctimonialium, & intestatorum, & hærede justo carentium, Ecclesiæ eorum, vel Cœnobio vendicarentur, quamvis hactenus in ærarium Principis eæ comportatę fuissent. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Diaconissa, aut Subdiaconus, vel cujuslibet ulterius loci Clericus, aut Monachus, aut mulier, qua solitaria vita dedita est, nullo condito testamento decesserit, nec ei parentes utriusque sexus, vel liberi, &c. bona, qua ad eum pertinuerint, Sacrosancta Ecclesię, vel Monasterio, cui fuerat destinatus, omnifariam socientur. Cod. Theod. L.5. T.3. c.1. Et Cod. Justin. l 1. Tom.3. c.20.*

VII. Id sanè privilegii Cœtibus jam & Collegiis omnibus Reipublicæ communicatum fuerat, ut qui intestati, & sine legitimo hærede excederent, in eorum bona succederet Collegium ipsum: Habendæ sunt tamen gratiæ Theodosio, qui tam uberem divitiarum fontem in Ecclesias derivavit. Nec enim ambigere fas est, ut quin rivuli hinc opum copiosissimi influxerint in Ecclesiam. Quibus Clericis nulli erant natura, vel lege successores, aut hæredes, iis professio ipsa sua hanc legem præfigebat, ut Ecclesiæ sua legarent omnia, in qua & matrem haberent, & sponsam, fratresque & sorores, tantò arctiori, quantò & sanctiori sibi vinculo ac necessitudine conjunctos. Si munere non fungerentur ipsi, atque intestati excederent, Ecclesiæ, vel Cœnobio, tanquam hæredi legitimo lex eorum bona omnia adscribebat.

VIII. Ex hac autem eadem lege illud elicitur, Monachos & Sanctimoniales, etsi proprium sibi nihil habere possent, potuisse tamen de iis suo arbitratu testari, quæ eorum nomine Monasterium possideret. Ecquis autem dubitet, præter eos, quibus ex asse Monasterium succedebat intestatis, quin plerique eorum edito testamento plerasque res suas Monasterio adsignarint?

IX. Omnium vebementissimè Salvianus in id incubuit, ut fideles omnes, maximè verò Monachos, virgines, viduasque Deo sacras, & demum Clericos compelleret, ut testamento edito aliqua saltem parte Christum donarent eorum, quibus ab ipso cumulatissimè donati fuerant. Qui potest enim fidelis mortem adire, non expiatis eo, quo facillimè potest modo, peccatis suis? *Offerat ergo vel moriens, ad liberandam de peccatibus pœnis animam suam, quia aliud jam non potest, saltem substantiam suam.* Si quis fidelis appetente morte errores præteritos suos sincera pœnitudine exhorrescat, parum esse momenti sentiat, terrenis in omnibus copiis suis ad redimenda peccata, & ad exolvenda immensa debita, quibus apud ultricem Dei justitiam tenetur. *Sed dicit aliquis: Totum ergo Deo oblaturus est, quod habet? Non offerat totum, quod habet, si non putat se debere totum, quod habet. Non quæro cujus sit, quod offertur: à quo sit acceptum, quod habet? Hoc dico solùm: non offerat totum pro debito, si debere se totum non putat pro reatu. Ad Eccles. Cath. l.1.* Non certò nobis

liquet,

liquet, quod pondus, qui modus fit hinc peccatorum, hinc donorum nostrorum meriti. Itaque nihil periculi est, immo tutissimum est, ad exhaurienda debita omnia totum dare, cum ne sic quidem compertum habeamus, an satis exhausta sint. *Totum, inquit aliquis, oblaturue est? At ego dico, esse hoc totum parum. Quid enim jam scit aliquis, an peccatorum mensuram oblata compensent? Si novit quispiam hominum peccatorum, quantum redimere delicta possit, utatur scientia ad redemptionem: si verò nescit, cur non tantum offerat, quantum possit?*

X. Qua jam spe esse possunt, qui adeo non abjiciunt perituras aliquando opes, dum sani sunt & valent, ut ne post mortem quidem iis exui velint? Per consanguineos quasi vicarios possidere volunt, quæ jam non poterunt per seipsos: denique in possessiones ipsi suas alienos subrogant, earum fructu seipsos ejiciunt. *Quàm longè ergo sunt à mandato Dei, quos cum ipsos jusserit Deus viventes opibus renunciare, illi eas cupiunt etiam in cognatis sui mortui possidere? Aut quàm longè ab ea devotione sunt, ut exhæredent ipsos se propter Deum, qui exhæredare nolunt saltem extraneos propter se? Quibus libenter liberè dicerem. Quæ insania est, ò miserrimi! ut hæredes alios quoscumque faciatis, vos ipsos exhæredatis: ut alios relinquatis vel brevi divites, vos ipsos æterna mendicitate damnatis? Ibid. l.2.*

XI. Sunt & speciales quidam stimuli, quibus viduæ urgeantur, has terrenarum opum præstigias abdicate, quibus ex conciliantur & aluntur pestiferæ deliciæ, à quibus illas Apostolus deterruit. *Nam qua in deliciis agit vidua, vivens mortua est, &c. Ergo absque dubio divitem esse non vult Apostolus, quam delitiosam esse non patitur; quia omnis fructus divitiarum in usu est positus delitiarum: alioqain remoto usu delitiarum, causæ omnium relinquuntur. Cum itaque Apostolus in delitiis viduæ mortem esse memoravit, promptum est, quod ad vita æterna fructum vult universa distribui, qui non vult ad mortis usum aliqua reservari. Ibidem.*

XII. Qui enim singulari uberioris Dei gratiæ dono, in conjugio ipso castimoniam consectati sunt, ne fingi quidem animo potest, ut cum corpus ipsum suum Deo dicaverint, substantiam non dedicent: & cum seipsos tam diligenter expedierint à sæcularibus inquinamentis, iis opes & facultates suas sordidari velint. *Nam de conjugibus continentiam professis & spiritu Dei plenis, dubitare quis debeat, quin sua hæredibus mundanis servire nolint, qui se ipsos mundo eliminaverint? Quomodo enim ad se pertinentia aliis addicant, qui ipsos se sibi denegant?* Qua se Deo ipsos consecratione, eadem & res suas omnes devoverunt: nec enim satis ad Deum pergunt, nisi toti pergant. *Hos ergo conjuges tales, quis dubitet, & dum vivunt, sicut in se, ita etiam in suis substantiis Deo vivere: & cum è vita exeunt, cum sua ad Deum, cui vixerint, facultate migrare.*

XIII. Virgines sacræ id maximopere exhorrescere debent, ne oleo charitatis destituantur, & bonorum operum, quo stultarum Virginum infortunium incurrerent. Si magna rerum copia abundent, haud satis est hinc pauxillum Deo delibari: ne paullum id olei ante absumatur, & lampas ante restinguatur, quod adventet sponsus. *Transeamus ad Sacras Virgines, &c. Blandiuntur sibi fortasse quæpiam, & sufficere sibi æstimant, si cum multa & magna in facultatibus habeant, saltem exigua largiantur. Ego sufficere parum nescio: immo parum non sufficere certo scio. Si aliter ipsæ sciunt, apud se ipsos sciant; ego unum scio, quod Deus dicit, extinctas fatuarum Virginum lampades, operum bonorum oleum non habentes, &c. Non satis prodest, illico extinguendum lux non accendi, &c. Nam si in lychnis ipsis, quibus ad breve tempus utuntur homines, languescit lumen ac deficit, nisi oleum largè fuerit infusum; quanta tibi, quæcumque illa es, quanta tibi olei abundantia opus est, ut lucerna tua luceat in æternum?*

XIV. Episcopi, Presbyteri & Clerici demum omnes, tantò his officii religiosi vinculis arctius constringuntur, quòd reliquis omnibus præire exemplo suo debeant, nec mediocribus virtutibus acquiescere, in tanto dignitatis fastigio. *Superest de Ministris & Sacerdotibus quidpiam & Clericis dicere, licet superfluè fortè aliqua dicantur. Quidquid enim de omnibus aliis dictum est, magis absque dubio ad eos pertinet, qui exemplo esse omnibus debent, & quos utique tanto antecellere cæteris devotione oportet, quanto antistant omnibus dignitate. Nihil est enim turpius, quàm excellentem esse quempiam culmine, & despicabilem vilitate.* Laicis perfectionis leges Christus proposuisse, Clericis imposuisse videtur: *Unde est, quod cùm Salvator ipse non ut cæteris voluntarium, sed imperativum officium perfectionis indicit. Quid enim eum Laico adolescenti dixisse legimus? Si vis esse perfectus, vende, quæ habes & da pauperibus. Quid autem Ministris suis? Nolite, inquit, possidere aurum, &c. Laico dixit, si vis vende quæ possides; Ministro autem: Nolo possideas.* Alienum est ergo & merito stupendum, si opes possedisse non contenti, ad hæredes eas transmittant: nec saltem iis se exuant, cum inviti mox exuendi sunt; miserum est, ante vitam terminari, quàm summi Judicis, ejusque legis contemptum. *Et post hæc parum est successoribus eorum, id est, Levitis ac Sacerdotibus, tanta divinarum rerum administratione fungentibus, si ipsi tantùm divites fuerint, nisi etiam hæredes divites derelinquant. Erubescamus quæso hac infidelitate, sufficiat nobis, quod videmur usque ad vitæ terminos Dominum spernere; cur id agimus, ut contemptum ipsius etiam post mortem extendamus? Ibidem.*

XV. Esto excusationis qualiscumque velo tegantur, qui acceptas à majoribus hæreditates, ad filios & nepotes traducunt; at ne umbram quidem excusationis prætexere possunt ii, qui alienos sibi accersunt hæredes; quibus quos negavit natura, ambitio filios parturit; imaginaria deludi se amant consanguinitate, & has præstigias, atque mendacia propriæ anteponunt saluti. *Sed esto indulgeri parentibus possit, natura insalubriter indulgentibus: quid quod nonnulli filios non habentes, à conspectu tamen salutis suæ & remedio peccatorum penitus avertant? Ac licet semine sanguinis sui careant, quærunt tamen quoscumque alios, quibus substantiam propria facultatis addicant, id est, quibus umbratile aliquod propinquitatis nomen inscribant: quos sibi, quasi adoptivos imaginarii parentes filios faciant, & in locum eorum, qui non sunt pignorum, perfidia generante, succedant. Ibid. l.3.*

XVI. Sed cum essent in primogenio illo adolescentis Ecclesiæ flore, non pauci parentes multa gaudentes prole; illis tamen persuasissimum fuit, nihil à se præjudicii filiis, aut detrimenti importari, si bonis se abdicarent, & Ecclesiæ transcriberent, in commune possidenda, à seipsis quoque & à filiis possidenda cum iis omnibus, qui cum propria non habeant, tanto fiunt ex hac communium bonorum abundantia locupletiores. *Intelligere ergo possunt, quicumque ex Christianis filios non habent, cui relinquere substantias suas debeant, cum videant, cui reliquerint tunc illi filios non habentes. Si autem habent, discant quid etiam ipsos oporteat facere, cum illos videant tunc parentes amorem filiorum Dei, filiis prætulisse. Habet igitur omnis ætas, habet omnis conditio, quod sequatur; quicumque est particeps*

fidei,

fidei, participem se beati faciat exempli. Si illi tunc ob Deum donantes omnia sua, etiam se ipsos exhæreditavere viventes, discite vos quæsumus bona vestra vel ipsi hæreditare morientes. Ibidem.

XVII. Sed in eos maximè exæstuabat hic Salviani zelus, qui longè peterent, & peregrè adscirent sibi hæredem, Dei, Ecclesiæ, & suæ ipsorum salutis immemores. *Quærunt novarum necessitudinum ficta nomina; nec interest apud eos, quorum meminerint, dummodo sui obliviscantur: non interest, quos amare se dicant, dummodo animas suas oderint: quos divites faciant, dummodo se æterna mendicitate consumant. Ibidem.*

CAPUT XVII. *P.1. l.3. c.8.*

Mira & sana Sanctorum Patrum doctrina de hæreditatibus, quæ Ecclesiæ transcribebantur, per quinque priora sæcula.

I. Necdum restinctus fuerat ardor ille primus fidelium, sua vendentium & dantium.

II. Respuit Augustinus hæreditates Patrum, filios defraudantium.

III. Alias admittebat ille quidem, sed & reddebat, si repeterentur, contestatus licet, citra flagitium repeti non posse, quæ Deo devovissent & donassent.

IV. Ut reprehensiones asperarentur eorum, qui eum carpebant, velut rei Ecclesiasticæ incuriosum.

V. Aurelius Carthaginensis Episcopus ei, qui prole desperata substantiam suam Ecclesiæ obtulerat, prole post nata eam restituit.

VI Non probabat Augustinus eleemosynas immoditas uxoris, præter conjugis voluntatem.

VII. Ambrosius, Hieronymus & Fulgentius parentes nolunt à filiis contristari, tota re sua pauperibus, vel Ecclesiæ erogata.

VIII. Hæreditates integras Ecclesiæ addici subiniquo ferebat animo Augustinus, quod invidiosæ sint, & litibus implicatæ. Ad legata pia omnes hortabatur; utque Christo tantum legarent, quantum uni ex liberis.

IX. Utque eorum, qui præmorerentur portionem ad eos per pauperum manus transmitterent.

X. Non recedit quandoque Augustinus à Salviani sermonibus incitatioribus; sed ad ea mox se temperamenta revocat, quæ nec ipsi, ut reor, displicuissent Salviano.

XI. XII. Quàm ab his non dissentiant Hieronymus & Ambrosius.

XIII. Adeoque & Cæsarius frater Gregorii Nazianzeni.

I. IN contexendis tot Salviani doctrinæ testimoniis, ea me consolabatur spes, quod etsi duriuscula ea placita omnibus suaderi, aut in mores invehi non facilè possint: non infructuosus tamen foret noster labor. Cum inde nimirum elucescat. 1. In more adhuc fuisse, ut excitarentur fideles, ad fortiora etiam illa, quæ perfectionis dicuntur præcepta, sive consilia: ut vestigia oscularentur majorum purioris ævi suorum, & Evangelicam consectarentur paupertatem. 2. Vehementiora hæc Sanctorum Patrum, & Apostolicorum Concionatorum hortamenta, ejusmodi fuisse, ut in ea nihil caderet obliquæ suspicionis, cum ipsi occupassent sua omnia pauperibus dilargiri, & tot congestis in Ecclesiam opibus, id tantum veluti primoribus labris delibarent, quod necessitati naturæ sufficeret, non voluptati, non jactantiæ. 3. Imperatores ipsi lege promulgata suffragati sunt ei rationi & doctrinæ, qua invitentur Clerici se suaque omnia Ecclesiæ devovere, ubi statuerunt ad Ecclesiam devolvi, quidquid intestati reliquissent.

II. Quoad alia Salviani decreta, suo quisque fruetur judicio, dum ea ad Evangelicam revocet normam. Quin & certum est Salviano ne Augustinum quidem assensurum, quod ad hæreditates pertinet eorum, quibus liberi sunt, vel parentes, vel proximi. Quanquam enim libeos admitteret Augustinus hæreditates, si quæ Ecclesiæ addicerentur, aliquas tamen constanter recusavit, ne iis Testatoris proximi fraudarentur. *Domum, vel agrum, seu villam nunquam emere voluit. Verùm si fortè Ecclesiæ à quoquam sponte tale aliquid vel donaretur, vel titulo legati dimitteretur, non respuebat, sed suscipi jubebat. Nam & aliquas eum hæreditates recusasse novimus; non quia pauperibus inutiles esse possent; sed quoniam justum & æquum esse videbat, ut à mortuorum vel filiis, vel parentibus, vel affinibus magis possiderentur, quibus ab eis deficientes dimittere noluerant.*

III. Hæc Possidius in vita Augustini. *Cap.24.* Recusata est ergo, ut perspicis, ab Augustino hæreditas integra, ne filii, & proximi frustrarentur omninò. Aliàs enim cum fundo quopiam eum donasset dives quidam civis Carthaginensis, cui proles erat, eum admisit Augustinus, velut monumentum ejus studii, quo saluti æternæ suæ consultum cupiebat. *Oblationem libenter accepit, congratulans, quod æternæ suæ memor esset salutis.* Sed cum post aliquot annos per filium infidus donator Syngrapham repeteret donationis, ejusque loco centum nummos obtulisset, Augustinus donum reiecit, Syngrapham remisit, hominem acerbissimè objurgavit, admonuitque, ut seriò eam eluere maculam studeret. *Ingemuit Sanctus, hominem vel finxisse donationem, vel de bono opere pœnituisse; tabulas reddidit, pecunias respuit, atque rescriptis eundem sicut oportuit, & arguit, & corripuit, admonens, ut de sua simulatione, vel iniquitate cum pœnitentia humilitate Deo satisfaceret, ne cum tam gravi delicto de sæculo exiret.* Ea occasione obsecutus est Sanctus Pater ei Canonicæ regulæ, quę sub eo promulgata fuit in Concilio Carthagioensi *IV. Can.18. 19. Ut Episcopus tuitionem testamentorum non suscipiat. Ut Episcopus pro rebus transitoriis non litiget provocatus.*

IV. Verùm si doctissimus, & à cupiditatum fæce alienissimus Pater, ab totis & integris abhorrebat hæreditatibus, quòd & invidiosissimæ sint, & litium spinis obsitæ: legata certè pia lubentius admittebat: *Frequentius verò dicebat, securius ac tutius Ecclesiam legata à defunctis dimissa debere suscipere, quàm hæreditates fortè sollicitas & damnosas; ipsaque legata magis offerenda esse, quàm exigenda.* Malebat pius Pastor filios parentibus conciliare, quàm ipsos sibi committere, admittendis eorum hæreditatibus. Hinc maledicentiæ jacula in eum torquebantur, quasi res & commoda proderet Ecclesiæ, ac dilabi sineret. Sed nolebat ille Ecclesiam ditescere filiorum suorum dispendiis: ac pacis charitatisque conciliatricem litibus & discordiis saginari. *Quid facturus sum eis, qui dicunt: Ecce quare nemo donat Ecclesiæ Hipponensi aliquid, ecce quare non eam faciunt, qui moriuntur, hæredem, quia Episcopus Augustinus de bonitate sua, (laudando enim mordent, labiis mulcent, dentem figunt) donat totum, suscipit. Planè suscipio, profiteor, me suscipere oblationes, oblationes sanctas. Si quis autem irascitur filio suo, & moriens exhæredat eum; si viveret, non eum placarem? non ei filium suum reconciliare deberem? Quomodo ergo cum filio suo volo,*

ut

ut habeat pacem, cujus appeto hereditatem? Ibidem. Et de Diversis. Serm.49. c.3.

V. Nec unus successiones id genus abnuebat Augustinus, inofficiosorum, aut irascentium filiis parentum. Exemplo forsan illi suo viam præmonstrarat Aurelius Carthaginensis Episcopus, qui cum admisisset hereditates ejus, qui nihil sustulisset liberorum, eorumque spem funditus abjecisset; mox occupavit, & illas ei ultro refudit, ubi audiit præter spem natam ei esse prolem. Poterat Aurelius donatas res retinere, sed cœli leges legibus fori castiores, & munificentiores sunt. *Quid plura? Quicumque vult exhæredato filio hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum, qui suscipiat, non Augustinum: immo Deo propitio neminem inveniat. Quàm laudabile factum sancti & venerandi Episcopi Aurelii Carthaginensis? quomodo implebit eos omnes, qui sciunt, laudibus Dei? Quidam enim cum filios non haberet, neque speraret, res suas omnes retento sibi usufructu donavit Ecclesiæ. Nati sunt ei filii, reddidit ei Episcopus, nec opinanti, quæ ille donaverat. In potestate habebat Episcopus non reddere, sed jure fori, non jure poli. Possidius ubi suprà.*

VI. Nec aspernabatur eas tantùm Augustinus donationes, quas parentum in filios iracundia magis, quàm pietas in Deum & in pauperes obtinuisset: sed & eas improbabat immodicas largitiones, quas matrona dives faceret, ferventior, quàm prudentior, inconsulto conjuge, nec satis liberis consulens, quibus tamen æquissimum est servari, quo honestè sustententur. Hujusmodi consilium insusurrabat Augustinus illustri fœminæ Ecdiciæ, paulò ulteriùs progressæ. *Pariter ergo consilium de omnibus haberetis, pariter moderaremini, quid thesaurizandum esset in cœlo, quid ad vitæ hujus sufficientiam vobis ac vestris vestroque filio relinquendum, ne aliis esset refectio, vobis autem angustia. Epist.199.*

VII. Multò alienior erat Ecclesia ab eleemosynis filiorum, quæ in parentum dispendium cederent. Testis locupletissimus aderit Ambrosius. *In c. Luca 18. l.8. Sed dicis: quod eras parentibus collaturus, Ecclesiæ malle conferre. Non quærit donum Deus de fame parentum, &c. Multi ut prædicentur ab hominibus, Ecclesiæ conferunt, quæ suis auferant. Cum misericordia à domestico progredi debeat pietatis officio. Da ergo prius parenti, da etiam pauperi.* Refert Hieronymus viduam sanctissimam Marcellam, ne matrem exasperaret, moderatam esse suis in pauperes largitionibus, in quos omnia sua effundere vehementer cupiebat. Sic enim ille in Epitaphio Marcellæ: *Matri in tantam obediens, ut interdum faceret, quod nolebat. Nam quum illa suam diligeret sanguinem, & absque filiis & nepotibus, vellet in fratris liberos universa conferre: ista pauperes eligebat, & tamen matri contraire non poterat; monilia & quidquid supellectilis fuit, divitibus peritura concedes, magisque volens pecuniam perdere, quàm parentis animum contristare.* Mirum in modum ab his discrepabat consilium, quod Furiæ sanctissimæ viduæ ab eodem dabatur Hieronymo, quo adducimur, ut credamus longè dissimillimas fuisse circumstantias. Suadebat enim, ut ne stomachantem audiret patrem, in Christo hærede sibi adsciscendo. Ita ergo Sanctus Pater in Epistola ad Furiam de Viduitate servanda: *Cui dimittes tantas divitias? Christo, qui mori non potest. Quem habebis hæredem? Ipsum, quem & Dominum. Contristabitur pater, sed lætabitur Christus. Lugebit familia, sed Angeli gratulabuntur. Faciat pater, quod vult de substantia sua, non es ejus, cui nata es, sed cui renata.* Ex quo planum est, cum divitiis pater afflueret, potuisse filiam viduam eo renitente se suaque Christo dicare.

Cum se Fulgentius in Cœnobium abdidisset, omnia matri suæ donavit, quod in ejus offensionem gravissimam incurrere se sentiret, si Christo donaret. Hinc Ferrandus in ejus vita: *Quantas universi laudes Deo retulerunt cum viderent Beatum Fulgentium sæculari cupiditate calcata, rebus, quas distrahere & donare pauperibus non poterat, ne offenderet bonam matrem, renunciasse penitus.*

VIII. Quanquam autem Sanctissimi Patres ægrè assentirentur hæreditatibus integris admittendis: unde Augustinus ut eas non omninò & semper à se recusari ostenderet, & os iis obstrueret, qui hinc illi ut rerum & necessitatum Ecclesiæ immemori obtrectabant, unum profert exemplum hæreditatis à se admissæ, *ejus, qui sine liberis defunctus* erat. Nihilo tamen segnius Sancti Patres instabant fidelibus, subdebantque faces, ut pauperibus & Ecclesiæ legarent, ut Christum in numerum filiorum cooptarent, parique cum cæteris filiis portione munerarentur. Ita cui unus erat filius, is si consilio uteretur Augustini, hominis à rerum terrenarum cupiditate alienissimi, hæredem instituebat Ecclesiam ex semisse, cui duo ex quadrante, cui tres ex triente. *Sed planè faciat, quod sæpè hortatus sum; unum filium habet, putet Christum alterum, duos habet, putet Christum tertium: decem habet, Christum undecimum faciat, & suscipio. De diversis Serm.49.*

IX. Nec minùs alibi luculentè & peramanter ad animarum salutem; nam cupiditatem ubique somniant & suspicantur, qui cupiditatibus ipsi turpissimè serviunt, & de aliis ex seipsis æstimant. Non minùs, inquam, luculentè Augustinus, ubi filio amisso dolentem alloquitur partem, monetque nequaquam amissum filium sed præmissum, & in cœlesti Palatio incolumem, quo sua illi hæreditatis portio vicario pauperum ministerio, trasmittenda sit: *Vivit filius tuus, interroga fidem tuam: Si ergo vivit filius tuus, quare invaditur pars ejus à fratribus ejus? Sed dices, Nunquid rediturus est, & possessurus? Mittantur ergo illi, quo præcessit ille; ad rem suam venire non potest, res ejus ad eum ire potest. Si in Palatio militaret filius tuus; & amicus Imperatoris fieret, & diceret tibi, vende ibi partem meam, & mitte mihi, nunquid haberes, quod responderes? modò cum Imperatore omnium Imperatorum & cum Rege Regum est, mitte illi, &c. Ibidem. Serm.44. c.10.* Quò numerosior, eò lætior familia; Christo in filium adoptato, & patri & filiis cumulus accedet gaudii, & dignitatis; detrimenti porro nihil erit, si hæreditatis terrenæ consors is fiat, qui cœlestis in hæreditatis consortium potest ipse quos vult vocare. *Melius prosperiusque loquamur. Non dico unum minùs habebis, computa, quia unum plus habes. Fac locum Christo cum filiis tuis, accedat familiæ tuæ Dominus tuus, accedat ad prolem creator tuus. Ibidem. c.11.*


X. Non recedit aliquando Augustinus à Salviani verbis & sententiis; at mox ea temperamenta adhibet, quæ indigitata superius sunt à nobis. Ut non immerito auguremur, nec Salvianum ipsum ab illis recessurum fuisse. Optabilius id primo videri potest Augustino visum fuisse, ut parens quanticumque filiorum numeri, statim in manus pauperum deponat totum patrimonium: & mox tamen uno eo contentus est, ut inter filios & hæredes aliquo loco sit Christus cum pauperibus suis. *Filiis, inquit, meis servo, magna excusatio, filiis meis servo. Videamus, servat tibi pater tuus, servas tu filiis tuis, filii tui filiis suis, & sic per omnes, & nullus facturus est præcepta Dei? Quare non illi potius impendis omnia, qui te fecit ex nihilo? Qui te fecit, ipse te pascit. Ex his, quæ fecit, ipse pascit & filios tuos. Neque enim melius committis filiis tuis patrimonium tuum, quàm creatori tuo.*

Palliare se volunt homines nomine pietatis, & dealbare, ut quasi propter filios videantur servare, quod propter avaritiam servant. De decem Chordis c.12. Hæc Salvianum redolere videri possunt. Sed mox receptui canit Sanctus Pater, & intra æqui limites sese cohibet. *Dicitur de quodam, quare non facit eleemosynam? Quia servat filiis suis. Contingit, ut amittat unum; si propter filios servabat, mittat post illum partem suam. Redde illi, quod suum est, redde quod illi servabas. Præcessit ad Deum, pars ipsius debetur pauperibus.*

XI. Erant & Hieronymi eadem invitamenta ad patrem duabus orbatum filiabus; suadet enim ut ne ideo exheredes esse velit, quòd sponso immortali, non mortali homini nupserint; sed ad illas potiùs & tantò copiosiùs mittat opes, ornatusque, quibus ornari possint ad cęlestes eas nuptias. *Bona liberis pares, quæ te ad Dominum præcesserunt; ut partes earum non in divitias sororis proficiant, sed in redemptionem animæ tuæ, atque alimenta miserorum. Hæc monilia filiæ tuæ à te expetunt, hic gemmis ornari capita sua volunt. Quod periturum erat in serico, vilibus pauperum tunicis servetur. Repetunt à te partes suas; junctę sponso volunt videri pauperes & ignobiles, propria ornamenta desiderant. Epist. ad Julianum.*

XII. In Oratione de Obitu fratris sui Satyri Ambrosius spectandam & admirandam exhibet charitatem, cujus moderatio ardorem non minueret, ardor moderationem non labefactaret; cum & omnia pauperibus largiri percuperet, & fratri atque sorori displicere refugeret. Itaque nihil testamenti condidit, omnia eorum arbitrio permisit, sed tam enixè commendatis pauperibus, ut eo extincto non aliud sibi visi sint, quàm patrimonii pauperum dispensatores. *Ultimo sermone signavit, sibi nec uxoris arbitrium fuisse ducendæ; ne à fratribus divelleretur; nec testamento faciendi voluntatem, ne nostrum in aliquo arbitrium læderetur. Denique & oratus & obsecratus à nobis, nihil tamen condendum putavit, non oblitus pauperum, sed tantùm obsecrans esse tribuendum, quantum nobis justum videretur, &c. Ergo dispensatores, non hæredes reliquit.* Diximus jam ut illustrissimæ hujus familiæ bona omnia in manus pauperum devenerint.

XIII. Paulò aliter specie tenus Cæsarius Gregorii Nazianzeni frater, re idem consilium, eandem pauperum charitatem secutus est, ut omnia illis prodigeret sua. Impatientius laturos non dubitavit matrem, fratremque, si vel dubitasse videretur, an ea eis grata futura esset effusissima largitio in pauperes. Inde est quod Gregorius Nazianzenus testificatur, eò maximè exaruisse lacrymas optimæ parentis, ubi rescivit, quidquid filius opum coacervaverat, id in cœlos cum eo trajiciendum. *O ingentem munificentiam! ô novam consolationem! Auditum est præconium, omni auditione dignum, ac matris luctus ob præclaram & sanctam pollicitationem exhauritur, qua omnes filii opes pro eo se in sepulcrale munus daturam recepit; ut nihil iis, qui expectabant relictum sit. Nazianz. Orat.20.*



CAPUT XVIII. P.1. l.3. c.9.

Imperatoriæ Leges de testamentis in favorem Ecclesiæ, & Clericorum; de immunitatibus Cleri, de divitum Clericatu, per priora quinque sæcula.

I. Valentiniani lex Clericos, non Ecclesiam arcebat ab hæreditatibus viduarum.

II. In compendium id cedebat Ecclesię.

III. Nihil querelarum in hanc legem fusum est, quod pii Clerici, quos ea vulnerabat, terrena bona minùs curent.

IV. Ecclesiæ dispendium inferri non poterat, quin illud in captivos & pauperes innumerabiles redundaret.

V. Lex Theodosii, quæ vetabat, ne quid Diaconissæ legarent Ecclesiæ, eas tantùm spectabat, quibus liberi erant; & ne has quidem vetabat, nisi fundis suis liberos frustrare.

VI. A Marciano Imperatore revocatæ sunt hæ leges omnes.

VII. Tributis ordinariis obnoxiæ erant terræ Ecclesiarum. Quæ hic Ambrosii magnanimitas, & terrenorum despicientia.

VIII. IX. Ecclesia sponsum æmulabatur. Immunitatem & libertatem suam à cœlo haustam profitebatur, humanis his servitutibus ultro se accommodabat.

X. XI. Hilarii & Hieronymi doctrina.

XII. Clericorum & Monachorum immunitati patrocinatur Basilius.

XIII. An vetuerit Constantius divites Clero initiari.

XIV. Lex ejus non complectebatur nisi Curiales, quos conditio ipsa sua publicis oneribus subjiciebat.

XV. XVI. Optimates Imperii Clero & Ordinibus initiati injussu Imperatorum. Varia ad id argumenta.

XVII. Argumenta ad idem alia. Leges explanantur.

XVIII. XIX. Alia ad hoc ipsum argumenta.

XX. Expositio Canonis Concilii Sardicensis.

XXI. Explanatur lex Arcadii.

XXII. Et Epistola Concilii Illyrici.

XXIII. De filiis Clericorum.

XXIV. Exemplum Sancti Germani Episcopi Altissiodorensis.

I. QUàm fæcundæ & propitiæ erant Imperatorum Leges testamentis iis, quibus Ecclesiæ & pauperibus multa donabantur: tam adversariæ iis erant, quibus privati ditabantur Monachi, Clericive. Promulgata est à Valentiniano lex, *Cod. Theod. L.16. Tit.2. c.20.*, qua vetabantur Clerici, & quicumque continentiam profitebantur, quidquam accipere ex successionibus viduarum, vel sanctimonialium quarumcumque fœminarum, etiam per fidei commissa. Non dissimulat Hieronymus Clericos Monachosque hoc in se dedecus ipsos derivasse, assentationibus suis & delinimentis, quibus viduas circumveniebant, illiciebantque ut testamento ab eis hæredes scriberentur. Porro ea lege idem testificatur, nihil Ecclesiæ præjudicatum fuisse, vel pauperibus, nec derogatum testamentis in horum favorem factis. Quin ex adverso justissimas ea lege pœnas dedisse Clericos & Mona-

Monachos, qui impudentiùs intercedebant, ne mater, hoc est, ne Ecclesia filiorum hæreditates exciperet; solique captabant & ad se convertere studebant patrimonia viduarum, suapte quasi sponte pauperibus in commune destinanda, quod à nobis superioribus abundè capitibus declaratum est. Audi jam Hieronymum, de ea Valentiniani lege disputantem, non ut libertati injuriosâ Clericorum, sed ut eorum inexhaustæ cupiditati adversa. *Pudet dicere Sacerdotes idolorum, Mimi & Auriga & Scorta hereditates accipiunt; solis Clericis ac Monachis hoc lege prohibetur; & non prohibetur à persecutoribus, sed à Principibus Christianis. Nec de lege conqueror, sed doleo cur meruerimus hanc legem. Cauterium bonum est, sed quod mihi vulnus, ut indigeam cauterio? fit hæres, sed mater filiorum; id est, Ecclesia, gregis sui, quæ illos genuit, nutrivit, pavit. Quid nos inserimus inter matrem & liberos? Epistola ad Nepotian.*

II. Ei ergo legi non intercessit Ecclesia, quam sibi conducibilem sentiebat. Extremis verò his verbis Hieronymi planum est, testamenta viduarum Ecclesiæ ipsius commodis consulere debuisse, & eò quasi innato impetu propendere; at avaritia Monachorum & Clericorum quorundam factum esse, ut is largitionum cursus deflecteretur ad privatorum quorundam utilitates; eorum audaciam hac lege repressam fuisse; ita Ecclesiæ rationibus & utilitatibus consentaneam fuisse omninò eam legem, fracto & debilitato eorum impetu, qui illis adversabantur.

III. Hieronymo prorsus assentiebatur Ambrosius. De ea expostulabat lege, nec revocari tamen satagebat. *Soli ex omnibus Clerico jus commune clauditur, nulla legata vel etiam gravium viduarum, nulla donatio, &c. Quod Sacerdotibus phani legaverit Christiana vidua, valet: quod Ministris Dei, non valet. Quod ego non, ut querar, sed ut sciant, quid non querar, comprehendi.* Erat quod meritò conquereremur; quòd scilicet aliquorum fraudes plecterentur, quorum arte circumscriptæ fuissent religiosæ viduæ: sed in omnes Clericos & Monachos vindicatum esset, luituris innoxiis longè plurimis paucorum dedecus & crimen noxiorum. Sed cum ea pœna non pertineret, nisi ad imminuendas privatorum opes, quibus & utilior est, & charior esset debet mediocritas, vel penuria, quàm copia rerum terrenarum: Sanctis Patribus ne in mentem quidem venit conqueri, aut reclamare. Exploratissimum erat, germanas Clericorum & Monachorum opes ex virtutibus efflorescere, in quas nequicquam sæviant Principum leges. Unde ad suos Ambrosius: *Malo vos pecunia minores esse, quàm gratia.*

IV. Tradit porro idem S. Pater ea Valentiniani lege retardatas non fuisse quaslibet in Ecclesiam largitiones. *Sed referunt ea, quæ vel donata, vel relicta sunt Ecclesiæ, non esse temerata. Ep. 30.* Sed unà testatur Ambrosius, non potuisse fieri ut donationibus & legatis testamentariis privaretur Ecclesia, quin periclitaretur & vita & libertas pauperum & captivorum turbæ innumerabilis, quos illa diebus singulis aut alit, aut redimit suo sumptu. Quæ enim vulgi sermone dicuntur opes Ecclesiæ, patrimonia sunt pauperum. Ipsius verò opes Ecclesiæ sunt virtutes. *Nihil Ecclesia sibi, nisi fidem possidet. Hos reditus habet, hos fructus. Possessio Ecclesiæ sumptus est egenorum. Numerent quos redemerint templa captivos, quæ contulerint alimenta pauperibus. Ibidem.*

V. Publicata est à Theodosio Lex, tanti Imperatoris pietati minùs, ut apparet, consentiens, qua scilicet prohibebantur Diaconissæ, Ecclesiis, vel pauperibus testamento quidquam legare. Nec enim jam privatos ea lex, sed Ecclesias ipsas, & universim pauperes ab adeundis Diaconissarum hæreditatibus arcet. *Nullam Ecclesiam, nullum Clericum, nullum pauperum scribat hæredes.* Verùm ea lex non complectitur nisi Diaconissas, quibus erant liberi, *cui votiva domi proles sit.* 2. Ea lege Diaconissis conceditur, ut dum vita gaudent, utque appetente etiam morte proventus terrarum suarum dent & addicant, cui volent pro libitu suo. *Prædiorum suorum reditus consequatur, de quibus donandi, vel relinquendi, vel quoad superest, vel dum in fata concedit; & libera ei voluntas est, integra sit potestas. Cod. Theod. L. 16. Tit. 2. c. 27.* 3. Fundos tantùm, gemmas, & summi quæque pretii filiis servare jubentur. Non ea ergo est hujus legis atrocitas, quæ primùm videbatur. Poterant Diaconissæ & ei legi satisfacere, & cum in potestate proventus suos omnes haberent, obsequi Augustini monitis, ut Christum filiorum & hæredem suorum numero adgregarent. 4. Eodem ipso anno eam legem revocavit Theodosius ipse, *Ibid. c. 28.*, concessitque Diaconissis & viduis Ecclesiasticis, ut dum adviverent, servos, mobilia, & fundos ipsos suos Ecclesiæ darent, si *prædia* non *prædam* legas in legis contextu, quod sanè magis consentaneum est.

VI. Marciano Imperatori visum est hac Theodosii lege revocari legem Valentiniani, & rescindi. Utcumque habeat, utramque ipsemet revocavit, voluitque ut Ecclesiæ, pauperes, Clerici, Monachi successiones admitterent, ut & donationes Diaconissarum, viduarum, & quorumcumque demum. *Priores Constitutiones nunc præcipio penitus abrogari, &c. Generali perpetuoque victura hac lege, sancimus, ut sive vidua, sive diaconissa, seu virgo Deo dicata, vel sanctimonialis mulier, sive quocumque alio nomine religiosi honoris vel dignitatis fœmina nuncupetur, testamento vel codicillo suo, Ecclesiæ, vel Martyrio, vel Clerico, vel Monacho, vel pauperibus aliquid, vel ex integro, vel ex parte in quacumque re vel specie, crediderit relinquendum, id modis omnibus ratum firmatumque consistat. Leg. Novell. Marciani. Tit. 5.*

VII. Ex his legibus exarsere dissensiones inter immunitatum Ecclesiasticarum patronos & adversarios, quibus minimè necesse est nos immorari. Præstat Ambrosium audire, & quæ in his Ecclesiæ sententia, quæ sapientia, quæ moderatio fuerit, ab eo perdiscere. Confirmabat enim Ambrosius, Ecclesiæ agros tributis obnoxios & ipsos fuisse: posse Imperatorem non tributa tantùm petere, sed & agros ipsos repetere: nec enim eos daturam Ecclesiam, sed ne sibi auferantur, minimè prohibituram. *Agri Ecclesiæ solvunt tributum. Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vindicandorum; nemo nostrûm intervenit. Potest pauperibus collatio populi redundare. Non faciant de agris invidiam; tollant eos si libitum est. Imperatori non dono, sed non nego. Epist. 32.* Quibus verbis constat, multo æquo animo passuram fuisse Ecclesiam, quæ æquo jure tentari ab Imperatore non possent. Patienter illa, forsan & gratanter tulisset suos sibi agros eripi; nec minori tamen in culpa fuissent, qui abstulissent. Si cogerentur Curiales patrimonio antè renuntiare, quàm Clericatui inscriberentur, eodem animo respondebat Ambrosius, eam injuriam nos non deprecari, de ea nihil conqueri, quod jacturam temporalium pro nihilo reputemus. *Non enim putamus injuriam; quia dispendium non dolemus.* Si Clerici successionibus viduarum summovebantur, non expostulabat Ambrosius: sed illud non silebat, meritissimò se expostulare potuisse. *Quod ego non ut querar, sed ut sciant, quid non querar comprehendi.* Fundum Ecclesiæ donatum, repetenti redditum ab Augustino, diximus, illud inculcante, de agri damno non dolere Ecclesiam, sed de ejus

salutis discrimine, qui tam fœda se avaritiæ labe contaminaret. Confessus est Augustinus, *per jura Legum possideri possessiones*: sed professus est & idem ipse, tributorum immunes & liberos esse filios; nec ulli humanæ Reipublicæ vectigali subjici debere, quos sibi summus cœli terrarumque Imperator filios ascivit. *Quod dicit Christus ergo liberi sunt filii. In omni regno intelligendum est liberos esse regni filios: id est, non esse vectigales. Multò ergo magis liberi esse debent in quolibet regno terreno filii Regni illius, sub quo sunt omnia regna terrena. In Evang. Joan. Tract.6. Quæst. Evan. L. 1. c.13.* En libertas, en immunitas Cleri, ipsis innixa inconcussis Verbi incarnati verbis, cujus etiam exemplis se Clerus accommodabat, dum immunitatis suæ jura præfatus, & cælestibus libertatis chartis explicatis, solvebat, quæ exigebantur.

VIII. Fidentissimè Ambrosius declarabat, ab Ecclesiis tributa solvi, etsi non nescirent, in Ægypto ipsa, ubi tam profanæ increbuerant superstitiones, Sacerdotes his servitutibus subductos fuisse. *Joseph tributum constituit, præter possessionem tamen sacerdotalem, quam à tributis immunem reservavit, ut apud Ægyptios quoque inviolabilis haberetur religio sacerdotalis. Epist.7.* Iterum, iterumque Sanctissimus Pater libertatem & immunitatem ostentabat suam, sed ea, qua Christus ratione, qui eam Ecclesiæ cum sacerdotio ipso suo communicatam voluit. *Non debebat Filius Dei, non debebat & Petrus in adoptionem à Patre adscitus per gratiam; sed ne scandalizentur, vade ad mare & mitte hamum, &c. Da iis pro me & te. Epist.1.*

IX. Magno & excelso animo sanctissimi Patres volebant, ut hæc ipsa damna compendio essent nobis, libertatum dispendia ornamento: plenissima Clericis hinc parta, hinc confirmata libertate ex terrenorum omnium abdicatione. Ita olim Apostoli, & Apostolicarum virtutum odore quopiam afflati Clerici, invictos se & inaccessos præstabant immunitatis & libertatis suæ sacræ adversariis. *Non tenebantur ad solutionem tributi, nihil enim eorum, quæ sub Rege terreno erant, possidebant. Ergo eorum, imitatores non solvunt tributum, quibus Deus portio est. L.9. in Lucam.*

X. Hilario quoque persuasissimum fuerat, tributum à Christo solutum fuisse, non ex debito, sed vitando offendiculo. *Scandalo igitur præstat, ut solvat; cæterum debito legis est liber. In Matt. c.17.* Sed idem alibi præstantissimè Hilarius, *Ibidem. Can.22.*, præposterum esse declarat, de tributis conqueri, quæ pendere jubearis: cum penes te sit ne pendas amplius, abdicatis bonis iis, quibus hæc servitutis dedecora inhæsere. *Si enim nihil Cæsaris penes nos resederit, conditione reddendi ei quæ sua sunt, non tenebimur. Porro autem si rebus illius incumbamus, si jure potestatis sua utimur, ut nos tanquam mercenarios alieni patrimonii procurationi subjicimus, extra querelam injuria est, Cæsari redhiberi, quod Cæsaris est.* Et alibi: *Et si tu vis non esse obnoxius Cæsari, noli debere, quæ mundi sunt; si vis nihil Regi debere terreno, relinque omnia & sequere Christum.*

XI. Notat Hieronymus, *In Matt. Cap.17.*, solvisse Christum, etsi non haberet unde solveret; nam, quæ in manus Judæ deponebantur, alimenta erant pauperum, nullis vexanda tributis. Atqui bona Ecclesiæ omnia ejusdem sortis & naturæ sunt. Immunia ergo & ipsa sunt. *Tantæ Dominus fuit paupertatis, ut unde tributa pro se & Apostolo redderet, non habuerit. Quod si quis objicere voluerit; Et quomodo Judas in loculis portabat pecuniam? Respondebimus, rem pauperum in usus suos convertere nefas putavit, nobisque idem tribuit exemplum.* Et alibi: *Ille pro nobis & crucem sustinuit, & tributa reddidit, nos pro illius honore tributa non reddimus, & quasi filii Regis à vectigalibus sumus immunes.*

XII. Præfectum Modestum datis ad eum literis monebat Basilius, Presbyteros & Diaconos olim nullis obnoxios fuisse tributis, vel oneribus publicis; non ita pridem illis subjugatos fuisse; Rogabat ergo Præfectum, ut Clericos omnes ei restitueret immunitati, quam lex & consuetudo firmasset. *Ut juxta antiquas leges, qui Deo in sacris ministeriis inserviunt, liberi relinquantur à solutionibus, &c. Ita exemptio ad Clericos omnes extendatur. Epist.279. 304.* Scripsit & alias ad immunitatem Monachorum vendicandam.

XIII. Ad Constantii potissimum hic legem alludere videtur Basilius. Placuit enim verò illi, ut Clerici omnes tributorum immunes essent; sed Clero inscribi noluit, nisi pauperes, aut quorum res adeo tenuis esset, ut oneribus publicis ferendis par non esset. *Cum Constitutio emissa præcipiat nullum deinceps decurionem, vel ex decurione progenitum, vel etiam instructum idoneis facultatibus atque obeundis publicis muneribus opportunum, ad Clericorum nomen, obsequiumque confugere: sed eos de cætero in defunctorum dumtaxat Clericorum loca subrogari, qui fortuna tenues, neque muneribus civilibus teneantur obstricti. Cod. Theod. L.16. tom.2. leg.2. 3.* Ea lege prior quædam lex confirmatur, cujus tamen vis declaratur retro trahi non potuisse. Eam ipsam denique confirmat alia Constantii Lex sequens: *Ne temerè & citra modum populi Clericis connectantur; sed cum defunctus fuerit Clericus, ad vicem defuncti alius allegetur, cui nulla ex municipibus prosapia fuerit, neque ea est opulentia facultatum, quæ publicas functiones facillimè queat tolerare, &c. Opulentos enim sæculi subire necessitates oportet, pauperes Ecclesiarum divitiis sustentari. Ibid. l.6.*

XIV. De quibus hic agitur, Decuriones, iidemque Curiales, Municipiorum Senatores erant, ac proinde & opibus & honoribus cæteris civibus earundem urbium antecellentes. Munera & onera publica ipsi sustinebant, ipsorumque familiæ, opulentia ipsa sui ei jugo astrictæ, ut lex ipsa clamat: *Opulentos enim sæculi subire necessitates oportet.* Et opibus ergo & natalibus suis his oneribus subjiciebantur. Subducere se his illi confidebant Clericatu profitendo; at cum ejus professionis dux & auspex esset terrena cupiditas, fucatam pietatem refellebant Imperatores, reclamabantque, res & familias eorum jamdiu his oneribus publicis addictas fuisse, eoque ad Clerum, ne admitterentur, ea illos irregularitate retardari.

XV. Non est ergo, quod ex his quisquam legibus sibi fingat, neminem potuisse injussu Imperatorum, Clericorum albo adscribi. 1. Nec enim hic Clericatu lex arcet, nisi eos, quos sua jam irregularitas, & Ecclesiæ lex arcebat, immo & naturæ ipsa quodammodo vox, & authoritas. Si enim ordinari fas non est servos, & debitores, ne dominis subtrahabantur servi, creditoribus debitores: quantò magis iis ordinandis abstinendum est, qui Reipublicæ servi, & debitores sunt? Familiæ Curialium, res, hæreditates jam olim his vinculis constringebantur; antè etiam forsan, quàm Christi illi fide imbuerentur. Solos ergo eos Clericatu summovebat Constantini lex, quorum personæ & res hoc servili nexu constringebantur. 2. Cum pauperes, vel re freti valde tenui, his oneribus non subessent, eos ordinibus initiari non prohibet Constantinus. 3. Non agit probabiliter hæc lex, nisi de Municipiis, quibus præerat Curia, præerant Decuriones, Curiales. In Majoribus enim Coloniis ubi erat Senatus, erant & Senatores, nullæ istiusmodi servitutes, nulla onera, vel personis imminebant, vel rebus. Itaque Senatores Romani & Imperii Magnates tota se libertate di-

ca-

eabant, vel Monasticę professionis, vel Clero t nullo eos, vel eorum bona remorante istiusmodi modo, nulla eogente lege, ut copiam faceret Imperator. Demetrias, Paula, & tot alię opulentissimę fœminę, quarum Encomia texuere Sancti Patres, Pammachius, Paulinus, Ambrosius, Germanus, aliique Romanorum nobilissimi, Claustro, vel Clero sese addixere, se suaque Christo mancipavere, nulla usquam mentione Imperatorii consensus, concessi, aut requisiti. Namque ad Valentinianum ventum est, non ut ipse assentiretur ordinationi Ambrosii, sed ut Ambrosium ipsemet cogeret assentiri.

XVI. Nec ex his legibus id inferas solos pauperes & ignobiles Clero nomen dedisse. Contrà stant, quos modò nominavi, & opulentiæ & nobilitatis gloria prorsus insignes. His legibus non agitur, nisi de Municipiis: nec Clero abiguntur, nisi Curiales & Decuriones, qui jam canonicis abigebantur Regulis, ob geminæ servitutis nexum, personæ & substantiæ. In his Municipiis vacantes Clericorum sedes occupare non poterant nisi pauperes, cum divitum omnium personæ, familiæ, terræ jam olim devinctæ essent muneribus, functionibus, expensisque publicis. Sed qui Decuriones, vel Curiales, eorumque stirpe orti non essent, quantiscumque fulgerent natalibus, opibusque, iis integrum erat Clero accedere. Soli excludebantur divites, iidemque publicis muneribus impensisque astricti. *Neque muneribus civilibus obstricti*, ait Constantinus Imperator. *Cod. Theod. L.16. t.2. Non obnoxii publicis, privatisque rationibus*, ait in lege sua Arcadius. *L.2. 32.* Non poterat Decurio sese servitute excutere, non poterat ea de causa ordinibus decorari; non quod dives, non quod aliquali natalium gloria esset, sed ex adverso, quod ejus familia & substantia servilibus laqueis, & oneribus publicis esse innexa. *Præjudicio funguntur, &c. Cum substantia sua functionibus subjaceat civitatis, &c. Ex Curialium natus genere, &c.* ait Constantinus Imperator.

XVII. Fateor à Constantino oneribus publicis subdi, & Clero ablegari, non Decuriones tantùm, & eorum stirpem, sed & divites: *Decurionem, vel ex Decurione progenitum, vel etiam instructum idoneis facultatibus, &c. Progenie municeps, vel patrimonio idoneus, &c. Ibidem. Leg.3. 6. 17.* Verùm id non ad quoscumque divites trahendum, sed ad plebejos, quorum bona his oneribus erant addicta. *Plebejos divites ab Ecclesia suscipi penitus arcemus.* Hi ergo plebeji divites Ordinibus ab Imperatoribus summovebantur, quod quædam servitutis vincula eorum possessionibus injecta, & impressa essent. Divites quicumque ex Senatorum, & ex Equitum Ordine eo numero non continebantur, nec lege ulla arcebantur Clericatu.

XVIII. Inde est quod Imperatores fatebantur Clericatu à se non excludi, nisi eos, qui hoc prętextu ambirent immunitatem à servilibus nexibus & oneribus, quibus res & personæ eorum tenebantur. *Obsequia publica declinantes ad Clericorum numerum confugerunt, &c. Ne sub specie Clericorum à muneribus publicis vacatio deferatur. Ibidem. Leg. 3. 6.* Pleræque leges aliæ in eandem rem editæ, idem palam sonant. At qui Nobilitatis & opum gloria clarebant, non ii sanè aliquo se onere, vel vinculo solvi ordinatione vel Clericatu avebant.

XIX. In solvendis ergo difficultatibus, quæ ex his legibus graves emergere videbantur in Cleri libertatem, laboratum non est, nisi ex minùs explorata servitute divitum rusticorum, vel Curialium. Si enim satis perspectum fuisset, res & personas plebejas jam olim vincula subiisse servitutis nescio cujus, qua functionibus & oneribus, & expensis publicis obligabantur: non magis mira accidisset eorum ejectio à Clericatu, quàm servorum & obæratorum. Unam hic addam porrò Honorii legem, qua edicit, qui Clericali ordine extrusus fuerit, aut qui eo se ipsum ejecerit, adjici eum ordini debere Decurionum, & oneribus publicis pro modo facultatum addici. *Ut & pro hominum qualitate & quantitate patrimonii, eum Curia sibi vindicet, ut vel ordini suo, vel Collegio civitatis adjungatur, modo ut quibuscumque apti erunt, publicis necessitatibus obligentur. Ibidem. L.c.39.*

XX. Porrò ex Concilio Sardicensi, *Can.13. vel 10.*, manifestè proditur, nequaquam Clericatu interdictos fuisse divites, ubi statuit, ut si ii ad Episcopatum extollantur, per gradus utique inferiorum promoveantur Ordinum. *Si fortè aut dives, aut scolasticus de foro, aut ex administratore Episcopo fuerit postulatus, &c.* Si quis autem velit his verbis, *fuerit postulatus*, declarari postulatam à Principe dispensationem, ut hujusmodi ordinari possent; fateri cogemur ejusmodi homines rationibus publicis implicatos fuisse, *ex administratore*, eumque eorum bona muneribus civilibus mancipata essent, Principis concessione opus fuisse, ut eo illi nexu absolverentur.

XXI. Edicitur quidem lege Arcadii, ut in vacuas Clericorum sedes vocet Episcopus Monachos: *Si quos fortè Episcopi deesse sibi Clericos arbitrantur, ex Monachorum numero rectius ordinabunt. Cod. Theod. L.16. T.2. l.32.* Sed hic negari non potest, quin nobilissimi quique, & locupletissimi Monasticum institutum amplecti possent, & ita Clero inscribi. Testes profero Paulinum, & illum, quem crebris Encomiis ornavit Hieronymus: *Pammachium Monachum Ecclesia peperit, & patris & conjugis nobilitate patritium, eleemosynis divitem, humilitate sublimem.* Et ibidem: *Nostris temporibus Roma possidet, quod mundus ante nescivit. Tunc rari sapientes, potentes, nobiles Christiani; nunc multi Monachi sapientes, potentes, nobiles; quibus cunctis Pammachius meus sapientior, potentior, nobilior.* Ita Hieronymus in Epistola ad Pammachium ipsum super obitu Paulinæ uxoris. His certè nobilibus & opulentis viris tam facilè patuissent Cleri, quàm Cœnobiorum fores.

XXII. Obvia est in Theodoreti historia, *L.4. c. 8.*, Concilii Illyrici Synodalis Epistola ad Episcopos Asiæ, ubi Episcopos ex Magistratuum Collegio eligi cupere se significant. Sed similior veri, & plausibilior alia est editio, qua optatissimum dicitur, ut Episcopi eligantur ex eorum numero, qui Episcopali jam ordinatione decorati fuere, sed Episcopatu tunc nullo gaudent. Doctissimi Sirmundi versio favet Magistratibus. *Ex suno & probo Magistratu functis.* De filiis Episcoporum eum interpretatur locum Valesius. Sed eum cum in scopum collimet Concilium, ut Neophytis aditus intercludatur, planum est, ejus loci intelligentiam eò vergere, ut ad Episcopatum non vocentur, nisi qui jam Episcopi sine Episcopatu sint, aut Presbyteri.

XXIII. Ubi semel viri clarissimi Clero fuerant adglutinati, nec inusitatum jam erat, nec injucundum Episcopis, eorum filios in eandem Domini sortem transcribi velle. Ab Ambrosio ipso observatum illud est, insito quodam naturæ impetu ferri filios ad paternam professionem amplectendam, quanquam in Clero id quidem minùs frequens fit. *Amat unusquisque sequi vitam parentum. Plerique ad militiam feruntur, quorum militaverunt patres. In Ecclesiastico verò nihil rarius invenias, quàm eum, qui sequatur institutum patris; vel quia graves deterrent usus, &c. Offic. l.1. c.44.*

XXIV. Beati Germani Altisiodorensis Episcopi vitam, qui literis mandavit Presbyter Constantius, *L.1. c.1. 3.*, ubi de ejus natalibus splendidissimis

mis egit, *Parentibus splendidissimis procreatus*, & de Provinciis ab eo administratis: *Protiaus Respublica ad honorum præsumpsit insignia, Ducatus cultmen & regimen per Provincias conferendo*: Simplicium memorat Altisiodorensem Episcopum cœlesti nuntio monitum, successorem ei futurum Germanum, ad Julium Galliarum Præfectum profectum esse, quo potestatem acciperet Germani in Clericum attondendi: *Posco celsitudinem tuam, ut licentiam tribuas mihi roganti, eundem Germanum tonsurare.* Cœlesti imperio paruit Præfectus, & Episcopi annuit postulatis. *Licèt necessarius sit atque utilis Reipublica nostra, tamen quia Deus sibi illum elegit, contra Dei præceptum venire non possum.*

Cum illigatus esset tum Germanus Provinciæ administrationi, splendida illa servitute irregularitatem sibi quandam induebat, qua à Clericatu summoveretur. Itaque quantumvis aurea ejus vincula necesse erat ab Imperatore, vel Præfecto solvi, quo liber & expeditus ad Clerum evolaret. Non ergo hinc efficies, divites Nobilesque sine Principis assensu non potuisse Clero adscribi. Sed eo consensu opus tum fuisse, cum ii erant sacris Ordinibus innectendi, qui publicis jam muneribus & administrationibus Provinciarum erant implicati.

CAPUT XIX. *P.2. l.3.c.3.*

De fundis & hæreditatibus Ecclesiæ adscriptis, à temporibus Clodovæi ad tempora Caroli Magni.

I. Non sinebant Justiniani leges construi Ecclesiam, nisi appensa dote pro modo Cleri ibi affigendi, nec augeri, nisi adauctis fundis.

II. Cogebant hæredem incœpta Ecclesia extremam manum admovere.

III. Pulcherrima Gregorii Magni decreta ad levandos servos & rusticos, à quibus agri Ecclesiæ colebantur.

IV. Et ad tutelam patrimonii pauperum.

V. VI. Summa æquitate, humanitate, largitate.

VII. Non solius Ecclesia Romana patrimonium plures in Provincias exporrigebantur.

VIII. Mira Regum Galliæ largitionum exempla, & privatorum Galliæ quorundam. Cœnobium suum Abbas sanctissimus maluit dotari pensionibus pecuniæ annua, quàm agris.

IX. Complures Monachi pœnitentiæ studio terras accepere colendas, aut etiam primùm excolendas.

X. In Anglia Regum liberalitas fundis complurimis Ecclesias ditavit.

I. Qui Constantinopoli Ecclesias extruxerant, illi, ut author cum primis idoneus est Justinianus Imperator, amplissimos illis in dotem agros & proventus assignarant, pro numero Presbyterorum, Diaconorum, Diaconissarum, Subdiaconorum, Cantorum, Lectorum, Ostiariorum, qui in sacro ibi ministerio excubias acturi erant; nec augeri poterat is numerus, ne jam minùs pares essent proventus: denique ne augendus quidem erat Clericorum numerus spe amplificandorum etiam redituum; sed tot absolutè admittendi erant, quot in præscriptarum ali possent. *Singuli qui sanctissimas Ecclesias ædificarunt in hac felicissima civitate, non pro ædificio solummodo cogitaverunt, sed etiam, ut expensas sufficientes darent, & determinarent quantos quidem competens esset Presbyteros per unamquamque Ecclesiam, quantosque Diaconos, masculos atque fœminas, & quantos Subdiaconos, & rursum Cantores & Ostiarios constitui, & super hæc etiam Ostiarii expensas definierunt, & reditus proprios dederant, sufficientes iis, quæ à se constituta sunt, &c. Non oportet ad mensuram expensarum quærere etiam possessiones: hoc enim simul ad avaritiam impietatemque perducit: sed ex iis, quæ sunt, expensas metiri. Novel.3. Præfat.*

II. Nec minùs luculenta alia ejusdem Novella, *Novel.67.*, Constitutio, ubi præfatus non posse novam condi Ecclesiam, nisi antè annuat Episcopus loci, & Crucem ipsemet ibi defigat ritu usitato, & annuos proventus assignari curet ad Altaris ministerium, & ad ministrorum alimenta; subdit Imperator, si quis gloriam conditæ à se Ecclesiæ aucupetur, cui ejus dotandæ facultas non adsit, posse ab eo restaurari priscarum aliquam Ecclesiarum, cujus residui sint proventus satis idonei, ipsa verò ædes ruinam faciat. Alio denique loco jubet, ut qui Ecclesiam extruere vel restaurare cœpit, perficere compellatur, compellantur & post ejus mortem hæredes. *Si semel cœperis aut novam ædificare Basilicam, aut veterem renovare, modis omnibus compellatur à beatissimo locorum Episcopo & Oeconomis ejus, & civili Judice eam explere: & si is distulerit, eo moriente hæredes ejus opus inchoatam adimpleant. Novel.131.c.7.*

III. Nusquam mirabiliora Ecclesiarum opulentiæ documenta, sed nusquam illustriora sanctissimæ administrationis insignia, quàm in Epistolis Gregorii Papæ. Nemo nescit agricolas, vinitores, conductores agrorum, rusticos tum penè universos servilis fuisse conditionis, & agris colendis ipsa nascendi sorte fuisse mancipatos. Eos agros suscepit Ecclesia ea conditione, qua legabantur cum colonis & cultoribus suis; sed in iis mox regendis etiam ipsa ex ingenio suo explicuit charitatem, libertatem, suavitatemque, quæ servile jugum mirum in modum leniret & allevaret. Rescivit Gregorius rusticos terrarum Ecclesiæ in Sicilia juribus & oneribus quibusdam gravissimis vexari, cum uxores ducerent; Villicorum filios parentibus non succedere, quòd eorum hæreditas ad Ecclesiam transfunderetur; cupidiùs crimina plecti pœnis pecuniariis; res furto interceptas non restitui propriis dominis: jussit ut posthac uno ne plus numino penderent in contrahendis conjugiis: villicorum hæreditates ad proximos ot devolverentur: si impuberes essent eorum liberi, darentur ab Ecclesia tutores; ne pœnæ corporales pecuniariis commutarentur; domino, non Ecclesiæ restituerentur res subductæ: nec enim sordido quæstu Ecclesiam delectari. *Quia nos sacculum Ecclesiæ ex lucris turpibus nolumus inquinari.* Voluit Pontifex eam chartham omnibus Siciliæ rusticis communicari, ut ea instructi armatique injuriosas exactiones omnes refellerent. *Scripta mea ad rusticos, quæ direxi, per omnes massas fac relegi, ut sciant quid sibi contra violentias debeant defendere ex authoritate nostra, eisque vel authentica vel exemplaria eorum dentur. L.1. Ep.42.*

IV. Sed non sola summi Pastoris charitas enitescit, in propulsandis à colonis Ecclesiæ gravioribus vexationibus. *Ut sine alicujus vexatione coloni Ecclesiæ frumenta congregentur.* Mira quædam etiam & pervigil providentia se aperit, ne quid de patrimonio pauperum dilabatur. Hinc illa juramenta, quæ Gregorius ab iis extorquebat, quos ei regendo præficeret: hinc & illa ad eos præcepta, ne vel sua ipsius præcepta exequerentur, sicubi ea comperissent utilitati pauperum, & patrimonio Christi adversarii. *Sed tua experientia Sanctæ Ecclesiæ utilitatem conspiciat, memor, quod ante Sacratissimam B. Petri corpus, potestatem patrimonii ejus acceperit. Licèt hinc scripta deserant, quod utilitatem patrimonii impedit, nullo modo fieri permittat, quia nec nos sine ratione aliquid dedisse reminiscimur,*

tuur, vel dare disponimus. *L.1. Ep.70.* Prædia tum Ecclesiæ soa multi adjiciebant, annuis contenti pensionibus dom abviverent. Probatum illud est à Gregorio, *L.1. Ep.42.*, dum Ecclesiæ & pauperibua aliqua fieret accessio. *De Ancilla Dei; videtur mihi, at continentiam faciac, si utile conspicic t aut certè donationem, quam fecit, reddas*, Et io eadem Epistola: *Liberato negotiatori, qui se Ecclesię commendavit, annuam continentiam à te volumas fieri*. Ubi verbo *continentię* perspicuum est significari annuam peosionem. *Commendace* autem se suaque jam tum dicebantur Ecclesiæ, qui se & res suas ei debebant. Dabat in Emphyteosin Ecclesia fundos soos, quorum occasione exigebat & quasdam Gregorius angarias. Cum trabes aliquas ex Sicilia Romam devebi jussisset, ad farta tecta Ecclesiarum Romanæ civitatis, scripsit Pontifex ad Gregorium Expræfectum, qui Emphyteuta erat Ecclesiæ, suos ut homines & boves commodaret, qui trabes ad littus osque maris pertraherent. *Petimus, ut glocia vestca de possessionibuc, quas illic in emphyteosin babet, hac iare hominec cum bobuc fais faciat prabere solatia*. *L.10. Ep.26.* Utque magis magisque pateat, quàm sapienter Gregorius nec de lenitate animi, nec de jure temporali Ecclesiæ quidquam remitteret, cum Defensoris munere honestasset coloum Ecclesiæ quendam, vetuit ne liberos conjugari fineret extra locum, sua cui illos nascendi conditio devinxerat. *Quia ita benigai esse debemuc, ut tamen Ecclesia utilitac non ladntur, mandamus, ne filioc suoc qaolibet ingeaio, vel excusatione foris alicubi ne tonjugio sociare prasumat; sed in ea massa, cui lege & conditione ligati saut, socientac*. *L.10. Ep.28.*

V. Servos quandoque Ecclesiæ servitute absolvebat Sanctissimus Pontifex, *Liberos, Civesque Romanos efficimus*, *L.5. Ep.12.*, ea lege ut si sine justa prole obirent, bona eorum omnia in fiscum Ecclesiæ revolverentur. Cum rescisset rusticos terrarum Ecclesiæ in Sardinia, alias, quàm Ecclesiæ terras excolere, incultos autem jacere ejus interim agros, ei malo studuit medicari. *L.7. Ep.96.* Cum vir dives Neapoli suis ipse io ædibus Cœnobium extruxisset, servos ejus omnes huc illucque dissipatos recolligi coravit Grgegorius, ut terras colerent tammagnifici Fundatoris, sui operis fructibus alerentur, reliquum Monasterio offerrent. *L.8. Ep.4.*

VI. Si servi Ecclesiæ servas sæcularium uxores doxisseot, alias ipsis servas restitui curabat. *Si fortè mancipiis Ecclesia nostra conjuncti sunt, dando pro eis vicarios, cecompensa*. *L.9. Ep.12.* Conquerente agricola Ecclesiæ, quòd non pro modo sui laboris remuneratus fuisset, Pontifex quanquam non nescius non solos eum Ecclesiæ agros excoluisse, jussit tamen cumulatiorem ei mercedem refundi. *Coloaus Ecclesia queritur, triennii tempore se laborasse, & mercedem non ut dignum est, accepisse*. *L.9. Ep.15.* Quo patet utcumque servilis videretur horum colonorum conditio, justa tamen eos mercede donari solitos, perinde ot laborassent. Ubi inaudiit alium quoodam Ecclesiæ agricolam, hospitalitatis studiosissimum esse, agrum Ecclesiæ illi dum superstes esset, addixit, omnibus illum absolvit exactionibus, quo terræ suæ proventus omnes in hospitum solatia consumeret. *L.9. Ep.26.* Vili quandoque pretio Gregorius emi sibi curabat illos in Sardinia servos, qui Barbaricini vocabantur, & qui eò probabiliter existimantur ex Africa traducti fuisse, quò colendis eos Ecclesiæ terris addiceret. *L.9. Ep.28.*

VII. Docet nos denique Gregorius, non solam Ecclesiam Romanam patrimonium habuisse amplissimum, & per Italiam, Siciliam, Galliam, aliasque Provincias sparsum; sed & Ecclesiæ Mediolanensi & Ravennati ingentes fuisse agros in Sicilia, unde & conjicere datur de cæteris Ecclesiis. Ita enim ille de Ecclesia Mediolaoensi. *L.8. Ep. ult. Unde possunt alimenta Sancto Ambrosio servientibus Clericis ministrari, nihil in hostium locis, sed in Sicilia & in aliis Reipublica partibas consistit*. Jam de Ecclesiæ Ravennatis patrimonio io Sicilia. *L.9. Ep.4. Quia patrimonium Ecclesia Ravennatis, quod in Sicilia constitutum est, &c.*

VIII. In Conciliis Galliæ propemodum omnibus statuta sunt nonnulla, ad tutelam fundorum & agrorum, qui vel Regum largitate, vel pietate fidelium Ecclesiæ adjecti fuerant. In Concilio Aurelianensi I. congratulati sunt Præsules munificeotiæ Clodovæi Regis in Ecclesias. *De oblationibac vel agris, quoc dominuc Rex Ecclesiis suo munere conferre dignatus est, vel adhuc non habentibus Deo inspirante contuleeit, &c. Can.5.*

Sed & exemplis addocebit Gregorius Turonensis; quàm exaggerata & Regum & privatorum ioterdum liberalitas in Monasteria & Ecclesias effunderetur. Bledericus Territorii Carnotensis incola triginta annis coojugatus, & adhuc sine prole, sua omnia transcripsit Ecclesiæ & Abbati Saocti Martini. Natis postea sibi liberis ooo pœnituit tamen illum suæ largitatis, cum eo se beneficio etiam obligatiorem esse intelligeret Beato Martino. *Veruntamen non cessavit acceptis filiis promissionem homo ille, sed eic alia loca tribuens, qua primùm sancto largitus fuerat, confirmavit*. *In vita S. Martini. L.4. c.11.*

Veoit aliquando Abbas Lupicinius copiosissimæ Congregationis parens ad Regem Chilpericum, suam ut ei summam nudaret inopiam. Jussit Rex tantum agrorum addi, quantum alendis Monachis satis esset. Sed cum paupertatis amore incitatus impatienter ferret piissimus Abbas, à suis terrenas possessiones obtineri, Regem interpellavit, ut fructus & proventus largiretur potiùs ad sui Cœnobii substentationem, quod & à Principe concessum est. *Agroc & vineac aon accipiemus, sed si placet Potestati vestra aliquid de fructibas delegare, quia non decet Monachos facultatibuc mundatis extolli, sed in humilitate cordis, Dei regnum justitiamque ejus exquirere. At Rex cum audisset hac verba, dedit eis praceptioaem, ut annis singalis trecentos modioc tritici, ejusdemque mensurę numeru vinum accipiant, & centum aureoc ad comparnuda Fratrum indumenta, qaod usque nunc à fisci ditionibus capere referuntur*. *Vita Patr. c.1.*

IX. Non ita tum omnes afficiebantur Monachi. Incultos enim potiùs persæpè agros susceperunt, quos primi excolerent, & multo sudore paoem madefacerent, quo pascebaotur. Laudatissima erat & horum paupertas, qui possiderent illi quidem terras, sed io commune, sed ut patrimonium pauperum, ut patientiæ & laboris, ut pœnitentiæ denique materiam. Denique plus satis etiam emicuit opulentia Ecclesiæ Gallicanæ, & prædiorum ejus ubertas & copia, cum Optimates & Nobiles in hanc velut opimam prædam invaseruot, & insatiabili ac infanda avaritia & rapacitate, Majorum suorum illustrissima monumenta largitatis deprædati sunt.

X. In Anglia cum Rex Osuvi victoriam valde insignem reportasset de hostibus suis, filiam suam Cœnobio Virginum dicavit, uno non amplius antè anno natam, cum duodecim latifundiis, quorum singula à familiis decem excolebantur. *Singula possessiones erant decem familiarum*; etiam *ablato studio militia terrestris, ad exercendam militiam cælestem*. Ita Beda, *L.3. c.24. 25.*, qui paulò post commemorat *Monasterium quadraginta familiarum*; aliud etiam familiarum quinquagiota. *L.4. c.3.* Hoc

est,

est, quorum agris colendis addictæ erant quinquaginta familiæ agricolatum, servili nexu vinctorum.

CAPUT XX. *P.2. l.3. c.7.*

De Testamentis in favorem Ecclesiæ factis à temporibus Clodovæi Regis ad Carolum Magnum.

I. Christo & Ecclesia dari permittebant Constantinus, & Justinianus sine modo, sine limite. Mos haredes instituendi Christi, Martyris cujuspiam, vel Archangeli.

II. Formula solemnes testamentorum minus necessaria, ubi ea in gratiam Ecclesia fiebant.

III. Cœnobia succedebant Monachis, & Monialibus, qui vita abibant intestati, vel sine prole, sine proximis. Si liberi illi essent, non tamen legitima portione Cœnobium frustrare poterant. Sed statuere poterant, ut filii legitima portione contenti essent.

IV. Nec parcior Gentilium largitas in templa sua & in Collegia.

V. Viduis & Diaconissis prohibitum est ab utroque Valentiniano, nequid Ecclesia donarent, aut legarent. Leges eorum à Marciano, & Justiniano abrogata.

VI. Episcopi executores Legatorum piorum.

VII. Quàm non cupidè se ageret Gregorius Magnus circa testamenta.

I. ANnuerat Constantinus lege lata, ut testamento Ecclesiis fideles largirentur, sine limite, quidquid religio, quidquid pietas suaderet. *Habeat unusquisque licentiam sanctissimo Catholico venerabilique Concilio decedens bonorum quod optavit relinquere.* Ita in Codice Theodosiano. *De Episc. & Cler. l.4.* At suo Justinianus Codici illam inseruit à se editam Constitutionem, qua declarat, plura jam sibi testamenta occurrisse: *Jam enim in complura hujusmodi testamenta incidimus*, quibus hæres ex asse, vel ex semisse, vel ex parte aliqua nuncupabatur Christus, vel Archangelus quispiam, aut Martyr, non designata peculiari Ecclesia: & tum eam hæreditatem addici debere, vel primariæ ejus loci Ecclesiæ, vel ædi sacræ Martyris, vel Archangeli, si qua sibi sit. *Ex asse quis scripserit Jesum Christum, haredem, aut ex dimidia, aut ex alia portione, &c.* Ulpianus in eo Titulo, *Qui haredes institui possint*, docet potuisse Romanos hæreditates suas transcribere, non quibuslibet Diis, sed iis, quos Senatus, vel Principes designassent, ut Jovi Capitolino, Marti Franciæ, Herculi Gaditano, Dianæ Ephesiæ, Cœlesti Carthaginensi. *Deos instituere haredes non possumus, prater eos, quos Senatusconsulto, & Constitutionibus Principum instituere concessum est.* Id Justinianus à superstitione & mendacio traduxit in germanam Dei religionem. *Cod. de Sacros. Eccl. l.1. Le.26. Et Novel. 131. c.1.*

Ab eodem rursus alibi pronunciatum est, qua demum quisque ratione donasset Ecclesiæ, testamento, donatione, legato, fideicommisso, quanquam testator executionem Episcopo non commendasset, executioni tamen instare debere Episcopum, si cessent proximi. Si cunctator verò sit ipse Episcopus, aut desidiosus, cura executionis ad Metropolitanum, aut ad Patriarcham devolvatur. Denique nulli non fideli jus erit lege agere ad urgendam executionem, cum ejusmodi res ea sit ut omnium prorsus intersit Ecclesiæ filiorum. *Cuicumque civium idem etiam facere licentia erit. Cum sit enim communis pietatis ratio, communes & populares decet etiam affectiones constitui harum rerum executionis.* Sed Judex ipse vindexque imminebit Imperator supinitatis Episcoporum in hoc negotio. *Etiam Imperialem motum super hujusmodi contemptu experietur. Cod. De Episc. & Cler. L.1. Le.45.*

II. Testamenta in captivorum & pauperum solatium edita, noluit Justinianus irritari ob formarum juris solemnitates minùs scrupulosè servatas. Id cavit ipse Constitutionibus iis publicatis, quibus ceu monumentis quibusdam sempiternis largitatis ejus & effusæ in pauperes benevolentiæ memoria posteritati commendetur. Nec illa nobis prætereunda est Constitutio, qua decernit, ut si quis Ecclesiæ legaverit aurum, vel fundos, ea lege ut distrahi nunquam possint, nec permutari, nec alienari, eam legem incorrupta fide servandam esse; propterea quod etsi mortale sit, quidquid usquam hominum est, immortalis sit tamen Ecclesia, nec ullo temporum limite circumscribendi sint charitatis ejus Thesauri. *Homini etiam cuicumque cursus unus est vita, ab opifice datus, cujus finis est omnino mors: venerabilibus verò domibus & earum cœtibus, indesinenter à Deo custoditis, non est neque secundùm earum possessiones inducere aliquam metam: sed quousque utique permanserint venerabiles domus, manent autem in perpetuum, & usque ad hujus saculi consummationem, quousque Christianorum nomen apud homines erit & coletur: aquum itidem & est manere & in perpetuum relictas erogationes, aut reditus immortales, semper piis actionibus nunquam cessaturis servituros. Ibidem. Le. 48. Novel. 13. c.12 Cod. De Episc. & Cler. L.1. Leg.56.*

III. A' Theodosio Juniore & Valentiniano jam sancitum fuerat; si Episcopus, Clericus, Monachus, Monialis intestati morerentur, & carerent proximis, res eorum omnes ad Ecclesiam, vel Cœnobium transferrentur. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Diaconissa, seu Subdiaconus, vel cujuslibet alterius loci Clericus, aut Monachus, aut mulier, qua solitaria vita dedita est, nullo condito testamento decesserit, nec ei parentes utriusque sexus, vel liberi, vel agnationis cognationisque jure junguntur, vel uxor extiterit; bona, qua ad eum vel eam pertinuerunt, sacrosancta Ecclesia, vel Monasterio, cui fortè fuerat destinatus, aut destinata, omnifariam socientur. Cod. Theod. L.5. T.3. c.1. Cod. l.1. De Episc. & Cler. Leg.20.*

Nec minor Justiniani propensio ad Cœnobiorum opes amplificandas. Statuit enim, *Ibidem*, ut omnium, qui in Cœnobiis profiterentur, nec liberorum quidquam sustulissent, res omnes ad Monasterium conferrentur. *Si qua mulier, aut vir Monasticam elegerit vitam, & intraverit Monasterium, filiis non extantibus, Monasterio quod ingreditur, res ejus competere jubemus.* Si proles iis sit, legitimam ei portionem non subtrahent, sed nec sibi etiam ipsis, hoc est, Monasterio eam subtrahent. *Propria sua persona filiis connumerata, unam sibi partem omnibus modis retineat, qua debeat juri Monasterii competere. Novel. 123. c.38.* Ita nec filii, nec Cœnobia legitima hæreditatis portione fraudari possunt, cæteroqui in potestate est parentum reliquam hæreditatem vel filiis addicere, vel transcribere Monasterio. Perspicua sunt in eam rem ipsa legis verba; sed & ex iis, quæ sequuntur, argumentum in id non leve exprimeretur. Nam si ante vita excedant parentes, quàm liberis & Monasterio res suas partiantur, filii quidem legitima portione contenti esse jubentur, reliquis Monasterio bonis omnibus cessuris. *Si verò in Monasterio degens moriatur, antequam inter filios suos propriae*

distri-

distribuat ret, legitimam partem filii percipiant, reliqua verò substantia pars Monasterio computat. Vetuit denique Justinianus, ne vel parentes à filiis, vel filii à parentibus hæreditatis spe & jure ejicerentur, ob aliqua ante professionem Monasticam commissa. *Nullam verò licentiam damus, aut parentibus filios, sæcularem vitam relinquentes, velut ingratos à sua exsludere hereditate, pro ea culpa, quę Monasticam ante professionem admissa sit. Ibid. c.41.* Ita verti debuit contextus Græcus, à quo recessit Editio Latina. Hæ nimirum tunc vigebant regulæ Juris Civilis & Christiani, ut qui in Cœnobium se recipiebat, si necdum de rebus suis quidquam decrevisset, sua hac ipsa professione testificaretur, se Deo seipsum & sua omnia addixisse, illæsa legitima portione liberorum, conjugis, creditorum. *Nunc autem cum Monachus factus est, hoc ipso suas res omnes obtulisse Monasterio videtur si prius testatus non sit, &c. Ingredientem simul sequuntur omnino res; licèt non expressè, qui introduxerit eas, dixerit; & non erit dominus earum ulterius ullo modo. Cod. l.1. De Epi. & Cler. Leg.20. Novell. 5. c.5.*

IV. Illud jam attigimus à viro doctissimo animadversum, quantumvis amplum & munificum videretur Theodosii Junioris decretum, ut si Clerici, ac Monachi fato antè suo raperentur, quàm testamentum condidissent, & sine ullis legitimis hæredibus, substantia eorum omnis ad Ecclesiam, vel Monasterium transferretur, gratiam illam omnibus communem & usitatissimam fuisse Societatibus & Collegiis, eujusmodi erant Decurionum, Militum, Nautarum, aliorumque. Collegia enim hæc omnia hæreditates adibant omnium sui cœtus, qui intestati, & sine necessario hærede obirent. Mira hinc laus existit Ecclesiæ, quod tandiu non laboraverit, ut privilegio eo donaretur, quo jam olim fruebantur Collegia tam vilia Gentilium. Extremis hujus legis verbis illud insinuatur, caducas eas hæreditates ante prædæ objectas fuisse iis, qui eas ab Imperatoribus petere occuparent. Cum Præfectus Taurus, ad quem Lex ista scribebatur, peculiari quadam necessitudine cum Theodoreto & Isidoro Pelusiota esset conjunctissimus, probabile est illis suggerentibus & ipso flagitante eam legem ab Imperatore publicatam.

V. In primam Constatini legem hoc Capite allegatam illud hic rursus observabimus, ab eo concedi, ut Ecclesiæ donetur, tanquam Collegio, ac Conventui, *Catholica Concilio*: ut Marcus Aurelius concesserat Constitutione sua, ut omnibus omnium artium & professionum Collegiis, quidvis legaretur. Ea lege nec personis, nec rebus terminus ullus præscribitur, cum Ecclesiæ Catholicæ donare volent. Ita integrum fuit fundos, domos, terras dare. Cumque ea Lex *ad Populum* scripta fuerit, hinc meritò conjiciuntur rivuli quidam largitionum in Ecclesiam effluxisse Romanam. Denique in controversiam vocari non potest, quin Constantinus, Marcianus, & Justinianus fundos terrasque donari testamento Ecclesiæ concesserint, summa quadam libertate & immunitate, cum nulla usquam existant vestigia juris, vel exactionis cujusquam ex eo, quod terræ tributis obnoxiæ Ecclesiæ addicerentur.

VI. Januario Calaritano Metropolitano mandavit Gregorius Papa, ut tota legum abuteretur auctoritate ad urgendam executionem extremarum voluntatum eorum, qui sua Cœnobiis bona testamento legassent. *Solerter secundum quod leges præcipiunt, admonere te volumus, ne pia vivorum, aut defunctorum voluntates, tua, quod absit, remissione cassentur. L.3. Ep.9. 10.* Si hæredes autem ultra annum cessent, à fundando, vel construendo Cœnobio, jubet ut Episcopus ipse executionem testamenti adgrediatur, sicut leges ipsæ præscribebant; *Secundùm piissimas leges, dilatas defunctorum pias voluntates, Episcopali supplebis studio.* Subdiacono, qui Nuntii munus obibat, rescripsit, *L.8. Ep.6.*, ut executioni mandari curaret testamentum Comitioli, qui decimam, seu sextam partem hæreditatis Ecclesiæ, tantundem duobus libertis legaverat. *Nam sacrilegium &c. contra lege est, si quis quod Ecclesiis relinquitur retinere tentaverit.* Agit denique Pontifex in Dialogis, de Spoletana puella nobili, quam hæreditatis suæ exortem fecerat pater, quòd præter ejus voluntatem Monasticam induisset vestem; ita ut nonnisi per modici agri partem illi reliquerit. *Qua ex re factum est, nec eam pater suæ substantia exhæredem faceret, nihilque ei aliud nisi sex unius uncias possessiuncula largiretur.* Unde perspicis Monachos & Moniales paternæ hæreditatis cernendæ potestate gavisos semper fuisse, ut infrà operosius suo loco manifestabimus.

VII. Sed ut ne qua terrenæ cupiditatis fuligo sanctissimo illinatur Pontifici, nihil a spernanti bonorum Ecclesiæ temporalium; luculento hoc exemplo suspiciones id genus omnes abstergemus. Jubebant leges, ut hæres pecunia sua emeret & legatario daret, quod ei cumque testator legasset ex alienis rebus. Vetuit Gregorius Ecclesiam hoc uti jure, quod ea quidem in re terrenæ leges cœlestibus non consentirent; & quanquam temporalibus Ecclesiæ commodis conducibiles eæ viderentur, erant tamen omninò infensæ ejus ingenio, consiliis, divitiis ipsis, quas non alias ipsa veriores interpretatur, quàm justitię & charitatis. *Et quidem quid in hac re sæculi leges habeat, & ipsi nostis & nos audivimus, quia hæres ad solvendum cogitur, si author ejus, vel testator aliena legaverit. Sed quia fraternitatem vestram lege Dei, non autem lege sæculi novimus vivere, valde mihi injustum videtur, ut, &c. L.7. Epist.4.* Hæc Gregorius ad Episcopum Messinensem, quem & hoc rursum admonebat, ut ne ea quidem acciperet, quæ Testator sponte sua pro sepultura offerebat, nisi in hæreditariis bonis superesset, quo familia foveretur. *Considerare, ut arbitror, debuistis, quæ esset summa ejus substantia; si quid esset, unde hi, quos reliquerat, sustentari debuissent, & tunc pro sepultura sine accipere.*

Accipe & aliud alieni à terrenis omnibus animi specimen pulcherrimum. Ecclesiam Ammonia matrona domo & agro donaverat. Stephania nurus ejus & Calixenus filius ad Gregorium propere perrexerunt, ut suæ illi aperirent paupertatis angustias. Restituit illis Pontifex agrum domumque. Non quo nesciret rerum Ecclesiæ alienationes legibus & canonicis damnari institutis: sed in schola charitatis illud olim hauserat, altèque combiberat, charitati leges & Canones servire; porrò nihil Legibus, Canonibusque tam consentaneum, quàm juris rigorem clementia mitigari; beatissimum esse largiri, cum vel maximè, qui largitur, de inopia nihil ipse quidem periclitetur. *Quanquam ea, quæ ad Ecclesia jura perveniunt, alienari legis ratio non permittat: temperanda tamen interdum est censura districtionis, ubi misericordiæ respectus invitat. Maximè quando tanta est quantitas, quæ nec dantem onerat, & accipientis paupertatem juxta aliquid consolatur, &c. Ne plus sequi rigoris viam, quàm causas videamur pietatis complecti, &c. Melius est in dubiis non districtionem exequi, sed ad benignas potius partes inflecti, &c. L. 3. Ep.23. 40.*

CAPUT XXI. P.2. l.3. c.8.

De Testamentis in favorem Ecclesiæ per Gallias, à Clodovæo ad Carolum Magnum.

I. In Gallicanis Conciliis excommunicatione innodantur, qui rapiunt, vel repetunt, quæ Ecclesiis etiam sine scripto relicta sunt.

II. III. Testamenta ibi Clericorum legum formulis absolvuntur.

IV. Leges postea canonicæ, Regum authoritate fultæ, adversùs Leges Romanas testamentorum convaluernnt.

V. Quid Episcopo legatur ab aliis, quàm à proximis, juris id Ecclesiæ est.

VI. Fidissima in fidei commissis Ecclesia.

VII. Leges Monasticæ in Galliis receptæ, Monasteriis secundæ & conducibiles, cum modo tamen.

VIII. IX. X. Filii familias, qui in Cœnobiis professi erant, defuncto patre hæreditatem & ipsi adibant, & bona sua largiebantur, pauperibus, fratribus, Cœnobio, pro suo libitu, dum ne quid sibi proprium retinerent.

XI. A Chilperico Rege vetitum non est, ne quis testamento Ecclesiam hæredem scriberet.

I. NEc in Ecclesia Gallicana elanguit vel cura tutandi patrimonii Christi, vel terrenarum rerum & cupiditatum despicientia. Intentata est in Concilio Aurelianensi IV. *Can.19.* excommunicatio iis, qui retinerent, vel repeterent fundos Ecclesiæ, à Majoribus, vel ab ipsimet antè donatos, sine ullo chartarum instrumento. *Quicumque pro devotione sua oblationis studio aliquid in campellis, vel in vineolis, etiam absque scriptura probatur Ecclesiæ contulisse: si postmodum vel ipse vel hæres ejus hoc auferre voluerint, &c.* Eadem comminatio in Concilio Aurelianensi V. *Can. 15.* innovatur adversùs pauperum hos homicidas. Hinc illæ enim iræ, minæque, & diræ, *Ut necator pauperum communione pervetur.*

II. Cum plerumque Episcoporum & Clericorum testamenta lucro cederent Ecclesiæ, ideoque convellerentur à proximis, quò à sæculi Judice rescinderentur, tanquam legum formulis adversa: serpenti huic pesti obviam ire studuit Concilium Lugdunense II. statuto ut nihilo secius ad exitum ea testamenta perducerentur, cum illis abundè provideretur voluntas ultima testatoris, quamvis minutiæ formularum legalium non ita scrupulosè servatæ essent. *Quia multa tergiversationes infidelium Ecclesiam quærunt collatis privare donariis, id convenit inviolabiliter observari, ut testamenta, quæ Episcopi, Presbyteri, seu inferiores ordinis Clerici, vel donationes, aut quæcumque instrumenta propria voluntate confecerint, quibus aliquid Ecclesiæ vel quibuscumque conferre videantur, omni stabilitate, consistant. Id specialiter statuentes, ut etiamsi quorumcumque religiosorum voluntas, aut necessitate, aut simplicitate aliquid à sæcularium legum ordine videatur discrepare, voluntas tamen defunctorum debeat inconcussa manere, & in omnibus Deo propitio custodiri. Can.2.*

III. Nec me fugit ad eos hunc posse deflecti Canonem, qui plura dant Ecclesiæ, quàm per leges liceat, sed ad minùs observatas legum formulas malui eum trahere, quòd eò manifestè pertineat Concilium III. Parisiense, quod Lugdunensi II. præiverat. *Ut quia nonnulli per quaslibet Scripturas pro captu animi de facultatibus suis. Ecclesiis aliquid contulisse probantur, &c. Can.1.* Quod iisdem rursum verbis firmatum est in Concilio II. Turonensi. *Can.25.* Trium horum Conciliorum ea verba, *pro captu animi, simplicitate*, visa mihi sunt solam formularum incuriam notare.

IV. Verùm id præ cæteris ponderandum sedulò est in his tribus Canonibus per eos derogari legibus Gallorum, Francorumque civilibus, tritissimo tunc usu receptis. Clotarius I. in Edicto Confirmationis Concilii Parisiensis III. Romanos sanxit, hoc est, Galliarum vetustos incolas, & eorum posteros, qui Romano paruerant Imperio, antequam Franci ex Germania in has se regiones infunderent, legibus Romanis sese accomodaturos. *Inter Romanos negotia causarum Romanis legibus præcipimus terminari. Conc. Gal. Tom.1. pag.318.* Sed idem ipse Rex videtur statuto Concilii Parisiensis suffragari, & derogationi ibi factæ legum Romanarum, cum eodem Edicto confirmat donationes omnes in gratiam Ecclesiæ factas. *Ut oblationes defunctorum Ecclesiis deputata, nullorum competitionibus auferantur, præsenti constitutione præstamus.* Romanæ & Gallicanæ hìc Reipublicæ reliquias absorbuit tandem aliquando Francica dominatio; unde & leges Romanorum testamentariæ cessere legibus canonicis, authoritate Regia subnixis. Quin & posteriora Concilia eandem, quam Parisiense III. sibi sumpsere licentiam ac libertatem, absolvendi fideles ab observatione spinosa formularum testamentariarum Juris Romani, ut suprà liquebat ex Conciliis Lugdunensi & Turonensi; utque ex Concilio rursus patet Parisiensi V. quo Lugdunensi II. novus vigor additur. *Matiscon. I. Can. 4. Paris. V. Can.10.*

V. Pernecessarium in Concilio Remensi editum est Decretum, *Can.50.*, de successionibus, quæ Episcopo ab illis transcribebantur, qui proximi ejus non essent. Sive enim ex Episcopo & Ecclesiæ, sive Episcopo uni ascriberentur, in Concilio pronuntiatur illas Ecclesiæ omninò addici. Primùm quòd similius veri sit, fidelem ei legare voluisse, à quo speret in cœlis multo cum fœnore, quod hic dederit, se recepturum. Secundò quòd æquissimum sit, iis, quæ Episcopo legantur, frui Ecclesiam, cum Ecclesiæ infinitis bonis fruatur Episcopus. *Pontifices quibus in summo sacerdotio constitutis, ab extraneis dumtaxat aliquid, aut cum Ecclesia, aut sequestratum dimittitur, aut donatur; quia ille, qui donat pro remedio animæ suæ, non pro commodo Sacerdotis comprobatur offerre; non quasi suum proprium, sed quasi dimissum Ecclesiæ, inter facultates Ecclesiæ computabunt. Quia justum est, ut sicut Sacerdos habet, quod Ecclesiæ dimissum est, ita & Ecclesia habeat quod relinquitur Sacerdoti. Can.20.*

VI. Denique hoc eodem Concilio definitur, nec ab Ecclesia retineri posse, nec ab Episcopo, quod eis pro fidei commissum dimissum est. *Sanè quidquid per fidei commissum, aut Sacerdotis nomine, aut Ecclesiæ fortasse dimittitur, cuicumque aliè post modum profuturum, id inter facultates suas Ecclesia computatum retinere non poterit.*

VII. A Conciliis jam ad Monasticas defluendum nobis est Regulas, quarum in Galliis dominata est authoritas; cumque complures earum à Regula Beati Benedicti derivatæ, vel ad eam revocatæ sint, ab hac initium faciemus, ut pateat quanta Monachis esset, & Sanctimonialibus puellis facultas, sua Monasterio addicendi, sive ante, sive post Professionem. Declarat ergo Regula B. Benedicti, *Cap. 58. 59.*, quisquis in Congregationem Monasticam admittitur, eum antequam profiteatur, aut sua omnia pauperibus erogare debere, aut Monasterio largiri, ut sibi proprium reservet nihil, cum deinceps ne proprii quidem corporis potestatem habiturus sit. *Res si quas habet, aut eroget priùs pauperibus,*

aut

aut facta solemniter donatione, conferat Monasterio, nihil sibi reservans ex omnibus. Si viri Nobiles Cœnobio filios suos offerant, juramento astringuntur, ne quid unquam illis dent; aut si quid dare cupiant: Monasterio daturos, retento, si lubeat, usufructu. *Sub jurejurando promittant, quia nunquam ei aliquid dent, &c. Vel certè si hoc facere voluerint, & aliquid offerre volunt in eleemosynam Monasterio pro mercede sua, faciant ex rebus, quas dare volunt Monasterio, donationem, reservato sibi, si ita voluerint, usufructuario.*

VIII. Non improbabile est, in Regula B. Benedicti illud poni, filios familias post professionem jam succedere in patrias hæreditates non posse; compellique solitos parentes, ut pollicerentur & jurarent, nullam ad eas hæreditatis partem transmissum iri. In Regula verò Cæsarii usus emicat prorsum contrarius. Statuto enim fixoque eo, ut ne virgines & viduæ religiosa induantur antè veste, quàm renuntiaverint omnibus bonis, & pro arbitratu suo de iis statuerint: *Non recipiantur nisi antea de omni facultatula sua, cui voluerint, chartas, aut donationes, aut venditiones faciant, ita ut nihil sua potestati reservent*: Cap. 4., statuitur, ut quibus superstes est parens uterque, vel alteruter, aut qui per ætatem nondum possunt de rebus suis disponere, ex tunc de iis disponant, cum ea ætate fuerint, qua sui suorumque compotes sint. *Illa verò, quæ adhuc vivis parentibus substantiam suam in potestate habere non possunt, aut adhuc ætatis minoris sunt, chartas tunc facere compellantur, quando res parentum in potestate habere potuerint, aut ad legitimam ætatem pervenerint.*

IX. Regula Tetradii Presbyteri & nepotis Sancti Cæsarii, quam & ipsius Cæsarii esse quidam autumant, idem statuit de Monachis. Cap. 1. *Vestimenta laica non ei mutentur, nisi antea de facultate sua chartas venditionis faciat, sicut Dominus præcipit, vade, vende, &c. Certè si non vult vendere, donationis chartas aut parentibus, aut Monasterio faciat, dummodo liber sit, & nihil habeat proprium. Si verò pater ejus, aut mater vivat, & non habet potestatem faciendi, quando illi migraverint, cogatur facere.* Quibus proximè alludit Regula Aureliani Archiepiscopi Arelatensis. Cap. 47. *Qui minoris ætatis sunt, aut vivis parentibus in Monasterium ingrediuntur, chartas tunc facere compelluntur, quando ætate probati fuerint, aut res parentum in potestate habuerint.*

X. Regula Magistri parentes cogit, ut omni prorsus hæreditatis spe exuant filium, quem Religioni vovent, ne terrenæ illum aliquando successionis illecebra à Claustro abducat & cælestis hæreditatis faciat exortem. Triplex autem ibi proponitur ratio rei perficiendæ. Vel portione hæreditatis legitima, quæ huic competeret pauperibus erogata: vel ea ipsa tripartita in pauperes, in propinquos, & in Cœnobium: aut simplici juramento nihil unquam rei terrenæ dàturos ei, qui ea jam non possit gaudere, quin ejiciat & excludat ipse sese ab æterna & cælesti voluntariæ paupertatis mercede. *Quia portio ejus adhuc in vestra est potestate, vos tangit de ea dominicam vocem audire; ut pro filio vestro apud vos nihil remaneat in sæculo, nisi Deus. Quod si gravis vobis hæc divina præceptio est, de portione ejus tres fiant partes æqualiter, una Abbatis manibus pauperibus erogetur, aliam vobis, vel fratribus derelinquat, tertiam verò partem viatici sui utilitate deferat secum, Monasterii sanctorum usibus profuturam. Quod si utræque vobis graves sunt voces, ut ne Deum audiatis pauperibus erogando, & filii animam redimendo: nec nostrum consilium partibus dividendo, & auferendo ab eo sæcularem substantiam, vel nudum & solum filium Deo largite; ita ut jurejurando per Sancta Evangelia, promittatis ei, ulterius eum de vestra patrimonii substantia nihil habere.* Cap. 91.

Per Leges Burgundicas, *Tit.* 14., fas erat puellis sanctimonialibus, quæ pater ipsis dimisisset, ea pro arbitratu cui vellent largiri, uti & matris res mobiles; si vivere desisset antè pater, quàm justa eas hæreditatis portione muneraretur, legitimæ suæ portionis usumfructum assequebantur.

XI. Chilperico Regi ea temerè macula illita est, quòd testamento quidquam dari Ecclesiæ vetuisset. Non id sonant verba Gregorii Turonensis; sed oppressa esse ab eo aliqua ejusmodi testamenta, ut ad exitum perduci non potuerint. Successor ejus Guntrannus eum obicem amovit, pristinamque reddidit testamentorum executioni libertatem. *Multa & ipse Ecclesiis conferens, testamenta quoque defunctorum, qui Ecclesias hæredes instituerant, & à Chilperico compressa fuerant, restauravit; multis se benignum exhibens, ac multa pauperibus tribuens. L. 7. c. 8.*

CAPUT XXII. *P. 3. l. 3. c. 4.*

De fundis, terris, domibus Ecclesiæ oblatis sub Imperio Caroli Magni.

I. Illæ ab Ecclesia oblationes rejiciuntur, quibus filii, vel proximi offerentium ad mendicitatem adigerentur.

II. Damnantur & Clerici, qui per cuniculos adrepunt, ut Ecclesiæ dari suadeant.

III. Ab ea restituuntur, si quæ malis his artibus versati captationes eblanditi sint, vel expugnarint.

IV. Accipit & servat Ecclesia, exemplo Christi & Apostolorum, ubi ad dandum dux & hortatrix est pietas & sapientia.

V. Terra, vineæ, & cætera id genus oblationes, hostia sancta sunt.

VI. VII. Conciliorum zelus astuus & intrepidus, ne quæ data semel Christo sunt, auferantur.

VIII. Ea erat oblationum ubertas & opulentia, ut laici ad earum aliquam partem anhelarent.

IX. De donationibus fraudulentis, ad onera publica declinanda.

I. DE his terrarum & fundorum oblationibus apparet sumi debere illud Caroli Magni Capitulare, ubi eas vetat, quæ fieri non possint, nisi excussis hæreditate filiis, proximisque ejus, cujus largitas in laude esset, si modum tenuisset. *Statutum est, ut nullus quilibet Ecclesiasticus ab his personis res deinceps accipere præsumat, quarum liberi, aut propinqui hac inconsulta oblatione possint rerum propriarum exhæredari. Quod si aliquis hoc deinceps facere tentaverit, à Synodali vel Imperiali sententia modis omnibus feriatur. L... c. 89.* Non prohibet Carolus dari accipique terras, sed hæreditates totas, & ne eas quidem dari vetat recipique, nisi ubi nati sunt & proximi exhæredes futuri. Integrum ergo erat Ecclesiæ fundos oblatos admittere, immo & hæreditates ex asse eorum, qui prole & proximis destituerentur. Quàm consentiat hæc Augustini, cæterorumque Patrum doctrinæ & moderationi facilè intelligitur ex superiùs disputatis. Ex quo & illud conjectura augurari licet, hanc legem à Carolo sancitam hortatrice Synodo aliqua Episcoporum; unde & ejus executio facienda declaratur *Synodali, vel Imperiali sententia.*

II. In Concilio Gabilonensi III. anni 813. cen-

soria perstringuntur virga Clerici ii, qui veteratoriè adrepunt sæcularibus viris, ut eos proliciant ad res suas Ecclesiæ legandas. Id quippe non minùs pugnat Clericorum instituto, quorum est dare potius, quàm accipere; erogare, quàm coacervare; quàm ipsarum naturæ oblationum, quas æquum est voluntarias esse. *Animarum quippe salutem inquirere debet Sacerdos, non lucra terrena, quoniam fideles ad res suas dandas non sunt cogendi, neque circumveniendi. Oblatio namque spontanea esse debet. Ecclesia verò sancta non solùm fideles spoliare non debet, quin potius inopibus opem ferre, ut debiles, pauperes, viduæ, orphani, & cæteri necessitatem patientes, à Sancta Ecclesia, utpote à pia matre & omnium gubernatrice subsidium accipiant. Can.6. 7.* *

III. Cumque his versutorum hominum præstigiis aliqui se jam, suaque Cœnobiis dedissent: hos veteratores Concilium ad pœnitentiam canonicam ablegat. *Pœnitentiæ canonicæ, sive regulari, utpote turpis lucri sectatores subjiciant.* Hanc suspicamur publicam esse pœnitentiam, quæ in Monasteriis peragebatur. Et hic enim error non ferè cadebat, nisi in Prælatos, Abbates & Monachos. Eos quidem, qui vel sic claustrali se illigarunt professioni, nequaquam ab eo vinculo, aut à perseverandi necessitate absolvit Synodus. At bona ipsa, quæ captando extorta quodammodo fuerant, jubet parentibus restitui, vel proximis: quòd quæ suarum in hæreditatum consortium pauperes omnes vocat Ecclesia in commune, ejus non sit, privata quemquam hæreditate frustrare. *Res namque, quæ ab illectis & negligentibus datæ, ab avaris & cupidis non solùm acceptæ, sed raptæ noscuntur, hæredibus reddantur, qui dementia parentum, & avaritia incentorum exhæredati esse noscuntur. Ibidem. Can.7.*

IV. At quæ religiosa circumspectione Deo & Ecclesiæ offeruntur terræ, nullus de eis controversiam facere jure potest. *Hoc verò, quod quisque Deo justè & rationabiliter de rebus suis offert, Ecclesia firmiter tenere debet. Ibidem.* Concilium Aquisgranense II. anni 836. ex Augustino primum declarat, de industria Christum in futurum aliquid oblatæ pecuniæ voluisse à discipulis suis servari, ut Ecclesiæ suæ, venturisque sæculis hoc præconderet exemplum, eamque dedicaret ipsemet formam, pecunias, terras, hæreditates oblatas sumendi, servandique in futuros Religionis, Cleri, & pauperum usus. *Quare inquit Augustinus, loculos habuit, cui Angeli ministraverunt, nisi quod Ecclesia ejus loculos suos habitura erat. Ecce quibus tanti Doctoris documentis instruimur, quia quod in capite præcessit, in corpore ejus, quod est Ecclesia, videtur impletum. Porro Christum & Ecclesiam, unam personam esse non nescimus. Et ideo, quæ Ecclesiæ sunt, Christi sunt; & quæ Ecclesiæ offeruntur, Christo offeruntur: & quæ ab Ecclesia ejus tolluntur, procul dubio Christo tolluntur. Esto erat futurum, ut Ecclesia Christi nummos haberet; si nummos, utique & prædia, & mancipia, & diversarum specierum innumera ornamenta. L.3. c.7. 20. 21. Capitul. l.6. c.302.* Tum declarat Concilium ipsos Apostolorum Actus & Sanctorum Patrum commentarios fidem facere, jam ab incunabulis suis, & ex ipsis Apostolorum institutionibus, cœpisse Ecclesiam locupletari oblationibus agrorum, prædiorumque. *Per Petrum in Occidentis, per Joannem in Orientis, sive Asiæ partibus, per Paulum in toto generaliter mundi latitudine, fundata & ex oblationibus fidelium ditata atque honorata Ecclesia. Con. Aquis.II. ad Pipi. Regem. L.1. c. 12.*

V. Sed illud longè præclarissimum, quod habetur alio Capitularium libro, ubi terræ, fundi, domus, hæreditates prædicantur, oblationes esse, & hostiæ, non minùs sacræ, quàm quæ altaribus imponuntur. *Omnia, quæ Domino offeruntur, procul dubio Domino consecrantur; & non solùm sacrificia, quæ à Sacerdotibus super Altare Domino consecrantur, oblationes fidelium dicuntur; sed quæcumque & à fidelibus offeruntur, sive in mancipiis, sive in agris, vineis, silvis, pratis, aquis, aquarumque decursibus, artificiis, libris, utensilibus, petris, ædificiis, vestimentis, pellibus, lanificiis, pecoribus, pascuis, membranis, mobilibus & immobilibus, vel quæcumque de his rebus Domino Ecclesiæque offeruntur, Domino indubitanter consecrantur, & ad jus pertineant Sacerdotum. L.6. c.305.*

VI. Hinc infertur cum unam in personam Christus & Ecclesia coirent, Christo auferri, quidquid aufertur Ecclesiæ. *Et quia Christum & Ecclesiam unam personam esse veraciter agnoscimus, quæcumque Ecclesiæ sunt, Christi sunt. Et quæ ab Ecclesia tolluntur, sive alienando, sive vastando, sive invadendo, sive minuendo, sive diripiendo, Christo tolluntur.*

Cumque citra furti crimen & sacrilegium rapi non possint res Ecclesiæ, nec illud elui queat, nisi per publicam pœnitentiam; hinc fit ut Episcopi, utpote non dispensatores tantùm, sed & vindices bonorum Ecclesiæ, non possint communioni suæ hos prædones sociare, nisi plena ubi perfuncti fuerint satisfactione. *Talium verò scelerum patratoribus nisi post satisfactionem, nec vivis, nec mortuis communicare debemus.* Quod certè munus suum obiere Patres Concilii II. Aquisgranensis tam excelso & infracto animo, ut Pipinum Aquitaniæ Regem compulerint, quæ expilaverat, Ecclesiis restituere. Tres libros ei Regi obtulerunt, qui ejus Concilii nomine circumferuntur, & in quos conglobata sunt, quæ pulcherrimè & vehementissimè dicta sunt in Scripturis & in Sanctorum Patrum monumentis, adversum Magnatum & Principum intemperias, maximè in usurpatores sacrilegas bonorum Ecclesiæ.

VII. De eodem argumento fervore non dispari egit Concilium Tullense II. anni 860. apud Tusiacum, admonitis Principibus, quàm scelestum, & omnibus cœlestis iræ fulminibus obruendum sit, patrimonii pauperum expilatores eos esse, qui ejus instituti fuerant defensores. *Unde summoperè caveant potentiores quique, ne præsumant in damnationem suam res sibi Ecclesiasticas, neque fatigent, neque affligant inconsuetis consuetudinibus Dei Ecclesias & loca Sanctorum; scientes quia res Ecclesiasticæ vota sunt fidelium, patrimonia pauperum, pretia peccatorum, & in tuitione atque defensione Christi consistunt, qui eas terræ Principibus atque primoribus ad defendendum & conservandum, non ad affligendum, vel usurpandum, sive præsumendum commisit.*

VIII. Erant ergo pietatis, propriæque salutis immemores aliqui, qui Christi patrimonium compilabant; nec deerant tamen, qui eam sarcirent labem, & pleraque in dies ei adjicerent, quo & ipsi cœlestem Christi aliquando sortirentur hæreditatem. Ipsæ Altarium oblationes tam copiosæ erant, ut Concilio Ingelheimensi anni 848. ab earum invasione deterrendi fuerint laici. *Ut oblationes fidelium, quatenus Altari deferantur, nihil omninò ad laicalem pertineant potestatem; dicente Scriptura: Qui altario deserviunt, de Altari participentur. Can.8.*

IX. De Precariis dictum est jam non semel. Sed hic non silebimus fraudulentas illas quorundam precarias, qui ex his unum id aucupabantur, ut ne censum Principi solverent, seque ut subducerent oneribus Reipublicæ. Statuit Carolus Magnus, ut ex his nihilominus terris status census exigeretur, sal-

vis

vis Ecclesiæ immunitatibus. *Placuit nobis, ut liberi homines, qui non propter paupertatem, sed ob vitandam Republica utilitatem, fraudalenter ac ingeniosè res suas Ecclesiis delegant, easque denuo sub censu utendas recipiunt, ut quousque ipsas res possident, hostes & reliquas functiones publicas faciant, &c. Nostra non resistente emunitate.* Capital. anno 793. c.23.

CAPUT XXIII. *P.3. l.3. c.10.*

De Testamentis Laicorum in gratiam Ecclesiæ sub Imperio Caroli Magni.

I. Quantum opum testamentis accumularetur Ecclesia, testamentum Caroli Magni declarat.

II. Et quàm suffragarentur Leges publica.

III. Nec secus res habebant sub Ludovico Pio.

IV. Qui in Monasteriis profitebantur, sua omnia illis addere poterant.

V. Poterant & postea quàm professi fuerant.

VI. Parochorum muneris erat, moritaros hortari ad testandum, & ad peccata sua eleemosynis redimenda.

VII. Mores Orientalium.

VIII. Maximè in Testamentis Monachorum.

I. CAput & fons hic quoque erat uberrimus opum ad Ecclesias affluentium, Testamenta Regum, Principum, Magnatum & divitum omnium. De cæteris probabili conjectura augurabimur ex Testamento Caroli Magni, qui aurum, argentum, gemmas, vestes, pretiosam omnem supellectilem suam tripartitus; duas ex his partes legavit Imperii sui Metropolitanis Ecclesiis, viginti & uni numero, ut hinc in Episcopatus eis subditos distribuerentur. Tertiam partem residuam sibi esse voluit ad expensas suas, ut quidquid moriens reliqui fecisset, in quatuor rursus partes divideretur, quarum prima iisdem adjiceretur Metropolibus & Episcopatibus. Secunda in filios & filias ejus dispensaretur. Tertia erogaretur in pauperes. Quarta denique servis Palatii distribueretur. Ita ex duodecim portionibus una filiis ejus addicta est, reliquæ in Ecclesias & pauperes effusæ. *Conc. Gall. tom.2. pag.264.*

II. Non is ergo erat Carolus Magnus, qui civium suorum largitatibus in Ecclesiam effluentibus modum poneret, aut præscriberet limites. Non is erat ille, qui gesta sua legibus, aut gestis leges everteret. Graviter quidem sub eo succensuit Concilium Cabilonense anni 813. in eos, qui insidiosis blanditiis allicerent fideles, ad res suas Ecclesiæ donandas; jussitque ea restitui, utpote furta magis, quàm dona. At in eodem Concilio mox declaratum est, quæ justæ in Ecclesiam donationes factæ essent, eas ratas & irrevocabiles fore. *Hoc verò, quod quisque Deo justè & rationabiliter de rebus suis offert firmiter Ecclesia tenere debet.* Can.6.

III. Jussit Ludovicus Pius hæredibus reddi, quæ inconsideratè data fuissent Ecclesiæ, ut quæ dari nequissent, nisi filiis, aut propinquis legitima hæreditate excussis. *Statutum est, ut nullus quilibet Ecclesiasticus ab his personis res deinceps accipere præsumat, quarum liberi, aut propinqui hac inconsulta oblatione, possint rerum propriarum exhæredari. Quod si aliquis deinceps hoc facere tentaverit, ut acceptor Synodali, vel Imperiali sententia feriatur, & res ad exhæredatos redeant. Conc. Gall. tom. 2. pag.430. Capitul. l.1. c.80.* Sed præterquam quod declarat ibidem Ludovicus inservire se Canonicis institutionibus, eam fraudulentiam execrantibus; qua libertatem tum testatores uterentur, augurabimur ex formula donationum eorum, qui superstites essent. Intexta est ea Capitularibus Caroli Magni, & Contestationi plebis universæ, exclamantis, profanum & sacrilegum fore, si vel tantillum decerpatur de rebus Ecclesiæ donatis. *Offero Deo, atque dedico omnes res, quæ hac in Cartula tenentur inserta, pro remissione peccatorum meorum, ac parentum & filiorum, aut pro quocumque, qui illas Deo liberare voluerit, ad serviendum ex his Deo in sacrificiis, Missarumque solemniis, orationibus, luminariis, pauperum ac Clericorum alimoniis, & cæteris divinis cultibus atque illius Ecclesia utilitatibus. L.6. c.285.* Quibus subjunguntur atrocissimæ in eos diræ, qui prohiberent Ecclesiam his agris ita donatis gaudere.

IV. Duo sunt Capita in libro primo Capitularium, quorum Author jam exploratissimus est nobis, cum Rex ipse Carolus Calvus Carolo Magno ea vendicarit. En eorum alterum, quod ad laicos pertinet, quorum largissimis in Ecclesiam donationibus, non modum aliquem, non finem poni vult Carolus. Ita militiæ, atque domi fas erat quibuscumque donationibus Ecclesiam prosequi. *Qui res pro anima sua ad casam Dei tradere voluerit, domi traditionem faciat coram testibus legitimis. Et quæ in hoste facta sunt traditiones, de quibus nulla est quæstio, stabiles permaneant. L.1. c.141.*

Caput aliud ad eos spectat, qui Cœnobiis nomen dant, quibus assentitur, ut se suaque etiam sine licentia Principis offerant. Nam ut obviam iret eorum subdolis instigationibus, qui divites ad claustra invitabant, vetuerat, nequis injussu suo in Cœnobiis profiteretur. Hoc Carolus Magnus postea revocavit, teste locupletissimo Carolo Calvo. En verba Capitularis ejus. *L.1. c.143. Ut liber homo, qui in Monasterio regulari comam deposuerit, & res suas ibidem delegaverit, promissionem factam secundùm regulam firmiter teneat.* Et rursus in iisdem Capitularibus. *L.4. c.19. Si quis res suas pro salute animæ suæ, vel ad aliquem venerabilem locum, vel propinquo suo, vel cuilibet alteri tradere voluerit, legitimam traditionem facere studeat, &c.*

V. Quid verò vel compendiosius Ecclesiæ, vel optabilius, quàm quod alio habetur Capitulari, ut Monachi & Moniales, professione semel emissa, de rebus suis jam nihil possint in filios transferre. Propterea quod quidquid in potestate tum habuerunt, cum Cœnobium ingressi sunt, hoc est dum professi sunt, unum enim idemque id erat, id omne jam tunc in jus concessit Monasterii ex Imperatoriis legibus. Addendum sanè ex iisdem legibus, ne tum quidem orbari potuisse filios legitima portione, qua nec seipsos, seu Monasterium privare poterant. Sed seposita hac utraque legitima portione, reliqua eorum substantia universa in potestate erat ante professionem, ut eam vel proximis, vel pauperibus, vel Monasterio addicerent. At si ante professionem nil de ea statuissent, tum ea tota in Monasterii jus concedebat. *Quicumque Monachus, vel Monacha in Monasterium sunt ingressi, nihil de rebus suis habeant potestatem faciendi, quamvis liberos habeant; sed omnia eorum fiat Monasterii, quæ eadem die possidebant, quando ingressi sunt Monasterium. L.6. c.108.*

VI. Ubi Concilium Nannetense Parochos necessariis imbuit præceptionibus ad visitandos ægrotos, instruendosque salutaribus monitis, dum tanto versantur in discrimine: illud præ cæteris monet, ut ad condendum hortentur testamentum, dum sana mente, & sui compotes sunt, atque ad peccata sua eleemosynis abstergenda. *Ut substantiam suam dum adhuc sensus & ratio in eo vigeat, disponat, ut peccata sua eleemosynis redimat.* Can.4. Ex ipso

Ca-

Caroli Magni testamento illud emicabat, inter fideles usu receptissimum fuisse, ut in scribendis testamenti tabulis, non mediocri bonorum semper portione pauperes recrearent. Nam tertiæ partis, quæ multipartita rursum fuit, quarta pars usitatissimo fidelium more in pauperes erogata est. *Tertia consueto Christianitatis more in usum pauperum erogaretur*. Illud non possum satis mirari, quòd venire Bibliothecam suam jusserit Carolus, ejusque pretium in pauperes distribui. *Similiter & de libris, quorum magnam in Bibliotheca sua copiam congregavit, statuit, ut ab iis, qui eos habere vellent justo pretio, fuissent redempti, pretiumque in pauperes erogatum. Du Chesne. Tom.2. pag.* 205. 206.

Quod porro ex Concilio Nannetensi strinximus, id spectari debet ut exordium aliquod & rudimentum summæ ejus potestatis, qua Parochi usi sunt posterioribus sæculis, in testamentis ipsimet excipiendis, si qui vellent eorum opera uti, vel scriptas signatasque jam tabulas in eorum manus deponere.

VII. Ex Balsamone verò perspicuum est ex legibus Justiniani mirum quantum convaluisse Episcopalem in testamenta authoritatem. Executores enim iis constituti fuerant omnium legatorum piorum, quanquam ea illos functione exclusos voluisset testator. Cessantibus Episcopis, intervenire & eorum vicem obire debebat Metropolitanus. Ex quibus illud infert Balsamon. *In Nomoc. Tit.2. c.2.* Etsi Monasterii Fundatores, & quidem Episcopi, Monasterium subducere niterentur juri & potestati Episcopi Diœcesani, frustra eos fore, quod voluntates pias testatorum suo semper jure exequantur Episcopi. *Et hic his notatis, consistere non posse, quæ in statutis à fundatoribus scribuntur, locorum Antistites nullam omninò partem habeant in Monasteriis à se ædificatis. Similiter nec acta Antistitum, quæ continent eos, qui in eis succedent Episcopos, nihil juris habituros in Monasteriis.*

VIII. In Nomocanone suo Photius has laudat Justiniani Constitutiones, ut quibus suo etiam tunc ævo pristinus adhuc constaret vigor. Cui hæreditas aliqua transcribitur, si modò uxorem ducat, vel liberos suscipiat, sibi substituendos; posse illum nihilominus Cœnobio vel Clero nomen dare, & eam sibi abrogare hæreditatem: posse & eam donare, utcumque libebit, dum in legata pia. Idem privilegium cum Diaconissis & Sanctimonialibus communicatur. *Ibidem*. Quin etsi Monachi vel Moniales à Cœnobio aliquando desciscerent, aufugerentque, ad Cœnobium ipsum ea successio perveniret. Excipiendi tantùm captivi, in quorum gratiam valerent hæ substitutiones. Si filium orbaret parens hæreditate, quòd Clero vel Monasterio se adjunxisset, cassa & irrita est ea voluntas; nec orbari quidem legitima portione potest, ob ea errata, quibus ante Monasticam professionem irretitus fuit. *Tit.9.c.31.* Non potest ergo pater liberos suos, Cœnobiis vel Clero innexos, privare legitima portione hæreditatis, quæ quarta pars est totius substantiæ; & quarta ea pars non Ecclesiæ, non Cœnobio aufertur, etsi filii à sacro instituto recedant. Denique si quis nulla prole suscepta Monasticam vestem induat: bona ejus omnia jam tum cedunt in jus Monasterii. *Tit.11. c.1.* Si liberos suscepit, nec ante professionem testatus sit, poterit post testari, sed ita certè, ut nec liberos, nec seipsum, hoc est, Cœnobium legitima parte defraudet. Si intestatus in Monasterio moriatur, liberis ejus legitima sua portio adscribitur, reliqua Monasterio vendicantur. Hæc erat tum Legum civilium temperies.

CAPUT XXIV. *P.4. l.3.c. 17.*

De Testamentis Laicorum in favorem Ecclesiæ post annum Christi millesimum.

I. Laicis ipsis consulebat Ecclesia, cum tantum sibi juris sumebat in eorum testamenta. Ejus rei probationes in Gallia.

II. Probationes in Anglia & Hibernia.

III. Ante tempora etiam Alexandri III. fiebant testamenta ex formulis Juris canonici, præsente Parocho, vel Confessore, & duobus testibus.

IV. Observantur nonnulla in duas Decretales hujus Pontificis circa testamenta.

E. Constitutiones Synodorum & Conciliorum, quibus vetantur condi testamenta, nisi præsente Parocho, qui testimonio suo Catholicum fuisse testatorem addoceat, & exequendo ejus testamento intervenire debere Ecclesiam, quoad legata potissimum pia.

VI. De eodem rursus. Quàm sollicita fuerit Ecclesia de eorum bonis, qui intestati decederent, ingenui, servique.

VII. Quàm ingens & quàm necessaria Ecclesiæ authoritas in vindicandis testamentis. De Legatis piis.

VIII. In Canones suprà congestos ad annum usque 1300. *aliqua observantur.*

IX. Quæ dicta sunt hactenus, ex Decretalibus confirmantur.

X. Eadem omnia observantur sæculo decimo-quarto.

XI. Posterioribus sæculis Ecclesia in causis testamentariis eadem sibi jura, sed ex parte tantùm servat.

XII. Quæ causa authoritatis in his Ecclesiasticæ imminuta. Quid in controversiam venerit tempore Philippi Valesii Galliæ Regis.

XIII. Quod jurisdictionis Ecclesiasticæ residuum fuit in Anglia & Francia, id Regum tutelæ imputatum est.

XIV. Similiter & in Hispania. Memorabilia monumenta Consuetudinum Jaccensium, & Legum Visigothicarum circa testamenta.

XV. Cur de jurisdictione aliqua delibata sint cursim, in tractatu bonorum temporalium, quæ per testamenta Ecclesiæ accedunt.

I. PUblicæ luci permissa est Epistola 8. Leonis IX. Papæ, qua sanxit, ut donationum, quæ fierent à profitentibus Religionem, sive appetente morte, sive dum valerent viribus, media pars Monasterio, altera Ecclesiæ Parochiali vindicaretur. In Concilio Tolosano anni 1056. aperire se incipit eximia illa authoritas, qua necessariò munienda fuit Ecclesia ad omnium prorsus testamenta. Eò evasere irruptiones & deprædationes hominum scelestissimorum in res defunctorum, ut compulsa tandem sit Ecclesia, tutandis incumbere testamentis, si testati essent; vel juribus & titulis proximorum, si intestati vita abiissent. En Concilii Tolosani Canonem 9. *Præcipimus, ut nullus Laicorum aliquid suscipere audeat de rebus, aut substantiis defunctorum, nisi quantum ipsi defunctè adhibitis idoneis testibus in vita sua ordinaverint: aut si intestati obierint, ad libitum propinquorum hæredum dividantur.* Liquet non sibi, sed Laicorum utilitati & securitati consulere Ecclesiam, ubi his intervenit.

Quod & perspicujus fiet ex Concilio Nannetensi anno 1127. ubi Comes Britanniæ Armoricæ Episcopos appellavit, sua ut aothoritate obruerent nefarias consuetudines duas. Altera ejusmodi erat,

ut

ut alterutro conjuge hinc demigrante, mobilia ejus bona à domino loci usurparentur. *Consuetudo in terra Comitis extiterat, ut decedente marito, vel uxore, universa decedentis mobilia in proprietatem Potestatis transirent.* Altera verò non paulò etiam execrabilior ea erat, ut quidquid ex naufragiis reliquum fieret, id ad fiscum Principis comportaretur, mari ipso & tempestatibus sæviorem tunc & voraciorem. *Quidquid evadebat ex naufragiis, totam sibi fiscus lege vendicabat patria, passosque naufragium miserabilius violentia Principis spoliabat, quàm procella.* Utramque consuetudinem ejuravit Comes, & decreto Concilii obsecuturum se pollicitus est. *Utramque exactionem sub oculis totius Concilii Comes in nostra manu deposuit.* Abolita est à Concilio utraque consuetudo, excommunicationem interminato. Hildebertus verò Archiepiscopus Turonensis, qui Concilio præerat, ad Honorium II. literas dedit, quo confirmaretur ab Apostolica Sede decretum Concilii, nec revocari deinceps à quoquam posset: *Illam manumissionem de naufragiis, & de substantia morientium, quam Comes in nostra manu deposuit, vos Beatissime Pater non gravemini confirmatione Apostolica roborare, ac prohibere, ne quis omnino eam rescindere, vel aliqua ex parte minuere præsumat.* Hæc ex illa Hildeberti Epistola; Pontifex Synodale decretum confirmavit, datis literis ad Episcopos Provinciæ Turonensis, quos & illud admonuit, ex Imperatorum legibus, ne eas quidem merces, quas quis naufragii metu in mare ejiceret, perire domino suo.

In Digestis, Titulo De lege Rhodia, De Jactu, patet Legibus Romanis proprietatem rerum in mare ita dejectarum, penes dominum illibatam perstare, nec enim res ejusmodi pro derelictis haberi. *Res jacta domini manet, nec fit apprehendentis, quia pro derelicto non habetur.* Augusti vestigiis inhærens Antoninus Imperator reliquias navis naufragium passæ domino navis adjudicavit, & publicanos damnavit, qui eas invaserant, Legi Rhodiæ obsecutus, quam laudavimus. Ejusmodi Leges Pontifex in responsione sua commendabat. *L.14. Tom.2. c.2. 8. 9.*

II. Henricus II. in Anglia Regnum auspicatus est hac pollicitatione, non se amplius spolia usurpaturum morientium, sive Episcoporum, sive Baronum, aliorumque subditorum: si intestati terris emigrarent, eorum conjuges, filii, proximi hereditatem ita partirentur, ut animæ defuncti prospicerent. *Pro anima ejus dividant, sicut melius eis visum fuerit. Conc. Angl. Tom.2. pag.31.* Ea Constitutio Regia mirificè consentit cum Canone superiùs posito Concilii Tolosani; & inde planum est, Principes & dominos temporales complurimos jam tum occupasse spolia morientium subditorum, maximè verò intestatorum. Simile veri est obsecundasse tum Regem Henricum precibus & postulatis Cleri, exuvias ut has abjiceret Clericorum pariter & Laicorum, & totam testamentorum libertatem suis condonaret.

Concilii Cassellensis in Hibernia anni 1172. Canon memoratur, quo sancitur, ut ægrotantes testamenti tabulas scribant coram Parocho & testibus: si conjux illis, si liberi sint: illi tertiam, his tertiam hæreditatis partem addicant, tertiam residuam sibi, hoc est, animæ funerique suo. *Unam liberis, alteram uxori legitima, tertiam propriis exequiis relinquentes. Ibid. pag.98.* Si præmortua est uxor, vel ex ea nihil liberorum sustulerunt, non jam tres, sed duas in partes hæreditatem secabunt, & alteram sibi servabunt, hoc est funeri, Ecclesiæ, pauperibus. *Inter ipsum & uxorem in duo media dividantur: inter ipsum & liberos bipartiri debent.* Habitum est hoc Concilium jussu ejusdem Regis Henrici II. qui Hiberniam primus Insulam suo subjecit Imperio, eique Concilio Cognitores suos interesse voluit. Quod à Rege Henrico I. dictum fuerat, *pro anima ejus dividant*, non multùm ab his abludebat. Hic verò liquet Confessarium affuisse, cum testamentum scriberetur.

III. Nec tamen hactenus satis dilucidè patuit fori Ecclesiastici fore causas testamentarias. Ad Velitrensis in Italia civitatis Judices rescripsit Alexander III. Papa, in causis testamentorum & piorum legatorum non aptanda & conformanda esse eorum judicia ad leges, quæ septem, aut quinque desiderant testes; sed ad Canones & ad legem divinam Scripturarum, quæ duobus vel tribus testibus contentos esse jubent. *Mandamus quatenus cum aliqua causa super testamentis Ecclesia relictis ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundùm leges, sed secundùm Canones, juxta statutorum decreta tractetis, tribus, vel duobus legitimis testibus requisitis. Quoniam scriptum est: In ore duorum vel trium testium stat omne verbum. Appen. Conc. Lat. c.8. 20.* Absolutior est alia ejusdem Pontificia responsio ad Episcopum Ostiensem: *Talem in Episcopatu tuo inolevisse consuetudinem nobis innotuisti quoad testamenta, quæ fiunt in ultima voluntate, ut ab his, qui potestatem habent super alios, penitus rescindantur, nisi cum subscriptione septem, aut quinque testium fiant, secundùm quod humanæ leges decernunt. Quia verò à divina lege & Sanctorum Patrum statutis, & generali consuetudine Ecclesiæ id esse noscitur alienum: cum scriptum sit: In ore duorum vel trium testium stet omne verbum, præscriptam consuetudinem penitus improbamus, & testamenta, quæ Parochiani vestri coram Presbytero suo, & tribus, vel duabus aliis personis idoneis in extrema voluntate de cætero fecerint, & firma decernimus permanere, & robur perpetuæ firmitatis obtinere: sub interminatione anathematis prohibentes, ne quis præsumptione qualibet hujusmodi audeat rescindere testamenta.*

IV. Non pauca sanè, nec aspernanda hîc antè à nobis observari par est, quàm ultrà progrediamur. 1. Usitatissimum & familiare jam tum fuisse, ut utraque forma valerent testamenta, vel Legibus civilibus, vel Juri canonico accommodata. *Generali consuetudine.* 2. Id præceptum præsumptumque animo fuisse, eam canonici Juris formam ad vigorem testamentorum à Jure divino proficisci, quo præcipimur duobus vel tribus testibus acquiescere. 3. Itaque non solùm id expugnatum est, ut utroque Jure & more valerent testamenta, vel civili, vel canonico; sed & intorta illis sunt anathemata, qui adversabantur testamentis Juri canonico aptatis, tanquam qui infesti essent sacris literis, & legi divinæ. 4. Caput autem horum & cardo erat, quod tota conniteretur Ecclesia ad plenissimam instituendam, vel restituendam libertatem testamentorum, quæ nulla plerumque tum & cassa pronuntiabantur, non servatis nimirum formulis & calliditatibus omnibus Legum civilium. Tam justæ ergo & tam necessariæ cum causæ inciderent ad suscipiendam testamentorum defensionem, non abs re accersebatur Scripturarum & Juris divini authoritas, ut valerent testamenta simpliciùs scripta, & duorum vel trium testimonio roborata. 5. Cum duas has Alexander III. pervulgavit Decretales, non ita dudum eruti fuerant libri Juris civilis in Italia, cum perdiu antè delituissent, & magno plausu excepit, ut & in testamentis condendis jam ejus formulæ usurparentur. Ita Pontifex Decretalibus suis videbatur *generali consuetudini*, & vetustissimæ patrocinari, innovationi autem, quæ per leges nuper repertas invehebatur, intercedere. 6. Hanc autem generalem consuetudinem confirmari tantò expeditius tunc

erat,

erat, quantò impotentiùs Principes & domini temporales involandis morientium spoliis, tum Clericorum, tum Laicorum, testamentorum libertatem labefactabant. 7. Quanquam testamentorum controversiæ juris adhuc essent, forique civilis, inspectores tamen erant Episcopi: quòd plerumque ex forma Juris canonici fierent, magnique interesset eam authoritatem retineri. 8. Forma canonica testamentorum ea erat, ut modò Alexander III. perbibebat, coram Parocho ut fierent, vel Confessore, duobusque vel tribus testibus. Nusquam tam opportuna, adeoque necessaria Pastoris parentisque spiritalis præsentia, consilium, cura, quàm extremo illo in discrimine, ubi statuendum est de rationibus externo Judici mox reddendis, ubi aliena restitui, ubi debita solvi, ubi largis eleemosynis peccata redimi, ubi de exequiarum summa decerni necesse est.

V. Odo de Soliaco Episcopus Parisiensis suis in Constitutionibus Synodicis anno 1196. statuit, ut ne unquam Presbyteri Laicis uterentur ad sua testamenta, utque Laicos ipsi hortarentur, ne testamenta ipsi scriberent, nisi præsente Parocho. *Prohibetur Saceedotibur, ne testamenta sua oedinent per manum Inicalrm, & ipsi frequenter probibeant Laicie, ne sua testamenta faciant sine præsentia Sacerdotis. Syond. Pari. part. 12. 37.* Statuta Synodalia Vuillelmi Parisiensis Episcopi prohibuere, ne ulla Parochi exciperent testamenta, nisi subscribentibus duobus, aut tribus testibus, & sanxere, ut fideles excitarent ad ea subjicienda jurisdictioni Ecclesiæ, *prout decet, & est pietatie & rationis.* Constitutiones Synodales Episcopi Sarumensis in Anglia anno 1217. idem præcipiebant, incitabantque Confessores, ut ægrotantibus suaderent aliquid stipis legare ad fabricam Ecclesiæ Sarumensis; ita ut Clerici in suis ipsi Testamentis dictandis exemplo suo Laicis præirent. *Pracipimus, quòd Laicis inhibeatur frequenter, ne testamenta sua faciant sine præsentia Sacerdotis, sicut diligunt, quòd eorum voluntatee extrema adimpleantur. Inter alia etiam singali Sacerdotes infirmos suos moneant, & efficaciter inducant, quod fabricæ Sarum Ecclesiæ sua memores, prout Deus inspiraverit illis, in testamento suo de benie suis relinquant. Sacerdotee verò & Clericei alios exemplo suo ad id faciendum provocent, matricem Ecclesiam Sarum in testamento suo, prout decet, respicientes.* Et paulò post: *Sacerdotibus pariter inhibemus, ne testamenta sua per manum ordinent laicalem. Cap. 70.*

Constitutiones Synodales Episcopi Dunelmensis in Anglia anno 1210. caput idem utrumque confirmabant, ut ne Presbyteri Laicos adhiberent ad sua Testamenta, & ut Laicis prohiberent, ne Testamenta facerent, nisi astante Confessore suo; cum optatissimum id illis esse debeat, ut ultimæ eorum voluntates exitum sortiantur. *Præcipimus, quòd Laicie frequenter inhibeatur, ne testamenta sua faciant sine præsentia Sacerdotie, sicut diligunt, ut eorum ultima volantatee adimpleantur. Sacerdotibus similiter inhibemus, ne testamentam suam per manum ordinent laicalem. Conc. Angl. Tom. 2. pag. 180. 205.* Quæ eadem Constitutio iisdem verbis intexta est Statutis B. Edmundi Cantuariensis Archiepiscopi anno 1236.

Illud potissimum in his Synodalibus Constitutionibus observari æquum est, quòd urgeantur fideles, ut testantibus sibi Parochos suos adesse velint, quò executioni ea postea mandentur. *Sicut diligunt, ut eorum ultima voluntates adimpleantur. Conc. Angl. pag. 255.* Exinde enim Ecclesia authoritatem suam ad id interponebat, quod rursus declarat Synodus Vorcestrensis anni 1240. utque dilucidius fit ex Concilio Narbonensi anno 1227. *Can. 5.* & Biterrensi anni 1246. *Can. 44. Quia ultima voluntas defuncti debet inviolabiliter observari, volumus & præcipimus, ut testamentum vel ultima voluntas cujusque in præsentia semper Catholicorum virorum & Parochialis Sacerdotis, vel alterius Ecclesiasticæ personæ loco ipsius condatur.* Quo Concilio duplex depromitur ratio ejus Constitutionis, ut Presbyter testimonium dicat de fide Catholica Testatoris, utque legata pia religiosè exolvantur. *Præsertim, ut idem Sacerdos valeat de testatore ipso laudabile testimoniam perbibere, ne de ipso aliqua infidelitatie suspicio possit baberi. Et maximè ut ea, qua in pias causas reliqueeit, fideliter & citiùs sine fraude solvantur.* Si fidelis Presbyterum non adsciscat, imminente jam morte, mortuus interdicitur Ecclesiastica sepultura, & Ecclesiæ arcetur ingressu Notarius, qui Testamentum scripsit. Concilium Arelatense anni 1224. illam rationem premebat, *Can. 21.*, de testimonio fidei Catholicæ, sicut & Concilium Insulanum anni 1231. & aliud Concilium Arelatense anni 1271. *Can. 16.* His enim Conciliis omnibus placebat adesse Parochum, ut testem idoneum fidei Catholicæ Testatorum.

Concilium Tolosanum anno 1229. idem statutum iteravit, irritumque fore sanxit Testamentum, cui non Parochus, non Clericus saltem aliquis interfuisset. *Cum aliquie voluerit condere testamentum, hoc faciat sub testimonio sui Presbyteri, vel alterius Ecclesiasticæ personæ, si propeias non possit babeei Sacerdos; adhibitis bonæ opinionis virie, quos ad hæc voluerit accersiri. Et testamenta aliter facta vigorem non habeant, nec alicujus sint momenti. Can. 16.*

In Concilio Turonensi anni 1236. apertior fit inspectio & iurisdictio Episcoporum & Archidiaconorum ad executionem Testamentorum, quæ renuntianda illis erant decimo saltem post Testatoris obitum die, sive scripto quis, sive ore & verbo tantùm testatus esset. Si verbis tantùm testatus esset, Testamentum Ecclesia in forma publicam redigebat. At quo demum cumque modo testatus quis esset, Episcopi & Archidiaconi, cessantibus & procrastinantibus Executoribus Testamentariis, eorum vicem & munia ipsi obibant, circumcisa ipsis & amputata facultate, ne sibi sumerent, quod ipsis à Testatore forsan debebatur. *Ne decedentium voluntatee, quae pium est executioni demandari, per aliquorum malitiam supprimi valeant, vel etiam occultari: statuimus, ut infra decem dies à tempore obitûs testatoris, ad Episcopam, vel Archidiaconum loci accedaat, suum testamentum, si scriptum fuerit, delaturi: vel si non scriptum fuerit, per testamentam ipsorum, quod testator disposuit, probaturi, ut tunc præfati testatoris voluntas in formam publicam redigatur. Injungimus autem Episcopis, Archidiaconis, vel aliis jurisdictionem Episcopalem habentibus, ut si executores testamentorum in exequenda decedentium voluntate invenerint negligentes, voluntatem ipsorum fideli executioni demandent. Can. 7.*

Hæc verba, *quas pium est executioni demandare,* non abs re huic Canoni inserta sunt. Erant enim causæ piæ fori Ecclesiastici, ex consensu etiam Legum civilium. Erat autem pietatis & charitatis munus, executioni instare ultimarum voluntatum. Synodus Vorcestrensis anno 1240. statuit dumtaxat, ut si vel fraude, vel negligentia officio deessent Executores, Episcopus, vel ejus Officialis alios deligerent, cum consilio proximorum. *Quod si fraudulenti reperti fuerint, aut negligentes, per Episcopum, vel ejus Officialem, de consilio proximoram defuncti, alii subrogentur. Can. 49.*

VI. Nec prætermittendum caput proximum earundem Constitutionum Synodalium, quo jubetur ut quantumcumque pauperes Ecclesiæ legaverint,

bes

bes faltem hæreditatis ad conjugem & liberos perveniat, hoc eft, duæ tertiæ partes, etiam fubductis debitis & impenfis funeris. *Funerit expenfis & debitir peefolutir, dua partes bonorum uxori & liberir relinquantur.* Jam aliis fuperioribus in Synodis editum fuerat hoc decretum. Prætereo plures alias Conftitutiones Aogliæ Synodales, ubi Parocho refervabatur optimum quodque animal, five pecus defuncti: eo farciebatur jactura decimarum perdiu non folutarum.

In Concilio Albigenfi anno 1254. renovati funt Canones 39. & 40. fuprà relati Concilii Narbonenfis anno 5227. & Tolofani anno 1229. cum hoc memorabili abditamento, ut Parochi intra quiodecim dies poft obitum teftatoris, hæredes cogerent, cenfuris fi opus effet intentatis, ut teftamentum ad fe perferrent, indiculumque Legatorum piorum; hos indiculos ftudiosè fervarent Parochi, publicè eos recitarent in Ecclefia, & executioni imminerent. Concilium Ruffecenfe, cui præerat Archiepifcopus Burdegalenfis anno 1258. Epifcopos monuit, eorum & juris effe & officii, ut executionem Teftamentorum curarent maturari. *Cum ad Epifcopum fpectet officium, ut extrema legitima voluntates fidelium effectui mancipentur.* Can.7. A' Clericis & Laicis accerfendos effe Parochos, quò eis præfentibus teftamenta faciant: *Pracipimus & mandamus, ut tum Clerici, quàm Laici, cum fua voluerint condere teftamenta, vel ultimas voluntates, proprium advocent Cappellanum.* A' Parochis verò ipfis acciri debere unum, aut alterum è proximis Parochis, qui ultimas eorum excipiant voluntates. *Capellani ad fuas ultimas voluntates, duos vel unum advocent vicinos Capellanos.* In Concilio Angliæ Lambethano ftatutum eft, anno 1261. ut illico regeftum fierei bonorum, Ordinario oftenderetur; nec Executores ab Epifcopis admitterentur, nifi eos idoneos executioni compeeriffet promovendæ.

Tractatum eft etiam non infrequenter in his Conciliis de iis, qui inteftati excederent. Vehementer expoftularunt hujus Lambethani Concilii Patres de bis Feudorum dominis, qui mobilia inteftatorum fibi vendicabant, nec in ullam eorum partem venire finebant creditores, filios, proximos, pauperes, Ecclefiam. *Laicis decedentibus inteftatis, domini Feudorum non permittunt debita defunctorum folvi de bonis mobilibus eorundem, nec in ufus liberorum fuorum, aut parentum, vel aliter pro difpofitione Ordinariorum bona pradicta piè diftribui fuftinent pro defunctis.* Tantæ perverfitatis ergò illos objurgarunt, intentata etiam excommunicatione, nifi legatis piis affentirentur ab Epifcopo conftitutis, joxta confuetudines loci. *Si hujufmodi bona inteftatorum non permiferint piè diftribui in ufus mifericordia, pro difpofitione Ordinariorum, faltem pro ea portione, qua defunctum contingit, fecundùm confuetudinem patria, eorum prefumptio per excommunicationis fententiam compefcatur.* Nova hæc invehebatur à Feudorum dominis fervitus in homines etiam liberos; multò fanè vehementius in fervos, quos omninò teftari vetabant, præter antiquas Angliæ confuetudines, quarum hic defenfionem capeffit Concilium, ut prifca fervis conftet teftandi libertas. *Modo fimili procedatur in eos etiam, qui abfcriptitiorum & aliorum fervilis conditionis hominum teftamenta & ultimas voluntates impediunt, & deincepi prafumpferint impedire, contra confuetudinem Ecclefiæ Anglicana hactenus approbatas.* Idem fibi juris aliquando ufurpaverant Epifcopi in fpolia mobilium Clericorum eorum, qui inteftati obirent. Eum ufum damnarunt Conftitutiones Ottoboni Cardinalis in Anglia Legati anno 1248. tam erga laicos, quàm Clericos, allegaruntque Concordiam olim initam inter Prælatos Angliæ & Regem Baronibus fuis vallatum, ut hinc illincque conveniret, ea bona impendi in animæ potiffimum defuncti folatia. *Cum mortis preoccupatio inertia ex extremç difpofitionis adimat fapè facultatem, agit humana pietas mifericorditer, cum res temporales, qua defuncti fuerant, per diftributionem in pios ufus ipfum adjuvando fequuntur, & coram cœlefti judice pro ipfo propitiabiliter interveniunt. Proinde fuper bonis ab inteftato decedentium provifionem, quç olim à Pralatis Regni Angliç cum approbatione Regis & Baronum dicitur emanaffe, firmiter approbantes, diftrictius inhibemus, ne Prçlati, vel alii quicumque bona inteftatorum hujufmodi quocumque modo recipiant, vel occupent contra prçmiffam provifionem.* Conc. Angl. Tom.2. pag.278. In Concilio Londonienfi, Can.24., totidem verbis firmatum eft hoc decretum, anno 1268.

VII. At illud idem Londinenfe Concilium, Can.55., quò major firmitas accederet, & certior executio teftamentis, vetuit, ne ea Epifcopus antè approbaret, cum pro ufitato more illi repræfentarentur, & ne executores admitteret, donec ea quidem in re jurifdictioni fe Ecclefiæ fubjeciffent. Addito etiam, ut executores ordirentur muneris fui functionem, à regefto & catalogo bonorum, qui Epifcopo porrigeretur. *Executor nullatenus admittatur, neque teftamentum cum Ordinario fecundùm approbatam confuetudinem prçfentatur, per ipfum aliquatenus approbetur, nifi priùs quoad hunc actum fui fori privilegio eorum eo exprefsè renunciet executor, &c.* Aperit Concilium Andegavenfe anni 1269. quàm ineluctabili neceffitate adigeretur Ecclefia, his ut fe cautionibus muniret, utque ingentem hanc fibi fumeret authoritatem, ne publica laicorum tum teftandi facultas labefactaretur, tum aditus in cœlum præftruendi fibi, tranfmiffa illuc non pœnitenda rei fuæ familiaris portione. Interminatur eadem Synodus diri anathematis fulmina, fi domini temporales pergant fuos ab eleemofynis avocare, à Legatis piis deterrere, & à quacumque elargitione bonorum, quæ ab ipfis tenerent: *Quia intelleximus, quod quidam domini temporales inhibent fubditis fuis pro fua libito voluntatis, in grave prçiudicium Ecclefia & periculum animarum, ne iidem fubditi de rebus, quas tenent ab iifdem, eleemofyna, legati, aut donationis, vel alterius licita alienationis titulo transferant aliquid in Ecclefias, vel alia pia loca: id prafentis authoritate Concilii de cetero fieri prohibemus, &c.* Can.1. In Concilio Bituricenfi anno 1276. nudata eft & profcripta fraus alia perverfiffima caffandorum teftamentorum, infana ea caufatione, quod Judices feculares non affuiffent, cum fcriberentur. *Licèt etiè facta fint teftamenta juxta canonicas fanctiones, tanquam legitima non admittunt, fed reprobant & impugnant, quod Scabini, aut feculares Judices prçfentes non fuerint, aut authoritatem nequaquam prçftiterint, quando teftator fuum condidit teftamentum.* Can.9. Quæ vis pofthac mox prohibetur, intentato anathemate.

In Synodo Exceftrenfi anno 5287. iteratæ funt eædem comminationes in eos omnes, qui teftamentorum libertati quomodocumque obftreperent. Concilium Londinenfe anni 1328. excommunicationis jacula intorfit in eos omnes, qui fervilis conditionis homines deterrerent à condendis teftamentis, atque ita everterent pro virili fua parte, *Confuetudinem Ecclefia Anglicanç hactenus approbatam.* Concilium denique Londinenfe anni 1342. uno decreto complecti ftuduit ftatuta hæc omnia adversùs laicos, qui teftandi libertate fruftrabant vel fervos, vel ingenuos; aut qui poft eorum obitum mobilia invadebant, nec finebant ex iis debita, vel legata pia perfolvi, vel liberos conjugemque partem eorum faltem aliquam delibare. Concilii hujus Patres

tres Conciliorum suprà laudatorum vestigiis insistentes, novo robore cumularunt Prælatorum authoritatem, in examinandis & confirmandis testamentis, in approbandis executoribus, regestisque ab illis exigendis. *Conc. Angl. Tom.2. pag.287. 495. 585.* Quoad executores autem, prohibuere nequid unquam emerent, vel sibi vendicarent de rebus demortui, nisi quo eos ille munusculo prosecutus esset, aut justum operæ suæ & laboris pretium ab Episcopo diffinitum. Denique ne cum Judicibus quidem Ecclesiasticis remissius egit hoc Concilium, damnatis iis, qui arbitrio & libitu suo, vel sibi vendicabant, vel aliis adjicebant eam mobilium partem, quam jus ipsum reservat, aut exolvendis debitis, aut legatis piis, sive ex testamento, sive ab intestato; quo inducebantur quandoque laici, ad sua ante mortem mobilia distrahenda, frustrandosque creditores. *Testantium & ab intestato decedentium bona mobilia in suis jurisdictionibus habentium tempore suę mortis, de quę post solutionem debitorum in pias causas de jure converti debent, usurpant indebitè.* Concilio Langeacensi, *Can.5.*, anni 1278. irritati sunt contractus omnes executorum, quibus emerent & compararent sibi quidpiam bonorum testatoris. In Synodo Coloniensi 1282. statutum est, *Can.17.*, ut Executores duobus Delegatis Episcopi in unoquoque Archidiaconatu rationes redderent administrationis suæ.

VIII. Ex hac Conciliorum & Canonum indigesta farragine, utcumque tamen observata serie & contextione temporum, liquidum est. 1. inspectionem & jurisdictionem Ecclesiæ in testamenta latè patuisse, & in causas testamentarias. 2. Ejus jurisdictionis in dies singulos incrementa facta esse. 3. Eum usum viguisse in Italia, Gallia, Anglia, Germania. 4. Eam jurisdictionem, ejusque amplificationem nixam fuisse necessitate tuendæ libertatis testamentorum adversùs dominos temporales, eorumque muniendæ executionis, adversùs fraudes vel supinitatem executorum. 5. Adde & necessariò invigilasse Episcopos, ut creditoribus satisfieret, ut proximis, & animæ ipsius defuncti, ac pauperibus consultum esset.

Temeraria illa foret & alienissima persuasio, aut verò suspicio, affectibus temporalibus inservisse Ecclesiam in suis Decretis de testamentis, & intestatorum bonis. Quin ex adverso indubitatissimum est, tot à nobis allegatorum Conciliorum Præsules uni famulatos esse charitati, pioque in animarum salutem studio, & in pauperum levationem. 1. Ideo & vim impotentiamque retundebant Nobilium, qui nec morientibus parcebant, & obstruendo illis regni cœlestis aditu, semetipsos in tartara detrudebant. 2. Ideo & servis ipsis testandi libertatem asserebant iis in Provinciis, ubi ea obtineret consuetudo. 3. Liberis ipsis hominibus eam libertatem confirmabant. 4. Facta non aliter esset copia, ut creditoribus satisfacerent. 5. Utque tardis saltem his eleemosynis peccata sua redimerent. 6. Ut conjugibus, liberisque, si inopes essent, ne deessent. 7. Occupandis artibus & strophis executorum.

Quanquam de testamentis non sit à nobis disputatum, nisi ratione bonorum, quæ inde ad Ecclesiam affluebant, id certè erat tamen quod minus laborabant Episcopi. Accipe hic Canonem Concilii Avenionensis anni 1281. quo luculentè hæc confirmentur. Innovatur hic vetusta Ecclesiæ lex, ne scribantur testamenta, nisi adsit Parochus, vel Confessor, qui ægrotum moneat, urgeatque, si quid alienæ rei retineat, eam restituere; & eorum bonorum, quæ sibi jam elabuntur utili jactura, regnum cœleste lucrifacere. *Ne aliquis auderet sine suo parochiali Presbytero condere testamentum, propter damnum & animarum pericula, potissimè quæ circa cessationem malè acquisitorum in ultimis voluntatibus, ex debito faciendam aliquoties obvenerint.* *Can.10.* Hæ rei alienæ restitutiones, non satis expeditè plerumque & plenè fiunt, nisi Pastoris sui lumine, charitate, zelo illustretur, & succendatur ægrotus: promptius & efficacius auxilium desiderat extrema illa vitæ fugientis hora & exorientis bonorum, aut malorum æternitatis: *Ubi quia majus periculum vertitur & finale, ibi cautiori sollicitudine & finali industria est agendum, ut lucrifacere Deo subditorum animas Dei cooperante gratia valeamus.* Denique sive intereunte ægroto, sive convalescente, jubet Concilium, statim restitui res alienas, ante legata etiam pia. *Absque mora dispendio post testatoris obitum, seu convalescentiam, malè acquisitorum quomodolibet fieri debeat restitutio integra, antequam legata quæcumque favorabilia persolvantur.*

In Synodo Santonensi, *Can.5.*, anno 1282. his statutis subjunctæ sunt minæ impendentium excommunicationum in eos, qui suppositis testamentis grassabantur. Concilium Bituricense, *Can.27. 28. 29. 30.*, anni 1285. innovatis decretis Concilii Turonensis anni 1233. & longè plurimis aliis superiorum temporum, illud firmare satagit, ne scribantur testamenta, nisi astante Parocho, & instante ad restitutiones malè partarum rerum, ad debitorum solutionem, & ad ea capessenda consilia, quæ sint ad æternam salutem plurimum conducibilia. *Capellani Ecclesiarum intersint testamentis, inducendo eos ad emendanda for-facta, & restituenda illicitè acquisita, & alia ordinanda, quæ ad salutem pertinerent animarum.* Hoc certissimè Præsules acuebantur zelo salutis animarum, hoc constituta est & confirmata authoritas Episcoporum in causis testamentariis, juxta leges sacras & civiles, ut ex hujus patet Concilii verbis: *Considerantes quod insinuatio & executio testamentorum ad Pontificalem pertinet authoritatem, secundùm civiles & canonicas sanctiones.* Synodus Excestrensis anno 1287. compilationem edidit harum omnium Synodalium Constitutionum, consuetudinumque, ut nec laici fideles hæc nescire possent. *Cap.50. 52.*

IX. Ad annum usque 1300. progressi sumus, & de Decretalibus Gregorianis verbum tamen hactenus fecimus nullum; ut tantò facilius persuadeamur, leges has Ecclesiasticas omnes ante conditas, servatas, confirmatasque fuisse in omnibus regnis Christianis Occidentalis Ecclesiæ, summo Regum Principumque consensu. Duæ Epistolę Alexandri III. in libros Decretalium relatæ sunt, quales illas suprà retulimus. Inserta est & Gregorii Magni Epistola, qua jubet, ut si pigritentur toto anno executores executio ad Episcopum devolvatur, juxta Imperatorum sanctiones. *Sic enim secundùm piissimas leges, dilatas defunctorum pias voluntates Episcopali decens est studio adimpleri.* *Extra. De Testam. c.3. 4.* Additur & alia ejusdem Pontificis, edicentis, ut valeant & rata sint legata, etsi verbo tenus facta sint. Declarat Innocentius III. *Cap.13. 14. 15. 20.* non eum intestatum obiisse, qui ad alium rejecit curam rei suæ disponendæ. Jus esse Episcopo in tertiam, vel quartam partem legatorum piorum, pro vario aliarum & aliarum Ecclesiarum usu. Nec tamen ei canonicæ portioni locum esse, ubi legatur quid nominatim fabricæ, lampadibus, & ad anniversaria, vel perpetua Officia certis & statutis diebus. Addit denique Gregorius IX. *Cap.17.* etsi Testatores Episcopum excluderent expressis verbis, usurum tamen illum esse canonica authoritate sua in Testamenta. In Concilio Lugdunensi II. *Cap.27.*, vetuit Gregorius X. ne quis usurarii publici confessionem exciperet, nisi satisfaceret, vel cautionem daret; alioqui cassa ejusmodi & irrita

fore

fore Testamenta. Anno 1288. in Concilio Ravennate prohibitum est, *Can.6.*, ne Notarii Testamenta exciperent usurariorum, nisi præsens adesset Parochus, & huic obsequeretur Canoni Lugdunensi.

X. In Concilio Coloniensi anni 1300. non hæc tantùm Concilii Lugdunensis confirmata sunt Decreta, & quæcumque hoc Capite corrogata sunt alia; sed additum est etiam à Presbyteris hortandos esse laicos, ne extrema operiantur vitæ intermorientis tempora ad Testamentorum factionem: sed ut ea conscribant, dum corpore valent, dum sana & vegeta mens est: debita ibi sua recenseant, & quid damni cuipiam fecerint: denique legent aliquid fabricæ Ecclesiæ Cathedralis, & Parochialis, Cœnobiis, Xenodochiis, & pauperibus. *Cap.5. 6. 7. 8. 9.* In Synodo Bajocensi anno 1300. jussi sunt Parochi, *Cap.57.*, ut Episcopum monerent, si qui obirent intestati, Concilium Ravennas anno 1311. iniquo ferens animo executionem Testamentorum vehementer negligi, jussit, *Cap.31.*, illa à Notariis ad Episcopum deferri, ante elapsum à die obitûs mensem, sub pœna excommunicationis: si intra annum autem ea executioni non mandarentur, ad Episcopum devolutam significavit executionem, porro Executores ipsos nunquam post hac eo munere honestatum iri. In Concilio Avenionensi anno 1326. sancitum est, *Can.20.*, ut adesset Parochus, dum scribitur Testamentum, aut ut intra octo dies post obitum Testatoris, ad Episcopum illud deferretur, vel ad Parochum; ut ad exitum perducerentur reparationes, restitutiones, eleemosynæ ibi destinatæ; placuit denique huic Concilio, ut in arbitrio & potestate Episcopi essent restitutiones vagæ & incertæ, quanquam Testator secus jussisset. Alio loco aptius dictum est à nobis, primigeniæ & aureæ ætatis fideles à voluntate Episcoporum religatas aptasque suas habuisse voluntates, exemplo eorum, qui distractarum hæreditatum pretium ad pedes Apostolorum exponebant. In Concilio Londinensi anni 1342. renovata sunt placitu Concilii Lambethani anni 1261. de Testamentis & intestatorum bonis adversùs dominos feudorum, & adversùs Ecclesiasticos ipsos Judices, qui Testamentorum libertatem nonnunquam pessumdatum ibant, ultimas voluntates evertebant, prohibebant creditoribus satisfieri, & ne justa solatia precibus & eleemosynarum copia defunctis impenderentur. In Concilio Vaurensi, De Lavaur *Can.60. 62.* statutum est, posse Episcopos in perlustrandis Parochiis suis, definire causas omnes ad testamentorum executionem pertinentes, restitutiones usurarum sine figura judicii & sine formularum solemnitate, valituro etiam in antecessum hoc decreto, ad causas adhuc pendentes. Confirmatæ sunt rursus hoc Concilio Constitutiones Concilii Avenionensis anni 1326. super hacce re, cum novis & accuratioribus cautionibus ad Testamentorum executionem.

XI. Jam ergo ambigi non potest, quin longè latèque patuerit Ecclesiastica in Testamentorum causis jurisdictio sæculo toto decimo-quarto. Ejus amplitudinem mirabimur sæculo etiam decimo-quinto, si paulò pressius perspicimus Constitutionem Henrici de Chiceley Archiepiscopi Cantuariensis anno 1416. qua modum ponit immodicis exactionibus Tribunalis Ecclesiastici in insinuationibus Testamentorum, in examine & ratiociniis Executorum, & exoneratione denique in intestatorum bonis. Concilium Salisburgense anni 1420. fulmina Ecclesiæ vibrare voluit à Prælatis in eos, qui moras objiciebant, ne quis testaretur, & bonis suis Ecclesiam, pauperesque impertiret. Sæculo sexto decimo Constitutiones Archiepiscopi Dublinensis anno 1518. in Hibernia irritam esse jubent bonorum defuncti æstimationem, nisi eam curam Episcopus ipse viris idoneis delegarit.

Fusissimę sunt & præclarissimæ Constitutiones Synodales Stephani Poncher, & Eustachii du Bellay Episcoporum Parisiensium, de Testamentis, de Episcopali in his authoritate, de jurisdictione Ecclesiæ. *Synod. Pari. pag.201. & seqq.204. 198. 299.* In Concilio Coloniensi anno 1536. *Part.13. c.10. Can.97.* statutum est, Testamenta intra triginta dies insinuari, aut confirmari debere, & ante elapsum annum executionem assequi. In Concilio Moguntino anni 1549. expostulatum est de contemptu ultimarum voluntatum, placuitque, ut Executores Ordinario intra tempus à jure statutum industriam suam approbarent. Concilium Tridentinum Episcopos Executores esse sanxit piarum omnium voluntatum, addita quantùm res postularet Apostolicæ Sedis delegatione. *Episcopi etiam tanquam Sedis Apostolica delegati, in casibus à jure concessis omnium piarum dispositionem, tam in ultima volantate, quàm inter vivos sint executores. Sess.22. c.8.*

Conciliis Mediolanensibus I. & II. placuit, *Cap.16. 57.*, ut excommunicationes vibrarentur in eos, qui pias voluntates non exequerentur intra annum, vel id tempus, quod Testator præfinisset. Iisdem innodati sunt vinculis Notarii, qui Episcopum certiorem non facerent de piis legatis omnibus intra tres menses à morte Testatoris. Concilium Mediolanense III. *Cap.16.* vetuit ne Cœnobia, vel privati, quibus legata sunt, quæ in pauperes erogari debeant, aliquid hinc ad se deriveot, quocumque paupertatis velo, sine permissione scripta Episcopi. Concilium V. Mediolanense præcepit, *Cap.11.*, ut Episcopi, ceu legitimi piarum voluntatum executores, Canonicum ex suis aliquem designent, qui piarum largitionum harum advocatum se & Defensorem agat. Concilio Remensi anno 1581. placuit, ut Parochi ad ægros invisendos invitati, post administrata Sacramenta, illos de condendo admonerent Testamento, & de suis in Deum commissis pia largitate aliqua eluendis. *Cum Curatus ad agros vocatus fuerit, post debitam adhortationem, & Sacramentorum administrationem, admoneat de testamento, de cura anima post mortem agenda, ac suffragiis Ecclesia. De Curatis n.30.*

In Concilio Bituricensi anno 1584. monentur Episcopi, se ut meminerint executores esse piarum voluntatum. *Tit.16. c.21.* Concilium Mexicanum anno 1585. non alia illos induit cura, aut potestate, quàm ut instent executioni piorum legatorum iotra limites temporis Jure præscripti. *L.3. Tit.9.* In Concilio Tolosano, *Cap.15.*, anno 1590. jussi sunt Notarii Episcopo renuntiare legata pia omnia, saltem intra tres menses à morte Testatoris: maodatumque simul Episcopis, ut Notarium designarent, apud quem reconderetur Regestum omnium in Ecclesias, vel pauperes legatorum.

Si jam conferre vacet quæ congessimus omnia ex Conciliis ab anno 1400. cum Decretis vetustioribus: si vel maximè revolvantur animo Concilia post annum 1500. habita; facilè intelligetur, priscam illam & effusam Episcoporum jurisdictionem & Parochorum in Testamentarias causas, afflictam valde & debilitatam fuisse sæculo decimo-quinto; ac penè demum extinctam sæculo decimo-sexto. In Concilio Narbonensi anno 1609. excitata & restituta potissimùm est authoritas Ecclesiæ hoc in negotio, ut hujus placita ad priscorum Canonum & Conciliorum normam propiùs accedant. Ibi enim decernitur, ut in Diœcesi sua obambulanda Episcopi definiant lites omnes ad executionem pertinentes Testamentorum, nulla ratione habita forensium formularum. Notariorum est intra octo dies Parochos de legatis piis certiores facere, in-

tentato aliàs excommunicationis mucrone; Parochi ante octo dies alios consumptos Promotorem vel Officialem admonebunt, ut executionis curam gerat. Executores Testamentarii rationes suas Episcopo exhibebunt, quem necesse est intervenire legatorum solutioni, in irritum alioqui ducendæ. In Chartulario suo Episcopus hæc piarum donationum Acta omnia recondet.

XII. Non facile est autem divinare, quæ causa fuerit minuendæ hujus Episcoporum & Parochorum potestatis in re testamentaria. In cupidiores Parochos, vel inferiores Episcoporum Officiales ejus rei invidia resilire videtur, aliqua saltem ex parte. Quod ultimum à nobis proditum est monumentum Archiepiscopi Cantuartensis paulò post annum 1400. ad rapacitatem cohibendam spectabat Officialium ejus, & ministrorum aliorum in causis Testamentarii. Perdiu antè Innocentius III. sordidissimam exploserat eorum avaritiam Parochorum, qui profitendæ Religionis Cisterciensis cupidos, cogebant prius testari; & nisi parerent, in eorum proximos Ecclesiasticis sæviebant censuris: id enim causabantur, ne ingenuos quidem & liberos homines ita liberos esse, ut antè in Religione quavis nomen dare possent, quàm jura Parochialia sibi exolvissent. *Licèt aliàs absoluti existant & liberi, sine ipsorum licentia asserunt non posse ad Religionem transire, pro eo, quod jure Parochiali eisdem obligati tenentur. Regest. 13. Epist. 166.* Et paulò superiùs: *Fieri sibi exigunt testamentum.*

In celeberrima illa & decantatissima Collatione sub Philippo Valesio Rege anno 1329. Prælatis hinc defensantibus, Ministris Regiis illinc oppugnantibus Ecclesiasticam jurisdictionem; conquerebantur Ministri & Judices Regii, quòd Judices Ecclesiastici Regestum facerent eorum, qui intestati obiissent; manum injicerent in eorum bona mobilia & immobilia, eaque distribuerent. 2. Quòd vellent ipsimet exequi Testamenta, bonorum recensionem facere, illa custodire & distribuere, cum Officiales haberent ad hoc destinatos. 3. Quodque nollent fidem adjicere Testamentis per Notarios publicos exceptis, nisi ea antè Officiales sui approbassent. Contrà verò ab Episcopo Augustodunensi exceptum est, nomine Prælatorum omnium, Ex Regalibus, Imperialibus & Ecclesiasticis legibus Episcopum executioni præesse Testamentorum, ex jure maximè devolutionis, quando Executoribus laicis spatium præfinitum effluxit. Porro cum executor esset, posse eum Regestum & censum edere bonorum, & omnia denique ad executionem promovendam necessaria moliri, cum accessio principalem sortem sequatur. *Ad 20. Art. qui loquitur de inventariis qua fiunt de bonis Laicorum, dicit tam de jure Sanctorum Patrum, quàm Imperatorum & Regum, quilibet Prælatus in sua Diœcesi est executor legitimus testamentorum, maximè elapso termino expresso in jure, &c.*

Quoad intestatorum bona ab eodem responsum est, ad ea Ecclesiam non solere authoritatem interponere suam, nisi ubi specialis ea vigeret consuetudo. *Quantùm ad bona intestatorum, dicitur, quod in Ecclesiis ubi est consuetudo super hoc specialis, debet eadem consuetudo servari.* Et infrà: *De Executoribus & inventariis bonorum testatoris & intestatoris, dicit, quod tam de jure scripto, quàm de consuetudine speciali, Prælati sunt executores legitimi testamentorum. Unde si executio venerit ad Prælatum, nulli facit injuriam, bona inter hæredes distribuendo, & de eis inventarium faciendo. Et hoc idem dicit de bonis intestatorum, maximè in locis, ubi sic de consuetudine extitit observatum à longo tempore, quod in contrarium memoria non existit.* Non immeritò auguramur à Doctissimo Præsule in prolixioribus super hac re disputationibus suis, juris hujus & consuetudinis Ecclesiarum fontes demonstratos esse; ostensumque fuisse, quod & à nobis suprà declaratum est, in has se molestias & ambages non conjecisse Ecclesiam, nisi ut libertatem testandi sartam tectamque servaret, ut deprædationes præverteret bonorum eorum, tum qui testati, tum qui intestati excederent: ut legatorum piorum executio acceleraretur, denique ut ne eleemosynæ à Testatoribus designatę interverterentur.

XIII. Post famosam illam concertationem suum Ecclesiæ incolume privilegium, sua illibata constitit jurisdictio, quòd ea Clerici modestè uterentur. Non ita verò anno 1505. cum in Senatu Parisiensi increpuere querimoniæ de Parochis Parisiensis Civitatis, qui sepulturam suspendebant, donec ostensum sibi esse Testamentum; quin & mendicos terræ mandare abnuebant, nisi antè collectà corrasum esset, quo funeris expensę solverentur. Edicto tamen Blesensi anno 1579. servata est adhuc *Parochis facultas, & Vicariis, excipiendi testamenta & ultimas voluntates, quanquam legata aliqua sibi sint, ita tamen ut testator & testes sigilla apponant sua, aut facta mentione interpellationis facta, ut sigilla apponerent, & ejus causa, propter quam abnuerint. Preuves des Lib. de l'Eglise. Gall. c. 35. c. 33.* Hoc Edicti decreto, & statuto superiùs laudato Concilii Narbonensis anni 1609. monumenta continentur non obscura antiquioris disciplinæ & jurisdictionis. Quo æquius fuit, id à nobis inculcari Edictis maximè Regum & Conciliis debere Ecclesiam priscæ libertatis, jurisdictionis & opulentiæ suæ reliquias. Testatum facit Matthęus Paris à Richardo Rege in libertatem assertam esse Ecclesiam Provinciæ Normanniæ. Sic enim ille ad annum 1190. *Ecclesia Dei in Normannia de longo servitutis jugo liberata est, glorioso Rege Richardo annuente & omnia disponente.* Inter varia autem capita libertatum duo fuere, quæ ad Testamenta spectarent. *Distributio rerum, quæ in testamento relinquuntur, authoritate Ecclesiæ fiet; nec decima pars, ut olim subtrahetur. Si quis subitanea morte, vel quolibet casu præoccupatus fuerit, ut de rebus suis disponere non possit, distributio bonorum ejus authoritate Ecclesiastica fiet.*

XIV. Conticescere hactenus nobis visa est Hispania, nec possumus tamen non ominari ejus disciplinam reliquarum Occidentis Ecclesiarum consuetudini finitimam fuisse, & Decretalibus Gregorianis, quæ ibi potissimum vigebant consentaneam. Monumentum hic unum promo perillustre, quo cæterorum Hispaniæ Historicorum & Conciliorum silentium utcumque pensari possit. Ex Hieronymo Blanca illud excerptum est, qui hoc fragmentum publicavit, Consuetudinum antiquarum Civitatis Jaccensis in Arragonia, quas & affirmat confirmatas fuisse ab Alphonso II. Rege, & veluti regulam fuisse accuratissimam, quam consulerent & imitari eniterentur Provinciæ Castellæ, Navarræ, & alię complures. Jubent eæ Consuetudines, ut plenissima testandi libertate utantur omnes: ad intestatorum bona vocentur proximi; sin desint proximi, ad ea pauperes veniant. *Si non habeant propinquos, res eorum dentur pauperibus. Hisp. Illust. Tom. 3. pag. 594. 595.* Peregrini ipsi liberè testabuntur Jaccæ: si intestati præripiantur, triginta dies expectabitur, quo spatio temporis si accurrat proximorum aliquis, duæ tertiæ partes bonorum ei reddentur, *Tertia detur pro anima sua, consilio bonorum hominum, & Episcopi, vel Capituli de Jacca.* Si post triginta dies nullus proximorum compareat, res ejus omnes ad salutem ejus animæ dependentur, eorundem consilio: *Si autem nullus de consanguineis venerit, tota pecunia detur pro anima sua eorumdem consilio.* Ea tum sors erat cadu-

cæ

aæ hæreditatis, ea Regum religio, & pia sollicitudo ad Ecclesiæ & pauperum levamenium. Edixerant leges Visigothicæ, *L.2. Tom.5. n.12. 16.*, ut testamenta legibus coaptata Episcopo repræsentareotur, & intra sex menses approbarentur. *Infra sex mensee Sacerdotè veniam publieunda.* Et ubi ex legum formulis confici non poterant, annuebant, ut holographa fierent, dum testator qui scripsisset, subscriberet etiam ipse sua manu, & intra triginta aonos post ejus mortem ab Episcopo confirmarentur, vel à Judice, prolatis in medium alhis scriptiuoculis testatoris.

XV. Paulò forsan licentiùs expatiati sumus in Ecclesiasticæ jurisdictionis limites, eum propositum fuisset non dicere nisi de rebus, opibusque, quæ in Ecclesiam per testamenta influerent, vel per intestatorum successiones. Sed divelli oon potuere res duæ hie eertè conjunctissimæ, & iodivulsè cohærentes, ut ex hoc rursus liquebit contextu Somnii Viridarii. Expostulant Advocati & Ministri Regii, quod Clerici sibi vendicent bona impuberum & intestatorum, quasi ad eos eorum eustodia pertineat & cognitio, quam ex adverso Judices publici sibi arrogant, Regique. *Nituntur sibi applicare bona, quando moriuntur pupilli, sicut de majoribus ætate, quando decedunt ab intestato: quorum quidem cognitio pertinet ad Regem; quia tales personu & bona eurum sunt sub fulvo gardia Regie. Cap.225. 226.* In defensionem verò Ecclesiæ reponitur, Divino humanoque jure miserabilium personarum tuitionem Ecclesiæ fuisse commendaram, quoad vim & captionem: quin & eam esse inolitam Ecclesiæ Gallicanæ consuetudinem. Quod ad bona pertinet impuberum & intestatorum, qui vita migrant, si quarundam peculiaris ea sit consuetudo Ecclesiarum, ut ipsæ ea occupent, eam profectò retineri debere. *Quantum ad bona intestatorum & pupillorum, dico, quod in illis Ecclesiie ubi esset super hoc consuetudo specialie, deberet consuetudo observari.* Illud spolii jus non paucis videbantur dimanare ex jure custodiæ: *Tam de jure divino, quàm humano gardia talium miserabilium personarum, quantam ad violencias & sucsione pertinet ad Ecclesiam.* Copiosè superiùs commonstratum est, Legibus divinis & Imperatoriis tuitionem, custodiamque pauperum, pupillorum, viduarum & misellorum omnium concreditam Ecclesiæ fuisse. Ostendimus etiam iodividuo nexu eam tuitionem Regio cohærere diademati. Potuit Consuetudo eum invexisse usum, ut quibus incumberet onus eustodiæ, & qui ex officio tenebantur injurias propulsare ab his personis, & bonorum rapinas prohibere, vel ulcisci, hi ad successionem venireot eorum bonorum, ubi caduca jacerent, & sine justo hærede, prædæ alias futura. Extranei in album relati sunt miserabilium porsonarum. Hinc Principes, penes quos erat eorum costodia, successiones quoque Advenarum excepere. [Les Aubeines.] Eodem jure Coosuetudinis inolitæ, volebat hic Ecclesiastiei juris defensor, potuisse Ecclesiam caduca spolia pupillorum & intestatorum sibi vendicare, tantò æquiùs & plaosibiliùs, quod non tam ad Eceleſiam hinc redundat utilitas, quàm ad defunctum ipsum, qui cœlesti in patria immortales metit fructus precum & eleemosynarum, quæ ex bonis hic ejus temporalibus in pauperes sparsis effunduntur.



CAPUT XXV. *P.4. l.3. c.18.*

An Monachi professi possint adhuc succedere, post annum Christi millesimum.

I. Probat Gratianus ex Concilio Altheimensi, posse à Monacho ad Episcopatum adsceto hæreditatem adiri, hoc est à Monasterio, vel à Cathedrali Ecclesia, ejus nomine.

II. Innocentius III. & alii Pontificee idem jus Monachie confirmant.

III. Innocentius IV. Ordini Cisterciensi idem jus confirmavit. Dominicani & Franciscani idem privilegium à Clemente IV. impetrarunt. Cur hie Congregationibus opus fuerit privilegio, cum jure communi res ageretur

IV. De successionibus ad Benedictinos devolutis. Unde consuetudo nunc contraria.

V. Privilegium Cisterciense cum Canonicis Regularibus communicatum.

VI. Inter principia Lutheranæ innovationis petiere Principes Germania, ut ne Monachi unquam parentibus succederent, cum nec ipsis unquam à proximis succederetur; sed professionis tempore daretur fundus aliquis, aut reditus annuus, atque ita successionem ejurarent.

VII. VIII. Temperamenta quedam Polonia & Hispania.

IX. Varia in Galliis vicissitudines.

X. Summa harum Vicissitudinum.

I. GRavem, ut vides, adgredimur quæstionem, & quam primum dirimi oporteat ex regulis Juris Canonici communibus, hoc est, Decreto & Decretalibus; ac rursum ex usu Galliæ receptissimo, postrema hac Ecclesiæ ætate, hoc est, post annum Christi millesimum. Quæstio proponitur à Gratiano, 18. *q.2.c.1.*, de Mooacho, qui ereatus primum Episcopus, tum paternam excipit hæreditatem. Solutio verè & elucidatio quæstionis petitur ab eodem ex Concilio Altheimensi in Germania sub Rege Conrado, quo sancitur devolvi hæreditatem ad Monasterium, vel ad Ecclesiam Cathedralem, perinde ut ea illi obtigit, vel Monachum adhuc agenti, vel ad Episcopales infulas accito. *Statutum est, & rationabiliter secundùm Sanctos Patres à Synodo confirmatum, ut Monachus, quem Canonica electio à jugo Regula Monastica professionis absolvit, & sacra ordinatio de Monacho Episcopum facit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea sibi jure vendicandi habeat potestatem. Sed quidquid acquisierat, vel habere visus fuerat, Monasterio relinquat, & Abbatis sui, qui fuerit secundùm Regulam Sancti Benedicti, arbitrio. Postquam enim Episcopus ordinatur, ad Altare ad quod sanctificatur & titulatur, secundùm Sacros Canones, quod acquirere poterit, restituat.* Adverte hic autem, non eam versari in Concilio quæstionem, ao professi semel Monachi ad hæreditatem vocari, aut venire possent, vel eorum nomine Monasterium. De ea re tunc controversia fieri non poterat, cum necdum derogatum esset tantæ Legum Imperatoriarum & Canonum conspirationi, quæ his successionibus apertissimè astipulatur. In dubium vocabatur id unum, ad Cœnobium, an ad Ecclesiam pertineret successio, cum unus idemque ex Monacho factus esset Episcopus, & fieri potuisset, ut obtingeret hæreditas Monacho, nec adiretur nisi ab Episcopo.

II. Ean-

II. Eandem succedendi facultatem ut indubiam ponit Innocentius III. ubi decernit, Si cui addicatur hæreditas, eique, si improlis obeat, alii substituantur, & iis postea profiteatur in Monasterio. irritam vacuamque esse substitutionem, atque ad Monasterium devolvi hæreditatem. Audi Rubricam hujus Decretalis. *Si rogatus restituere totam hæreditatem eo sine liberis decedente, intret Monasterium, evanescit fidei commissum, & hæreditas applicatur Monasterio.* Ideo Fagnanus, *Extra. De Probat. c. 8.*, in interpretando hoc Decreto, quæstionem illam ventilat, an Capucini, & Minores strictioris Observantiæ succedere possint in paterna bona, & respondet non posse, propterea quod sese illi paupertati devoverint arctiori, quàm cæteri Regulares omnes, quibus jus fasque est hæreditarias excipere successiones. Quærit & ibidem Fagnanus, an Capucinus, ad alium Pontificio diplomate Ordinem translatus, & Episcopatu auctus, succedendi potestatem recuperet. Respondet autem convenienter Gratiani doctrinæ suprà relatæ, recuperare. Duas edidit Alexander VI. Constitutiones, quibus succedendi jure & spe ejecit eos, qui ab Ordine cui nefas est, ad eum cui fas est succedere, traducerentur. Sed suas ille Constitutiones ad eos coarctavit, qui ex Cœnobiis strictioris Observantiæ trajicerentur, ad Conventuales Franciscanos. Non temerè forsan addubitarit quis, an B. Dominicus suos initio sineret ad possessiones & hæreditates venire, cum referat Scriptor ejus vitæ. *Rainal. ann. 12. 19. n. 53.* Opulento Bononiæ cive illi bene lautas transcribente possessiones suas, ipsum chartas eas coram Episcopo conscidisse, quod suos vellet eleemosynis victitare. *Non enim voluit, ut fratres haberent possessiones, sed eleemosynis frugaliter victitarent.* Remisit non multò post ille rigor, invictissimisque argumentis & authoritatum præsidiis Ordinis sui contrariam consuetudinem incomparabilis vir Thomas Aquinas communivit. Franciscanorum austerior certissimè fuit paupertas, sed tot tantæ illam annorum decursu exagitavere tempestates, ut non possimus non communem nostram vehementer dolere sortem, quorum vel ipsa virtutum fastigia tam importunis & sævis tentationum turbinibus quatiuntur, dum mortalis hæc carpitur vita.

III. Anno 1245. Abbatibus omnibus Ordinis Cisterciensis Innocentius IV. Papa facultatem dedit aut confirmavit succedendi hæreditariis bonis omnibus, quibus succederent Monachi, si in sæcularis vitæ fæcibus adhuc volutarentur. *Devotionis vestræ precibus inclinati, authoritate vobis præsentium indulgemus, ut possessiones & alia bona, mobilia & immobilia, exceptis feudalibus, quæ personas fratrum ad Monasteria vestra à sæculo fugientium, & professionem facientium in eisdem, si remansissent in sæculo ratione successionis, vel quocumque alio justo titulo contigissent, petere ac retinere liberè valeatis, contraria consuetudine non obstante. Idem. an. 1280. n. 27.* Non dissidet à veri similitudine contrariam illam consuetudinem, qua de hic agit Pontifex, profectam esse non minùs à voluntariæ paupertatis Cisterciensium fervore inter illa initia, quàm à sæcularium cupiditate, qui non illubentes jam videbant eos abstinere sua sponte iis bonis, in quæ jure suo succedere potuissent. Eo enim æstu efferbuerunt in suis primordiis Cistercienses, sed non immeritò eos auguremur, hæreditaria bona omnia aspernatos esse, tum ipsius amore paupertatis, tum ut tumultus litesque declinarent, ex opulentia ebullientes. Nec secus de initiis ominandum Franciscanorum & Dominicanorum. Sed longo sæculorum decursu, & magistra experientia edocemur fieri non posse, ac ne expedire quidem, ut Regulares Congregationes, nihil unquam mitigent, aut commutent de primævis & asperioribus institutionibus suis.

Ideo & Dominicani, & Franciscani eodem se privilegio donari obtinuere à Clemente IV. quo ab Innocentio IV. Cistercienses ornati fuerant. Anno quippe 1265. cum Pontificem commonuerunt, variis in Orbis Christiani Provinciis, adversari sibi Episcopos, & Clericos, Laicos, tanquam sæculo mortuis, nec jam idoneis ad succedendum. *Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod quidam Prælati, Clerici & Laici in diversis mundi partibus constituti, asserentes vos mundo fore mortuos, nec valentes proprium possidere, vos occasione hujusmodi à quibuslibet successionibus excludere moliuntur. Bullar. tom. 1.* Illa certè Prælatorum & Laicorum intercessio non nitebatur, nisi speciali professione harum Congregationum, qua successionum se jure exuerant, polliciti que erant, ne in commune quidem quidquam se possessuros. *Nec valentes proprium possidere.* Nec enim Benedictinæ Regulæ sectatores in commune prædia possidentes, quisquam tum arcebat à legitimis successionibus. Æquissimis verò postulatis annuens Pontifex, declarat eas Congregationes jure suo ad succedendum venturas, non quo ipsæ fundos, & prædia possideant, sed ut ea distrahant, pretia suis usibus expendant. *Nos itaque vestris petitionibus benignius attendentes, authoritate Apostolica declaramus, quod vos in temporalibus bonis, in quibus succederetis existentes, licitè possitis succedere, & bonorum ipsorum possessionem apprehendere, ac vendere liberè bona ipsa, eorumque pretium in utilitatem vestram convertere, prout vobis melius videbitur expedire. Ibidem.* Adverte hic porrò non concessionem hanc esse, non privilegium, quo religiosa hæc sodalitia donentur facultate succedendi gregalium suorum nomine. Declaratio quippè hæc est, *authoritate Apostolica declaramus*, qua prononciat Pontifex, voto specialis paupertatis, & professione mendicitatis, qua pollicebantur Congregationes istæ nullos possidere fundos, nihil eas prohiberi, quin exciperent successiones, quæ fratribus suis obtingerent; quod quanquam possidendi jure se abdicassent, possent ea divendere & in suos usus pretia convertere.

IV. Beati Benedicti Regulam qui amplexabantur utriusque sexus, eos tradit Beatus Odo Cluniacensis Abbas, accedere potuisse, ubi libro II. Collationum commemorat defectionem Monialium duarum Cœnobii Balmensis, quæ luctuoso tandem exitu periere. Atqui ea illæ primum occasione descíscere & refrigescere cœperat à priore pietatis fervore, quòd permissæ erant paululum à Cœnobio discedere, ut vel tantillum saltem decerperent de paterna successione, & ad Monasterium referrent. *Ad hoc autem regredi permissæ sunt, ut de rebus parentum, qui fortè nuper obierant, aliquid Monasterio reportarent. Sed hac occasione sæculum pergustantes, oblitæ sunt Deum. Ex quo apparet; quàm periculosa sit peccandi licentia. Bibl. Clun. pag. 234.* Apparet casus ejusmodi non paucos in causa fuisse, ut Monachi & ipsamet non rarò Cœnobia costituerent, spem tam lubricam hæreditatum abjicere potiùs, quàm de cœlesti & æterna hæreditate periclitari. Ita non abhorret à verisimili, ejectos fuisse aliquando Monachos jure succedendi, quòd eo se ipsi ultro dejecissent, tam longa & voluntaria terrenarum abstinentia hæreditatum, & despicientia. Eam occasionem cupidè captarunt proximi & consanguinei, ut res alienas retinerent, & voluntariæ suorum paupertatis occasione, ad alendam effrænum avaritiam ipsi suam abuterentur.

Anno 1436. collata aut confirmata sunt ab Eugenio IV. varia privilegia Benedictinæ Congregationi

ni Sanctæ Justinæ in Italia, atque illud in primis; quo vana & irrita esse jubentur statuta, consuetudines, leges omnes, quibus prohiberentur succedere, eodem modo & jure, quo si in Monasterio professi non essent. *Quodque præfata Congregationis Monasteria bona mobilia & immobilia in quibuscumque civitatibus & locis quovis titulo acquirere possint; Petendi etiam & exigendi Monachis & personis hujusmodi præfata bona undecumque, vel qualitercumque eis debita, & quæ si in sæculo remansissent, jus petendi & exigendi haberent, ipsis eorum Monasteriis acquirenda, non obstantibus quibuscumque statutis, ordinationibus & decretis cujusvis Ecclesiastica, sive sæcularis persona, Communitatis, Collegii, &c. præsentium litterarum serie statuimus. Bullarii Tom.1.*

Non facilè mihi persuaserim, in Italia leges quemquam condidisse, quibus jure succedendi exturbarentur Monachi, cui tot legibus civilibus, canonicisque, tot regionum & sæculorum usu inconcussa quædam firmitas accessisset; nisi eo se spontè ipsi abstinuissent, sive ut ne se in vocationis & salutis discrimen committerent; sive ut ne objicerent se & Cœnobia litium & contentionum procellis, sive denique ut arctissimæ se innecterent paupertati. Hic referre juvat, quod narrat Matthæus Paris de Dominicanis, primigenio adhuc institutionis suæ zelo ferventibus. Non tantùm possidebant nihil, sed asperrimam vitam & abstinentiam sectabantur, nihil reponebant in diem crastinum, eleemosynis victitabat, & ubi post sobrias epulas superesset reliquiarum aliquid, totum in pauperes exemplo effundebant. Ita enim Paris ad annum 1198. *Isti in victu & vestitu satis tenues, aurum, vel argentum, vel aliud proprii non possidentes, &c. Nihil de crastino cogitantes, nec quidquam usque mane retinentes; Si quid ex mensa ex eleemosynarum largitione superabundabat, hoc continuò pauperibus erogabant.* Qui hanc vitæ rationem tenent, non illi se facilè in molestias & spinas conjiciunt persequendarum hæreditatum.

Si in manus nostras venissent Ratiocinia, vel Diaria priscarum Abbatiarum, occurrerent haud dubiè in his hæreditariæ pleræque portiones, quæ Monachis obvenissent, & à Monasteriis exceptæ essent. Meminit Chronicum Beccense Abbatis Gosfridi ad annum 1390. qui Prædium Quevilliacense magnis impendiis restauravit, impensis in id octingentis libris, quæ tum erat ingens pecunia, quæque in illius tum potestatem venerat, ex parentis utriusque non ita pridem fato functi hæreditate. *Solvit octingentas libras de bonis patris & matris suæ, quæ nuper habuerat ex eorum obitu.* Theologorum Parisiensium responsio apud Joannem Gersonium refertur, in causa Monachi Charthusiani, qua constat anno 1410. Monachis ejus Ordinis aditum patuisse adhuc ad qualibet hæreditates, vel Monasterio eorum nomine, in Hollandia, Gelria & Brabantia. *Notandum quod in patria illa Religiosi tales succedunt parentibus, vel Monasteria pro eis. Hist. Univ. Paris. tom.5. pag.205.*

V. Nihildum diximus de Canonicis Regularibus, quòd finitimi sint Clero sæculari, atque ita nec dubitari ferè de iis potuerit. Unum id hic referam ex Bibliotheca Præmonstratensi. *Pag.673.* Anno 1249. Innocentius IV. eodem donavit Abbates hujus Ordinis omnes privilegio, quo & Cistercienses; vel eadem declaratione, & iisdem quidem verbis expressa, ut supervacaneum fuerit eam repetere. Eo rescripto possunt Præmonstratenses, postquam etiam professionem emisere, hæreditates nancisci, non aliter, quàm si in sæculo semper hæsissent.

VI. Monachos, Canonicos, Regulares denique omnes complectitur Caput LXXV. querimoniarum, sive Gravaminum centum, quæ Principes Germaniæ in Conventu Nuremburgensi anno 1523. obtulerunt Nuntio Pontificio, ut his medicaretur Pontifex, eo tempore quo tanta novabat, tanta evertebat Lutherus priscæ sanctimoniæ munimenta. Iniquè secum agi vociferabantur Principes, si tanta Monachorum & Monialium examina in proximorum hæreditates passim venirent, in eorum hæreditates vicissim nemo unquam proximorum venire, nemo anhelare posset. Ut ei malo medicina fieret, volebant ut ne quis in Cœnobiis profiteretur, nisi antè Civilis Judex parentes profitentium conveniret, adduceretque ad moderata eis stipendia paciscenda, atque ita illi ulteriori quacumque hæreditatis spe se abdicarent. Longior est hic contextus, nec tamen circumcidi ex eo, vel amputari quidquam potest, ita refertus est luculentis in rem hanc nostram sententiis. *Mos non ampliùs ferendus hactenus inolevit, paulòque altiùs, quàm par sit, radices egit. Videlicet quod Monachi, Moniales, Beguta, Begbardi, Nolhardi, Conventuæ, & quicumque tandem sunt, qui se Religiosos & à popularibus segregatos profitentur, parentibus, consanguineis, agnatis, ac cæteris amicis in hæreditariis bonis, aliquando in partem, nonnunquam in totam succedunt. At vicissim eorum cognati, seu necessariè laici à prætactis Religiosis ad eorum hæreditates adeundas non solùm non vocantur, sed nec admittuntur quidem. Quod Germanis & grave & molestum, injustum etiam, ac non diutiùs tolerandum onus est. Ea propter necessariò, ac summa prudentia cavendum est, ut nemo se deinceps memoratorum Religiosorum votis vel astringat, vel addicat, nisi priùs eà de re civiles Magistratus certiores fecerit; quorum præsentia, authoritate & consilio Religionem ingredi volentibus, à parentibus & amicis juxta cujusque fortunam & facultates, mediocriter provideri debet, ut habeant unde commodè in Monasteriis vivere possint. Ea tamen lege, eo pacto & ordine, ut hominibus hæreditatibus, omnibusque parentum, fratrum, sororum, cognatorum, cohæredum, ac quorumcumque aliorum successionibus renuntient. Idemque cum his, qui jam olim Religiosorum regulis sese subjecerint, à sacri Romani Imperii statibus & petitur & censetur. Cap.98.*

Ea erat Germaniæ universæ quærimonia & postulatio. Ubi advertes 1. Eum usum tota Germania receptissimum proficisci non potuisse, nisi ex Imperatorum legibus, ex Conciliorum & Canonum institutis, ex consuetudine Ecclesiæ universalis antiquissima. Ideo ut mitigetur aliquid, ad Ecclesiam unam, & ad Pontificem confugium habent. 2. Jure & more succedendi utebantur Regulares & Monasticæ Congregationes omnes. 3. Apud Germanos in confesso erat, Monachis & Monialibus, Canonicisque Regularibus utriusque sexûs jus competere certissimum exigendæ à proximis suis honestæ sustentationis suæ, dum spiritum ducerent. Quin & interponi volebant civilis Magistratûs authoritatem, ut proximi officio fungi cogerentur, pro modo facultatum. 4. Extorquebant illi certè tum quidem, ut futuræ quisque successioni renuntiaret. Sed perspicuum est, multò conducibilius fore Monasteriis, ut fundum vel proventum annuum & mediocrem à singulis professis assequerentur, quàm ut hæreditates consectarentur, raras, ferè litigiosas, & plerumque dilapsuras. 5. Jam tum denique Germanos Proceres infecerant contagia quædam & venena Lutheranæ perfidiæ. Nec tamen illi ultra hos limites suas, vel querelas effudere, vel spes.

VII. Sigismundus Poloniæ Rex anno 1527. legem promulgavit, qua professus est ille quidem, posse suo jure Moniales maternam, paternamque adire hæreditatem, & ut luberet de ea decernere;

quod

quod hoc jus Sedes Apostolica sartum illis tectumque servasset, ea videlicet de causa, quòd non ubique Cœnobiis idoneæ sint copiæ & facultates ad earum sustentationem. *Statuimus etiam quod Sanctimoniales, Ordinem aliquam à Sede Apostolica approbatum professa, tametsi mundo & bonis temporalibus renuntiaverint, nihilque proprii habere possint: quia tamen non sunt ubique debito modo provisa, & concessum sit illis ex indulgentia Sedis Apostolica; ut succedere possint in bona paterna & materna ad se devoluta, de illisque liberè cum authoritate Superiorum suorum disponere. Statut. Polo. pag.287.* Cum verò Regni Nobilitas gravissimas super eo querelas ingeminasset; non potuisse se non illis accomodare aures: & constituere, ut ubi ejusmodi successiones Monialibus obtigerint, deponerentur apud eum, qui proximitate vel consanguinitate conjunctissimus esset, qui redituum illas media parte, dum vitam agerent, impartiretur. *Medietatem omnium censuum & proventuum pecuniariorum illis & similibus earum solvere erunt astricti, vita illarum durante.* Media pars altera redituum, & fundi omnes migrante terris Sanctimoniali, ad proximos revolvebantur, qui eis & ipsi rem suam augerent, & onera subirent Reipublicæ. *Reliquam medietatem pro se retinebunt, & ex illis onera Reipublica, Regni & bellica expeditionis sustinebunt, &c. Post mortem illarum bona earum ad proximiores consanguineos rursum devolventur & devolvi debebunt.* Quo palam fit, usque ad sæculum decimum-sextum, plenissima libertate Sanctimoniales & successiones legitimas adisse, & quibus vellent transcripsisse.

VIII. De Hispaniæ moribus, unius fidem facient Covarruviæ Responsa, *Covaruv. De Testam. c.c.*, qui ne in dubium quidem vocat, quin Monachis post Professionem pateat janua ad successiones. Sed quærit, an migrante Monacho ex Cœnobio uno in aliud, migret & successio. Negat autem, propterea quod cum prius jam Cœnobium hæreditatem capessiverit, ea spoliari nequaquam possit; quanquam si necessaria desint Monacho subsidia in altero Cœnobio, à priori illa sint suppeditanda. Subscripsit Covarruviæ Vasquesius. *De reditib.s.3.dub.4.* At rursus alio loco tradit idem ipse Covarruvias, *de pactis & renunc. §.2.*, persæpè cum dos profitentibus Monialibus assignaretur, compulsas eas fuisse, ut futuris successionibus renuntiarent. Quærit porrò, an possent revocari hæ renuntiationes, cum moniales media plus parte fraudabantur; & in negantem propendet sententiam. Statuta verò quibus jure succedendi privantur Monachi & Moniales, constantissimè negat valere posse. Denique Covarruviæ vestigia legens Vasquesius affirmat, si parens in ejusmodi Religione profitetur, cujus Cœnobia succedere non possint, utpotè Clericorum Societatis Jesu; ex quo primùm professio profecta est, filium vel hæredem succedere. At si ejusmodi est Religio, quæ successiones non excludat, quod genus sunt reliquæ ferè omnes, quandiu ille advivet, Monasterium ea gaudebit hæreditate: eo terris migrante, filius, vel hæres succedet. Quanquam autem plenam parentis hæreditatem non assequatur tum filius, nisi postquam ille vivere desiit: ex quo tamen professus est, potest legitimam sibi portionem flagitare.

IX. Peragratis Occidentalis Ecclesiæ Provinciis cæteris omnibus, ad nostras remetiendum iter est Gallias, ubi id primùm advertemus, jam à complusculis sæculis parentum avaritiam à Vuillemo Parisiensi Episcopo, quàm justè, tam graviter reprehensam esse. Infamia etiam simoniæ illis aspersa est, cum filios in Claustra compingunt, ut justo eos succedendi jure defraudent, & alios filios eo incremento locupletent. *Alii à parentibus & propinquis eo modo in claustro projiciuntur, quemadmodum catuli & porculi, quos matres non sufficiunt enutrire, ut videlicet mundo non spiritualiter, sed ut ita dicamus, civiliter moriantur; videlicet ut portione hereditaria priventur, & eos, qui in sæculo remanent, devolvantur. Et quantum ad hoc simoniaca est hujusmodi projectio, immersio, vel intentio. De Moribus c.9.p.226.*

Jam tum ergo in Galliis concuti incipiebat jus Monachorum succedendi; idque factis tentabatur, ut reor, magis, quàm jure. Nequedum enim ullum usquam erat statutum Imperatoris & canonicis legibus ea in re infensum. Adversùs hanc vim grassantem Abbates Cistercienses, cujus Ordinis sedes primaria in Galliis est, muniebant se Pontificiis privilegiis, quibus antiquissimo juri suo, eidemque juri communi nova præsidia adderentur.

Narrat nuperus Galliæ Jurisconsultus Fevret, *L.4. c.6.*, à Filipo cognomento Bono, Duce Burgundiæ concessum fuisse, ut in Consuetudine Burgundiæ, quæ compilata & ejus authoritate publicata fuit anno 1459. scriberetur articulo ultimo de Successionibus, quod ad Cistercienses Monachos pertinet, qui suum & privilegium & usum obstentabant succedendi, tum directa, tum collaterali linea, amplius in eam rem inquirendum esse, & tum denique Ducem, quod æquitas flagitaret, pronontiaturum. Ad ea usque ergo tempora legitimis hæreditatibus successerant Cistercienses, successere & diutiùs postea, cum nulla extiterit declaratio, qua eorum privilegium infringeretur. Anno 1570. in meliorem formam revocata est Consuetudo Burgundiæ, & tunc redacti fuere Cistercienses ad communem reliquorum Regularium normam. Unde Chassanæus in suis ad eam Consuetudinem Commentationibus hæc habet, quibus edocemur, Jure tum Regni consuetudinario Regulares succedendi facultate exutos fuisse: eadem ratione in medium allata, qua superiùs Germani Proceres abutebantur, cum veniant persæpè Monachi in Laicorum, nunquam Laici in Monachorum hæreditates, tandem omnia in Monachorum fiscum comportatum iri. *Cistercienses Religiosi comprehenduntur esse sub consuetudine generali Francia, quia si succederent, esset annihilatio temporalitatis in Republica; cum semper Religiosi traherent ad se temporalia eo, quod succederent laicis, & laici eis non succederent, sed eorum Ecclesia & Monasteria. Unde nulla æqualitas observaretur.* San-Dionysiani in Gallia Monachi ab Innocentio IV. & Bonifacio VIII. privilegium elicuerant Cisterciensi simillimum. Vereor ut eo diu gaudere potuerint. Vide nuperrimum Historiæ hujus Abbatiæ Scriptorem. [Doublet].

In Generali Compilatione Consuetudinum sub Carolo VII. Rege edita, omnes funditus Regulares succedendi jure exuuntur, qua se cumque jactent Papæ dispensatione, vel quavis alia: exceptis tamen Equitibus Hierosolymitanis, quibus tantò propensius indulgendum aliquid erat, quòd cum pro Ecclesiæ universalis defensione bellarent, patrimonio, tanquam stipendio gaudebant. *Religiosi quicumque tandem, non succedunt, nec ex dispensatione quidem Papa, nedum quavis alia, exceptis Hospitalariis, quibuscum olim Rex & Pontifex dispensarunt, unde tam possunt succedere, quàm saculares; post eorum obitum, res eorum in amicos sparguntur.* Nec diu eo privilegio usi Equites isti. Negat Rebuffus posse illis annui, nisi usumfructum. *Ibidem.* Addit eam limitationem nuperus Jurisconsultus (Fevret.) approbatam fuisse Senatusconsulto Divionensi anno 1582. at vel eo demum usufructu excussos fuisse ejusdem Senatus decreto alio anni 1588.

Societatis Jesu Clericis, cum post priora vota sua relaxari possint, & in sæculum redire, causæ

vi-

videbantur esse justissimæ, ut succedendi potestas ac penitus auferretur. Unde & cum in Regnum revocati sunt, eam illis Henricus IV. Rex firmavit: *Non poterunt ejus sacri Cœtus sodales succedere in terrenas hæreditates, uti nec alii Regulares, sive directè, sive ex latere. Si posthac tamen ablegarentur è societate, in priora sua jura redintegrari possent. Ibidem.* Cœpit anno 1646. Senatus Divionensis definire certum tempus, ut ne ejusmodi postliminii jure gaudeant, nisi annis quinque post professionem votis simplicibus perfectam. Exemplo Divionensis accomodaverunt se alia postea quædam Parlamenta. Laudantur Judicia Senatus Parisiensis Divionensibus antiquiora in eandem sententiam. Sed non magni nostra interest, quo in Senatu primùm id decretum sit.

Joannes Galli prolato Parlamenti Parisiensis Arresto, hac illud ratione muniverat, *Ratio quia Religiosi in patria consuetudinaria non succedunt. Quæst. Galli. part.5. n.122.* Quod argumento est eos successisse in Provinciis Juri Civili addictis. Ex antedictis multa eò vergunt. Sed jus Consuetudinarium non multò post convaluit supra jus Scriptum. Unde & Carolus Molinæus in illud Caput Galli hæc addit. *Nec Monasterium pro eo. Idem generaliter etiam in Patria Juris Scripti.* Galli & Molinæus à vero non abludunt, si sejungas tempora. Nam Consuetudines Juri Scripto derogarunt, & earum tot prodiere Compilationes, ut suprà quinquaginta numeratæ sint, quæ Regulares successionibus excluderent. Provincia Viennensis, seu Delphinatos Juri Scripto serviebat, unde & ibi succedebant Monachi, quando illos eo jure orbavit Franciscus I. Rex Edicto Castri Briantii anno 1532. *Le Prestre. p.82.* In Edicto Blesensi defixa ætate professionis Monasticæ ad annum sextum-decimum, consentaneè Concilio Tridentino, additur porro *posse eos, qui ante eam ætatem professionem emiserint, disponere de bonis suis, vel successionibus, quæ jam obvenerint, vel obventura sint, directè, vel è latere, & transcribere proximis, vel aliis, non tamen Monasterio cuiquam, idque intra tertium mensem, quo sextum-decimum ætatis annum attigerint. Quo spatio elapso, si nihil testati sint, devolvenda sint ad proximos eorum bona, quasi ab intestato. Art.28.* Quo ne optari quidem potuerat quidquam expressius. Edicto Aurelianensi, *Art.10.*, eadem pene clausula continebatur, vel exclusio Monasteriorum à successione.

X. Utque jam finem faciamus dicendi, illud postremò advertemus; Ne Monachi succederent, jamdiu esse quod privati complures restitere. Ad ipsa usque retro assurgere fas est Nicolai I. Papæ tempora, cujus superest apud Gratianum, 20. *q.3. c.4.*, Epistola ad Episcopos Galliarum scripta, de Clerico, quem impuberem adhuc pater Monastico instituto devinxerat, & qui elapsus tandem Monasterio, & jam pubertatem assecutus, à fratribus ad hæreditatem non admittebatur. *Sub hac occasione, paterna, seu materna hæreditate à fratribus suis privatum esse.* Restitum est multò vehementius, ubi illuxere orbi Christiano Franciscani & Dominicani, strictiorem multò paupertatem amplexati, quàm tum quidem Benedictini. Eò adducti sunt Cistercienses, Benedictini, Præmonstratenses, & tandem Dominicani ipsi privilegia mendicare Sedis Apostolicæ, quo jure suo succedendi uti possent. Tum cœpere Consuetudines increbescere; cumque eas dictarent domini temporales, iique subditis suis non paucas inducerent servitutes: eò res tandem evasit, ut Consuetudines & servitudines non multum abluderent: unde & in iis testamentorum & successionum libertas plurimum accisa & afflicta est. Jure succedendi Monachos exturbare cœpere Consuetudines. Et primum quidem privilegiis Pontificiis honorem habuere; mox id quoque abjecere frænum. Melitensibus Equitibus usumfructum primò permisere, mox & abstulere; nec reliquum illis factum est, nisi jus exigendi à proximis, quo redimantur à captivitate infidelium, si in eorum manus venerint. Cum jus Consuetudinarium per Gallias latè se effuderit, hinc in Provincias quoque Juris scripti propagatus est usus excludendi Monachos à successionibus. Atque obi generalis increbuit convaluitque Consuetudo, tum Regia etiam demum accessere Edicta.

De Dominiis, Principatibus, Ducatibus Ecclesiæ concessis.

CAPUT XXVI. *P.1. l.3. c.10.*

De Dominiis temporalibus Ecclesiæ concessis per quinque priora sæcula.

I. Ducatus & Comitatus meræ erant & revocabiles Præfecturæ Urbium & Provinciarum usque ad tempora Caroli Magni.

II. Episcopos Constantinus permagna donavit potestate in rebus Civilibus.

III. Potestas temporalis Episcoporum Alexandrinorum tempore Athanasii.

IV. Tempore Cyrilli.

V. VI. VII. Potestas temporalis Papæ Romæ. Probationes.

VIII. IX. Potestas & jus Episcoporum Alexandrinorum tempore Dioscori. Probationes.

X. Suburbium Urbis Alexandriæ sub tuitione Monachorum Tabennensium.

XI. XII. XIII. Caterva Monachorum, & Clericorum, qui Parabolani dicebantur, ad defensionem Episcopi Alexandriæ.

XIV. Leonis Papæ potestas in urbe Roma.

XV. Potestas temporalis Episcoporum Galliæ.

XVI. Beatus Germanus Altissiodorensis Episcopus in Anglia prælio congreditur & vincit.

XVII. Leo Magnus Attilam exarmavit.

XVIII. Potestas temporalis Episcoporum Antiochiæ.

XIX. Jacobi Episcopi Nisibeni.

XX. Episcoporum Carthaginensium.

XXI. Fundamenta jecerat Constantinus hujus temporalis potentiæ Episcoporum.

XXII. Imperium & dominatio Episcoporum, pietas & Religio, preces & lacrymæ.

I. Dominia & Principatus non facilè invenies in bonis Ecclesiæ temporalibus, per hæc quinque priora sæcula. De feudis altum adhuc silentium; ne Optimates quidem ferè, nisi patrimonia sua obtinebant; atque ubi Urbes & Provincias in potestate habebant, earum præfectura tantùm, & administratione ad aliquot annos donabantur. *Duces* de quibus agit Suetonius, & cæteri post illum Historici, non aliud, quàm exercitus ductabant. *Comites*, quorum dignitatem amplificavit Constantinus, & quos digessit in tres Ordines, *Item Comitum alios in primo ordine collocavit, alios in secundo, alios in tertio*; ut refert Eusebius, *De vita Constan. L.4. c.1.*, titulis honorum fulgebant, non potestatis. Additæ sunt illis postea Præfecturæ & Administrationes, sed quæ non ante Carolum Magnum hæreditariæ evaserint: quando & earum aliquæ Clericis etiam obtigerunt.

II. In hac ergo, quam illustramus, primi Ecclesiæ ætate unum quæri potest, an jam tum Episcopi in administrationem temporalem Civitatum, operam & authoritatem suam ioterponerent. Ea est temporalium spiritaliumque rerum conjunctio, ea populorum in Pastores suos propensio & reverentia ex religione efflorescens: aa erat, qua Episcopos Constantinus Imperator cumolaverat authoritas, ut publicorum Judicum judicia retractarent, suorumque Judiciorum illos executores haberent; denique ea erat quarundam Ecclesiarum opulentia, tanta Clericorum, pauperum, virginum, viduarum copia, qui Ecclesiæ sumptu alebantur: ejusmodi, inquam, erant hæc omnia, ut non ferè potuerint Episcopi non magna saltem ex parte civili Civitatum & Provinciarum administrationi implicari.

III. Erat otique Episcoporum Alexandrinorum, non Alexandrię tantùm, sed tota Ægypto potestas eximia quædam & latè fusa, cum hac Ariani calumnia Athanasium impetierint, quod vestium linearum tributum Ægypto indixisset. *Criminationem confingunt quod Athanasius praecepisset Ægyptiis, ut vestem lineam Ecclesiæ Alexandrinæ pro tributo pensitarent. Socrates L.1. c.20.* Quàm abhorrent à vero, tam alludunt ad veri similitudinem calumniæ. Nec aliter existimandum de altera criminatione, quam Athanasio Sycophantæ iidem asperserunt, intervertere illum voluisse frumenta, quæ quotannis ex Ægypto Constaotinopolin convehebantur. Fidem adjecit Imperator, & Athanasium exilio mulctavit. *Ibid. c.23.* Non tam faciles ei criminationi aures accomodasset Princeps, si ne speciem quidem veri præ se tulisset, ex incredibili quadam Episcoporum Alexandrinorum potestate in Ægypto universa.

IV. Nova porro in dies ei Alexandrini Præsulis potestati accessio fiebat. Cum successisset Athanasio Petrus, Petro Theophilus, hujus quidem permagna viguit vis & authoritas; sed ejus ex fratre nepos & successor Cyrillus, ulterius sanè progressus est. Unde idem qui modò Socrates: *L.7. c.7. 13. Cyrillus in Sede Episcopali collocatus, majorem Principatum, quàm unquam Theophilus habuisset, pariter sibi assumpsit.* Addit enimvero idem Socrates primum Cyrillum temporali etiam dominatione usum esse: *Etenim ex illo tempore Episcopus Alexandrinus præter sacri Cleri dominatum, rerum præterea secularium dominatum acquisivit.* Ejus civilis potestatis specimen edidit Cyrillus, quando omnes Novatianorum Ecclesias Alexandriæ occlusit; thesauros eorum asportavit, Theopemptum eorum Episcopum bonis omnibus exuit, si qua Socrati hæc narranti fides addenda sit.

V. Eodem zelo, nec dispari potestate Cælestinus Papa Romæ Novatianis Ecclesias abstulit suas omnes, compulitque ut nonnisi clandestinos agerent cœtus. Hinc Socratis querelæ & lamenta, quod & Romani & Alexandrini Antistites spiritalis Imperii metas prætervecti, temporalem exercerent dominationem. *Episcopatus Romanus non aliter atque Alexandrinus, ad secularem principatum erat jam ante delapsus.*

VI. Hic ipse Cælestinus est, quem efflictim & enixissimè interpellabat Augustinus, ne Antonium Fussalensem Episcopum Ecclesiæ & sedi suæ restitui juberet ea vi, & armatorum militum caterva, qua restitutum illum iri fama vulgaverat latè sparso eo jam terrore. *Judicia illis & publicas potestates, & militares impetus, tanquam executuros Apostolicæ Sedis sententiam comminatur. Epist.261.* Augustini precibus & æquitate causæ facilè crediderim emollitum fuisse Cælestinum, fragorem illum armorum dissipatum. Privatis affectibus indulgebat Socrates, cum in has suprà querelas effundebatur. Si potestatem civilem non explicarunt Cælestinus & Cyrillus, nisi ad obruendam hæresin, & Ecclesiæ Catholicæ nova munimenta astruenda, nec illis magnopere, nec nobis laborandum est de hæreticorum criminationibus, quibus Catholicæ fidei zelus & constantia commendatur.

VII. In ea certissimè versabatur sententia B. Prosper, cum Bonifacium & Cælestinum hinc laudibus in cœlum tolleret, quod utraque certassent potestate, & Imperatorio atque Apostolico Edicto Pelagianos oppressissent, Cœlestium tota exegissent Italia. *Quando Papa Bonifacius piissimorum Imperatorum Catholica devotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ non solùm Apostolicis, sed etiam regiis utebatur edictis. Cum Cælestinus Cœlestium quasi non discusso negotio audientiam postulantem totius Italiæ finibus jussit extrudi. Contra Collat. c.41.*

VIII. Ad Episcopos Alexandrinos revocandus sermo, & ad Dioscorum Cyrilli successorem. Qua ille abusus est potestas tyrannica, tristissimum quidem, sed & certissimum est temporalis ejus jurisdictionis argumentum. In Concilio Calchedonensi à Diacono Ischirione gravissimæ in illum congestæ suntaccusationes, quæ singulæ summam quandam non improbitatem tantùm produnt, sed & potestatem. *Aliquorum vastata sunt prædia, excisione arborum perpetrata, aliorum verò domus destructæ sunt, alii in exilium pulsi sunt, alii multatione vexati sunt, quidam verò & ab Alexandrina Civitate, sicut de propria ejus possessione exclusi sunt. Con. Chalc. Act.3.* Nec leviora Dioscoro impegit Athanasius Presbyter Cyrilli nepos grassationum Dioscori documenta, quod se suosque Alexaodria ejecisset, domos invasisset, ex iis Ecclesias extruxisset, ingentem pecuniæ vim ab eo extorsisset, balnea sibi & alimenta interdixisset in Alexandriæ suburbio Canopo, quò confugisset, propterea quod locus ille transfugarum receptaculum esset, & sub tuitione delitesceret Monachorum Tabennesiotarum. Vel ipsis civilibus Alexandriæ Magistratibus terrori erat Dioscorus, ut impunè illum ita furere sinerent.

IX. Sed quò baccharetur usque & insaniret Dioscori ambitio & impotentia, manifestius etiam fit ex libello supplici, quem eidem Concilio Calchedonensi obtulit Sophronius laicus. Ab eo enim prohibitum est, ne executioni mandaretur præceptum Imperatoris, jubentis Sophronium ipsum restitui bonis, quibus contumeliosissimè extrusus fuisset. Nec tum tacuit Dioscorus quod mente premebat, in sua magis, quàm in Imperatoris potestate esse Ægyptum. *Arbitratus se super omnes esse, neque immortalia decreta, neque magnificas concessit exequi sententias, suam magis Provinciam, quàm Imperatorum esse dicens.* Vix passus est imagines Imperatoris Alexandriam perferri, non alterum facilè præter se Imperio Ægypti potiri passurus. *Seipsum enim magis Ægyptiacę Diœcesi imperare volebat, sicut & gesta apud diversos judices confecta demonstrant.* Quàm infanda & execrabilis tota hęc insania, tam laudabilis pręsumenda animo est moderatio & sapientia Cyrilli, Theophili & Athanasii, in eadem potestate explicanda. Cyrillo & Athanasio Theophilum hic copulavi, quod quamvis subimpotenter quandoque spiritali authoritate sua usus sit, quode sermonem hic non facimus; at aliàs à Sanctis Patribus summis laudibus exornatus est. Cum alienius nihil sit à charitate, quàm cupiditas, dissimillimus est utriusque potestatis usus. Ubi viribus suis abutitur cupiditas, non possumus non illi subirasci. At ubi charitas potestatem effundit longè maximam, meritò gratias habemus summi Numinis providentiæ, quæ sempiternæ sapientię & justitiæ legibus creatas omnes dispensat vires

res

res & potestates. Ne ergo ita insaniamus, ut minùs placeat nobis, quod incorruptibili Dei sapientię placuerit: hoc persuasum fixumque nobis sit, quando temporali nulla potestate Episcopale cingebatur ministerium, id providentissimè tum cautum fuisse, ne falleret temporalis illecebra, atque totos se Episcopi ad sacras & spiritales functiones suas conferrent. At ubi civilis quoque jurisdictio accessit spiritali Pontificum authoritati, id quoque consultissimè provisum fuisse, aut ad glorię cumulum sacerdotio adjiciendum, aut ad cęlestis sanctimonię auram aliquam temporali dominationi aspirandam; utque Civitatum & Provinciarium administratiu ex Christianę veritatis, & justitię, & charitatis legibus temperaretur.

X. Ecquid enim de illo menti nostræ occursare potest Alexandrię suburbio, quod tutelę suberat Monachorum Tabennesiotarum, ut ab Athanasio Presbytero affirmatum est? *Totum enim videtur sub tutela esse Monasterii Tabennensium*, &c. Quid augurandum superest ex tutela, custodia, vigilantia Monachorum tota Thebaide sanctitate & virtutum fama florentissimorum, nisi summum quoddam religionis, pietatis & charitatis imperium in omnes ejus suburbii incolas?

XI. Cum Nitrię in Ægypto Monasteria rescivissent Præfectum Oresteo inimicitias Cyrillo indixisset Alexandriam convolarunt Monachi numero quingenti ad Archiepiscopi defensionem. Unus eorum lapide Prefectum percussit, sed eam petulantem insaniam nemo sanus aliis Monachis affinxerit. Qui hęc narrat Socrates, *L.7. c.14. & l.6. cap.7.*, narrat idem ipse Theophilus aliàs eosdem Monachos sibi mutuò collisisse, sive ut ipse adversùs eos tutior esset, sive ut pertinaces Origenis errorum sectatores mutuis conflictibus consumeret.

XII. Eo autem ex capite manabat Orestis Præfecti & Cyrilli dissensio, quòd impatientissimè ferret Præfectus, quòd Cyrillus domos Judęorum Alexandriæ prædæ & expilationi objecisset, eosque omnes Alexandria ejecisset, ob ingentem Christianorum cædem ab illis perfidiosissimè perpetratam. *Magnum cœpit dolorem Orestes, tam praclaram civitatem tanta hominum multitudine prorsus orbatam esse. Socrat. l.7. c.13.* Sed ab eodem ipso observatur, jam diu antè permolestè tulisse Præfectum incrementa potestatis penè quotidiana Episcoporum Alexandrinorum; cum tantundem necessariò decederet authoritati Præfectorum, & Magistratuum omnium civilium. *Orestes autem, etsi antè Episcoporum potestas illi odio propterea fuerat, quòd per eos nonnihil de authoritate eorum, qui ab Imperatore ad Magistratus gerendos designati erant, admodum detractum fuit: tamen tum vel maximè, quod Cyrillus videbatur in ejus edicta inquirere. Ibidem.*

XIII. Nec irritæ cecidere Orestis ad Theodosium Imperatorem de Cyrillo expostulationes. Publicata est enim à Theodosio Lex, qua multitudo & potestas coarctata est Parabolanorum Alexandrinorum, qui Clerici erant, vel ministri Antistitis Alexandrini, curandis ægrotis præfecti. Socrates, *L.7. c.22.*, *parabolous* vocat Gladiatores quosdam intrepidos, qui pugnæ & morti fortiter pectus objectabant. Eodem verbo utitur Paulus, *Philip.2. v. ult.*, ad significandam laudatissimam discipuli audaciam, qui fidei tuendæ ergo in discrimen se multis conjecerat. Hoc ergo nomine donabantur Parabolani, quòd nulla non ad discrimina prosilirent, ne ægrotantibus deessent. Magno erant numero, & vel hinc formidolosius videri poterat Episcopus Alexandrinus. Ad quingentos Theodosius, *Cod. Theod. L.16. Tit. Leg.42. 43.*, numerum arctaverat, eorumque designationem abstulerat Cyrillo, accusatorum ejus præstigiis delusus. Sed audito demum Cyrillo ipso revocarat eam legem, & pristino statui res omnes reddi sanxerat. Ut ne jam cuneos spectemus Monachorum, hic ipse numerus Clericorum & ministrorum, quorum una classis sexcentos complectebatur, Episcopo Alexandrino poterat utique permagnæ & formidolosæ potentiæ vim & terrorem circumdare. Plerique enim horum Clericorum conjugati erant, & ex eorum familia & liberis novi non parum præsidii accedebat.

XIV. Cyrilli in Novatianos Alexandrinos asperitas Socrati stomachum movit, ut historiam ejus omnem maledicentia sua & livore perfuderit. Spectatissima aliàs Cyrilli pietas & religio cogit sanè nos, explosis Socratis obtrectationibus, fateri eum potestate & contentione animi tota non ad aliud usum esse, quàm ad constabiliendum Christi Regnum; si ultra Majorum autem suorum modum exarsit, id ex ejus immensa quadam charitate manasse, quæ licere sibi volebat, quidquid ad Ecclesiæ, Christique causam muniendam, aut necessarium esset, aut conducibile. Nec aliter sentire fas est de Sancto Leone Papa, qui per literas Imperatori Theodosio significavit, non posse se proficisci, & præesse Concilio Ephesino, quòd abesse Roma ipsum non pateretur Urbis salus. *Quod pietas ejus etiam me credidit interesse debere Concilio, etiamsi secundùm aliquod exigeretur exemplum, nunc tamen nequaquam posset impleri, quia rerum prasentium nimis incerta conditio, à tanta urbis populis me abesse non sineret; & in desperationem quandam animi tumultuantium mitterentur, si per occasionem causa Ecclesiastica viderer patriam & Apostolicam sedem velle deserere. Ep.13.* Et in alia Epistola, *Ep.17. Cum temporalis necessitas me non patiatur deserere civitatem, &c.* Testatur & ipse alicubi Augustinus, *Epist.227.*, non posse se Hippone abesse, ob imminentes & incubantes ei calamitates.

XV. Sidonius Appollinaris in Epistola ad Basilium, quem Aquensem volunt fuisse Episcopum, cladibus Ecclesiæ ingemiscens, & earum Galliæ Provinciarum, quas Rex Gotthorum Evarix sub jugum misisset, hunc insinuat Episcopum, cum Regensi, Massiliensi & Arelatensi, veluti sequestrem & mediatorem fuisse pacis, quæ tunc parabatur inter Arianos & Romanos Catholicos; hortatu eque in eam maximè curam incumbi, ut Clero & fidei Catholicæ consultum sit in iis urbibus, quæ Gotthorum potestati permittentur. *Per vos mala fœderum currunt, per vos regni utriusque pacta conditionesque portantur. Agite quatenus hac sit amicitia & concordia principalis, ut Episcopali ordinatione permissa, populos Galliarum, quos limes Gothica sortis inclauserit, teneamus ex fide, etsi non tenemus ex fœdere. L.7. Ep.6.* Altiùs ergo hi Præsules in Regni negotia penetrabant, sed fructu non alio, aut fine, quàm ut Regno & Ecclesiæ consultum esset.

XVI. Cum Germanus Episcopus Altisiodorensis & Lupus Tricassinus in Concilio Ecclesiæ Gallicanę delegati fuissent, ut Magnæ Britanniæ ferrent suppetias adversùs Pelagianorum errores ubique latiùs serpentes; ei genti diversissima etiam alia ratione opitulati sunt, quæ minimè consentanea videri posset sanctissimæ Episcoporum dignitati, nisi eorum authoritas, æquè ac Pastoralis sollicitudo, ad salutem etiam temporalem exporrigeretur. Brittones enim à Saxonibus & Pictis uno eodemque tempore vehementissimè lacessiti, *sanctorum Antistitum auxilium petierant.* Ducem se Germanus ostendit fore Exercitûs, *Germanus ducem se pralii profitetur.* Exploravit ipsemet locum struendæ aciei, cumque in vallem incidisset monti-

bus umbrosis cinctam, augendo & propagando sono ac bombo idoneam, ad caput evolavit copiarum, *componit exercitum, ipse dux agminis*, edixit ut omnes una voce & omni contentione intonarent *Alleluya*, quo consternati hostes, fugæ se commiserunt. Hæc diligentissimus Author & coævus vitæ Beati Germani. *Constant. c.28.* Si ita in bellicis rebus; quid in civilibus populi Episcopis supplicabant, Episcopi populis consentiebant? Id verò fieri vix, ac ne vix poterat, quin tandem aliquando civilis potestas Episcopis adhæresceret; eo potissimum ævo, quo Episcopali ingenio Episcopi tractabant omnia, ab ipsa alienissimi specie, vel suspicione dominationis, & necdum longa in eos incensa Magistratuum civilium æmulatione.

XVII. Exarmavit Attilam Leo Papa, & urbem servavit, quæ periculosissima hac eum honestaverat legatione, cum duobus aliis amplissimis & ornatissimis viris. Id probat Sirmundus ex Chronico Prosperi. *Sirmund. in Notis Sidonianis p.19. Nihil inter omnia consilia Principis, ac Senatûs populique Romani salubrius visum est, quàm ut per Legatos pax truculentissimi Regis expeteretur. Suscepit hoc negotium cum viro Consulari Avieno, & viro Præfectorio Trigetio beatissimus Papa Leo auxilio Dei fretus, quem sciret nunquam piorum laboribus defuisse. Nec aliud secutum, quàm præsumpserat fides. Nam tota legatione dignanter accepta, ita summi Sacerdotis præsentia Rex gavisus est, ut & bello abstineri præciperet, & ultra Danubium discederet.*

XVIII. Nec illaudata nobis abibit Ecclesia Antiochena, & Antistitum ejus potestas. Uno Pauli Samosateni exemplo confici res poterit. Quanquam enim necdum detumuisset persecutionum tempestas, Antiochiæ conspicuus eminebat Paulus, summæ cujusdam potestatis insignia circumgestans, vesanæ fomitem ambitionis. Nomen Episcopi postponebat titulo ventoso profanæ dignitatis; nec in publicum prodibat, nisi numeroso stipatus satellitio. Hanc ejus effigiem delineavit Concilium Antiochenum, quod ad ejus exauthorationem coaluit. *Fastu & arrogantia supra modum elatus, sæculares gerit dignitates, & Ducenarius vocari, quàm Episcopus mavult; per forum magnificè incedens, stipatusque maxima hominum multitudine, partim præeuntium, partim subsequentium, adeo, ut ex illius fastu & arrogantia incredibilis invidia odiumque multorum adversùs fidem nostram conflatum sit. Euseb. l.7. c.30.* Denique interventione Imperatoriæ potestatis Ecclesia sua extrudendus fuit.

XIX. Quanto & dedecori esse & detrimento possit potentia ingens malè sano homini credita, ex Paulo hoc patuit: at ex Jacobo Episcopo Nisibensi liquebit, quantò ea vicissim & præsidio sit & ornamento, ubi sapientia illi & pietas comes est. Author est Theodoretus Nisibin in finibus locatam fuisse Romani Imperii & persici Regni; Jacobum ei præfuisse Episcopum, Præsidem, Ducem; conspicabilia in eo fuisse Apostolicæ sanctitatis lumina; editorum ab eo signorum admiratione, & fama orbem universum pervasum fuisse; cum Nisibin Rex Persarum obsidione cinxisset, jamque muros solo æquasset, sanctissimum Episcopum animos exaggerasse suis, muros resarciri curasse, Persas ad oppugnationem gradientes propulsasse, denique potentissimum Regem in fugam egisse, dedecore incertum, an jactura majore. *Nisibis Episcopus moderator & Dux Jacobus fuit. L.2. hist. c.30.* Quod narrat alibi Theodoretus, *Hist. rel. c.1.*, de occupationibus Præsulis incomparabilis hujus, dum pax vigeret, ex eo perspicuum est, illorum temporum Episcopos civili administrationi implicatos plurimum fuisse. Ex officio enim suo erant semper orphanorum parentes, viduarum defensores, oppressorum patroni & vindices, Judices plurimarum causarum, miserabilium denique omnium tutores.

XX. Paucis perstringendi nobis sunt & Africani Episcopi. Donatus Donatistarum caput & dux, in ipsam Carthaginem summum quoddam sibi, & tantumnon Imperatorium jus vendicabat; dehonestari se nomine Episcopi existimabat, denique supra Imperatorium ipsum fastigium assurgere se posse confidebat. Ita enim Optatus. *L.3. Carthagini principatum se tenuisse crediderat; & cum super Imperatorem non sit nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem; dum se Donatus super Imperatorem extollit, jam quasi hominum excesserat metas, &c. Principatum Carthaginis vindicabat, &c. Denique in ore populi rarò est appellatus Episcopus, sed Donatus Carthaginis dicebatur.*

XXI. Non ferè poterat non accedere Episcopis cumulus quidam & apex civilis potestatis, ex quo statuerat Constantinus, ut qui in jus vocarentur, iis integrum esset recusato sæculari Judice ad Ecclesiasticum confugere, & Episcopos asciscere sibi judices. *Episcoporum sententiam ratam esse, & aliorum Judicum sententiis plus habere authoritatis, tanquam ab ipso Imperatore prolatam; atque Magistratus res judicatas reipsa exequerentur, militesque eorum voluntati inservirent.* Hæc Sozomenus. *L.1. c.9.* Hoc verò Edicto cum potestati Episcopali plurimum tributum sit, non aliud ferè tamen, quàm quod Paulus sanxerat, firmatum est, quod Episcoporum ipsa religio & dignitas longo jam sibi usu pepererat. Testatum quippe facit Gregorius Nyssenus in vita Gregorii Thaumaturgi, lites plebis suæ ipsum dirimere solitum, vel componere. *Ne temporulum quidem controversiarum aliud ullum judicium sibi magis ratum esse putabant, sed omnis quæstio, & explicatu difficilis negotiorum nexus, illius consiliis dirimebatur.* Queritur Gregorius Nazianzenus, quod Episcopi persæpè eligerentur ii, qui tuendis & protegendis populis accomodatiores essent, quàm propagandæ fidei & pietati: *Nec puros sacrificos, sed fortes; ac robustos defensores quærunt. Orat.32.* Poterat in eo esse nimium quid, quod meritò vituperaretur. Sed eximia tamen laude Synesius ornavit, *Epist.122.*, & coronis donavit Presbyteros Auxiditarum, eorumque Diaconum Faustum, qui inermes armatis se rusticorum turbis duces & antesignanos præbuerunt, adversùs Barbaros, quos & consertis manibus deleverunt, Clero tum obeunte vicem militum, qui in speluncas se montium abdiderant.

XXII. Quanta verò maxima erat hæc Præsulum temporalis potentia, nec manasse illa potuerat nisi ex pastorali diutina sollicitudine; nec pertinere nisi ad ejus uberiorem explicationem: non nescientibus Episcopis in Sacerdotio ipso esse imperium Imperio majus; Sacerdotes legis Mosaycæ servasse regnum, non usurpasse, Christum aufugisse, non ubi Crux, sed ubi regnum sibi despondebatur; Imperium sacerdotale pietate constare, virtutibus, lacrymis, oratione. Hęc Ambrosius, *Epist.35.*, quem tamen & populus ipsum & miles contutatus est, cum sævitura in ipsum videretur Imperatrix Ariana. *Veteri jure à Sacerdotibus donata imperia, non usurpata. Et vulgo dici, quòd Imperatores sacerdotium magis optaverint, quàm imperium Sacerdotes. Christus fugit, ne Rex fieret. Habemus tyrannidem nostram. Tyrannis Sacerdotis infirmitas est. Cum infirmor, inquit, tunc potens sum.*

CA-

CAPUT XXVII. *P.2.l.3.c.18.*

De Dominiis, Principatibus, Ducatibus Ecclesiæ datis, sæculo sexto, septimo, & octavo.

I. II. Temporalis Episcoporum potestas in Civitatibus & Provinciis Galliæ.

III. Civitas sub tutela Ecclesiæ.

IV. Ecclesiæ Turonensis jura & dominia in ipsam urbem.

V. VI. VII. Potestas civilis Papæ in Urbem & in Italiam. Exempla Gregorii Magni.

VIII. Tempore belli Episcopis mandata Civitatum defensio. Sollicitudines, vigiliæ, expensæ Pontificum ad Italiæ custodiam.

IX. Cum non essent tunc Comites & Duces, nisi Præfecti revocabiles, Episcopi partem habebant longè majorem civilis administrationis.

X. Sententia Cassiodori.

XI. Quorundam Angliæ Monachorum summa dominia.

XII. XIII. Episcoporum Orientis potentia temporalis.

XIV. Maximè verò Episcoporum Alexandriæ.

XV. Quæ Clericorum dominatio, & quàm abhorrens à sæculari.

XVI. Rursus Episcoporum Alexandriæ summa potestas.

XVII. Varia dominia Papæ collata.

I. IN Concilio Liptinensi anno 743. jussi sunt Episcopi prohibere, ne qun se quis idololatriæ piaculo contaminet, & ad id assequendum, adsciscere sibi Comitem, seu Præfectum loci, qui Ecclesiæ etiam Defensorem agit. *Decrevimus, ut secundùm Canones unusquisque Episcopus in sua Parochia sollicitudinem gerat, adjuvante Gravione, qui Defensor Ecclesiæ ejus est, ut populus Dei paganias non faciant, sed omnes spurcitias gentilitatis abjiciat. Can.5.* Non faciles ea res exitus habebat, nisi multa penes Episcopum esset potestas civilis. Ideo & Comes opitulabatur Episcopo, qui caput erat & dux executionis.

II. Dum Aurelianensem obsidione cingeret urbem, qui Flagellum Dei dictus est Attila, convenit ad B. Anianum urbis Episcopum plebs universa; ut ab eo edíscerent, quid optimum factu foret. *Cumque inclusi populi suo Pontifici, quid agerent, acclamarent.* Perrexerat jam antè Anianus Arelatem ad Ætium Galliarum Præfectum, opem orans civitati suæ jam periclitanti: *Ad Ætium Arelatem abierat priùs, suspectus futuri.* Precibus sanctissimi Episcopi accelerata sunt auxilia, & soluta est urbis obsidio. De gratia & authoritate, qua florebant apud Reges Episcopi, alibi disseruimus. Idem porro Gregorius Turonensis ex quo, *L.2. c.7.*, hæc libata sunt, narrat alio loco ut Rex Guntramnus simultatibus cum Rege Sigeberto susceptis, Lutetiam congregarit omnes Regni Episcopos, quò exorientis inter utrumque belli flammas restinguerent. *Guntramnus Rex apud Parisios omnes Regni sui Episcopos congregat, ut inter utrosque, quid veritas haberet, edicerent. L.4. c.47.*

III. Ex hac Regum populorumque summa in Episcopos observantia, ex ipsis Episcoporum magni plerumque momenti officiis etiam in rebus civilibus, non poterat non aliquando existere causa & necessitas, quæ Episcopos ipsos aliquantulæ Civitatum & Provinciarum administrationi temporali innecteret. Agit idem Gregorius de urbe, quæ sub Ecclesiæ tuitione conquiescebat. *Erat tunc temporis in urbe, quæ sub tuitione matris Ecclesiæ habebatur, homo quidam, qui, &c. De Mirac. Sancti Martini L.3. c.14.* Peropportuna erat vox tuitionis, ut innueretur, quàm abhorreret Ecclesia à temporalis dominationis fastu, ut quæ dominari nolit, vel nonnisi ad tuitionem dominetur.

IV. Ecclesiæ Turonensi concessit Dagobertus I. Rex jura omnia fisci, censum, & quidquid ea ex urbe exigebatur: quin & Episcopo copiam fecit instituendi Comitis, seu Præfecti; Idoneus testis id confirmat Beatus Audoenus, in vita Sancti Eligii Episcopi Noviomensis, cujus hortatu Rex Ecclesiam Turonensem amplissimo hoc ornavit privilegio. *Pro reverentia sancti Confessoris Martini, Eligio rogante, censum omnem, qui fisco solvebatur, Dagobertus Rex illi Ecclesiæ ex toto condonavit, scriptoque confirmavit. Atque ab eo tempore, omne jus fiscalis census Ecclesia sibi vendicat, & usque in præsens in eadem urbe per Pontificis literas Comes instituitur. Du Chesne. Tom.1. pag.630. Vita Sancti Eligii L.1. c.32. Spicileg. Tom.5. p.184.* Expressissima ea sunt argumenta & insignia Dominii & Principatus temporalis, jura eadem exigere, quæ Rex exigebat, & authoritate propria Magistratum instituere civilem.

Remensis civitatis portas recludere abnuit Beatus Rigobertus Carolo Martello, tum adventanti cum exercitu, & Raginfredum æmulum insequenti: certus ei aperire, qui victoriam reportasset. Hinc in eum Caroli ira conflagravit. Sed hinc perspicis, quanta polleret Episcopus in eam Civitatem potestate. Diximus jam alibi de privilegiis, quæ à Regibus indulta fuere Archiepiscopis Rotomagensibus, Episcopis Cenomanensibus, ut ab iis eligi & institui possent Duces, Comites, & Judices Regii earum regionum. *Baron. ann.717. n.6. 7.* Neminem præterit, non mediocrem eam fuisse Dominii temporalis participationem. Retulimus & immunitatum Regiarum diplomata, quibus Judices & Ministri quilibet Regii prohibebantur, quidquam exercere jurisdictionis in Episcopi cujuspiam, vel Abbatis territorio; quod non alia ibi jurisdictio exeri posset, quàm Ecclesiastica. A Rege Theodorico III. data est Episcopis Cenomanensibus potestas cudendæ monetæ. Sunt & privilegia, ubi vindicta criminum Capitalium Officialibus reservatur Cœnobii Puellarum. Ejusmodi fuit illud Abbatiæ apud Moguntiam. *Si quis illorum homicidium, furtum, rapinam, aut aliquam aliam culpam commiserit, vel aliquis de extraneis malefactor, qui talia fecerit, aream in illam fugiens, se receperit, non Judicum, aut Principum urbanorum, verùm ejusmodi loci Rectorum judicio consendus assistat. Le Cointe. Anno 685. n.50. Ann. 734. n.6.*

V. Suberat Urbs Roma potentiæ temporali Imperatorum Orientis, uti & Italia universa. Et nihilo tamen minùs certissimè affirmat Anastasius Bibliothecarius, à Gregorio Papa subductam fuisse Romam, Italiam, & Occidentem universum potestati Imperatoris hæresiarchæ, Leonis Isaurici. *In seniore Roma Gregorius sacratissimus vir Apostolicus, & Petri verticis Apostolorum consessor, verbo & actu coruscans, qui removit Romam & Italiam, nec non & omnia tam Reipublicæ, quàm Ecclesiæ jura in Hesperiis ab obedientia Leonis & Imperii sub ipso constituti.* Nec aliter Theophanes. *Italiæ ac Romæ tributa ad ipsum deferenda prohibuit.* Et infrà: *Romam, Italiam, totumque Occidentem à Leonis obedientia tam civili, quàm Ecclesiastica, & ab ejus Imperio subtraxit.* Non quod Romæ tunc Papa dominaretur, aut Italiæ, ne dum Occidenti: sed ea erant in eum Reges, populique observantia,

tia,

tia, ut facilè in eam se partem darent, in quam ille propenderet.

VI. Vix occurrere animo, vix fingi quisquam possit, ab implicamentis sæcularibus, & à ludicro dignitatum terrenarum fastu alienior Gregorio Magno. Et confitetur ille tamen optimos quosque Episcopos, ex officio ipso suo, & instinctu charitatis cogi tam altè immergere se in administrationem rerum civilium & temporalium, ut vel ipsimet quandoque addubitent, Episcopi personam, an Domini temporalis partes sustineant. *Hoc in loco quisquis Pastor dicitur, curis exterioribus graviter occupatur, ita ut sæpè incertum fiat, utrum Pastoris officium, an terreni Proceris agat. Et quidem quisquis regendis fratribus præest, vacare funditus à curis exterioribus non potest, sed tamen curandum magnopere est, ne ab his immoderatè deprimatur. L.1. Ep.24.* Hinc ejus lacrymæ in suam ad Pontificatûs culmen promotionem, quæ dejectio potius illi videri solebat in tumultuosas sæculi sollicitudines. *Plangite, quia hic hujus mundi tanta occupationes sunt, ut Episcopatus ordine pene ab amore Dei me videam esse separatum. L.1. c.29.* Pondus illi maximè incumbebat omnium cum Longobardis dissensionum, & tuitionis Urbis adversùs eorum insidias. *Sicut peccata mea merebantur, non Romanorum, sed Longobardorum Episcopus factus sum. L.5. Ep.30.* Pacem cum illis inierat æquissimis conditionibus, & Imperio conducibilibus. Postquam ea soluta fuit, convitiis proscindi cœpit, quòd annonam non satis copiosam in Urbe recondidisset; quam calumniam ille à se absterfit, quòd nimirum ante communuisset non posse diu in urbe Roma incorrupta servari frumenta. *L.3. Epist.35. Ubi pax sublata est, quam cum Longobardis in Thuscia positis, sine ullo Reipublicæ dispendio feceram, &c. Quæsitum est unde culpabiles videremur, videlicet cur frumenta desæviant, quæ in hac urbe diu multa servari nullatenus possunt, sicut in alia suggestione plenius indicavi.* Si quem penes fuisset dominatio temporalis Romæ & Italiæ, non crebriores illum gravioresque distrinxissent curæ, ac sollicitudines eius tuendæ, quàm Pastorem hunc Sanctissimum Ecclesiæ universæ. *Et uno tempore curam Episcoporum, atque Clericorum, Monasteriorum quoque & populi gerere, contra hostium insidias sollicitum vigilare, contra ducum fallacias atque malitias suspectum semper existere, cujus laboris, cujus doloris sit, vestra fraternitas pensat. L.4. Ep.35.* Vi & sagacitate mira animi erat Gregorius, sed fide & pietate stupenda. Fuit unde illi gratias hinc haberent Longobardi, quibus brevi nec caput superfuisset, nec Rex ullus, si cædi & internecioni hominum assentiri potuisset Gregorius. *Si in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset divisa. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido. L.7. Epist.5.*

VII. Suspicari & id posset quis ex aliis ejusdem Papæ Epistolis, penes eum fuisse Principatum & Dominium quarundam Italię Urbium. Scripsit enim *Clero, Ordini, & Plebi* Nepiensi, Leontium à se ad eos mitti, qui eorum civitatem curaret, regeretque: siquid in eum contumacia, vel contemptu peccaretur, id in se, & in Apostolicam sedem redundaturum. *Leontio curam sollicitudinemque civitatis injunximus: ut in cunctis invigilans, quæ ad utilitatem vestram vel Reipublicæ pertinere dignoscet, ipse disponat, &c. Quisquis congrua ejus ordinationi restiterit, nostræ resultare dispositioni cognoscetur. L.2. Ep.8.* Constantium Tribunum misit, qui regeret & defenderet Neapolin, nec multò post gratulatus est militi per literas, quod tam expediti & alacres Tribuno obtemperassent. *Sicut & nunc devotionem vestram fecisse didicimus, quæ Epistolis nostris, quibus magnificum virum Constantium Tribunum custodiæ civitatis deputavimus præesse, paruit, & congruam militaris devotionis obedientiam demonstravit. L.12. Ep.24.*

VIII. Quod ad murorum verò urbis custodiam spectat, dum bellum, dum necessitas urget, eam Episcopis diligentissimè commendavit Gregorius, nequis immunitates & privilegia Ecclesiæ hic ulla prætexeret. *Quia verò comperimus multos se à murorum vigiliis excusare, sit fraternitas vestra sollicita, ut nullum neque per nostrum, vel Ecclesiæ nomen, aut qualibet alio modo defendi à vigiliis patiatur, sed omnes generaliter compellantur, &c. L.7. Ep. 20. Ibid.5.* Id ipsum commendavit Archiepiscopo Calaritano. *Murorum vigilias & sollicitudinem in locis facilè omnibus adhiberi.* Jussit & communiri urbes, & in eas invehi copias ad obsidionem, si fors ferat, abundantes. *Longobardorum Rex pacem non faciet. Ideo necesse est, ut fraternitas vestra, dum licet, civitatem suam, vel alia loca fortius muniri provideat, atque immineat, ut abundanter in eis condita procurentur, quatenus hostis non inveniat, quod lædat, sed confusus abscedat. L.7. Ep.25. Ibid.2.* Nec harum expertes molestiarum erant Episcopi Orientis. Cum urgeret enim Imperator gradus dejici Episcopum Primæ Justinianæ, quod acerbissimo capitis dolore ita torqueretur, ut ad urbis defensionem contra imminentes hostes animum advertere non posset: *Ne forte dum Episcopi jura civitas non habet, quod absit, civitas pereat.* Consultius dixit Gregorius, *L. 9. Ep.41.*, convenienter canonicis regulis, Coadjutorem illi dari, qui functiones tum aliàs obiret, tum custodiendæ urbis. *Ac in custodia civitatis implere, &c. Ne civitas videatur esse neglecta, &c. L.4. Ep.34.* Affirmat denique sanctissimus Pontifex se esse velut Quæstorem Imperatoris, ut ex fisco Ecclesiæ expensas faciat omnes ad tuitionem Urbis necessarias, cum eam undique circumcursarent, & impugnarent Longobardi. *Sicut in Ravenna partibus Dominorum pietas apud primum exercitum Italiæ Sacellarium habet, qui causis supervenientibus quotidianas expensas faciat, ita & in hac urbe in causis talibus Sacellarius eorum ego sum. Baron. ann.603. n.21.*

Dixi de Tribuno, quem Neapolin misit Gregorius, ut urbem eam defensaret, cui hostes undique imminebant. Usque adeo verò Exercitus Italię insueverant Romanos Pontifices revereri, ut quando Justinianus II. Sergium Papam anno 692. jussit Constantinopolin vi abstrahi, intercesserit exercitus, & Pontificem defensarit. Joanni VI. Papę successori ejus affuit etiam exercitus anno 705. adversùs Ravennę Exarchum. Sisinnius quamvis brevissimi Pontificatûs usuram nactus, in restaurandis urbis Romæ muris plurimum operæ & studii consumpsit. *Baron. ann. 708. n.1.* Regebant tunc urbem Romam Imperatores per Duces, qui ubi hæreticarum erant partium, tumultuabatur non rarò plebs: nec harum dissensionum opportunior quisquam arbiter & paciarius, quàm Pontifex. Cum primum classicum cecinere Imperatores Constantinopolitani adversùs Ecclesiæ fidem, & adversùs Sacras Imagines, in eos insurrexere Italiæ Exercitus, qui & alium sibi jam tum Imperatorem delegissent, nisi Gregorius II. Papa à sententia illos avocasset. *Idem anno 755. n.12.* Datæ sunt & ab eodem tunc litteræ ad Ducem Venetiarum, quò eum à fide & amicitia Imperatoris divelli prohiberet. Adeo non parem beneficii vicem rependebat Imperator, ut præcepta ab eo crebra manarint de abducendo Constantinopolin Papa, vel obtruncando. Tum Longobardi & Exercitus Romani palam suffragari

Pon-

Pontifici, cujus una maximè cura insidebat interim animo, ne alius crearetur Imperator. *Idem anno 726. n.25. 26. 27. 32. &c.* Audiendus de his Anastasius Bibliothecarius: *Cognita Imperatoris nequitia omnis Italia consilium iniit, ut sibi eligerent Imperatorem & ducerent Constantinopolim. Sed compescuit tale consilium Pontifex, sperans conversionem Principis. Baron. an.732. n.2.* Fundos terrasque Siciliæ & Calabriæ, quæ Patrimonium Apostolorum dicebantur, ditioni suæ & fisco Imperator vindicavit: *Ea verò quæ dicuntur patrimonia Sanctorum Principum Apostolorum, quæ olim Ecclesiis auri dimidium, & tria conferebant argenti talenta, publicæ rationi exolvi præcepit.* Cumque Gregorio II. successor datus esset Zacharias, non minora ejus fuere potestatis documenta, in civitates & regiones Italiæ, quæ paulatim insuescebant Pontificiæ subesse dominationi. Cum invasisset Luitprandus quatuor urbes Ducatûs Romani, illum oratione & eloquentia quadam Apostolica ita nudus & inermis Pontifex labefactavit, ut eas protinus restituerit. *Baron. an.741. n.13. 742. n.32.* Verùm eas Luitprandus Ecclesiæ Romanæ dono dedit, sicut & terras complures alias, quas in eam jamdiu usurpaverant Longobardi, ut infrà hoc ipso capite dicetur. Anno 705. Rachis Longobardorum Rex Perusiam, aliasque Pentaboleon urbes oppugnare cœpit. *Baron. ann.750. n.2.* Advolavit Zacharias, & solo Verbi divini & omnipotentis mucrone succinctus, obsidionem solvere compulit, ipsummet exarmavit, expugnavitque, eò tandem adductum, ut regno se fastuque sæculi abdicaret, & in Cœnobio Monasticam vitam profiteretur. His caussis mollissimis blandissimisque pelliciebantur Regiones Italiæ, ut jugo Pontificiæ dominationis paulatim & lubentissimè succederent. His adde incuriam Imperatorum in muniendis tuendisque Imperii Provinciis in Italia; adde & antiquæ Ecclesiarum fidei interpolationes; cum ex adverso Pontifices & antiquam fidem invictissimè tuerentur, & defensandis Italiæ urbibus ac Provinciis non studio, non labore, non expensis, non ulla denique re deessent. Primus omnium dolens vehementissimè dixerat Gregorius. *L.1. Ep.30. Non Romanorum, sed Longobardorum Episcopus factus sum.* Hoc & successoribus ejus usque ad Pipini & Caroli Magni tempora aptari æquè poterat, quòd eorum maximè cura & impendio staret, quidquid restabat adhuc Romani Imperii in Italia.

IX. Certissimè enim vel accisæ & exhaustæ Imperii vires, vel Imperatorum supinitas ac socordia Episcopos cogebant his se curis implicare, ut veluti Duces & Comites agerent, Præsidesque civitatum & Provinciarum. Pastorali sollicitudine stimulabantur ad temporales etiam curas fovendi servandique gregis; cum is, quibus ea mandata erat provincia, aut ignavia, aut virium penuria officio deerat. Patuit suprà non gravatè Imperatores tulisse, ut intervenirent Episcopi in urbium tutelam & defensionem. Jam ergo ambiget nemo, quin hac ipsa tempestate, qua Comites Ducesque brevem tantùm & revocabilem nanciscebantur civitatum & regionum administrationem, ejus potestatis pars non modica ad Episcopos devolveretur.

X. Appositissimè in hanc sententiam Cassiodorus ad Joannem Papam perscribebat, cum Pastor esset universalis, universi quoque orbis Christiani saluti imminere ipsum debere: cum gregis sui essent corpora & animæ, essent spiritales temporalesque necessitates, bipertiendas quoque esse Pastoris curas, ne qua ex parte gregi suo abesset. *Vos enim speculatores Christiano populo præsidetis: vos Patris nomine universa diligitis. Securitas ergo plebis ad vestram respicit famam, cui divinitus est commissa custodia. Quapropter nos decet custodire aliqua, sed vos omnia. Pascitis quidem spiritualiter commissum vobis gregem, tamen nec ista potestis negligere, quæ corporis videatur substantiam continere. Nam sicut homo constat ex dualitate, ita boni Patris est utraque refovere. L.15. c.2.* Missas facio & alias Cassiodori ejusdem Epistolas, *L.10. Ep.19. 20.*, quibus planum est, non Romæ tantùm, sed & in omni Gotthorum Regno multum tributum esse potestatis Romano Pontifici, quandocumque res tractabantur graviores. Mitto & Epistolas Symmachi *Pap. Epist.7.*

XI. Perillustri Beda docebit nos exemplo, quàm ultro, & ipsius sponte naturæ Reges populique administrationes urbium illis committerent, à quibus prima hauserant Religionis lumina, & ejus cælestis sapientiæ decreta, quibus attemperandæ sunt non privatæ res tantùm, sed & publicæ. Agit ille de Monasterio sanctissimi viri Aidani, cui concesserant Picti, non Insulæ tantùm dominium, cui illud erat inædificatum, sed universalem etiam quandam dominationem in omnes Septentrionales Gentes Pictorum atque Scotorum. *Nam Monachi erant maximè, qui ad prædicandum venerant. Monachus ipse Episcopus Aidanus, utpote insula, quæ vocatur Hydesti, natus; cujus Monasterium in cunctis pene Septentrionalium Scotorum, & omnium Pictorum Monasteriis non parvo tempore arcem tenebat, regendisque eorum populis præerat. Quæ videlicet insula ad jus quidem Britanniæ pertinet, non magno ab ea freto discreta, sed donatione Pictorum, qui illas Britanniæ plagas incolunt, jam dudum Monachis Scotorum tradita eò, quod illis prædicantibus fidem Christi perceperunt. L.3. c.3.* Idem perhibet Beda de B. Columbano, & de Monasterio quod ab eo extructum est *Baron. an.565. n.31. 32.*

XII. In Oriente copiosè jam satis diximus de potestate eximia Episcopi Alexandrini. Narrat Liberatus, ut Proterius Patriarcha ad propulsandas inimicorum insidias, satellites sibi adsciverit. *Multa pericula Proterius passus est, ita ut militari pro custodia indigeret auxilio, plurimo tempore sui Pontificatûs. Breviarii c.25.*

XIII. Erant citra dubium urbes in potestate Regum & Imperatorum, ut patet ex Concilio V. Oecumenico, ubi hoc ipsum Episcopi testificantur in subscriptionibus Epistolarum, quas ad Imperatores dabant. *Humiles Episcopi vestræ Celsæum Provinciæ, &c. Joannes Episcopus vestræ Justinianopolitanæ Metropolis. Thomas Episcopus vestræ Ægeæ civitatis, &c. Collat.6.* Et ex Concilio VI. ubi recitata est Epistola Agathonis Papæ ad Imperatorem, idem profitentis: *Concilium, quod in hanc Romanam urbem, servilem vestri Christianissimi Imperii convenit, &c. Act.4.*

XIV. Sed nihilo tamen minus Episcopi sub Imperatorum tuitione potestatem sortiebantur in temporalibus oppidò ingentem. Primitias Pontificatûs sui dedicavit Joannes Patriarcha Alexandrinus, Eleemosynarius dictus, reformandis ponderibus & mensuris, indicta mulcta bonorum omnium in pauperes distribuendorum. *Universas facultates suas indigentibus non volens sine mercede apponet. Cap.3. ejus vitæ.* Ministrorum ibi turba erat ingens, ad urbis Alexandrinæ administrandam politiam. *Oeconomos, Cancellarios, & reliquos, quibus erat dispositio civitatis credita, mittens. Cap.34.* His ministris facultas erat noxios in carceres conjiciendi, & rebus omnibus spoliandi, ut ex impostore evicit, quem pius tamen postea Episcopus voluit relaxari. *Quæsierunt itaque Ecclesiæ Pastores, & ordinatores, ut in carcerem hunc mitterent, & publicarent ejus substantiam.*

XV. Nec me fallit hanc Episcoporum dominationem, potestatemque temporalem, uti & Cleri-

co-

corum, ac Monachorum, charitate magis & consulendi humilitate conditam fuisse, quàm ejus dominationis imperiosa fiducia, quæ hominum carnalium mentes occupavit. Sed si percontemur, non Evangelicam dicam legem, sed eam, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, illam, quæ omnium mentibus inscripta est, tantò verior certiorque est dominatio, quantò modestior temperatiorque; eaque quantò superiùs Clerici abuterentur, tantò plus de splendore & gloria, ac vi ejus decerperent. Si intra eos limites se Clerici continuerunt, ut prodessent magis, quàm præessent, & consulendi potiùs charitate, quàm imperandi libidine dominarentur: gratulandum illis fuit, qui tam necessario humanum genus imbuerent documento, qua ratione homo hominibus, par paribus dominari debeat. Ejusmodi fuere olim Reges, iidemque Pastores populorum, qui nec forsan imperiosiùs agere cœperunt, nisi ubi inexpugnabilis alioqui subditorum improbitas vel sic edomanda fuit. Idem enim ipse cœli terræque Rex & Dominus gladio Reges instruxit, Sacerdotes interdixit: ut suavitate & indulgentia Sacerdotes suum delinirent Imperium, Reges verò ubi opus esset, tela exererent ultricis ejus justitiæ, cujus Vicarii sunt, & qui in Scripturis prædicatur, *Deus ultionum Dominus.*

XVI. Refert Liberatus à Justiniano Imperatore concessam esse Paulo Patriarchæ Alexandrino, anno 537. summam quandam in Præsides Ægypti potestatem, & in Exercitus Officiales omnes, ut gradu ejiceret, si qui eorum hæretico afflati essent contagio, & Catholicos subrogaret. *Accepit ab Imperatore potestatem super ordinationem Ducum & Tribunorum, ut removeret Hæreticos, & pro eis Orthodoxos ordinaret. Qui Alexandriam descendens timore sui, suaque industria adduxerat suscipere Concilium Calchedonense, nisi &c. Baron. ann.537. n.14.*

XVII. Suo infrà loco aperiemus fontes, ex quibus influxerunt in Ecclesiæ Romanæ patrimonium tot Principatus. Hic cursim perstringam donationes quasdam Regum Longobardorum. Paulus Diaconus & Anastasius Bibliothecarius authores sunt, Aripertum Longobardorum Regem anno 704. dedisse Ecclesiæ Romanæ patrimonium Alpium Cottiarum, aut potius restituisse; illud enim prius in eam occupaverant Longobardi. *Donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quæ quondam ad jus pertinuerat Apostolicæ Sedis, sed à Longobardis multo tempore fuerant ablata, restituit.* Paucis post annis confirmata est à Luitprando Rege ea donatio. Eo patrimonio continebatur Genua, & tota ejus ora maritima, usque ad fines Galliæ. Pœnituit Luitprandum ejus doni, sed laudabilius eum rursus hujus pœnitentiæ suæ pœnituit: unde rursus eadem donatione anno 715. Gregorium II. Papam colere studuit & demereri, *Baron. ann.704. n.1. 712. n.8. 715. n.6.* Idem ipse Rex quatuor cum involasset urbes Ducatûs Romani, à Zacharia Papa adductus tandem est, ut eas restitueret anno 742. Sed eas Rex urbes maluit Romanæ donare Ecclesiæ, uti & alias urbes ditionesque complures, quos ei quondam abstraxerant Longobardi. *Baron. an.742.* Ita enim Anastasius Bibliotecarius. *Quatuor civitates redonavit in Oratorio Salvatoris, intra Basilicam Sancti Petri. Nam & Sutrinense patrimonium, quod per annos ferè triginta fuerat ablatum, atque Narniense & Auximanum, atque Anconitanum, nec non, &c. Perdonationis titulum ipsi Beato Petro Apostolorum Principi reconcessit.* Hæc exordia fuere donationum, quibus Pipinus & Carolus Magnus multò uberiores accumulavere, ut infrà dicemus.

CAPUT XXVIII. *P.3. l.3. c.16.*

De Ducatibus, Comitatibus, aliisque Principatibus Ecclesiæ datis sub Imperio Caroli Magni.

I. Erant Ecclesia Dominiis summo jure instructa.
II. Jus cudendæ monetæ.
III. Comitatus Ecclesia dati.
IV. Tuitio ab Episcopis diu impensa, aditum straverat ad dominium & principatum.
V. Cum præsidibus conspirabant Prælati ad regimen Provinciarum & urbium.
VI. Jubebat Rex, ut jus dicerent subditis.
VII. Sub Carolo Calvo, qui hactenus temporarii fuerant & revocabiles Duces, Comitesque, perpetui esse cœperunt.
VIII. Prælati omnes, qui subditos suos Beneficii donabant, & militares hinc copias ad exercitum Regium mittebant, aut ductabant, ii dominio utique fruebantur temporali.
IX. Fuere & Episcopis Italia dominia temporalia.
X. Hauc media tempestate nihil ejusmodi fuit in Oriente.

I. SEriùs Ecclesiæ collata sunt ingentia hæc dominia, Ducatus & Comitatus; illud in causa fuit, ut tardiùs ad ea accederemus. Sub Pipino Rege Concilii decreto sancitum est, *Conc. Gall. Tom.2. pag.6.*, ut domini omnes terrarum, Clerici, Laicique, jus dicerent suis ne illi ad Aulam ventitantes, aures Principis occupatissimas obtunderent, nisi ubi jus dicere recusarent, qui ex officio deberent, aut ubi provocaretur. *Ut omnes justitias faciant, tam publici, quàm Ecclesiastici. Capit. Car. Mag. l.5. c.14. 15.* Erant ergo Clericis dominia, cum potestate explicandæ justitiæ, & legum vindictæ, unde ad Palatium posset appellari.

Concilium VI. Parisiense anni 629. supremam Principis potestatem interpellavit adversùs Episcopos, Comites & Prælatos, qui pretium definiebant frumenti & vini inter subditos suos, cogebantque vili sibi vendere, quod magno & ipsi aliis vendidissent, & alii alibi tum venderent. *Non solùm rumore, sed etiam venerabilium virorum relatu comperimus, quod in quibusdam Occidentalibus Provinciis suadente avaritia, Episcopi & Comites, & cæteri Prælati, pauperibus suis subjectis soleant edictum imponere, ut nullus illorum tempore messis modium frumenti, nec tempore vindemiæ modium vini, majore pretio, nisi quod ab eis constituitur, vendere præsumant. Quod si quispiam illorum facere præsumpserit, & paupertati suæ magnam jacturam patitur, insuper etiam acribus verberibus flagellatur. Unde fit, ut cum aliis modius frumenti duodecim denariis, & modius vini viginti denariis venundari possit; hujusecmodi Seniores modium frumenti ad quatuor, & modium vini ad sex sibi extorqueant denarios. Can.52.*

Perspicuum hîc est, hos Episcopos, Prælatosque alios, verè temporales fuisse dominos, *Seniores*, & jure plurimo usos esse dominii, sed modum in eo tenendum fuisse; ideoque non ut hi factitabant, tertia parte justi pretii, aut ne tertia quidem, emi potuisse merces quaslibet. Opem Principis appellat Concilium, quò injuriæ licentia comprimatur, de legitima nihil circumcidatur potestate. *Quatenus pauperibus libertas tribuatur, redditis Senioribus suis,*

qua

quæ justè reddendâ fuat; reliqua, quæ sibi supersunt, liceat aliis, prout pactio vendentis & ementis grata fuerit, absque prohibitione Seniorum suorum distrahere. Ita in dubium verti non potest, quin domini ingentium prædiorum ea quandoque Ecclesiis contulerint cum jure & potestate omni; aut ipsimet forsan ad Prælaturas adsciti, mutua beneficentia Ecclesias suas locupletarint.

Si qua Helmodo fides, præ cæteris Ludovicus Pius immensis Ecclesias cumulavit opibus, Principatusque Episcopis addidit, ut terrenæ potestates ad cælestium normam moderarentur. Sic enim ille in Chronico Slavorum. *L.1. c.4. Qui paternis per omnia votis concordans, eadem liberalitate, qua pater ejus erga cultum domûs Dei & omnem Clerum usus est, amplissimas regni divitias ad decorem & gloriam Ecclesiæ intorquens, in tantum, ut Episcopos, qui propter animarum regimen Principes sunt cæli, ipse eosdem nihilominus Principes efficeret Regni.* Cum Ecclesiarum & numerus & amplitudo atque opulentia latiùs se effunderet sub Ludovico Pio, quàm sub Carolo Magno, hinc Helmodus auguratus est ducem & principem præisse Ludovicum Pium in donandis Ecclesiæ Principatibus. Sed nec ille dissimulat, in parentis vestigia ingressum fuisse Ludovicum, quem alii Historici eadem munificentia testantur prosecutum esse Episcopos Ecclesiæ Gallicanæ.

Si ea Carolus Magnus sapientia & largitate Imperium confirmaverat; eadem successores ejus non confirmare tantùm & munire Ecclesiam studuerunt adversùs exteras Gentes, aut à fide alienas, aut in fide parum constantes, sed ulteriùs etiam propagare. Id paulò post testatum facit Helmodus idem, ubi de mira differit Episcoporum Aldeburgensium munificentia in Principes Barbaros, qui hac inescabantur illecebra. Ideo & Otto Imperator regionem illam his Præsulibus vectigalem esse voluerat. *Fuerunt præterea Aldeburgenses Pontifices admodum honorabiles erga Regulos Slavorum eo, quod munificentia Magni Principis Ottonis cumulati essent temporalium rerum affluentia, unde possent copiosè largiri, & favorem sibi populi conciscere. Dabatur autem Pontifici annuum de omni Vagirorum, sive Obotritorum terra tributum, quod scilicet pro decima imputabatur, de quolibet aratro mensura grani, & quadraginta resticuli lini, & duodecim nummi puri argenti. Ibid. c.12.* Habes hîc censum, & alia jura dominorum temporalium. Unvanus magni nominis Archiepiscopus Hamburgensis opportunis largitionibus suis Saxoniæ Ducem ex inimico Ecclesiæ & Imperii utrique amicum præstitit & addictissimum. *Ut propter sapientiam & liberalitatem Episcopi, cogeretur ipse Dux Ecclesiæ, cui antea adversatus est, deinceps benignus esse in omnibus. Ibidem c.17.*

II. Inter dominationis insignia non immeritò recensetur jus cudendæ monetæ. Atqui ex Charta Hervæi Augustodunensis Episcopi paulò post annum 900. edifcimus, id eum juris in Capitulum suum transtulisse, cum illud assecutus esset à prædecessore suo Beato Leodegario, qui & ipse illud ab usurpatoribus quibusdam recuperaverat, confirmarique Ecclesiæ fecerat à Rege & Richardo Duce. *Monetam verò, quam idem Pater à prolibata sua Ecclesia olim fuisse subtractam didicerat, & interventu domni Richardi piissimi Ducis, per Regium præceptum receperat & hujusmodi officiis, unà cum dispositis quarundam festivitatum luminariis aptari decreverat, in eadem nos dispositione servituram delegavimus. Conc. Gall. Tom.3. pag.152.*

III. Artaldum Remensem Archiepiscopum fidem facit Flodoardus in Chronico ad annum 940. à Rege Ludovico Ultramarino donatum fuisse jure cudendæ monetæ, ad successores etiam manaturo. *Dedit Rex Artaldo Episcopo, ac per eum Ecclesiæ Remensi, per præceptionis Regiæ paginam, Remensis urbis monetam, jure perpetuo possidendam.* Addit porro idem Scriptor Comitatu etiam Remensi donatum ab eodem Rege fuisse Artaldum, successoresque omnes. *Sed & omnem Comitatum Remensem eidem contulit Ecclesiæ. Hist. Rem. L.4. c.27.* Ex Chronico Centulæ alibi ostendimus Abbates ejus loci, qui & Sancti Richarii dicuntur, Comites semper fuisse & Præsides ejus regionis. Illud quoque ex doctorum virorum consensione observavimus, promiscuos tunc fuisse Comitum, Ducumque titulos. Convenit etiam Comitatus & Ducatus olim ad tempus & ad nutum Principis datos fuisse. At ubi Rex Comitatu Remensi donavit Archiepiscopum, perpetuò utique donavit, cum donarit Ecclesiam. *Comitatum Remensem eidem Ecclesiæ contulit.* Itaque Comitatus ille, sive Ducatus titulo tunc & jure perpetuo ei affixus est Ecclesiæ, cum indiscriminatim adhuc Ducatus haberentur & Comitatus. Alii Comitatus, aut Ducatus non multò post perpetui & ipsi, atque hæreditarii evasere.

IV. Sed & ante has Regum peculiares concessiones, in Civitatum civili & militari administratione plurimum jam Episcopis tribuebatur. Cum Normanni Lutetiam circumvallassent, Gauzelinus Parisiensis Episcopus cum eorum Rege de pace egit, obsidionemque solvi compulit. Post ejus mortem iterata est à Normannis obsidio, & eò advolans Carolus Crassus, nonnisi repræsentata ingenti pecunia infestissimos hostes amoliri potuit. *Gauzelinus Episcopus, dum populum sibi commissum juvare vellet, cum Sigefrido Normannorum Rege amicitiam firmavit, ac per hoc Civitas ab obsidione liberatur. Du Chesne Tom.2. pag.528.* Eodem anno obsessa est ab iisdem Agendicum Senonum Metropolis, Everardus Archiepiscopus cum iis collocutus, pervicit ut ab urbe recederent. *Senonas Civitatem obsederunt, sed Evrardus Archiepiscopus ipsius Civitatis, statim cum eis de ereptione Civitatis agere cœpit, & obtinuit quod voluit. Flodoard. L.2. c.12.* Perstrinximus jam alibi superius exempla id genus non pauca, nec siluimus illud Rigoberti Remensis Archiepiscopi. Ex his porro illud profectò concluditur, aut à Regibus accepisse Episcopos temporale regimen Civitatum; aut quod multò verisimilius, vel frequentius. Episcopos ipsa paterna sua & pastorali sollicitudine in populorum Civitatumque salutem semper excubante & indefessa, quarum tutores & defensores tandiu fuerant, evasisse aliquando tandem dominos, paterna quidem, non herili dominatione.

V. Adde & Episcopis & Abbatibus connitendum & collaborandum fuisse cum Comitibus ad pacem & Majestatem Imperii Gallicani propugnandam; cum essent eis, ut & Comitibus terræ, Feuda, Vassalli, Milites. Temporalis hæc omnino sunt dominii insignia. Vide ut in commune omnes incenderet & adhortaretur Carolus Calvus ad communis Reipublicæ defensionem, quæ Ecclesiam & Regnum complecteretur. *Ut Episcopi, atque Abbates & Comites ac Vassi nostri, ac omnes fideles laici, concordi dilectione & unanimi voluntate, ad Dei & Sanctæ Ecclesiæ, ac nostrum & Regni nostri honorem, statum, atque communem nostram salvationem, absque contentione communiter decertare procurent. Capitul. Car. Calv. pag.367. 369.*

VI. Jussi sunt ab hoc eodem Rege Episcopi, Abbates, Abbatissæ, non aliter, quàm Comites, clientibus ut & subditis suis jus singuli dicerent, sicut & Majores sui eorum Majoribus dixissent, alioquin eorum se querelis faciles aures accommodaturum. *Volumus, atque jubemus, ut Vassalli Episcoporum, Abbatum & Abbatissarum atque Comitum*

tum & Vassorum nostrorum talem legem & justitiam apud Seniores suos habeant, sicut eorum antecessores apud illorum Seniores tempore antecessorum habuerunt. Verè ergo Episcopi & Abbates temporali potiebantur ditione; & qui eis obnoxii erant, non confugiebant ad Regem, nisi ubi vel appellatum esset, vel jus sibi non diceretur.

VII. Non erit quod nos diverticuli pœniteat, si ex occasione gemini huius Capitularis Caroli Calvi advertamus, cœpisse tunc, vel non multò antè Comites suos sibi perpetuos adserere Comitatus, & ad hæredes etiam traducere. Unum illud hic urgebo, quòd perpetui evaserint. *Seniores* hic vocantur, hoc est, domini. Suos sibi Vassos habent. Eadem hic in classe locantur, atque Episcopi & Abbates, qui domini potius erant perpetui, quàm temporarii Præsides. Adde quod Vassis Regiis adgregantur, *Vassi nostri*. Atqui Vassi, qui feuda quæpiam & beneficia à Rege obtinebant, domini erant utique locorum, non Præsides. Denique Vassorum Regiorum, Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum dominium erat perpetuum, ut gradu excuti nunquam possent, nisi Canonico Judicio, aut civili. Ergo non aliam fuisse Comitum rationem augurandum est.

Tunc inolevit ille etiam usus, ut Comitum, Episcoporum, & Abbatum subditi, illis unis obnoxii immediatè essent, nec ad Regem accederent, nisi interjecta appellatione, vel recusata justitia. Caverat Carolus Magnus, ne à quoquam adiretur ipse, nisi antè jus dixissent Domini & Judices peculiares. Et id quidem tunc eò pertinebat, ut ne tot jurgiis & causis, quæ aliàs definiri poterant, molestia Principi crearetur, & avocaretur ipse à cura & providentia universali Ecclesiæ & Regni. Sed qui ei Imperatores & Reges suffecti sunt omnes, cum nec sapientia, nec vigilantia illum æquarint; hinc factum est, ut quibus peculiares essent Domini & Seniores, ii jam Vassi non essent Principis, nec eum adirent, nisi quo diximus modo, ex provocatione, aut ex Juris dicendi recusatione; ita summæ potestatis parte aliqua ad hos Seniores derivata. Inde est quod hic Carolus Calvus Vassos suos sejungit ab Episcoporum, Abbatumque Vassis & Comitum.

VIII. Quæ superius prolixè disseruimus de Feudis, sive Beneficiis laicis, quibus Episcopi & Abbates investiebant laicos, & quibus nec ipsos exuere poterant, vel eorum filios, nisi justis de causis, quandiu certè illi stipeodia facere poterant, & obire militiam, quam Regibus exhibebat Ecclesia ad sui & Regni defensionem. Quæ item de hac militia disputata sunt, quam Ecclesia per Vassos & Beneficiarios suos laicos Regibus suppeditabat. Quę denique dicta sunt de Conventibus illis solemnibus, quos Episcopi & Abbates Primariorum convocabant Vassorum suorum; quò consilia cum ipsis communicarent, subsidii aliquid corrogarent novi, jus denique ipsis dicerent: hæc inquam constare omnia non possunt, nisi id assentiamur, Prælatos omnes hos dominatione temporali in sua quemque ditione floruisse.

Plures Comitatus numerata pecunia sibi comparavit celeberrimus Paterbornensis Episcopus, idemque sanctitatis laude clarissimus Meinvercus; sed unum præ cæteris ea lege, ut nec ipse, nee successorum quisquam eum posset unquam in Feudum conferre, aut ab Episcopali mensa dissociare, ac divellere. *Ea conditione, ut nec ipse, nec aliquis successorum suorum, ullam potestatem haberet, alicui suo militi, vel extraneo, eundem Comitatum in Beneficium dandi; sed ministerialiter in ipsius Ecclesia, qui pro tempore fuerit, præsit prædicto Comitatui. Surius die 5. Junii c.72.* Pluribus aliis locis vitæ ejusdem perstringuntur privilegia ab Imperatore pluribus Abbatiis concessa, ut ne eorum subditi, sive servi, sive liberi; *Seu liti, seu ingenui*, conveniri possent, nisi apud eorum Advocatos, vel Defensores. De his Advocatis opportuniore infrà loco copioséque dicetur.

IX. Ex Gallia jam & germania in Italiam trajicientibus occurret Joannes VIII. Papa, mirum in modum exhilaratus, quod Neapolitanæ Civitatis cives, oppresso Tyranno Sergio, Judicem sibi elegissent Athanasium ejusdem urbis Episcopum. *Episcopum animarum vestrarum Athanasium habere Judicem elegistis. Epist.66. Epist.294.* Magni hic & excelsi animi Præsul cam Civitatem perdiu administravit, germano ipsi suo atrocissimis facinoribus contaminato oculos exculpi jussit, quæ tunc nobilium noxiorum pœna frequens erat; cum denique pacis fœdus cum Sarracenis percussisset, anathematis vinculo à Papa innodatus est, donec exitiale ejurasset fœdus cum infensissimis hostibus Christianæ Reipublicæ.

X. Ne simile quidem veri est, apud Græcos temporalibus his dominiis auctos fuisse Episcopos. Constitutione Alexis Comneni, qua innovatur Concessio ab Imperatore ejus Patruo prius indulta, præfinitur, quantum quisque Episcopus possit exigere pecuniæ, vel frumenti, vel aliarum specierum, ex unoquoque suæ Diœceseos vico, pro modo & numero domuum. At ea nihil temporalis confertur dominii Episcopis, sed firmatur & determinatur jus illud, quo universim pollent lege quadam insita naturæ, sustentationis temporalis expectandæ ab ovili, cui spiritalem impendunt curam. Annalium Gallicanorum vetusti quidam Scriptores, à Joanne Patriarcha Hierosolymitano missas fuisse prodiderunt Carolo Magno claves Sancti Sepulchri, cum clavibus & vexillo urbis ipsius Hierosolymitanæ, tanquam ut hæc potestati ejus contraderentur. Ex quibus elici forsan posset, ea temporali potestate munitum tunc fuisse Patriarcham. *Qui benedictionis causa claves Sepulchri Dominici, ac loci Calvariæ, claves etiam Civitatis & montis cum vexillo detulerunt. Le Cointe. anno 800. n.27.* Sed Eginhardo potior habenda fides est, qui Palęstinam tunc testatum facit, adeoque & Orientem pene universum ad ipsas usque Indias paruisse Aaroni Persarum Regi: cum eo fœdus pepigisse Carolum Magnum per Legatos, quos ad colenda sacra loca eo ablegaverat: Persarum Regem sibi gratulatum esse de Caroli Magni amicitia, eique concessisse dominium ejus loci, ubi Christi Sepulchrum extructum, vel excisum fuerat. *Etiam sacrum illum & salutarem locum, ut illius potestati ascriberetur, concessit.* Ita Mons Calvariæ solus Carolo Magno concessus est, & à Rege Persarum concessus. Ex quo augurari datur, si à Patriarcha missæ sunt claves, eas Eulogias fuisse, *benedictionis causa*: sacrorum instar pignorum; earum instar aurearum clavium, quas Romani missitabant Pontifices, Reliquiarum cultu venerandas. Potuit certè postea eum locum Patriarcha obtinere, tanquam à Persarum Rege Christianis indultum, ut hinc etiam aliqua jacerentur fundamenta potestatis Patriarchæ in urbe Hierosolymitana, de qua prolixius infrà sermo instituetur.

CAPUT XXIX. *P.3. l.3. c.17.*

De Temporali Dominio Ecclesiæ Romanæ sub Imperio Caroli Magni.

I. Spiritalis & pastoralis charitatis sollicitudine, ad necessitates etiam effusa temporales Urbium & Provin-

vinciarum, Episcopi inopinato pene ad earum dominationem venerunt.

II. Consilia & gesta Gregorii II. Papæ, ubi Constantinopolitanus Imperator Italiam & Romanos Pontifices tueri desiit, cœpit infestare.

III. IV. Consilia & gesta Gregorii III. successoris ejus, & Zachariæ.

V. Ad defensionem & incolumitatem Italiæ & Romæ, Romanorum Pontificum vigiliæ, sollicitudines expensæ, sudores, discrimina.

VI. Consilia & gesta Stephani VI. Qui auxilium poposcit à Pipino Rege.

VII. Jam potestati & dominio horum Pontificum suberant urbes & regiuncula non pauca.

VIII. Ut Galli Reges arbitrarentur donari à se Apostolicæ Sedi, quæ eidem restitui interpretarentur ipsi Pontifices, pridem à Longobardis usurpata.

IX. X. De eodem prolixius.

XI. Ut Pontifices Pipinum Galliæ Regem, Carolum Magnum Imperatorem dixere, Pipinus & Carolus vicissim Urbes & Provincias contulere Sedi Apostolicæ, quas suo quodam ipsa jure sibi vendicabant.

I. CHristus quidem ipse & increatæ, & incarnatæ Deitatis suæ vi ac majestate Rex & Pontifex universi orbis, & sæculorum omnium cum esset; semel in cœlos hinc avectus, utramque hanc potestatem in Ecclesia dissecuit ac dissociavit; ut Sacerdotes quidem toti essent in spiritali animarum administratione, Reges autem temporalis Reipublicæ clavum moderarentur. Sed cum anima naturæ sponte dominetur corpori; cum qui regit animas, corda & consilia, regat etiam quodammodo corpora his subjecta; cum denique temporales Respublicæ non possint regi, nisi ex spiritalibus legibus sempiternæ justitiæ & pietatis; hinc contigit non rarò, ut longo annorum circuitu alternantibus rerum vicibus, Pontifices Christi temporali Urbium & Provinciarum authoritate & administratione induerentur. Nec ipsis, nec Majoribus eorum cordi, aut amori fuerant dignitates hæ sæculares; nec populis forsan, aut Principibus ea insederat cogitatio & voluntas, ut Ministros Altaris ad Reipublicæ regenda gubernacula socios sibi adsciscerent. Sed ea incidebant tempora, quibus una summi Numinis Providentia moderaretur, & quibus cum urbes, tum Provinciæ ingruentibus undique calamitatibus objectæ, à Principibus suis etiam tum destitutæ, à spiritalibus Pastoribus ita foverentur, ita temporalibus etiam præsidiis eorum opera munirentur, ut temporalis denique dominatio ad eos deveniret, qui ejus munia tandiu impleverant, & qui ejus sola nominis gloria caruerant, cum sollicitudines & labores omnes indefessa strenuitate subirent.

II. Id luculentè jam demonstrabunt exordia ipsa summæ & pene regiæ potestatis Romanorum Pontificum. Altiori ab origine poterat res tota repeti; nobis satius hic erit rem ordiri à Gregorio II. qui quo ipse tempore Italiam tuebatur adversùs Longobardos, in Ecclesiam & in Imperium Constantinopolitanum subinde irrumpentes; insidiis impeti cœpit Leonis Isaurici Imperatoris Ministrorum, in caput suum conjuratorum, quòd sacras imagines, quibus Leo Iconoclasta Imperator bellum indixerat, ipse defenderet. Conspiravit tum Italia universa in Pontificis & fidei defensionem, & agitata jam tum consilia, de horthodoxo Imperatore deligendo, & aspernante Deo, invehendo in sedem ipsam Imperii Constantinopolitani. Intercessit Gregorius, maluitque revocando ad sanam mentem Leoni operam dare, quam ejiciendo. Audi Anastasium Bibliothecharium in Gregorii vita. *Cognita Imperatoris nequitia, omnis Italia consilium iniit, ut sibi eligerent Imperatorem, & Constantinopolin ducerent. Sed compesceait tale consilium Pontifex, sperans conversionem Principis.* Ducibus Patriciisque nonnullis cruentas manus injecit plebs furens, quod ut gratiam captarent Leonis, urbesque ei adsererent, in vitam Gregorii conjurassent. Pontifex certè ipso certantibus populis ad ejus tuitionem, non aliud magis laborabat, quàm ut ne à fide & obedientia Romani Imperii quisquam desciscеret. Unde idem Anastasius: *Sese magni cum parvis constringunt sacramento, nunquam Pontificem Christianæ fidei zelotem & Ecclesiarum defensorem, se permittere nocеri, aut amoveri, sed mori pro illius salute essent omnes parati, &c. Pontifex ut in fide persisterent, rogabat, sed ne desisterent ab amore vel fide Romani Imperii admonebat. Sic cunctorum corda molliebat.* Consilia & vires consociavit Exarchus Ravennæ cum Rege Longobardorum, ut Imperatoris mandato obsequeretur, ac Pontificem comprehenderet, Romamque subjiceret sibi, *Ut Exarchus Romam subjiceret, & quæ pridem de Pontificis persona jussus fuerat, impleret.* Sed cum primum Rex in conspectum venit Urbis, egressus ad eum Pontifex, ita illum non humanę vi eloquentiæ, sed constantia, sed sanctimonia, sed invictissima causæ æquitate labefactavit, ut ad ejus pedes se Rex abjecerit, ejusque amicitiæ Exarchum redintegrarit. Missa facio complura alia ejus rei exempla, ubi Pontifex Sedis suæ majestate, vel vitæ innocentia, turbines à Longobardorum furore imminentes depulerat, aut receperat urbes ab illis occupatas.

Prima ea fuere Pontificum Principatûs documenta in compluribus Italiæ Provinciis. Ab ejus sibi subjiciendæ voluntate ac spe alienissimus erat Gregorius; ut qui totus in id incumberet, ut eam arctissimè Imperatoris Constantinopolitani obsequio devinciret. Quo ipso religionis & integritatis documento inopinus omnium animos devinciebat sibi, & gradus struebat principatui Sedis Apostolicæ. Imperator ex adverso, dum & fidem orthodoxam, & Pontificem fidei inexpugnabilem vindicem insectatur, & Italiam à se abalienavit, & eam Pontifici strictiùs devinxit. Græcæ Scriptor horum temporum historiæ Theophanes, partium & patriæ studio abreptus, in non paucis ab Anastasio Bibliothecario dissentit. Sed nemo ita insaniet, ut Imperatori fidem & Ecclesiam insectanti plus habeat fidei, quàm sanctissimo Pontifici eam defensanti.

III. Gregorio II. successor datus Gregorius III. pietatem & ipse ac constantiam non disparem explicuit. Per literas, per Legatos, per totius Italiæ conspirantis interpellationem, Imperatorem studuit à sententia deducere, & fidei Catholicæ rursus conciliare. Hinc ille adeo non emollitus est, ut novo furoris æstu patrimonium omne invaserit Romanæ Ecclesiæ in Sicilia & Calabria. Eodem tempore incursabant Longobardi ad ipsas usque Romanæ civitatis portas. Ubi propulsandi hostes, ubi resarcienda mænia, ubi pecunia sommovendi Longobardi, nec operæ Pontifex, nec sumptibus parcebat. Gemino denique huic hosti parem se diutius esse posse diffidens, Caroli Martelli opem interpellavit.

IV. Zacharia Pontificatum ineunte, Lutiprandus Longobardorum Rex quatuor jam urbes invaserat Ducatûs Romani. Roma, Beneventum, & Spoletum amplissimorum Ducatuum capita evaserant. Benevento & Spoleto sui erant Duces. Romam regebat Patritius; at Pontifex tamen Romanus non Sedis tantùm suæ amplitudine & magnificentia eminebat tunc omnibus, sed etiam sollicitudine & charitate salutis publicæ, tum verò maximè expensis, laboribus, periculis pro Ecclesia & Republica identidem subeundis. Vitam certè & sanguinem ovili suo impendere certus, bis pro-

diit cum Clero suo ad hunc Barbarum Regem, quem & ita deterruit, fregitque, ut restitutæ ab eo sint quatuor illæ urbes, & terræ omnes Ecclesiastici patrimonii, quas antè involaverat, & redditis libertati captivis omnibus, in annos viginti pacem firmavit. *Ut etiam pro salute populi Romani suam ponere animam non dubitaret*. Quæ cum ita se haberent, non jam fieri poterat, quin potior esset Romæ Pontificis authoritas, quàm vel Patritii, vel Ducis, vel Exarchi, vel Imperatoris ipsius, qui Caput Imperii hostibus diripiendum objiciebat. Non erant hæc autem ejus, qui alienam ursurparet dominationem, sed qui suo Pastoris spiritalis officio strenuè ipse quidem fungeretur, providentia autem Numinis per hos sinuosos anfractus circumduceretur, quò earum regionum assequeretur tandem principatum, cujus salutis dux & princeps jamdiu esset.

V. Intra Ducatus Romani limites circumscribi non poterat tanti Pontificis sollicitudo & pietas. Cum Rex Longobardorum propediem Ravennam obsessurus esset, quæ Caput erat regionis ejus in Italia, quæ Imperio suberat adhuc Constantinopolitano, ab Exarcho ipso & Archiepiscopo appellatus est Pontifex, ut adproperaret, & ab Exarchatu toto hanc pestem amoliretur. Gregis sui partem unam dimittens bonus Pastor, quò alteri gravissimè periclitanti opem ferret, permissaque Patritio eidemque Duci Romanæ urbis administratione. *Relicta Romana urbe Stephano Patritio & Duci ad gubernandum, non sicut mercenarius, sed sicut verè Pastor, relictis ovibus, ad eas quę peritura erant redimendas occurrit*: victori se rursum Regi obvium dedit, nec Ravennam obsidione solvi contentus, urbes omnes ei obnoxias restitui fecit. Successit Rachis in regni Longobardici sedem, & ab eo pacem in annos viginti expressit Pontifex, quod jucundissimum universæ accidit Italiæ. Cum novus Rex Perusiam cicumvallasset, in ejus castra venit Pontifex cum primoribus Cleri & Nobilitatis Romanæ, denique hortamentis quidem suis Pontificiis, sed victricibus charitatis armis, obsidionem solvi coegit.

Ex oratione tum Pontificis ad Rachim æstimare datur, quæ foret illa Pontificum Romanorum victrix eloquentia, bellatorumque & Regum tum maximè furentium domitrix. Ea erat facundia pietatis, charitatis, religionis ipsius, quæ ore, lingua, & verbis Papæ evertebat, proterebatque adversarias vires omnes. Ejusmodi fuit oratio Zachariæ ad Regem Longobardorum, quæ non modò persuaserit exercitum à Perusia dimittere, quam cingebat, sed & Monasticæ vestis ac professionis sanctitudinem regni purpuræ ac majestati anteponere. *Ab obsidione civitatis eum amovit. Cui & salutifera prædicans, Deo authore, valuit animum ejus in speciali studio inclinare; & post aliquantos dies idem Rachis relinquens regalem dignitatem, Monachico indutus est habitu*. Hanc si rationem & viam inirent, qui Reipublicæ gubernaculis præsunt, aut ad gubernacula regenda admoverentur, qui hac animi magnitudine, hac Christianæ pietatis fortitudine ea regere possent, nil esset ulterius quod ad publicæ felicitatis cumulum desideraremus.

VI. Cum Aistulphus Longobardorum Rex Rachi fratri suo successisset, Romanæque civitatis & aliarum circumpositarum urbium obsidionem meditaretur: Stephanus III. Papa fratrem suum ad eum delegavit, cum tanta munerum vi ac opulentia, ut pacem ab eo in annos quadraginta expugnaverit. Cum non multò post autem Rex barbarus terrorem Romæ incussisset, per literas & per Legatos frustra sępiùs missitatos, cum nihil opis ab Imperatore elicere Pontifex potuisset, exemplo utriusque Gregorii & Zachariæ prædecessorum suorum, qui opem oraverant Caroli Martelli, ipse à Pipino Rege per literas auxilium exprimere studuit. *Deprecans Imperialem clementiam, ut juxta quod ei sæpiùs scripserat, cum exercitu ad tuendas has Italiæ partes modis omnibus adveniret &c. Cernens ab Imperiali potentia nullum esse subveniendi auxilium, tunc quemadmodum prædecessores ejus Gregorius & alius Gregorius & Zacharias Carolo Regi Francorum direxerunt, petentes sibi subveniri propter oppressiones, &c. Ita & ipse misit literas Pipino Regi Francorum, &c. Anastas. Bibliotech.*

Dilucidum hic est planè, 1. Penes Papam fuisse summam administrationem Romæ & Exarchatûs, ipsum pacis fœdera sanxisse, bellis obviasse, urbes defendisse ac recuperasse, hostes propulsasse, authoritate apud Imperatorem & Reges circumjacentes plurimum valuisse. Ita jam re, needum nomine Principatus penes illum erat, moderante his omnibus Numinis providentia, inter tantas bellorum tempestates. 2. Cum eas Provincias in fide Imperatoris unus jam ferè retineret Pontifex, ubi undique se auxiliis destitutum vidit, ad unum maximè Imperatorem interpellandum se contulit, nec nisi ubi ab illo jam nihil potuit, vel extundi, vel sperari auxilii, ad tuitionem Franciæ Regum confugit.

VII. Antequam in Gallias pergeret Pontifex, Legatis Imperatoris, & Regis Pipini cinctus, ad Regem Longobardorum Papiam profectus est, ab eoque repetiit Ravennam, Exarchatum, & cæteras urbes, ab eo, vel Majoribus ejus in Rempublicam usurpatas. *Ravennatium civitatem, & Exarchatum, & reliqua Reipublicæ loca, quæ ipse vel ejus prædecessores Longobardorum Reges invaserant, &c. Petiit ut dominicas, quas abstulerat, redderet oves, & propria propriis restitueret*. Has urbes repetebat Pontifex & Provincias, ut ad Romanum jam Pontificem pertinentes, qui patrem illis se & Patronum spiritalem, temporalemque exibebat jamdiu, qui jamdiu regebat & tuebatur, qui earum saluti thesauros suos toties impenderat, vitam impendere toties præsto fuerat, qui Longobardorum tyrannicæ dominationi toties subduxerat, qui unus gubernacula tractaverat, ex quo Imperatores his se Italiæ curis penitus exuissent.

Ita Pontifex restitui à Longobardis reposcebat, quæ usurpassent, quæ & eorum manibus extorsit, postquam Pipinus Rex & auxiliares ei Francorum copiæ affuere. Ei se ad Pontigonem Pipinus juramento astrinxit, curaturum, ut restitueretur Exarchatus, & quidquid inditione fuisset Reipublicæ Romanæ. *Jurejurando satisfecit: mandatis ejus obedire, & ut illi placitum fuerit, Exarchatum Ravennæ & Reipublicæ jura, seu loca, modis omnibus reddere. Idem.* Nec leviter transeunda hæc verba, *Reipublicæ jura vel loca*. Sanctissimi enim quique semper Episcopi operam & industriam suam Principibus terrenis commodaverunt ad temporalem urbium defensionem; & ubi vel socordia, vel virium & copiarum penuria Principes officio regiæ tuitionis defuere, eorum in vicem & functiones successere Episcopi, & circumstrepentibus undique procellis res publicas tractaverunt. Ita Romanis Imperatoribus Romani Pontifices collaborabant, ad Romanæ Reipublicæ reliquias in Italia tutandas; & oneri successere soli, ubi Imperatores sarcinam illam humeris excussere suis, & Provincias eas Longobardis prædandas dimisere. Ecquis jam ambigat, quin potius & constantius esset Romani Pontificis jus in eas regiones, quàm vel Longobardorum Regum, qui eas tandiu jam depopulabantur; vel Imperatorum, qui earum defensionem & curam tandiu abjecerant, poterantque earum ca-

laioi-

limitatum authores videri, quas pro officio non prævertissent.

Legatos suos Pipinus ad Aistulphum misit, ut ad eam restitutionem illum invitaret. *Propter pacis fœdera, & proprietatis sancta Dei Ecclesia ac Reipublica restituenda jura, &c. Plura pollicitus est munera, ut propria restitueret propriis.* Orabat Pontifex, ut citra cædem & sanguinem ea fieret restitutio. *Obtestans ut pacificè sine ulla sanguinis effusione propria Sanctæ Dei Ecclesia & Reipublica Romanorum redderet jura. Ibidem.* Sed Ecclesiæ & Reipublicæ Romanæ restituebatur: *Ecclesia & Reipublicæ Romanorum.* Nec Exarchis jam enim ullis, nec Imperatoris copiis, aut ducibus ad Italiæ defensionem accurrentibus, Romani Cives Duce Pontifice, Romanam & Ecclesiam & Rempublicam repræsentabant, & tanti naufragii tabulas recolligebant residuas, restituique inprimis urgebant, quæ Longobardi invasissent. Alpes trajecit Pipinus, & Aistulphum eò adegit, ut Ravennam aliasque urbes redditurum se polliceretur: *Affirmavit se illico redditurum Civitatem Ravennam cum aliis diversis Civitatibus.*

VIII. Nec à vero tamen aberrant, qui eo Pipini dono munificentissimo Romanam ornatam fuisse Ecclesiam dicunt, scribunt, sentiuntque. A' Constantinopolitani enim Imperatoris Legatis multum ille anxiéque sollicitatus, Exarchatum ut redderet Imperatori: *Nimis eum deprecans, & plura spondens tribui Imperialia munera, ut Ravennatium urbem, vel ceteras ejusdem Exarchatûs Civitates & castra Imperiale tribuens concederet ditioni.* Imperatoris vota & munera abjecit piissimus Rex, exolvitque quod ipsemet nuncupaverat Deo votum, eas urbes omnes B. Petro restituendi. *Asserens Dei cultor Rex nulla penitus ratione easdem Civitates à potestate B. Petri & jure Ecclesiæ Romanæ, vel Pontificis Apostolica Sedis quoquo modo alienari. Affirmans etiam sub juramento, quod per nullius hominis favorem sese certamini sæpius dedisset, nisi pro amore B. Petri, & venia delictorum.*

Confidebat Imperator eas antiquissimas Imperii Romani Provincias, nuper à Longobardis involatas suo sibi jure restitutum iri. Pipinus jure bellantium, tot exhaustis pecuniis, tot aditis periculis, earum sibi dominium non injuria videbatur arrogare posse, qui eas non dominis, sed illis jamdiu cessantibus, & pro derelictis eas habentibus, usurpatoribus eripuisset. Pontifex & Romanus Populus in eas prisca retinebant Romani Imperii jura, cum earum tuitioni semper incubuissent, inter bellorum fremitus & turbines diuturnos, quando nec pecunia illis Imperator, nec copiis affuisset. His æqua lance perpensis, jam certissimum est, potuisse Pontificem deposcere, ut eæ Civitates Ecclesiæ & Reipublicæ Romanæ restituerentur: potuisse & Pipinum non injuria profiteri & præ se ferre, eo à se dono affici, coluque Beatum Petrum. Si consilium cepisset earum Imperatori reddendarum, repensis sibi exercitûs & expeditionis expensis, quis illi violati juris maculam inussisset? Sed gratificari ille maluit Papæ, ut qui eas sibi ditiones peperisset, tam diuturna earum defensione, ubi nec impensis, nec vitę pepercisset suæ.

Certè tametsi Pontifex restitui oraret Ecclesiæ Reipublicæ Romanæ, donatione sua Pipinus unam Petri Sedem & Ecclesiam Romanam præ oculis habuit, cujus unius saluti & amplificationi arma induisset. *Affirmans sub juramento, quod per nullius hominis favorem, sese certamini sæpiùs dedisset, nisi pro amore B. Petri, & peccatorum venia.* B. Petro donationem suam inscripsit. *Donatione in scriptis à B. Petro, atque à Sancta Romana Ecclesia, vel omnibus in perpetuum Pontificibus Apostolica Sedis misit possidendum, & qua & usque hactenus in Archivo Sancta nostra Ecclesia recondita tenetur.*

Nulli hinc suspicionum fomites, nulli æmulationis aculei in Republica vel Civitate Romana, ut quæ in unum cum Ecclesia Beati Petri corpus jamdiu concrevisset, non alio multis sæculis defensore usa, non alio capite conspicua, quàm Pontifice Romano. Ideo & cum Desiderius Aistulpho successisset, & Rachis repudiata veste Monastica regnum repeteret, ille Reipublicæ, *Reipublica se redditurum professus*, hoc est, Ecclesiæ Ducatum Ferrariensem reddidit, cum aliis urbibus, ea cautione, ut Pontifex Rachisem compelleret in suum se Cœnobium rursus abdere; quod & fecit.

Ad calcem vitæ hujus Pontificis contestatur Anastasius Bibliothecarius, pio illum & pastorali zelo, paternæque charitatis æstu adductum fuisse, ut tot volveret casus; tot adiret labores, quò Romam & Italiam gravissimo jugo subduceret, quo tamdiu affictabatur, *Et annuente Deo Rempublicam dilatans, universam dominicam plebem, videlicet rationales sibi commissas oves, ut bonus Pastor, animam suam ponens, omnes ab insidiis eruit inimicorum cursumque consummans, &c.*

Præsidia his omnibus nova accersi potuissent ex Stephani hujus Papæ Epistolis. Pipino enim ille rescribebat, ad arma illum prosilire & Alpes superare decrevisse. *Ut Princeps Apostolorum suam susciperet justitiam.* Quibus iisdem verbis usus est postea Carolus Magnus, cum Desiderium urgeret, ut Pontifici restitueret, quæ semel restituta, rursus invasisset. *Civitates, quas abstulerat, pacificè Beato Petro redderet, & justitias parti Romanorum faceret, &c. Redderet Civitates & plenarias parti Romanorum faceret justitias. Idem. In vita Adriani I.*

IX. Nec ulla, vel parva fuere momenta in libertate & voluntate populorum, qui & hinc se prodi ab antiquissimis dominis, & à novis usorpatoribus lacerari gravatè perinde, ut res erat, ferentes, Ecclesiæ & Papæ certatim se potestati commisere. Testes laudabo populos Spoletani Ducatus, qui longa Longobardorum sævitia fatigati, Adriano I. dediderunt se, præstitoque fidei Sacramento tonsuram suscepere Romanam. Author est Petrus Diaconus Longobardos rasisse posticam capitis partem, anteriores aluisse & promisisse capillos, barbam nunquam artondisse, unde illis nomen factum. Ab Adriano I. in Epistola, *Epist.88.*, ad Carolum Magnum narratur Arichisem Regem Longobardorum, cum adglutinaret se, subjiceretque Græco Imperatori, in se recepisse, ut cæsariem & vestem more Græcorum gestaret. Imperator acquiescens, duos ad eum misit Legatos, cum vestibus, ense, pectine, forcipibus. Hinc conjicies, quid causæ esset, quamobrem Spoletani à Longobardis deficientes, eorum quoque tonsura abjecta Romanam amplectebantur. En ipsa Anastasii Bibliothecarii verba. *L.4. c.7. Ejus provoluti pedibus, obnixè deprecati sunt, ut eos in servitio Beati Petri, Sanctaque Romana Ecclesia susciperet, & more Romanorum tonsurari faceret, &c. Tunc post præstitum Sacramentum, omnes more Romanorum tonsurati sunt. Anast. Bibl. Epist. Adri. Papa 58.* Idem forsan conjici possit de Venetiarum Civitate, de Istria, Parma, Mantua, Corsica & Benevento, quibus nova donatione eundem Pontificem donavit Carolus Magnus, sicut & Ducatu Spoletano. Certabat cum pietate Regum populorum propensio. Unde & muniendis restaurandisque idem Pontifex Romanæ Civitatis mœnibus arcibusque incumbens, urbes Thusciæ & Campaniæ, Clerumque & Populum Romanum pellexit, ut operas expensasque conferrent.

Ex his intelliges, quàm non jactanter, sed ex vero Gregorius II. minas Leonis Isaurici Imperatoris retuderit hoc responso: Petrum, Petrique successorem ab universo Occidente, eo cultu obser-

servati, quo terrenus quidam Deus. *Imaginem Petri te eversuram denuncias, quem omnia Occidentis regna, velati terrestrem Deum habent.* Nec nisi viginti quatuor studiis ab urbe Roma se recessurum, ut Imperii finibus excedat, nec Imperatoria jam comminatione moveatur. In causa forsan & illud erat, ut Italiæ defensioni minus studerent Imperatores, quod totam jam sibi pene dilapsa esset, inter complusculos Duces secta, & Longobardos. Hinc novi aliquid juris ad Pontifices redundabat, ne à Ducibus nescio quibus, vel à Longobardis occupari finerent, quæ ipsi ut membra Reipublicæ Romanæ tanto & tempore, & impendio, & periculo defendisset.

Denique apertissimè professus est Adriannus Papa in Epistola ad Constantinum Imperatorem & Irenen data, & quæ ex parte saltem recitata est in Concilio VII. Generali, à Carolo Magno Rege Francorum & Longobardorum, & Patritio Romanorum donatam fuisse Ecclesiam Romanam pluribus urbibus & Provinciis, tanquam fructu victoriarum, & tanquam antiquissimis ejusdem Ecclesiæ possessionibus, quibus eam diu frustrassent Longobardi. *Carolus Rex Francorum & Longobardorum, & Patricius Romanorum, &c. Per sua laboriosa certamina Petri Apostoli Ecclesia ob nimium amorem plura dona perpetuo obtulit possidenda, tam Provincias, quàm Civitates, seu castra, & cætera territoria, immo & patrimonia, quæ à perfida Longobardorum gente detinebantur, brachio forti eidem Apostolo restituit, cujus & jure esse dignoscebantur. Conc. VII. Oecum. Act.4.* Et jure victoriæ Carolus Magnus, & velut jam Rex Longobardorum, quę illi sibi subjecerant, in potestate habebat; & velut Electus Patricius Romanorum, transcribere in Pontificem poterat spes & jura Reipublicæ Romanæ. Sed solidæ amantior, quàm splendidæ gloriæ; ejusque quæ justitia & pietate comparatur, quàm quæ bello & armis, ea confessus est restitui magis à se, quàm dari, quæ Romanæ daret Ecclesiæ.

Nec enim obscuriorem eam fore gloriam vel Reges tum, vel Pontifices interpretabantur, si non donatio ea modò, sed & restitutio diceretur. Quin tantò plus gloriæ ex ea restitutione resiliebat, quantò & major in ea justitiæ effulgebat species. At à justitia procul ea fuisset, si Galli Reges quæ Constantinopolitani erant Imperatoris, ea Pontificibus donassent. Si verò jam Imperatorii juris non erant eæ Provinciæ, erant ergo vel sui juris, vel Ecclesiæ, vel Reipublicæ Romanæ; quæ omnia eodem demum recidebant: propterea quod extrema hac ætate, qua Imperatori adhuc parebant, in earum clavo regendo, arcendisque procellis Principes semper erant Romani Præsules. Non poterant cuiquam videri Longobardi, nisi alieni juris incubatores; tum quod recentior esset adhuc eorum invasio, tum quod immanior esset & truculentior, quàm ut vel fucus justæ possessionis appingi ei posset. Justitiæ est injustos excuti possessores: at justitiæ lex præterea præcipit, ut justo possessori restituatur. Denique donationem illustrat non tam magnitudo doni, quàm justitia & æquitas; quantumcumque donum sit, illud vel ipsa & obscuratur injustitiæ suspicione, & extenuatur.

Huic dissertationi lucis posset aliquid & præsidii conciliari ex Pontificum Regumque Epistolis super ea re scriptis: *Conc. Gall. Tom.1. p.80. 204.* posset & aliundè, putà ex donatione Constantini, quade agit Adrianus Papa in Epistola ad Carolum Magnum, qua videtur toto Occidente Pontifices Romanos donasse. Verùm adeo non confidere se testatur Adrianus, nitive ea donatione, ut vel hinc arguatur quantum diffideret. Adde & Archiepiscopi Ravennatis Leonis ingentem spem, ut qui jam occupasset Ferraram, Bononiam, Pentapolin, Exarchatum, aliasque regiunculas viciniores, tanquam sibi à Carolo Magno concessas. *Ibidem p.82.*

Sed cum in hoc jam argumento versati sint viri longè doctissimi, nec instituti hic nostri sit rebus ejusmodi diutius immorari; loca complura ad marginem indigitasse contenti, quæ in his operæ pretium sit animadverti, paucis hic perstringemus. 1. Non aliud sibi vendicasse Reges Galliæ, quam ut Ecclesiæ Romanæ restituerent, quæ illi Longobardi subduxissent. 2. In eo sejunctam non fuisse Ecclesiam Romanam à Republica & Civitate Romana. 3. Id Rempublicam, id Ecclesiam Romanam contendisse, cum ab Imperatoribus Constantinopolitanis Provinciæ, urbesque suæ jamdiu pro derelictis habitæ fuissent, quin & acerbissimam persecutionem passæ, ob retentas Sacras Imagines; jam integrum sibi esse, quem vellent vel Imperatorem, vel Defensorem appellare, ejusque se fidei & Imperio committere. 4. Cum post destitutas ab Imperatoribus Italiæ Provincias, tandiu Romani Præsules earum saluti tuendæ labore, industria, contentione, auro, milite, nulla non denique re affuissent, non sine frequenti vitæ & salutis propriæ discrimine: earum dominationem vel hinc Ecclesiæ Romanæ partam esse; præter peculiares quorundam tractuum donationes. *Con. Gall. Tom.2. pag.11. 12. 20. 21. 24. 35. 36. 37. 45. 46. 56. 78. 80. 81. 82. 89. 202. 204. 230. 444.*

Posset quis suspicari, ubi Pontifices & Reges *restitui* dicebant, quæ Romanæ donabantur Ecclesiæ, allusisse eos ad primam Pipini donationem, qua spreta Longobardi rursum invaserant, quæ à Pipino fuerant donata: cumque ea rursus obtritis Longobardis Reges Franci recepissent, rursumque Pontifici donassent, posse non abs re dici ea tum restituisse. Huic ego interpretationi non illubenter assentiar, ut quæ nihil puguet cum hac nostra, quam tot munimentis suprà astruximus.

Si quis velit autem, *Republica* hic vocabulo capi posse Imperatorem & Imperium Græcum: non tacebo alienam prorsus esse eam suspicionem. Nec enim usque adeo Galli tum Reges benemereri studebant de Græcis Imperatoribus, ut eorum causa tantum periculorum & bellorum exhaurirent. Nec jam Pontifices insudabant firmando, vel recuperando Imperatorum dominio, quos jamdiu experiebantur Ecclesiæ persecutores cruentissimos. Si in ea illi versati essent sententia, Provincias, quas Franci Reges Longobardis eriperent, juris esse Græcorum Imperatoris, expeditissimum fuerat, justum etiam fuisset, ut eas à Pipino susceptas Exarcho restituerent.

X. Non is erat Eginhardus, qui Caroli Magni gloriam imminutum iret, ubi ajebat, quæ in Romanam Ecclesiam usurpassent Longobardi, ea illum restituisse. *Finis belli fuit subacta Italia, & res à Longobardorum Regibus erepta, Adriano Romana Ecclesia Rectori restituta.* Ita ille in Historia Caroli. In Annalibus finitima his sunt quæ habet de Pipino: *Pipinus invitante Romano Pontifice, propter erepta Romana Ecclesia per Regem Longobardorum dominia, Italiam manu valida ingreditur.* Et paulò inferiùs: *Haistolfus Longobardorum Rex, quanquam anno superiore obsides dedisset, & ad reddendum ea, qua Romana Ecclesia abstulerat, tam se, quàm Optimates suos jurejurando obstrinxisset, &c. Redditam sibi Ravennam & Pentapolia, & omnem Exarchatum ad Ravennam pertinentem, ad Sanctam Petrum tradidit. Du Chesne. Tom.2. pagina.96. 235.*

XI. Leonem III. Papam author est San-Gallensis Monachus immanissimè mulctatum, cruentatumque

que ab impiis & infandis hominibus, monuisse Imperatorem Constantinopolitanum, qui per jocum responderit, *Ille Papa regnum habet per se, & nostro præstantius. Ipse se per seipsum vindicet de adversariis suis.* L.1.c.28. Tum Pontifex se nudatum omnino sentiens ope & tuitione Imperatorum Orientalium, tempestivum jam existimavit, ut in Occidente Imperatorii gloria nominis & pompa Carolum Magnum investiret, penes quem jam tota esset ejus nominis vis & potestas, subactis ei plerisque Occidui Orbis regnis: cumulandum denique, cum sibi esse titulo & officio Defensoris Ecclesiæ, quando id jamdiu munus strenuissimè perfungeretur. *Tunc Sanctus ille Divinam constitutionem secutus, ut qui jam re ipsa Rector & Imperator plurimarum erat Nationum, nomen quoque Imperatoris, Cæsaris, & Augusti Apostolica authoritate gloriosius assequeretur, &c. Ipsum nihil minus suspicantem pronunciavit Imperatorem, Defensoremque Romanæ Ecclesiæ, &c.*

Inerat jam Carolo Magno vis illa & potestas summa, qua illum donabat Pontifex: si ea enim caruisset, qui potis fuisset Pontifex eam dare? Qui enim Carolo dedisset, quæ aliorum Principum jam essent juris? Sed cum invictissimus Rex armis subegisset Provincias, quas diu Græci infestaverant, & post destituerant; & quas Longobardi involaverant primùm, deinde immanissimè perpopulati erant; atque ita jam re & potestate Imperator esset Occidentis Carolus, nondum nomine & titulo: nomen illi & titulum Pontifex contulit, atque unà quod ei cohærescit, nomen & munus Defensoris Ecclesiæ. Quò justior, eò verior majorque concessio. Zacharias eodem modo Pipinum Regem Francorum nominaverat, qui tota illa jamdiu fruebatur potestate, & qui eam à Majoribus suis acceperat, ut plerique jam docti sentiunt. Audiendus Eginardus: *Pontifex mandavit melius esse illum Regem, apud quem summa potestas consisteret; dataque authoritate sua jussit Pipinum Regem constitui.*

Illud in commune convenit his donationibus, quod rei, quæ dabatur, jam possessio, vel jus jam obtineretur. Nec enim vel Zacharias Pipinum Regno Franciæ, nec Leo III. Imperio Carolum Magnum augere potuisset, nisi uterque jam ejus rei possessionem, & quidem legitimam assecutus fuisset. Nec vicissim ab his Principibus donari potuisset Pontifex tot Italiæ urbibus & Provinciis, nisi earum vel possessio, vel ejus penes illum jam fuisset. Hincmarus ipse fidem facit, *Tom.2. pag.159.*, Pipinum in Italiam ingressum non esse, nisi ut beato Petro satisfieret, suaque illi jura redintegrarentur. *De Justitiis beati Petri.* Is quippe sensus eorum verborum. Stabilitas veritasque his donationibus nulla constabit, nisi constet & æquitas, per quam nefas est, quæ aliorum sunt alìis dare.

Quanquam verò titulus & nomen Regis vel Imperatoris, non magna videatur habere momenta, habet tamen vel maxima. Possessio enim qua Principes hi jam ante diu fruebantur; non illa quidem dilatata fuit donationibus Papę, vel gloria nominis Regii, & Imperatorii, sed confirmata, & illustrata, non ut armis regna firmantur, sed ut justitia, & justitiæ fama & laus Regnis & Imperiis firmitatem & robur addit. Possessio & usurpatio solâ sejungitur justitiâ, vel injustitiâ. Principatûs novi usurpator & incubator potest illud armis tueri & retinere; sed non æquè facile illi, aut expeditum est, ut justum se & legitimum possessorem esse persuadeat. Gallicani Proceres & Zacharias Papa, Romani Optimates & Leo Papa consentientes ac conspirantes, ad Regnum & Imperium Pipino & Carolo Magno adjudicandum, tum eos Regno & Imperio donaverunt, ubi priscam utriusque possessionem inconcussis justitiæ & æquitatis fundamentis niti suo hoc judicio confirmaverunt. Eorum antè possessio poterat non immeritò justa videri; poterat & in controversiam trahi. Itaque consensione Magnatum & Populorum, quorum erant obsequendi partes, & judicio Papæ & Episcoporum, quorum est leges interpretari & promulgare justitiæ, opus omnino erat, aut ut justa ea esset possessio, aut possessionis justissimę fides & persuasio invalesceret, nec jam concuti posset.

Ab ea non aberravit sententia Anscharius, sanctissimus ille Bremensium Archiepiscopus, in vita Sancti Villehadi primi ejusdem civitatis Episcopi. *Siquidem Imperialis potestas, quæ post Constantinum Augustum apud Græcos in Constantinopolitana hactenus regnaverat civitate, cum deficientibus jam inibi viris Regalis prosapiæ, fœminea magis directione res administraretur publica; temporibus ipsius per electionem Romani populi, in maximo Episcoporum aliorumque Dei servorum Concilio, ad Francorum translatum est dominium; quoniam & ipsa tandem, quæ caput Imperii fuerat, & multas alias tunc in orbe videbatur tenere Provincias, ob quod & jure Cæsarea dignus esset appellatione.* Sæculum Benedict. Tom. 3. Part.2. pag.407. Perspicuè docet hic Scriptor jam in potestate Caroli Magni fuisse caput urbium & Provincias Imperii, nec abfuisse eam justitię & ęquitatis evidentiam, cui Pontifex, Pręsules, Optimates, populique, nomen, titulum & ornamenta Imperii accumularent.

Docebit & Helmodus Chronici Slavorum Scriptor, L.1. c.3., qui anno 1140. in Holsatia Parochialem regebat Ecclesiam, quæ hominum esset cordatorum de Imperio Caroli Magni existimatio. In Concilio, quod Pontifex congregasset, id ille affirmat diffinitum fuisse, cum in confesso esset, non posse opportuniorem iniri rationem restituendæ in integrum Europæ, & committendæ idoneo Defensori Ecclesiæ, quàm innumerabiles undique tyranni discerpebant. *Consurgentibus ergo undique adversus Imperium rebellibus, cum omnia penè Europa regna ab Imperio defecissent, ipsa quoque mater orbis Roma finitimis bellis attereretur, nec esset defensor, placuit Apostolicæ Sedi, solemne sanctorum adunari Concilium. Omnium ergo votis, omnium laudatione insignis Francorum Rex Carolus corona Romani Imperii sublimatus est.* Caroli Magni & Helmodi ævo, Principes & Prælati eodem semper loco & tempore conveniebant. Hinc illa Helmodi persuasio. Concilium ejusmodi omnino habitum est nullum. Sed illa unanimis Episcoporum & Principum consensio desiderabatur utique, ut Imperium transferri, & certò transferri posset; hoc est, ornamenta, honores & nomen Imperii. Ipsum enim Imperium & Regnum victricibus jam sibi armis Pipinus & Carolus subjecerant. Hoc voluit Helmodus.

Nec ab his abludunt apud Ottonem Episcopum Frisingensem verba Friderici Imperatoris, Romanorum & Italorum jactantiam refellentis, qui se Francis Imperium addixisse venditabant, cum certissimè ex adverso Franci Italiam primùm libertate donassent, & mox ejus sibi Imperium vendicassent: utpote quam Gręci penitus destituerant, Longobardi jamdiu sævissimè discerpebant. *Revolvamus modernorum Imperatorum gesta, si non divi Principes nostri Carolus & Otto nullius beneficio traditam, sed virtute expugnatam Græcis, seu Longobardis urbem cum Italia eripuerint, Francorumque apposuerint terminis.* De gestis Frider. l.2. c.21. Nec secus idem Otto de Pipino Rege, Regem constantissimè fuisse & eam potestatem affirmat à Majoribus in eum transfusam fuisse; at nomine ipso tum decoratum fuisse, ubi rescriptum accepit Pontificis. *Cum Regibus*

Fran-

Francorum solo nomine regnantibus, Pipinus, qui hanc dignitatem per successionem acceperat, Episcopum Herbipolensem ad Zachariam sciscitandi gratia misit, &c. Igitur Pipinus re prius, exhinc nomine simul, ac re Regnum Francorum gubernavit. Chroni. l.5. c.21. 22. 23.

Unus ad cumulum accedet suffragator Vvillelmus Malmesburiensis, *De gest. Reg. Angl. l.1. p.25.*, qui tristitiam illorum temporum cum exhibuisset, ubi Italiam Græci prorsus deseruerant, Longobardi fœdissimè dilaniabant; unum superfuisse docet perfugium, Galliæ Regum tuitionem. *Nam Imperatoribus Constantinopolitanis jam dudum à solita virtute degenerantibus, nec ullam Italia, vel Ecclesia Romana opem ferentibus, quę multis annis tyrannidem Longobardorum suspiraverant; idem Papa injurias illorum potestati Francorum adploravit.* Addit ut Carolo Magno primùm displicuerit nomen Imperatoris inopinatè ingestum; at cum eius nominis amplitudo illius animi magnitudini mirificè consentiret, assensum & ipsum tandem esse, & hæreditarium hoc decus ad filios traduxisse. *Augustum acclamant. Quod cognomen licèt invitus ut insuetum admisisset, postea tamen animositate, qua decebat, contra Imperatores Constantinopolitanos defendens, Ludovico filio hereditarium contradidit.*

De prolixis filui Ludovici Pii & Caroli Calvi in Ecclesiam Romanam donis, & de Ottonum Imperatorum largitionibus: quòd non id ego in me receperim, ut Ecclesię vel Franciæ Annales mandarem literis: quòdque ex his, quæ à me obiter delibata sunt, abundè intelligi possit, quo ex fonte derivati sint in Ecclesiam tot Principatus temporales, tot opes; tot in Sedem Petri amplissima profluxerint dominia. Si enim sub Caroli Magni augusta prosapia cœpere Ecclesiis Comitatus, Ducatus, & Principatus conferri, si Romanæ Ecclesiæ regna etiam transcribi; perspicuum est Christum ipsum Galliæ Regum manu Ecclesiam sponsamque suam regio diademate cingi voluisse. Nemini non exploratum est, quæ sint vulgò bellantium leges, quæ Regnorum & Imperiorum exordia. Maluere Pipinus & Carolus victoriis suis & victoriarum præmiis ornari & inclarescere Ecclesiam, quàm ipsam stirpem suam. Potuere aliunde Ecclesiis accrescere agri & latifundia, at summi terrarum dominii consortes fieri non potuere Antistites, nisi dono Regum, quorum eam sortem, eam vim esse Deus voluit, ut terris dominentur. Semel iterumque monuimus illam famosam Constantini donationem eo percrebuisse, & longè plurimum increbuisse, quòd Ecclesia Romana, jam spectante & plaudente orbe Christiano, ea jamdiu dono Regum Francorum summæ potestatis ornamenta circumgestaret.

CAPUT XXX. *P.4. l.3.c. 19.*

De Terris, Dominiis, Comitatibus & Ducatibus Ecclesiæ datis ab anno millesimo ad millesimum ducentesimum.

I. Antiquissimus Ecclesiæ usus retinendi fundos, eorumque fructibus pauperes alendi.

II. Ætate media donatis Ecclesiæ fundis redimebantur peccata, compensabantur pœnitentiæ publicæ.

III. Nihil in eo unde offendi jure quis posset.

IV. Episcopus & Comes Ostiensis fuit Petrus Damiani. Utrumque hoc ille onus gravatè & subimpatienter ferebat. At Episcopis ita affectis nihil afficiunt sæculares dignitates, quin ipsæ valde honestantur.

V. Episcopis Baronum & Comitum dignitas Episcopatûs luce & majestate obrui videri debet, nec apparere.

VI. Comitatus Ecclesiæ concessus.

VII. In eam concessionem, in eum Comitatum aliqua animadvertuntur. Perantiqua erant hæ concessiones, & earum finis is erat, ut cælestis aliquid sanctimonia terrenis dignitatibus aspergeretur.

VIII. Varia exempla consimilium donorum ad redemptionem peccatorum.

IX. Sede & honore Ducum Reges aliquando Episcopos attolli voluere, ut propensiùs à populis colerentur.

X. Exemplo Ducatuum & Comitatuum Ecclesiis concessorum in Italia, Anglia, Francia.

XI. Statuerat aliquando Paschalis Papa dignitatibus his omnibus renuntiari. Residentiæ legibus religiosiùs servitum fuisset. Sed & charitas olim Episcopis sollicitudines temporales subire plurimas coegit. A priore sententia discessit Paschalis, intellexitque harum dignitatum usu sanctissimo posse Christo & Ecclesiæ non mediocria accedere incrementa.

XII. De Abbatia Cluniacensis summo dominatu.

XIII. De temporali dominatione Archiepiscopi Lugdunensis, & Viennensis, cæterorumque regni Burgundiei Prælatorum.

XIV. Potest harum dignitatum omnium aliquis usus esse sanctissimus. Errat, qui secus sentit. Ad id argumenta.

XV. De Patriarchæ Hierosolymitani temporali principatu.

XVI. De Paribus Franciæ Ecclesiasticis, Ducibus aliis, aliis Comitibus.

XVII. De Antistitibus Germaniæ, qui Comitatibus & Ducatibus se & suas auxere Ecclesias.

XVIII. De Electoribus Imperii.

XIX. De Abbate Fuldensi.

I. Scitissimè Petrus Damiani admonuit, eodem ipso Spiritû Sancti afflatu, quo inter ipsa Ecclesiæ incunabula agebantur fideles, ad distrahendos agros, eorumque pretio ad pedes Apostolorum deposito alendos pauperes, Ecclesiam posterioribus sæculis adductam esse, ut fundos ipsos retineret, & hinc inexhaustos hauriret largitionum in pauperes charitatis thesauros. Evertenda quamprimùm erat Hierosolyma, fideles in gentes dispergendi, stabiliora in his Ecclesiæ fundamenta posituri. *Ab ipso planè principio nascentis Ecclesiæ salubris hæc cœpit consuetudo fidelium, ut sua quæque vendentes, ad pedes Apostolorum Apostolicorumque virorum pecunias ponerent, quibus illi necessitatibus pauperum subsidia ministrarent. Post autem visum est Sanctis Patribus, qui scilicet illis in sacri regiminis ordine successerunt, ut ii, qui converterentur ad Dominum, nequaquam distraherent prædia, sed ea sanctis Ecclesiis traderent; non jam transitoriè, sed jure perpetuo necessitatibus indigentium profutura. L.1. Ep.13.* Idem habet & alibi, additque hanc posteriorem rationem alendo Clero & sustentandis pauperibus opportuniorem ac necessariam fuisse. *Procedente tempore sanctis Ecclesiarum Rectoribus visum est, ut ipsa potius prædia Ecclesiis traderentur, unde scilicet non modò Clericos sacris excubantes officiis Ecclesia pasceret, sed & refrigerii stipem diversis indigentibus & inopia laborantibus ministraret. L.4. Ep.12.*

II. Ab eodem Petro traditur pœnitentes peccata sua, & pœnitentias ex parte saltem redemisse spontaneis agrorum donationibus, quos Ecclesiæ fisco adderent, pro modo annorum pœnitentiæ præfixorum canonicæ. Tum enim anni computabantur pœ-

nitentiarum, & pervagatissimus erat illius regulæ usus, quæ septennem pœnitentiam mortali cuicumque piaculo indicebat. Hinc persæpè horum annorum pœnitentiæ summa ultra quantæcumque vitæ terminos excrescebat. Hinc excogitatæ rationes variæ redimendorum pœnitentiæ annorum. Hæ rationes primùm quidem novitatem redolere visæ sunt: at penitiùs post inspectæ ubi fuere, tum certò constitit haud inauditas eas fuisse, vel incompertas Sanctis Patribus. Illud saltem nemo ambigit, quin Ecclesia semper placuerit peccata eleemosynis redimi. Id quippe Scripturæ ipsæ vociferantur. Nec illud in dubium vocari potest, quin olim Episcopi, quibus Canones copiam faciebant mitigandæ & contrahendæ pœnitentiæ pro modo fervoris & studii, eleemosynas ponderarint, ut fervoris & pietatis specimen amplioris, atque adeo ut justissimam pœnitentiæ temperandæ & contrahendæ causam. Summam eleemosynæ noo præfioiebat olim Ecclesia, sed nec tempore Damiani moris erat eam definiri, sed permittebatur pœnitens suo arbitrio, Episcopus suo frui judicio. *Cum Sacerdotes Ecclesię annosam indicunt quibusdam peccatoribus pœnitentiam, nunquid non aliquando certam pecuniæ præfigunt pro annorum redemptione mensuram? Ut nimirum facinora sua eleemosynis redimant, qui longa jejunia perhorrescunt. Quod si hoc Laicis indulgetur, ut peccata sua eleemosynis redimant, ne surripiente mortis articulo ex hac vita sine reatus sui absolutione recedant,* &c. *L.5. Ep.8.* Et ubi determinatum est, quanta pecunia quantæ pœnitentiæ parti responderet; non tamen compellebatur pœnitens ei commutationi assentiri. Voce ea, *pecunia*, qua utitur Petrus Damiani, abutebatur plerumque media ætas, ut vel pecuniam, vel agros significaret.

III. Alibi tam expressiùs idem Petrus edisseruit, quanto agrorum spatio quanta compensaretur pœnitentiarum & redimeretur diuturnitas. *Non ignorans quia cum à pœnitentibus terras accipimus, juxta mensuram muneris eis de quantitate pœnitentia relaxamus, sicut scriptum est, Divitię hominis redemptio ejus. Perpende igitur, quia sicut illi, qui prædia prębent Ecclesiis, pœnitentia sua pondere merito levigantur,* &c. *L.4. Ep.12.* Si eo Lector sit animo, quo Damianus, ne in mentem quidem illi veniet suspicari. Ecclesiam in his cupiditatis terrenæ & avaritiæ contagio vel levissimo infici potuisse. In eam pestem exæstuasset Damianus, si quid ejusmodi odorari potuisset. Inexorabilem enim ille censuram agebat. De Ecclesiæ verò, quam de Petri Damiani integritate, summaque à terrenis cupiditatibus alienatione, multò certior constare nobis fide debet. Antiquissima & saoctissima Ecclesiæ Concilia bona Ecclesiæ omnia usitatissimè nominaverunt *pretia peccatorum*, & patrimonium Christi, quod ex fonte caritatis fluere, & in rivulo charitis effluere debet. Si proventus Ecclesiastici in sacrificia & in pias erogationes, quanti quanti sunt insumerentur, quæ eorum natura & finis est, nemo moveretur jejunia & pœnitentias quaslibet fundis commutari. Ea enim à compensatione ut primùm abhorreant aliqui, non facit, nisi Clericorum quandoque luxus, & in terrenas delicias propensio. Sed quàm meritò vituperandus est hic luxus, tam aliena est illa mentis occupatio ab his compensationibus abhorret.

IV. Edocet nos denique Petrus Damiani, Comitatibus potitos fuisse Episcopos nonnullos, & ipsum sese Episcopum & Comitem fuisse Ostiensem. Ita enim colligitur ex Epistola ab eo ad Alexandrum II. Papam data, qua gratias agit non de Comitatu concesso, sed de ablato, orans ut & Episcopali sarcina exoneretur. Longa & anxia Damiani interpellatione, ut utroque onere relevaretur, fatigatus Pontifex, hoc indulsit, ut Comitatu, hoc est, ut temporali illum Episcopatus cura absolveret, quæ utique molestissima erat. Sed non acquievit Damianus, totam humeris suis excutiendi sarcinam jamdiu cupidissimus. *O' quam jucundum, quàm suave nuncium, quàm denique dulces ad aures meas nuper fama devenit, quę vos Ostiensem Comitatum mihi subtraxisse, & aliis tradidisse perhibuit. Divinam imploro clementiam, ut Episcopatum quantocius ordinare non differas. L.1. Ep.15.* Qui Reges Principesque Episcopis ad Damiani mores & ingenium conformatis Comitatus largiti sunt: iis certè exploratissimum erat, ab iis sæculares dignitates toto sæculi fastu & vitio emaculatum iri, non ipsos his vitiis & pompis inquinandos unquam fore.

V. Longo distabant à Damiano ii Antistites intervallo, quibus suam Petrus Blesensis lucubratiunculam *de Institutione Episcopi* dicabat. Illud enim iis probro vertit præ cæteris, quod Barones Regni dici gestirent, cum sæculares hæ dignitates Episcopalibus innexæ tum infulis, vilescere illis debuissent, ut quæ Episcopatus majestate obruerentur, & non apparerent: *Quidam Episcopi Regum munificentias & eleemosynas antiquorum abusive Baronias & Regalia vocant, & in occasione turpissimæ servitutis seipsos Barones appellant. Vereor ne de illis queruletur Dominus, & dicat: Ipsi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi. Scias te assumpsisse Pastoris officium, non Baronis. Certè Joseph in Ægypto patrem suum & fratres instruxit, ut dicerent Pharaoni. Viri pastores sumus. Maluit eos profiteri pastoris officium, quàm Principis, aut Baronis.* In culpa non sunt apud Petrum Blesensem, qui Baronias & Comitatus gestant Episcopi, sed qui Comitiis nomen, splendorem, officium Episcopatui anteponunt; qui affici potius non aliter, aut animari debuerant, quàm ut Joseph in Ægypto apud Pharaonem, Daniel Babylone apud Darium: ubi eos Deus collocaverat, non fruendis opibus, dignitatibus, deliciis: sed ut in Ægyptum & Babylonem cœlestis Hierosolymæ & incorruptæ sapientiæ fontes derivarent.

VI. Anno 1001. Otto III. Imperator Episcopum Novarensem donavit dominio & alta Justitia Comitatus Novarensis, & omni denique amplitudine & jure Comitum Palatinorum. *Liceat Episcopo suisque successoribus Civitatis liberos & totius Episcopii, intus & de foris habitantes distringere, & cęteros, qui ante se vel suos Missos legaliter distringi voluerint, distringat, & quidquid contentionis inter eos emerserit, definiat, sicut definiendum esset, ante nos vel nostrum Missum seu Palatinum Comitem. Baron. ann.1001. n.* Marchiones autè, Comites, Judicesque vetuerat in territorium progredi Novarense, nisi ab Episcopo invitarentur. Henricus I. Comitatulum hunc Episcopis Novarensibus anno 1014. confirmavit. *Jam dictum Comitatulum à nostro jure in ejus Ecclesię potestatem omnino transfundimus & perdonamus.* Denique jura omnia & subsidia, quæ ad Imperatorem, vel ad Regem Italiæ inde redirent, Episcopis transcripsit. *Et omnia, quę de ipso Comitatu ad publicam partem pertinent, vel inde exigi possunt, teneat & possideat.*

VII. Operæ pretium est autem hic observari. 1. Concessionis ab Otthone III. factæ Episcopis Novarensibus formulam, prope abesse ab iis sive Concessionibus, sive Immunitatibus, quas primæ & secundæ Franci Reges Dynastiæ Episcopis & Abbatibus annuebant, quarum formulæ apud Marculphum & in plerisque occurunt Ecclesiasticæ historiæ monumentis. Ubique vetabantur Præsides, Magistratus, Judices, eò se conferre, nisi ab Episco-

po asciscerentur. Ubique facultates concedebantur terminandarum litium etiam civilium, inter laicos. Denique potestas ea colligendi jura & emolumenta, quæ solent ex hac jurisdictione existere. 2. Ea erat perfectio & absolutio Legum quondam Imperialium, quæ Episcopis concesserant, ut temporales etiam laicorum causas definirent; laicis verò, ut ad Episcoporum potius judicia convolarent. Qui has posteriores immunitates, vel Comitatus Rex, vel Imperator concedebat, is suos Comites, & Judices & Magistratus arcebat tantùm, nequid jurisdictionis exercerent in toto Antistitis territorio. Hinc enim Laici jam non poterant nisi ad Episcopi judicium confugere. 3. Comitatus, Ducatus, Baroniæ, quibus Episcopi à Regibus donabantur, non nuda & jejunia erant nomina, honoris solo titulo, & fastu turgida; sed jura amplissima juris dicendi, & explicandæ eximiæ authoritatis suæ. Erant enim à primæva sui origine Marchionatus, Ducatus, Comitatus, Præfecturæ quædam, & Administrationes amplissimæ, ad præfinitum primò tempus à Regibus concessæ, sed quas postea perpetuari & hæreditaria successione passi sunt retineri. 4. Scitè à Petro Blesensi observatum est, Baronias & magnificas has dignitates omnes Regibus primo datas Ecclesiæ fuisse, ut eleemosynas. *Regum manificentias, & eleemosynas Baronias & Regalia vocant.* Erant enim verò hæ religiosæ oblationes & hostiæ sanctæ, quas Principes offerebant Ecclesię, non ut sanctissimam Episcopatus gloriam terrenę dignitatis vano splendore illuderent; sed ut dominatio & jurisdictio ipsa civilis Episcopaliter, sanctissiméque administraretur; utque possent fideles, immo & cogerentur obsequi Pauli Apostoli hortamentis, quo vel non lites exercerent ullas, vel ad Tribunal eas Episcopi, & Pastoris sui carissimi perferrent.

VIII. Promam & novum hic ejusdem rei documentum. Cum statuisset Gottofredus Barbatus, non publica tantùm pœnitentia, sed sempiterno monumento aliquo resarcire damna, quę Virdunensi Ecclesiæ intulisset, idque facinus suum perpetuo aliquo insignire monumento: illam Ecclesiam quarta parte donavit Comitatus Virdunensis: unde & id inscribi voluit insculpique marmori, quo in ea Ecclesia tumulatus tegeretur. *Pro satisfactione malorum commissorum, do Ecclesia Beatę Marię ac ejusdem Presbyteris in perpetuum quartam partem Comitatus mei Virdunensis.* *Baron. n.1070. n.42.* Ita qui Ecclesiæ adscribebantur Comitatus & Ducatus, spiritales erant hostiæ, quibus peccata eluebantur.

Ubi Henricus IV. Germaniæ Rex Gregorio VII. Papæ conciliatus est, cautionem illam & instanter inculcavit Pontifex, & religiosissimè Rex observavit, ut Vormaciensem Civitatem Episcopo restitueret, abduceretque militare præsidium, nullo non facinore contaminatissimum, ut ne aris quidem sacrilegas manus abstinuissent. *Civitatem Vormaciensem, quam expulso Episcopo, dissipato cœlestis militię sanctuario, arcem belli, speluncamque latronum effecerat, abducto presidio, Episcopo Vormaciensi restituat, Baron. an.1076. n.58. 59.* Hæc Lambertus coævus & diligentissimus Scriptor. Gottofredus dedit, Henricus reddidit Ecclesiæ ditionem temporalem, ad redimenda facinora sua, atque ut iis urbibus dominos adsignarent clementiores, & Christiana pietate commendatores.

Tertium suppeditabitur à Saxone Grammatico exemplum in Suevone strennissimo Danorum Rege, qui ira & furore præceps, Proceres aliquos, nefas dictu, in Ecclesia interfici jussit, quorum obtrectationibus & mordacibus verbis lacessitus fuerat. Illum confestim Roskildensis Episcopus Vuillelmus ingressu Ecclesiæ arcuit, & novum novo Theodosio repræsentavit Ambrosium. Rex enim Theodosium æmulatus, & acerbissimo pœnitentiæ sensu percitus, tum publicè crimen expiavit, tum ad pœnitentiæ cumulum, dimidia Ecclesiam donavit Provincia, quo deo inconvulso vinculo Sacerdotii deinceps & Regni concordia constricta est. *Pro tam cruenti Imperii expiatione, muneris loco, Stefnieę Provincię dimidium ante à se conferri predicat. Baron. an.1077. n.74.* Ubi non silet Author, donum illud ingens Provinciæ in oblationibus & hostiis Deo sacris, & quidem ad expiationem scelerum collocandum fuisse.

IX. Nec nos præterit tamen eam quandoque fuisse Principum sententiam & voluntatem, in Ducatibus & Comitatibus Ecclesiæ conferendis, ut nova fieret Episcopis dignitatis & reverentiæ accessio: ita plerumque comparatis plebium animis, ut temporali, quàm spirituali amplitudini plus tribuant. In Canuto Daniæ Rege perillustre ejus rei specimen exhibet idem Saxo Grammaticus. Expertus enim his Rex in barbaræ adhuc gentis suæ animos nondum satis altè descendisse reverentiam in summos Sacerdotes Christi ministros, in Principum & Ducum fastigium Episcopos sublimavit, & aliis sęcularibus potestatibus sublimiores sedere jussit. *Cum ab inerti & rudi populo parum justam Pontificibus venerationem haberi cerneret, ac tanti numinis potiores inter privatos relinqueret, decreta circumspectionis industria, Principum eis consortionem indulsit, eisque primum inter Proceres locum perinde ac Ducibus assignavit, authoritatem honore concilians. Baron. an.1081. n.37.* Ita Ducatus ordine, honore & insignibus Episcopi ornabantur, una pietate & religione stimulante.

X. Nec honoris tantùm & fastigii ea erant incrementa, sed & potestatis & opulentiæ. Ut puta cum Gregorius V. Papa Gerberto Ravennati Archiepiscopo, Civitatem Ravennatem, & jura ejus dominicalia concessit, nec non & Comitatum Comaclensem, & alia dominia non pauca, addito & monetæ, & venationis jure, ne alia id genus plura persequar. *Donamus tibi tuæque Ecclesiæ districtum Ravennatis urbis, ripam integram, monetam, teloneum, mercatum, muros & omnes portas civitatis, &c. Comaclensem Comitatum, &c. Casenam, ut nullus audeat districtum, aut venationem ullam exercere, nisi cui tu aut tui successores jusserint. Gregor. V. Epist.2.* Regia ipsa jura hoc genus donationibus illigabantur, ut ex suprapositis enituit exemplis, utque ex hoc rursum patebit Roberti Francorum Regis in Concilio ad Calam anno 1008. ubi Rex piissimus San-Dionysiano Abbati jura regia, quibus ipse hactenus usus fuerat, indulsit. *Damus quasdam res juris nostri, hoc est, bannum hominis vulnerati, vel interfecti, & infracturam intra, vel extra castellum ipsius Cœnobii, & legem duelli, quod vulgo dicitur campus, ac totam procinctam, sicut antiqui Reges ei dederunt.* Decora hæc erant, propriaque Regiæ amplitudinis ornamenta, emendas homicidiorum, mulctas sacrilegiorum accipere, singularis prælii copiam facere, cum ejusmodi causa inciderat, qua recepta consuetudo patiebatur. In Concilio ad Ansam in Metropoli Lugdunensi anno 1025. memoratur, *Hugo Comes Episcopus Altisiodorensis.*

A' Canuto Angliæ Rege anno 1031. illustrati sunt Abbates Glastemburienses iisdem insignibus summę potestatis. *Concedo Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Glastoniæ jura & consuetudines in omni regno meo, & omnes forisfacturas omnium terrarum suarum; & sint terræ ejus sibi liberæ & solutæ ab omni calumnia & inquietatione: sicut meæ mihi habentur. Universis regni mei Præpositis & Primatibus præcipio, ut nullus omnino illam insulam intrare audeat, cujuscumque ordinis & dignitatis sit, sed omnia tam in Ecclesiasticis, quàm secularibus causis tantummodo Abbatis judicium & Conventus expectent; sicut prædecessores*

meæ

nari sanxerunt, *& privilegiis confirmaverunt. Gesta Reg. Ang. l.2. c.2.* Eadem auguramur non immerito fuisse jura Episcoporum & Comitum Altisiodorensium, nec non & Archiepiscoporum, Ducumque Remensium. Fuit enim, cum nullo discrimine haberentur Duces, Comites, Consulesque. In Concilio, vel Conventu Remensi, anno 1059. ubi Henricus Rex Philippum filium Regio diademate primùm redimiri jussit, à novo confestim Rege confirmatus est Remensis Ecclesiæ Comitatus Remensis, quo hactenus fruebatur: *Tunc fecit Philippus præceptum, sicut antecessores sui fecerunt de rebus Sanctæ Mariæ, & de Remensi Comitatu.*

XI. Verùm non facilè succurret animo magnificentius quidquam renunciatione Paschalis II. Papæ Henrico IV. Imperatori oblata, quæ nomine & vice omnium Ecclesiæ Prælatorum resignabat Principi Dominia Regia omnia, Ducatus, Comitatus, Marchionatus, alios Principatus quoscumque, avulsos jam à Prælatorum pedo, nec posthac à Principe Episcopis dandos & Abbatibus, nisi ubi ei collibitum fuisset, ea vicissim lege, ut ne se Reges amplius in investituras interponerent Episcopatuum, quorum deinceps reditus solis constarent oblationibus, & privatis hæreditatibus. *Tibi & Regno regalia illa dimittenda præcipimus, quæ ad Regnum manifestè pertinebant, tempore Caroli, Lodovici, Ottonis, & ceterorum prædecessorum tuorum. Interdicimus, & sub anathematis districtione prohibemus, ne qui Episcoporum, seu Abbatum præsentium, vel futurorum eadem Regalia invadant: id est, Civitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, Monetas, Telonium, Mercatum, Advocatias, Jura Centurionum & turres, quæ regni erant cum pertinentiis suis, militiam & castra, & ne se deinceps nisi per gratiam Regis de ipsis Regalibus intromittant. Ep.22.* Nec silebat Pontifex qui fructus ab Episcopis caprendi essent ex hac nova institutione, quod videlicet residentiæ legi posthac obsequentissimi forent, & sola in animarum spiritali cura omnem industriam operamque suam collocaturi. *Oportet enim Episcopos sæcularibus curis expeditos, curam suorum agere populorum.* Quanquam enim spiritali una charitate & addocantur laici ad offerendos, & illici debeant Episcopi ad suscipiendos hos Principatus; insunt tamen his molestiæ & sollicitudines gravissimæ, quibus ab officio interdum avocentur, & tædio afficiantur non mediocri, quos una delectaret animarum cultura spiritalis.

Contra tamen meritissimo insurget quis: Etiam sanctissimos Ecclesiæ Patres olim vehementer ingemuisse de his temporalis rei Ecclesiasticæ avocamentis & spinis, uti & de Judicum partibus sustinendis ad innumerabiles fidelium lites componendas, aut dirimendas. Indoluisse, inquam, de ea sarcina, nec eam tamen abjudicasse, aut abjecisse unquam; quod hoc illis oneris charitas imposuisset, & eo ferendo charitatis ipsius regnum amplificarent. Necdum Sancti Patres ea nominum magnificentia utebantur ipsi, aut ab aliis ornabantur ut vel Duces nominarentur, vel Comites Episcopi. Sed amplissima ea potestas, vel tot terrarum rerumque Ecclesiæ administrandarum, vel tot causarum disceptandarum, etiam temporalium, sive molestiarum aculeis, sive dignitatis splendore, Ducatibus, ut opinor, & Comitatibus non concedebat. Qui hac extrema Ecclesiæ ætate, Ducum, vel Comitum, Vicecomitum, vel Baronum dignitate decorantur Prælati, iis idem ille induendus est animus, idem animo hauriendus ignis charitatis, quo fervebant olim Præsules sanctissimi in his iisdem functionibus, ut plurimum nobis & longè pulcherrimam repræsentent effigiem Ecclesiasticæ antiquitatis.

Inde etiam est, quòd illa Paschalis voluntas vana & cassa mansit; Episcopi & Abbates iisdem circumfulsere dignitatibus, quibus ipsa earum ad Episcopatum & Clerum conglutinatio absterserat omnes sæculi sordes: lumen sanctitatis novum affuderat. Paschalis ipse in Concilio Lateranensi anno 1116. assensus est, ut quas Constantinus & Imperatores post alii Ecclesiæ communicatas voluerant sæculares dignitates, eæ ne rejicerentur; cum his illustrissimis documentis demonstrarentur Imperatores & Reges, Christi gloriæ addixisse, quidquid erat toto Regno vel Imperio splendidissimum. *Ecclesia primitiva Martyrum tempore floruit apud Deum, & non apud homines. Dein ad fidem conversi sunt Reges, Imperatores, Romani Principes, qui matrem suam Ecclesiam sicut boni filii honestaverunt, conferendo Ecclesiæ Dei prædia & allodia, sæculares honores & dignitates, Regalia quoque jura & insignia: quemadmodum Constantinus cæterique fideles & cupit Ecclesia florere, tam apud homines, quàm apud Deum. Habeat ergo mater & domina nostra Ecclesia, sibi à Regibus sive Principibus collata; dispenset & tribuat ea filiis suis, sicut scit & sicut vult.*

Non ea, ut existimo, mens hic erat Pontificis, ut Ecclesiis Constantinus existimaretur Comitatus & Ducatus contulisse; sed datas ab eo, & successoribus viam patefactam dandi terras nobiles & opulentas, datas & jurisdictiones civiles Episcopis, quo ex utroque postea Ducatus conflati sunt, & Comitatus, nova nomina rei & potestatis penè ejusdem. Cum rursus idem ipse Pontifex Richardo Narbonensi Archiepiscopo confirmaret omnium ejus Ecclesiæ possessionum usum; is enim tum vigebat usus à Pontificibus extundendi ejusmodi confirmationis, tuitionis & custodiæ Chartas, easque recenseret nominatim dimidium Comitatum Narbonensem annumerat, aliaque dominii jura. *Infra urbem Narbonensem medietatem ipsius Comitatûs, medietatem telonei, portatici, rafica, salinarum & cæterorum redituum, qui à civitatis Comite, tam de marinis, quàm de terrenis institutoribus exiguntur.* Episcopo Melfensi Baroniam Ecclesiæ suæ idem confirmavit. *Quidquid proprietario, vel Baronali jure Ecclesia vestra in præsentiarum obtinet. Epist. 48. 85.*

XII. Fuit in ipsis suis cunabulis Ecclesiæ Cluniacensi potestas oppidò magna & dominatio temporalis. Vuillelmus Alverniæ Comes, à quo posita sunt ejus fundamenta anno 910. nulli eam obnoxiam declaravit temporali domino præterquam Abbati suo. *Placuit huic testamento inseri, ut ab hac die, nec nostro, nec parentum nostrorum, nec fascibus regiæ magnitudinis, nec cujuslibet terrenæ potestatis jugo subjiciantur Monachi ibidem congregati. Bibl. Clun. pag.3. 6. 7. 574. 1494. 1535.*

A Ludovico Rege filio Caroli Simplicis confirmatum est hoc Caput Testamenti Vuillelmi Ducis. *Sit verò locus ipse juxta quod Vuillelmus constituit, & Apostolicæ Sedi ad tuendum, non ad dominandum subjugavit, ab omnium sæculari dominatu, tam Regum, quàm cunctorum Principum, seu propinquorum ejusdem Vuillelmi, quia & omnium penitus liber & absolutus.* Quæ clausula & ab Agapeto Papa confirmata est. Callisto II. in confirmandis Cluniacensis Abbatiæ privilegiis, non excidit jus cudendæ pecuniæ. *Percussuram quoque proprii numismatis, vel monetæ, quandocumque vel quandiu vobis placuerit, habeatis.*

Non satis comperi, an intellexerint tandem aliquando Abbates Cluniacenses, conducibilius sibi esse, sub tuitione degere potentissimi alicujus Principis, quàm vana pasci gloria summi dominii, passim à vicinis Nobilibus lacessendi & illudendi. Non dissimulavit B. Petrus Cluniacensis Abbas lubricam hanc sui Cœnobii fortunam, in Episto-

la ad Innocentium II. scripta, *L. 1. Ep. 21. Et quia terra nostra, ut nostris, sine Rege & Principe existens, quibuslibet exposita raptoribus est, &c.* Quod rursum expressius ad Eugenium III. Papam; *L. 6. Epist. 26. Est enim misera terra nostra cunctis pene terrarum partibus in hac parte miserior, quòd sine Rege, sine Duce, sine Principe, vel Defensore existens, exposita est ferarum dentibus.* Confirmatum est ab Innocentio III. jus Cluniacensium cudendi numismatis. Cum Rex Franciæ Philippus anno 1281. monetam sibi cudi jussisset apud Sanctum Jangulphum, contrà fidenter nixi sunt Cluniacenses, suam eo loco, non regiam procudi hactenus solitam pecuniam, & ejus, quam Rex ibi cudi faceret, mediam ad se partem jure devolvi. Rem ultro citroque inquiri & disceptari Rex jussit, auditisque hinc & hinc probationibus, vetuit ne posthac regia eo loco pecunia percuteretur. *Du Chesne pag. 64. 65. 140.* Sylviniacensis Abbatiæ idem jus asseruit doctissimus Quercetanus variis documentis in suas ad Bibliothecam Cluniacensem Notas congestis. Quod ipsum de pluribus Abbatiis aliis Chiffletius approbavit in Historia sua Trenorchiensi.

XIII. Edita est porro ab eodem Quercetano concessio Friderici I. anno 1157. qua Eraclio Archiepiscopo Lugdunensi, & fratri Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis confirmavit, non sola superiorum Imperatorum Rescripta Ecclesiæ Lugdunensi indulta; *Divi Imperatores Lugdunensem Ecclesiam sublimaverunt*: non solam Primatus per omnes Gallias dignitatem; *Imperiali magnificentia latiùs præsidet, & inter omnes Galliarum Ecclesiae prima est, &c. & primatus dignitate præfulget.* Sed & dominium temporale urbis, aliaque extra urbem jura complura. *Concessimus præfato Archiepiscopo totum corpus Civitatis Lugdunensis & omnia jura regalia per Archiepiscopatum, in Comitatibus, foris, monetis, teloneis, &c. Ibid. p. 107. 256. 271.*

In antiquo Chronico habetur Comitem Delfinum & Comitem Forosiensem, urbem Lugdunum invasisse, at Archiepiscopum Imperatoria potestate fretum anno 1162. eam rursus recepisse. Anno 1167. Clerus Lugdunensis & Comes Foresiensis de juribus suis pepigere. Hæc ex Roberto de Monte, qui de ea agit Lugdunensis Civitatis parte, quæ cis Rodanum est, & quam affirmat in unius Galliæ Regis potestate esse. Reliqua pars Imperatorii juris erat, ex quo regnum Burgundiæ cum urbe Lugduno, portio quædam Carolini quondam Imperii, ad Germanos Imperatores pervenerat. De Lugduno dicemus iterum pauló inferiùs.

Vix poterant Regnum Burgundiæ retinere Imperatores, quòd sua ipsos Germania vehementer sollicitos haberet; Italia verò crebris defectionibus fatigaret. Erant porro justissimæ illis causæ, ut Italiæ potiùs, quàm Burgundiæ retinendæ operam darent, cum conserta adeo & conjuncta esset Italia cum Imperio, cujus & diademate Romæ ornandi essent. Hinc facillimè adducti sunt, ut pulcherrimas quasque Regni Burgundici Civitates Archiepiscopis & Episcopis earum vel dimitterent, vel ultro largirentur. Impetum subinde in eas faciebant deprædatores, quò Imperatoribus tutius tandem visum est & honorificentius, earum custodiam, Comitatus & Ducatus Episcopis committi, quorum fidei fidentiùs incumberent. Eo scilicet invitamento Conradus Romanorum Rex anno 1146. Humbertum Archiepiscopum Viennensem custodia Viennensis Civitatis donavit, & circumpositi tractus, vetito Matisconensi Comite, ne quid ibi sibi arrogaret juris. *Omnium sæcularium potestatem, & Vuillelmum Matisconensem Comitem à prædicta urbe alienamus, & sub tua custodia, venerabilis Humberte Archiepiscope, successorumque tuorum & Ecclesiæ tuæ Viennensem omni integritate sua perpetuo jure tradimus.* Idem ipsum concessum est à Friderico I. anno 1159. *Præfata Civitas Regia Cathedra excellentia nullum præter nos debet habere possessorem; sed quamdiu absumus, ipsam per ejusdem loci Archiepiscopum & per Cathedrales Canonicos custodiri oportet. Bibl. Flor. Par. 3. pag. 82. 85. &c.* Anno 1157. idem Fridericus Archiepiscopum Viennensem Archicancellarii in Regno Burgundico nomine & dignitate decoravit. *Ut in Regno Burgundiæ Sacri Palatii nostri Archicancellarius, & Summus Notariorum nostrorum semper existas, & post te successores tui. Omnia quoque Regalia ab antecessoribus nostris Ecclesiæ Viennensi collata, communo etiam forum agentium, vel sustineatium causas, tam civiliter, quàm criminaliter nostra concessione teneat & possideat.* In alio Rescripto Principem Consilii sui illum designavit: *Et quia Princeps Consilii nostri, & Archicancellarius in Regno Burgundiæ, & primus in Aula Regali, & in administratione Reipublicæ.* Ita jus Custodiæ brevi in Principatum erupit; ipsorum dono & voluntate Imperatorum, qui munificentiam suam, quàm alienam hanc esse prædam malebant; dabantque quod retinere jam non poterant. Qui Burgundiam enim retinuissent, quorum è manibus Italia extorquebatur? Porro ubi sua Majorumque suorum beneficentia cumulatas fuisse venditant hi sive Reges, sive Imperatores Lugdunensem & Viennensem Civitates, quæ Principes Regni Burgundici & capita fuerant; inter hos Majores recensendi potissimum sunt Carolinæ familiæ Reges, quibus olim hoc Regnum paruerat, & ad quorum seros nepotes tandem revolutum est.

XIV. Non æquè pronum est divinare, quo ex capite accersendi sunt Principatus temporales complurium aliorum Galliæ Præsulum. Goffridum Catalaunensem Episcopum Petrus Venerabilis Cluniacensis Abbas, datis ad eum literis, non ut Episcopum tantùm illum, sed ut Principem reveretur, qui utriusque dignitatis amplitudini par esset, utriusque munia alia aliis illustraret, & quod supra admirationis aleam videri possit, bis mirificè conciliaret Monasticæ professionis, cui se olim addixerat, virtutes: *Quid & illud, quod cum tantæ urbi non solùm Episcopum, sed & Principem necessariò vos esse oporteat; nihil de Monacho vendicet Pontifex, nihil de Religione Princeps usurpet, nihil de prisco ordine mundus furetur. L. 2. Epistol. 43.* Utcumque iis hominum mentes occupaverit error, his Principatibus sæcularis fastos infamiam semper inhærere: in culpa est levitas animi & ventosa hominum ambitio, non ipsa dignitatum natura. Dignitates enim, æquè ut opes, perinde ut usus earum est, in laude, vel in vitio sunt. Boni bono eas usu cohonestant, mali malo dedecorant. Horum abusus ab Ecclesia profligandus est mediorum bonorum, & in utramque partem versatilium, non usus: nisi quis Arnaldi Brixiani insania laboret, quem proscripsit Innocentius II. anno 1139. in Concilio Lateranensi II. Nihil propriè à Clericis, nihil etiam in communi à Monachis possideri posse delirabat malè feriatus dogmatista, referente Ottone Frisingensi Episcopo, nec ab Episcopis ipsis in feudo; sed hæc omnia temporalibus & laicis dominis restituenda. *Dicebat nec Clericos proprietatem, nec Episcopos Regalia, nec Monachos possessiones habentes allo modo posse salvari, cunctaque hæc Principis esse, & ab ejus beneficentia in usum tantùm Laicorum cedere oportere.* Ejusdem vecordiam Novatoris coætaneus Poeta his quoque verbis adumbravit; *Nil proprium Cleri, fundos & prædia nullo jure sequi Monachos, nulli fiscalia jura Pontificum, nulli cura*

Pe-

Populatis Abbatum, sacras refectus concedere leges. Ita Guntherus Ligurinus.

Eodem ipso anno 1139. coactum est in Anglia Concilium Vintoniense, ad disceptandam causam duorum Episcoporum, Rogerii Salisberiensis, & Alexandri Lincolniensis, qui viribus & opibus circumfluentes, castra aliqua in suis Diœcesibus diligentius muniri fecerant. Rex Stephanus ipsos comprehendi jusserat, compuleratque ut eas arces sibi contraderent. Vintoniensis Episcopus Legatus idem in Anglia Pontificios, & Stephani Regis germanus, violata & conculcata fuisse à Rege Episcopatus jura contendebat. Contrà verò nitebatur Rotomagensis Archiepiscopus Hugo, per Canones haud esse fas Episcopis arces obtinere: aut ubi assentitur Rex, ut obtineant, tum eas repetenti reddendas esse, ubi bella fremunt, qui usus est sanè vulgatissimus. *Aut enim, secundùm Canonum scita injustum est, ut habeant castella; aut si prò hoc indulgentia principali toleratur, ut tradant claves, necessitati temporis debent cedere, &c. Esto, justum sit ut habeant; certè quia suspectum est tempus, secundùm morem aliarum gentium Optimates omnes claves munitionum suarum debent voluntati Regis contradere, qui pro omnium pace debet militare.* Hæc Vuillelmus Malmesburiensis. Trito & vernaculo idiomate arces istiusmodi appellitabantur Jurabiles, Reddibiles, & Receptibiles (Jurables. Rendables. Recevables.) quòd Principi redderentur tempore belli, & ab eo rusum reciperentur, reciprocæ hujus fidei vinculo juramentis astricto. Eodem admodum tempore spoliatus est Lucius II. Papa feudis & dominiis omnibus Cameræ Apostolicæ ab urbanæ seditionis incentoribus Arnaldi Brixiani contagio imbutis. Patricius ab illis creatus est, cui & hæc feuda omnia tradiderè, jusso Pontifice oblationibus & decimis victitare. Rem narrat Pontifex ipse in Epistola quadam sua: *Epist. 2. Patricium eligentes, omne et subjicinatur, omnia Regalia Pontificis tam in urbe, quàm extra posita, ad jus Patricii sui reposcunt, eumque more antiquorum Sacerdotum de decimis tantùm & oblationibus sustentari oportere dicunt.* Otto: Frisf. L. 7. c. 31. His procellis Eugenius III. compulsus est statim post suam Romæ inaugurationem Urbe egredi anno 1145. ad quam & eodem anno revocatus est, extinctaque Patricii dignitate, & se & pristinam recuperavit Superiorum Pontificum potestatem.

XV. Cum duodecimo demum hoc sæculo Palæstina ejectis Sarracenis in Christianorum potestatem venerit, adeundus nobis est Vuillelmus Tyri Archiepiscopus, qui addoceat nos, quæ temporalis fuerit hoc ævo Patriarcharum Orientalium potestas, & quàm finitima Romani Pontificis amplitudini, & peræquè objecta persecutionibus eorum, quorum maximè fidei incumbendum fuerat. Quo primum tempore Daimbertus primus Latinorum Hierosolymitanus Patriarcha in eam provectus est sedem, Gottofredus Hierosolymæ Dux temporalem omnem illi concessit nuperi Patriarchæ Græci ditionem, non sine accessione aliqua nova. Non multò post Patriarcha nimium faciles iis aures præbens, quibus pax cordi non erat, ut à Vuillelmo Tyrio perhibetur, *L. 9. c. 15. 16. 17. 18.*, cœpit à Duce repetere Civitatem & Arcem Hierosolymitanam, itemque Joppensem, cum suis omnibus territoriis. Mira Dux humanitate, hęc illi omnia restituit, ea cautione, ut ea ipse pergeret possidere, & homagio ligio ea de causa illi constringeretur, donec unam & alteram civitatem aliam armis subegisset. Eam Patriarchę petitionem non probat Vuillelmus Tyrius, & nihilo tamen minùs fatetur ipsemet jamdiu fuisse, quod Patriarchæ Hierosolymitani quartam partem urbis Hierosolymæ possiderent, etiam tum, cum ibi Saraceni rerum potirentur.

Non pigebit hic autem altiùs rem ordiri, & qua ratione eam sibi dominationem peperissent Patriarchæ Hierosolymitani, aperire; quod hinc roboris & lucis non parum accessurum sit ei, quam ad fastidium pene inculcamus doctrinæ, de partis Ecclesiæ hoc genus Dominiis & Principatibus. Sic enim refert Vuillelmus Tyrius. Anno 1063. Caliphæ Ægyptii jussu, cui tota tum suberat Palæstina, sarciri mœnia, & instaurari cœpere arces civitatis Hierosolymitanæ. Qui operi præerant, quartam murorum partem Christianis sarciendam adsignarunt, quamquam ad quartam civium partem ne accederent quidem. Hinc invecta illis necessitas, aliquid ut subsidii ab Imperatore Constantinopolitano mendicarent. Haud gravatè id concessum est, dum & à Calipha concederetur, ut quarta illa urbis regio Christianis sejunctim solis incolenda permitteretur. Pollicitus est Calipha, nec fidem fefellit. Ita sejuncti à cæteris civibus Christiani, causas suas cœpere ad Patriarchæ referre judicium, ut non alio præter ipsum Judice uterentur. Hinc illi non multò post parta, assertaque est Judicis & Domini temporalis potestas in eam urbis regionem. *Tandem seorsum habitantes sine admixtione Zaniorum, degebant quietiùs; si quas habebant quæstiones, ad cognitionem referebant Ecclesiæ, & mediante domini Patriarchę, qui pro tempore erat, arbitrio, controversias inter se decidebant. Sic ergo ab ea die, & ea ratione, prædicta pars civitatis quarta, alium non habuit Judicem vel dominum, nisi Patriarcham, & eam quasi propriam Ecclesia sibi perpetuò vindicavit.* Verba ea sunt Vuillelmi Tyrii, quibus expressiora ne desiderari quidem possint, vel illustriora, ad firmandam doctrinam formamque superius à nobis exhibitam antiquissimæ Ecclesiarum temporalis dominationis.

Hierosolymitano Duce Gottofredo extincto, post confirmatam testamento pollicitationem suam de restitutione Patriarchis facienda; qui ei successor accitus est Balduinus, idemque germanus ejus frater, quique primus anno 1101. Hierosolymæ Rex solemni pompa initiatus est; ei de ea restitutione nec in mentem venit. Sobriè & modicè vel jura, vel spes suas obstenderunt Patriarchæ ad annum usque 1128. quo Patriarchæ Stephano visum est eas excitare & impellere: sed præmaturo abreptus fato, propinati veneni suspicionem partibus suis aspersit. *Idem. L. 10. c. 3. L. 13. c. 25.*

Antiochenus quoque Princeps, verè, an simulatè Principatum suum à Patriarcha obtinebat Antiocheno. Ita disertè affirmat Vuillelmus Tyrius, *L. 15. c. 12.*, de Raimundo Principe, & Radulpho Patriarcha: *Fidelitatem manualiter exhibuit, spondens fide interposita, quod ab ea die in antea non esset in consilio, vel in facto, quod honorem, vitam, vel membrum perderet, aut caperetur mala captione, sicut in forma exhibenda fidelitatis continetur.* Perfidia Raimundi in Patriarcham manifestissimè prodit, quàm irrita & infida sint hæc fidei sacramenta, & hominia, ubi illa pietas exolevit, & religio, unde ea profluxerant. Simillimum enim veri est, illud fidei sacramentum non aliud ab origine primæva fuisse, quàm liberam & spontaneam professionem, qua se Princeps cœlesti Regi obnoxium fore recipiebat, cum ejus Ministris eo se vinculo obligaret. In promptu ratio est, quòd non satis constet ex historia, Antiochenam Civitatem juris & potestatis fuisse Patriarchæ, vel totam, vel ex parte. Nec id nescisset Vuillelmus Tyrius, nec siluisset, uti neque de Hierosolyma tacit. Ex eodem Tyrio, *L. 7. c. 8.*, Comes Tolosanus capta civitate Abara, alterius diei itinere ab Antiochia, Episcopum ei præfecit, media parte donatum urbis & territorii. *Cui statim dimidium civitatis & universi contulit territorii, Deo gratias exhibens,*

quod

quod per vias operam & studium Oriens Episcopum haberet Latinum.

XVI. A' vero non abludit, aut à verisimilitudine, sex Pares Ecclesiasticos Gallicani Regni idem genus incunabula fortitos esse. Quo tempore vel corruebat regia Caroli Magni prosapia, vel Hugonis Capetii stirps lento gressu consurgebat ad idem fastigium, Episcopis urbium ad fines regni positarum & potissimarum ea incubuit necessitas, ut exemplo Gregorii Magni ad ovilis sui salutem cum animarum spiritali cura temporalem conjungerent administrationem. In Archiepiscopos Remenses, in Episcopos Noviodunensem, Laudunensem, Catalaunensem, Bellovacensem, Lingonensem, frequentiores fuere hostiom Regni excursiones, aut irruptiones. Cum Reges ad alia distenti, non satis expeditè & validè accurrere & opitulari possent, ipsi sibi Præsules non defuerunt; laboribus, impensis, sollicitudine maximè, & charitate civitatibus affuere suis, easque Regno Francico incolumes vindicarunt. Nec immemores impensæ fidei, operæque fuere Reges, accitis his ad Consilia sua propius & ad ministeria regia Præsulibus; uti paulò antè diximus Fridericum I. Imperatorem Lugdunenses & Viennenses Archiepiscopos Consiliorum suorum Principes designasse, in Regno certè Burgundiæ, quod illi in fide continere satagebant. Erant & Comitibus, atque Ducibus suis Pares, qui eorum intererant Consiliis, eoque nomine & officio verè Pares erant. Fuere ergo & Galliæ Regibus Pares sui, quorum laici sex, Clerici totidem, propterea quod & in Consilia Regis, & in Comitia Regni, atque parlamenta uterque semper Ordo coaluerit. Archiepiscopi & Episcopi ad Parium dignitatem accersiti sunt, quorum industria, fides, fortitudo magis enituerat in his Provinciis in obsequio Regum confirmandis. In Normannia proprii fuere Duces, uti & in Burgundia; in Campania Comites, uti & in Flandria. Nulli ergo Pares Ecclesiastici in his Provinciis.

De aliis Paribus existimari potest ea Epistola Hildeberti Cenomanensis Episcopi ad Episcopum Bellovacensem, cujus geminam sejungit potestatem, ad spiritalia, & ad temporalia. *Non vereor huic te proposito defuturum, cui oppressis concurrere, & Cathedra facit ut velis, & Curia, ut possis. Tui siquidem juris est, quidquid in Civitate Belvaco Sacerdotium spectat, vel Regnum.* Epist. 58. Bernardus ipse ad Comitem Campaniæ literas dedit, quo eum hortaretur ad hominium pro more exhibendum Episcopo Lingonensi: *De casamento, quod tenetis, homagium, quod debetis, reverenter ei & humiliter offeratis.* Epist. 30. Non aliud antiquius, ut reor, vestigium Parium Franciæ, quàm in Epistola Eudonis Comitis Carnotensis, ad Robertum Regem scripta, super lite Comitis hujus & Richardi Ducis Normanniæ, *non sine Conventu Parium* disceptanda. Inter Epistolas Fulberti huic quoque locus fuit. Epist. 96.

XVII. Claudemus hoc Caput exemplis Comitatuum & Principatuum Germaniæ Episcopali Pedo adjectorum. Adalbertus, sive Albertus, Bremensis, sive Amburgensis Episcopus, consilium iniit emendi Comitatus omnes, Diœceseos suæ finibus circumdatos; exemplo sibi proposito tum Antistitum aliorum, tum maximè Herbipolensis, seu Virtsburgensis, qui Episcopatus sui temporalem omnem obtinet ditionem. Cum enim Comitatus omnes possideat illis finibus cinctos, hinc Dux efficitur totius regionis. Rem ita edisserit Albertus Stadiensis in Chronico ad annum 1062. Attendenda sunt hic ejus verba, iis referta rebus, quas haud ignorari magnopere interfit. *Tanta erat opulentia hujus Episcopi. Statuit autem omnes Comitatus sua Parochia, qui in sua Diœcesi aliquam jurisdictionem videbantur habere, in potestatem Ecclesiæ redigere, ad instar aliorum Præsulum, & maximè Virceburgensis, qui in Episcopatu suo neminem dicitur consortem habere. Ipse enim cum teneat omnes Comitatus suæ Parochiæ, Ducatum etiam Provinciæ gubernat.* Perhibet mox Albertus, quos Comitatus & quanta pecunia emerit Archiepiscopus. Nec dissimulat præter spem suam Adalbertum Ecclesiæ suæ opes, quas augere meditabatur, non mediocriter extenuasse; & id assecutum esse, ut Ecclesia Bremensis opulentis dominaretur Vassallis, ipsa tenuis, & egena. *Sufficit ideo pauperes esse, ut divites servos habeant.* Cap. 122. 262. Idem refert & Adamus Canonicus Bremensis in Historia Ecclesiastica.

Non oscitantem desiderant Lectorem, quæ hic nobis observanda veniunt. 1. Si sint Ecclesiæ Ducatus, si Comitatus, non eos semper à munifica Pricipum, aut Regum manu promanasse: fisco ex ipso suo eam non semel hæc sibi ornamenta & potestatis augmenta comparasse. 2. Hic Bremensis Archiepiscopus aliorum vestigia legebat Antistitum. *Ad instar aliorum Præsulum.* Itaque caro emerant & alii Præsules istiusmodi suis dignitates Ecclesiis. 3. Nec me fugit vastioris ambitionis invidia laborasse Adalbertum Episcopum apud sui ævi Historicos. Sed cæteri hi Antistites, quorum ille vestigia premebat, nulla ejusmodi macula aspersi fuere. 4. Episcopis & Comitibus familiares erant lites & dissensiones, de temporali potissimum jurisdictione, vel de utriusque jurisdictionis terminis. Hinc crepabant excommunicationes, hinc deprædationes, ad arma hinc & hinc non rarò decurrebatur. His malis & crebris & importunissimis ibatur obviam empta & parta Ecclesiæ jurisdictione temporali, quando spiritalis exortes & impatientes erant laici. Id his verbis Albertus Stadiensis innuebat: *Comitatus omnes, qui in sua Diœcesi aliquam jurisdictionem videbantur habere, statuit in potestatem Ecclesiæ redigere.* 5. Comitatus ergo ibi tum dicebatur minoris regiunculæ dominatio temporalis, majoris Ducatus, qua & plures Comitatus continebantur. Unde cum Virtsburgensis Episcopus Comitatus Franconiæ omnes Ecclesiæ suæ adjecisset, Dux Franconiæ evasit; quod & nomen & jus ad successores suos transmisit. *Ipse enim cum teneat omnes Comitatus suæ Parochiæ, Ducatum etiam Provinciæ gubernat.* 6. Non semel diximus in promiscuo persæpè habita fuisse vocabula Ducum, Comitum, Consulumque, ut idem ejusdem regionis aliàs Dux, aliàs Comes diceretur, aut Consul. Sed ex hoc Alberti Stadiensis loco perspicuum est, aliis regionibus & temporibus magnam fuisse eorum titulorum discrepantiam, nec distantiam mediocrem potestatis iis inneaæ. 7. Hinc proficiscitur nimirum, quod Episcopi alii alibi Duces sint, vel Comites, vel Vicecomites, vel Barones, perinde ut hæc dignitatis & potestatis nova incrementa adepti sunt, vel Regum largitate, vel sumptu & ære suo, pacem ut magis, quàm dominationem emerent. Quod rursus idem Scriptor insinuat de Episcopo Virtsburgensi, cui nullus dominii concors erat, nullus æmulus, aut potestatis collega, ideoque & nullæ istiusmodi dissensiones, quæ alibi tam crebræ inter Episcopos & Comites ardebant. *In Episcopatu suo neminem dicitur habere consortem, ipse enim cum teneat omnes Comitatus suæ Parochiæ, Ducatum etiam Provinciæ gubernat.*

Quas postea in Archiepiscopum Adalbertum malevolorum invidia tempestates excitavit, ut Aula se subducere, & latifundiorum partem suorum dilargiri coactus sit, quo residua tutaretur; earum caussa nonnulla penes ipsum forsitan fuit, præcipitis utpote non rarò consilii virum. At nihilominus tertio

tio post anno in Aulam revocatus, & gratia & authoritate, qua floruit, ingentes rursus Ecclesiæ possessiones aggeravit. *Idem anno* 1056. 1068. Sed vel hinc abundè liquet, nisi opulentiæ & potentiæ temporalis usus sit, quem esse oportet, Episcopalis, & sanctissimis Apostolicæ vitæ legibus consentiens, corruere hæc omnia, & Præsules ipsos gravissimis infortuniis implicari. Tot Comitatibus emptis, vel aliàs Ecclesiæ fisco adjectis, successor Adalberti Liemarus in Archiepiscopatu Bremensi, simultates exercens cum Comite Ludero, qui Lotharius postea fuit Imperator, captus est, in carceremque compactus, unde absolvi non potuit, nisi Ludero Advocato Bremensis Ecclesiæ creato, & magna vi pecuniæ ei appensa. *Idem anno* 1089. Hujusmodi Præsulum sæculari fastu & inani pompa, deturpatur & vilescit longè indubitatius Ecclesia, quàm eorum paupertate, quos idem Scriptor commemorat; *Idem anno* 1179. & quorum alterum ait Romam venisse uno equo contentum; alterum venisse peditem cum uno pedissequo, ad Concilium Lateranense III. Scoti bi erant Episcopi, quibus non longo proximus intervallo erat Episcopus Hibernus, qui ingenuo & verè Episcopali terrenorum omnium fastidio, fatebatur annuos proventus suos omnes ex tribus existere vaccis, quas sui sibi Parochiani suppeditarent. Nunquam pudet, nunquam tædet Ecclesiam hujus paupertatis; quin & illam gloriæ vertit, ubi virtutum affluit opulentia. Nec recusat illa opes, nec dignitates abjudicat, dum religiosus earum usus sit & finis; at vel in Antistibus eas suis execratur, ubi nonnisi sæculari serviunt luxui & ambitioni.

XVIII. Ad annum denique 1240. idem Chronologus nomine recenset septem Electorum, quales post eum annum fuere, cum ante omnes Germaniæ Principes uno & eodem privilegio potirentur. En ipsa ejus verba: *Ex prætaxatione Principum & consensu eligunt Imperatorem Trevirensis, Moguntinus & Coloniensis. Trevirensis enim licèt de Alemania non sit, ratione antiquitatis eligit. Palatinus eligit, quia Dapifer; Dux Saxoniæ, quia Marscalcus; Margravius de Brandeburg, quia Camerarius; Rex Bohemiæ, quia Pincerna est, non eligit, quia non est Teutonicus.* Eodem hoc tempore agebat, & Historiæ insudabat conscribendæ Albertus Stadiensis, quam ad annum 1256. protraxit. Itaque à verisimili non recedit, tunc defixum fuisse numerum septem Electorum, vel potiùs sex, trium Ecclesiasticorum, trium sæcularium, cum Rex Bohemiæ jure suffragii non gaudeat, nisi ubi paria hinc & hinc certant vota.

XIX. Narrat Arnoldus Lubecensis Abbas, quæ in Conventu Moguntino gesta sint sub Friderico I. ipso sacro Pentecostes die. Cum medius sedisset Imperator inter Archiepiscopos Moguntinum & Coloniensem, intervenit Abbas Fuldensis antiquissimum jus suum contestaturus, jamdiu à Coloniensibus Archiepiscopis sibi præreptum, sed à priscis Imperatoribus Abbatiæ Fuldensi concessum, ut sinistram tegerent Imperatoris Abbates Fuldenses, cum ejus dexteram tegebat Moguntinus Archiepiscopus, in omnibus Conventibus qui Moguntiæ haberentur. *Ecclesia Fuldensis hanc habet prærogativam ab antiquis Imperatoribus traditam, ut quoties Moguntiæ generalis Curia celebratur; Archiepiscopus hujus Sedis à dextris sit Imperatoris, Abbas Fuldensis sinistram ejus teneat. Chron. Slavor. l.3. c.9.* Interpellavit Coloniensem Imperator, ut Abbati concederet, sed videns eum omnino discedere, & plerosque secum abstahere Proceres, illos quidem omnes revocavit, at Abbatem præcepit secundas post Archiepiscopum tenere. Effervescit mox pius Scriptor in intemperias effrænatissimæ ambitionis quorumdam Laicorum, & nonnullorum Prælatorum, potissimum verò Monachorum, quorum professio sanctissima ad summum laudis culmen se extulit moderatione animi & sui despicientia: dedecoratur verò & pessumdatur hac eminentiùs sedendi jactantia, & quæsita titulorum magnificentia. *Crevit possessio, & evanuit religio. Ex temporalium abundantia dum cœperunt carnaliter vivere, cœperunt etiam carnaliter sapere. Refrixit charitas, subintravit mundialitas. Non fuit locus religioni, ubi patebat aditus elationi.* Poterat hic Abbas Princeps hanc sibi peperisse immediatè post Archiepiscopum Moguntinum sedendi prærogativam in Synodis, vel Conventibus peculiaribus Diœceseos Moguntinæ. Nec exemplis forsan res, nec speciei verisimili careret. An ut eandem sedis eminentiam sibi flagitaret supra Episcopos & Archiepiscopos, sive in Conciliis Provincialibus, sive in Comitiis generalibus Imperii, non poterat non ea summa videri ordinis & disciplinæ perversitas.

CAPUT XXXI. *P.4. l.3. c.20.*

De dictionibus, Comitatibus & Ducatibus Ecclesiæ datis, post annum Christi millesimum ducentesimum.

I. Probat Bernardus temporales Prælatorum dignitates, dum eorum finis & usus consentiat Ecclesiæ sanctimoniæ.

II. Variæ vicissitudines temporalis jurisdictionis Archiepiscopi & Capituli Lugdunensis.

III. De eodem rursus. De temporali dominatione Archiepiscopi Viennensis & Episcopi Gratianopolitani.

IV. De Episcopatibus Provinciæ Narbonensis primæ, & de temporali eorum ditione.

V. In antedicta observantur aliqua.

VI. De Archiepiscopatu Arelatensi, cujus ditio è Regno quoque Burgundico excerpta erat.

VII. Sub Philippo Pulchro Rege quanti Prælati Ducatus, Comitatus & Baronias obtinuerent.

VIII. Ditiones temporales Archiepiscoporum Rotomagensium & Parisiensium Episcoporum.

IX. De aliis quibusdam Galliæ & Belgii Ecclesiis.

X. De Episcopis Provinciæ Armoricæ. Defensio harum ditionum & dominationum temporalium, quarum potest usus Ecclesiæ & Regno, ornamento esse & compendio.

XI. Perabsurda donatio Imperatoris, Angliæ Regem ingenti portione Regni Burgundici donantis. Donati sunt & Episcopi Angliæ suis Regibus Principatibus temporalibus quibusdam. Exemplu. Quantè sit plenum periculi has ditiones patrimonio pauperum emere.

XII. Ab Anglia in Hispaniam venitur. Non possunt Episcopi nisi Regibus obnoxii esse.

XIII. De Prælatis Italiæ, & de Dominiis eorum temporalibus.

XIV. De Prælatis Germaniæ, & de Principatibus eorum temporalibus.

XV. De Prælatis Regnorum Septentrionalium.

XVI. De Græcia & Oriente.

I. HOc Capite locupletissimorum Ecclesiasticæ disciplinæ testium agmen ducet Bernardus, qui vehementer excanduit in insanias Arnaldi Brixiani, roboravitque judicio & calculo suo, quod in Ecclesia usitatissimum jamdiu erat, ut Prælatis essent Baroniæ, Ducatus, Comitatus,

Sa-

Sacris insulis innexi; sed ei plurimùm displicuit intumescens ex his quorundam fastus, & ostentatio sæcularis. En ipsa Bernardi verba. *In Serm. ad Pastores. In fine. Duplex est dominium Prælatorum. Habent enim claves Ecclesiæ, quibas claudunt & nemo aperit; aperiunt & nemo claudit. Habent & Regalia, quia domini sunt urbium & oppidorum. Nec solùm Episcopatus, sed & Consulatus habeat. Ut meritò eis dicatur; Quid ultra debui facere & non feci? sed quod datum est illis in adjutorium, factum est illis in scandalum.* Scitissimè Sanctus Pater hoc potentiæ temporalis adminiculo nihil tempestivius, nihil efficacius auguratur fore, si ea nunquam nisi ad Pastoralis charitatis, & sollicitudinis explenda officia torqueretur. Nemo enim tam hospes est, qui nesciat eo maximè obice retardari, aut prorsus retundi optima quæque Episcoporum consilia, dissensu, vel renisu potentiæ temporalis. Itaque cum hæc ipsa illis aspirante Deo, annuente Principe conceditur, vel permittitur, jam faciles plerumque exitus habent pia quæque molimina.

II. Diximus à Friderico I. Lugdunensem Archiepiscopum dictum fuisse Principem Consilii sui in Regno Burgundiæ. *Exarchon & Summus Princeps Palatii nostri in regno Burgundiæ.* Ab Henrico III. Imperatore ex Glabro, *l.3. c.4.*, jamdatus fuerat Archiepiscopatus Lugdunensis Adelrico, anno 1040. Guigo Lugdunensis & Foresiensis Comes donationem Civitatis Lugdunensis. & ejus ultra Ararim territorii injuriosam sibi esse interpretatus, arma corripuit, & Archiepiscopum Civitate expulit. Anno 1167. convenit illis, ut urbs utrique communis pateret. Anno 1173. fœdus paulò stabilius percussum est, quo Comes Ecclesiæ cessit Civitatem Lugdunum, & maximam partem territorii cis Ararim, terris quibusdam aliis sibi vicissim repensis. Eam concordiam firmavit Alexander III. nec non & Philippus Augustus, ita ut jam non reliquus esset Comiti, nisi Comitatus Foresiensis, Lugdunensi Comitatu toto in Archiepiscopum & Capitulum transcripto. Ea verò Regis Galliæ confirmatio ideo desiderabatur, quòd Francici juris & regni esset totus citra Sequanam Lugdunensis Comitatus. Quæ datæ fuerunt ad Ludovicum VII. Galliæ Regem Epistolæ ab Abbate Cluniacensi, & à Capitulo Lugdunensi super electione Archiepiscopi; ex iis perspicuum est non rarò confugiendum iis fuisse ad tuitionem Regum Galliæ, sicut & hic ea usi sunt adversùs eos, qui electionem à se factam oppugnatum ibant. *Du Chesne To.4. pag.665. 672.* Imperio tamen semper accensebantur Lugdunum, Vienna & Visuntio. Inde est, quod cum Philippus Augustus ad Innocentium III. conquestus esset de Legato ejus, qui interdicto subjecerat Franciam, cum in Francia jam ipse non esset; reposuit Pontifex, etsi tum Legatus in Francia non versaretur, versatum tamen fuisse intra fines Legationis suæ, quæ Provincias complectebatur Viennensem, Lugdunensem, & Visuntionensem. *Cum non solùm in Regno Francorum, sed in Viennensi, Lugdunensi, & Visuntionensi Provinciis injunctam sibi à nobis Legationis sollicitudinem suscepisset. Extra De offic. Legati c.7.* Perscribens ipse Philippus Augustus Rex ad Innocentium III. testatum facit, in Regno suo solam Bituricensem Ecclesiam jure Primatùs frui. *Sola Bituricensis Ecclesia in toto Regno nostro Primatiæ obtinet dignitatem.* Non ergo tum Philippus Lugdunum Regni sui finibus complectebatur. Acerrimè tunc de Imperio decertarunt Otto Saxoniæ Dux & Philippus Sueviæ. Otto jam bellum Ecclesiæ indixerat, ut author est Vuillelmus Brito in Philippiade, *Lib.10.*, cui historico carmini suo orationem Ottonis intexuit, antequam manus cum Philippo Augusto ad Bovinas consereret, ad exercitum habitam. Ea Otto profitebatur, certum id sibi & fixum esse, fundos omnes Ecclesiæ auferre, solis ut ea oblationibus & decimis frueretur: sed his suis consiliis gravissimum adversarium sibi objici Philippum Augustum. Tum in Imperatorem postea electus est Fridericus II. cujus Imperium mera & perpetua fuit cum Ecclesia conflictatio. Ita minùs mirum est, si Civitas & Ecclesia Lugdunensis tuitioni se Regum Franciæ commisit, qui ita demum antiquissima recuperarunt jura & dominia Coronæ suæ luxata tum primùm & scissa, ubi inter filios Ludovici Pii Monarchiæ Gallicanæ in plures partita & distributa sunt Regna. Anno 1269. B. Ludovicus Galliæ Rex turbas aliquas & dissentiones sedavit Lugduni, arbitrum se & pacificatorem agens. Anno 1274. Gregorius X. Lugduni Concilium celebrans generale, à Philippo Audaci Galliæ Rege invisus est, eique Rex ut in Regno suo militem ad custodiam & tutelam dimisit. *Sed quia apud Lugdunum Dominus Papa debebat Concilium celebrare, Philippus Rex utpote in Regno suo dimisit ibidem milites & servientes ad custodiam Domini Papæ & cæterorum in Concilio congregandorum. Du Chesne Tom.5. pag.328.*

Ejus Ecclesiæ Canonicorum albo inscriptus olim fuerat Gregorius, quo faciliùs anno 1274. arbiter ipse & judex sedit litis inter Archiepiscopum & Capitulum super Comitatu Lugdunensi. Ab eo autem declaratum est, temporalem Lugduni jurisdictionem penes Archiepiscopum esse, & ejus tamen partem aliquam Capitulo communicari, propter jura, quæ à Comite Foresiensi sibi olim comparasset, & quibus Comitatûs nomen additum esset. *Declaramus jurisdictionem temporalem in Civitate Lugdunensi spectare ad Archiepiscopum, & pro aliqua parte ad Capitulum, ratione juris, quod idem Capitulum à quodam Comite Foresii acquisivit, & Comitatum appellat.* Ejus Rescripti reliquam partem non publicavit Rainaldus monuisse contentus, *Ann.1274. num.61.*, definitos fuisse à Pontifice limites jurisdictionis Archiepiscopi & Capituli. Concessiones Imperatoriæ, de quibus verba fecimus, ad Archiepiscopum spectabant. Concordia verò & permutatio cum Comite Foresiensi ad Capitulum, cujus agri in Comitem transcripti fuerant.

Anno 1297. *Rainal. n.54.* Lugdunenses ab Archiepiscopo provocarunt ad Philippum Pulchrum Regem, qui gratanter ansam arripuit restituendæ, vel firmandæ dominationis suæ in eam urbem, quæ tandiu quasi abalienata fuisset. Interdicto urbem subjecit Episcopus, persuasus appellari non potuisse. Interpellatus à civibus Bonifacius VIII. Papa, interdictum quidem relaxari curavit, at Archiepiscopo enixè patrocinatus est adversùs Regem, contestatus inter Lugdunenses Canonicos se quondam ipsum meruisse, ejusque Ecclesiæ jura sibi esse perspectissima; civitatem & Ecclesiam extra Gallicani regni fines esse positam, uni obnoxiam Episcopo, ut Regi nihil in eam esset juris, ac ne provocatio quidem. Contendebat ex adverso Rex Galliæ Ecclesiam Lugdunensem à Majoribus suis dotatam & locupletatam, diutina tuitione defensam & servatam fuisse; nec feuda sua illam & dominia nisi à Regibus Galliæ obtinere, uti & Augustodunensem, cum geminæ eæ Ecclesiæ reciprocam sui custodiam habeant ultro citroque, cum alterutra vacat sedes; Ecclesiam Lugdunensem Comitatu Lugdunensi potiri precario & beneficiario jure à Comitibus Lugduni & Foresii, qui ipsi in jure & potestate essent Regis Francorum; permutationem nisi authoritate Regum Franciæ fieri non potuisse; Capituli Lugdunensis, cujus esset portio aliqua Comitatûs, sigillum lilio, Gallicani stemmatis

flore,

flore, præfulgere, eoque argumento prodi, quantum Gallicanæ Monarchiæ debeat; Beatum Ludovicum, cum ad Africanum cum Mauris bellum properaret, & Philippum filium ejus jam Regem cum inde redux esset. Lugduno iter habuisse, & ferocientes tum adversùs Archiepiscopum & Capitulum cives coercuisse, eversis, soloque æquatis arcibus, quas adversùs Ecclesiæ Principatum excitassent: Custodem ergo & tutorem ejus Ecclesiæ, cui non aliter sui cives obtemperarent, esse Regem Galliæ, in eoque satis esse causæ, ut ea antiquissimis Principibus & Regibus sui restitueretur. *Beatus Ludovicus ab Archiepiscopo & Capitulo Lugdunensi requisitus, quæ cives Lugdunenses coercuit, & fortalitia, quibus se munierant contra Ecclesiam Lugdunensem, dirui fecit, tanquam superior & gardiator ipsius Ecclesiæ, cives suos coercere non poterat. Idem anno* 1312. *n.*34. 35. *Historie. du Differend. pag.*94. 91. 319. 320. 321. Postremò denique Archiepiscopos Lugdunenses omnes sacramento fidei in Reges Galliæ persunctos esse more solemni, excepto hoc postremo, cujus contumaciam immissis militum copiis comprimere necesse fuisset. His argumentis hinc & illinc depromptis Clemens V. diuturnæ litis finem fecit, summo dominatu ejus urbis & finium ejus Regi adscripto, utili dominio penes Ecclesiam superstite & illibato.

Apertissimum porro hìc est, non alio, quàm Custodiæ jure Archiepiscopos & Episcopos Regni Burgundici, quod illis ab Imperatoribus commendatum fuerat, dominos tandem evasisse, & summos dominos, per absentiam vel imbecillitatem Imperatorum, qui summi domini, aut erant, aut sibi videbantur esse, qua videlicet Reges Burgundiæ, quo etiam nomine, & solo nomine se venditabant. Ita & Reges Gallos ex Custodia horum Archiepiscopatuum & Episcopatuum Regium sibi Principatum recuperasse; Quòd nec Præsules ibi potuerint ad obsequium populos frangere, nec populi à Præsulibus necessariam tuitionem assequi, nisi intervenientibus Franciæ Regibus, qui ab his, illisque sæpiusculè interpellati sunt. Ita umbratilæ hæ dominationes ea pene ratione elapsæ sunt, qua illapsæ fuerant in Ecclesiam; & ad Reges revocatæ sunt potentissima tuitione illis præstita, uti defluxerant ex impotentia eas tuendi, cum Carolinæ familiæ postremi Reges lapsanti & nutabundo solio vix hærerent.

III. Paulò tardius civitas Viennensis primæ & immediatæ se reddidit Regum Francorum dominationi. Ei imperitabant adhuc Archiepiscopi sui tempore Concilii Viennensis, & ea ipsa de causa Clemens V. Concilium ibi indixit, Concilio se accommodans Cardinalis Pratensis, ut extra fines positus Gallicani Regni, facilius obluctaretur Regi, omni virium contentione ad damnandam Bonifacii VIII. memoriam anhelanti. *Tu cum Curia illuc pergens, eris extra territorium jurisdictionis Regis in tua libertate, nec tibi vel curia nocere valebit. Rainald. an.*1307. *n.*10. Dum ferverent hujus Concilii Sessiones, pepigit Rex cum Archiepiscopo Lugdunensi, juribus aliis & proventibus adsignatis, ad compensanda Ecclesiæ Lugdunensis in eam Civitatem jura. *Tempore Concilii Philippus Rex habuit Lugdunum integraliter data recompensatione in redditibus Archiepiscopo Lugdunensi, pro jure, quod sibi in Lugduno Ecclesia vindicabat. Super quo prius Clemens Papa consultus per Archiepiscopum consensum non prabuit, nec dissensum, sed reliquit Archiepiscopum in manu Consilii sui. Rainald. an.*1312. *n.*29. Ita coævus historicus à Rainaldo laudatus. Experiebatur Archiepiscopus dilabi & effluere hunc sibi principatum, eoque tandem frustatum se iri; adeoque nec consultius sibi quidquam esse, nec compendiosius, quàm ut intacta sibi constanto dominii totius utilitate, amicum sibi invictissimumque defensorem Regem conciliaret. Litis forsan aliquid de eo ipso adhuc excitum est anno 1394. Tradit enim Sandionysianus Monachus vitæ Caroli VI. scriptor, *L.*14. *c.*3., Concilium ab eo Rege congregatum, ad disceptandam litem, cum Archiepiscopo Lugdunensi de dominio urbis Lugdunensis, quod ille sibi vendicaret.

Archiepiscopi verò Viennenses, Archicancellarii & Principes Regni Burgundici dici non destitere, authoritatis etiam cujusdam summæ munia obire, & Delphinorum Viennensium hominio coli, ita ut Delphinatus ipse Feudus esset, vel ut loquuntur Retrofeudus Archiepiscopatus Viennensis. Congressi semel iterumque sunt Delphini cum Archiepiscopis, ut eorum se subducerent potestati, & Viennæ ipsimet imperitarent. Retinuere Achiepiscopi summæ authoritatis suæ culmen, tum viribus suis, tum patrocinio Romanorum Pontificum Avenione sedentium. Humbertus Delphinorum postremus cum Pontificis judicio juberetur omnia restituere, quæ in Archiepiscopum & in Ecclesiam Viennensem diripuisset, incredibili animi mœrore contabuit, Philippo Franciæ Regi Delphinatum vendidit, Monasticam denique professus vitam, Ecclesiasticisque summis exornatus infulis priorem illam mœstitiam abstersit. Carolus Philippi Regis primogenitus Delphinatu investitus est, ejusque hominio persunctus est Archiepiscopo Viennensi in ipsa Viennensi Ecclesia anno 1349. cum plebs undique eò confluxisset. A' Delphino enim Humberto emptores successoresque ea lege devincti sunt, ut eadem ipsa præstarent hominia, quæ ipse Ecclesiis Viennensi, Lugdunensi, & Gratianopolitanæ persolvisset. Anno 1465. Delphinus Viennensis Ludovicus, Caroli VII. Regis primogenitus, cum Joanne Pictaviensi Archiepiscopo Viennensi novum fœdus init, quo Delphinus quæsivit jus *Paris* (Pariage.) cum Archiepiscopo, hoc est, ut alternis annis jus dicerent Ministri Delphini & Archiepiscopi. Quæ hactenus à nobis delibata sunt, eorum pars maxima perorata est ab Oratore, vel Causidico Ecclesiæ Viennensis, in ejus litis judicio, quo certavit, & quo tandem illa vicit anno 1400. Lutetiæ, astante Carolo VI. Rege, ut fidem facit vir doctissimus Joannes du Bosc Cælestinus, in commentario suo *Vienna Sancta & Senatoria Antiquitates. Cap.*5.

Anno 1161. Fridericus I. Imperator Episcopum Gratianopolitanum eodem titulo ornavit Principis, & eadem dominatione in Civitatem suam, qua in suas utebantur Archiepiscopi Lugdunenses & Viennenses sub Imperii tuitione. *Fidelem & dilectum Principem nostrum Gaufredum Gratianopolitanæ Ecclesiæ Episcopum, ejusque Ecclesiam & universa sibi pertinentia, sub nostram Imperialem protectionem & tutelam recepimus, & Regalia nostra, quæ in Gratianopoli, & in toto Episcopatu suo possidere cognoscitur, nostra Imperiali authoritate prædicto Episcopo ejusque successoribus confirmamus. Recueil pour l'histoire de Bourgogne. pag.*240. 446. Confirmatum est à Friderico II. Imperatore illud ipsum privilegium Petro Episcopo Gratianopolitano, qui & ipse Princeps Imperii dicitur: *Petrus dilectus Princeps noster, &c.* Nec necesse est hic nos diutius moras nectere in persequendis juribus aliis dominicalibus, ut cudendi numismatis, & id genus aliis, quibus Abbatia Sancti Benigni Divionensis, aliæque Burgundiæ Ecclesiæ, vel à Regibus nostris donatæ sunt, vel à Ducibus Burgundicis. Compilata sunt ea privilegia in nupera editione monumentorum aliquot ad Historiam Burgundicam pertinentium.

IV. Illud in Concordia sua observavit Illustrissimus Parisiensium Archiepiscopus Petrus de Marca,

ea, *Pag.48. 49. 103. 225. 233. 525.*, recepta à Clodovæo Rege Tolosa in Gotthos Hispanienses, Provinciam Narbonensem, quæ in eorum fide remansit, divisam fuisse in Comitatus, seu Præfecturas novem, pro numero Episcoporum, Narbonensi Metropoli obnoxiorum. Eam Provinciam cum penitus vastassent Sarraceni, eamque iis ejectis recepissent Reges Franci, Ecclesias ab illis obtritas exhaustasque restaurari non potuisse, nisi Comitatibus ex parte saltem aliqua cuique Episcopali sedi attributis. Archiepiscopo Narbonensi concessa est Comitatûs Narbonensis portio, Mimatensi Episcopo cessit Comitatus Gabalorum pene totus, Magalonensi Præsuli ejus Comitatus non pœnitenda pars addicta est. Ruente Caroli Magni stirpe, qui temporarii & pro arbitrio revocabiles fuerant Comites, suo sibi marte & privata authoritate Principatus deinceps suos perpetuos retinuere. Comites Magalonenses nequid damni, vel contumeliæ inurerent Episcopo, eidemque Comiti Magalonensi, Melgorenses Comites dici se voluere, vel Sustantionenses, Castrum illud erat, hoc oppidum, altero lapide à Montepessulo. Cum Civitatem verò Magalonensem olim ipsemet diruisset Carolus Martellus, ut ne eam arcem rursus invaderent, & ex ea in nos incursarent Sarraceni Hispaniæ, suam Episcopus Magalonensis sedem Sustantionem transtulerat. Anno 1085. Petrus Comes Melgoriensis Comitatum suum Gregorio VII. Papæ dono dedit, ut ab eo illum obtineret fiduciarum, ei Sacramento fidei se obligaret, & unciam auri annuo persolveret censu. *Marca de Concord. L.2. c.3.* Is Comitatus ad fœminas tandem devolutus, Raimundo Comiti Tolosano obtigit, illi pertinacissima in Ecclesias persecutione famoso, quem cum Concilium Lateranense suis spoliasset Principatibus, ut contumacissimum Albigensium fautorem, dominium utile Comitatus Melgoriensis directo copulatum est, tum damnationis sententia in Comitem Tolosanum dicta, tum diutina censûs pendendi cessatione. Videns Innocentius III. vix posse constare rem ejusmodi, cum necdum Regis consensus intervenisset, hunc Comitatum addidit Ecclesiæ Magalonensi, nomine feudi, anno 1215. sub annuo censu argenti pondo viginti. *Innoc. III. Regest. 15.* Addubitasse visus est B. Ludovicus Rex de eo Pontificis jure, quem illi scrupulum eximere laboravit Clemens IV. Papa, literis ad eum datis, ex quibus hæc ferè decerpta sunt. *Ep. 171. Bosqueti Notæ pag. 191. 192.* Sed cum graviter expostularet Bonifacius VIII. de invasis à Philippo Pulchro Rege terris juribusque Ecclesiæ Magalonensis, hinc odoramur jam tum conticuisse jura illa priora Romanæ Ecclesiæ. *Rainal. ann. 1300. n. 30.* Postquam verò Africani Barbari frequentibus cœpere excursionibus suis Magalonam infestare, Paulus III. anno 1536. Episcopalem Sedem Montem-pessulum transtulit, qui Episcopo ei jam tum fuberas à temporibus Ludovici VII. & Philippi Augusti, à quibus illud ei jus confirmatum fuerat.

Horum in locorum Historia versatissimus Catellus, qui Tolosanorum Comitum res gestas persecutus est, testatum facit, *Pag. 27. 28. 29. 30.*, Raimundum Sancti Ægidii Comitem Tolosanum, primum omnium sibi sumpsisse titulum Ducis, vel Comitis Narbonensis; idque probabiliter factum existimari ex eo, quòd Archiepiscopus Narbonensis eum sibi Parem quodammodo & juris dicendi socium adscivisset, ut ejus armis & authoritate adversùs Narbonenses Vicecomites muniretur. Ex Chartulario certè illarum Ecclesiarum patet Comitem Raimundum moderatorem semper egisse se & arbitrum controversiarum Archiepiscopum inter & Vicecomitem pullulantium. Cum anno 1066. jurgia emersissent inter eos de proprietate portionis areium, murorum & vectigalium urbis, Raimundus transactionem expressit, qua Vicecomes Archiepiscopo astringebat se hominii & fidei vinculo. Superest & Charta, qua idem Tolosanus Comes Archiepiscopo pollicetur & recipit, daturum se ei tertiam eorum partem, quæ ipse sibi in Comitatu Narbonensi acquiret, & præstaturum, ut Vicecomes vectigalia ei restituat & prædia, à Regibus olim Archiepiscopo concessa. *Sicut sonat in preceptis Regum sine inganno.* Inde perspicuum fit concessione Francorum secundæ Dynastiæ Regum, Archiepiscopos Narbonenses Ducatum, vel Comitatum ejus urbis & regionis obtinuisse. Affirmat Catellus in Archivis Sancti Pontii Tomeriarum donationem haberi à Raimundo Sancti Ægidii huic Abbatiæ factam anno 1080. ubi his ille insignitur titulis: *Ego Raimundus Ruthenensis, Carcassonensis, Nemausensis, Agathensis, Biterrensis, & Narbonensis Comes.* Apparet unam & parem fuisse horum omnium rationem, quòd custos cum esset, & defensor horum omnium Episcoporum, aut vocatus ab illis sit in parem juris dicendi potestatem, aut jus custodiæ & tuitionis ipsemet in Comitatûs dominationem protruserit.

Postquam Raimundus senior Tolosæ Comes, Principatibus suis exauthoratus est, iique in Simonem Monfortium transcripti sunt, novus hic Tolosæ Comes Narbonensem se Ducem dici voluit, *Ibidem*, fideique Sacramentum à Vicecomite extorsit, vi adhibita, cum is ejusmodi juramento jam inde ab anno 1212. Archiepiscopo se obligasset coram Legato Papæ & nonnullis Provinciæ Episcopis. Eam contumeliam amarulentissimè Archiepiscopus in aures Cardinalium & Innocentii III. Papæ effudit. Pontifex ad Monfortium rescripsit, cum hominio ipsemet & Sacramento fidei Archiepiscopo sese devinxisset, non debuisse ipsum mœnia & arces evertere Narbonensis Civitatis, subditosque Præsulis ad defectionem & perfidiam sollicitare. Nec eo tamen cohiberi potuit Monfortius, quin totum pervaderet invaderetque Ducatum. Iterum iterumque Sacra Ecclesiæ fulmina in eum evibravit Archiepiscopus, excussit & interdicta in Ecclesias, tum maximè cum Arcem Narbonensem invasit Comes, & in Turrium ejus fastigio vexillum suum explicuit. A' Galliæ Regibus non Tolosano tantùm Comitatu, sed & Narbonensi Ducatu investitus fuerat Monfortius. De incursionibus etiam Francorum conquerebantur Archiepiscopi. Illud præ cæteris animadvesti par est, cum tertias pars murorum Civitatis Narbonensis ad Archiepiscopum pertineret, restauratam eam aliquando fuisse ab Episcopis Provinciæ, partito inter se sumptu, unde & Catellus ait superesse eorum nomina, suæ cuiusque murorum parti inscripta. Anno 1290. ad Philippum Pulchrum Regem literæ datæ sunt à Concilio Biterrensi, ut Vicecomitem Narbonensem cogeret, eam fidem Narbonensi Præsuli præstare cum hominio, quam antecessores ejus præstitissent. Ad eundem Regem anno 1300. rescripsit Bonifacius VIII. ut conquereretur de Amalrico Vicecomite Narbonensi, cujus Majores cum Vicecomitatum ab Archiepiscopis accepissent, eique fide & hominio se devinxissent; quin & ipse illos parens eo obsequio publicè functus esset in Ecclesia Narbonensi. *Ut pater istius Vicecomitis præsente Narbonensi Archiepiscopo, cum Sacramento fidelitatis & homagio, ante majus Altare in Ecclesia Narbonensi, ut moris erat prædecessorum, publicè negaverat à dictis Archiepiscopo & Ecclesia Narbonensi se tenere in feudum, ut indubitatis constat Regum Franciæ prædecessorum tuorum privilegiis.*

Qui Caturcensium Episcoporum Catalogum

scri-

scripsit, ab Episcopo ejus urbis invasum ait fuisse Comitatum Caturcensem, eo ipso tempore, quo Comitem Tolosanum suprà narravimus eo exutum fuisse. Multò similius veri est, prisca tum illum sua recuperasse jura; aut incumbentem gravissimam necessitatem tuendæ ejus Civitatis adversùs Albigensium furores, compulisse Episcopos, ut defensionem & custodiam urbis tractusque in se reciperent. A' Petro Vallisarrensi proditum est memoriæ, Civitati Albigensi duos fuisse dominos, quorum potior & principalior esset Episcopus, posterior Vicecomes. *Besquet. Nota in Innoc. p.56.*

V. Si nihil præjudicii, nihil privatis affectibus indulgeamus, rationi maximè consentaneum est, quod in Charta quadam sua confitetur Ludovicus VII. Galliæ Rex anno 1161. ante omnem hominum memoriam nullum Mimatensium Episcoporum ad Aulam accessisse Regum Francorum, aut Sacramento fidem illis suam obligasse, quanquam non spiritali tantùm, sed & temporali Gabalorum pagi jurisdictione potirentur. *Longè est a memoria omnium mortalium nostri temporis, quod aliquis Episcoporum Gabalorum ad Curiam Antecessorum nostrorum Regum Francorum venerit, & eorum subditionem noverit, sive fidelitatem eis fecerit. Gall. Christ. Tom.3. pag.729.* Advolasse nuper Aldebertum Mimatensem Episcopum, ut ei se obnoxium profiteretur, præstito etiam fidei Sacramento, gnarum hos Principatus temporales, uti rivulos quosdam dimanare à fonte Regiæ potestatis, quos proinde æquum esset originem in suam aliquando reflecti. *Vir illustris Aldebertus Episcopus religiosè cogitans materiales gladii justitias ad virgam Regni pertinere, cognovit Episcopatum suum de Corona nostri Regni esse, & se nobis subdens, fidelitatem fecit.* Hinc & illi à Rege vel restituta, vel confirmata sunt quæcumque prædecessores Episcopi feuda Regia tenuissent. *Cum Regalibus ad nostram Coronam pertinentibus.* Plurimum profectò est in his verbis momenti, ut constet jus omne exerendi gladii, & explicandæ temporalis jurisdictionis radium esse à Regia majestate derivatum. Itaque si ubi oscurari, ac pene quandoque deficere videtur Regia amplitudo, hos ab ea rivulos contingat excurrere longiùs & aberrare; ubi illa se, suamque primævam recuperavit vim, tum & illos ad eam necessum est, ut ad caput & fontem suum revocari. Quin & rivulorum interest non minùs, quàm fontis, illos huic tandem post varios errores rursum recolligi; ita enim jura alia omnia Principatuum confirmantur, præter summum dominium, quod suo tandem pondere corrueret, nec suis diu se viribus tueri posset; cum nec ad breve tempus queat, nisi inter eas sollicitudinum, dissensionum, pugnarumque & defectionum procellas, quæ paci & otio Clericatûs minimè consentiunt.

VI. In Concilio Arelatensi anno 1234. constitutum est, sicut Arelatensis Metropolitanus pro Suffraganeis suis decertabat, sicubi eorum jura vel feuda ab Imperatoribus concessa concuterentur: parem officii vicem ei rependi debere à suffraganeis; denique sancitum est, ut Episcopi omnes privilegii à Conrado concessi penes se haberent transcriptum. *Cum teneamur jura suffraganeorum nostrorum defendere & servare, volumus & mandamus omnibus suffraganeis nostris, ut Regalia B. Trophimi ad Ecclesiam Arelatensem pertinentia pro posse suo defendant viriliter & potenter, secundùm quod in privilegiis Romanorum Imperatorum eidem Ecclesia est concessum. Quorum privilegiorum transcriptum, vel saltem transcriptum privilegii Conradi unusquisque habeat & transcribat. Can.18.* Propè abest à vero ea Conradi & aliorum Imperatorum privilegia illis finitima fuisse, quæ suprà attigimus Ecclesiæ Viennensis. Nam quod Burgundiæ Regnum dictum est, Arelatense quoque dicebatur; usque adeo eminebat Ecclesia & Civitas Arelatensis.

VII. Habita sunt Lutetiæ Regni Comitia anno 1302. unde Prælati Pontifici Romano, qui eos Romam evocabat, rescripsere: se à Rege obtinere Ducatus, Comitatus, Baronias, & majora feuda complura Regni, ideoque ei constringi fidei vinculo & juramento, quo circa & copiam ab eo petiisse Romam proficiscendi. *Quod ipsi domino nostro Regi in conservatione personæ suæ, suorumque bonorum & jurium regni, prout quidam nostrûm, qui Ducatus, Comitatus, Baronias, feuda & alia membra nobilia dicti regni tenemus ex forma juramenti, &c. Preuves de l'Hist. du Differ. de Bon. & Phil. le Bel. p.70.* Anno 1315. confirmata est à Ludovico Hutino Rege Prælatis omnibus potestas percutiendæ monetæ pro antiquo jure suo, dum ne percuterent nisi forma, pondere, & valore congruo.

VIII. Cum propositum mihi non sit dominia consectari temporalia omnium Ecclesiarum, quòd nec meæ id opis sit, & operis sit hoc ipso operosioris; sed eorum dumtaxat originem aperire, & usum sanctissimum edisserere; paucas alias obiter & cursim stringam, tum Galliæ, tum aliarum gentium Ecclesias. Cum anno 1232. recusaret Archiepiscopus Rotomagensis, cuicumque assurgere, & subesse etiam temporali domino, quàm Papæ, temporalia ejus omnia capi Rex jussit. Pontifex ab Archiepiscopo interpellatus querulas ad Regem literas dedit: *Quod cum in spiritalibus & temporalibus nullum post Deum præter nos judicem habeat, de antiqua Rotomagensis Ecclesiæ libertate, ac ipsius consuetudine hactenus approbata, &c. Rainal. an. 1232. n.26. 1233. n.62.* Archiepiscopus Papæ imposuerat; nec spei, vel causæ ejus color probabilitatis illinc poterat ullus, nisi ex incredibili quadam authoritate, qua Rotomagi pollebat tum Archiepiscopus, cum Reges Angliæ, iidemque Normanniæ Duces in Anglia sederent. Verùm quantumcumque se extulisset Archiepiscopi authoritas, non poterat non subesse Angliæ Regibus, qui ipsimet Franciæ Regi suberant, etiam ratione Ducatûs Normanniæ, cujus ipsius successio postea ad Reges Franciæ venit. Interpellavit & Gregorius XI. Papa Carolus VI. Galliæ Regem anno 1375. ut temporali urbis suæ dominatione Rotomagensem frui Episcopum pateretur, qua nimium jam Magistratus Regii illum exuere cœperant. *Rainal. n.29.*

Hoc dominium utile in Episcopo Parisiensi perinsigne erat, ut confessus est Joannes Galliæ Rex in charta ea, quæ superstes est, & qua fatetur Rex temporalem Episcopatûs Parisiensis ditionem, dotem, ut ita dicam, *Apennagium* vocant, fuisse Regum Galliæ vel filii, vel fratris, quando ea donati sunt Episcopi Parisienses, qui Prælati sunt; & Parochi quodammodo Regum, quo semel constituto, jam non possunt non illi circumfluere feudis, opibus, justitiis, dominiis. *Notorium erat, quod Episcopatus & Episcopus Parisiensis fuerant & erant multum nobiliter fundati & donati in justitiis, dominiis, nobilitatibus & prarogativis. Neque mirum, quia inter alias dignitates Prælatus est & quasi Curatus Regum Franciæ: Quodque temporalitas ipsius Episcopatûs & Episcopi fuerat proprium hæreditagium & patrimonium unius de filiis Regum Franciæ & fratris Regis, tempore quo dicta temporalitas in Episcopum translata fuerat. Gall. Christ. Tom.1. pag.447.* Habita quidem est nuperrimè ratio præstantissimi Præsulis, & omnium, qui hanc sedem Regiam illustravere præcellentissimi, quando copulata est anno 1674. à summo & invictissimo

simo Rege Episcopatui Parisiensis Ducis & Paris amplissima dignitas. Non immeritò tamen ejus Ecclesiæ temporali ditioni, qua Reges olim fratres & filios ipsos suos condecorabant, nunc demum Patris & Ducis dignitas conglutinata est. *Synod. Pari. pag.616.*

IX. Exoratus ab Episcopo Bellovacensi Gregorius IX. B. Ludovicum Regem sæpius interpellavit, ut Episcopum illum sineret dominio temporali Bellovacensi gaudere, quòd parens ejus Ludovicus Rex eo judicio confirmasset, cui postea & confirmatio Pontificis accessisset. *Rainald. an.1133. n.62.* Complures eadem ratione Prælatorum, Abbatum, Capitulorum, Monasteriorum hæc sibi asseruerunt dominia temporalia, ut habetur in Declaratione Regia anni 1610. *Consociandis sibi & adoptandis Regibus in terras suas, ditiones, justitias suas, quo presentiorem, certioremque impetrarent tuitionem. His Societatibus inserebatur, ut munera & officia communi consilio delegarentur, vel alternis exercerentur.* Quin & ibi additur non satis religiosè has leges fuisse olim servatas, *quòd præterquam convenisset, portio Regum alienata fuisset cum reliquo dominio, ingenti Clericorum & Ecclesiarum damno, quibus jam in Parium societatem adjungebantur, non reges, sed domini, Ecclesiæ jurium incuriosi, vel adversarii. Memoires du Clergè Tom.3. p.142.* Denique precipit Rex, ut cautiùs posthac hujusmodi consociationum leges serventur.

Francici olim erant dominii Cameracum & Ultrajectum, & ante annum 1299. dimidiam urbis partem Episcopus jure suo & potestate tenebat, cum eo anno Bonifacius VIII. Artesiensem Comitem per Epistolas hortatus sit, ut ea Ecclesiæ dominia restitueret. *Rainald. n.22.* Circumjacentis regionis dominationem temporalem Ultrajectensis Episcopus obtinuerat jam inde à temporibus B. Villebrordi, quem ea donaverant Galliæ Reges, quam & illi asseruerant barbaras inter nationes illas, ut suprà memoravimus. Nuperi Novatores ejus Præsulis sedem & authoritatem usque adeo concussere, authore & incentore Gelriæ Duce, ut non aliud ille sibi tutius esse posse duxerit, & Ecclesię, & ditioni suæ, quàm ut summum ejus temporale jus cederet Carolo V. tanquam Duci Brabantiæ. *Rainald. an.1528. n.105.* Non intervenerat Clemens VII. tam ingenti dominationis Ecclesiasticæ alienationi. Unde & eam irritare poterat; sed ad Ecclesiæ ipsius commodum satius visum est eam confirmare.

X. Pauca restant nobis de Ecclesiis extra Gallias positis. Antè necesse tamen est hoc præfari. Non ambitioni, non avaritiæ, non carnali cuicumque cupiditati ascribendum esse, quod cupidè videantur Præsules aliquando, hæc dominia sibi oblata amplexati, etiam cum summo & quasi regio jure. Hæ Principum pietatis oblationes erant, vel pœnitentium satisfactiones & criminum compensationes, aut reliquiæ veluti quædam antiquissimæ illius Episcoporum & paternæ dominationis, ad tuendam inter fideles, suadente Paulo ipso, concordiam. Vel fructus erant ii certè Præsulum olim sollicitudinis indefessæ ad custodiam urbium & defensionem, cum ab imbellibus, vel infirmis, & aliò avocatis Principibus, omni ope nudatæ pro derelictis habebantur. Hujus authoritatis pio usu poterant Pastores gregibus suis inserere pacem Christianam, legum observantiam, Regum venerationem. Fateor, ea tumebant aliqui, & abutebantur. Sed quod tantùm hic bonum, quod non malis malè vertat? Quæ cum ita sint, jam minimè mirum est, si sanctissimi Episcopi, si Carolus Borromæus, si Bartholomęus de Martyribus, si Alanus Solminiacus summa contentione certarint, si lites, si judicia experti sint, si inflexa constantia connixi sint hęc suis Ecclesiis jura tueri, quorum tam sancta fuerat origo, tam pius poterat esse usus, fructus tam uberes & salutiferi. Conjectura duci aliqua potest ex jure Regariæ (Droit de Regaire.) quod varia Senatusconsulta Episcopis adversùs civiles Magistratus vindicarunt. Positum est autem jus illud in administratione ordinaria & extraordinaria eorum, quæ ad pauperum levamentum pertinent & ad subsidia, quibus succurritur grassanti pestilentiæ. Dictus est nobis jam suprà non semel Joannes Eleemosynarius Patriarcha Alexandrinus, ejusdem jurisdictionis arbiter ad pauperum solatium, cui etiam usui leges ipsę civiles suffragabantur. *Memoires du Clerg. Edit dern. Tom.3. p.255.301. &c.*

XI. Galliarum disciplinę usque adeo finitima erat Anglicana, ut ex illa de hac facillimè conjici possit. Taceri tamen non debet quod de Henrico Imperatore narrat Rogerius, ubi anno 1193. redditus libertati ab eo est Richardus Anglię Rex, quem in carcerem conjecerat, cum ex Palæstina redux Germaniam trajiceret. Ingentem ab eo pecuniam tum emunxit Henricus, utque ejus perfidiæ & avaritiæ dedecus obumbraret, Provinciam ei Narbonensem dono dedit, Viennam, Viennensem Provinciam, Massiliam, Narbonem, Arelate, Lugdunum, quidquid imperii juris supererat in Burgundia, hominium Regis Arragoniæ, & Comitatus Sancti Ægidii. Quo dono continebatur Metropoles quinque, Episcopatus triginta tres. Scitissimè affirmat Rogerius, dedisse tunc Imperatorem, quæ nec ipse unquam in potestate habuerat, nec enim illis in regionibus, vel urbibus admissos unquam, qui ab eo ablegati eò essent, Præfectos. *Et est sciendum, quod supradictus Imperator nunquam prædictis terris & hominibus dominari potuit, neque ipsi aliquem dominum ad præsentationem Imperatoris recipere voluerunt.* Hinc ominaberis, cujusmodi essent donationes Imperatorum, quibus harum Provinciarum Episcopos ornaverant, & quàm non darent hi Principes, nisi quod retinere nec ipsi possent. Nec Richardo Angliæ Regi proclivius fuisset has regiones sibi subjicere, quàm Imperatoribus. Unde & cautissimè ille iis abstinuit se, & eos quasi rivulos antiquæ Gallorum Regum dominationis non gravatè passus est ad suum revolvi fontem.

Verùm eodem teste Rogerio, ab Richardo Rege donatus est Episcopus Dunelmensis jure cudendæ pecuniæ. Suo loco edisseruimus, ut Episcopi Angliæ tenerentur copias militares alere, & Reges in expeditionibus bellici adjutare eo subsidio. Nimirum ea erant feudorum Regiorum, quibus Ecclesiæ locupletatæ fuerant, jura & obsequia. Quod ad Richardum Regem & Dunelmensem attinet Episcopum, rem paulò fusiùs executus est Vvillemus Neubrigensis, nempe opulentia Episcopi rescita, Regem blanditum ei esse, & pellexisse tandem, ut Dunelmensem emeret Comitatum, ex quo jocantem venditasse se, quod vetulo ex Episcopo juniorem Comitem jam haberet: *Rex pellexit Episcopum pecuniosum, ut emeret à se proprii Episcopatus Provinciam, essetque ejusdem Provinciæ Episcopus simul & Comes, annexo Episcopatui Comitatu. Quod & factum est. L.4. c.3.* Irascitur Neubrigensis Episcopo, *L.5. c.1.*, & meritissimò quidem, si pauperum alimenta in fisco suo recondiderat, & inani largiebatur jactantiæ & ambitioni, quæ sordidissima acervarat avaritia. Sed si eò intuebatur Præsul, ut Regi adesset sacrum Palæstinæ bellum meditanti; si emeret, non quo factum oblectaret suum inani pompa, sed instrumentum idoneum, quo Magnatum in pauperes grassationem coerceret, quo miserabiles quosque tueretur, civilemque administrationem Christianis legibus temperaret, quis non illi gratuletur? Sanctitate florentissimi Episcopi pluri-

plurimi Comitatus piè & religiosè administrarunt: cur non & hic emerit? Porro idem Richardus alia quoque feuda aliis & aliis Episcopis tunc vendidit: *Rex ulios quoque plures pellexit, ut effusis pecuniae certatim dignitates sive libertates quaslibet, vel publica officia, vel ipsa etiam prædia Regia compararent.* Sed simul ac revectus ille fuit ex Palæstina, & Germanici carceris vinculis absolutus, feuda hæc eadem ab Episcopis repetiit, ut quæ oppignerasse se magis quàm vendidisse contenderet; jussitque ut fructus interim perceptos in pecuniæ mutuatæ sibi potiùs, quàm solutæ sortem computarent. Restituit & Dunelmensis Præsul Comitatum, consultius facturus, ut sapientissimè ab eodem Neubrigensi subjicitur, si thesauros suos in cœlum per manus pauperum traduxisset, quàm ut brevi Comitatus usura, velut umbra fugacissima deluderetur. *Tanta illi opera & tanta pecunia periit, qua utique non periisset, si piis aptata usibus, in cœlestes thesauros abiisset.* Quanquam enim ad Ecclesiæ & pauperum commoda promovenda possint quandoque Episcopi novas sibi possessiones parare; multò tutius tamen est, ut quotidianis patrimonii sui fructibus pauperes vescantur, nec nisi cælestes curæ & cordi sint charitatis & religionis thesauri. Ne illud quidem forsan satis addecebat, ut cum Rex suo se dominio excuteret, quò laboranti opem ferret Orientis Ecclesiæ, ejus exuviis Episcopi ditescerent. Denique non revocata sunt tunc in Regium censum, nisi ea feuda, quæ Richardus ipse alienarat; dimissis Ecclesiæ compluribus aliis, quorum privationem postea Henricus III. Rex Angliæ anno 1264. interminatus est, nisi in suas se Episcopi conferrent Ecclesias, & sacris residentiæ legibus obtemperarent. *Si istud facere non curaveritis, bona temporalia & omnia, quæ ad Baroniam ipsius Ecclesiæ pertinent, quæ pro spiritualibus in eodem exercendis, pia progenitorum nostrorum devotione constat eidem fuisse collata, in manu nostra totaliter capiemus.*

XII. Cum Valentia Hispaniæ civitas nobilis, Maurorum dominationi subducta tandem fuisset anno 1239. à Rege Arragonum Jacobo; flagitavit Episcopus ejus urbis à Gregorio IX. confirmationem antiquissimæ ditionis suæ, quæ ab Imperatoribus collata fuisset. Annuit ejus postulatis Pontifex, & in rescripto suo expressit Comitatum Valentiæ, cum jure reliquo omni, quod proprium videri possit Comitatuum instrumentum. *Proposuisti quod quidam Imperatores Romani concesserunt Ecclesiæ Valentinæ civitatem Valentinam cum subsidiis suis & territorio, & quidquid in toto Episcopatu Valentino continetur, Comitatum, forum, mercatum, monetam, &c. Rainald. an.1239. n.58.* Imperatores hi Romani, non alii verisimilius fuerint, quàm prosapiæ Caroli Magni, cujus Imperium in Hispanias permanavit, & cujus largitiones ab his non abludebant. Mauris expugnatis, tota Ecclesiæ paulatim recuperanda fuit Hispania, non sine gravibus Episcoporum & laboribus & expensis, ad quos proinde vicissim non modica redundavere temporalis Ecclesiarum substantiæ incrementa.

In Concilio Toletano anno 1330. prohibitum est, ne quæ in ditione Ecclesiarum essent prædia aliis, quàm earum clientibus venderentur. *Ne quis possessiones in locis in quibus Ecclesia dominium obtinet temporale, consistentes, eis, qui ejusdem Ecclesiæ Vasalli tunc non fiunt, vendere, aut quovis alio titulo in eos transferre præsumat. Can.1.*

Concilium Toletanum anni 1473. non Episcopos modò, sed & omnes Clericos vetuit committere, ut sacra dignitas sua vilesceret, eòque ne obnoxii esse vellent dominis aliis sæcularibus, quàm Regibus; neu ab aliis vel terras, vel pecuniam acciperent, quo sub aliis in Exercitu mererent, vel eo copias deducerent. *Exceptis Regia Majestate & Regiis personis, ne ab eis terras, stipendia, salaria, vel pecunias quascumque, ut armis per se, vel per alios deserviant, cum equitum, seu peditum gentibus, quomodocumque exigere, vel levare præsumant. Can.15.*

XIII. De Italia disseruimus Capite superiore. Hîc unum illud addam, interpellatum fuisse Ducem Venetorum ab Eugenio Papa IV. ut Forojuliensem Provinciam Patriarchæ Aquilejensi restitueret, quem ea ditione Respublica spoliatat. Excusabat Dux belli imminentis discrimina. At contrà regerebat Pontifex, injuria & rapina non minui hostes, sed augeri & exasperari; curæ sibi fuisse, ut eam Ecclesiam homini gentis Venetæ conferret. Cum sita sit Forojuliensis Provincia, in finibus Germaniæ & Italiæ, aut eam crediderant Patriarchis Aquilejensibus Imperatores, aut sua ipsi sponte Patriarchæ curam ejus egerant, longaque & officiosa tuitione, ejus sibi pene inopini principatum pepererant, ne pauperes populosque penitus conteri sinerent, tristissimis illis cruentis Imperii temporibus. *Raynald. an.1440. n.31.*

Commemorat Radevicus ut anno 1158. Fridericus I. Imperator in Italiam perrexerit, & tum Episcopos jusserit, tum sæculares omnes dominos, ut Imperii feuda sibi omnia redderent, sive ea ipsi vi involassent, sive Imperatorum incuria ad eos illa defluxissent. *Super justitia Regni & de Regalibus, quæ longo jam tempore, seu temeritate pervadentium, seu neglecta Regum imperio deperierant, studiosè disserens, cum nullam possent invenire defensionem excusationis, tam Episcopi, quàm Primates, & civitates uno ore, uno assensu in manum Principis Regalia reddidere. L.2. c.5.* Rogati sunt quæ hîc Regalia dicerentur. Responsum porro ab iis est, Ducatus esse, Marchionatus, Comitatus, monetas, & alia id genus jura: *Requisitis de hoc jure quid esset, adjudicaverunt Ducatus, Marchias, Comitatus, Consulatus, monetas, telonia, fodrum, vectigalia, portus, pedatica, molendina, piscarias, pontes, omnemque utilitatem ex decursu fluminum provenientem; nec de terra tantùm, verùm etiam de suis propriis capitibus census annui redditionem.* Generosè tamen Fridericus tum quidem ea restituit feuda illis omnibus, qui diplomata donationis repræsentarunt, vel Germaniæ Imperatorum, vel Italiæ Regum. Reliqua distraxit, & ex iis annuos confecit proventus triginta millium talentorum, fisco Imperii addendos. *His omnibus ad fiscum adnumeratis, tanta circa pristinos possessores usus est liberalitate, ut quicumque donatione Regum aliquid horum se possidere instrumentis legitimis edocere poterat; is etiam nunc Imperiali beneficio & Regni nomine idipsum perpetuò possideret.* Observatum est à quibusdam, ævi medii Scriptores, quod pondo erant auri, id Talentum appellitasse.

XIV. Sed nusquam ferè toto orbe Christiano tam immensa Episcopi & Abbates obtinent dominia ac feuda, quàm in Germania. Quanquam enim in Lutheranas innovationes fascinati quidam Principum Ecclesiasticorum desciverint, parvo illi sane numero sunt; vigent reliqui Ecclesiastici Principes Imperii, nec ferè nisi in eorum Principatibus pura & intaminata retinetur antiquæ fidei religio. Denique tres Ecclesiastici id hactenus pervicerunt Electores, ut Imperio non potirentur, nisi Catholici Principes: nec de propellendis in id fastigii hæreticis, verbum fieret ullum. Hinc colliges, quàm compendiosum fuerit Ecclesiæ, Præsules suos temporalibus etiam crescere & convalescere Principatibus.

Otto Frisingensis Episcopus, Friderici I. Impera-

ratoris consanguineus, post eorum nænias recitatas, qui dominia omnia temporalia Ecclesiæ excutiebant, sapientissimè prorsus ipse Ecclesiæ patrocinatur, suo ipsius alioqui patrocinio tutissimæ, ut quæ inconcussam retineat etiamnunc superiorum omnium sæculorum traditionem & disciplinam. Secus qui sentiet, is summi ipsius Numinis adversabitur Providentiæ, cujus afflatu sic animati fuere Reges & Imperatores ubique terrarum, ut quod usquam maximum & præcellentissimum est, id Christi nomini & gloriæ dicarent. Is rursus Ecclesiæ Sponsæ Christi obluctabitur, quæ regias has largitiones non est aspernata. Is denique convitium faciet Episcopis longè plurimis sanctitatis laude præstantissimis, qui Ducatus Comitatusque suis infulis illigatos gestarunt. Sit igitur Otto Frisingensis, post deprompta Scripturæ verba, ubi pollicetur Deus, Ecclesiæ ornamenta & insignia potestatis nulla non se additurum, post Ethnicorum Imperatorum exhaustas sævissimas persecutiones. *Pro eo, quod fuisti abjecta, ponam te in superbiam sæculorum. Mundiali dignitate, quæ Regalia dicuntur, Dominus Ecclesiam suam honorare voluit. Ex Dei enim ordinatione id factum. Denique credendum non est Christum Ecclesiam suam, sponsam suam, corpus suum, cui in arrham Spiritum suum dedisse creditur, spiritu erroris decipi permisisse; cui, ut dixi, Spiritum veritatis contulerat. Præterea probatæ sanctitatis viri inveniuntur, qui hæc habuisse, qui cum his regnum Dei acquisisse creduntur. His ergo aliisque modis, quos longum est exequi, probatur & Constantinum Ecclesiæ justè Regalia contulisse, & Ecclesiam justè suscepisse. Dum enim ab eis quærimus quo jure id Reges habeant, respondere solent, ex electione populi & ordinatione Dei. Si ergo Deus ordinando, quod Regibus prædictus honor impenderetur, injustè non fecit, quantò magis & id ordinando, ut ab illa persona ad Ecclesiam traduceretur, injustus dicendus non est? Denique si ad hoc, quod ordinaverat tam hic, quàm ibi, voluntati suæ electionem populi, & insuper hic traditionem Principis concordare voluit; nec ipsum injustè disposuisse, nec Principem malè tradidisse, nec Ecclesiam illicitè suscepisse credendum est, &c. Sanctos Apostolicæ fidei ac meriti viros, Sylvestrum, Gregorium, Ulricum, Bonifacium, Lampertum, Gothardum aliosque complures ea cognovimus habuisse. In Prologo Libri* 4. Ita denique censet summa sapientia, & integritate Præsul, si quis conferat Ecclesiæ primigeniæ depressionem & persecutiones, cum hodierna ejus gloria, opumque & honorum abundantia, non immeritò videri posse stationem illam sanctitate, hanc felicitate antistare; sed non posse à quoquam citra errorem & insaniam, centies ab ipsa Ecclesia damnatam, illos honores, & potestatis gloriæque radios pene regiæ, qua circumfulget, vituperari. *Ego enim, ut de meo sensu loquar, utrum Deo magis placeat hæc Ecclesiæ suæ, quæ nunc cernitur exaltatio, quàm prior humiliatio, prorsus ignorare me fateor. Videtur quidem status ille fuisse melior, iste felicior. Assentior tamen Romanæ Sanctæ Ecclesiæ, quam supra firmam petram ædificatam non dubito; credendaque, quæ credit, licitè possidenda, quæ possidet, credo.*

XV. De cæteris Septentrionalium Gentium Præsulibus odorari aliquid fas erit, tum ex ipsa Germania, ad cujus se illi mores & leges conformarunt; tum ex Archiepiscopo Nidrosiensi in Norvegia. Hac ille se spe oblectebat, sceptrum ipsum & Regnum Norvegiæ Ecclesiæ suæ obnoxium & clientelare esse, ex quo tempore Rex Magnus se regnumque suum devovisset beatissimo Regi & Martyri Olao, quod & hoc documento prodi & perpetuari voluit, ut post mortem cujusque Regis corona ejus ad tumulum B. Martyris perferretur, & in novorum electione Regum penes Archiepiscopum & Episcopos esset prærogativa suffragii, & jus primæ dicendæ sententiæ. *Rainald. ann.* 1273. *n.* 19. Minimè his assentiebatur Rex, unde & novo fœdere pepigit cum eo Archiepiscopus, utroque eo se jure abdicans, nec jus suffragii Episcopis incolume servans, nisi ubi stirps stirpi altera sufficienda in Regnum esset, cæterique Cleri libertate multis privilegiis communita.

XVI. Quod ad Orientem pertinet de Antiocheno, & Hierosolymitano Patriarcha jam diximus suprà. Unum restat, quod hic ex Georgio Phranze addamus, ut dominia ad Episcopos quandoque devolverentur, utque ab illis susciperentur. Theodorus Despota ad extremas adactus angustias, Rhodum petiit, & Equitibus Rhodiis vendidit Spartanæ civitatis ditionem. Tumultuati sunt in Equites Spartani cives, & omnes prorsus interemissent, nisi illis Episcopus Spartanus inducias impetrasset, quo dilabi & in tutum se recipere possent. Tum cives Episcopum sibi eundem delegerunt in dominum temporalem. *Spartiatæ Principis nomine Episcopum sibi præesse, & ab eo utramque rem publicam civilem & Ecclesiasticam regi cupiunt. L.2. Chronic. c.*20. At Episcopus terreni fastidio, & cœlestis justitiæ Principatus amore concitatus, Theodorum Spartæ dominio restitui fecit, suam Equitibus Rhodiis pecuniam refundi.

CAPUT XXXII. *P.4. l.3. c.21.*

De Regnis & Principatibus Ecclesiæ datis, ut in clientela essent Mariæ Deiparæ Virginis, B. Petri, vel aliorum Sanctorum, vel denique Pontificum, & Episcoporum, post annum Christi millesimum.

I. Deo, Beatis, Prælatis bifariam fit hominium pro summis Principatibus. Vel mera pietate, vel tervis ab Ecclesia accipiendis. Quantum his intersit discriminis.

II. Exemplum Regni Hierosolymitani & Principatus Antiocheni, cum priùs utrobique Patriarchæ dominarentur.

III. Exemplum Regis Hungariæ, qui Regnum & ditionem omnem suam Beato Petro & Ecclesiæ Romanæ obtulit; ut ipsi, & successores essent, non clientes, sed filii Ecclesiæ Romanæ. Eò summum Imperii & Regni jus adeo non enervatur, potiùs confirmetur.

IV. Exemplum Angliæ Regni. De denario Beati Petri, oblatio ea erat, vel eleemosyna.

V. Ut Henricus II. & Joannes Sine-Terra dictus voluerint in Pontificis jure & potestate Angliam esse.

VI. De Scotia, Anglia, an Papa fuerit Clientelaris?

VII. De jure Pontificum in regna Hispaniæ.

VIII. De regno Arragoniæ, & consertis illis Provinciis.

IX. De regno Portugalliæ, vectigali B. Petro & Papæ, Mariæ Deiparæ, & Abbati Claravallensi. Rex Hispaniæ vectigalis Ecclesiæ Cluniacensis.

X. Ex Petro Cluniacensi Abbate, olim Arverniâ titulo Regni floruit, quæ à Regibus derelicta, à Comitibus oppressa, adjuta tandem & administrata ab Episcopis Claromontanis.

XI. Conglomerantur exempla alia complura, maximè Regni Poloniæ.

XII. Recentiora Bohemiæ, & Hungariæ exempla.

XIII.

XIII. Exemplu regiunculurum aliquot in Galliu.
XIV. Principum exemplu aliu, d B. Virgine, vel à Divo aliquo ditiones suus tenentium sub hominii fide.
XV. Exemplu Principum, qui ut ne subessent Imperatori, d Summo Pontifice Coronus sibi Regias indui, vel annai voluere.
XVI. Elucidamenta novu aliqua, ad conciliandum summam & verè Regiam potestatem cum iis obsequiis, quæ Vicario Christi & Successori Petri, tunquam Parenti spirituli exhibita sunt.

I. QUÆ ad calcem superioris Capitis perstrinximus exempla duo, Norvegiæ Regum & Principum Antiochenorum; ex iis in hanc penè necessariò delabimur quæstionem, qui potuerint Summi Principes & ipsi Reges hominia & sacramenta fidei præstare vel Ecclesiæ, vel Episcopis, vel Beatis Cœlitibus, vel Deiparæ. Vel ex iis autem exemplis duobus emergit discrimen non obscurum, nec oscitanter pensitandum. Unius enim pietatis instinctu Magnus Rex regnum suum Ecclesiæ obtulit & subjecit Nidrosiensi, & Martyris Olai regio tumulo. At verò Antiochenus Princeps hominium Principatus sui & fidei sacramentum præstabat, multòque certiùs Gottofredus Bullionæus Hierosolymitanæ civitatis, ille Antiocheno, hic Hierosolymitano Patriarchæ, quòd duæ illæ urbes cum ingenti territorii sui tractu eorum Patriarcharum potestati & dominio subessent, antequam sacris nostris in Orientem expeditionibus, Hierosolymæ Reges, Antiochiæ Principes creati fuissent. Magna habet momenta hoc discrimen, ex quo & discrimen emergit aliud. Prioris enim classis Principes nihilominus summo utuntur in suis Principatibus jure, tametsi patrocinio se & clientelæ subesse profiteantur Dei, Christi, B. Mariæ Virginis, S. Petri, vel Cœlitis cujuscumque alterius, cujus Antistes vicem gerit & personam sustinet, cum ei persolvitur hominium. Sed non ita forsan omnino habet, quando Præsules Ecclesiarum suarum prædia, vel dominia, ex parte saltem Principibus conferunt sæcularibus, fide & hominio exhinc sibi & Ecclesiæ suæ devinctis. Hinc & tertium existit discrimen, quod nempe in prioribus exemplis, ubi refrixit illa pietas Principum temporalium, eosque pertædescere cœpit hominii & sacramenti præstiti, abstinuit Ecclesia ab iis obsequiis extundendis, non immemor utique in suis primordiis voluntarios hos fuisse honores. At non ita facilè relaxata sunt hominia secundæ classis. Utriusque discrepantia in aperto est, Regi molestus non fuit Archiepiscopus Nidrosiensis, ad exculpendum ab eo hominium, quando illum sensit ab eo alienatum, quod spontaneum id fuisset antiquissimi Regis suæ in Ecclesiam venerationis testimonium. At passus non est Antiochenus Patriarcha ab Antiocheno Principe exigi hominia & juramenta fidei subditorum, nisi ipsemet eodem officio Ecclesiam & Patriarcham coluisset. Videat ea de re Armeniæ Rex ad Innocentium Papam perscripserit. *Tanquam legitimus heres receptus est à domino Patriarcha, &c. Patriarcha tanquam domino suo ligio junctis manibus ligium fecit homagium, quibus peractis Patriarcha dedit ei vexillum principale, & saneivit eum de corporali possessione civitatis, totiusque Principatus. Et sic per Dei gratiam Princeps constitutus, ductus est ad Palatium principale, ubi fecerunt ei milites & clientes belligeri ligium homagium. Rainald. an. 1205. num. 37.*

II. Jam docuit nos Vuillelmus Archiepiscopus Tyri, simul ac Daimbertus creatus est Patriarcha Hierosolymitanus, Gottofredum Hierosolymitani regni, & Boamundum Principatûs ab eo Antiocheni investituram accepisse, id honoris & reverentiæ Deo à se impendi gnaros, quidquid ejus Vicariis & ministris impenderetur. *Hic Regni, ille Principatûs humiliter ab eo susceperunt investituram, ei arbitrantes se honorem impendere, cujus tanquam minister ille in terris vicem gerere credebatur. L. 9. c. 15. 16. 17. 18.* Gratuitum illud erat hominium. Sed non tam Patriarchæ, quàm Deo redditum; atque adeo absolutum ab omni nexu. At non multò post repetiit Patriarcha à Rege Hierosolymitanam civitatem, & Joppem, ut quæ juris essent Ecclesiæ. Restituit eas Gottofredus, eblanditus antè, ut eas sineret Patriarcha à se retineri, dum duas alias expugnasset. Miratur Tyrius tam asperas Regi à Patriarcha inflictas esse conditiones, cum qui Gottofredum Regem elegerant Latini Proceres, nihil ejusmodi ab eo flagitassent. Nec dissimulat ille tamen jam olim Patriarcham potitum fuisse dominio quartæ partis Hierosolymitanæ civitatis.

Post mortem Gottofredi, Hierosolymam restitui Patriarchæ omnino necesse erat, tum quòd ita convenisset, tum etiam quòd testamento id ipsum Gottofredus confirmasset. Nec tamen restituta urbs est. Hinc perspicis, cum Gottofredus *homo* effectus est Sancti Sepulchri, eique hominio sacramentum fidei adjunxit, tum summo Imperii jure eum quodammodo exturbatum fuisse. *Homo Sancti Sepulchri, ac noster effectus, fideliter se Deo, ac nobis amodo militaturum spopondit. Idem l. 10. c. 4.* Verba hæc sunt Patriarchæ, sed non inde profecta est illa summi juris extenuatio, aut dehonestatio Regiæ amplitudinis, quod hominii cultu Sanctum Sepulchrum Christi prosecutus sit: sed ex eo quòd professus sit ipsemet caput Regni, urbem Hierosolymam ditionis esse Patriarchæ, nec nisi sub clientela ejus eam à se posse vel ad tempus retineri.

Qui Gottofredo fratri successit Balduinus Rex à Paschali II. Rescriptum elicuit, quo quascumque expugnaret in Sarracenas civitates, eas Hierosolymitano Patriarchæ subiiceret. Verùm de potestate hoc spiritali capiendum erat. Unde & admonitus Pontifex hinc detrimenti non parum Antiocheno Patriarchæ importari posse, si Balduinus urbes subjugaret Patriarchatus prisci Antiocheni; concessioni suæ arctiores limites adhibuit. L. 11. c. 28. 29. Anno 1129. Stephanus Patriarcha Hierosolymitanus penè sopitam excitavit rursum controversiam: jam certè Hierosolymam sibi causatus restituendam, postquam Rex Ascalonem expugnasset. At cum non multò post vita abiisset, veneno extinctum fama vulgavit, qua & Rex ipse suspicione & infamia aspersus est. *L. 13. c. 25.*

Suberat quoque Patriarchæ Antiocheno Antiochenus Principatus. Sacramentum fidei Patriarchæ Radulpho à Principe Raimundo persolutum est. *Spondens fide interposita, quod ab ea die in antea non esset in consilio, vel in facto, quod honorem, vitam aut membrum perderet, aut caperetur mula captione, sicut in forma exhibenda fidelitatis continetur. L. 26. c. 13.*

III. Nihil istiusmodi intervenit, ubi Stephanus Rex Hungariæ Regnum suum obtulit B. Petro, ut à Gregorio VII. Papa postea perscriptum est ad Salomonem Regem Hungariæ. *Regnum Hungariæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ proprium est, à Rege Stephano olim B. Petro cum omni jure & potestate sua oblatum & devotè traditum. Proterea Henricus piæ memoriæ Imperator ad honorem Sancti Petri Regnum illud expugnans, Rege victo & facta victoria, ad corpus B. Petri lanceam coronamque transmisit, & pro gloria triumphi sui illuc Regni direxit insignia, quò principatum dignitatis ejus attinere cognovit. L. 2. Epist. 13. 63.* Tum conqueritur Papa, quòd is Rex ab Imperatore beneficiarium & clientelare regnum se obtinere voluisset, cum non debuisset nisi ab Ecclesia Romana. Sed cum constaret, uno pietatis impulsu excitatum B. Stephanum primum Hun-

Hungariæ Regem voluisse, ut regnum in clientela esset B. Petri, nullis omnino prædiis, nullis terris aut dominiis ab Ecclesia Romana acceptis in feudum; ideo & Gregorius quanquam Apostolicæ suæ Sedis jurium retinentissimus, ingenuè confessus est eam Hungariæ Regum subjectionem non aliud magis, quàm obedientiam esse filialem, qua nihil decerperetur de summo & supremo regni jure. Cum Regibus de splendore regni & nobilitate florentissima nibil ex eo deteri possit, quòd sint Ecclesiæ, & Ecclesiæ Romanæ filii. Audi Gregorium ipsum in Literis ad Optimatem Hungariæ datis: *Notum tibi esse credimus Regnum Hungariæ, sicut & alia nobilissima regna in propria libertatis statu esse debere, & nulli Regi alterius regni subjici, nisi sanctæ, & universali matri Romanæ Ecclesiæ, quæ subjectos non habet ut servos, sed ut filios suscepit universos.* L. 2. Ep. 63.

Quibus verbis pene singulis duo hæc expressissimè declarantur, 1. Eam Regum ad Pontificem subjectionem, & eam Regni oblationem ac donationem non aliò collimasse, quàm ut Ecclesiam sibi matrem, se illi filios profiterentur: *matri*: uti & Ecclesia Romana hos tum amplectebatur Reges, *ut filios*; quo communi officio tenentur Christiani Principes omnes in Ecclesiam, quæ eos ut amantissima mater tanquam filios amplexatur *universos*. 2. Adde eam Regum filialem sive subjectionem, sive obedientiam satis argumenti habuisse, ad prodendum nulli eos temporali superiori obnoxios esse potestati; tantum abest ut hinc obscuretur eorum summæ & absolutissimæ dominationis gloria. Is est nativus & germanissimus Gregorii Papæ verborum sensus, quæ modò adscripsi. Consentit verò hìc ratio experientiæ. Publicè enim contestantur summi Principes, nulli se terrenæ obnoxios esse potestati, ubi uni se summo Numini profitentur obnoxios, cujus ideo Pontificibus filialem pollicentur obedientiam. Constantissima etiamnunc res est, & certissima experientia, inter Summos Principes, ejus aliquod Regnum esse & quidem summo jure, qui ejus obedientiam Papæ præstiterit. Nec plura Gregorius desiderabat à novo Rege Geisa. *Aperiat, quæ sua sit devotio erga universalem matrem, qualiterve illi statuerit obedire, sanctamque reverentiam exhibere.* Ibidem. Ep. 71.

IV. Cum hic potissimùm Pontifex iniquis prematur suspicionibus, quasi supremo Regum juri subinfestus, hanc ab eo invidiam hinc & deprecari, & amoliri, cum facile, tum peropportunum est. Per Nuntium suum à Vvillelmo Angliæ Rege idem Pontifex flagitari jussit sacramentum fidei & denarium Sancti Petri, quo utroque munere prædecessores ejus functi essent. Censum hunc, sive eleemosynam exolvit Rex, sacramentum fidei penitus abnuit, rescripsitque Pontifici, ita sibi persuasum esse à nullo Majorum suorum persolutum fuisse. *Legatus tuus me admonuit, quatenus tibi & successoribus tuis fidelitatem, & de pecunia, quam Antecessores mei ad Romanam Ecclesiam mittere solebant, melius cogitarem. Unum admisi, alterum non admisi. Fidelitatem facere nolui, nec volo, quia nec ego promisi, nec antecessores mei antecessoribus tuis id fecisse comperio. Pecunia, &c.* Baron. an. 1079. n. 10. Nec molestus deinceps Regi circa illud juramentum fuit Pontifex, conscius ejusmodi obsequia Pontifices, à volentibus suscipere, non exigere ab invitis.

Eum censum, seu denarium Sancti Petri admonui ut plurimum habitam fuisse ut eleemosynam, quam Reges Angliæ Romam destinarent, ad tuitionem B. Petri sibi conciliandam. Idem rursus nos docet Alexander II. Papa in Epistola 8. ad eundem Regem data: *Anglorum regnum sub Apostolorum manu & tutela extitit, &c. Angli pia devotionis respectu ad cognitionem Religionis annuam pensionem Apostolicæ Sedi exhibebant, ex qua pars Romano Pontifici, pars Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, quæ vocatur Schola Anglorum, in usum fratrum deferebatur.* Eduardus Rex ipse sanctissimus assentitur piam hanc esse erogationem in Literis ad Nicolaum II. scriptis: *Ego augeo & confirmo donationes & consuetudines pecuniarum, quas habet Sanctus Petrus in Anglia, & ipsas pecunias collectas cum Regalibus donis mitto vobis, ut oretis pro me & pro pace regni mei coram corporibus Sanctorum Apostolorum.* Inter leges Ecclesiasticas ejusdem Regis ea legitur, qua percensentur ii, qui denarium hunc solvere compelluntur, eaque vocatur Regis eleemosyna. *Qui habuerit triginta denariatus viva pecunia, dabit denarium Sancti Petri ad vincula, &c. Quoniam denarius hic eleemosyna Regis est.* Cap. 10. Erat ergo ea quasi Collecta quædam generalis. Instabat Paschalis II. Beato Anselmo Archiepiscopo Cantuariensi, ut eum censum vel denarium Petri colligi curaret, quòd Camera Apostolica magnis premeretur angustiis. *Scis enim quantis inopiæ circumvallemur angustiis.* Epist. 40. Queritur idem Pontifex ad Henricum I. Angliæ Regem scribens, quod dimidium tantùm ejus eleemosynæ Romam sit transmissum. *Eleemosyna B. Petri ita perperam dolosèque collecta est, ut neque mediam ejus partem hactenus Ecclesia Romana susceperit.* Ep. 105. Nec ab his dissonabat Angliæ Rex, cum suos ad Concilium Remense Legatos mitteret anno 1119. *Redditus ab anterioribus constitutos Romanæ Ecclesiæ singulis annis erogo.* A' Matthæo Vvestmonasteriensi perhibetur Ina Saxonum Occidentalium in Anglia Rex Romæ exædificasse Ecclesiam B. Mariæ Anglorum, ad quorum sustentationem voluerit à singulis domibus singulos solvi quotannis denarios. *De singulis familiis denarius B. Petro & Romanæ Ecclesiæ mitteretur, ut Angli ibidem commorantes utile subsidium haberent.* Order. Vital. l. 12.

Nec nos tamen præterit Henricum II. Angliæ Regem, ut Alexandrum III. Papam sibi devinciret adversùs juniorem Regem Henricum filium suum, infandæ conjurationis ducem, ad eum perscripsisse, Reges Angliæ beneficiarios & feudatarios esse B. Petri, non posse autem Pontificem non ex officio suo patrimonium B. Petri tueri. *Vestræ jurisdictionis est regnum Angliæ, & quantum ad feudatarii juris obligationem, vobis dumtaxat obnoxius teneor & astringor. Patrimonium B. Petri Romanus Pontifex spirituali gladio tueatur.* Baron. an. 1173. n. 10. Regnum sæpenumero suum prisci Angliæ B. Petro obtulerant. Erat id insigne religionis documentum ad promerendam B. Petri tutelam & defensionem. Necdum tunc increbuerant leges feudorum. Ut de Pontifice benemereretur Henricus II. ad officia feudorum deflexit pias Majorum suorum oblationes, & contestationes obedientiæ filialis. Antequam in Angliam exscensionem faceret Vvillelmus Nothus, Pontificem percontatus fuerat, ut ejus consilio muniretur & authoritate. Alexander is erat II. qui currentem incitavit, vexillo etiam misso ad belli auspicia. Unde Matthæus Paris: *Ne justam bellandi causam temeritas deformaret, ad Papam Alexandrum Nuntios destinavit, ut susceptum negotium authoritate Apostolica firmaretur. Unde Papa consideratis utrimque litigantium causis, vexillum Vvillelmo in omne regi transmisit.* Idem. Ubi etiam Henricus II. Hiberniæ debellandæ consilium cepit, *consilium* & *favorem* ab Adriano IV. Papa expetiit, anno 1155. pactus denarium quoque B. Petri ei persolvendum ex omnibus Hiberniæ domibus. Assensus est Pontifex, dum Ecclesia illic Christi propagaretur, scripsitque ad Regem, Insulas omnes, quas Christi fides sua luce perfudisset, ad Ecclesiam Romanam pertinere, quod de

filia,

filiali subjectione, & religiosa obedientia intelligi nil prohibet. *Sanè omnes Insulas, quibus Sol justitia Christus illuxit, & quæ documenta fidei Christianæ susceperunt, ad jus Sancti Petri & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, quod tua etiam Nobilitas recognoscit, non est dubium pertinere. Matth. Vuestmon.*

Cum non facilè justitiæ color & species affingatur iis bellis, quæ gentibus quietis & innoxiis, vixque cognitis inferuntur; suadet ipsa ratio & sapientia, ut ea religionis vertici & parenti omnium fidelium antè approbentur; à quo re perpensa, illud pronuntietur, illud reapse curetur, ut ne ambitioni serviant ejusmodi expeditiones, sed pietati dilatandæ, & summi verique Dei cultui ac lumini barbaris Nationibus inferendo. Archiepiscoporum & Episcoporum Hiberniæ consensum author est Rogerius Pontifici ostensum fuisse, atque ita demum regnum illud Apostolica authoritate Anglo Regi confirmatum fuisse. *Authoritate Apostolica confirmavit illi regnum, & hæredibus suis.* His præstructis non prædo, sed Rex erat. In ipso historiæ suæ exordio testatum facit Vuillelmus Neubrigensis, Vuillelmum Nothum post debellatam Angliam, ut Principum justorum, non tyrannorum albo inscriberetur, ab Eboracensi Archiepiscopo voluisse Regio diademate se redimiri. *Tyranni nomen exhorrescens, & legitimi Principis personam induere gestiens, solemniter se consecrari deposcit.* Nihil scilicet in præteritis relinquitur, quo novis Principatibus authoritas arcessatur.

V. Sed nondum se hi Principes Romano Pontifici addixerant, aut hominio, aut fidei sacramento. Primus Angliæ Regum Joannes Sine-Terra, suorum omnium obstinata conjuratione solio excussus, desperavit redintegrari se Regiæ posse dignitati, nisi se, Angliam, Hiberniamque temporali subjiceret Ecclesiæ Romanæ & Pontificis dominationi. Hominium utriusque Regni præstitit, & fidei sacramentum exolvit anno 1213. Legato Pontificio, jussis successoribus suis eodem in posterum fungi obsequio. Inde Matthæus Paris. *Successores nostros & hæredes in perpetuum obligantes, ut simili modo Summo Pontifici, qui pro tempore fuerit, & Ecclesiæ Romanæ sine contradictione debeant fidelitatem præstare, & homagium recognoscere.* Annuus census persolvendus erat septingentarum argenti Marcharum pro Anglia, trecentarum pro Hibernia. Gratulatus est Regi per Epistolas Innocentius III. *Regest.* 16. 78. 79. 130. 131. quem & certiorem fecit, regno eum suo deinceps præpotentius, quàm antea potiturum, ut in cujus solio non Regia tantùm, sed & Pontificia authoritate confirmaretur. *Ecce sublimius & solidius nunc obtines ipsa Regna, quàm hactenus obtinueris, cum jam Sacerdotale sit Regnum & Sacerdotium sit Regale.* Et sanè Pontificia tunc potestate, & Barones Angliæ ad Regis obsequium revocati sunt, & receptui cecinere Franci, qui magna jam ex parte Angliam invaserant.

Si accuratius porro excutiantur Epistolæ omnes hujus Pontificis, & illæ ipsæ, ubi donationi assentitur, profiteturque Romanam Ecclesiam temporali jam dominatione Angliæ Hiberniæque gavisuram; illud comperietur, attentius & religiosius eum exigere à Rege & successoribus ejus illa ipsa obsequia, quæ & priùs exegisset, tuendæ Ecclesiæ, propugnandæ Ecclesiasticæ libertatis, obeundi strenuè officii ejus, qui Episcopus sit Ecclesiæ exterior. Fateor ab Henrico III. Rege Joannis hujus filio exceptum fuisse Apostolicæ Sedis Legatum ea assentatione, ea obsequendi vilitate, ea majestatis Regiæ meditata dejectione, ut hinc vehementissimè Barones Angliæ destomachati sint, si qua fides Matthæo Paris. *Adeo ut videretur quasi vestigia Legati adorare, affirmans se tam in publico, quàm in secreto sine domini sui Papæ, vel Legati consensu nihil posse de regno disponere, transmutare, vel alienare; ut non Rex, sed Feudatarius Papæ diceretur. His igitur & aliis deliramentis Rex omnium Nobilium suorum corda cruentavit.* Sed ad hæc Rex sua se sponte deprimebat, nihil istiusmodi expectante Legato. Nisi malis has interpretari artes, quibus & Legatum demereretur, & Barones Angliæ retineret in fide, à qua subinde lapsabant. Nec enim præclara illa indoles & Regiæ majestatis celsitudo Henrico aderat, qua Majorum ejus non pauci præfulserant. Usque adeo verò certum est, novam illam, quam Joannes subierat, Romanæ Ecclesiæ in Angliam dominationem, non in alio positam fuisse, quam in tributo mille argenti marcarum, ut cum in Concilio Lugdunensi anno 1245. multa expostularent Oratores Angli de Sede Apostolica, de hominio & sacramento fidei verbum fecerint nullum, in tributum illud modò graviter concitati; quòd Joannes Rex bellorum mole & tumultu oppressus subisset, in quod denique Regni Comitia nunquam consensissent. *Gravamina Regis & Regni Angliæ proponens, conquestus est graviter, quod per Curiam Romanam extortum est tributum injuriosè nimis tempore guerræ à Rege Joanne, dum summa mentis angustia torqueretur; cui etiam manifestè contradictum fuit, & ex parte universitatis Regni reclamatum; quod talia nullo modo facere poterat, per os venerabilis Stephani Cantuariensis Archiepiscopi, quo non erat major tunc in Regno. In quod tributum nunquam Patres nostri consenserunt, &c.* Inducias poposcit Pontifex, & quo exulcerabantur Angli, id emendatum iri recepit. *Postquam se Papa talia promiserat providè correctum. Matth. Vestmon.* Anno 1292. apud Nicolaum IV. Papam intervenit Eduardus Rex, ut assentiretur censum annuum mille librarum Sterlingarum, qui pridem Ecclesiæ Romanæ pendebatur, posthac Ecclesiis Angliæ solvi. Non acquievit Pontifex. Anno 1317. Joannes XXII. Papa ad Eduardo Angliæ Rege poposcit hominium, sacramentum, censum, quo se Rex olim Joannes & posteros obligasset. *Rainald. n.12. 13.* Rex censum persolvit, eoque se contentum fuisse silentio suo Pontifex significasse visus est. *Idem n.48.*

VI. Flagitabat autem Rex idem ipse à Pontifice, ut Optimatum Scotiæ consilia confirmaret, qui ipsum in summum sibi dominium cooptabant, arbitrumque omnium de jure Coronæ Scoticæ dissensionum. Abnuit Pontifex, ne quid derogaret Juri Romanæ Ecclesiæ in Scotiam. *Nolentes aliquorum juri & specialiter juri, quod in ipso regno Romana habet Ecclesia, derogari. Ibidem.* Intercessit Bonifacius VIII. ne Rex Angliæ Eduardus I. Scotiæ Regnum sibi vindicaret; ad quem & rescripsit, Angliæ Regno obnoxiam nunquam fuisse Scotiam: sic professum esse patrem ejus Henricum Regem; semper Apostolicam Sedem egisse cum Anglia & Scotia, ut cum regnis sejunctis; Scotiam denique juri subesse Romanæ Ecclesiæ. *Conc. Gener. Tom.15. pag.1399. Valsingh. Matth. Vuestmon.* Pontificis nec argumentis cessere Angli, nec hortamentis; armis Scotiam subegere, cæde & cruore undique stagnante. Anno 1320. Scotiæ Rex Joannem XXII. Papam sibi conciliare conatus est adversùs Angliæ Regem; contestatus superiores Pontifices passos non esse, ut cuiquam Scotica Ecclesia, nisi Romanæ Ecclesiæ subesset. *Quod Romani Pontifices prædecessores nostri Scotorum regni Ecclesiam nemini voluerunt nisi Pontifici Romano subesse. Rainald. n.37.* Ab eodem Eduardo I. defecerunt Hiberni, durioris impatientes dominationis; monuerunt & Pontificem suæ hujus calamitatis, qui Regem per literas hortatus est, ut refricaret memoriam earum conditionum, quibus Adrianus olim IV. Papa Hiber-

erniam subjugandam permisisset Henrico II. Regi. Quo patet eo Hiberniam Sedis Apostolicæ potestati obnoxiam fuisse, quo ipse Pontifex Reges humanos & clementes præstaret. Refert Rogerius abnuisse Lucium Papam, ne Rex Henricus II. Hiberniæ Regno unum ex filiis investiret; at Urbanum III. anno 1186. id concessisse. Quæ Lucii voluntas non aliò spectare visa est, quàm ut ne Hiberniæ Regnum à Regno Angliæ sejungeretur, atque ita mitiores semper experiretur Reges.

VII. Quoad Hispaniam, permanarunt Epistolæ Gregorii VII. ad Christianos Principes omnes, quos ardor incenderet pius debellandorum in Hispania Sarracenorum: cæterum jamdiu esse ajebat ille, quod Regnum Hispaniæ juri subesset Apostolicæ Sedis: injussu suo nihil cuiquam acquiri posse: Comitem de Roccio secum pepigisse, ut eò arma inferret, & quæ perdomuisset, sub clientela & jure Sedis Apostolicæ retineret; posse & alios sejunctim Principes eodem proficisci, & belligerari, dum eò consilia, eò arma sua converterent, ut eas plagas Christi fidei adjicerent, & legitima jura persolverent Sedi Apostolicæ. *Non latere vos credimus, Regnum Hispaniæ ab antiquo proprii juris Sancti Petri fuisse; & adhuc pertinere. Comes de Roccio hanc concessionem ab Apostolica Sede obtinuit, ut partem illam, unde Paganos expellere posset, sub conditione inter nos facta pactionis ex parte S. Petri possideret. L. 1. Ep. 7.* Non poterat vel uberior Nobilibus, vel splendidior aperiri campus ad gloriam, non inanem, sed solidam & religiosam, quàm ut Christiani nominis hostes in Hispania profligarent. Sed cœlestis Numinis oraculo & impulsu opus erat, ac justitiæ eos invitandis lumine, quod non aliunde opportunius allucere poterat, quàm ex sede Vicarii Christi. In his verò si qua sibi & Ecclesiæ Romanæ Pontifices jura & obsequia reservabant, id ex eo fiebat, quod se & Ecclesiam minus sejungerent à Christo, cujus vices gerebant. Si Principes his obsequiis acquiescerent, eaque obire deinceps non detrectarent, Christo victoriarum suarum Principi & authori id dominium, id tributum pendebant. Si postea fastidio nescioquo abhorrerent, & aversarentur, Pontifices amanter conquerebantur, nec ultrà molesti illis erant.

A specie veri non abhorret, ea Sedis Apostolicæ jura in Hispaniam, de quibus hic meminit Gregorius, simillima iis fuisse, quæ hic ipsemet à Comite de Roccio exigebat, cum Hispanicarum illi victoriarum fores panderet. Quo primum tempore, ineunte seculo VIII. infuderunt se in Hispanias Sarraceni, necdum usitata fuerant hæc Sedis Apostolicæ jura in varias Orbis Provincias. Quatuor illis sæculis, quæ post interlapsa sunt usque ad Gregorium VII. Urbes & Provinciæ bene multæ Hispaniarum ejectis Barbaris à Christianis Principibus expugnatæ sunt. Romani Pontifices, Antistites, Nobiles Occidentis universi complures eò quoque providentiam & industriam suam, arma, expensas contulere. Prope abest à verò, tum oblata fuisse Apostolicæ Sedi ea jura & obsequia, quæ hic à Gregorio VII. commemorata sunt. *L. 4. Ep. 7.* Si suspicabatur Pontifex ea sedis suæ jura Sarracenorum in Hispanias excursione anteriora fuisse, vitio utebatur humanitatis & humani ipsius generis, cui familiare, sed & innoxium est, rerum origines latitantes, altius quàm par est, & quàm necesse est arcessere. Certè si antiquiora erant ea jura, cum & primus omnium ea prodiderit, nec plura de iis prodiderit Gregorius, nostrum non est ulterius quidquam pervestigare. Sed nostris suprà suspicionibus aliquid forsan luci ex infrà dicendis accedet.

VIII. Cum Tarraconensem civitatem Berengarius Barcinonensis Comes subactis Mauris expugnasset anno 1091. eam Ecclesiæ Romanæ addixit sub annuo viginti quinque pondo argenti censu à se retinendam. *Beato Petro ejusque Vicario dono Tarraconensem urbem cum omnibus, quæ pertinent, &c. Ea deliberatione, ut teneamus hoc totum per manus B. Petri ejusque Vicarii, &c. Epist. 6. 7.* Ei dono assensus est Urbanus II. Episcopum Ausonensem in Metropolin transtulit Tarraconensem; ut Ausonensem retineret, ditiorem scilicet Ecclesiam, voluit; quò ruinas paulatim sarciret Tarraconensi, quæ annis 390. sub potestate jacuerat Sarracenorum, ope & favore non deerat Pontifex, tum recipientibus, tum restaurantibus has urbes & Ecclesias. Religioni & Christo tota hæc militia serviebat. Ita ipso religionis impetu impellebantur Reges Principesque, ad victoriarum suarum fructus pulcherrimos Deo offerendos.

Petrus Arragoniæ Rex & Comes Barcinonensis, regna sua B. Petro & Ecclesiæ Romanæ dicavit, cumque anno 1204. ipsius Innocentii III. Papæ manu coronari se voluisset, annuo censu & sacramento fidei, se suosque posteros obligavit: hinc sibi & hæredibus à B. Petro despondens, & ab Apostolica Sede certissimam tuitionem. *Cupiens principaliter post Deum Beati Petri & Apostolicæ Sedis protectione muniri, tibi summe Pontifex Innocenti & per te Apostolicæ Sedi offero Regnum meum, illudque tibi & tuis successoribus in perpetuum divini amoris intuitu constituo censuale, ut ego & successores mei specialiter ei fideles & obnoxii teneamur. Hac lege perpetua servandum fore decerno, quia spero firmiter & confido, quod tu & successores tui, me & successores meos ac regnum prædictum Apostolica authoritate defendetis. Rainal. an. 1204. n. 71. 72.* Admisit illud Pontifex in clientelam & tuitionem Sedis Apostolicæ, uti & antea Sancium Regem parentem ejus, qui id exoraverat: *Nos eadem benignitate, qua Patris tui postulationem implevimus, tua quoque petitioni adesse curamus. Innoc. III. Regest. 16. Epist. 87.* Nec tacuit eos honores ad B. Petrum dirigi: *Se B. Petri Reges ministros & famulos recognoscant. Rainald. num. 56.* Rex Arragonum id protinus significatum voluerat, in Pontifice personam à se Christi spectari. *Cum corde credam, & ore confitear, quod Romanus Pontifex, qui est Beati Petri successor, Vicarius sit illius, per quem Reges regnant, & Principes principantur, &c. An. 1206. n. 34. 1213. n. 51.* Perlecta est in Concilio Lugdunensi anno 1245. ea Regis Arragonum donatio. Concilio Lugdunensi II. anno 1274. affuit Jacobus Rex Arragonum, & ipsius manu Pontificis corona se Regni decorari voluit; sed repulsam passus est, cum censum abnuisset, quem pater spoponderat. Audiendus hic Mariana. *L. 11. c. 21. L. 13. c. 22. Rediit in patriam iratus Pontifici, quod ipsius capiti regni coronam imponere recusasset, nisi vectigali persoluto, quod Petrus pater ipsius, quo tempore Romæ coronam susceperat, pendere quotannis pactus erat. Jacobo Regi indignum videbatur, Regnum Majorum virtute partum, cuiquam externo Principi esse vectigale.*

Postremis his verbis mirificè confirmantur quæ diximus, non aliter occursare solitum Pontificem animo Regum principumque, quam ut Christum ipsum. Itaque religiosa ea erant obsequia & vincula, quibus ita se innectebant, ut ne suspicarentur quidem temporali suæ summæ dominationi quidquam decessurum, si Deo, si Christo, si Vicario ejus subjicerentur. Est quidem jamdiu Pontifici & Apostolicæ Sedi temporalis dominatio & Principatus terrenus; sed ejus à Principibus & Regibus, qui se ejus tuitioni committebant, ratio habebatur nulla; spirituali ejus authoritati se subjici, ab ea se defendi percupiebant; ut quæ intima sit & innata, propriaque Pontificatûs. Sed ubi primùm Reges,

ges Pontificem sibi objecerunt, ut unum aliquem ex Principibus temporalibus, ut in hoc Jacobo Arragonum Rege manifestum est; jam tum alieno cœpere esse animo, & à censu, Sacramento atque hominio abhorrere, quibus eos sui illigarent Majores. A' Jacobo Rege repulsam passus Gregorius X. nihil præterea tentavit; à coronando Rege abstinuit, qui & ipse abstinuit vicissim ab urgendo Pontifice. Usque adeo certum est, quantiscumque se successoresque suos hi Reges devinxissent obligationibus, ut eo cultu Sedem Apostolicam prosequerentur; alta mente semper tamen repositum fuisse, ab ipsa sui origine voluntarias eas fuisse oblationes, nec molestiùs jam, aut importuniùs urgendas. Usque adeo denique certum est, etsi Alexandro II. Gregorio VII. Urbano II. curæ fuerit, & si quibus aliis, ut Principes monerent, eorum Principatus hominio, vel censu aliquo teneri in Sedem Apostolicam à Majoribus desponso; suspensis tamen in his progressos esse semper vestigiis, nec negotium facessisse detrectantibus.

IX. Innocentii quoque III. & Sedis Apostolicæ tuitioni subjici se voluit Alphonsus Rex Portugalliæ; cui confirmatum est à Pontifice, quod avo ejus Alphonso ab Alexandro III. concessum fuerat, ne quis Princeps alius Christianus in ea posset invadere, quæ ipse perdomitis Sarracenis sibi subjecisset. *Sub nostra Protectione suscipimus Regnum Portugallense, & omnia loca, quæ de Sarracenorum manibus eripueris, in quibus jus sibi non possunt Christiani Principes circumpositi vendicare; ad exemplar felicis memoriæ Alexandri Papæ, qui hac avo tuo concessisse dignoscitur, &c. Hæc hæredibus tuis duximus concedenda, eosque super his, quæ concessa sunt, pro injuncto Apostolatus officio defendemus.* Regest. 15. Epist. 24. Regest. 14. Epist. 50. Atqui ut subesse B. Petri Patrocinio id Regnum testatum fieret, annuo censu duarum auri marcarum constrinxit se Rex. *Ad indicium autem, quod prædictum regnum B. Petri juris existat, statuisti duas marcas auri singulis annis nobis nostrisque successoribus persolvendas.* Alphonsi hujus patrem Alexander II. Papa Regem creaverat. Princeps is erat stirpis Gallorum Regiæ, & familiæ Burgundiæ Ducum, à quo subacta fuerat Lusitania, ejusque census annuus ex Roderico Eugenio III. oblatus. *L.* 7. *c.* 6. Ab Eugenio ipso III. censet Mariana, *L.* 10. *c. ult.*, Regio nomine donatum primò fuisse Alphonsum. Regis ipsius diploma publicavit Baluzius, *Miscel. Tom.* 2. *p.* 220. 221., anno 1180. editum, & à Lucio II. susceptum, à quo nec aliud exprimitur, quàm patrocinio B. Petri & Ecclesiæ Regem regnumque tutum fore. Huic Chronologicæ quæstioni enodandæ non immoror, ut quæ à nostro aliena sit instituto.

Satius est hîc referri, quod suggerunt Annales Cistercienses ad annum 1141. quòd eo rursus anno idem Rex Alphonsus clientem se professus sit B. Mariæ de Claravalle, sub annuo censu. *Et quia jam me & omnia B. Petro & ejus successoribus vectigalem constitui, cupiens & nunc Beatam Dei Genitricem apud Deum habere Advocatam, de consensu vassallorum meorum, qui absque adjutorio externo me in Solium regium constituerunt, meipsum, regnum meum, gentem meam, & successores meos sub B. Mariæ de Claravalle tutelam, defensionem & patrocinium constituo; mandando omnibus successoribus meis, ut singulis annis Ecclesiæ B. Mariæ de Claravalle in Diœcesi Lingonensi in Regno Franciæ tribuant in modum feudi & vassalitis quinquaginta marabitinos auri probati.* Illud quidem lubebat his Regibus Portugalliæ, ut Feudatarii & Tributarii essent B. Petri, & B. Mariæ Claravallensis, atque ita & Abbatis hujus Cœnobii; at totum illud ad spiritalem referebatur subjectionem; ut de temporali jure summo nihil penitus deperiret. Eccujus enim in mentem illud veniret, ut regnum à temporali dominatione Abbatiæ & Abbatis Claravallensis penderet? Charta ipsa, quæ Annalibus Cisterciensibus loco suprà laudato intexta est, abundè testatur, censum Portugalliæ Abbates Claravallenses, instar eleemosynæ suscepisse. Ubi desinente superiore sæculo, sperarunt Abbates Claravallenses ad se devolutum esse Regnum Portugalliæ ob censum non persolutum, risu magis, quàm rationibus hæc eorum spes ejecta est; tum enim id extudit necessitas, ut omnes intelligerent has priscorum Lusitaniæ Regum obligationas religiosas, premi & urgeri tam vehementer non posse, nec ad temporalis dominationis imminutionem trahi posse.

Sedis quoque Apostolicæ jura in Lusitaniam tum proposita fuere, cum legitimi ejusdem Regum stirpis hæredes masculi defecissent; sed nec Sedis Apostolicæ jura multum momenti habere tum quidem visa sunt. Si Marianæ satis perpensa & explorata fuisset hujusmodi regnorum subjectio, non id, ut reor, illi excidisset, eodem tempore propulsasse Hispaniam, hinc Germanorum Imperatorum, hinc Gregorii VII. spem, illam sibi subjicere gestientium. Prima illa subjectio funditus evertisset summum Imperium Hispaniæ Regum, qui posthac Germanis Imperatoribus obnoxii fuissent. Unde nec ei unquam Reges Hispani assensi fuisse memorantur. At subjectio spiritalis sub Romano Pontifice nihil obstrepit summo regnorum juri temporali. Unde & Pontifici atque Ecclesiæ subjici se cum suis regnis testatum fecere complures Hispaniarum Reges, iis documentis, quæ utrique subjectioni communia sunt, spiritali & temporali, hominiis, Sacramentis, annuo censu. Quin & Mariana non multò post confitetur, Ramirum Arragoniæ Regem sibi successoribusque suis tributum Papæ solvendum indixisse. *Sedi Apostolicæ in primis & maximè deditus fuit; prorsus ut regnum, seque & liberos Romanis Pontificibus obnoxios vectigalesque fore lege in æternum voluerit & sanxerit.* Mariana l. 9. c. 5. & 7.

Nec soli Claravallensi Abbatiæ tributarii fuere Reges. Eodem se nomina venditare potuit Cluniacensis. Teste cum primis locuplete utar Petro Venerabili Cluniacensi Abbate, qui author est, Alphonsum Regem Hispaniarum, vestigia parentis sui legentem, Monachis Cluniacensibus solvisse censum annuum ducentarum amplius auri unciarum. *Magnificentissimus & famosus Rex censualem se, regnumque suum Christi pauperibus ejusdem Christi amore fecerat, & tam à se, quàm à patre suo Fredelanno constitutum censum ducentas auri uncias singulis annis Cluniacensi Ecclesiæ persolvebat.* *De Mirac. L.* 1. *c. ult.* Ne cogitatio quidem illa cadere poterat in potentissimum Regem, si tributarius fieret Monachis, Christi paupertatem amplectentibus, posse illos arrogare sibi summa ipsa regnorum suorum jura, aut ipsa regna aliquando sibi vendicare, si masculi hæredes jam nulli essent, aut census non esset persolutus.

X. Non mihi tempero, quin luculentissimum illud prorsus ex eodem Petro Abbate Cluniacensi hîc saltem interseram, quanquam superioris Capitis argumento accomodatius. Satius omnino est hîc inseri, quàm præteriri, quanquam finitima sint horum Capitum argumenta. In Epistola ad Eugenium III. scripta Pontificem certiorem faciens de negotio, quod sibi ab eo delegatum fuerat, narrat Petrus Provinciam Arverniam eo tempore calamitosissimo, quo Caroli Magni Regia stirps concidebat, à Regibus neglectam, à Comitibus divexatam, ad Ecclesiæ tuitionem confugisse, & ab

Episcopis administratam fuisse, Principum tunc munia obeuntibus. *Alverniam regnum fuisse multis notum est. Hujus tota penè cura deficientibus Regibus, Comitibus magis Christianum populum infestantibus, quàm defensantibus, ad justum & lene regimen Ecclesiæ jam à longo tempore conversa est. Huic soli deficientibus, ut dixi, Principibus, vel infestis, huc usque innixa est, sub hac se tutam & securam mansisse gavisa est. Episcopi enim, qui ante istum terræ illi jure Ecclesiastico principati sunt, & quod suum erat, juxta sibi datam gratiam impleverunt, & quod Regum & Principum fuerat in defensando Ecclesiam, juxta quod licuit, suppleverunt. L.6. Ep.25.* Addit Petrus, Episcopo Claromontano cessante clavum regere ejus Provinciæ, & nec spiritalem jam ejus, nec temporalem administrationem gerente, calamitatibus eam luctuosissimis immersam absorptamque penè fuisse.

Ex his validè confirmatur, quæ à nobis astructa sunt superiùs. 1. Cadente Caroli Magni prosapia, exoriente Hugonis Capetii stirpe, & necdum satis confirmata, ebullisse novos Principatus, tum civiles, tum sacros. 2. Comites & Duces ex temporariis Præfectis perpetuos suo tum marte evasisse, & tam impotenter ea potestate usos esse, ut tunc vehementissimè propendere cœperint populi, ad Clericos sibi dominos & Principes accersendos. 3. Non Prælatos ipsos sua sponte venisse, aut irruisse in hos Principatus, sed à populis accitos, ut longa Comitum & Præfectorum sævitia fatigati, ad Pastorum suorum sollicitudinem confugerent, & in eum se veluti portum reciperent. 4. Ea Episcoporum dominatio temporalis à spiritalis ingenio, humanitate, charitate non recedebat, verè nimirum Episcopalis. *Episcopi terræ illi jure Ecclesiastico principati sunt, &c. Quod Regum, vel Principum fuerat in defendendo Ecclesiam, juxta quod licuit, suppleverunt.* 5. Dilapsa hæc tandem Episcopis esse dominia, ubi & ipsi ab illa, quæ hæc sibi pepererat, dilapsi sunt humanitate, charitate, vigilantia indefessa.

XI. Sed hinc universim illud existit, spontaneam illam observantiam, qua se civitates Episcoporum committebant sive tuitioni, sive dominationi temporali diuturniorem non fuisse, quàm ipsorum incredibilem quandam sapientiam, ut par est, & charitatem, & honorem, bonorumque terrenorum omnium contemptionem. Innumera sunt & alia id genus exempla in Annalibus Ecclesiasticis disseminata, præter ea, quæ superiùs allegata sunt. Innocentius III. Ducem Poloniæ in tuitionem admisit Sedis Apostolicæ anno 1211. sub censu quatuor marcarum quarto quoque anno. *Promitto Romanæ Ecclesiæ omnimodam fidelitatem, & me paratum in defensionem Ecclesiarum. Rainald. an. 1198. n.18. 1202. 33. 40. 1211. n.23. 1217. num.48. 1218. n.71. 1219. n.44. 1220. n.34. 1221. num.40. 1223. n. 53. 1252. num.4.*

Anno 1219. & 1223. Rex Monæ Insulæ regnum suum Honorio III. subjecit sub annuo censu, hominio & fidei sacramento. Anno 1220. in Dania à Legato Pontificis intentata tis excommunicatio est, qui molirentur aliquid in id regnum, quod Apostolicæ subesset clientelæ. *Regnum Daniæ ad Romanæ Ecclesiæ jurisdictionem noscitur pertinere.* Censum ab annis quinque cessantem anno 1221. idem Honorius III. accepit. Anno 1232. Gregorius IX. concessit Neophytis Gothlandiæ populis, ut nec Daniæ, nec Sueciæ Regibus subessent, sed Episcopo suo, dum in Christiana & Catholica fide immoti starent. *Ad ea verò jura, quæ persolvere tenentur indigenæ de Gotlandia per omnia perpetuò tenebuntur Episcopo suo, suisque Prælatis annuatim persolvenda; ita, quod nec regno Daciæ, nec Sueciæ subjiciatur. Perpetuam enim eis indulsimus libertatem, quandiu eos apostatare non contigerit.* Anno 1246. Innocentius IV. cum Rege Norvegiæ dispensavit, ut quamvis justo conjugio natus non esset, Regnum id tamen & retineret, & ad posteros transmitteret. Edidit Baronius ad annum 1062. Epistolam Alexandri II. Papæ, à Suenone Daniæ Rege censum reposcentis, quem Majores ejus polliciti essent. Anno 1251. Princeps Lithuanorum tuitioni se commisit Innocentii IV. Episcopos ab eo & Apostolicos deposcens Concionatores, ad idololatriam sua ex ditione profligandam. Anno 1255. Regia illum corona decoravit Alexander IV. concessitque ut circumpositas gentes sub jugum mitteret armatus, miti postea Christi jugo subjiciendas. Anno 1285. plures scripsit in Poloniam Literas Honorius IV. ut censum exprimeret Ecclesiæ Romanæ desponsum. *Rainald. an. 1246. n.33. 1251. n.44. 1255. 57. 58. 1285. 72.* Fidem facit Ditmarus jam inde ab anno 1013. Duces Poloniæ annuum censum Romanæ Ecclesiæ exolvisse. Petiit & accepit hunc censum Gregorius VII. marcarum argenti centum; sciteque observatum est à Baronio, *n.2.3.*, monumentum id fuisse Polonorum pietatis, qua fungi voluissent in B. Petrum, ubi primùm fide Christiana initiati fuere. *Erat census iste ab exordio, ut apparet, Polonorum gentis conversionis, pietatis ergo, promissus annis singulis Principi Apostolorum, & ejus loco persolutus ipsius successori Romano Pontifici.*

Ejusmodi certissimè fuere exordia horum sive censuum, sive hominiorum, sive fidei sacramentorum; sive cum Angli à B. Gregorii discipulis ad fidem Christi primum adgregati sunt. Sive dum Lusitani per Principem Galliæ gentis à Sarracenorum servitute subducti sunt, sive cum Reges Arragoniæ, vel Principes Barcinonenses de iisdem Sarracenis nobiles reportavere victorias. Sive dum Dani, Sueci, Lithuani, Poloni Christo primum nomen dedere, non sine magno semper Romani Pontificis adjumento, & flagrantissimo charitatis Apostolicæ æstu in gentes suo ovili accrescentes, & harum vicissim in B. Petrum & in summum Christiani nominis Pontificem ingenti veneratione. Hinc instinctus illis quodammodo insitus, ut insigni aliqua oblatione & dono colerent primum & principem Christianæ fidei propagatorem. Sed donum illud erat pietatis, *pietatis ergo*, ut ajebat Baronius. Ubi veniam fecit Benedictus IX. Principi Casimiro, Cluniacensi Monacho, & Diacono, ut Poloniæ regnum administrare & uxorem ducere posset, censum etiam ille & quondam expressit Capitationem, sed ut memoris animi, & pietatis tessera ea esset, *in signum præstiti beneficii*, ut ait Longinus, Historiæ Polonicæ Scriptor. Feudatariam quidem & tributariam Ecclesiæ Romanæ vult Longinus, hinc fuisse Poloniam, sed totum revolvebatur in hoc unum tributum pietatis. *Ab eo tempore regnum Poloniæ factum est Romanæ Ecclesiæ, imò Vicario Jesu Christi summo Pontifici feudale & tributarium.* Subalterni ab eo erant primitus Poloni, sed nonnisi ob perpetuam & irrevocabilem necessitatem ejus denarii pendendi. *Videbatur census iste, qui denarius Sancti Petri vocabatur, primùm Polonis difficilis atque gravis, utpote qui secum perpetuam trahebat in Polonos obnoxietatem.* Vox ipsa Denarii eleemosynam prodit. Idem prodit & dispensatio, ac dispensandi causa, ad pietatem spectans. Feuda & tributa, census & hominia alia, nempe religioso sensu capiuntur, quando quis Vicario Christi obligatur. Vicario enim Christi spiritale Imperium est, quà Vicarius Christi est. Anno 1180. cum Casimirus Poloniæ Rex Regias edere meditaretur Constitutiones, ab Alexandro III. Papa Apostolica eas authoritate confirmari voluit, sed nihil hic fuit, quod temporalem redoleret subjectionem. *Baron. an. 1041. num. 15. 1045. n. 2. 1180. num. 13.*

Nec

Nec præteriri fas est quod observat Longinus, In nova quadam exactione Denarii Sancti Petri ex omnibus Polonici regni Provinciis. Compendiosissimum id ait ille existimatum esse Reipublicæ Polonicæ, quod cum ejus Provinciæ aliquæ usurpatæ fuissent à vicinioribus Principibus, qui non usurpatas eas à se, sed justo dominio semper possessas jactabant; Polonici eas esse regni demonstrabatur ex denario B. Petri, quem annuum persolvebant. Anno 1317. Joannes XXII. Papa denarium B. Petri ab Anglis exigebat, ut ex Regesto Epistolarum hujus Pontificis evincitur. Quo ex eodem constat eundem denarium pendi eo ævo solitum, adhuc fuisse à Suecis, Danis, Nurvegis, Polonis. At omnibus illis regnis persuasissimum tunc erat dependi à se tributum pietatis & religionis, denique oblationem, qua coleretur Deus, eleemosynam, qua pauperes levarentur. Cum anno 1319. Polonia ab hostibus vastata obtritaque fuisset, & lumen ipsum Regiæ Majestatis extinctum, dari tandem cœpit opera, ut ea revivisceret. *Rainald. an.* 1317. *num.* 49. 1319. *num.* 2. Intercessere Bohemi, Poloniam Bohemiæ obnoxiam & tributariam professi. Controversia tandem disceptata est coram Joanne XXII. Papa, approbantibus Polonis, nunquam Regnum suum cuicumque Regno alii obnoxium fuisse, & hoc invictissimo argumento id efficientibus, quod immediatè subesset Summo Pontifici, eique censum penderet annuum. Vide ut de ea re idem Pontifex ad Archiepiscopum Gnesnensem perscripserit. *Tam vos per Episcopum & literas, quàm idem Episcopus per se ipsum cum multa nobis instantia supplicastis, ut cum Regnum prædictum esset nobis & Ecclesiæ Romanæ nullo mediante subjectum, & in signum subjectionis ejusmodi census, qui denarius B. Petri vocatur, nobis & eidem Ecclesiæ nunc singulis debeatur, &c.* Adeo non ergo hic pietatis census, & hæc ad Apostolicam sedem subjectio temporalem subjectionem invehebat Reipublicæ Polonicæ; ut contrà hinc proderetur summum ejus jus & summum Imperium, nulli præterea terrenæ potestati obnoxium. Toto etiamnunc Christiano orbe res adhuc ita comparatæ sunt, summo is demum jure Principatum, non precario possidet, qui ejus obedientiam filialem Papæ præstitit.

Anno 1331. voluere Stetinenses Duces Principatus suos jure feudi & beneficii à Joanne eodem XXII. tenere, præstito illi fidei sacramento. Anno 1344. Ludovicus de Hispania Comes Claromontanus à Clemente VI. impetravit facultatem subjugandi Insulas Fortunatas, quarum & Rex inauguratus est ab eodem Pontifice, à quo habiturum se recepit regnum, feudi nomine, homagio ligio, & censu annuo quadringentorum auri florenorum. Ubi eminet perspicuus & perpetuus ille quasi instinctus, aucupandi colorem aliquem & titulum justum, & à cœlo approbatum, ad incundum regnum, & ad indicendum bellum iis, qui nec lacessiverint unquam, nec obnoxii hactenus fuerint. Anno 1458. Despota Rasciæ, vel Rex sine prole excedens, Principatum suum Romanæ transcripsit Ecclesiæ. Ex quo non absurdè conjicitur censualem illi ante fuisse, quando id tum pervagatissimum erat. *Baron. an.* 1331. *num.* 24. 1344. *num.* 49. 1458. *n.* 18.

XII. De Hungaria ante diximus, sed supersunt pauca, quæ præteriri nefas sit. Anno 1232. Andreas Hungariæ Rex ad Prænestinum Cardinalem Sedis Apostolicæ Legatum per literas significavit, Beatum Stephanum Hungarici Regni conditorem, noluisse suo marte, & propriæ cupiditatis impetu Regiæ Majestatis insignia invadere, persuasum cælestibus auspiciis, Deique nutu opus esse, ut quis ad ejus amplitudinis fastigium enitatur. Hinc à Dei in terris Vicario Regia illum corona cingi voluisse. *Qui ad Regni solium authoritate propria noluit sublimari, sciens scriptum, quod nemo assumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo. Et ideo non à quolibet, sed à Vicario Jesu Christi & Petri beatissimi successore assumpsit Regni diadema.* Nec ingenua illa confessione detrahebatur quidquam de splendore summi imperii, quod & certissimum erat ipsi Gregorio IX. cujus Legatum agebat Prænestinus. Cum enim anno 1240. ad Georgiæ Regem literas daret Gregorius, conceptis verbis illud affirmavit: Subjectionem eam & observantiam, quam Sedi Apostolicæ Reges præstarent, in incrementum potiùs, quàm in injuriam & damnum cedere supremæ eorum dominationis; cum tantò æquius sit Reges hominibus dominari, quantò impensiùs ipsimet summo omnium dominatori Deo obtemperant. *In hac quidem obedientia nullius quantumcumque potentis imperium, nullius honor Regis minuitur; sed ex hac omnium potestas & libertas augetur. Quia illi dignè populorum præsunt regimini, qui sicut ipsi alios præcellere cupiunt, sic divinæ student excellentiæ famulari. Rainald. an.* 1233. *num.* 51. 1240. *n.* 42. 1379. *n.* 31. 1291. *n.* 47. 49.

Anno 1179. confessus est & Ladislaus Rex, eo consilio Stephanum Regem regio se diademate ornari à Papa voluisse, ut & ipse, & successores eo vinculo magis constringerentur ad Catholicæ fidei observantiam indeflexam. *Et ut Principatum fidei in Sacrosancta Romana Ecclesia consistere demonstraret, non à se, vel ab alio, sed à Romana Ecclesia matre omnium & Magistra regni diadema revelatione divina meruit obtinere; ut ab eo quasi quodam capite principali dona sua in omne corpus defunderet lux divina.* Cum anno 1291. cœpisset Rodolphus Imperator Hungariam invadere, eaque jam Albertum filium investisset, ut ea jam in feudum Imperii cederet, intercessit his innovationibus Nicolaus IV. Papa & Rodolphum commonuit, Hungariam immediatè semper subjectam fuisse Apostolicæ Sedi. Itaque immediata in hac ad sedem Petri subjectione ea vis inerat & libertas, ut ejusmodi Principes nulli præterea terreno Principi subesse possent. Anno 1301. Bonifacius VIII. toto authoritatis suæ pondere connixus est, ut Bohemi Regis consilia everteret, Hungariam sibi subjicere molientis. Anno 1308. confessi sunt Hungari, quem ipsi elegissent Regem, eum à Papa confirmari debere, & coronari ejus authoritate. Anno 1448. conquestus est Callistus III. Papa quod in electionibus Regum Bohemiæ & Hungariæ tum nulla haberetur ratio Sedis Apostolicæ, cujus ea Regna sint speciali jure. *Cum regna Hungariæ & Bohemiæ peculiarius sint Beati Petri:* Agebatur tunc de Georgio Podiebraccio in Regem Bohemiæ electo, qui Hussitarum errores combiberat. Ei malo occurrebat Pontifex. Et sanè ut ne adversarium experiretur Pontificem Georgius, fidei Catholicæ rursus se tum adglutinandum, & in unitate atque obsequio sedis Apostolicæ perseveraturum recepit. Qui tamen fidem fefellit. Anno 1479. Regina Bosniæ Regnum suum Papæ legavit. *Rainal. an.* 1301. *n.* 8. 10. 1308. *num.* 25. 1408. *num.* 20. 1479. *n.* 73. *Jacobus Card. Pap. Ep.* 679.

XIII. Una superest quam paucis attingamus Francia, cujus regni supremum jus, & nemini nisi Deo obnoxium temporale Imperium, ita certum & inconcussum semper fuit, ut ne in controversiam quidem trahi potuerit. Nec ullius tamen usquam regni tanta fuit in Apostolicæ sedis venerationem propensio, aut effusior beneficentia. Anno 1081. Bertrandus Provinciæ Comes Gregorio VII. Sacramentum fidei præstitit, Principatumque suum successorumque ejus clientelæ subjici deinceps voluit. *Pro remissione peccatorum meorum & parentum meorum offero, concedo, dono omnem honorem meum omnipotenti Deo, Sanctis Apostolis Pe-*

tro

tro & Paulo , & domino meo Gregorio Papæ VII. & omnibus successoribus suis, ita ut quidquid placuerit deinceps domino Papæ, de me & de toto honore meo sine ullo contradicto fiat. Baron. an.1081. n.33. Quibus verbis patet has fuisse spirituales hostias Deo oblatas, Petro, Pontifici; nec eo sacrificio, quod Deo & Principi ejus ministro offerretur, Regnorum aut splendorem obscurari potuisse, aut extenuari potentiam. Cum idem Gregorius VII. suos in Galliam ablegaret Legatos, præcepit ut Gallos hortarentur, ad denarium Beato Petro persolvendum; Etenim jam olim Carolum Magnum, constare, generales Collectas fieri curasse apud sanctum Ægidium, ad Anicium & ad Aquisgranum, ut pecunia hinc corrogata Romam mitteretur. *Dicendum est omnibus Gallis, & per veram obedientiam præcipiendum ut unaquæque domus saltem unum denarium annuatim solvat Beato Petro, si eum recognoscunt Patrem & Pastorem suum more antiquo. Nam Carolus Imperator sicut legitur in tomo ejus, qui in archivo Ecclesiæ beati Petri habetur, in tribus locis annuatim colligebat mille & ducentas libras, ad servitium sedis apostolicæ, id est, Aquisgrani, apud Podium Sanctæ Mariæ & apud Sanctum Ægidium: excepto hoc, quod unusquisque propria devotione offerebat. L.8. Ep.23.* Cum apud Pontifices ipsos in confesso sit, Franciæ Regnum nulli omnino temporali subjici Principi, nisi Regi suo; quod & in Decretalibus sancitum est ab Innocentio III. hinc facilè colligitur, illum Petri denarium, quem Gregorius VII. deposcebat, nihil subjectionis temporalis regno importare potuisse. Oblatio erat ea & eleemosyna, quæ jussu & hortatu Caroli Magni toto regno erogabatur.

Anno 1375. Carolum VI. Galliæ Regem per literas commonuit Gregorius XI. Papa, ut dominium & sacramentum fidei sibi solvi juberet à Carolo filio ejus Delfino; ob aliquos Delfinatûs tractus, quorum penes Apostolicam Sedem esset summum dominium. Anno 1462. Ludovicus XI. Rex Sedem Apostolicam donavit Comitatibus Valentino & Diensi, quorum postremus Comes à nepotibus & hæredibus suis in carcerem contrusus, iis Galliæ Regem donaverat ea cautione, ut hi Comitatus ad Sedem Apostolicam devolverentur, si eos Rex nepotibus aliquando suis transcriberet. *Rainald. an.1375. num. 29. an. 1462. num. 11.* Atqui exhæredibus nepotibus eas ditiones restituerat Carolus VII. Rex Ludovicus ergo XI. testamenti tabulis obsecutus, eos Comitatus Pio II restituit; & quidem summo cum dominio, nec hominio, nec sacramento fidei retento. Vicissim Pontifex cessit castris & terris, quæ his obnoxiæ essent in Gallia. Anno 1483. Senatus Gratianopolitanus Comitatus eos regno Franciæ reddidit. Sixtus IV. ad Ducem Borbonium rescripsit, ut de eo sarciendo damno admoneret. Anno 1486. Innocentius VIII. Carolum VIII. Regem interpellavit, ut Comitatus ii Romanæ redintegrarentur Ecclesiæ. *Idem num.45.* Electi sunt Cognitores, sed tandem aliquando Alexander VI. Comitatus Regi dimisit, vicissim ab eo remuneratus, ut par erat, effusa & in Pontifices proximos Regia munificentia.

Quoad Comitatum Venaissinum Ludovicum IX. Regem & Comitem Tolosanum Gregorius IX. certiores fecit, *Epist.24. 36. 30.*, eum sibi commendatum esse, non proprium, donec liqueret plenius cujus juris esset. Sed fœdere inito Lutetiæ anno 1228. cessit Beato Ludovico Regi Tolosanus Comes, quidquid in Regno Franciæ cis Rhodanum obtinebat, & Legatis Papæ cessit, quidquid de Terris Imperii obtinuisset ultra Rhodanum. *Terram autem, quæ est in Imperio ultra Rhodanum, & omne jus, si quod ipsi Raymundo competit, vel competere posset in ea præcisè & absolutè quitavit dicto Legato, nomine Ecclesiæ in perpetuum. Conc. Tom.11. pag.419.* Sed cum eo fœdere posteriores sint Gregorii IX. Epistolæ; hinc conjicitur in ancipiti rem tum adhuc fuisse post istud fœdus; quanquam ambigi non possit, quin possessio fuerit penes Sedem Apostolicam ab anno 1273. quo Philippus Audax Rex eum Principatum restituit Gregorio X. qui per literas ei & gratulatus est, & gratias egit. *Du Pay des Droits du Roy. pag.408.*

XIV. Nequaquam id mihi quidem propositum fuit, ut prolixius enumerarem, vel ostentarem Principatus, qui vel Ecclesiæ Romanæ, vel Ecclesiis aliis dono dati plurimi & opulentissimi sunt. Sed cum instituti mei esset persequi oblationes sacras, non potui eas in præteritis dimittere, quæ omnium magnificentissimæ fuere, oblatis contraditisque Deo & Ecclesiæ Comitatibus, Ducatibus, Regnis. Nihil ad Christi, nihil ad Ecclesiæ gloriam illustrius vel optari potuit, quàm abjecta ad Ministrorum ejus pedes regna; non quo jam distrahantur: ecquis enim emptor? sed ut fontes hinc scaturiant inexhausti eleemosynarum & Collectarum in pauperes. Nec pœnitet nos operæ in id impensæ, ut hos Principatus oblatos ostenderemus; non homini, non privato Principi terreno, non Pontifici terrenum Principem agenti, sed Vicario Christi, sed Christo & Deo; unde nec Regibus ipsis vel tantillum de summi Imperii gloria decerpebatur.

Lubet & hic alia ad cumulum acervare ejusdem doctrinæ argumenta, quæ si inculcata animis hominum satis olim fuisset, jura hæc Ecclesiæ moderatiora forsan fuissent illa quidem, sed & diuturniora. Comitatus Vilcassini (Le Vexin) hæreditas ad Ludovicum Crassum Regem pervenit, qui tum cum bellum gravissimum immineret, ejus Comitatûs vexillo donari cum pompa ipse se voluit in Cœnobii Ecclesia Sandionysiani, cujus feudus habebatur is Comitatus. Erat id proprium & insigne vexillum amplissimæ hujus Abbatiæ, quod ex officio suo gestabant Comites Vilcassini, quod & gestare, vel gestandum delegare Reges ipsi voluere, ubi eam nacti sunt hæreditatem. Sic enim Sugerius Sandionysianus Abbas in vita Ludovici Crassi. *Rex vexillum ab altari suscipiens, quod de Comitatu Vilcassini, quo ad Ecclesiam feodatus est, spectat; votivè tanquam à domino suo suscipiens, pauca manu contra hostes evolat. Du Chesne Tom.4. pag.312.* Idem habet & Sandionysianus Monachus, vitæ scriptor Beati Ludovici; *Tom.5. pag.384. Itaque Martyres Dionysium, Rusticum & Eleuterium interpellans, vexillum de altario Sancti Dionysii, ad quod Comitatus Vilcassini spectare dignoscitur, quem etiam Comitatum Rex Franciæ debet tenere de dicta Ecclesia in feudum, morem antiquum antecessorum suorum servare volens, signifer jure sicut Comites Vilcassini soliti erant suscipere, suscepit, cum pera & baculo peregrinationis.*

Qui Philippi Audacis Burgundiæ Ducis vitam literis consignavit, quemque Gallico sermone donavit Laborator, ingentis pretii gemmam ab eo Duce donatam tradit. *Pag.95.* Abbati Sancti Benigni, quindecim millium argenti librarum pretio emptam, ut ea quasi investirentur ab Abbate Duces Burgundiæ, quo primum die Ducatus possessionem inirent. Cum urbem & Comitatum Bononiensem Ludovicus XI. adeptus esset anno 1477. Coronæ Franciæ illum univit, ea conditione, ut tum ipse, tum successores Comitatum eum, urbemque clientelari jure obtinerent à B. Virgine Maria sub hominio & fide; utque novi quique Reges cor aureum pondo viginti quinque Ecclesiæ Bononiensi offerrent. Eo munere & hominio functi sunt deinceps Reges, quod & Senatusconsulto confirmatum est Parisiensi anno 1635. ex quo & hæc delibа-

bavimus. *Memoires du Clergo. edit. dern. Tom.3. pag.181.*

XV. Possent plura hoe congeri exempla bomioii Beatæ Mariæ Virgini, aot alicui Cœlitum persoluti, nec sine censu annuo alicui Ecelesiæ pendeodo, ne suspiciuncula quidem ulla cujusquam animum tum subeunte de temporali binc emersura subjectione qualicumque. Quin præjudicatum erat ex adverso oulli præterea temporali subesse domino, qui sua Cœlitibus hominia & fidei sacramenta præstaret solemoi ea pompa. Eo refertur, quod narrat, *L.11.pag.297.*, Gobellinus in Commentariis Pii II. à Bosniæ Rege, quo Hungariæ Regis spes improba illuderetur, & irrita caderet, qua subesse eum sibi jactabat, Pontificem appellatum esse, ut Regiam illi mitteret Coronam; quod Pontifex tum detractavit, ne Hungariæ Regis jura quæpiam imminutum iret. Attingit & idem alibi, *L.12. pag. 325.*, quod suprà perstrinximus, Stephanum Hungariæ Regem, ne potestati subesset Imperatoris, Coronam Regiam à Papa exorasse, quæ religiosissimè deinceps ab Hungaris servata sit, ut sacrum & æternum pignus Regni, nulli obnoxii humanę potestati. *Cui Germanici jugum Imperatoris declinanti, Romanus Pontifex coronam misit, gemmis & auro pretiosam, qua usque bodie quasi sacra servatur; nec Hungari verum existimant Regem suum esse, nisi qui ea fuerit coronatus.* Nec secus Matthæus Paris Regem Scotiæ anno 1244. perhibet, quo se dominio subduceret Regis Angliæ, tuitioni se Papę commisisse, Principatus sui partem precario ab eo retenturum. *David volens collum suum de sub jugo fidelitatis domini Regis excutere, ad alas Papalis protectionis confugit, spondens se tenere Vvalliæ partem eam contingentem ab ipso Papa.* Ubi in vita Beati Romualdi oarrat Petrus Damiani, Principem Polonorum mira flagrasse cupiditate, ut eum Papa Regia insigniret corona, at pro virili sua parte restitisse Ottonem III. Imperatorem: *Cap.9.* hinc abundè declaratur, maluisse Poloniæ Principem Pontifici, qui parens est omnium fidelium, obnoxium se & clientelarem degere, quàm Imperatori, qui primo quidem ille loco sedet, sed inter Principes temporales; & quibus præest, temporali præest potestate.

XVI. Prolixiusculæ tandem dissertationis finem facient Beatus Bernardus & Otto Frisingensis Episcopus. Narrat Bernardus in vita Beati Malachiæ, Celsum Archiepiscopum Armachanum jam ætate ingravescente & morti proximum, omnibus præcepisse, & ipsis etiam Regibus Hiberniæ, idque *Sancti Patricii authoritate*, ut Malachiam sibi successorem darent. Apostolatum ejus gentis olim gessit B. Patricius, quem & Hiberni eo cultu sunt deinceps prosecuti, ut successori ejus omnes omnino subessent, nulla Episcoporum. nulla Regum exceptione. *Cujus reverentia & bonore tanquam Apostoli illius gentis, qui totam patriam convertisset ad fidem, sedes illa, in qua & vivens præfuit & mortuus requiescit, intacta ab initio cunctis veneratione babetur, ut non modò Episcopi & Sacerdotes, & qui de Clero sunt, sed etiam Regum ac Principum universitas subjecta sit Metropolitano in omni obedientia, & unus ipse omnibus præsit.* Compendiaria hæc videri potest tabella eorum, quæ io universa Ecclesia gesta sunt. Quos primum populi babuere sanctissimę satores fidei & cælestis Religionis propagatores, eos eorumque successores ea venerati sunt pietate, ut iis etiam temporaliter se subesse pereuperent. Sed ut in Hibernia nihilominous summo imperio utebantur Reges, quanquam Archiepiscopo Armachano, Patricii successori, & Cbristi Vicario subessent; ita Christiani Principes, qui se Beati Petri & ejus sueeessorum, qui loogè plurimatum pareotes fuere & eooditores Ecclesiarum, feudatarios & clieotes esse voluere, illud babuere fixum in animo suo & præjudicatum, oihil his religiosis obsequiis temporalem decrescere Principatus apicem.

Otto verò Frisingensis Episcopus sua sponte collabascere ait eorum sententiam, qui à Constaotino volunt Romanum Pontificem toto Occidente donatum, & ipso ejus testamento labesactari. Ut Orientem enim ille, ita & Oceidentem inter filios & successores divisit, quos & in eo quidem imitatores habuit. Nec secus tameo posse dici censet, Christum Ecclesiam suam, quæ tot Reges suo sinu complectitur, non alios aliis obnoxio, nec precario regnantes, sed summo utentes imperio, ad unum tamen spiritale Caput, ad unum Pontificem omnium Patrem revinctos; Ecclesiam, inquam, suam Christum donasse omnium mundi Regnorum longè maximo & pulcherrimo, tanquam pignore quodam in antecessum degustando Regni Cœlestis ei desponsi, & veluti monumento insigni omnipotentiæ Verbi Incarnati, qua terra, qua cœlum patet. *Ut securior de regni cœlestis promissione fieret Ecclesia, regnum ei temporale regnorum omnium maximum tradidit; sicque paulatim civitas Dei crescens, ad summum apicem atque Monarchiam profecit. Et notandum, quod ante incarnationem suam civitas Dei ad plenum bonorata non fuit, postmodum verò cum assumptam carnem ad cælos attolleret, quasi accepto regno juxta parabolam, Regnum suum, id est, Ecclesiam ad summum fastigium, quo altius nihil in terra, provexit; ut per hoc civibus mundi se non solùm Deum cæli, sed & Dominum orbis ostenderet, civesque suos patriæ dulcedinem ex peregrinationis prosperitate doceret appetendam. L.3. c.3. 4.*

De Immunitatibus Personarum & Terrarum Ecclesiæ.

CAPUT XXXIII. *P.2. l.3. c.4.*

Immunitates Ecclesiasticæ Personarum & rerum usque ad exitum sæculi IV.

I. II. Justiniani leges ad immunitatem agrorum Ecclesiæ, quos extraordinariis tantùm tributis absolvit.

III. Immunitas agris & ministris Ecclesiæ à Constantino concessa.

IV. Geminam banc immunitatem Constantius ampliavit.

V. Voces quadam elucidantur.

VI. Eam immunitatis legem revocat Constantius, aut coarctat.

VII. Ante obitum suum abrogat Constantius illam revocationem suam.

VIII. Julianus Apostata abrogat, Valentinianus restituit immunitatem Ecclesiæ.

IX. Eam innovant & dilatant Gratianus & Theodosius Magnus.

X. Usque ad Theodosium Magnum agri Ecclesiæ tributa ordinaria præstitarunt. Probatur ex Ambrosio.

XI. Quo ita animatus erat, ut vel ipsos Ecclesiæ fundos auferri fineret, solis se tunc oblationibus sustentatura.

XII. Non abborrebant Sancti Patres ab ea terrenorum omnium abdicatione, quæ jam tributis & exactionibus non subesset.

XIII. Constantissima ea Patrum doctrina est, perso-

fonas & terras Clericorum cœlesti lege immunitatem certissimam assecutas esse, altro tamen tributis subjici, exemplo Christi.

I. AN agri Ecclesiæ omnium semper tributorum immunes fuerint, addubitatum est. Edixit quidem Justinianus, *Novel.37.*, Africanæ ut omnes Ecclesiæ Catholicæ agros recuperarent, quoscumque aotè Ariani eripuissent, sed ea lege, ut publicas exolvereot pensiones. *Ut tamen publicas pro illis pensiones conferant.* Confirmata est ab eodem Imperatore immunitas Ecclesiæ Constantinopolitanæ mille & ceotum officinarum, quarum reditibus gratis omnes sepeliebantur; sed pensionibus ordinariis statim subesse declaratæ sunt officinæ aliæ omnes, & ejusdem Patriarchalis Ecclesiæ, & aliarum Ecclesiarum, necnon & Cœnobiorum ac Xenodochiorum. *Et sancimus, ut centum quidem illa & mille officina ad peragendas defunctorum exequias deputata, omnibus modis integro numero, & omni præstatione libera conserventur. Cætera verò omnes hujus almæ urbis officina, sive sacrosancta sint alicujus Ecclesia, sive Hospitalium, sive Monasteriorum, sive Orphanotrophiorum, sive Ptochiorum, sive Regiarum domnum, sive aliquorum Magistratuum, sive Senatorum, sive aliquorum militiis adscriptorum, ha inquam omnes publica illis imposita præstent vectigalia. Novel.43. c.1.* Itaque recens comparatæ hæ possessiones, prioribus semper tributis subjicebantur, nec ulla ad eas vel Ecclesiis, vel Regiis Palatiis, vel Dignitatibus Imperii eminentissimis immunitas annuebatur. Sed minimè prætervolanda est, quam depromit Imperator ejus rei ratio. Ne exonerandis aliis alii gravius onerentur, & ne veteribus tributis extenuandis nova necesse sit invehi. *Nomine quovis tuniti privilegiis, &c. Neque enim sustinemus aliorum onus ad alios deferri; aut tam immitem proponere formulam, ut quotidie vectigalia augeantur. &c. Cum nihil tam magno studio, tamque ferà affectemus, quàm ne novo quisquam vectigali oneretur.*

II. Alibi verò fundos Ecclesiæ subducit Justinianus sordidis & extraordinariis exactionibus, non ordinariis, nec iis, quæ ad vias, ad pontes, ad reparationes urbium destinantur. *Ad hac sancimus omnium Sanctarum Ecclesiarum, & omnium venerabilium domorum possessiones, neque sordidas functiones, neque extraordinarias descriptiones sustinere. Si tamen itineris sternendi, aut pontium ædificii, vel reparationis opus fuerit, ad instar aliorum possessorum, hujusmodi opus & Sanctas Ecclesias, & venerabiles domos complere, dum sub illa possident Civitate, sub qua tale fit opus. Novel.131. c.5.* Si qui Curialium fuerant agri, it ad fiscum Ecclesiæ pertinere incipiant; illos eximit Princeps novis & extraordinariis oneribus, non antiquis. *Liberatas esse sancimus, descriptione Lucrativorum.* Quod extremum caput innovatur in Codice, *l.5. De Sacrof. Eccles. leg.12.*, addita hac ratione memoranda ad immunitatem rerum Deo dicatarum. *Cur enim non faciamus discrimen inter res divinas & humanas? Et quare non competens prærogativa cælesti favori conservetur?*

III. Utque rem altiùs ordiamur, constat quidem Constantinum generalem primò immunitatem Ecclesiis annuisse: *Præter privatas res nostras & Ecclesias Catholicas, nemo ex nostra jussione præcipuis emolumentis familiaris juvetur substantia, &c. Omnes pensitare debebunt. Cod. Theod. L.11. Tit.5. c.1.* Eam suspicati sunt nonnulli à Constantio Imperatore ejus filio revocatam esse. Sed reliquæ pertexendæ sunt hic nobis ejusdem Constantini Leges ad Ecclesiarum levamen & immunitatem. Clericos omnes generali donavit ille immunitate, cujus verba ipsa profert Eusebius in Epistola ejus ad Anulinum Præfectum Africæ. *L.10. c.7. Clericos ab omnibus omnino publicis functionibus immunes voluimus conservari, ne errore aliquo, aut casu sacrilego, à cultu Summæ Divinitati debito abstrahantur.* In Epistola etiam quadam sua protulit Augustinus responsum Anulini ad Constantinum Imperatorem, cui ea lex intexta est. *Cum omni omnino munere indulgentia Majestatis vestræ liberati esse videantur Catholici, custodita sanctitate legis, debita reverentia divina legi inserviunt. Ep.68.* Personalis est ea immunitas, Clericosque absolvit ab omnibus muneribus publicis, ut quæ divino eorum ministerio sociari & cohærere non possint, ut ex his rursus legibus patet ejusdem Imperatoris. *Qui divino cultui ministeria religionis impendunt, id est hi, qui Clerici appellantur, ab omnibus omnino muneribus excusentur; ne sacrilego livore quorundam, à divinis obsequiis avocentur. Cod. Theod. L.16. T.2. leg.1. 2.* Denique omnibus Curialium oneribus penè servilibus Clerici omnes eximuntur; *Minimè ad Curias devocentur, sed immunitate potissima potiantur. Leg.7. ibid.*

IV. Habes hîc ergo, duplicis generis immunitates ab Constantino indultas; primò rerum & fundorum Ecclesiæ omnium, secundò Clericorum ipsorum. At de patrimonialibus Clericorum bonis altum hic silentium. Venio ad Constantium filium ejus, qui paterna omnia in Clericos beneficia confirmavit. Illos enim exemit primò novis omnibus muneribus; secundò jure metatûs, cum Imperatores, vel eorum copiæ iter facerent; ab exactionibus omnibus negotiantium, si Clericorum negotiatio tenuis & vitæ tantùm tolerandæ accommodata esset. *Juxta sanctionem, quam dudum meruisse perhibemini, & vos & mancipia vestra nullus novis obligationibus obligabit; sed vacatione gaudebitis præterea, neque hospites suscipietis. Et si qui de vobis alimoniæ causâ negotiationem exercere volunt, immunitate potientur. Cod. Theod. L.16. Tit.2. leg 8.* Amplectitur hæc quidem Lex patrimoniales Clericorum agros; sed novis tantùm & extraordinariis, non ordinariis & antiquis eos pensionibus subducit. Verùm non eo se gyro cohibuit largitas Constantii. Generali enim post immunitate complexus est Clericorum etiam minorum personas, bona omnia, propria etiam & privata, negotia qualiacumque, uxores, filios, servos. *Ut Ecclesiarum cœtus concursu populorum ingentium frequententur, Clericis ac juvenibus præbeatur immunitas. Repellatur ab his exactio munerum sordidorum; negotiatorum dispendiis minimè obligentur, cum certum sit, quæstus, quos ex tabernis atque ergasteriis colligunt, pauperibus profuturos. Ab hominibus etiam eorum, qui mercimoniis student, cuncta dispendia esse sancimus. Parangariarum quoque parili modo cesset exactio. Quod & conjugibus liberis eorum & ministeriis, maribus pariter & fœminis indulgemus; quos à censibus etiam jubemus perseverare immunes. Ibid. leg.10. id est* abesse. Ad universos Episcopos scripta est ea lex; nec latiùs sanè illa patere poterat ad immunitates, quas quisque optando sibi fingere potuisset.

V. Quæ *sordida munera* vocabantur, ea in his ferè versari solebant: munire vias & pontes, aut ad ea opera suppeditare calcem, currus, carbones, ligna, animalia, farinas, panes, furnos, & ejusmodi servitutes alias, etiam ad exercituum necessitates, aut ad convehenda eorum alimenta; unde & *parangaria* vocabantur, quę & *extraordinaria* erant munera. Quæ ex mercimoniis exigebantur, *lustrales collationes* dicebantur. Iis Clericos Constantius hac lege exolvit, conscius cessurum pauperibus, quidquid lucri contraderent. *Cum certum sit quæstus pauperibus profuturos. Cod. Theod. Leg.55. Tit.16.*

VI. Ve-

VI. Verùm ut à Constantio ipso tam effusa & latissimè patens revocaretur immunitas, causa vel fuit, vel prætexta est avaritia Clericorum. Sordidis & extraordinariis exactionibus exempti posthac non fuere, nisi tenuissimis qui vacarent negotiolis: quasi qui majora exercebant negotia, mercatores magis, quàm Clerici habendi essent: nec Clericatum induissent, nisi ut avaritiæ servirent, & his se publicis subtraherent oneribus. *Clerici ita à sordidis muneribus debent immunes, atque à collatione præstare, si exiguis admodum mercimoniis tenuem sibi victum vestitumque conquirant. Reliqui autem, quorum nomina negotiatorum matricula comprehendit, eo tempore, quo conlatio celebrata est, negotiatorum munia & pensitationes agnoscunt; quippe postmodum Clericorum se cætibus adgregarunt.* Hac eadem lege subjiciuntur ordinariis oneribus agri, fundique patrimoniales Clericorum. *De his sanè Clericis, qui prædia possident, sublimis authoritas tua non solùm eos aliena juga nequaquam statuet excusare, sed etiam hæc, quæ ipsi possident, eosdem ad pensitanda fiscalia perurgeri. Universos namque Clericos, possessores duntaxat, Provinciales pensitationes fiscalium recognoscere jubemus.* Addit denique Constantius Episcopis Italiæ, Hispaniæ, Africæque non displicuisse, quod Clerici oneribus publicis subessent. *Maximè cum Episcopi probaverint, id maximè justè convenire, ut præter ea juga & professionem, quæ ad Ecclesiam pertinet, ad universa munia sustinenda, translationesque faciendas, omnes Clerici debeant adtineri. Cod. Theod. Leg.16. Tit.2. leg.15.*

VII. Hanc legem publicavit Constantius post Concilium Ariminense, cujus de Clericorum immunitatibus decreta repudiavit, ut liquet ex prima parte legis. Nec diuturna tamen fuit ea Constantii indignatio. Paulò ante obitum enim suum aliam legem promulgavit, qua oneribus personalibus & extraordinariis absolvit Clericos omnes Imperii sui, eos etiam, qui in Ecclesiis ministrarent vicorum & castrorum; professus & præ se ferens religione magis firmari Imperia, quàm labore & industria hominum. *Scientes magis religionibus, quàm officiis, & labore corporis, vel sudore nostram Rempublicam contineri. Ibidem. leg.16.*

VIII. Abrogata sunt à Juliano Apostata Clericorum prorsus omnium privilegia, eademque mox à Valentiano restituta, innovata hac posteriori Constantii lege. *Ibidem leg. 18. Quam ultimo tempore divi Constantii sententiam fuisse claruerit, valeat, nec ea in adsimulatione aliqua convalescant, quæ tunc decreta, vel facta sunt, cum Paganorum animi contra sanctissimam legem quibusdam sunt depravationibus excitati.* Ita Valentinianus Clero reddidit immunitatem personalium onerum & extraordinariorum; licentiamque similiter Clero Curiales inscribendi, qui bonis ante renuntiassent. Id enim ante mortem edixerat Constantius. *Ibidem. L.10. 21.* Valentis lege sancitum est, ne quis jam Curialium vel personis molestus esset, vel bonis, ubi in Clericatu decennium peregissent. Valentinianus non indulsit nisi iis, qui ante Imperium suum Clericatu initiati erant, reliquos Curialium oneribus subesse voluit.

IX. Renovata est à Gratiano generalis omnium immunitas Clericorum ad personalia onera: *Omnes perinde ac qui primi sunt, personalium munerum expertes esse præcipimus.* Effudit Theodosius Magnus eam immunitatem ad Laicos ipsos Ecclesiarum & locorum sanctorum custodes: *Custodes Ecclesiarum, vel sanctorum locorum. Quis enim capite censos patiatur esse devinctos, quos necessariò intelligit suprà memorato obsequio mancipatos? Ibidem. l.24. 26.*

X. Ex hac legum coacervatione à Constantino Magno ad Theodosium Magnum, illud existit, si agri Ecclesiarum à sordidis & extraordinariis oneribus immunitatem assecuti sunt, à publicis & ordinariis adeptos non esse, Clericos verò ipsos quàm certum est immunes fuisse onerum personalium, tam constat eorum patrimonia & hæreditates oneribus publicis subjacuisse, saltem ordinariis, extraordinariis tantùm summotis. Author locupletissimus Ambrosius cum magno & intrepido animo restituit Valentiniano Juniori, Ecclesiam Arianis deposcenti. Recusationem hanc ille suam constantissimam purgabat reliqua & sui & totius Ecclesiæ subjectione & suspensione ad nutum Imperatoris, ubi fides nihil periclitaretur. Nam & ordinariis subjici tributis Ecclesiæ agros omnes. *Si tributum petit, non negamus. Agri Ecclesiæ solvunt tributum, &c. Solvimus quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Tributum Cæsaris est, non negatur. Ecclesia Dei est, Cæsari utique non debet addici.*

XI. Quin & ulterius evehebatur Ambrosius. Non tantum enim incunctanter pendi tributa agrorum Ecclesiæ; sed & si agros ipsos repetat Imperator, nihil obicis, nihil moræ interposituram Ecclesiam. Non datum, non proditum iri fundos Ecclesiæ datos, Deo dicatos, sed si auferat Imperator, æquo animo passuram Ecclesiam, cui tunc penu suppetet inexhaustum ad pauperum & ministrorum subsidium, in fidelium charitate & oblationibus spontaneis. *Agri Ecclesiæ solvunt tributum. Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vindicandorum; nemo nostrûm intervenit. Potest pauperibus collatio populi redundare. Non faciant de agris invidiam, tollant eos, si libitum est. Imperatori non dono, sed non nego. Epist.32.* Quod idem Ambrosius de patrimonii sui agris profitetur, bonisque omnibus, iis se non gravatè cessurum. *Respondi, Me si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum aut argentum, id quod mei juris esset, libenter offerre, templo Dei nihil posse decerpere.*

XII. Hic scrupulus incurrit, An tributum penderent agri Ecclesiæ, penderent & Clerici de patrimonii sui fundis, quod ea se lege justitiæ, suaque bona Clerici teneri intelligerent: an quod usque adeo alieni essent à contagio terrenarum cupiditatum, ut licèt suæ sibi immunitatis altius haustæ conscii, ultro tamen penderent quod exigebatur; & nobili fastidio spoliari mallent, quàm litigare. Unde & non pauci tunc, & deinceps semper immunitatem sibi vendicaverunt suam inexpugnabili munimento Evangelicæ paupertatis. Nec enim Cæsari jam obnoxius est, qui omnibus renunciavit. Ita sanè Ambrosius præmonuit nos. *In Ev. Lucæ. L.9. Et si tu vis non esse obnoxius Cæsari, noli habere quæ mundi sunt. Sed si habes divitias, obnoxius es Cæsari. Si vis Regi nihil debere terreno, relinque omnia, & sequere Christum.*

XIII. Sed non nesciebat tamen Ambrosius, altiori ab origine descendere, & inconcussis niti fundamentis immunitatem Ecclesiæ ab omnibus prorsus exactionibus & oneribus, ut quæ in unam cum Christo personam coaluerit, in ejusdemque filiationis, libertatis, immunitatis societatem ascita sit. Ita enim & Christus tributum solvit, & à se exigi illud non potuisse simul contestatus est. Ita censet omnino Ambrosius Ecclesiam Christi vestigia lambentem, tributum, quod exprimitur solvere, & de sua sibi tamen intus plaudere immunitate, ex Pontificatus & totius sacerdotalis ministerii prærogativa. *Non solvunt tributum, quibus portio Deus est. Ego nihil debeo Cæsari, quia nihil hujus mundi habeo. Nihil debuit Petrus, nihil Apostoli mei, quia non sunt de hoc mundo. Epist.* s. Ita ille negat deberi à Christo, à Christi Ministris tributum. A' quibus solutum esse, solutum iri non negat, vitandi offendiculi causa. *Et tamen & ipsum persolvit, id est, Prædicator Evangelii jam*

non debebat, qui plat prædicabat. Non debebat filius Dei, non debebat & Petrus, in adoptione adscitus à Patre, per gratiam: sed ne scandalizetur inquit, vade ad mare, &c. Ita ergo persuasum erat Ambrosio à Christo, ab Ecclesia, è Clero tributum non deberi, sed tamen solvi: sed tantò nobilius solvi, quod non debeatur.

CAPUT XXXIV. *P.2. l.3. c.5.*

Immunitas Cleri, & agrorum Ecclesiæ post sæculum quintum.

I. II. III. Immunitatum vicissitudines ex variis Arcadii & Honorii Legibus.

IV. V. Ex Legibus Valentiniani & Theodosii Junioris.

VI. Plasculum indulgentia in personas, quàm in terras; in majores Ecclesias, quàm in minores.

VII. Quàm non illubenter subjiceret se Ecclesiam oneribus, quanquam sui sibi immunitatis conscia, à Christo & immunitatem, & immunitatis usum hauriens.

VIII. Heraclius vasa sacra Ecclesiæ ad belli expensas asportat.

IX. Joannes Eleemosynarius Patriarcha Alexandrinus reditus & mutuum Ecclesiæ auferri sinit.

X. Gregorii Magni patientia in solvendis tributis agrorum Ecclesiæ, fortitudo invicta in tuendis ejus immunitatibus.

XI. XII. XIII. Immunitates Ecclesiæ in Gallia veteri molestè fert. Quo ea essent loco sub diversis Galliæ Regibus.

XIV. Clodoveus Magnus personas & agros Ecclesiæ prorsus exemerat.

XV. XVI. Probationes ex Marculpho, & ex vita Sancti Rigoberti.

XVII. Immunitates hu omnes eadeate Clodovei regia stirpe, conciderunt & ipsa.

XVIII. XIX. Quo loco fuerint in Hispania immunitates.

I. A Quarto in quintum sæculum gradus hic nobis faciendus est, gradusque ipsi observandi immunitatum, vel augescentium, vel imminutarum. Primitias Imperii sui dedicavit Honorius confirmatione omnium prorsus Ecclesiæ libertatum, præfatus ex augmento, quam ex decremento earum se & gloriæ multò plus & voluptatis haurire. *Quia temporibus nostris addi potius reverentiæ cupimus, quàm ex his, quæ olim præstita sunt, immutari.* Sed eæ immunitates non spectabant nisi ad extraordinaria onera, cum ab Arcadio jussi sunt Clerici omnes Ecclesiarum ruris, vicorum, & Oratoriorum, subesse ordinariis exactionibus. *Ut propriæ capitationis onus, ac sarcinam recognoscant.* Vetuit Arcadius ibi ordinari, nisi qui in vicis ipsis nati essent, ut quod ante pendebant, penderent & post ordinationem suam; quæ Capitatio dicitur, quod per capita censerentur. Quin & illud voluit, ut ab Episcopo præfiniretur numerus Clericorum cuique vico necessarius; ne nimius unquam esset numerus eorum, qui extraordinariis oneribus exempti fuissent. *Cod. Theod. Leg.19. Tom.2. cap.29. 30. 33.*

II. Ab iisdem tamen Imperatoribus confirmata est immunitas Clericorum & Monachorum ab oneribus omnibus personalibus, quanquam Clerici negotiolo operam darent, quo utcumque vitam tolerare possent. De negotiatione Monachorum littera est omnino nulla, quòd ea illis interdiceretur. Quin ea Valentiniani III. Lex Clericos ipsos intra modum cohibuit. *Quicumque Catholicæ Religionis Clerici, intra eum modum, unde victus emendi vendendique usum lege præfinitum exercent, ab auraria pensione habeantur immunes. Ab iis quoque, quos à publici laboris actu, & gradus Clericatus, & quod non minus est, sanctior vita defendit, præcipimus temperari. Ibidem. Leg.36.*

III. Sed quibus extraordinariis oneribus Clerici sua hac immunitate eximerentur, sigillatim declaravit Honorii Lex, qua & ipsa eos ordinariis oneribus subesse sanxit. *Ne prædia usibus cœlestium secretorum dicata, sordidorum munerum fasce vexentur, nulla jugatione, quæ talium privilegiorum sorte gratulatur, muniendi itineris constringat injuria; nihil extraordinarium ab hac, superindictitiumve flagitetur; nulla Pontium instauratio, nulla translationum sollicitudo gignatur, non aurum cæterave talia poscantur; postremò nihil præter Canonicam illationem, quod adventitiæ necessitatis sarcina repentina depoposcerit, ejus sanctionibus adscribatur. Ibidem. Leg.40.* Ea ergo privilegia Ecclesiarum urbanarum erant, *Ecclesiæ urbium.* Ordinaria pendebant tributa, *Canonicam illationem.* Extraordinariis eximebantur: *quod adventitiæ necessitatis sarcina repentina depoposcerit.* Ad vias & pontes reparandos nihil pendebant, quod à sequentibus Imperatoribus revocatum est, nihil ad evectiones frumenti, & ejusmodi subsidiorum fisci, vel exercitus; *à translationum sollicitudine.* Denique nihil auri; nihil equorum, nihil militum ab eis deposcebatur: *Non aurum cæterave talia poscantur.*

IV. Revocata est à Valentiniano III. concessa à Majoribus immunitas negotiationis ejus mediocris, quæ se ad sufficienda vitæ necessaria subsidia cohiberet. *Jubemus ut Clerici nihil prorsus negotiationis exerceant; si velint negotiari, sciant se judicibus subditos, Clericorum privilegio non munitos. Nov.12.* Sed ulterius progressus ille est, ubi declaravit, quæ dicebantur onera sordida, perhonesta ea esse cum ad Reipublicæ incolumitatem necessariò desiderarentur; unde & ex extraordinariis ordinaria illa favore sanxit; ex quo illud emergebat, ut & Ecclesiæ iis subjicerentur, nec jam ferè nisi personalibus gauderent immunitatibus. *An fortè contumeliosum putandum est, inventum contra rationem nomen munerum sordidorum, quo instauratio militarium virorum, quo armorum fabricatio, quo murorum refectio, quo apparatus annonæ, quo reliqua opera, per quæ ad splendorem distinctionis publicæ pervenitur pravu appellatione censentur. Quare sancimus ut antiquatis omnibus privilegiis, quæ aut dignitatibus delata fuerunt, aut nomine venerandæ religionis obtentum est omnis ubique census, qui non personarum est, sed agrorum, ad universa munia, absque ulla discretione cogatur in quarta parte. Nov.21. inter Theodosianas.*

V. Cum Macedoniæ tributa Theodosius Junior revocasset ad dimidium, vel ad tertiam ejus summæ partem, cui se ferendæ parem professa erat unaquæque Provincia: Ecclesiam mox Thessalonicensem immunem esse jussit Capitationis & census ordinarii cujuscumque, dum ea modicè uteretur venia, nec suo nomine obumbraret agros nihil ad se pertinentes. *Sacrosancta Thessalonicensis Ecclesia civitatis excepta, ita tamen ut apertè sciat, propriæ tantùm Capitationis modum Beneficio mei numinis sublevandum: nec externorum gravamine tributorum, Rempublicam Ecclesiastici nominis abusione lædendam. Cod. Theod. L.11. Tit.1. Leg.33.* Ita imperante Theodosio Juniore unaquæque Provincia arbitrio, judicioque sibi ipsa suo modum definiebat tributorum: *Id ab unaquaque Provincia censuimus expetendum, quod ab eisdem nuper esse promissum, tua sublimitas indicavit, &c. Ut obtulisse noscuntur, tributa suscipiant, &c. Illud* exol-

exolvant, ad quod se indubitanter fore idoneos pollicentur. Ibidem. L.11. T.24. Leg. ult. Sed ordinariis exactionibus suberant omnes Ecclesiæ, excepta Thessalonicensi, Alexandrina, Constantinopolitana, Romana, & siqua alia fortè ad harum accederet amplitudinem.

VI. Hæ sanè fuere vices immunitatis Ecclesiæ, tum fundorum & terrarum, tum personarum. Personali perspicuum est immunitati plus tributum fuisse. Quanquam enim & agros Ecclesiæ prorsus immunes fore sanxisset Constantinus, plerique successorum ad extraordinaria onera eam revocarunt immunitatem, quibus ipsis & aliquando postea servire jussi sunt, cum eaordinaria jam dici placuisset. Ecclesiis urbium non paulò plus indultum est, quàm ruris & vicorum; sed longè effusiora fuere quatuor, aot quinque summarum Ecclesiarum privilegia. Ex agrorum Ecclesiæ immunitate, nunc ampliata, nunc vehementer coarctata, conjectura assequi datur, quo loco esset immunitas patrimonii Clericorum.

VII. Quanquam autem æquissimo Ecclesia animo publicis his serviret ooeribus, nihilo tamen minus solabatur ipsa se se conscientia & persuasione libertatum suarum, Christi summi Sacerdotis sanguine consignatarum, & ab eo in omne corpus suum, io omnem Clerum, in omnes Sacerdotii sui Ministros profluentium. Accedebat porro & alterius longè etiam præstantissimæ immunitatis conscientia, ex despicientia terrenarum rerum omnium; & sio minus rerum, certè cupiditatum abdicatione, qua fiebat, non modò ut Christi imitatione, omni petenti daret, sed & auferenti tunicam præsto esset & pallium dimittere. Hæc enimvero immunitas beata, hæc Imperatoriarum legum vicissitudini nequaquam obnoxia est.

VIII. His addenda, quæ à Theophane & Paulo Diacooo referuntur, *Hist. Misc. l.18. an.620.*, de Heraclio Imperatore, qui Persis in Imperium & in Ecclesiam irruentibus ut occurreret, ingentem pecuniam ab Ecclesiis mutuam accepit; quam & ipsam imparem expertus ad tam copiosos exercitus alendos, auream argenteamque Ecclesię supellectilem & vasa sacra accepit, ut hinc peeunia cuderetur. *Sumptis mutuo venerabilium domorum pecuniis, aporia coarctatus, accepit etiam Ecclesia magna multa candelas frentia, simul & alia vasa ministratoria. Quibus conflatis exarari fecit in his nummos aureos & argenteos plurimos.*

IX. Quàm æquo, quàm iniquo hæc animo tulerint Episcopi, silet uterque hujus historiæ Scriptor. Sed conjici aliquid fas erit ex iis, quæ memorat Leontius Episcopus Neapolitanus iosulæ Cypri, in vita B. Joannis Eleemosynarii, Patriarchæ Alexandrini. *Cap.51.* Cum enim Nicetas Ægypti Præfectus Beatissimum Patriarcham admonuisset, quantas ad angustias adactum esset Imperium, hortaretur que ut opis aliquid ex Ecclesiæ fisco impertiret: *Regnum arctatur, & pecunia eget; jam quia fine parcitate erogantur tibi pecunia, da eas Imperio, da eas in publicum sacellum.* Respondit magni & intrepidi animi vir, terrenis Regibus largiendas non esse oblatiooes sacras, quibus fidelium pietas summum cœli terræque Numen coluisset: *Non justum est, qua super cælesti Regi oblata fuat, terrestri dare.* Nihil se posse ei largiri, sed sub lectulo suo repositam esse arca ærarii sacri, nec reluctaturum se si eam auferre vellet. *Humilis Joannes ex eis nummum non dabit tibi, sed ecce sub humili lectulo meo est apotheca Christi. Ut volueris fac.* Omnia pene secum asportavit Patricius; at mox delinitus vel mira Patriarchæ suavitate, vel munerum magnificentia; quibus illum prosequi non destitit, vel intestino verberatus conscientiæ flagello, omnia ad eum remisit, addiditque de suo non pauca. *Quotquot pecunias abstulerat, & de suo centenaria tria.* Thesaurus certè hic Ecclesiæ à Niceta involatus, mox redditus, oblationibus modò constabat & pecuniis oblatis, non agris, non fundis Ecclesiæ. Quod ad Heraclium Imperatorem attinet, non vis, non rapina ea erat, sed mutuum: tantum enim ille postea gemmarum, auri, argentique refudit Ecclesiæ, quantum mutuatus erat; cumque hæc naufragio absorpta perissent, tantumdem rursus ex ærario restituit Imperii. Sic enim Suidas à Baronio Cardinali laudatus. *an.627. n.27. Et quia de opibus magna Ecclesia pecuniam sumpserat, constituit ut è fisco, & ipsi Ecclesia, & Clero annua pecunia penderetur.*

X. Nec Gregorio Magno dolebat, quanquam cœlesti quadam sapientia abundaret ordinaria tributa ab Ecclesiis solvi. Ad Sardiniæ Defensorem scripsit, ut ad colendos Ecclesiæ agros revocaret fugaces agricolas, eo nexu devinctos, quo Ecclesiæ idonea solverent tributa. *Ut possessiones Ecclesia od tributa sua solvenda idonea existant. Leg.7. Ep.66.* Præfectum Campaniæ enixius rogavit, ut Abbatem Mooasterii absolveret custodia murorum urbis, aut ex parte saltem levaret. *Asserit Abbas Theodosius se in murorum vigiliis ultra vires suas vehementer affligi. Petimus ergo gloriam vestram, ut si quidem est possibile, de eodem per vos curra relevetur. Si vero ex toto, ut non fiat, hoc est omnino difficile; vel ita illi ex nostra commendatione, ipsum lenigantes, pondus sollicitudinis temperetis; ut dum in Dei laudibus liberior vocare voluerit, pro vobis securior valeat Dominum exorare. Leg.7. Ep.75.* Mandavit ille quidem Episcopo Gallipolitano, ut ne rusticos agrorum Gallipolitanorum fineret opprimi oneribus & angariis inusitatis. Sed non intercedebat Pootifex nisi novis & hactenus inauditis molestiis. Præterquam quod de agris agebatur Ecclesiæ Romanæ, cujus erant eximia quædam pro sui amplitudine privilegia, quorum transcripta ad Episcopos mittebat. *Indicatum nobis est, quod homines Gallipolitani castri, gravibus diversorum molestiis affligantur, atque in longinquis angariis multisque dispendiis conterantur, &c. Ne permittas eos illicitis pragravari. Quia & exemplaria tibi privilegiorum Ecclesia de scrinio nostro ob hoc fecimus dari; quatenus informatus ex omnibus, qualiter habitatores loci illius defensare valeas, non ignores. L.7. Ep.105.*

Expostulat alibi Gregorius cum Præfecto Africæ, de agris geminato tributo gravatis: sed non satis liquet de Ecclesiarum, an de aliis etiam agris verba faciat. *Denique ut duplicia illic tributa, quod auditu ipso intolerandum est, exigantur. L.9. Epist.1.* Sed ambigi non potest, quin Gregorii animum ingens incesserit admiratio, ubi per Gallias prædia Ecclesiæ tributis inaudiit fatigari. *Audivimus autem, quid Ecclesiarum pradia tributa nunc probeant, & magna super hoc admiratione suspendimur; si ab eis illicita quorantur accipi, quibus etiam licita relaxantur. L.7. Ep.115.*

XI. Nec abhorret tam à verisimili, hinc emersisse stuporem Gregorii, quod prisca privilegia, quæ Ecclesiis Reges concesserant, jam pro nihilo haberentur. Adscribenda hic Clotarii Regis Constitutio, qua & agros Ecclesiæ, & Clericos ipsos amplissima donat immunitate. *Agraria, pascuaria, vel decimas porcorum, Ecclesia pro fidei nostra devotione concedimus. Ita ut actor, aut decimator in rebus Ecclesia nullus accedat. Ecclesia vel Clericis nullam requirant agentes publici functionem, qui avi, aut genitoris, aut germani nostri immunitatem meruerunt. Conc. Gall. Tom.1. p.318. Ann.563.* Urgente jam senio & appetente morte Clotarius ita de Ecclesiis benemereri satagebat: initio enim

Regni rescissas voluerat immunitates omnes à Clodovæo Magno concessas, quode infrà: cesserant & Episcopi privilegiorum suorum generali jacturæ, cum Injuriosus Turonensis Episcopus invicta animi constantia Regem compulit, ut eam legem revocaret, qua tertia sacrorum proventuum pars deposcebatur. *Clotarius Rex indixerat, ut omnes Ecclesiæ regni sui tertiam partem fructuum fisco dissolverent. Quod licèt inviti, cum omnes Episcopi consensissent, atque subscripsissent, &c. Greg. Turo. L.4. c.2. L.3. c.25.*

XII. Hæc ex Gregorio Turonensi, qui ibidem mox refert Theodebertum Regem Ecclesiis in Arverno sitis relaxasse quidquid ab eis fisco debebatur. *Omne tributum quod in fisco suo ab Ecclesiis in Arverno sitis reddebatur, clementer indulsit.* Nisi id malis ad Childebertum referre, ut ab eodem refertur Gregorio alio loco. *L.10. c.7. Apud Arvernos, &c. In supradicta Civitate Childebertus Rex omne tributum tam Ecclesiis, quàm Monasteriis, vel reliquis Clericis, qui ad Ecclesiam pertinere videbantur, aut quicumque Ecclesiæ officium excolebant, larga pietate concessit.* Addit porro ille impatientissimè id tributum tulisse populos, vix colligi potuisse, eoque revocatum esse. *Colligi vix poterat hoc tributum.* Scriptor vitæ B. Eligii ejus precibus author est à Dagoberto Rege donatam esse Ecclesiam B. Martini Turonensis censu & tributo, quod inde fisco debebatur. *Magnum beneficium idem Ecclesiæ apud Regem obtinuit. Nam pro reverentia Sancti Confessoris Martini, Eligio rogante, censum omnem, qui fisco solvebatur, Dagobertus Rex illi Ecclesiæ toto condonavit, scriptoque confirmavit. Atque ab eo tempore omne jus fiscalis census Ecclesia sibi vendicat, & usque in præsens in eadem urbe per Pontificis literas Comes instituitur. Du Chesne Tom.1. pag.630.*

Cæsarius Arelatensis Archiepiscopus in testamento, quod retulit Baronius, *ann.508. n.26.*, sanctissimè affirmat impetratam à se fuisse immunitatem plurimorum Ecclesiæ suæ prædiorum. *Deus misericors per parvitatem meam, etiam immunitatem tributorum, tam juxta urbem & infrà, quàm etiam in suburbanis & villis ex maxima parte confecit.*

In Concilio IV. Aurelianensi immunes declarati fuerant Clerici omnes functionum publicarum, & Tutelarum, cum nec Gentilium Sacerdotes eo beneficio frustrarentur. *Quia quod lex seculi etiam Paganis Sacerdotibus & Ministris antè præstiterat, justum est ut erga Christianos specialiter conservetur. Can.13.* Fateor ea immunitate non terras, sed personas donari.

XIII. Chilpericus & ab immunitatibus Ecclesiæ annuendis abhorruit, & ab iis, quas concessisset observandis. Ita non absurdè illi Principi illineretur invidia violatarum primùm Ecclesiæ libertatum. Exeanduisse illum plerumque in Ecclesias, in Episcopos, in pauperes author est Gregorius Turonensis. *L.6. c.46. Causas pauperum exosas habebat, Sacerdotes Domini assiduè blasphemabat. Nullum enim plus odio habens, quàm Ecclesias.* Sæpiùs ille & amariùs expostulabat, migrasse opes à fisco Principis ad ærarium Ecclesiæ, paupertate fiscum, Ecclesiam opulentia laborare sua; fastu & pompa majore circumfulgere Episcopos, quàm Reges, & tantumnon regnare. *Aiebat enim plerumque, Ecce pauper remansit fiscus noster, ecce divitiæ nostræ ad Ecclesias sunt translatæ. Nulli penitus, nisi soli Episcopi regnant. Periit honor noster, & translatus est ad Episcopos civitatum.* Inferiorum Clericorum personales ab hoc Rege immunitates conculcatæ sunt, gravi mulcta iis inflicta, qui in exercitu non meruissent. *Post hæc Chilpericus Rex de pauperibus, & junioribus Ecclesiæ & Basilicæ bannos jussit exigi, pro eo, quod in exercitum non ambulassent. Non enim erat consuetudo, ut hi ullam exsolverent publicam functionem. L.5. c.27. 28.* Novis oneribus depressit & Abbates, hac priùs inusta eis calumnia, quod extraordinariis in plebem exactionibus apertius obstitissent: *Acerbiora quoque deinceps infligentes tributa.*

XIV. In controversiam verò trahi non potest, quin princeps & dux fuerit Clodovæus Rex ad immunitates cujusque generis Ecclesiæ accumulandas, personarum, rerumque; Clericorum, agrorumque; & jure suo usum Gregorium, ubi eas ab ejus successoribus religiosè servari flagitabat; quanquam nec à Regibus ullis aliis, vel Imperatoribus tam largæ profectæ essent libertates, saltem Ecclesiæ agrorum. Hoc enim Canone Concilium Aurelianense I. testatum esse voluit, prædia complura Clodovæum Ecclesiis elargitum esse, cum onerum prorsus omnium immunitate. *De oblationibus, vel agris, quos dominus noster Rex Ecclesiis suo munere conferre dignatus est, vel adhuc non habentibus Deo inspirante contulerit, ipsorum agrorum, vel Clericorum immunitate concessa, &c. Can.5.* Gemina hîc apertissimè habetur immunitas, *Agrorum, vel Clericorum immunitate concessa.*

XV. Nec tamen Canon iste complectitur nisi agros à Clodovæo Ecclesiis donatos, & illigatos earum ministerio Clericos. Apud Marculphum, *L.1. c.2. 3. 4.*, duæ occurrunt Formulæ immunitatis, quam efflagitant Episcopi, Rex annuit, ad omnes agros domosque Ecclesiæ, vel Cœnobii, ne ad eas accedant Magistratus, Judicesque publici, ut vel exigant aliquid, vel jurisdictionem explicent. *Emunitas Regia. Nullus judex publicus ad causas audiendas, aut freda undique exigendum, præsumat ingredi, &c. aut mansiones aut paratas, aut fidejussores tollere, &c. Sed quidquid exinde aut de ingenuis, aut de servientibus, cæterisque nationibus quæ sunt infra agros, vel fines, vel supra terras prædictæ Ecclesiæ commanentes, fiscus aut de fredis, aut undecumque potuerat sperare, ex nostra indulgentia pro futura salute in luminaribus ipsius Ecclesiæ proficiat in perpetuum.* Gratiæ ergo hæ singulares Ecclesiis quibusdam concedebantur Regia beneficentia, ut supra Romani Imperii spectavimus insignes Ecclesias quasdam majoribus privilegiis dotatas fuisse.

XVI. A beato Rigoberto Remensi Archiepiscopo narrat Flodoardus, *L.2. Hist. c.*, diploma impetratum fuisse Dagoberti II. Regis, dilatatæ ad omnes Ecclesiæ suæ terras immunitatis, et firmitatum quod olim B. Remigius à Clodovæo elicuisset, quodque posteri Reges confirmassent. *A Dagoberto Rege præceptum immunitatis suæ obtinuit Ecclesiæ, suggerens eidem Regi, qualiter Ecclesia ipsa sub præcedentibus Francorum Regibus, à tempore domni Remigii & Clodovæi Regis, quem ipse baptizavit, ab omni functionum publicarum jugo liberrima semper extiterit.* Id privilegii indulsit Dagobertus *cum consilio Procerum suorum*, juxta formulam à Majoribus suis usurpatam: *ad prædecessorum formam Regum.* Nec à formula abludit Marculphi: *Præcipiens, ut nullus Judex publicus in ipsas terras audeat ingredi, ut mansiones intrando faceret, aut qualibet judicia, vel xenia ibidem exigere ullatenus præsumeret.* Ea voce *freda*, quæ vernaculo Francorum sermone vulgatissima etiamnunc est, designabatur certa pecuniæ summa, de qua fisco solvenda conveniebat, cum dissidii, vel criminis aliquid pretio redimebatur. Cujus tertia, si fors, pars decidebatur fisco. *Affirmavit Rex quosdam ex his, qui absoluti fuerant, ad se venisse, compositionemque fisco debitum, quam illi fredum vocant, à se indultam.* Ita Gregorius Turonensis. *De Mirac. B. Mart. L.4. c.26.* At verò *Mansiones*, *Mansionatica*, *Parata*

di-

dicebantur, quæ postea jure *gistii* complexi sumus, & quidquid impensarum fiebat, excipiendis Regibus, Regni Ministris, Exercitibusque.

XVII. Ubi Ecclesiarum fuodos Carolus Martellus militi suo largitus est, in tanta & tam acerba rerum omnium perturbatione conticuere profectò libertates & immunitates Ecclesiæ omnes. Ubi verò Principes Francorum Pipinus & Carolomannus luctuosissimæ calamitati levamenti aliquid conferre cœpere; statutum est in Concilio Suessionensi anno 744. ut ad Monachorum susteotationem, quæ necessaria essent, præcerperentur: tum verò reliqua publicis Regni & Ecclesiæ permitterentur necessitatibus. *Et de rebus Ecclesiasticis, subtractis Monachis vel ancillis Dei, consoleatur, usque dum illorum necessitati satisfaciant; & quod superaverit, census levetur.* Can.3. Nec aliter Concilium Liptinense, cui placuit, ut laici milites, Nobilesque, qui terras Ecclesiæ obtinerent, censum annuum Clericis, eis alendis idoneum persolverent. Ita retinebantur à Laicis terræ Ecclesiæ *sub precario & censu*.

XVIII. Ultima jam nobis adeunda est Hispania, ubi conjunctim à Concilio Toletano IV. & à Sisenando Rege promulgata est universalis immunitas, tum Clericorum ipsorum, tum rerum ad eos spectantium. *Præcipiente domino atque excellentissimo Sisenando Rege, id constituit Sanctum Concilium, ut omnes ingenui Clerici, pro officio religionis, ab omni publica indictione atque labore habeantur immunes; ut liberi Deo serviant, nullaque præpediti necessitate, ab Ecclesiasticis officiis retrahantur.* Can.47. Video tamen ad solas personales Clericorum immunitates hoc trahi. Et sanè Egica Rex Concilio Toletano XVI. proposuit, statutum ut ederetur, quo Episcopi ad impensas omnes tenerentur, Regum præceptis exequendis necessarias, nec id oneris in Parochos refunderetur. *Nam & hoc honorificentia vestra promulgare curabit, ut nemo Episcoporum pro Regiis inquisitionibus exhibendis, Parochialium Ecclesiarum jura contingat, nec quascumque exinde inquisitiones, aut evectiones exigere audeat; sed de prædiis suarum sedium regio cultui solita perquisitionum obsequia deferat, nihilque de rebus earundem Parochialium Ecclesiarum causa stipendii cujuspiam dare præsumat. Quod si fecerit, duorum mensium spatio excommunicare se noverit.*

XIX. Mira hæc est à Legibus Romanis discrepantia, quibus maximæ quæque Ecclesiæ amplissimis fruebantur privilegiis; cum hic in Hispania eximantur Parochi, Episcopi soli subjiciantur oneribus & expensis Regiorum Ministrorum, & precepiorum. Nec in Concilio Tolosano III. confirmata fuerat immunitas nisi personalis Clericorum, & servorum Ecclesiæ. *Quoniam cognovimus Ecclesiarum servos, & Episcoporum, & omnium Clericorum, à judicibus, vel actoribus publicis in diversis angariis fatigari, omne Concilium pietate gloriosissimi domini nostri poposcit, ut tales deinceps ausus inhibeat.* Can.21. Itaque personales dumtaxat hæ erant immunitates.

CAPUT XXXV. *P.2. l.3. c.6.*

De Armotizatione.

I. II. Immunitate à Clodoveo concessa continebatur amortizatio.

III. Omnes res suas temporales habet Ecclesia vel donatione Regum, vel benevolentia & consensione, vel tuitione.

IV. V. Probationes ex Marculpho.

VI. Dona si quæ majora Ecclesiis conferebantur, ea à Regibus confirmari jus fasque erat.

VII. Explanatur formula Marculphi.

VIII. Plenissima libertas donandi Ecclesia ex Legibus Regum Francorum Francicis, Alemannicis, Bavaris, his enim gentibus Franci Reges præerant.

IX. Hujus libertatis probationes novæ.

I. UNus hic nobis superest expediendus nodus, ad capitum superiorum elucidationem; An immunitates illæ maxima à Clodovæo concessæ, sed & à Regibus posterioribus, amortizationem complecterentur: & an privati suis rebus Ecclesias ex arbitratu suo, & spontaneo pietatis instinctu donare possent injussu Regum. Doctrina idemque religione præstantissimus Bignonius in ea versatus est sententia, amortizationem illis contineri immunitatibus Regiis, quarum superiori capite Formulas ex Marculpho & Flodoardo retulimus. *Neque verò immunitatis istius preceptum ab amortizatione, quo forensi verbo hodie utimur, omnino alienum est. Nam & pleraque Cœnobiorum tabularia hanc immunitatem amortizationis nomine inscribunt.* Ita ille in suis ad Marculphum Notis. *L.1. c.3.*

II. Cum Solemniacense Cœnobium (Solognae.) extructurus esset B. Eligius Novimensis Episcopus, ut perhibetur à B. Audoeno vitæ ejus Scriptore, Archiepiscopo Rotomagensi, *L.1. c.15.*, fundos priùs omnes & agros à Dagoberto Rege flagitavit, à quo & cum plenissima immunitate concessi sunt. Certè cum minister Regius aliquando ordinarias inde pensiones exegisset, aurum omne restituere compulsus est, ubi rescivit quo dono à Rege cumulatus ille fuisset.

III. Bene multas Ecclesias à Regibus exædificatas & dotatas fuisse affirmat Avitus Viennensis Archiepiscopus; sed debere Ecclesias omnes Regum vel largitati, vel defensioni, quidquid usquam rerum possident. Ita enim Avitus perscribebat ad Gundebaldum Regem Burgundiæ. *Epist.37. Quidquid habet Ecclesiola mea, immo omnes Ecclesiæ nostræ, vestrum est, de substantia, quam vel servastis hactenus, vel donastis. Quod inspirante Deo præceperitis, in quantum vires habuero, parare conabor.* Ubi hæc adnotavit doctissimus Sirmondus, *vel servastis, vel donastis. Libera & ingenua professio. Principibus accepta feruntur dona Ecclesiæ, quæ vel donarunt ipsi, vel ut donare liceret, concesserunt.* Addit verò ille Reges Francorum pietatem in Ecclesias suam insignivisse ea professione: non minùs sibi charas esse res Ecclesiæ, quàm fisci Regii. *In quo Regum olim Francorum pietas enituit, qui res & mancipia Ecclesiæ eodem se loco, ac res & mancipia fisci habere, in Capitulis suis professi sunt.*

IV. Superest apud Marculphum formula Regii Cœnobiorum privilegii, ubi confirmata immunitate ea, qua Episcopus ea dotasset, immunitatem jam Regiam Princeps concedit ab oneribus fisci, confessionemque ut illis à fidelibus conferatur, quidquid suaserit pietas. *Illud nobis pro integra mercede nostra placuit addendum, ut tam quod ex nostra largitate, quàm delegatione ipsius vel cæterorum, aut cujuslibet, ibidem est, aut fuerit devolutum possessio, nulla judiciaria potestas aut ad causas audiendum, aut aliquid exactandum ibidem non præsumat ingredi, sed sub omni emunitate hoc ipsum Monasterium omnia freda sua debeat possidere.* L.1. c.2. Eadem verò facultas Cœnobiis donandi, vel aliis Ecclesiis, quidquid feudo Principis habetur terrarum vel allodio, vel hæreditate, in alia quoque formula exhibetur. Utrique enim conjugi improli annuit Rex, mutuo sibi donare quidquid obtinent, vel beneficio Principis, *munere regio, sive fisco,*

fisco, beneficia, fiscalia prædia, fiscos, campos fiscalinos, Ibidem. c.12., quibus agris onera incumbebant aliqua & obsequia Principi exhibenda; vel hæreditaria Majorum successione & cum potestate ea ad posteros transmittendi: *propria, Alodes, Hæreditates*: & sua ipsi industria quæ comparassent, *ex comparato, ex acquisitu*. Denique superstiti ex ambobus conjugibus permittit Princeps, ut quæ volet cumque Ecclesiis donet. *Et post amborum de hac luce discessum, sicut eorum delegationibus convincebitur, tam ad loca Sanctorum, quàm benemeritis, vel propinquis debeant reverti heredibus, &c. Ita ut nulla refragatio nec de parte fisci nostri, &c.*

V. Sed cum publici tunc ratione fierent publicæ istiusmodi chartæ, vel concordiæ vel coram Rege in Palatio, vel coram Comitibus & Judicibus Provinciarum & Civitatum: Priores formulas primum in suum librum conjecit Marculphus, posteriores in secundum. Plurimæ ergo ibi obviæ statim fiunt donationes ad loca sancta, nulla speciali Principis consensione interveniente, quamvis ingentia prædia & opulentæ hæreditates Ecclesiis conferantur. *Prologus, qui de grandi causa facit donationem, &c. De magna re, qui vult Xenodochium, aut Monasterium construere. &c. L.2. c.1. 2. 3. &c.* Sed tunc assensio Principum tacita, vel priùs universim expressa non temerè præsumitur; nisi jam tum Magnatum aliqui summam sibi & pene regiam authoritatem arrogare cœpissent, quod altero post sæculo plures factitarunt.

VI. In sua ad Episcopos Epistola Radegundis Regina, donationes omnes suas in Abbatiam Pictaviæ à se conditam affirmat curasse so confirmari à Regibus Clotario, Chariberto, Guntramno, Chilperico & Sigeberto. *Seu de rebus, quas in me præcellentissimus domnus Clotarius, vel filii sui contulerunt, & ego ex ejus præceptionis permissu Monasterio tradidi possidendum, & per authoritates præcell. domnorum Regum Chariberti, Guntramni, Chilperici & Sigeberti, cum sacramenti interpositione & suarum manuum subscriptionibus obtinui confirmari. Gregor. Turo. hist. l.9. c.42.* Obtestatur mox Reges posteros, ut Cænobio tuitionem impendant, eorum concessione à se exędificato & dotato. *Ut Monasterium, quod ex permissu & solatio domnorum Regum, patris, vel avi eorum, construxisse visa sum, & ordinasse regulariter, vel dotasse, sub sua tuitione jubeant gubernare.*

VII. Visum est nonnullis sine speciali Regum licentia Ecclesiis conferri nihil potuisse, quibus suffragari videbatur ea Formula Marculphi, qua confirmat Rex donationes omnes Abbatiæ factas. Sed multa sunt, quibus hæc conjectura convellatur. 1. Nec ea Formula Rex annuit, vel donanti ut donet, vel Cœnobio, ut accipiat, si quid datum fuerit, sed factam confirmat donationem. *Omne corpus facultatis ejus per nostrum deberemus confirmare præceptum. L.5. c.33.* 2. Confirmat Rex ibidem dona, quæ & à seipso, & à Majoribus suis fuissent collata. *Quidquid aut Regia collatione, aut privatorum munere, vel ab antecessoribus Abbatibus, seu & à domno Lui est ibidem legaliter acquisitum, aut comparatum.* Atqui regia nil opus esset permissione, quo regia ipsa dona susciperentur. 3. Eodem loco sunt hic privatorum, & Regum donationes. 4. Eadem in classe locantur indiscriminatim, & quę Abbates ipsi compararunt. 5. Est & alia formula, priori simillima apud Marculphum, *L.5. c.31.*, qua Rex homini privato confirmat res suas omnes, *de omni corpore facultatis*, quavis ratione eas vel ipse, vel Majores ejus compararint. 6. Planum ergo hinc fit eam non esse nisi novam tutelæ Regiæ testificationem, ad res omnes vel Cœnobii, vel patris familias cujuslibet defensandas, adversariosque præsidio tuitionis regię deterrendos.

VIII. Conditum fuit & dotatum anno 572. à Dumnolo Episcopo Cenomanensi, in ipsa Cœnomanensi civitate Cœnobium Sancti Vincentii, interveniente authoritate Regia ad confirmandas suas omnes in illud donationes. *Multo testamento ei legavit atque confirmavit, permittente atque favente Chilperico Francorum Rege, ejusque Principibus.* Ita Scriptor ejus vitę. *Surius die 16. Maji.* Ea vel confirmatio, vel consensio & permissio Principis, necessitatis fuerit, an reverentiæ causa, vel ad cumulum authoritatis, facilè existimabitur ex legibus Bavaricis, quarum primo capite permittitur, ut det quicumque volet, quæcumque volet Ecclesiæ, nullo penitus vel à Regibus, vel à Ducibus, vel à quocumque demum obice interponendo. *Si quis liber persona voluerit, & dederit res suas ad Ecclesiam pro redemptione animæ suæ, licentiam habeat de portione sua, postquam cum filiis suis partivit. Nullus eum prohibeat, non Rex, non Dux, nec ulla persona habeat potestate prohibendi.* Atqui ex Præfatione Legum Bavaricarum constat eas Regis Theodorici primum jussu fuisse compilatas, uti & Leges Francicas, & Germanicas, iis accommodandas Nationibus diversis, quæ Regno ejus subessant; ab eo denique eas expurgatas fuisse, moribus, usibusque quibusdam Gentilitiis obliteratis, subrogatisque legibus & moribus Christianis. *Et quæ erant secundùm consuetudinem Paganorum, mutavit secundùm legem Christianorum.* Paganismi reliquias quas nequierat Theodoricus, Childebertus, & Clotarius obruerunt, extremam denique bis manum addente Dagoberto. *Quidquid Theodoricus Rex propter vetustissimam Paganorum consuetudinem emendare non potuit, post hæc Childebertus Rex inchoavit, sed Clotarius Rex perfecit.* Capite primo Legis Alemannicæ eadem libertas annuitur dandi Ecclesiæ. Etsi ergo nulla speciali postea dandi licentia posceretur, hæc generalis abundè erat licentia, legibus ipsis consignata, nec ullis arctata cancellis, nullis servitutibus, vel oneribus gravata.

IX. In privilegio Abbatiæ Sancti Sergii apud Andegavos, post immunitates omnes Capite superiori illustratas, servat sibi Rex annuum censum nummorum duodecim, ad Principis fiscum ab Abbate afferendum, vel mittendum. *Nisi tantum annis singulis soldi duodecim per ipsum Abbatem, aut per Missum suum nostris æraris inferri debeant.* In immunitate Abbatiæ Sancti Stephani Argentoratensis Chilpericus Rex servavit sibi jus confirmandi Defensoris, quem Abbatissa delegisset, ad exercendam Monasterii jurisdictionem. *Nullus Judex, &c. Nisi Defensor, quem ipsius loci Congregatio, vel Abbatissa voluntariè è Palatio impetraverit, audeat ingredi ad causas audiendas, &c. Le Cointe. An. 705. numer. 16. An.715. n.42.* Occurrent utique in Privilegiorum & immunitatum Chartis hoc genus restrictiones & conditiones aliquæ; nusquam prohibitiones, nequid detur, vel accipiatur fundorum, nisi nova Principis permissione, & certis ad eam impetraodam oneribus.

CAPUT XXXVI. *P.2. l.3. c.5.*

Immunitas Cleri & agrorum Ecclesiæ sub Imperio Caroli Magni & Ludovici Pii.

I. Parochis Mansi *unius, hoc est agelluli immunitas data.*

II.

II. Ea immunitatis angustia non spectant aisi ad Parochias raris, & obsequia pecularium dominorum. Probationes.

III. IV. Agri Ecclesiarum Episcopalium & Abbatiarum erant prorsus immunes.

V. Immunitates mancipiorum Ecclesia.

VI. Qua recens comparabantur, expertia erant immunitatis.

VII. Nempe de terris, qua libera ipsa & immunes non essent.

VIII. Ab oneribus personalibus immunes erant omnino Clerici.

IX. Immunitas rerum & personarum.

X. De Pontibus & viis muniendis.

XI. Observationes nova de immunitatibus.

XII. Cum à Regibus absolutior esset immunitas, quàm à privatis Senioribus.

XIII. Agobardi sententia de immunitatibus rerum Ecclesia.

I. Capitularibus suis Carolus Magnus omnibus eximebat oneribus decimas & oblationes Ecclesiæ, domos Parochorum, & hortos juxta Ecclesias, cum Manso, sive agello mediocri in unaquaque Parochia, data copia peculiaribus dominis, seu Senioribus, ut reliqua omnia solitis subjicerent servitiis. *Statutum est, ut uniuscujusque Ecclesia unus mansus integer absque ullo servitio attribuatur; & Presbyteri in eis constituti, non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus neque atriis, vel hortis juxta Ecclesiam positis, neque de præscripto manso aliquod servitium faciant propter Ecclesiasticum. Et si aliquid amplius habuerint, inde Senioribus suis debitum servitium impendant. L.1. c.95. Conc. Gall. Tom.2. pag.432. 457.* Qui *Mansus* dicebatur, agellus erat modicus, quo nomine etiam plures nunc vernacula lingua utuntur Provinciæ. Is cuique Parocho liber & immunis ab omni prorsus onere addicebatur. Ejus immunitatis vindicem se Ludovicus etiam Pius professus est. *De uno manso ad Ecclesiam dato, de quo aliqui homines contra statuta sibi servitium exigunt, quicumque pro hac causa accusatus fuerit, Comes vel Missi hoc quod inde subtractum est, Presbyteris eam sua lege restitui faciant. L.5. c.45.*

II. Quibus ea insedit animo sententia, Mansi unius limitibus arctatam fuisse immunitatem Ecclesiæ; iis minùs pervia, minùsque fuerat horum Caroli Magni temporum perspecta disciplina. Capitularia quæ modò protulimus, agrestes & vicorum Ecclesias spectant, Parochorumque ibi immunitates, ratione habita dominorum peculiarium, seu Seniorum cujusque vici, quibus vici totius ædes agrique obsequia & servitia quædam præstare tenebantur. Non ergo hic quæstio vertitur de immunitate agrorum Ecclesiæ, vel Clericorum, ne Regum vectigalibus urgerentur: ab his enim absolvebantur prorsus, ut mox demonstrabimus: sed de oneribus & servitiis, quibus cujusque vici Seniores & domini, suo jam quasi jure premebant agros hominesque suæ ditionis.

Id constantissimè probatur ipsorum disertis verbis Capitularium, quæ non agunt, nisi de servitiis Senioribus his peculiaribus dependendis. *Unus mansus absque ullo servitio attribuatur. Nec de præscripto manso aliquod servitium faciant. Si quid amplius habuerit, inde Senioribus suis debitum servitium impendant. Aliqui de manso sibi servitium exigunt, &c.* De Rege, vel Imperatore, ejusque jure & obsequio, nulla hic litera est, de solis agitur Vicorum peculiaribus dominis, eorumque Juribus, regia potestate intra antiquos limites coercendis.

III. Nec minùs perspicuum est eam immunitatem non pertinere nisi ad Ecclesias ruris Parochiales; & nec ad Ecclesias Episcopales, aut ad Cœnobia trahi, aut deflecti posse. Hinc ergo, alterutrum emergit, ut aut agrestes Parochiæ immunitate uterentur, cujus expertes essent Episcopales & Abbatiarum Ecclesiæ; quod cordatus nemo sibi persuaderi facilè patietur: aut Episcoporum & Abbatum agros immunitate cumulatissima potitos esse, sine ullo limite. Ut ne autem Episcopatuum & Cœnobiorum Ecclesias hæc Capitularia complecterentur, in causa fuit, quod Seniores villis tantùm & vicis dominarentur, non urbibus, adeoque nec in Episcopatus, vel Abbatias quidquam sibi juris arrogare possent.

Cum domini autem & Seniores aliqui hac sibi improba spe assentarentur, Abbatiarum immunitatem earum claustris circumscribi, nec in earum agros expatiari: *Non plus immunitatis nomine complecti, quàm claustra Monasterii, cætera quamvis ad easdem Ecclesias, vel Monasteria pertineant, extra immunitatem esse.* His iisdem Imperatorum Capitularibus declaratum est, terras omnes & ditiones Abbatiarum eadem immunitate frui. *Volumus atque decernimus, ut omnes intelligant, non solùm claustra Monasterii, vel Ecclesia atque castitia Ecclesiarum sub immunitatis defensione consistere, verùm etiam domus, & villas, & septa villarum, & piscatoria manu facta, & quidquid fossis aut sepibus, vel etiam alio clausurarum genere præcingitur, eodem immunitatis nomine contineri. Capit. Carol. Magn. l.5. c.148.*

IV. Alibi rursus eadem exemptio ad omnes effunditur Ecclesiæ fundos. *Placuit ne prædia cælestium secretorum dicata, Deoque tradita, à quibusdam aliqua occasione vexentur, aut invadantur, sed sub immunitatis tuitione perpetua firmitate perdurent. Similiter & homines eorum, & omnia, quæ eis subjecta esse noscuntur. Leg.5. c.187.* Mulcta mox & pœnitentia publica plectuntur, qui ei immunitati contumeliam fecerint. Utque ne dubites ad omnes Ecclesiæ fundos exporrectam fuisse hanc libertatem, & ab oneribus publicis prorsus omnibus eos fuisse subductos, vide ut conceptis verbis res alibi confirmetur. Quid enim his dilucidius vel optari potest? *Possessiones ad religiosa loca pertinentes nullam descriptionem agnoscant, nisi ad restitutionem viorum, vel pontium, si tamen intra eadem loca habuerint possessiones. In aliis verò omnibus habeant integram immunitatem. Leg.6. c.107.* Quæ hîc fit exceptio pontium & viarum, eâ validiùs confirmatur immunitas generalis. Adde quod ne exceptio quidem, aut coarctatio ea sit. Quæ enim ad muniendas vias, & ad reficiendos pontes fiunt expensæ, non tam ad exactiones publicas pertinent, quàm ad sumptus necessariò Ecclesiæ faciendos ad fundorum suorum integritatem, & ad commodum suorum hominum.

V. Ecclesiæ & Clericorum servi, sive Clerici ipsi essent, sive laici, angariarum & ipsi publicarum immunes erant, nec ad eas poterant à Regum Officialibus, vel à publicis Magistratibus cogi. *Ecclesiarum servos & Episcoporum, vel omnium Clericorum, à Judicibus, vel Actoribus publicis, in diversis angariis non fatigari divina præcipitur authoritate. Si quis Judicum, aut Actorum, Clericum, aut servum Clerici, vel Ecclesia in publicis ac privatis negotiis occupare voluerit, à communione Ecclesiastica, cui impedimentum facit, efficiatur extraneus. Leg.7. c.212. 367.*

VI. Quæ sibi nova Ecclesiæ comparabant prædia, siqua hactenus oneribus publicis obnoxia fuissent, iisdem subjiciebantur semper, nisi peculiari Regum concessione eximerentur. *Ut de rebus, unde census ad partem Regis exire solebant, si ad aliquam Ecclesiam tradita sunt, aut reddantur propriis hæredibus, aut qui eas retinuerit, illum censum per-*

sol-

solvat. *Leg.3.c.86.* 15. Et rursus alibi. *Leg.4.c.37.* *Quicumque terram tributariam, unde tributum ad partem nostram exire solebat, vel ad Ecclesiam, vel cuilibet alteri tradiderit; is, qui eam susceperit, tributum, quod inde solvebatur, omni modo ad partem nostram persolvat; nisi fortè talem firmitatem de parte dominica habeat, per quam ipsum tributum sibi perdonatum possit ostendere*. Quod supervacaneum fuisset declarari, nisi Ecclesiæ fundi universim his oneribus privilegio quodam suo exempti fuissent. Si enim Ecclesiæ res, peræquè ut profanæ iisdem exactionibus obnoxiæ fuissent, hæc novæ rei emptæ vel donatæ accessio Ecclesiis facta, nihil habuisset quæstionis, quam hac declaratione solvi opus fuisset.

VII. Non abs re tamen advertimus, non semper res nuper Ecclesiæ partas eadem immunitate potitas esse. His enim duobus Capitularibus expressissimè inculcatur, de terris agi, ex quibus census & tributum Regi soleat persolvi. *De rebus, unde census ad partes Regis exire solebat, &c. Terra tributaria, unde tributum ad partem nostram exire solebat, &c.* Erant ergo prædia nobilia, liberaque omnium prorsus onerum, & ea si adjicerentur Ecclesiis, pari immunitate obtinebantur.

VIII. Si qui essent limites finesque immunitatis rerum Ecclesiæ, nulli planè erant personarum. Præter ea, quæ in eam rem jam perstrinximus, supersunt & alia Capitularium Decreta, quæ nulla tergiversatione eludi queant. Quoad servitutes privatorum, consecratione ipsa sua Episcopi & Presbyteri iis absolvebantur: *Consecratio Episcopos & reliquos Domini Sacerdotes tam à servilibus, quàm & à cæteris ascriptitiis conditionibus semper liberos facit. Ideo præcipimus ut nullus ab eis alia nisi divina requirat servitia*. *Leg.6.c.116.* Jam verò à publicis servitutibus, vide ut hic rursus Clerici universi exolvantur. *Ut Clerici nullo fiscali, aut publico subdantur officio, sed liberi ab omni humano servitio Ecclesiæ deserviant*. *Leg.7.c.131.*

IX. Immunitas denique tum rerum, tum personarum, vide ut hoc alio rursus Capitulari declaretur. *Synodali decreto sancitum est, ne laici vel sæculares de viris Deo dicatis, Ecclesiæque facultatibus, aliquid ad se putent vel præsumant præter reverentiam pertinere. Quorum quarumque Sacerdotibus disponendi indiscussè à Deo cura commissa docetur. Si quis contra hoc venire præsumpserit, anathemate feriatur*. *Leg.7.c.147.*

X. Pontes, vehiculariæ naves, viæ, ut à ministris resarcirentur; at earum sumptuosæ exædificationes, vel reparationes, ut à Ducibus & Comitibus, ab Episcopis & Abbatibus perficerentur, ita luculentè Sangallensis Monachus explanavit. *A Majoribus autem laboribus, & maximè noviter instruendis, nullus Ducum, vel Comitum, nullus Episcoporum, vel Abbatum excusaretur aliquo modo. Cujus rei testes sunt adhuc arcæ pontis Magontiacensis, quem tota Europa communi quidem, sed ordinatissima participationis opere perfecit*. *Leg.1.c.32.* Regię ipsæ Ecclesiæ Episcoporum & Abbatum impendiis ornabantur. At si quæ novæ extruendæ essent, Ducum, Comitumque, & omnium, qui terrarum Ecclesiæ beneficia obtinebant, opera & sumptu extruebantur. *Quod si nova fuisset instituenda Ecclesia, omnes Episcopi, Duces & Comites, Abbates etiam, vel quicumque Regalibus Ecclesiis præsidentes, cum universis, qui publica consecuti sunt beneficia, à fundamentis usque ad culmen instantissimo labore perduxerunt*. Istiusmodi fuit magnificentissima Aquisgranensis Ecclesia, juxtaque eam opulentissima Caroli Magni Regia, & Optimatum ejus Palatia, ita sita, sparsa, porticibusque extructa, ut ex superiore Regiæ suæ fastigio omnes & Proceres observare posset Carolus Magnus, & milites, & plebem ipsam innumerabilem, in has se porticus recipientem, ubi imber, nix, gelu, ad focos ibi opportunè accensos cogeret confugere.

XI. Nec illud tacebimus, quod de Sangallensi ipsa Abbatia ab eodem proditum est, plurimos ei accumulatos fuisse agros, non Regia munificentia, sed privatorum donis; cumque illis ea de causa Defensor nullus esset, Ludovicum ipsum Pium Defensoris & Advocati partes obire voluisse. *Quod cellula Sancti Galli non ex Regalibus donariis, sed ex privatorum traditiuncalis collecta, neminem sui defensorem vel Advocatum reperire potuisset; ipse Advocatum se utilitati nostræ confiteri non erubuerit*. *Leg.2.c.15.* Cum bene multæ à Regibus exædificatę essent Ecclesiæ, & longè plurium earum defensionem in se ipsimet recepissent, sub tanto patrocinio tutæ delitescebant earum immunitates.

Cum Carolo Magno Ledradus Lugdunensis Episcopus constare vellet rationem administratæ à se Lugdunensis Ecclesiæ, illud primum ostendit, compilata à se fuisse Edicta Regum omnia in gratiam Ecclesiæ suæ promulgata, quibus potestas sibi fiebat emendi & acquirendi, ad Ecclesiæ suæ res augendas & loca, ut nemo de his incrementis jure conqueri possit. *Insuper jussimus fieri decreta priscorum Regum Franciæ, ut quemadmodum ipsi statuerunt monumenta emendi, & augendi locum in omnibus rebus, quas ad præsens habere videntur, vel in futuro Deo auxiliante acquirere poterunt, sine ulla querimonia per sæcula possidrant*. Hinc patet id studuisse Episcopos, ut Regia impetrarent diplomata, quò emere, aut aliàs comparare possent, agros, domos, loca quælibet, nullo onerum publicorum nexu sibi pertimescendo.

XII. Si percunteris autem ecquid causæ esset, quamobrem terras Ecclesiæ tam liberaliter Reges exactionibus omnibus exonerarent, quę veluti publicæ sunt servitutes, nec idem sibi licere vellent in Parochalibus Ecclesiis absolvendis à peculiarium dominorum servitiis. Respondebo, quod ad Clericos ipsos, & ad eorum personas, attinet, unam & eandem rem fuisse. Hos enim Rex oneribus publicis omnibus eximebat, at eo, quo servi peculiaribus dominis devinciuntur nexu, non absolvebat nisi Presbyteros & Episcopos, ut suprà diximus. Singulis enim dominis permittendum erat, ut pro arbitrio, pro pietatis & religionis æstu servitutis vinculo solverent eos, qui se Clero dicari cuperent, vel jam dicati essent. Ergo nec cogendi illi erant, ut relaxarent servitia, quæ sibi ex Ecclesiæ terris erant præstanda. Necessitas tantùm illis ea gemina indicebatur, ut servitio omni absolverent & Presbyterum, & Mansum Presbyteralem, quod Parochi patrimonium erat. Reliqui agri Ecclesiarum Parochialium, uti & Diaconi, Subdiaconi, cæterique Clerici pietati Seniorum permittebantur, ut antiqua servitutis jura in eos sua vel retinerent, vel relaxarent. At Reges summique Principes largitatis & munificentiæ laude præcellentiori clarescere avebant illi quidem; ideoque quos Rex Cælestis idemque æternus Pontifex Regni & Sacerdotii sibi sui ministros delegit, eos & libertate & immunitate frui volebant, tanto ministerio consentanea.

XIII. Claudet hoc Caput Agobardus pulcherrima commentatione sua in illum Evangelicæ historiæ locum, ubi dicitur Christus censum solvisse, non ex illo sacro penu, in quod Apostoli eleemosynas in futuros usus recondebant; sed ex statere cœlitus oblato, & ex ore piscis eruto. Illud sacrum penu ait Agobardus ex Sanctis Patribus, dicatum fuisse alendis pauperibus, sustentandis Discipulis, Festis celebrandis; ideoque ineffabili quadam sapientia Christum nihil ex eo decerpi voluisse, ut hinc eluceret, quem in usum fun-

di

di reditusque Ecclesiæ sint expendendi. *Responsum est à Doctoribus Ecclesiæ, quia Dominici loculi in pauperes & in dies festos expendebantur, & cum egisset necessitas, in alimenta Discipulorum Domini; noluisse Dominum rem pauperum in publicam exactionem mittere; sed omnipotenti virtute, quod utique pauperum non erat, de mari tollere & fisco reddere voluisse, ut formam daret discipulis, quàm Ecclesia commendaret. Leg. de dispens.*

CAPUT XXXVII. *P.3. l.3. c.6.*

Immunitas Clericorum & fundorum Ecclesiæ sub Imperio Caroli Calvi, & successorum.

I. Sub Carolo Calvo viguit prisca Ecclesiarum Parochialium & Parochorum immunitas adversùs Seniorum servitutes.

II. Varia ad id probationes.

III. In illud Capitulare aliqua observantur. Quæ agricolarum servitus.

IV. Qui fas esset Ecclesia novos comparare fundos.

V. VI. Confirmantur antedicta de Francis & de Gallis.

VII. Quadruplices in Ecclesiam exactiones ex Hincmaro.

VIII. Exactio extraordinaria ad summovendos Normannos.

IX. Quo fuerint loco immunitates sacræ sub Caroli Magni successoribus.

X. Observantur rursus aliqua in mansum Presbyteralem.

XI. Græcorum disciplina, quoad immunitates.

I. IDem fuit modus, iidem fines immunitatum Ecclesiæ sub Caroli Magni & Ludovici Pii successoribus. Concilium Meldense anni 845. supra laudata Caroli & Ludovici Capitularia confirmavit, ut Canonicis regulis accomodata, ad exemptiones mansi Presbyteralis, decimarum, oblationum, adde & servorum, qui villa & cœmeterio quodammodo includebantur. Verùm non minùs dilucidum est hæc non spectare, nisi ad ea Seniorum peculiarium jura, quę illi sibi quasi deberi onera confidebant. *Ut secundùm canonicam authoritatem & Constitutionum domni Ludovici Imperatoris, de agro Ecclesiastico & manso, ac mancipiis, quæ ipse suis Capitulis constituit, vel si quilibet pro loco sepulturæ aliquid largitus Ecclesia fuerit, neque de decimis & oblationibus fidelium, cuiquam Presbyteros aliquem censum persolvere cogat, &c.* Et non multò post: *Quod si quis fecerit, communione usque ad satisfactionem privetur, & regia potestate hoc emendare legaliter cogatur. Can.63.*

II. Ex Capitularibus Caroli Calvi, *Tit.35. n.30.*, mira hîc nobis affulgebunt elucidamenta. Hinc enim comperimus, cum agricolę & coloni terrarum, tum fisci, tum Ecclesię, statuissent villas suas divendere & hęreditates proprias, non aliis tantùm agricolis, sed Clericis etiam & Parochis, & quibusvis denique; eas ad angustias & vastitates venisse vicos nonnullos, ut ordinarius jam ex iis census solvi non posset, nec internosci, qui cujusque villę agri essent. Cui malo ut medicina fiat, hic edicitur, ut quidquid pręter Seniorum voluntatem distractum fuerit, iisdem villis vicissque restituatur, ut & soliti census persolvi queant. *Et quoniam in quibusdam locis coloni tam fiscales, quàm & de casis Dei suas hæreditates, id est, mansa, quæ tenent, non solùm suis paribus, sed & Clericis canonicis ac villanis Presbyteris, sed & aliis quibuscumque hominibus vendunt, & tantummodo Cellam retinent. Et hac occasione sic destructæ sunt villæ, ut non solùm census debitus inde non possit exigi, sed etiam quæ terræ de singulis mansis fuerunt, jam non possit agnosci. Constituimus, ut præcipiatur à nostris ministerialibus & à ministris Ecclesiasticis, ut hoc nullo modo de cætero fiat, ne villæ destructæ atque confusæ fiant; Et quidquid de singulis sine licentia dominorum, vel magistrorum per quoscumque venditum est, recipiatur, & singulis mansis de quibus terra vendita sunt, & de quibus census decidit, propter eorum impossibilitatem, quæ mansa deservire non possunt, restituatur, & juxta qualitatem vel quantitatem terræ, vel vinearum ad singulos mansos pertinentium, postquam restaurati fuerint, ab unoquoque manso census ad partem dominicam exigatur.* Ea sunt verba Edicti Pistensis, anno 864.

III. Sunt autem hîc complura observanda, quæ non oscitantem desiderent Lectorem. 1. Hos *colonos* verè servos fuisse, quanquam moderatior esset ea servitus: & nec potuisse eos suas aut distrahere villas, aut derelinquere, ut aliò demigrarent. Cum ipsi, tum filii eorum affixi erant glebę, villęque, ut eam colerent, & pro ejus modo censum persolverent. 2. Nec enim ejusdem omnes qualitatis, vel quantitatis hæ villę erant. *Juxta qualitatem vel quantitatem terrę vel vinearum ad singulos mansos pertinentium.* 3. Itaque nec mansus ipse Presbyteralis ejusdem forsan erat semper modi. Prædium erat, suis agris, suis vineis cinctum, nunc tenuioribus, nunc amplioribus. 4. Planum est non hîc agi nisi de servitutibus vicorum, agrorum, rusticorum, Senioribus propriis obnoxiorum, quibus censum pendebant. Unde & hi Seniores nunc Clerici erant, nunc laici Nobiles, nunc Reges ipsi, ut ex hoc patet contextu. 5. Ubi ergo hi vetantur coloni, ne villæ suæ agros vendant, vel Parochis, vel Clericis aliis, non eo id pertinet, ut prohibeat Rex novas ab Ecclesia terras & ditiones acquiri: aut ut agros Ecclesiæ publicis subjiciat oneribus. Aliena hæc omnino sunt omnia. Æquè enim interceditur, ne aliis quibuscumque, atque ne Clericis suos hi coloni agros vendant: *Sed & aliis quibuscumque hominibus vendunt.* Nec secus prohibentur coloni Ecclesiæ, suas aliis villas terrasque distrahere, quas ab Ecclesia habent. Coloni certè hic ex parte aliqua ipsissimi sunt dominii Regii cultores, quibus & id interdicitur, nequid divendant, ne eò tandem res evadat, ut census solvi non possit. Verùm hic Rex non aliter spectatur, quàm ut privatus quisque dominus, sive Senior, cui suum sit patrimonium, sui agri; & cujus tam coloni, quàm agri eadem lege constringantur, atque agri & coloni Ecclesiæ. *Coloni, tam fiscales, quàm de casis Dei.* 6. Illud quoque planum est, Clericos harum villarum dominos, *Magistros* potius dici, quàm *Dominos*; quod dominari minùs addeceat Clericos & hinc forsan & in vernaculam Francorum linguam irrepsit, ut qui Latinè domini, Gallicè Magistri (Maistres) vocentur. *Senioris* enim vox in Conciliis, & in Capitularibus medii hujus ævi usitatissima, pro domino illa quidem usurpatur; sed ita tamen ut ejusdem spem faciat suavissimæ dominationis. *Quidquid venditum est sine licentia dominorum, vel Magistrorum.* Sæculares ergo Domini, Clerici *Magistri*. Sed nihilo tamen minus ab his servis suis Ecclesia, æquè ut Rex à suis, jura eadem dominicalia, & censum exigebat. Unde & Regi & Ecclesiasticis dominis hæc aptantur verba. *Census ab unoquoque manso ad partem dominicam exigatur.*

IV. Non ergo prohibentur Clerici nova quælibet sibi prædia comparare. 1. Sed coloni uni domino mancipati, vetantur terras, villasque suas cuicumque sive Clerico vendere, sive laico. Ubi & ve-

vanatos servus seipsum distrahere, quòd cum agris suis, non sui ipse juris sit, sed domini sui. 2. Prohibetur dumtaxat, ne agri, & terræ istæ vendantur, *sine licentia dominorum, vel Magistrorum.* Coloni ergo ipsi quidem non poterant agros divendere, sed poterant sive Domini, sive Magistri, ac Seniores distrahere ditiones, terrasque suas, sive Ecclesiæ, sive laicis: & comparare eas poterat Ecclesia emptione, aut donatione.

Supersunt & alia, ex quibus non paulò plus etiam lucis affundatur. Vetuit idem primùm Carolus Calvus, ne Franci qui censum aliquem pendendum habebant fisco Regio, sive personæ, sive terræ suæ ergo: vetuit, inquam, ne se, aut terras suas vel donarent, vel distraherent, sive Ecclesiæ, sive cuicumque alteri, ne publicum ærarium fraudaretur. *Ut illi Franci, qui censum de suo capite, vel de suis rebus ad partem regiam debent sine nostra licentia ad casam Dei, sive ad alterius cujuscumque servitium se non tradant, ut Respublica, quod de illis habere debet, non perdat.* Hinc perspicua probatio, quidquid Ecclesia haberet terrarum, vel mancipiorum, omnibus id exactionibus exemptum fuisse. Ideo enim occurrebatur, ne aliquid novi compararet, ne tantumdem de censu & fisco Principis minueretur.

Si Franci verò quipiam hujus prohibitionis immemores, sese vel suos agros cuicumque dedant, mulctam indicit Rex tum danti, tum accipienti, contumaciæ pœnam non injustam, cogitque accipientem eodem censu in fiscum defungi. *Quod si aut seipsos, aut res suas ad casam Dei, aut ad alterius cujuscumque servitium sine licentia tradere voluerint, Comites vel Vicarii hoc non consentiant, sed ex banno nostro prohibeant. Quod & si contra bannum nostrum fecerint, ipsi, qui eos receperint, bannum nostrum, id est, LX. solidos componant; & si ipsos in servitio suo habere voluerint, vel illorum res, de quibus census ad partem regiam exiebat, tenere voluerint, censum, quem ipsi Franci debebant, vel qui de illorum rebus exire solebat, ad nostram regiam partem componant, sicut in præfato Capitulorum libro III. cap. XV. & LXXXVI. & in libro IV. cap. XXXVI. habetur.* Ita remissius & indulgentius Rex agit, quàm cæteri Seniores, cum sinat & terras & personas utcumque distrahi, dari, acquiri, dum qui acquirit, mulctam pendat, & censum.

V. Sed Caroli Magni vestigia legens Carolus Calvus, indulgentiam suam ulterius etiam provexit, eodem ipso mox capite. 1. Concessit enim personis, ut sese Ecclesiis addicerent, nulla mulcta, nullo censu gravandis. 2. Concessit ut Ecclesiæ donarent terras omnes; quas ipsi censuales Regis haberent, dum Ecclesia censum solveret. Tota ergo libertas Ecclesiæ annuitur & servos & agros comparandi, quibus servitia privatim Regi præstanda imminerent, eodem censu pro terris tantum usque persolvendo. *Et quia sicut in sacris Ecclesiasticis regulis invenitur, prior observatio durior, posterior autem exigente causa inclinatior fuit: post hæc præfata capitula decessorum & progenitorum nostrorum, hujusmodi Francis hominibus res suas ad casam Dei, vel aliis tradere, ac vendere, eosque ad divinum servitium converti, si vellent, non prohibuerunt: sicut in capitulis libri primi cap. CXXXII. & CXXXIV. & in libro secundo cap. XXXI. & in libro quarto cap. XIX. continetur. Si quis de talibus Francis de suis rebus tradere, vel vendere voluerit, non prohibemus: tantum ut jus regium, quod sibi debetur, sine ratione non perdat. Quia injustas consuetudines noviter institutas imponere cuique non volumus.*

VI. Adde non hic agi, nisi de Francis, & *de iis Francis, qui censum debebant* Regi, vel personali, vel terrarum suarum nexu. Atqui nec Franci erant omnes, nec omnes eorum agri ei suberant oneri. In aliis ergo liberior erat potestas, ut darentur Ecclesiæ.

Adde rursum, nec de Francis hic agi, nisi qui secundùm Legem Francicam vitam degerent. Galli enim, qui à Francis adhuc dignoscebantur & qui Lege utebantur Romana, tota etiam potiebantur libertate Codicis Theodosiani, ut se suaque pro arbitrio Ecclesiæ dederent. *De illis autem, qui secundùm legem Romanam vivunt, nihil aliud, nisi quod in eisdem continetur legibus definimus.*

VII. Ejusmodi probabile cum primis est fuisse exactiones, quas solvebat Ecclesia pro terris recens sibi partis, iis conditionibus de quibus verba facit Hincmarus. *Tom. 2. pag. 176. 177. De militia quoque & vectigalibus, quæ juxta morem antiquum & solitum, secundùm quantitatem & qualitatem Ecclesiarum nobis commissarum, solet exigere, B. Ambrosii verbis uti, & acta sequi debemus.* Quibus subjicit Ambrosii verba: *Si Tributum petit, non negamus. Agri Ecclesiæ solvunt tributum.* Itemque hæc Augustini: *Cui vectigal, & cætera quæ salvo Dei cultu, constitutionis humanæ Principibus reddimus.*

Alibi verò idem Hincmarus duas aperuit rationes alias, quibus Ecclesia Regnum & Rempublicam juvabat. Dandis nimirum terris suis in Beneficium iis, quos ita jubebat Regii stipendia facere, & cum cuneis militum in Exercitu merere. *Episcopus Beneficium talibus dare debet, qui idonei sint reddere Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo.* Et rursum annuis donis, quibus Regem prosequebatur, de quibus, uti & de militia inferius dicemus. *Causa suæ defensionis Regi ac Reipublicæ vectigalia, quæ nobiscum annua dona vocantur, præstat Ecclesia, servans quod jubet Apostolus, Cui honorem, honorem: cui vectigal, vectigal. Ibidem pag. 324. 325.*

Præter hæc tria tributi genera, quæ Reipublicæ ab Ecclesia pendebantur, Militiam, Dona annua, & censum terrarum cum conditione census recens comparatarum: erat & quartum, quo de alibi Hincmarus. Jus erat illud Metatus, Paratarum, Gisti: quo Episcopi & Abbates tenebantur suscipere suis in ædibus, & alere Officiales, & Missos Regum, & Reges ipsos. Nec onus illud deprecatur, aut detrectat Hincmarus, dum ne eo jure quis abutatur, ne causas itinerum fingat, ne novas excogitet exactiones, Pipini, Caroli & Ludovici temporibus inauditas. *Et ut Ecclesia in isto regno per occasionabiles circadas, & per indebitas consuetudinarias exactiones, quæ tempore Pipini, Caroli & Ludovici non fuerunt, ante annos viginti impositas non affligantur. Ibidem. p. 182.* De hoc Metatus jure infrà prolixius disseremus.

VIII. Sed undecumque expiscandæ sunt nobis exactiones illæ novæ, de quibus expostulat hic Hincmarus. Cum anno 877. non posset Carolus Calvus Normannos Regni sui finibus ejicere, pulcherrimas jamdiu Provincias & Ecclesias depopulantes; statuit tandem ipse secum eos pecunia summovere, à Clericis Regni persolvenda, & à laicis iis, qui Ecclesiæ prædia beneficiario jure tenerent. Vide quid oneris impositum sit iis, qui Abbatias tenerent, sive Abbates, sive Episcopi, sive Comites. *Unusquisque Episcopus qui habet Abbatiam, aut Abbas qui similiter habet Abbatiam; aut Comes, qui æquè habet Abbatiam. Capitul. Carol. Cal. Tit. 42. Vide & Annal. Bertin. an. 877.* Ita solæ solvebant Abbatiæ, Ecclesiæ Episcopales immunes erant, *De manso suo indominicato*, ubi sedem ipse habebat; *Similiter & de Vassallorum, duodecim accipiat denarios.* De villa hominum liberorum, è censu domini quatuor denarios; & tantundem de censu vil-

læ

læ ipsius. *De manso ingenuili quatuor denarios de censu dominicato: & quatuor de sua facultate.* De villis servorum, duos denarios de censu domini, totidem de servis: *De servili verò duos denarios de censu, & de sua facultate duos.* Episcopi & Abbates exigere jubebatur à singulis Parochis suæ ditionis saltem quatuor denarios, ad summum quinque. Idem exigere urgebatur Episcopus à Presbyteris Ecclesiarum, quas retinebant Comites, Vassalli & Imperator ipse, vel Imperatrix. *De Ecclesiis, quas Comites & Vassalli dominici habent, &c. De Ecclesiis Imperatoris & Imperatricis Episcopus similiter accipiat prætaxato modo.* A' Mercatoribus & incolis urbium, pro cujusque modulo aliquid emungebatur: *De negotiatoribus, vel qui in civitatibus commanent, juxta possibilitatem conjectus exigatur.* Fuerat autem & anterior alia exactio pecuniæ ad placandos & eliminandos Normannos quatuor millium pondo argenti, ad eorum pondus, *ad pensam eorum. Du Chesn. Tom.2. p.526. An.869.*

IX. Regnantibus Caroli Calvi filiis & nepotibus, cum eodem semper fuerint authoritatis vigore Capitularia, fuere & eodem, ut apparet, loco privilegia Ecclesiarum, & sive rerum, sive Ministrorum immunitates. In Concilio Metensi anno 888. sub Rege Odone, confirmata est immunitas mansi Presbyteralis, seu Parochialis, expressius additis quatuor servis & eorum filiis. *De uno manso, & de terris pro sepultura datis, pro quatuor mancipiis, vel eorum procreatione, nullus census deinceps exigatur. Can.4.*

X. Ex his verò quatuor servis facili conjectura assequimur, quales & quanti essent hi Mansi, quos locorum domini & Seniores omni prorsus censu & exactione levare cogebantur. Præfixit operi suo Reginio Inquisitiones ab Episcopis in unaquaque Parochia faciendas, cum Diœcesin perlustrarent. Hæc sanè non prætéritur, an Parochi sit Mansus, quatuor modiorum sementis, & quatuor familiarum servilium, præter ipsam Parochi domum, curtem, & cæmeterium. *Si habeat Ecclesia mansum habentem bunuarin duodecim, præter cæmeterium, & curtem ubi Ecclesia, & domus Presbyteri continetur, & si habeat mancipia quatuor. Cap.13.* Idem habetur in Capitularibus Hincmari, & in Legibus Longobardicis. *Conc. Gall. Tom.3. pag.623. Leges Longob. L.3. Tit.1. c.46.* In Charta Jonæ Episcopi Augustodunensis Ecclesiæ datur *terra arabilis modiorum duodecim.* Modios hos duodecim, & *duodecim bunnuaria* suspicari potest quis unum & idem esse. Sed mera illa conjectura est. Ex hac Charta illud manifestius est, Manso plures conjunctos fuisse agros, servosque. *Dono Mansum vestitum unum cum omni supposito, cum terris & pratis ad eum aspicientibus & cum mancipiis.* Valterus Episcopus Aurelianensis in constitutionibus suis Synodalibus, interponi solitam fuisse docet Episcopalem authoritatem, ut cogerentur Vicorum domini Parochis dimittere Mansum omni prorsus censu liberum & solutum: *Presbyteri, qui needum dotem juxta quod in Capitularibus continetur, consecuti sunt, ad nos referant, & nostro consilio divinoque adjutorio à Senioribus suis impetrent. Et si aliquid amplius habuerint, debitum servitium suis Senioribus impendant.* Utcumque verò studuerimus hunc Parochorum Mansum dilatare, à vero tamen non recedit, Plerisque Parochis plusculum fuisse rerum & terrarum, quàm Mansum suum, quæ propria dos erat Parochi. Etenim Hincmarus valde inopem eò describit Parochiam, quòd præter dotem & decimas haberet prorsus nihil. *Ecclesia, quæ non amplius, quàm dotem suam, id est, Mansum cum immunitate habet, cum decima fidelium.*

XI. Ad calcem hujus Capitis aliquid assuam de Græcorum disciplina, ne in ea muti prorsus simus. Depromitur à Balsamone, *In Synod. VII. Can.12. Juris Orien. Tom.1. pag.150. 152. 156.* Constitutio Imperatoria sui ævi, quæ omnibus exactionibus absolvebat Cœnobia omnia & eorum ditiones; solvebat & necessitate repræsentandi aliquando chartas & titulos possessionis suæ: ipsa possessione & donatione Episcopi, vicem implente Tituli, etsi eo semper caruissent; denique Imperatore Ecclesiis condonante, siquid usquam rerum Imperii usurpassent. *Habere dicto mansiones perpetuo dominio, ut Imperii mei donum & liberalitatem, & eis deinceps semper in posterum dominari, etiamsi probabili, vel non probabili de causa aliqua earum, vel etiam fortasse omnia hæc usque detinuerunt; vel etiam sine ullo titulo, vel ex titulo quidem, qui malè se habet, vel est fortasse falso confictus, &c.*

Alibi denuo ab eodem Balsamone, *In Synod. Constant. I. & II. Can.1.*, refertur Nicephorus Phocas legem edidisse, qua vetaret fundari, vel extrui Cœnobia & Xenodochia nova: aut illis ea terris, fundisque donari: uti nec Ecclesias Episcopales ac Metropolitanas; provisuro Imperatore, ac definituro, quid Ecclesiis opus esset restaurandis, quas paupertas labefactasset. Eam Constitutionem revocavit Basilius Porphyrogeneta, in eam refundens innumerabiles, quæ postea in Imperium exundaverant, calamitates. *Cum legem hanc præsentium malorum causam fuisse, & universalis hujus subversionis & confusionis, ut quæ ad injuriam & contumeliam non solùm Ecclesiarum, sed etiam Dei facta sit; maximè cum id reipsa expertum esset: Ex quo enim hæc lex observata, nihil boni penitus in hodiernum usque diem vita nostra occurrit. Sed contra nullum penitus calamitatis genus defuit. Vide & Juris Orien. Tom.1. p.113.*

Cum Emmanuel Comnenus Edicto promulgasset, quæ immobilia cuicumque ipse donasset, ea donari ne deinceps possent nisi Senatoribus, vel Militiæ ducibus: aliàs irritæ haberentur donationes; eam legem Alexis ejus filius revocavit. At cum idem Alexis Comnenus vasa sacra asportasset Ecclesiarum ad gravissimas Imperii necessitates levandas; quanquam serò, intellexit tamen postea, graviter à se peccatum esse, & exasperatam cœlitum iram: professus porro omnia restitutum iri, vetuit ne quid unquam ejusmodi successores tentarent, qua demum cumque tempestate Respublica jactaretur.

CAPUT XXXVIII. *P.3. l.3. c.7.*

De Donis annuis, quibus Episcopi & Abbates Reges prosequebantur, sub Imperio Caroli Magni.

I. Magnates omnes annua dona Regibus conferebant, ne exceptis quidem Abbatibus.

II. In minore Conventu annuo celebrabantur hæc dona.

III. Cœnobia pro suo quæque modulo dona, vel militiam suppeditabant. Pleraque utriusque immunia erant.

IV. An Episcopi prorsus omnes dona conferrent. Luminis aliquid ex Hincmaro.

V. VI. Nova ad idem lumina, novæ conjectiuncula.

VII. Dona extraordinaria in insolitis necessitatibus.

VIII. Quæ tenues erant Abbatiæ, erant & immunes.

I. ANnuis donis Regem venerabantur Magnates omnes laici & sacri, Concilium Vernum sub Rege Pipino, anno 755. vetuit ne eo obtentu Abbatissæ Cœnobiis digrederentur suis, concesso, ut dona Regia ad Palatium per Missos suos destinarent. *Et qualia munera ad Palatium dare voluerint, per Missos suos ea dirigant.* Can.6. His verbis, *& qualia munera dare voluerint*, insinuatur libera ea fuisse dona; non vi & necessitate expressa; certè liberum cuique fuisse, quanta essent.

II. In Comitiis, seu Conventibus Regni solemnibus offerebantur ea dona Principibus. Ita disertè Eginardus in Annalibus, ubi agit de duplici Conventu, quem uno & eodem anno habuit Ludovicus Pius; quorum in posteriore dona accepit. *Altero Conventu apud Compendium annualia dona suscepit*. Ita ille ad annum 817. At ad annum 829. rursus: *Ibi habito à generali Conventu oblata sibi annua dona suscepit*.

III. Cum Comitia Regni generalia convocasset idem Pius Imperator anno 817. apud Aquisgranum, Episcoporum, Abbatum, & Baronum consilio usus, diffiniit; Quæ Cœnobia ad sublevandas Regni necessitates tenerentur annua pendere dona, & militem suppeditare: quæ dona tantùm; reliquis neutro onere gravandis, sed preces pro Imperio, & Imperatoris gente ingeminaturis. *Constitutum scribere fecit, quæ Monasteria in Regno, vel Imperio suo dona & militiam facere possunt, quæ sola dona sine militia, quæ verò nec dona, nec militiam; sed solas orationes pro salute Imperatoris, vel filiorum ejus & stabilitate Imperii.* His subjungitur catalogus Abbatiarum Galliæ & Germaniæ, quarum quatuordecim tantùm militem & dona suppeditaturæ sint; sexdecim dona, non militem; quinquaginta quinque admodum utriusque oneris expertes. Tum Imperator scripto & sigillo statutum firmavit, & Monasteriis distribuit. *Hic prædictis Monasteriis Imperator statutum scribi fecit, atque manu sua firmavit, & annulo suo Imperiali sigillare fecit.*

Ex his non injuria odoraberis necessaria, non libera fuisse ea dona; sed & illud non nescies partem longè maximam Abbatiarum iis obnoxiam nequaquam fuisse. Quanquam possit quis conjicere paupertatis tantùm contemplatione eam immunitatem fuisse concessam. *Quæ Monasteria dona & militiam facere possunt.* In Concessione Ludovici Pii B. Anschario facta Archiepiscopo Hamburgensi, cum eum Monasterio Turholti donaret, Vassallos quidem Cœnobii militia absolvit, non donis autem annuis, quæ Regi offerenda erant. *Homines, qui ejusdem Cellæ Beneficia habere videntur, ab omni expeditione, vel militia, sive qualibet occupatione absolvimus. Dona verò, quæ ex eadem Cella nostris partibus dare solebant, & nobis quoque successoribusque nostris similiter dari volumus.* Bolland. Tom.1. Febr. pag.405. Ardo Monachus vitæ Scriptor B. Benedicti Abbatis Anianæ, impetrasse eum affirmat à Ludovico Pio levationem perquam ingentem Monasteriis iis, quæ militibus & donis Regi impensis exhausta prorsus esse videbantur. *Erant quædam ex eis munera militiamque exercentes; quapropter ad tantam devenerant paupertatem, ut alimenta vestimentaque deessent Monachis.*

IV. Perstitit & sub Carolo Calvo eadem annuorum donorum largitio in solemnibus Conventibus. Unde Annales Bertiniani ad annum 668. *Rex ad Pistas medio mense Augusto veniens, annua dona sua ibidem accepit.* In Concilio quoque ad Theodonisvillam anno 844. ubi tres fratres affuere, Lotharius, Ludovicus & Carolus, insinuata fuisse videntur ea dona, ubi jubentur Clerici omnes opis aliquid conferre ad Regni levationem, non precibus tantùm suis pro Regno, & pro Rege, sed donis etiam & auxiliis illis, quæ olim offerre consueverant eorum Majores. *Unusquisque vir Ecclesiasticus & intercessionis adjutorium, & solatii, quo Respublica indiget subsidium, juxta quantitatem rerum Ecclesiæ sibi commissæ, salvo jure quod exinde dispensationibus debet impendi, promptè & ex animo parare & impigrè, sicut tempore antecessorum vestrorum consueverat, studebit offerre.* Can.4.

Duo sunt, quibus caliginis aliquid adhuc hæret. An Episcopi etiam ad hæc annua dona tenerentur, & an pretium, vel modus eorum adhuc in cujusque voluntate & arbitrio positus esset. His dubiis afferet Hincmarus forsan aliquid lucis in Epistola Synodica ad Ludovicum Germaniæ Regem data, ubi summa libertate declarat, quæ sibi insideat animo sententia, de publico Regni regimine: Hortatur porro ille Ludovicum, sui ut dominii vineas, agros, prata, diligenter excoli curet, ut his proventibus sese, Aulamque suam sustentet, nec oneri esse cogatur Episcopis, Abbatibus & Comitibus, divertendo ex industria ad eorum diversoria, & vassallos Ecclesiæ variis operibus fatigando. Si donis annuis Episcopi etiam obligati fuissent, dolorem hinc suum & indignationem non dissimulasset Hincmarus. *Tom.2. p.138.*

V. Aliquantò validius ducetur argumentum ex Opusculo Hincmari *de Ordine Palatii*. Duos ibi annuos segregat ille Conventus, & priori interfuisse docet Magnates Regni omnes, tum Clericos, tum sæculares; at posteriori, ubi Rex annua accipiebat dona, non affuisse nisi Seniores & præcipuos Consiliarios. *In anno placita duo. Unum, in quo generalitas universorum Majorum, tam Clericorum, quàm Laicorum conveniebat. Cæterùm propter dona generaliter danda aliud placitum, cum Senioribus tantùm & præcipuis Consiliariis habebatur.* Tom.2. pag.211. Posset quis ambigere, an Seniorum hic nomine contineantur Episcopi. Sed à veri etiam specie abludit, ut Episcopi omnes suis ex Ecclesiis ad alterum hunc Conventum advolare cogerentur. Denique si ex tam numeroso Abbatum agmine triginta tantùm donis annuis ex lege tenebantur, ecquis sibi persuadeat Episcopatus omnes ei oneri obnoxios fuisse? Non Cœnobia tantùm, sed & Episcopales erant Ecclesiæ, quibus sua paupertas eandem excusationem, eandem præstaret immunitatem.

Regem tradit ibidem, pag.214. 209., Hincmarus vacasse accipiendis donis & salutandis Proceribus, dum in Conventu discuterentur negotia. *Interim dum hæc in Regis absentia agebantur, ipse Princeps reliquæ multitudini, in suscipiendis muneribus, salutandis Proceribus occupatus erat.* Legatorum undequaque adventantium dona suscipiebat Camerarius, & si quid ibi controversiæ emergeret, ad Reginam referebatur. *De donis verò diversarum Legationum ad Camerarium aspiciebat, nisi fortè jubente Rege, tale aliquid esset, quod Reginæ ad tractandum cum ipso congrueret.* Jam superiori capite confirmavit Hincmarus, his annuis donis satisfecisse Ecclesiam jussioni Pauli, ut honor & vectigal Regibus dependatur. *Causa suæ defensionis Regi ac Reipublicæ vectigalia, quæ nobiscum annua dona vocantur; præstat Ecclesia, servans quod jubet Apostolus; Cui honorem, honorem; cui vectigal, vectigal præstate Regi ac Defensoribus vestris.* Ibidem p.325.

VI. Nec desunt tamen quæ persuadeant ipsos quoque annua dona persolvisse Episcopos, peræquè ut Abbates, ac Comites. Ac primò quidem Chronicum Sancti Arnulphi, ad annum 833. *Conventum publicum Lotharius Calend. Octob. in Compen-*

pendio habuit. Ibique universi Episcopi, Abbates, Comites, & universus populus convenientes, dona annualia ei præsentaverunt, fidelitatemque promiserunt.

In Epistola rorsum sua, *Epist.21.*, Frotarius Tullensis Episcopus restatum facit, & dona se ad Palatium missitare solitum, & optimos quoque equos. *Nam ad horum itinerum incomoda, qua vel tunc egimus, vel acturi sumus, seu ad dona Regalia, qua ad Palatium dirigimur, penè quidquid ex optimis equis habemus, distribuere compulsi sumus. Pauci qui remaaent huc usque eqaabus progignendi causa iabeserunt.* In annuis donis fuisse & equos, utcumque ex Adone Viennensi colligi potest, ubi Pipinum Regem perhibet devictis Saxonibus tributum iodixisse equorum trecentorum ad annua dona. *In taatum ut dona annualia eis imposuerit per singulos aaaos Franciæ deferre trecentos equos. Du Chesne Tom.2. p.720.*

In Annalibus Bertinianis census, quem Regi Dux Britanniæ solvit, quioquaginta æquat argenti pondo. Ita enim ibi ad annum 864. *Carolus iu loca Pistis placitum habet, iu quo unnua dona, sed & censum de Britannia à Salomone Britannicorum Duce sibi directum, more prædecessorum suorum, quinquaginta scilicet libris argenti recipit.* Postremis his exemplis Clericos cootineri nemo facilè existimabit.

VII. Datis ad Ludovicum Sandionysianum Abbatem Epistolis 43. 76. 32. significat Lupus Ferrariensis Abbas, missa ad Regem à se dona esse, quæ postulasset. Nec inde tamen universim effecerts, ut donis modum pro libitu suo Rex poneret. *Debita dona, quę per vos Rex jussit, direxit: quę ut ei grata fiant, vestra benevolentia neu aspernabitur procurare.* Alia ex Epistola constat gemmas ab eo ad Regem missas. Sed inter has Epistolas illa eminet, qua testatur se vebementer commotum infortunio Regis, ad eum misisse quidquid donorum potuisset accumulare. *Regis nostri adversitati rendolens & ereptioni supra modum congaudens, instar illius Evangelicę viduę, quę duo minuta in gazophylacium misit, quidquid muneris conservi potui, per vos offerendum direxi.* Unde augurari datur, in improvisis Regni Regisque calamitatibus, nova etiam & inusitata quædam dona spoote ab Ecclesiis collata fuisse.

VIII. Id narrat Authnr vitæ Sancti Meinverci Episcopi Paterbonensis, de Abbatia quadam Germaniæ certatum diutiùs fuisse inter Imperatorem & Comitem; adjudicatam tamen illam tandem fuisse Imperatori. At ubi mox exploratum fuit, nec donis, nec militia quidquam ab ea opis Imperatori posse conferri: *Quia non facultatibus, nec ministerialibus Regno servitio esse potuit:* Episcopo tandem Paterbonensi concessam eam fuisse, qui B. Benedicti Regulam ibi curaret observari. *Surius die 5. Jun. c.42.*

CAPUT XXXIX. *P.3. l.3. c.8.*

De jure Metatûs sive Gistii in Episcopatibus & Cœnobiis sub Imperio Caroli Magni, & stirpis ejus.

I. Episcoporum & Abbatum hospitio exsipi Carolum Magnum, quanto illis & compendia fuit, & ornamento.

II. III. Extraneorum etiam Principum Legati eodem hospitio excipiendi erant.

IV. Census & catalogus conscriptus fuerat locorum ei oneri obnoxiorum, & expensarum in singulis faciendarum.

V. Erant & Metatus hujus Chartę, & Metatores.

VI. Eo non infrequenter jure abutebantur tum Magnates, tum Officiales.

VII. Suberant & Laici eidem oneri.

VIII. Abutebantur & Episcopi nonnunquam.

IX. Regem interpellant Episcopi, ne Episcopalibus ipso hospitante in ędibus, hospitentur & fœminę.

X. Orant ut dominio suo restaurando & patrimonio operam det, ne suo in Episcopatibus metatu res pauperum absumat.

XI. De Metatuum Pręfecto.

XII. A metatu Judicum & Officialium eximantur Ecclesia.

XIII. Simillimum veri est, à voluntaria hospitalitate initium duxisse jus Metatûs in Ecclesiis.

XIV. Quantę ad hoc expensę.

XV. Silentio & secessui Cœnobiorum minus conveniebat cum jure Metatûs.

XVI. Erant & in laude quandoque majores in divitum & Magnatum hospitia expensa.

XVII. An extra Gallias hęc disciplina locum aliquem habuerit.

I. AB humanitate primùm & spontanea hospitalitate profectum non iojuria videri possit jus metatûs, quod lapsu temporis non semel onerosum ac permolestum fuit. Et honori erat & voluptati Prælatis, cum ad eorum ędes divertebat Carolus Magnus, largitionum suarum munificentia cum fœnore compensaturus, quidquid expensarum fecisset. Narrat Sangallensis Monachus, quę Lectorem oblecteot, instruantque, non inutili morum ejus ęvi cogoitione. Declinabat sępiusculè Carolus Magnus ad ędes Episcopi itineri sibi frequentando apporrectas; ibique non magnificè tantùm excipiebatur, sed & summa munditie. Adgratulanti Principi salsè & acutè reposuit Episcopus: *Justum est, Domine, ut quocumque vos veneritis, omnia expurgentur usque ad fundum.* Non fefellit Carolum dicti lepor & acumen; unde & ipse joeans dixit, esse sibi & everrendi peritiam, esse & implendi; ac protinus feudo Regio oon procul posito Episcopum & Ecclesiam ejus donavit. *Ex ulite alia intelligens dixit ad eum, Si evacuare novi, & replere didici. Et adjecit, Habeas fiscum illum Episcopatui tuo proximum, & omnes successores tui usque in sæculum. L.1. c.15. 16. 17.* Frequens erat & alterius Episcopi hospes Carolus, quod iter illac crebrò emetiendum sibi esset. Huic cum improvisus aliquando advolasset, & quidem feria sexta, cumque piscium unde unde copia daretur nulla; nec vellet Prioceps carnium quidquam degustare; plurimo Episcopus caseo mensam instruxit. Extimam superficiem ejus cum abraderet Carolus, mira illum & suavissima simplicitate Episcopus submonuit, id lautissimum esse, quod rejiceret. Jussit tum Carolus, ut quotannis duos currus ad Aquisgranense Palatium mitteret his caseis onustos; at tertio demum anno Episcopum optima remuneratus est Carolus villa, ut hinc tritici & vini copia idooea Episcopali familiæ abuodè suppeteret.

II. Sed quanta Imperatoris & comitas enitebat & liberalitas in Episcopos, Abbates & Comites, penes quos hospitabatur; tanta & alacritas ab his desiderabatur. Si cessarent, curabat Carolus, ut mox ipsos oegligentiæ suæ pœniteret. Legatos Persarum idem ipse Scriptor perhibet, Carolo insinuasse, ab Episcopis, per quorum Ecclesias iter habuissent, hospitio se exclusos, nec oon & ab Abbatibus, ac Comitibus. Excanduit Carolus, gravemque Episcopis mulctam indixit. *Omnes Comites & Abbates, per quos iidem Missi profecti sunt, cunctis honoribus denudavit. Episcopos autem infinita*

gita pecunia mulctavit, vel damnavit. Ibid. c.13.

III. Hinc liquet eo hoſpitalitatis jure excipiendos fuiſſe, non Imperatores modò, & ejus Principes conſanguineos, ſed & Palatinos Officiales, atque Legatos, ultro citroque ab eo, & ad eum commeantes. Liquet rurſum, etſi antè ſpontaneæ ſuiſſet id humanitatis, vel charitatis forſan officium, tum fuiſſe certè neceſſitatis, qua nec Epiſcopi jam, nec Abbates abſolvi poſſent, nec Comites.

IV. Ex Capitularibus Ludovici Pii manifeſtum eſt, deſignata ab eo, & à Carolo fuiſſe loca, in quibus hoc metatûs jure potirentur; nec & ipſi tantùm, ſed & Legati; ut ante omnia pararentur, nec inopinatò unquam obruerentur, quibus id oneris incumbebat. *In illis verò locis, ubi modò via & manſionatici à genitore noſtro & à nobis per Capitulare ordinati ſunt, Miſſos ad hoc ſpecialiter conſtitutos, qui hoc jugiter provideant, habeant, ut omnia, quæ ad eaſdem Legationes ſuſcipiendas pertinent, fideles noſtri ad hoc conſtituti, ad tempus præparare ſtudeant.* Capit. leg.2. c.16. 16. Definierant hi Principes ſumptum ipſum, & equorum numerum Legatis peregrinis ſufficiendum. Ut ne Francorum gentis ſplendor & gloria eorum obſcuraretur parcimonia & ſordibus, qui eos excepiſſent. *De inhonoratione Regni & Regis, & mala fama in exteras Nationes diſperſa, propter negligentiam eorum, qui Legationes ad nos directas in ſuis manſionibus aut malè recipiunt, aut conſtitutam à nobis expenſam non tribuunt, aut paravereda dare nolunt.* Denique comminatur Princeps dignitatibus ſuis extruſum iri, qui iis ſe ipſi excluſerunt turpiſſimæ avaritiæ ſuæ infamia. *Qui noſtros honores habeat, &c. Nec noſtrum, nec Regni noſtri honorem ulterius volumus ut habeat, &c.*

His verbis innui illud videtur, Prælaturas in album fuiſſe relatas Imperii Dignitatum; cumque vel omnes, vel maxima ex parte extructæ, dotatæ, certè auctæ & locupletatæ fuerint Regum munificentia, par eſſe, ut & ipſæ conſpirent, conferantque ad gloriam Francici Imperii, maximè in hoſpitalitate fungenda, quæ Cleri amplitudini & ingenio accommodatiſſima eſt, eique tum canonicis, tum Apoſtolicis inſtitutis commendatiſſima.

V. Præmittebantur ab Imperatore Literæ & Miſſi, ut exciperentur exterarum gentium Legati, utque ad Regiam deducerentur. *Aut literas, aut Miſſum quandocumque viderint.* Et alibi: *Si quis literas noſtras deſpexerit, id eſt, tractoriam, quæ propter Miſſos recipiendos dirigitur, aut honores, quos habet, amittat, aut tandiu Legationes illuc venientes ſuſcipiat, quouſque animo noſtro ſatisfactum habeat.* Ibidem cap.16. & l.4. c.30.

Poſſent & hę Legationes ad Miſſos Dominicos traduci. Nam qui Miſſi, iidem & Legati dicebantur, ad circumluſtrandas Provincias. Miſſis quoque Dominicis *Tractorię* Principis dabantur, quibus deſignabatur, quæ illis ſpecies, quę alimenta ſuppetenda eſſent. Si oneroſum id erat quandoque Prælatis; erat & compendioſum, ubi Miſſorum Dominicorum obibant & ipſi munia. *Ut Miſſi noſtri, qui vel Epiſcopi, vel Abbates, vel Comites ſunt, &c. Accipiant ſecundùm quod in ſua tractoria continetur.* Capit. leg.4. c.69. 73.

VI. Metatûs jure non ſemel abutebantur Præſides & Officiales Imperatoris, ea ſe ſpe lactantes, eidem ſubeſſe & Eccleſias. Id à Carolo Magno emendatum eſt: *Pervenit ad aures noſtras, quod aliqui Duces & eorum Juniores, Caſtaldi, Vicarii per ſingula territoria habitantes, vel diſcurrentes, Manſionaticos & Paravereda accipiant, non ſolùm ſuper liberos homines, ſed etiam in Eccleſia Dei, Monaſteria ſcilicet virorum, puellarum, & Xenodochia, & ſuper reliquos ſervientes Eccleſiarum Dei, &c.* Conc. Gall. tom.2. pag.242. Capit. leg.3. c.210. Solus ergo Princeps, & quos Brevi illo ſuo inſtruxiſſet, jus hoſpitandi in Eccleſia & legitimæ procurationis naneiſcebantur:

VII. Sed cum admoneat nos hoc Capitulare, Laicos ipſos eidem metatûs juri fuiſſe obnoxios; Concilii Remenſis II. Patres eundem anno 813. interpellarunt Imperatorem, ut exertè Laicis præciperet officio fungi in eos, qui ad Regni commoda huc illucque commeabant. Delegabantur enim & Clerici frequenter à Principe; & qui hoſpitio tam multos antè exceperant, tum excipiebantur & ipſi. *Ut in ſua eleemoſyna firmiter ſtatuat Imperator, ne quilibet in ſuum pergentibus ſervitium ullatenus prohibere audeat manſionem, neque aliis quibus neceſſitas incumbit.* Can.42.

VIII. Nec Laici ſoli; ſed & Præſules quandoque ultra æqui limites evehebantur, cum metatûs prætextu rapinas & vim neſariam exercebant in Parochos. Cum enim Epiſcopis ex officio incumberet, ut Imperatorem itineri ſe dantem exciperent, ut rurſum patet ex Epiſtola Ledradi Archiepiſcopi Lugdunenſis ad Carolum Magnum, quem certiorem facit, extructam à ſe eſſe domum & duplicatam, qua eum excipiat: *Alteram quoque domum cum Solario ædificavi, & duplicavi, & hanc propter vos paravi, ut ſi in illis partibus veſter eſſet adventus, in ea ſuſcipi poſſetis.* Hinc captabant anſas Epiſcopi, ut Parochos oneribus & penſionibus gravarent, aut amicos ſuos ab illis excipi, & procurari juberent. Id enim verò prohibebatur in Formula documentorum, quibus eos Metropolitanus in ipſa conſecratione inſtruebat. *Ne Manſionaticos ſuis amicis, aut ſuis hominibus à Presbyteris parare faciat. Nec etiam quaſi ad receptionem Regis, vel Legationum, aut ad ornatus Eccleſiæ ſuæ faciendos, adjutoria quaſi petendo, magis autem exigendo, denarios, aut caballos, aut verres, ſeu Friskingas, aut ad iter aliquod paraveredos, aut alia qualibet accipiat, id eſt, rapiat.* Conc. Gall. Tom.2. p.606.

IX. Ea erant Hincmari Remenſis Archiepiſcopi documenta, ad Epiſcopos ſuæ Provinciæ ſub Carolo Calvo, quem Concilii Meldenſis Patres anno 845. ea, quæ Regem deceret veneratione, ea, quæ Epiſcopos addeceret conſtantia, obteſtati ſunt: ut ubi in Epiſcoporum ædibus hoſpitaretur, eas revereretur, ut ædes Deo ſacras; ne illuc fœminas pertraheret, quas & ipſam Clericorum domum ſubire neſas eſt: denique Regum ſaltem & Imperatorum, Majorum videlicet ſuorum Edictis & Legibus obſequeretur, qui diuturniori Principum hoſpitio Epiſcoporum ædes ſubduxerunt. *Suggerendum eſt, & ex divino mandato intimandum Regiæ dignitati, ut Epiſcopium venerabiliter ac reverenter introeat & ſecundùm ſanctam prædeceſſorum ſuorum conſuetudinem, quando orationis & debitæ ſuſceptionis gratia, in tranſitu convenienti civitatem ingreſſus fuerit, habitaculis Epiſcopalibus reverenter inhabitet, & non diverſoria feminarum, magnificentia ſua & religio venerabilis ibidem fieri permittat. Quin ſi ſecundùm Leges Canonicas in manſione Clericorum introitus fœminarum prohibentur, quantò magis domus Epiſcopi ab hujuſmodi inhabitatione, & converſatione, etiam & à legitimo connubio conjugatorum debet immunis eſſe & aliena? Sed & immunitates præcedentium Imperatorum & Regum ab hujuſmodi longiori & diuturna converſatione & commoratione Regum & quorumcumque potentium ac ſæcularium perſonarum in Epiſcopio prohibent. Quapropter & divinitus & humanitus ſancitas divinas & humanas Leges veſtra devotio & dignitas obſervare curabit, ſi & in cæleſti regno & in terreno feliciter cupitis proſperari.* Can.26. Ita magno & forti animo Prǽſules Regem commonuerunt, divinis ut humaniſque Legibus pareret, hoc eſt, Legibus Canonicis, & Conſtitutionibus Imperato-

rum, quæ fœminis aditum intereludebant ædiium Episcopalium; quæ in iis congredi non finebant conjugatos; quæ denique summos Principes bortabantur, ne diutins unquam in illis commorarentur.

X. Illud rursum patet ex hoc Canone, diversatos quandoque in Episcopalibus ædibus fuisse Imperatores religiosę secessionis, & *orationis gratia*. Simile veri est, eam laudem Carolo Magno, & Ludovico pio adscribendam; nam Carolus Calvus Inei saltem aliquantulum dederat huic Concilii Meldensis admonitioni. Dederat & consilio, quo Concilii Carisiaci Præsules Ludovicum Germaniæ Regem adhortati sunt, ut patrimonii sui latifundia diligentissimè excoli juberet; ne sæpius posthae excurreret ad ædes Episcoporum, neu diutius in iis diversaretur, vel apud Abbates, Abbatissas, Comites, quo non possint non & ipsi gravari, & Clerici pauperes complusculi. Quin ex patrimonii potius sui divite penu spargeret, quæ ad Regiæ suæ, quæ ad Legatorum procurationes necessaria essent; denique ut in pauperes ipsos effunderet opulentiæ Regiæ rivulos, quando Regiæ celsitudinis ea laus est amplissima. Sic ergo ejus Concilii Patres anno 848. *Laborent & excolant vineas, faciant nutrimenta, &c. Quatenus non sit vobis necesse per quascumque occasiones circuire loca Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum & Comitum, & majores, quàm ratio postulat, paratas exquirere, & pauperes Ecclesiasticos, & fidelium vestrorum mansuarios in carrirentaris & paraveredis contra debitum exigendis gravare, &c. Quin potius habeatis unde sufficienter & honestè cum domestica carta vestra possitis vivere, & Legationes palatium vestrum adenates recipere, & sicut scriptum est. Unde possitis necessitatem patientibus tribuere. Quia Rex & largus debet esse, & non quod largitur, de injustitia, vel iniquitate debet conquirere.* Can. 14.

Inculcavit & Hincmarus hoc Canon in iis Commonitionibus, quibus Ludovicum Balbum Caroli Calvi filium instructum voluit, ad Regni regimen religiosè auspicandum: *Et ut Ecclesia in isto regno per occasionabiles circadas, & per indebitas consuetudinarias exactiones, qua tempore Pipini, Caroli, & Ludovici non fuerunt, ante annos viginti impositas non graventur.* Tom. 2. p. 182.

XI. Meminit & alibi Hincmarus Mansionarii, inter Officiales Regię domus. Hujus erat muneris, eos commonere, penes quos Rex hospitaturus esset. *Inter quos & Mansionarius intererat, super cujus ministerium incumbebat, ut susceptores prascire potuissent, quo tempore ad eos illo, vel illo loco Rex venturus esset, propter mansionum praparationem.* Ibidem. p. 209.

XII. Molestiores erant Cœnobiis, aliisque Ecclesiis Judices & Officiales Regii, quàm Reges ipsi. Unde & aliqua Cœnobia Carolus Calvus hoc privilegio communivit, ut ne quis Judex, vel Judiciariæ potestatis Minister in iis paratas, mansionaticum, metatum, vel hospitii quodcumque jus sibi vindicaret. Unum enim idemque sonant voces illę omnes. *Nullus Judex publicus, vel quilibet ex Judiciaria potestate, seu aliquis ex fidelibus regni nostri vel successorum nostrorum, paraveredum, aut pastum, vel mansionaticum, aut aliquam indebitam exactionem ab eis vel successoribus eorum exigat, neque ea Ecclesias aut possessiones Monasterii, aut mansiones, aut paratas facere, &c.* Spicileg. Tom. 8. pag. 351. 352. 356. Carolomannus Caroli Calvi nepos idem privilegii annuit pluribus Cœnobiis aliis; vetitis suis Ministris & Officialibus omnibus, ne ibi hospitarentur, vel in eorum Ecclesiis, prędiorumque villis. *Mansiones, aut Paratas facere.* Plura hujusmodi concessere & posteriores Reges. Nec recedit à vero ejusmodi aliquid priscos concessisse Reges; cum author sit Flodoardus, *L. 2. c. 11.*, B. Rigobertum Remensem Archiepiscopum, sedulò prohibuisse, ne Judices & Magistratus, metatum, vel onera quęvis alia exigerent ex agris & villis Ecclesię suę, per omnes Gallias sparsis; vendicata illis strenuissimè ea immunitate, quam Reges indulsissent. *Ut sub integra immunitate omni tempore possent manere. Sic quoque ut nullus Judex publicus in ipsas terras auderet ingredi, aut mansiones intrando faceret, aut quelibet judicia, vel xenia ibidem exigere ullatenus prasumeret.*

Solemniacensi Monasterio paulo effusius annuerat Privilegium Marinus Papa, anno 885. quo ne Episcopis quidem, vel Comitibus fas erat, ut vel in iis diversarentur, vel quidquam juris exigerent. *Statutum etiam ut nullus Episcoporum, seu Comitum Mansionaticam ibi, vel Paratas, vel stationes requirere seu exigere pręsumat.* Conc. Gall. tom. 3. pag. 521. His certè privilegiis excludi Reges non poterant, qui præterquam quod Cœnobiorum complurium ipsi fundamenta jecere, ea saltem ipsi restaurarunt, tuiti sunt, beneficientia sua & olim cumulavere, & plerumque rursus aspergunt, quoties ad ea accedunt.

XIII. Sed nec illud nos prætervolabit, quod ab eodem Pontifice subiicitur, Monachos ita exoneratos, liberalius in fideles omnes hospitalitatem explicaturus. *Sed liceat servis Dei sine aliqua inquietudine Deo servire, & hospitalitatis benevolentiam, prout eis libuerit, cunctis fidelibus impenderr.* Ibidem. Hinc edocemur potissimam hujus Mansionatici juris originem repetendam esse ab antiquissima hospitalitate, in Apostolicis Epistolis, in Synodicis Constitutionibus tam enixè commendata, tam religiosè à fidelibus per plures olim sæculorum orbes frequentata. Cujus rei & hæc aliunde probatio suppetit, ex Capitulari Carolomanni Regis, filii Ludovici Balbi. A' Rege Parochis præcipitur, ut Parochianos incitent ad peregrinos tecto excipiendos. *Placuit nobis, ut Presbyteri suos Parochianos admoneant, ut & ipsi hospitales existant; & nulli iter facienti mansionem denegent.* Capit. Carol. Calv. p. 471.

Observa hic autem *Mansionem* tantùm attingi, ut hospites tecto excipiantur, non alimenta, quæ testimoniis suprapositis *Parata* dicebantur. Quin ex adverso præcipitur, ut ne quid Parochiani carius vendant hospitibus, quàm loci incolis; alioqui querelas suas deponant hospites in aures Parochi, cujus erit operam dare, ut ea jactura sarciatur. Procurabant ergo seipsos hospites, quibus aliquid rei erat: at tecto gratis excipi necesse erat, quòd rarissima tunc essent publica diversoria.

XIV. Sed cum ea in Optimates hospitalitas deflexisset in servilem nescio quam necessitatem, cumque jus illud *Gisti*, seu Metatus, utrumque complecteretur, tectum & procurationem, sive ut tum loquebantur, *Mansionem* & *Paratas*; quantæ demum cumque essent Episcopalium Ecclesiarum, & Cœnobiorum opes, his illæ excipiendorum Magnatum sumptibus, exauriebantur: & exarescebant pauperibus, quæ divitibus redundabant. Hinc captata occasio Solemniacensis Privilegii de quo supra.

Quantum autem sumptuum fieret in Magnatibus excipiendis, docebit nos Luitprandus in enarrandis Viti Italiæ Regis gestis. Regno ille Francico inhiabat, & cum ad Mediomatricum civitatem adventaret, Mansionarium, sive Vicedominum præmisit suum. Epulum adornabat Metensis Episcopus, Regiæ, quàm Episcopali dignitati propius, & Gallorum ingenio in luxum propenso accomodatius, quàm sacris iis Legibus, quibus usus patrimonii pauperum temperatur. Vicedominus Episcopum convenit, & tertia tantùm horum sum

ptuum

ptuum parte contentum fore Regem spopondit, dummodo equum sibi dono daret. Aspernatus est Episcopus Regem nullo magnificentiæ Regiæ sensu vigentem, & id tandem perfecit, ut in Regnum Odo Vito præferretur. *Metensis Episcopus dum cibaria et multa secundùm Francorum consuetudinem ministraret, &c. Non decet super nos talem regnare Regem, qui decem dragmis vile sibi obsonium præparat, &c. L.2.c.6.* Hinc facilè intelligis, quantum opum in excipiendis Optimatibus effunderetur.

XV. Erant autem & justiores Cœnobiis, quàm cæteris Ecclesiis causæ, ut Metatuum & Gistii tumultibus eximerentur, mirum in modum suo secessui, silentioque infestis. Ea ratio delibata fuit in Privilegio Solemniacensi, sicut & in illo Abbatiæ Sancti Cornelii apud Compendium, à Carolo Calvo concesso. *Similiter etiam totius silentii & quietudinis canonica ibi morem observandum, & ut à nullo exteriori hospite violetur, confirmamus; &c. Et de mansionibus, &c. Spicil. tom.10. p.559. 640.* Non absimili Privilegio idem Carolus ornavit & Sancti Juliani Brivatensis Cœnobium, quod rursus postea confirmatum est à Regibus Ludovico VII. & IX. *Decernimus, ut in suprascripto Monasterio nullus Regius, aut Episcopalis, aut Abbatialis, aut Comitalis homo mansiones sine fratrum consensu accipere præsumat; vel in villis, &c. Nullus judex Mansionaticos, sive paratus accipere præsumat.* Unde liquet sub Regibus tertiæ Francorum Dynastiæ perdiu adhuc locum fuisse eidem Metatûs iuri. Idem genus exempla in Germania ex vita Sancti Meinverei Paterbonensis Episcopi facilè eruentur. *Surius die 5. Jun. c.214.*

XVI. Erant tamen, fueruntque semper imitatores effusissimæ sanctissimæque largitatis Gregorii Magni, magnificentiam pene Regiam æmulantis. Celebratissimus ille Corbiensis Abbas Adelardus communi & usitata non contentus hospitalitate, ita constituebat, piam inter Episcopos & Proceres incendendam esse æmulationem, certamenque honestissimum, utri plura ultro citroque largirentur; non profana opum ostentatione, nec sacrilega Christi patrimonii prodigalitate; sed religiosissima Christi imitatione, qui dives in omnes est; qui opes in universos prorsus sine fine & sine modo fundit; qui amicitias & charitatem constringit hac donorum & beneficiorum vicissitudine; qui denique ex ipsa cœlesti sede sua exemplis & factis suis vociferatur, Beatius esse dare, quàm accipere. *Porro Regi & divitibus, nostrorum nullus tam largus erat. Idcirco ut in omnibus Deus largitor omnium glorificaretur; Beatius inquam multoties judicans dare, quàm accipere. Surius die 2. Januar. c.38.* Nec secus aut sentiebat, aut animatus erat B. Uldaricus Augustanus Episcopus, cum hunc illucque pergentes Imperatoria Ministros tam prolixè ac perhumaniter exciperet: *Vassallis Imperatoris ab eo pergentes, vel ad eum redeuntes summo honore suscepit, & in tantum sunt opulentati, ut in nullo eos, aut jumenta eorum ulla indigentia fatigaret, acceptisque secum stipendiis itineris eorum necessariis, læti ab eo redirent. Surius die 4. Julii c.3.*

Exarescunt opes, ubi eas effundit secularis ostentatio, non ubi charitas Episcopalis. Superabat ergo his Episcopis, Abbatibusque, quo pauperes solarentur, etsi in divites omnia viderentur ejecisse. Alioqui aliæ inissent consilia, seque conformassent suprà laudatis Meldensis Concilii Episcopis, qui luctuosis suis temporibus, cum vix egenorum necessitatibus consulere possent, confidentius Regibus significarunt, & ornamento sibi, & voluptati semper fore Regum in Episcopalibus suis ædibus commorationem, quandiu facultas hinc non adimeretur pauperibus succurendi.

XVII. Non facilè in aliis extra Gallias Regnis reperire est, eandem Gistii & Mansionatici disciplinam, quia nec facilè alibi invenias tam arctam intimamque conjunctionem Sacerdotii & Regni, quanta in Galliis effulsit sub Imperio Caroli Magni, & augustissimæ ejus prosapiæ. Horum sanè Regum largitas & Imperatorum, tanta Ecclesiæ adjecit latifundia, feuda, Ducatus, Comitatus, Principatus. Quanquam enim tunc nec perpetui, nec hæreditarii essent hi honores, honorumque tituli; sed perpetua & hæreditaria fuere opima & amplissima prædia, quæ illi larga manu dedere, & quibus affixi postea sunt illi honorum tituli & dignitatum. Pro uno metatu Feuda nobilia vidimus dari. Omnium Cœnobiorum inopia ex eorum fisco recreabatur. Ad eos ipsa recurrebant Concilia, ut ad Provisores omnium Ecclesiarum; quibus ita demum constabat Ecclesiasticæ integritas disciplinæ, si temporalibus non anxiarentur & avocarentur necessitatibus. Cessabit ergo illa jam admiratio, qui proprium & peculiare Gallis fuerit hoc jus mansionatici.

Ex Græca historia unum illud addam turpissimè factum Græci Imperatoris, quo Gallicæ gentis & Ecclesiæ gloria amplius illustretur. Omnium flagitiorum colluvies Nicephorus Imperator exercituum suorum ducibus præcipiebat, ut Episcoporum Abbatumque ædibus & rebus licenter vescerentur & abuterentur; teste Cedreno. *Pag.389. Duces quoque exercituum jussit Episcopis & Clericis mancipiorum loco uti; pro sua authoritate in ædibus Episcopalibus & Monasteriis divertere, eorumque rebus pro arbitrio abuti.*

CAPUT XL. *P.3. l.3. c.9.*

De Militia, sub Imperio Caroli Magni, & ejus stirpis.

I. Romani Pontificis & Cleri Gallicani monitis obsecundans Carolus Magnus, Episcopos Clericosque alios militia absolvit, castrisque dimisit, paucissimis exceptis ad Sacramentorum administrationem.

II. Observantur aliqua in hanc legem, in Episcopos, & in Clericos alios, qui apud Exercitus retenti sunt.

III Nihilominus Ecclesiis onus incubuit sufficienda Regi militia.

IV. Non omnes Abbatiæ ei subierunt oneri.

V. Subierunt omnes Episcopi, & Regiæ convocationis litera ad Metropolitanum perferebantur.

VI. Nec multò post Episcopi rursus castris & exercitui affuere, & eò copias ipsi suas singuli ductavere. Probationes sub Carolo Calvo. Quantum bine damnorum emerserit.

VII. Militem ab Ecclesia subministrari, ad ejus & Regni defensionem, Pontificibus, Conciliisque probatum est. Princeps ejus instituti non fuit Carolus Martellus.

VIII. Perhumaniter Reges cum Episcopis agebant.

IX. Novis argumentis evincitur, Episcopos Exercitibus affuisse.

X. Rationes & cautiones Hincmari circa Militiam, quam per beneficiarios laicos Ecclesia fungebat.

XI. Quando possent hi Beneficiarii exauthorari.

XII. Complures Episcopi venium exorabant, ne exercitibus ipsi adesse tenerentur.

XIII. Explicatur Epistola Joannis VIII. Papæ.

XIV. Respondetur ad exempla priorum aliquot Episcoporum.

XV. Mores Episcoporum Italiæ.

XVI. Quantum obsint nimiæ opes.

I. Jam

I. JAM Clerici & Episcopi arma induebant, & cum militum suorum cuneis Regiis exercitibus accedebant in omnibus propemodum Occidentalibus Provinciis; cum Carolus Magnus Sedis Apostolicæ obsecundans monitis, & precibus Episcoporum suorum, pristina sua retractavit consilia, usumque damnavit insolentissimum, statuitque ut deinceps duo, tresve, non plures essent in exercitu Episcopi, cum Presbyteris aliquot ad spiritales necessitates, & ad Sacramentorum administrationem. *Apostolica Sedis hortatu, omniumque fidelium nostrorum, & maximè Episcoporum ac reliquorum Sacerdotum consultu, &c. Nosmetipsos corrigentes, posteisque nostris exemplum dantes, volumus ut nullus Sacerdos in hostem pergat, nisi duo vel tres tantùm Episcopi, electione cęterorum, propter benedictionem & prędicationem, populique reconciliationem; & cum illis electi Sacerdotes, qui bene sciant populis pœnitentias dare, Missas celebrare, de infirmis curam habere, sacratique olei cum sacris precibus unctionem impendere, & hoc maximè providere, ne sine Viatico quis de seculo recedat. An.*800. *Conc. Gall. Tom.*2. *p.*235. 232. *Cap. L.*7. *c.*91. 103.

II. Non pauca hîc sunt quæ momenti plurimum habeant. 1. Episcopi ad Exercitus profecturi à cæteris eligebantur; aut ut ne ampliores Diœceses Pastoribus orbarentur: aut ut ne iidem semper eas partes obirent, & vel ipsi vana sæculi pompa ioanescerent, vel eædem Ecclesiæ diutius viduarentur. 2. Curæ erat in primis, ut nec in exercitu vivis quisquam excederet, nisi tribus his antè munitus Sacramentis, Pœnitentia, Extrema-Unctione, & Eucharistia. 3. Id oneris quoque Clericis his incumbebat, ut Sacrarum Reliquiarum pignora ad exercitum & in castra vectarent, tanquam inexpugnabile cœlestis militiæ præsidium, illis demum affuturæ, qui pro religione & pietate certarent. *Ad Sanctorum patrocinia portanda.* 4. Presbyteri quoque, seu Castrenses Eleemosynarii ab Episcopis deligebantur, & mittebantur ii quidem, qui & doctrina essent, & pietate spectata. *Quam formam & de Sacerdotibus tenere optamus; id est, ut nec illi in hostem, nisi bene docti, & ipsi electione atque promissione propriorum Episcoporum, qui tamen tales sint, de quorum scientia & vita ac conversatione omnes securi esse possimus. Capit. leg.*6. *c.*285. 5. Nec Episcopis fas erat his, nec Presbyteris vel arma corripere, vel manus conserere; tum quòd ab eorum sanctissima professione immaniter id abhorreret, tum etiam quòd Europæ gentes hactenus omnes, quæ armis & manibus pluſquam precibus Cleri tribuissent & sacrificiis, afflictæ & prostratæ fuissent. *Hi verò nec arma ferant, nec ad pugnam pergant, nec effusores sanguinum, vel agitatores fiant; sed orationibus insistant, ut &c. Gentes enim & Reges earum, quę Sacerdotes secum pugnare permiserunt, nec prævalebant in bello, nec victores extiterunt; quia non erat differentia inter Laicos & Sacerdotes, quibus pugnare non est licitum. Hæc verò Galliarum, Spaniarum, Longobardorum, nonnullasque alias gentes & Reges earum fecisse cognovimus, qui propter prędictum nefandissimum scelus, nec victores extiterunt, nec patriam retinuerunt.* 6. Cumque hinc vecordes & malè feriati homines obloquerentur, Clericorum manibus arma excuti, ut & Cleri honor ac potestas infringeretur, atque ita demum agri & prædia Ecclesiæ invaderentur, ex adverso testificatus est Carolus Magnus, tantò chariores sibi fore Clericos, & commendatiora eorum commoda, quantò ipsi Canonum observantiores forent. *Quantò quis eorum amplius suam normam servaverit, & Deo servierit, tantò eum plus honorare & cariorem habere volumus.* Quoad agros autem Ecclesiæ, à Laicis eos jam non passus est obtineri, ni libera Episcoporum & spontanea concessione.

III. At postquam arma gestare & prælio congredi prohibiti fuere Clerici, eadem illos voluit Carolus lege teneri, armatos militum globos Regiis exercitibus suppeditandi. *Reliqui verò qui ad Ecclesias suas remanent, suos homines benè armatos nobiscum, aut cum quibus jusserimus dirigant, & ipsi pro nobis & cuncto exercitu nostro Missas, Litanias, oblationes, eleemosynas faciant. Capit. leg.*7. *c.*103. Spectabat id quidem ad Episcopos, Abbates & Abbatissas, quibus alibi interdicitur, ne arma aliis quibuscumque, quàm vassallis suis donent, aut vendant: si verò abundè instructis vassallis supersit armorum aliquid, jubentur Principem certiorem facere. *Si plures habuerint brunias, quàm ad homines Rectoris ejusdem Ecclesię sufficiant, tunc Principem idem Rector Ecclesię interroget, quid de his fieri pręcipiat. L.* 3. *c.*75.

IV. Nec omnibus tamen Abbatiis id oneris erat impositum, ut copias militares ad exercitus Regios missitarent. In Conventu Aquisgranensi Ludovicus Pius, convocatis Episcopis, Abbatibus & Proceribus, defixit numerum Cœnobiorum, à quibus & annua dona & copias militares suppeditari necesse esset, ut suprà jam diximus. Quatuordecim tantùm fuere in Gallia & Germania, quæ militem subministrare juberentur. Suis Sirmundus Conciliis hanc Abbatiarum distributionem intexuit. Episcopi certè hac necessitate nulli nobis quidem videntur absoluti fuisse. Quin nec multò post ipsosmet ominamur eum copiis suis ad Regias expeditiones profectos esse. Agobardum Lugdunensem Archiepiscopum author est Ado Viennensis in exercitu apud Santones diem suum obiisse. *Agobardus apud Santones in expeditione Regia positus defungitur. Conc. Gall. tom.*2. *pag.*685.

V. Ex Epistola Archiepiscopi Trevirensis ad Frotarium Tullensem Episcopum, non hæc duo tantùm dilucidè colliguntur, & omnes Episcopos, & paucissimos Abbates ei legi obnoxios fuisse militis suppeditandi ad castra Regia: sed & illud nobis hic non prætereundum, literas Imperatoris ad Archiepiscopum, vel ad Missum Dominicum mitti solitas, ut ditionis suæ Episcopos admoneret, juberetque ab illis admoneri Abbates & Abbatissas, hac lege devinctos, ut loco & die certo turmas militum instructas adesse curarent. *Notum sit tibi, quia terribile imperium ad nos pervenit domni Imperatoris, ut omnibus notum faceremus, qui in nostra Legatione manere videntur, quatenus universi se pręparent, qualiter proficisci valeant ad bellum in Italiam, quoniam insidiante Satana Bernardus Rex disponit rebellare ei. Propterea tibi mandamus atque pręcipimus de verbo domni Imperatoris, ut studeas cum summa festinatione omnibus Abbatibus, Abbatissis, Comitibus, Vassis Dominicis, vel cuncto populo Parochia tua, quibus convenit militiam Regia potestati exhibere, quatenus omnes praparati sint, ut proficiscantur in partes Italia. Du Chesn. Tom.*2. *pag.*721.

VI. Quòd autem rursum Episcopi copias ipsi suas ad Regia castra deducere cœpissent, manifestissimè id declarat Concilium Vernum II. ann. 844. sub Carolo Calvo. Statuitur enim ut Episcopi, qui militem suum ad expeditiones Regias non ductabunt ipsi, seu gravi distineantur ægritudine, seu veniam Rex fecerit, deligant aliquem ex Regiis Præfectis, cui turmas suas deducendas committant. *Quoniam quosdam Episcoporum ab expeditionis labore corporis defendit imbecillitas, aliis autem vestra indulgentia cunctis optabilem largitur quietem, pracavendum est utrisque, ne per eorum absentiam res mili-*

militaris dispendium patiatur. Itaque si vestra consentit sublimitas, homines suos Republica profuturos, cuilibet fidelium vestrorum, quem sibi utilem judicaverint, committant, &c. Can. 8.

Mirum quantum hæc Constitutio distat ab illa superiori Caroli Magni, quæ non quibusdam Episcopis remittebat eam necessitatem deducendarum suarum turmarum, sed omnes omnino castris interdicebat, secundùm Canones, edicebatque, ut in suis potiùs Ecclesiis residerent, precibusque suis & hostiis certarent, atque communes expugnarent justitiæ & Regni hostes. Sed nec illud effugerat Carolum Magnum, quantis ærumnis & cladibus implicandum foret, sive Caroli Calvi, sive cujuscumque, Regnum, quòd Clericorum non sacrificia & preces ac religiones, sed arma & pugnæ defensarent. Concilio Verno II. excusationis aliquid forsan & patrocinii accersi potest, ex necessitate cedendi voluntati Regis, apud quem tamen non dissimulabat optatissimum omnibus Episcopis futurum fuisse, ut eadem omnes imunitate impertirentur. *Aliis vestra indulgentia tractis optabilem largitur quietem.* Viderint alii, an eam Episcopis inflictam necessitatem satis excusare illud posset, quod eodem Canone insinuatur: Per Episcoporum scilicet absentiam copias eorum dilabi solitas; nimirum ubi monentur Episcopi eum deligere, ad copiarum suarum regimen, qui eas in officio continere maximè possit. *Quem sibi utilem judicaverint, committant, cujus diligentia, ne se ab officio subtrahere valeant, observetur.*

In Concilio Meldensi anno 845. statutum fuerat, ut Episcopi, qui hoc minùs possent officio in Rempublicam fungi, ex Vassallis suis aliquem sibi subrogarent, de consilio Archiepiscopi sui, dum is Vassallus à spe succedendi in Episcopalem Cathedram alienus esset. *Obsequium verò ad Rempublicam pertinens qualiter exequatur, per tales ex subditis & Ecclesiasticis ministris, cum consensu Archiepiscopi, propter pacis charitatisque custodiam, Episcopus ordinet ac disponat, quos succedendi in Episcopatu appetitus indebitus non elevet.* Can. 47.

VII. Sed quod hoc Capite molimur militiam illustrare, & militum turmam ab Episcopo quolibet Regibus sufficiendam: præstantissimè in eo versati sunt Concilii Carisiaci Præsules, scripta decantatissima illa nobis ad Ludovicum Germaniæ Regem Epistola. Hincmarus enim Remensis Archiepiscopus ejus Concilii Præses, duarum ibi congregatarum Provinciarum nomine affirmavit, Ecclesiæ hinc opes incredibilem in modum exaggeratas fuisse, hinc illi ingruentium infidelium persecutiones; unde consilium illa tandem inierit, opum suarum partem aliquam effundere ad augendam Regi militiam, ita demum præsidio sibi futuram, pacis & tranquillitatis publicæ vindicem. *Ideo constituerunt Apostolorum successores hoc ordinari, ut quia creverunt fidelium vota, & increverunt infidelium mala, augeretur per dispensationem Ecclesiasticam regni militia ad resistendam malorum nequitiam, quatenus ipsa Ecclesia defensionem haberent & pacem, & Christianitas obtineret tranquillitatem. Ann.* 858. *Can.* 7.

Mox verò ibidem refertur illa Eucherio Aurelianensi Episcopo objecta visio, de luctuosa Caroli Martelli damnatione, ob occupatos ab eo primùm fundos Ecclesiæ, quam labem resartam fuisse testantur à Pipino in Concilio Liptinensi, ubi quæ in potestate erant Ecclesiæ restituit; reliqua retinuit assensu Episcoporum & præcario. Hæc Præsules Ludovico intonabant, ad invadendum germani regnum advolanti, ut edocerent, quàm execrando & infando facinore Reges prædia usurpent Ecclesiæ, quæ suos ipsa fundos ex parte dicavit alendæ militiæ, ad suam & regni communem defensionem, & cujus ipsimet Principes, sicut & rerum ejus omnium profitentur tuitionem. *Quapropter sicut & illæ res ac facultates, de quibus vivunt Clerici, ita & illa sub consecratione immunitatis sunt, de quibus debent militare vassalli, & pari tuitione à regia potestate in Ecclesiarum usibus debent muniri. Ibidem.*

Hinc illud certè emicat, nec Hincmaro, nec cæteris hujus Concilii Antistibus persuasum fuisse, vel Carolum Martellum, vel Pipinum authores ejus primùm militiæ fuisse, quam Ecclesia aleret; sed ipsos Episcopos ejus instituti principes & duces præivisse, ad Ecclesiarum, ad rerum Cleri, ad sacri patrimonii, ad Clericorum tutelam. Nec ab hac sententia deviabat vel Carolus Magnus, vel ille Episcoporum sub eo Conventus, de quo paolò antè verba fecimus, cum redintegrandæ Canonum in his disciplinæ studentes, Episcopos quidem, cæterosque Clericos militia & castris ablegarent; firmarent autem priorem, sive legem, sive consuetudinem suggerendæ Regiis Castris militiæ. Si hoc illis fixum animo præceptumque fuisset, clades regnorum ex rerum Cleri, æquè ut ex Clericorum profanatione in militiam sæcularem proficisci, utrique malo pari cura & studio medicati essent. Denique in Leonem ipsum III. Papam conferri non injuria posse videtur eadem, atque Hincmari sententia; cum ejus præceptionibus & monitis obtemperans Carolus Magnus hæc omnia in eum modum constituerit: hac quoque militia, ut mea fert opinio, Ecclesias exoneraturus, si & id Leo flagitasset.

VIII. Sed quantumvis diuturna & antiqua consuetudine cogerentur Episcopi militem Regibus alere & adjicere, ad Regni, quo & Ecclesia continetur, incolumitatem: humanissimè tamen Rex & mira quadam suavitate eas eliciebat ab Episcopis copias, ubi necessitas instaret. Testimonio ipsius uti fas est Caroli Calvi Regis, in ipsius accusatione adversùs Vvenilonem Archiepiscopum Senonensem, in Concilio Tullensi ad Saponarias: *Cum contra inimicos meos, ac vastatores Ecclesiæ & depopulatores Regni, cum fidelibus Dei ac nostris porrexi, nec per ipsum, nec per debitum solatium, quod antecessores mei Reges & ego ipse ex Ecclesia illi commissa habere solitus eram, aliquid adjutorii præbuit; præsertim cum hoc devotè ab illo petierim.* Expressiùs adhuc autem in Epistola Synodica ejus Concilii ad Vvenilonem ipsum: *Quod si consueta Ecclesiam vestra privaveritis militia, quam supplex ipse à vobis proposcerat. Ann.* 859. *Conc. Gall. Tom.* 2. *pag.* 143. 145.

IX. Cum expostulet hic Rex, quod Vvenilo Archiepiscopus nihil sibi in expeditione militari opis contulerit, nec *per seipsum*, nec per copias Ecclesiæ militum: rursum declarat in more usitatiori positum fuisse, ut Episcopi per seipsos militum & Beneficiariorum suorum turmas ad Regia castra deducerent. Accipe & aliud rei ejusdem documentum ex Epistola Nicolai I. Papæ ad Carolum & Ludovicum Reges. *Quod subintulisti dicendo, Majorem partem Episcoporum omnium die noctuque cum aliis fidelibus tuis, contra Piratas maritimos invigilare, ob idque Episcopi impediantur venire. Epist.* 25. Ea vel erat, vel prætexebatur causa, ne finerentur Episcopi ad Concilium pergere Romanum, quo Gallos & Germanos Præsules convocarat Nicolaus. Rescripsere ad Pontificem Reges, *majorem partem Episcoporum*, in exercitu cum Regibus præsto esse. Doluit vehementissimè Pontifici, quod in castris versarentur Episcopi, quorum arma spiritalia sunt, quorum adversarii dæmones & scelerumque sectatores; at sumptu Ecclesiæ cogi aliquem militem in ipsiusmet defensionem non molestè tulit. *Cum militum Christi sit Christo servire; militum*

tam verò sæculi sæculo. Quod si sæculi milites sæculari militiæ student, quid ad Episcopos & milites Christi, nisi ut vacent orationi?

Nec dissimulat Hincmarus, *Tom. 1. pag. 3.*, semetipsum cum cæteris Episcopis in exercitu tunc fuisse, ad excubias adversùs Normannos agendas: *Quando in excubiis contra Normannorum infestationem degebamus.* Et in responsione ad superiorem Nicolai Papæ Epistolam: *Cum domno nostro Rege, in hoste ex omni regno suo collecta, contra Brittones & Normannos illis conjunctos, sicut & cæteri Consacerdotes nostri secundùm regionum nostrarum gravem consuetudinem, cum suis vadunt; quàm longè infirmitate attritus potero, cum hominibus commissæ mihi Ecclesiæ perrecturus. Tom. 2. pag. 299.* Videtur illi quidem hanc esse *gravem consuetudinem*, non ait iniquam propriam quidem & peculiarem profitetur esse Imperii Francici: *Regionum nostrarum gravem consuetudinem.* Sed in ea, quam postea dedit ad Adrianum II. Epistola, Episcopos vehementer commendat Gallicanos, qui temporibus & necessitatibus obsequantur: atque ita Regem Provincias peragrantem excipiant & procurent Episcopalibus in ædibus suis, & certo illi numero militem sufficiant: propterea nimirum, quod terrenas res possideat Ecclesia iis Legibus, quas terreni Reges ad Reipublicæ salutem promulgant: *Regio cultu eo recepto, de Ecclesiasticis facultatibus sicut præcepit, & quando præcepit, illi & sibi obsequentibus servio; ut quietè secundùm quod instat tempus, cum mihi commissis degere possim. Dicit enim hanc potestatem suos decessores habuisse, quam ipse nullius interdictione dimittet, &c. Si per jura Regum possidebant possessiones, non possunt ut Regi de Ecclesiasticis possessionibus obsequium non exhibeant, sicut antecessores mei suis antecessoribus exhibuerunt. Tom. 2. pag. 698. 699. 762.* Et rursus alibi inter alia & alia Episcoporum munia, illud in præteritis non reliquit, quod necessitate astruit, propugnandæ Ecclesiæ, & reddendi Cæsari, quod Cæsaris est. *Militiam ad defensionem Sanctæ Ecclesiæ, secundùm possibilitatis quantitatem, juxta antiquam consuetudinem Regiæ dispositioni exhibere, & secundùm Domini jussionem, quæ Cæsaris sunt, Cæsari, & Deo, quæ Dei sunt reddere.*

X. His tribus veluti fundamentis astruit Hincmarus Episcoporum in hujusmodi rebus consilia & rationes. 1. Altissimas cùm ea jam consuetudo radices egisset, Regique certum esset nihil remittere, serviendum erat necessitati; vel quod charitas, quod prudentia non sinebat, abjicienda Ecclesiarum cura. Qui Regni, ii & Ecclesiæ hostes sunt, in quam statim redundant Urbium & Provinciarum clades. Æquitati igitur præ cæteris consentaneum est, sumptu Ecclesiæ, res Ecclesiæ tegi ac defendi adversùs regni & Ecclesiæ infestationes. 3. Cum Christus reddi Cæsari sanxerit, quæ sunt Cæsaris, jam non vacat minutias consectari disputationum & rixarum, de finibus juris austerioris & accommodati temporibus: sed religiosa & simpliciori Incarnatæ Veritatis Christi imitatione, reddenda sunt Cæsari antiquissima hæc jura, quæ consuetudo invexit, quæ confirmavit necessitas, quibus Christi exemplo & verbis consecratio quædam accessit, sive stricto, sive humaniori tunc juri morem geramus.

His suam Hincmarus sententiam muniebat rationibus, cui & alia alibi idem ipse præsidia accersivit. 1. Præ cæteris omnibus impendendos esse Ecclesiæ proventus in alendos pauperes, hospites, Clericos. 2. Tum residua posse in militiam effundi, cui & addicuntur prædia quædam in Beneficium data, vel in feudum Vassallis Ecclesiæ, pro ejus tutela stipendia facturis. 3. Atqui his etiam beneficiis, seu prædiis in milites collatis suo fungitur Ecclesia officio in Principes, & quæ sunt Cæsaris, Cæsari reddit. *Porro Episcopus dispositis, quæ sunt Ecclesiæ ac suis, Ecclesiasticorum nihilominus & pauperum hospitùmque subsidiis, cum de rebus Ecclesiæ propter militiam beneficium donat, talibus dare debet, qui idonei sunt reddere Cæsari, quæ sunt Cæsaris, &c. Ad defensionem generaliter Sanctæ Dei Ecclesiæ, sed & specialiter ipsius Ecclesiæ, &c. Ibidem pag. 324.* Ubi & hoc addit Hincmarus, si quo præcipiti consilio, vel animi levitate Episcopus Beneficiarios hos laicos feudo Ecclesiastico suo spoliatum iret, aut eodem beneficio fraudaret filios ei defungendo non impares, ingravescente patris ætate, vel eo etiam extincto; posse hos apud vicinores Episcopos conqueri, tumque præteritis Civilibus Judicibus, Reges ipsos appellare.

XI. Hi nimirum Beneficiarii, & Vassalli Ecclesiæ, laudatis suprà testimoniis dicebantur *Fideles Dei, Homines Ecclesiæ:* segregati ab iis, qui *Fideles Regis, Homines Regii* appellitabantur. Percensentur alicubi ab Hincmaro Laudunensi Episcopo causæ justissimæ, quibus moveri poterat Episcopus, ut gradu moveret, ejiceretque, ac exueret quempiam ex his Beneficiariis laicis: Si Beneficii sui Ecclesiam collabi ac ruinam facere sineret, aut ædes: si ad Episcopum non perduceret eo numero milites, de quo convenerat: Si Placito, vel Conventui Juridico Episcopi non adesset, quo rusticorum querimoniis faceret satis. *Nec ad ulla Placita de consideratione meorum necessitatum, ad quæ mei alii homines venerant, ipse venerat, justitiam de suis, qui de illo reclamabant, hominibus villanis reddere unquam voluerit. Et nunc cum omnes banniti fuissent in Regem, & ipse cum aliis meis venissem hominibus, neque venerit, neque missum transmiserit, &c. Ibidem Pag. 146. 160. 651.*

XII. Mandato Regio jubebatur quandoque Hincmarus Remensis, jussusque parebat, ut Episcopos & Comites ad Exercitum convocaret, ita perhibente Flodoardo. *L. 3. c. 18. 26. Hincmaro Rex idem non solùm de rebus Ecclesiasticis, sed & de populo in hostem convocando, ut ipse hoc ageret, mandare solebat: & ipse excepto Regis mandato tam Episcopos, quàm Comites convocare solitus erat.* Non facilè quanquam doctissimus Præsul, Episcoporum in Exercitu præsentiæ ita patrocinari potuisset, sicut Ecclesiæ expensis in militem, qui communes & Cleri & Regni hostes aut amoliretur, aut contereret. Alibi certè narrat idem Flodoardus, eundem Hincmarum residentiæ Episcopalis tunc retinentiorem, ad Comitem Theodoricum misisse Catalogum militum, quem ad Regium destinabat exercitum, & dona, seu pecuniam Regi repræsentandam, tum adversùs Paganos bellum gerenti. *Theodorico Comiti mittens nomina suorum in expeditionem, Regisque servitium properantium. Item pro muneribus argenti, quod Regi moranti ad Dei servitium in terra per paganos deserta mittebat.* In ejus erat, erat & in aliorum Episcoporum potestate similiter Castris semper abesse, armis abstinere. At utcumque probabile sit hos tum Episcopos manus cum hoste non conseruisse; constat tamen eorum successores non interfuisse tantùm castris; sed & aciei & prælio. Non tacet Flodoardus insignia eorum facinora, & fortiter gesta ad Regni & Ecclesiæ salutem. Fuit & cum unus Remensis Archiepiscopus mille & quingentos milites Regio exercitui adjecit. Sed proclive & expeditum erat summi Numinis Providentiæ, pro Ecclesiæ & Regni incolumitate excubanti, per alios easdem explicare victorias. *L. 4. c. 14. 15. 56. Et in Annal. an. 940. 944. 958.*

Franconi Cenomanensi Episcopo veniam fecit Carolus Rex, ut ne per seipsum copias ad castra deduceret, sed per unum ex proximis, quem ea

de causa donavit parte aliqua agrorum Abbatiæ Sancti Carilephi, eo extincto Abbatiæ restituendorum. *Carolus Franconi Episcopo concessit, ut hostes & itinera nulla faceret, sed Adalgisus suus propinquus omnia regalia servitia faceret pro eo, & per licentiam Franconis aliquam partem Abbatiæ Sancti Carilephi teneret, &c. Baluz. Miscell. tom. 3. p. 129.* 834. Aldrico Cenomanensi (S. Calais) Episcopo Ludovicus Pius ejusdem rei copiam fecit, ut ad idem munus subrogaret sibi Oeconomum: aut si nullum in Ecclesiæ gremio idoneum haberet, aliquem ex sæcularibus. *Oeconomum, qui nostra servitia faceret, &c. vel quemcumque de nostris fidelibus, tam intra, quàm extra palatium. Ibidem.* Porro sanctissimè Imperatori affirmaverat Aldricus, si repulsam pateretur, cogereturque toties rursum Ecclesia sua abesse, certissimum sibi esse, abire Episcopatu. *Asserebat, quod si aliter ad peragendum suum ministerium otium à nobis impetrare non posset, magis vellet honores sibi collatos dimittere, quàm Clerum & populum sibi commissum negligere, & propterea, quod absit, in perditionem incidere.*

In Epistolis Lupi Ferrariensis Abbatis, ipsum perspicimus persæpè ea à Rege exolvi necessitate deducendæ turmæ militaris suæ, & sistendi se exercitui: tumque copias ejus proficisci solitas *cum Comite pagi*, has quandoque Regem toto biennio retinuisse, suo ipsarum sumptu merentes, diuturnis autem his castrametationibus, & Ecclesias, & Abbatias, & Vassallos usque adeo exhaustos fuisse; ut induciæ necessariò concedendæ essent, per quas & respirare, & vires, copiasque reficere daretur; denique peculiares Abbatibus fuisse causas, ut ne per seipsos castra & exercitum adirent. *Ego, ut nostis, hostem ferire ac vitare non didici: nec verò cætera pedestris ac equestris militiæ officia exequi. Nec Rex noster solis bellatoribus indiget. Epist. 21. 24. 25. 32. 78.* Ea utique ratione tot Cœnobia immunitatem consecuta sunt militiæ. Abbatia Sanctæ Columbæ in Diœcesi Senonensi à Ludovico Pio ejusmodi libertatem impetravit: *Ut absque regali, aut publico servitio, vel qualibet Abbatis dono, aut exactione, &c.* Eodem privilegio muniri curaverat nonnullas ex suis Ecclesiis Tilpinus Archiepiscopus Remensis. *Concessa, remissaque ipsis omni, quam debeant exactione militiæ. Append. Baluz. ad Lupum. pag. 506. Spicil. tom. 2. pag. 582. Flodoard. L. 2. c. 17.*

XIII. Urgebat quidem Joannes VIII. *Epist. 184. 185. 244.* Episcopos Gallicanos, ipsimet ut militum copias deducerent ad Ecclesiæ Romanæ defensionem; spemque ostendebat plenissimæ indulgentiæ iis, qui defensionem Ecclesiæ sanguine suo consignarent. Sed quod ad præsentiam attinet Episcoporum, zeli sui æstu abripiebatur forsan Joannes, & bona ejus venia fas erit nobis adhærere potius Leoni III. & Nicolao I. qui diversam rationem supra consectari visi sunt.

XIV. Nec nos etiam præterit B. Udalricum Augustanum Episcopum, aliosque eminentissimæ sanctitatis Præsules, agmina sua ad exercitum Regium duxisse ipsosmet. *Surius die 4. Jul. c. 10. 12. 13.* Sed præterquam quod hi Episcopi armis nunquam cingebantur, nedum acie pugnarent: quia eorum similes videantur, quos Carolus Magnus in Exercitu retinebat pauciffimos, qui regimini animarum præessent, & administrationi Sacramentorum. 2. Sed nec illud abhorret à vero, sanctissimos nonnunquam viros potuisse tantisper ab orbite recta deflectere, & à Canonicarum Regularum observantia accurata, sive per incogitantiam, sive torrente abreptos consuetudinis, sive ut nescio quo charitatis blandimento accomodarent se Principis voluntati, ex quo uberiores postea fructus sperarent ad Ecclesiæ dignitatem & salutem redituros. 3. Si Hincmarus ingemiscebat gravi huic consuetudini, & Apostolicis præceptionibus adversariæ, quibus attemperare se debent Episcopi: quid nobis augurandum, quæso, est de B. Udalrico, & aliis Præsulibus, quorum memoria Fastis Ecclesiæ consecrata est? De illis existimandum est, non ex iis, quibus indolescebant, sed quæ in votis habebant. 4. Est etiam simillimum veri frequenter eos veniam Principis exorasse, ut tutò abesse possent, quod de Hincmaro & Lupo diximus. Æmulatores etiam aliquos habebat beatus Udalricus, qui Adalberonem nepotem subrogari sibi evicit ad hæc officia, & ductandi agminis militaris, & frequentandæ Aulæ. *Concessum est Udalrico avunculo, ut Adalbero ejus vice itinera hostilia cum militia Episcopali in voluntatem Imperatoris perageret; & in Curte Imperatoris ejus vice assiduitate servitii moraretur; ea videlicet causa, ut præfato Præsule, Dei servitio & custodia gregis commendati & utilitatibus Ecclesiæ & orationibus, secundùm suum desiderium, immorari licuisset. Flodoard. L. 3. c. 18.* Per Laicos his se fungi solitum officiis testificatur Hincmarus: *Curam villarum, & dispositionis domus, regaliumque servitiorum & hospitum, per fidelissimos laicos tractabat.* Franco Leodiensis Episcopus sera, sed seria certè pœnitentia ductus est, quòd partes tandiu sustinuisset non Episcopi, sed Ducis. Itaque veniam ab Apostolica Sede exoravit, non ut retineret, sed ut exueret Episcopatum. *Spicil. Tom. 6. pag. 57.*

XV. Italiæ Ecclesiæ & Provinciæ non tam arctè coaluerant cum Imperio Francorum, quàm Galliæ & Germaniæ; hinc nec istæ quidem militares Cleri servitutes æquè illis inhæserant. Narrat Ratherius Episcopus Veronensis, jussos ab Imperatore Episcopos suæ Provinciæ, Clericosque cæteros, ut Castrum aliquod obsiderent; excusasse ipsos militiæ sacræ & sæcularis discrepantiam & conflictationem: quanquam stupenda aliàs morum corruptela & perversitate, satis proderent, non religionis se charitate, sed otii ac quietis ignavia tergiversari. *Nam & ego ipse quondam cum Imperiali præcepto urgeremur, Gardam obsidere castrum, & Episcopi ac Clerici istius Provinciæ, non quidem religionis amore, sed laboris obtenderent odio, fas hoc ordinis minimè fore; petulanti ut sæpè respondi sermone: Ut non permittant Canones Clerico pugnare, sic nec stuprare. Spicileg. Tom. 2. p. 170.*

XVI. Aptissimè claudet hoc Caput Adelardus Abbas Corbejensis sanctissimus, qui paupertatis amorem alumnis suis instillabat, duplicis illius exaggeratione periculi, quo eos opulentia implicuerat. Primò quòd abdicatis sæculi ludibriis & pompis tumultuosis, in eandem relapsi essent voraginem, curis, litibus, anxietatibus innumeris, ad harum opum defensionem devorandis. *Dicebat, quod multi, non solùm Rectores Ecclesiarum, sed etiam ipsi ibidem Deo degentes, qui sæculo renuntiasse videntur, ob id decepti essent, quòd rebus nimis abundarent, in tantum ut sæculo servire denuo cogerentur, qui mortui mundo esse debuerunt. Quid, inquit, prodesse poterit, rebus propriis futuros expoliari hæredes, & rursus eos mancipari negotiis sæcularibus? Surius die 2. Januar. c. 44.* Secundò, quòd dona Regia & militares cuneos jam suppeditare cogerentur ad tutelam Regni, cui satis consultum esse posse non videretur, nisi aliquid suppetiarum ferrent ingentia illa prædia, fisco Ecclesiæ attributa. *Constat igitur nos in præsenti tempore, ideo Reipublicæ deservire, quia ipsa nostris attenuata cupiditatibus, eo se subsistere non posse manifestè confitetur. Et ideirco nos infideles, qui liberi in Christo esse debuimus, facti sumus turpissimæ servitutis etiam inviti servi, &c. Neque enim à nobis exigitur, quod necessaria tantùm retinemus; sed quia superflua, ut ab ipsis dicitur,*

pos-

possidemus, & unde miseri lati esse in possessione cupimus, unde angustamur in omni opere bono. Tenuiora certè Cœnobia superiùs diximus his oneribus absoluta fuisse.

CAPUT XLI. *P.4. l.3. c.22.*

De Immunitatibus Clericorum & bonorum Ecclesiæ in Anglia post annum Christi millesimum.

I. Immunitates Ecclesiæ Anglicanæ ante Vuillelmum Nothum, & eo regnante, Vuillelmus Ruffus ejus filius illas deterere incepit.

II. Moderatam ei pecuniam obtulit B. Anselmus ad regni defensionem, recusavit amiam, restititque insolitis in Ecclesias exactionibus.

III. Magnanimitas duorum Præsulum aliorum.

IV. De exactionibus novis pecunia ad bellum sacrum Palestinæ. De Decimis Saladinis. Petrus Blesensis in eas destomachatur, zelo suo ultra metas abreptus.

V. Episcopi, Pontifices, Concilia has Decimas exigunt, assentientibus vehementer Regibus.

VI. Ejusdem modi concessiones impetrunt Reges à Pontificibus, & à Clero ad Regni necessitates.

VII. Exigebant & Pontifices in Ecclesia suos usus, Plura in has exactiones adnotata.

VIII. Ad Regum & Pontificum usus exactiones alia. Quibus se Clerus rationibus adversùs eas muniret.

IX. Pontifex & Clerus hinc & hinc Regem interpellant, ut fas sit, ut nefas sit exigere. Concilium generale Lugdunense Decimas exigi decernit ad Terræ-sanctæ subsidium.

X. Clero ulternis à Pontifice ad Regem, à Rege ad Pontificem confugiente, illi quandoque conspirant ad Ecclesiæ & Regis necessitatem, nec sine ingentibus expensis defensionem.

XI. Ad bella sacra pecuniae à Clero conferri, jus fasque erat. Præsules Angliæ rerum Ecclesiæ suæ temporalium tenaciores, & illiberaliores. Sacra expeditiones S. Ludovici nostra huic rationi & sententiæ suffragantur.

XII. Rursus Pontificum & Regum exactiones, Monachorum querela, Historicorum Philippica, usque ad Eduardum I. Regem. Quantulum eis fidei adhibendum sit.

XIII. Recusanti pecuniam Clero tuitionem vitissim recusat Eduardus, & ita cogit plura referre, quàm expetierat. Parlamenta sub eo in hodiernam formam provecta.

XIV. Exactiones in Clerum sub Eduardo II. & III.

XV. Longè calamitosissima deinceps Ecclesiæ Anglicanæ facies, ubi Vicleffus virus evomuit suum, & in Clerum plebi seditiosa faces subjecit.

XVI. Compulsus est denique Clerus assentiri donis gratuitis, sed ordinariis; & eo authoramento libertates suas firmare, licentiam potissimum in statos Conventus coeundi.

I. EDuardi Angliæ Regis Leges Ecclesiasticæ, Vuillemi Nothi Regis cura compilatæ, nonnullis postea etiam auctæ additamentis: ita statuebant, ex certa agri quantitate certam etiam pecuniæ summam collatum iri, ad Piratas propulsandos; porro Clericorum agros immunes fore, quòd in eorum precibus plus præsidii sit, quàm in armis. *De hoc danegeldo libera & quieta erat omnis Ecclesia, & etiam omnis terra, quæ in propria Dominio Ecclesiæ erat, ubicumque jacebat, nihil prorsus in hac tali redditione persolvens; quia magis in Ecclesiæ confidebant orationibus, quàm in armorum defensionibus. Cap.11.* Additur ibidem Ecclesiam Anglicanam ea immunitate usam esse usque ad Regnum Vuillelmi Ruffi, cui census concessus quatuor argenti numismatum in singulas terræ mensuras, nulla exceptione agrorum Ecclesiæ, cum Normannia recuperanda esset ex potestate Roberti fratris ad bellum sacrum in Palæstinam tunc profecti. Ea spe lactabantur Ecclesiæ, profligato eo bello, suam sibi libertatem restitutum iri, sed attrita semel immunitas resarciri postea nunquam potuit. *Hanc igitur tenuit Anglorum Ecclesia libertatem, usque ad tempora Vuillelmi Regis Junioris, qui Rufus vocabatur: donec eodem à Baronibus Angliæ auxilium requirente ad Normanniam retinendam de Roberto fratre suo Jerusalem proficiscente, concessum est ei, non legi statutum tamen, neque firmatum, sed hac necessitatis causa ex unaquaque hida sibi dari quatuor solidos, Ecclesia non excepta. Dum verò collectio census fieret, proclamabat Sancta Ecclesia, suam reposcens libertatem: sed nihil profecit.* Ita levissimis initiis orta lues latissimè postea serpit. Qui Vuillelmi Anglorum debellatoris gesta mandavit literis, hac illum etiam laude exornat, procul eum fuisse ab eorum moribus Principum præposteris, quibus & rapere & effundere voluptati est: quique has diruunt, vel expilant, ut aliis ditent extruantque Ecclesias. Ipsum ex adverso si quid ab Ecclesiis accepisset, multo cum fœnore restituisse; *Potentes nonnunquam sanctis iniquè largiuntur. Spoliant Ecclesias & rapinis ipsis alias ditant. Rex verò Guillelmus nunquam nisi bonitate sincerum sibi famam comparans, donavit verè sua. Abundantes Ecclesia transmarina aliqua ei libentes, quæ in Galliam transferret, dederunt, quoniam ea multiplo redemit rebus aliis. Du Chesne Scriptor hist. Norm. p.212.*

II. Primus ergo atterendarum Anglicanæ Ecclesiæ immunitatum author fuit Vuillelmus Ruffus. Ei in Normanniam trajicere meditanti, & ingenti pecunia egenti, narrat B. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, non mediocrem à se summam amicorum persuasione ultro oblatam fuisse; Rege verò eam ut minorem recusante, & majorem deposcente, suæ se excusasse Ecclesiæ tum paupertatem. Gratulatus est sibi sanctissimus Præsul, & de ultra oblata Regi pecunia, ne quid obloqui aut conqueri posset: & de eadem recusata, ne quid videretur pecuniæ numerasse pro dono Archiepiscopatûs. *Paulò post Rex noster iturus in Normanniam, multa pecunia indiguit. Antequam à me quidquam peteret, consilio amicorum promisi illi pecuniam non parvam: novit Deus qua intentione spernit quasi modicam, ut plus darem, sed nolui. Gratias Deo, qui miserante simplicitatem cordis mei hoc factum est, ne si nihil, aut parum promisissem, justam videretur habere causam irascendi; aut si accepisset, verteretur mihi in gravamen & in suspicionem nefanda emptionis. L.3. Ep.24.* Si preces & postulata Regis prævertit Anselmus, si sponte sua *promisit pecuniam non parvam*, quid de cæteris ominabimur Angliæ Clericis & Episcopis? Neminem enim præterit, quàm inexorabilis & indeflexa Anselmi esset constantia in observandis Canonicis institutis & in tuendis Ecclesiæ libertatibus. *Eadmer. hist. nov. L.1. & 2.* Non injura ergo hinc exprimemus, posse intactis Ecclesiasticis immunitatibus, conferri aliquid à Clericis & Episcopis, quo Principis & Regni necessitates insolitæ releventur. At ubi immoderata Rex flagitavit dona, constanter recusavit Anselmus. Postea verò cum Henricus I. Vuillelmo Ruffo successisset, & mulctas pecuniarias extorqueret à Presbyteris, qui minùs morigeri erant decretis Conci-

cilii ab ipsomet Anselmo habiti: literas ad eum dedit Anselmus multa observantia, charitate, querelis refertas, quod jus invaderet Episcoporum proprium, atque ita pecuniis præter leges Ecclesiæ exigendis cælestis iræ vindictam provocaret. *Quod hactenus inauditum & inusitatum est in Ecclesia Dei de ullo Rege & de aliquo Principe. Non enim pertinet secundùm legem Dei hujusmodi culpam vindicare, nisi ad singulos Episcopos per suas Parochias: & si Episcopi negligentes fuerint, ad Archiepiscopum & Primatem. Timere debetis, quia pecunia taliter accepta, ut taceam quantum noceat animæ, non tantùm adjuvabit terrena negotia, cum expendetur, quantum postea perturbabit.* L.3. Ep.109. Triplex ergo Anselmus specimen edidit, & moderationis animi & constantiæ suæ, dum & egenti Principi pecunias ultro offert, dum ultra modum exigenti reluctatur, dum novis & iniquis exactionibus intercedit.

III. Nec dissimilis fuit, nec multùm dissimili in causa Radulphi fortitudo Episcopi. Cum enim Henricus idem Rex gravibus exactionibus Presbyteros fatigaret, interdicto Diœcesin suam subjecit Radulphus, sacram psalmodiam conticescere jussit, occludi fores Ecclesiæ, & vepribus sepiri. Illi primùm, ut inconsideratiùs agenti irasci & obtrectare Rex; cum exactiones tamen revocasset; mox Præsulem admirari, exosculari, cumulare beneficiis. Usque adeo magno sunt plerumque & excelso animo Reges, & abstersis tandem nescio quibus nubeculis, ubi se ibi reddidere, ubi se audiunt, non admirari non possunt virtutes splendidiores, etiam sibi tum adversantes. Audiendus hic qui hæc narrat Vuillelmus Malmesburiensis. L.2. de gest. Pont. Angl. pag. 257. *Veruntamen religio & animositas viri magnam sibi apud Regiam animum laudem paravit; ut ipsi omnia remitteret, subinde dictitans pauperum esse Episcopatum, Ecclesiam esse absumptam, non debere tribatie expilari, sed oblationibus augeri. Ita constanti innocentia hominem spectabilem fecit, ut Rex, qui aliis auferret, ipsi libens & summissus daret.* Cum denique fortuito incendio consumpta fuisset Radulphi Ecclesia, donis maximè regiis instaurata fuit. *Denique Ecclesiam suam, quam à novo fecerat, cum fortuitas ignis pessum dedisset, liberalitate potissimum Regis brevi refecit.*

His meritò accedet Hugo Lincolniensis Episcopus, ille libertatum Ecclesiæ vindex invictissimus, qui Regi Richardo mille marcas argenti appendit, ut Ecclesiam suam eximeret dono annuo Regibus persolvi solito, quod quale fuerit, declarat Rogerius. Pag.758. *Hugo dedit Richardo Regi Angliæ mille marcas argenti pro libertate Ecclesiæ Lincolniensis redimenda. Rex verò ex consuetudine Regum Anglorum prædecessorum suorum petiit ab Episcopo Lincolniensi singulis annis unum mantellum furratum de sabellinis, & pro hujus mantelli quieta clamantia in perpetuum ab ipso Rege & heredibus suis prædictus Episcopus Lincolniensis dedit Regi præfatam pecuniam, & recepit à Rege cartam suam de quieta clamantia.* Facilè conjicies ei juri obnoxios fuisse cæteros Angliæ Episcopos omnes. Alioqui ad id nec solvendum, nec redimendum animum adjecisset Hugo. Nec à verisimili dissidet, gratuita primùm & libera fuisse ea dona; quæ ut solet, postea patrona & vindice consuetudine, necessaria evaserint.

IV. Sed quæ tum Decimæ indici cœperunt mobilibus bonis Cleri & populi, ad nostrarum in Palæstina nuper partarum urbium & Provinciarum defensionem, quanquam liberæ erogationis nomine primò invaluissent, postea tamen exigi & extorqueri imperiosiùs cœpere. Tum verò excandescere & bacchari etiam cœpere non pauci immunitatum Cleri defensores. Non paucæ hinc in fiscum Regum deflectebantur; quin vel in sacra Palæstinæ bella de rebus Cleri decidi, aut corradi quidquam, impatientissimè ferebant asperiores aliqui Cleri immunitatum patroni. In his Matthæus Paris ad annum 1188. *Eodem tempore decima pars mobilium generalis concessa per Angliam, ut collecta ad subventionem Terræ Sanctæ impenderetur, tam Clerum, quàm populum exactione violenta perterruit, quæ sub eleemosynæ titulo vitium rapacitatis inclusit.* Displicebat & Petro Blesensi, Archidiacono Bathensi in Anglia, quòd ad Palæstinas expeditiones à Clero Gallicano pecuniam Rex exigeret. Vehementes ab eo in eam rem datæ sunt Epistolæ ad Episcopum Aurelianensem, quò ipsum, & per ipsum reliquos Galliæ Episcopos concitaret, ut ei usui intercederent. Quid enim perversius, quàm ad Ecclesiarum defensionem Ecclesias alias deprædari? aras vestire & ornare non manubiis hostium, sed spoliis Sacerdotum? Christo justitiæ totius fonti offerre injustitiæ fructum? *Quæ ratio est, ut qui pro Ecclesia pugnant, Ecclesiam spolient, quam inimicorum spoliis & donis triumphalibus amplare debuerant? Putantne insipientes & miseri, quod Christus qui summa justitia est, velit sibi de injuriis & sacrilegio exhiberi sacrificium, aut sustineat commissa ex his spolia prosperari?* Epist.112. Spolia pauperum & Ecclesiarum non videbantur viro docto & pio auspicatos exitus habere posse. Bellum sacrum nuperum conjiciebat ea ipsa de causa tam infeliciter cecidisse. Denique non posse Principes ab Episcopis & Altarium Ministris, vel sibi polliceri, vel exigere, nisi sacra, & preces & hostias. *Nunquam pauperum, nunquam Ecclesiæ spolia prosperum habuerunt eventus auspicium. Ideo in ultima peregrinatione effusa est contemptio super Principes, & errare fecit eos in invio & non in via. Fuerant contritio & infœlicitas in viis eorum, &c. Quid aliud à Pontificibus, vel à Clero potest, vel debet Princeps exigere, quàm ut incessanter fiat oratio ab Ecclesia ad Deum pro eo.* Rursus Episcopo Carnotensi faces admovere studuit Petrus, ut ad Philippum Regem Franciæ accederet, eumque ab his decimis dehortaretur, ne ea deinceps servitus perpetuari posset. *Sic paulatim transibit decimatio in consuetudinem, & præsumpta semel abusio ignominiosam Ecclesiæ servitutem induxet.* Ep.20.

Poterat & modus non teneri in exigendis decimis, sed extra æqui verique lineas evagabatur Blesensis, cum eas omnino damnabat. Tot Pontifices, tot Reges religionis amore inflammati, & Ecclesiæ charitate, tot denique Sanctissimi Episcopi, idonei, ut reor, fidejussores erunt, authoresque approbandi hujus instituti. Prospiciebat forsan Blesensis, quantæ in his in futurum corruptelæ, quantæ futuræ essent Principum rapinæ. Satis ab eo innuitur, necdum ejus ævo has decimas in Anglia exigi cœpisse. Cœperant utique, cum Matthæus Paris ea scriberet, quæ ex eo suprà attulimus. Primæ enimvero hæ decimæ id genus Clero infligi cœpere, & populo. Consilium id iniere primum anno 1188. Philippus Augustus Franciæ Rex, & Henricus II. Angliæ in Normannia inter Gisortium & Triam. Aderant Episcopi & Barones utriusque Regni. Sævissimum anathema ejaculati sunt Præsules in eos, qui de his quidpiam decimis suffurarentur. Eas primus Anglus Gallicanis suis ex Provinciis expressit: tum in Angliam revectus, in solemni Episcoporum & Baronum Conventu curavit decerni earum solutionem. Rogerius & Rigordus prolixius de his scripsere, & Blesensis sententiam everterunt tot Præsulum consensione. Saladinas has ait Rigordus dictas fuisse decimas, quòd adversùs Saladinum, de-

decantatissimum gentis Sarracenicæ in Palæstina Principem bellum adornaretur. *Baron. ann.1188. numer.4. 7. 8.*

V. Harum ergo indicendarum ad bella sacra decimarum duces & authores fuere Reges ipsi & Episcopi Regni. Unde Rigordus ad annum 1168. *Dispositum est à Regibus, & Archiepiscopis, & aliis Principibus terræ, quod omnes tam Clerici, quàm Laici decimas redituum & mobilium dabunt.* In Conciliis postea Romani Pontifices de his decreta edidere. Narrat Matthæus Paris ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi anno 1215. statutum fuisse, ut Cardinales quidem unam solverent decimam, Episcopi & Clerici alii vigesimam redituum Beneficiorum suorum per annos tres ad subsidium Terræ Sanctæ. *Cupientes alios Ecclesiarum Prælatos, nec non & Clericos universos & in merito & in præmio habere consortes & participes; statuimus, ut omnes tam Prælati, quàm subditi vigesimam Ecclesiasticorum proventuum usque ad triennium conferant in subsidium Terræ Sanctæ, exceptis illis, qui assumpto, vel assumendo Crucis signaculo sunt personaliter profecturi. Nos autem & fratres nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales plenariè decimam persolvemus.*

Anno 1229. succenso inter Pontificem & Imperatorem Fridericum II. bello, speravit Pontifex causam verti Ecclesiæ universalis, cui deesse non posset; unde in Angliam misit, qui suo nomine ad eas expensas, decimas poscerent redituum, tum laicorum, tum Cleri, ex Anglia, Hibernia, Valliaque: *Ostendit, quod ipse solus hanc expeditionem susceperat pro Ecclesia universali, quam Imperator jam diu excommunicatus & rebellis subvertere nititur, sicut evidentibus apparet indiciis.* Assensus jam erat per Procuratores suos Romam ablegatos Henricus III. Rex; at Comites, Barones, Episcopi fidentissimè abnuerunt, ne ditiones suæ Pontificiis posthac exactionibus subessent. *Nolentes Baronias suas, vel laicas possessiones Romanæ Ecclesiæ obligare.* Episcopis tamen & Clericis extortus est tandem qualiscumque consensus, excommunicationum & interdictorum minis undique perstrepentibus. Pontificius enim Delegatus ea potestate munitus accesserat: *Habuit ex eisdem literis authoritatem contradictores excommunicandi, & Ecclesias interdicendi.* Idem porro Matthæus Paris altius retexens gesta Richardi Regis ad annum 1232. ait eo regnante postulatam esse à Papa vigesimam proventuum Ecclesiasticorum Angliæ ad Bella Sacra Palæstinæ.

VI. Sibi consulebat Henricus III. Rex, dum impensiùs indulgebat Pontifici, cujus persimili & ipse vicissim indulgentia usurus esset. Anno 1231. tres ille Marcas emungere voluit ab omnibus, qui Regni Baronias obtinerent, Clerici, Laicive. Prælati rem distulerunt, quod eis mare decretum id fuisset in Conventu tantùm Laicorum. *Episcopi dixerunt, quod non tenentur viri Ecclesiastici judicio subjici laicorum, cum absque illis concessum fuisset Scutagium in finibus transmarinis. Matth. Paric.* At anno 1232. Episcopi, Clerici, Laici quadragesimam redituum suorum contulere, ut Comiti Britanniæ, cujus in ære Rex erat, satisfacere posset. *Episcopi & aliè Ecclesiarum Prælati cum Proceribus regni ad colloquium cum Rege convenerant. Ubi concessa est Regi pro debitis, quibus Comiti Britanniæ tenebatur astrictus, quadragesima pars rerum mobilium ab Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & Clericis & Laicis.* Sed ei oneri non fuere tum obnoxii Clerici & Prælati, nisi ad res proprias, & quæ Ecclesiastici patrimonii non essent. Eam enim cautionem habent Regiæ Chartæ: *Episcopi & Clerici terras habentes, quæ ad Ecclesias suas non pertinent.* Et infrà; *Exceptis bonis, quæ Episcopi & aliæ personæ Ecclesiasticæ habent de Ecclesiis.* Hinc concluditur fundos patrimonii Clericorum exactionum immunes fuisse, exceptis iis, quibus ipsi in Comitiis Regni assentireotur; porro exactiones extraordinarias Regis in Clerum ad patrimonia tantùm spectasse.

VII. Longè aliter res habebat in decimis illis, quas anno 1234. Gregorius IX. Papa flagitabat ab Anglis per eos, quos Nuntios quidem ipse nuncupabat, sed quos Legatorum authoritate instruxerat. Itaque penes ipsos erat anathemata vibrare, & interdicta. Ejus expetendæ decimæ causa accersebatur ex bello inter Pontificem & Imperatorem tum flagrante, quòd pacem Christianæ rei & gloriæ contumeliosissimam Imperator cum Saracenorum Sultano pepigisset. Sed in querelas, in convitia itum est, ubi non sine vi extortis & corrasis his decimis, pax Ecclesiæ statim cum Imperio celebrata est; & non modò non restituta est pecunia semel emuncta, sed ne sciri quidem resciri potuit, quem utilem in usum & honestum illa depensa fuisset. Ita sanè si qua fides Matthæo Paris: *Graviter lædebatur omnium conscientia, quod tota illa pecunia impeccabilis, quæ ex decima cumulabatur ad conterendum Imperatorem, facta pace nec in minimo quadrante est restituta; nec ad aliquod Ecclesiæ commune negotium, vel honorem distributa.* Pauci sunt, quibus inaudita & inexplorata sit Matthæi hujus historici insolens maledicendi licentia, & obtrectandi Curiæ maximè Romanæ. Raræ sunt etiam exactiones, quæ justæ prorsus, & æquæ ac necessariæ videantur iis, qui exuguntur. Sed his ipsis justissimis causis stimulari debent Principes & Magnates Præsules potissimum, nihil ut unquam exigant, nisi ut extremæ & indeclinabili serviant necessitati. Si vel his enim arrodendis vix abstinet posteritas, quo censuræ cauterio cæteræ inureotur?

Anno 1238. rursus exigere cœpit Pontifex, rursum expostulare Angli. *Collegit Papa decimam ex omnibus, ut Ecclesiam defenderet, sed cito pace composita facti sunt Papa & Imperator amici; sed nunquam plenam fuerat restituta.* Observa hic autem 1. has in Clerum primo, & in laicos promiscuè exactiones fieri solitas, postea iis solutos plerumque fuisse laicos, onus in solos Clericos totum incubuisse. 2. Prioribus exactionibus antè consensisse Comitia, quibus Episcopi, Abbates, Cleri Primores, non aderant tantùm, sed præerant. In posterioribus, ut solet, simplicius, an abruptius actum esse. 3. In prioribus nullas fuisse Papæ partes, in posterioribus primas. 4. Prioribus parabantur subsidia ad sacrum Bellum; posterioribus ad alia bella, quibus & ipsis affinitas esset cum Ecclesiæ causa. 5. Nec annuorum tantùm redituum decimæ exigebantur, sed & mobilium omnium bonorum. Id universim servatur, ut decima, trigesima, quadragesima non reditûs tantùm annui, sed mobilium exigatur, paucissimis exceptis. Quos suprà laudavi historicos, ii mobilium meminere.

VIII. Idque rursus observare est in trigesima, quam Episcopi & Clerus, Barones & Laici Regi annuerunt anno 1237. ut eo lenocinio illum pellicerent, ut ablegaret ab Aula, & summoveret à se Consiliarios quosdam, qui ejus indulgentia abutebantur, aliosque asciisceret, gente Anglos, & Anglicanæ Reipublicæ, gloriæque ex animo studentes. Sic enim Matthæus Paris: *Concessa est Regi tali conditione tricesima regni pars, omnium scilicet mobilium ad thesaurum suum restaurandum, salvis tamen unicuique auro & argento, equis & armis in Republica utilitatem expendendis, &c. Consentientibus primum Archiepiscopo Cantuariensi cum suis Episcopis & Clero, &c.* Anno 1240. quintam bo-

norum partem petiit Pontifex à Clero in Comitia sua generalia congregato, quo Fridericum II. Imperatorem, importunissimum hostem ab Ecclesiæ cervicibus amoliretur. Re aliquandiu dilata, Archiepiscopus Cantuariensis prior prosiliit, & octingentas Marcas largitus est; Præsules cæteri pro suo quisque modulo ejus exemplo se accommodarunt. Arte grassandum fuit, ut à Cœnobiis aliquid extunderetur. Tanquam satigata tandem tot petitionibus patientia Præsulum, responsum est Legato Papæ pro arbitrio suo Romanum Pontificem Romanæ Ecclesiæ patrimonium dispensare; nec secus esse & aliis Ecclesiis patrimonium singulis suum, ex Regum, ex Magnatum largitionibus, ex privatorum donis conflatum, haud sanè Romanæ Ecclesię vectigale; Ecclesias omnes in potestate Pontificis esse, non ut domini, & possessoris, sed ut defensoris omnium communis: ac proinde nulla vi, nullo Imperio exculpi posse Ecclesiis singulis res sui cujusque patrimonii. *Sicut Ecclesia Romana suum proprium habet patrimonium, cujus administratio pertinet ad dominum Papam: similiter & alia Ecclesia suum, ex largitione & concessione Regum, Principum & aliorum Magnatum fidelium, quod in nullo est censuale & tributarium Ecclesię Romanę: unde non debent Prælati compelli de patrimonio suarum Ecclesiarum contribuere. Licet argumento legis omnia dicantur esse Principis, non tamen dominio & proprietate, sed cura & sollicitudine. Similiter Ecclesię spectant ad dominum Papam cura & sollicitudine, non dominio & proprietate.* His addebant, quos in usus pios & religiosos expendi debeant res & proventus Ecclesiæ à sacris Conciliis diffinitum esse, nec illud ibi admoneri, ut ad bella, & ad bellandum cum Christianis expendantur; denique post Concilia, non esse nisi Ecclesiæ universalis alios demonstrare usus: *Non debent in alios usus converti, nisi authoritate Ecclesię universalis. Unde de bonis Ecclesia non est contribuendum ad pugnandum, maximè contra Christianos.* Vix alendis pauperibus parem esse copiam sacrorum proventuum; his saltem supersedendum fuisse exactionibus, cum nondum exoleverit memoria nuperarum, quæ ad bellum contra Imperatorem colligebantur illæ quidem, at cum prius pax cum Imperio icta fuisset, nec restituta est, quæ jam corrasa fuerat pecunia, nec reliqua corradenda abstentum est. *Licet bonum esset contribuere, omitti expediret, propter scandalum suscitatum & per orbem ventilatum contra Romanam Ecclesiam; quia dicitur publicè: Aliàs factę fuerunt hujusmodi exactiones, & Clerici enormiter depauperati sunt, & statim exacta & exorta pecunia, compesuerunt Papa & Imperator, nec est quadrans restitutus: immo si qua residua fuissent post compositionem & reddenda, graviter extorquebantur.* Denique Patronos Ecclesiarum esse, tum Reges ipsos, tum laicos divites, dotatasque opulentius ab illis Ecclesias fuisse, ad hospitalitatem in divites & pauperes obeundam, ideoque nisi illis consentientibus non posse subscribi à Clero exactionibus iis, quibus gravatæ Ecclesiæ jam munere suo fungi nequeant. *Nec possunt in aliquam contributionem consentire inconsultis Patronis, cum Ecclesia sint per eosdem Patronos terrarum ac redituum propter hoc specialiter collationibus dotata, ut Rectores earum suscipiant hospites, tam divitum, quàm pauperum, sustinentes hospitalitatem tam laicorum, quàm Clericorum; à quibus si procedat talis exactio, oportet cessare.* Cum conspiranti unanimiter Anglicanæ Reipublicæ obniti Legatus jam non posset, & tam validas refellere rationes, Regis primò assensum eblanditus est: Episcopos & Archidiaconos varia spe & pollicitationibus inescavit; denique per cuniculos expugnavit, quod authoritatis pondere non extudisset.

IX. Ab Abbatibus Ordinis Cisterciensis, cum Archiepiscopus Eboracensis, qui eos congregaverat subsidii aliquid Regi accelerari flagitasset tunc cis mare belligeranti; responsum est ad eundem pene modum, suis sibi Constitutionibus vetitum esse, opem conferre ad fundendum sanguinem, maximè autem sanguinem Christianum, ne eo piaculo maculati & jam irregulares, sacro ministerio arceantur; denique citra consensum Abbatis sui Generalis nihil à se posse concedi. Vanus ergo irritusque is tum fuit conatus anno 1242. Anno rursum 1244. tentatum rursus aliquid est à Romanis, sed & in irritum tunc cecidere omnia, datis ad Pontificem à Rege Epistolis, quibus patronum se libertatum Regni sui præstabat, accedente etiam vehementi Cleri obnuntiatione. Ostensum est enim ingentibus quidem agris donisque à Regibus Ecclesias cumulatas fuisse, sed triplici tamen quodam jure Regibus reservato, ad Regni necessariam tuitionem, Militia, restauratione Pontium, & Arcium. Quibus imparem fore Ecclesiam, ubi ejus opes aliis exactionibus exhaustæ fuerint. *Nec adeo Regis libertati dederunt hujusmodi possessiones, quin tria sibi reservarent semper propter publicam regni utilitatem, videlicet expeditionem, pontis & arcis refectiones & reparationes, ut per ea resisterent hostium incursibus. Si igitur ista dantur Ecclesia de patrimoniis & laicis feudis Regum & Principum, quo jure poterit præter injuriam juris alieni in alios usus præmissa convertere?*

Delegati sunt ab Anglis Oratores ad Concilium Lugdunense I. anno 1245. ut querelas deponerent adversùs Pontificias exactiones, & adversùs tributum, quod deposcebatur, & qui nunquam Regnum consensisse restificabantur. Statutum est nihilo tamen minus in Concilio, ut Prælati Clericique omnes vicesimam persolverent sacrorum redituum suorum, ut Papa Collectores eligeret, Cardinales vigesimam penderent. *Matthæus Paris.* Perspicuum hic est autem, querelas in speciem æquissimas privatorum, adeoque & Regnorum, obrui aliquando & absorberi in coacervatione & conflictatione Christianæ Reipublicæ, sive discriminum, sive commodorum. Quod in Anglia æquissimum videbatur, jam aliam speciem induit in Concilio Lugdunensi, ubi privatis commodis & incommodis publica anteponuntur, & tam necessariò, quàm sapienter partes singulæ corporis tum in tuto maximè esse declarantur, cum totius corporis salus pluris fit, quàm ipsarum. *Ex Concilii communi approbatione statuimus, ut omnes omnino Clerici vicesimam, &c.*

Spopondit tamen & in se recepit Pontifex in eo Concilio, humaniùs se postbac consulturum in Anglos. Eruperunt mox tamen eædem querelæ, anno scilicet 1249. tum de pluribus aliis, tum quòd denario Sancti Petri non contentus Papa, frequentes alias iteraret exactiones, quò consuetudines regni & antiquæ libertates evertebantur, ubi id citra Regium fiebat consensum. *Multo graviora nititur extorquere, & hoc facit sine domini Regis assensu, vel consensu, contra antiquas consuetudines, libertates & jura Regni. Matthæus Paris.* Quin & petiit Pontifex, ut Anglicani Præsules suppeditarent Equites, pro modo facultatum alii quinque, alii decem, alii quindecim, ut stipendia facerent, ubi Papa juberet, sumptibus Episcoporum Anglorum; quo jure non fruuntur nisi Reges & summi Provinciarum Principes. Rex aliquandiu constantissimè reluctatus est; sed experta sæpius ejus animi lenitas, faciebat ut subinde ministrorum ejus aliqui consentaneorum ad Papam deficerent, cui non nesciebant & ipsum tandem aliquando consensurum: unde & eorum mox sollicitationibus ad Papæ voluntatem se conformabat. Tum petiit Pontifex tertiam partem redituum eorum, qui residerent Beneficiariorum,

fis

dimidiam non residentium. Angli ad Christum & ad Concilium provocarunt.

X. Ut ex ipsis nonnunquam medicamentis novæ existunt ægritudines, ita cum Angli persæpè sub Papæ authoritate delituissent adversùs Regias in Clerum exactiones, & vicissim sub Regis tuitione adversùs Pontificias, contigit tandem aliquando, ut Pontifex & Rex consentirent, geminoque hujus authoritatis pondere frustra se Clerus obrui reclamaret. Cum anno 1252. Henricus III. Rex Londini Comitia Cleri indixisset, Mandatum Pontificis deprompsit, quo Decimæ Regi decernebantur ad triennium redituum omnium sacrorum, non ex vetusta æstimatione, sed ex hodierna; ad Regiæ scilicet, ut jactabatur, profectionis in Orientem expensas. Magno animo primùm intercessere Præsules ei novitati, cumque objiceretur exemplum Cleri Gallicani, qui immensam quandam pecuniæ vim Regi sæpiùs subministrasset ad transmarinas ejusmodi expeditiones, reposuerunt illi, tantò validius obnitendum esse, ne invalesceret consuetudo, & ne opes Cleri Anglicani, sicut & Gallicani, ad eximendum vinculis Regem suum, & ad collocupletandos Barbaros consumerentur. Solutus est Conventus, post graves ultro citroque offensiones, & experimento tandem constitit, omnium optimè conjectasse Vintoniensem Episcopum, ubi monuerat, non posse ab illis Papæ simul ac Regi resisti, cum vix eorum alteri alterius præsidio freti reluctari possent. *Quomodo poterimus resistere voluntati Papali, ac Regia, fortiores nobis sunt.*

Anno 1253. Decimam Regi ad tres annos Clerus concessit, cum primùm se itineri committeret in Palæstinam, cum consilio Optimatum Angliæ. Tum Rex solemniter pollicitus est à se religiosè observatum iri Chartam magnam publicarum libertatum. *Concessa est Regi decima pars proventuum ab Ecclesia recipienda, cum iter Hierosolymitanum per consilium Magnatum arriperet; & Rex bona fide & sine aliqua cavillatione promittit se chartam magnam & omnes ejus articulos fideliter observaturum.* Paulo antè narraverat idem Matthæus Paris quod gestum olim fuerat sub B. Edmundo Archiepiscopo Cantuariensi; Clero nempe annuente pecuniæ Regis postulationi, mira & inusitata jurasse Regem solemnitate, Magnam Chartam hanc libertatum se observaturum. Ita inolescebat mos, ut confirmaret Rex novis juramentis, vel Edictis Cleri libertates, quoties ab eo pecuniæ aliquid eliciebat, ad levandas Regni necessitates.

XI. Quod verò idem Matthæus mox refert de sermonibus Episcopi Lincolniensis, morte jam adventante, ex eo rursum intelligitur, quosdam Angliæ tum Episcoporum zeli sui flamma & impetu ultra recti modum & finem longiùs evectos fuisse. Vel eo uno, quod illis objectabatur, exemplo B. Ludovici Franciæ Regis remittere debuerat, & saltem elanguescere eorum fervor. Si tam iniquæ & tyrannicæ fuissent hæ in Clerum exactiones, non eis se sanctissimus Rex implicuisset. Quæ illi probro vertebatur captivitas, ea locupletissima illi fuit laudum messis, & magnanimitatis, & verè regiarum Christianorumque virtutum materies. Quæ ille ibi fortitudinis invictissimæ documenta edidit, iis illustrata magis est Ecclesia, quàm plurium urbium expugnatione. Si quam animosi autem & fortes fuere Angliæ Antistites in pecuniariis exactionibus amoliendis, tam in cæteris disciplinæ sacræ Capitibus invictos se præstitissent, fæliciùs illis forsan res processisset. Si tam largi si tam piè prodigi fuissent in pauperes, quàm alieni erant à fisco Ecclesiæ in bella etiam sacra profundendo, pietati & zeli sui puritati Deum, ut apparet, demeruissent. Tam illis & Pontifices & Reges pepercissent, quàm abstinebant à Congregationibus tum novis Monachorum, quæ inter primigenii sui fervoris initia, & pauperum charitate fervebant, & paupertatis amore. Sed malè ominari solemus de zelo, qui sola temporalium defensione insigniri se vult. Non temerè judicatur, quæ Præsules, quæ Beneficiarii in luxum, in sumptuosas ædes, in epulas ultra modum opiparas abligurivnt, ea utiliùs dependi posse in Sarracenis ab illa regione depellendis, quam Christus carnis suæ & religionis nostræ Mysteriis consecravit. Non ea animi magnitudine hic Angliæ Rex eminebat, non ea fortitudine, qua Ludovicus IX. Rex Galliæ, sed erat tamen pietatis & religionis amantissimus; ut possent illis stimulis & incitamentis religiosè agi, quæ hic perstrinximus, quanquam totam ejus historiam maledicentiæ suæ veneno Matthæus Paris perfuderit. Henricum III. alloquebatur B. Ludovicus Franciæ Rex, cum illa verè aurea, vere Christianissimo Rege digna, & immortali posterorum memoriæ commendanda verba protulit. Permagnas à se Deo haberi gratias, pro adversitatibus & amaritudinibus omnibus, quibus in eo sacro bello fuerat conflictatus; plus enim se ea, quam ibi Deus aspirasset, patientia, & inter adversa invicta fortitudine oblectari, plus solidæ laudis colligere, quàm ex plurium Regnorum à se subactorum dominatione colligere potuisset: *Plus gaudeo de patientia, quam mihi Dominus concessit, quàm si totus mundus mihi subderetur.* Hæc Matthæus Paris ad annum 1255. Porro vel hoc uno ejusmodi sermone inter eos Reges, discuti facilè poterant & labefactari omnes ejus Scriptores obtrectationes, omnes Episcoporum etiam Angliæ suspiciones obliquiores. Iden & Henricus III. vicissim & ipse Episcopos Anglos suggillabat, qui magnam Chartam Anglicanarum libertatum minùs scrupulosè observarent, quanquam vel Regibus ipsis observandam ad nauseam usque inculcabant. Vide eundem Matthæum ad annum 1255.

XII. Eodem anno ingens pecunia ab Ecclesia Anglicana flagitabatur nomine Pontificis Romani, ad opem labanti Ecclesiæ ferendam. Contestati sunt Præsules, vitæ ipsius impendio se certaturos, & in incruenta ingressuros vestigia perillustris Martyris Thomæ Cantuariensis, ne novæ huic Ecclesia Anglicana servituti manciparetur. Unum S. Albani Cœnobium sexcentas argenti marcas solvere cogebatur. Matthæus Paris ejus tum Cœnobii Monachus, & horum omnium testis oculatus, hinc nimirum illud fel, illos aculeos accepit, quibus historiam suam aspersit. Rex & Magnates petitionibus Papæ suffragabantur. Ut vel hinc odorari possis, non usque adeo graves & intolerandas eas fuisse. Anno 1256. confirmata est à Rege rursus Charta libertatum Ecclesiasticarum, quam hoc anno Matthæus Paris suæ historiæ intexuit: eodemque ipso anno de Cisterciensibus quidem Cœnobiis Rex abstinuit, quin ea exactionibus fatigaret. Cum illum Abbas quidam admoneret, exemplo ut uteretor Franciç Regis, qui solas ab eis orationes requirebat: respondit Rex: *Utrumque exigo, pecuniam scilicet cum orationibus.* Anno 1258. novis artibus machinisque grassatus est Rex, ut Cœnobia cogeret pro se fidejubere ad immensas quasdam pecuniæ summas.

Nec minùs amarulentè Matthęus Vvestmonasteriensis Monachus Pontificias Regiasque in Clerum & in Cœnobia exactiones exagitavit. Cum ad annum 1246. narrasset Aulicorum assentationes, quibus emollitus Rex & abductus fuerat à priore suo proposito Pontificiis exactionibus obnitendi: mox ab eo abjicitur eadem contage pestifera jam afflatas esse Gallias. *Et ut pestis mundum concuteret generalis, regnum Francorum consimili vulnere gemuit sauciatum. Unde multi Nobilium cogitabant,*

bant contra Papam stando recalcitrare. Vel hæc una confessio abundè est ad diffiandas Historicoram istiusmodi omnium calumnias. Nam nec B. Ludovicus Rex, qui tum Galliæ moderabatur habenas, tyrannicis Ecclesiam vexavit oneribus, nec passus est à Romanis vexari Pontificibus. Si ergo oon magis gravabatur Anglia sub Henrico III. quàm Gallia sub B. Ludovico Rege, exueoda, animoque ejicienda sunt illa omnia iniquiora præjudicia, ex hujusmodi maledicentioribus historicis hausta. B. Benedicti nomine & Regula illi tumebant, non moribus, oon sanctimonia, non regulari florebant disciplina; dolebat eis vehementer ejus se parte opulentiæ spoliari, qua in luxum & in sæculares delicias abutebantur. Incendebat eos æmulatio in recentiores religiosæ disciplinæ instauratores, Dominicanos, & Franciscanos, quos Romani Pontifices in oculis gerebant, quos favore & beneficiis cumulabant. Hæc videntur incitamenta fuisse illis Scriptoribus, ut Annales suos tanto maledicentiæ selle coospergerent. Non quò non aliquando forsan Pontifices Regesque ii tantillùm exilierint ultra æqui metas; sed quò altiore fastigio sedent homines, tantò in oculos magis omnium incurrunt eorum peccata, tantò & difficiliùs evitantur, ideoque & tantò faciliùs condonanda sunt. Et binc tamen sæculares juxtà & Ecclesiastici principes admonentur, ut Majorum suorum erratis sese abstineant; nec à malo tantùm, sed & à mali specie declinent: ut ne pateat quidem calumniæ eorum memoria, nec meditatis opus sit defensionibus ad abstergendas eas infamiæ maculas, quas illis inusserint virulenti apud posteros historici, sua ipsa obtrectandi licentia clariores futuri. Anno 1267. Cardinalis Ottobonus in Concilio Northamptonensi Regi concessit decimam bonorum Ecclesiæ ad annos septem, ex Matthæi Paris Continuatore.

XIII. Henrico III. parenti successit Eduardus I. & ad belli impensas anno 1295. à Clero accepit dimidium, à civibus sextam partem, à vulgo decimam redituum. Anno 1297. in Parlamento generali urbes & oppidani concessere octavam, reliqua plebs duodecimam. Clerus nihil contulit ob Decretalem à Bonifacio VIII nuperrimè publicatam, qua Clerici prohibebantur, intentato aliàs anathemate, ne Principum sæcularium exactionibus subjicerentur. *A civitatibus, & burgis concessa est Regi octava, à populo verò reliquo duodecima pars bonorum. Clerus ob Constitutionem Papæ hoc anno editam, qua prohibet sub pœna excommunicationis ne tallia, vel exactiones à Clero per sæculares Principes quoquo modo exigantur, vel eis solvantur de rebus Ecclesiæ, Regi pro guerra sua petenti subsidium denegavit*. Ea repulsa exulceratus Rex, maturias deliberandi spatium concessit usque ad proximum Parlamentum. Eo convocato Londini anno 1298. nec recedente Clero à propositi sui prioris constantia, illum Rex tuitione sua exclusum pronuntiavit. Intutum usque adeo sensere Præsules ea se Regis tuitione exui, ut eorum plerique postea ei conciliari ambierint, oblata quinta parte proventuum suorum. *Clero in denegatione persistente subsidii, Rex ipsum à sua protectione exclusit. Pro qua tamen redimenda multi per se, multi per mediatores Regi bonorum suorum dederunt postea quintam partem*. Constantiæ paulò diuturnioris specimen edidit Archiepiscopus Cantuariensis, qui & Roma mitti curaverat expressiorem quidquam conferrendi prohibitionem ad temporales Regni necessitates. Capi Rex jussit bona ejus omnia, exolvi hinc ejus debita, denique Regiæ indignationis tela in eum torqueri non pauca. Hæc ex Thoma Valsinghamensi.

Paulò copiosiùs Matthæus Vuestmonasteriensis persequitur, qua Rex vi, quibus machinis Clero has pecunias exculpserit, & laborarit, ne Pontificiæ Bonifacii VIII. Bullæ publicarentur. Causidici duo, Dominicani similiter duo subornati sunt, qui ut Regi adularentur, prolixissimè & vehementissimè peroraverunt, posse Regem tempore belli pecuniæ aliquid à Clero accipere, tametsi Pontifex prohiberet. Anno 1296. & 1297. & gemino hinc & binc scopulo urgebatur Clerus, Rege minas, Pontifice fulmina anathematum intentante. Denique cum Rex in Gallias maturaret iter, vim à se adhibitam & grassationes publicè excusavit, omnia restiturum se pollicitus est, cum primùm redux foret, obtestatus ne quid absente se turbaretur; si cis mare diem suum obiret, filius more solemni Rex inauguraretur. Eo absente anno 1298. compulsus est filius ejus polliceri & in se recipere, Libertatum Chartam à Rege patre confirmatum iri, nec quidquam pecuniæ unquam expressurum se à Clero & populo, nisi Clero ipso assentiente cum Magnatibus & populo. *Nullum tallagium, vel auxilium exigatur per nos & haredes nostros de cætero in regno nostro imponatur, vel levetur sine voluntate & assensu communi Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum, Comitum, Baronum, Militum, Burgensium, & aliorum liberorum hominum*. Denique et Chartæ morem gesturos Episcopos, & bis quotannis per omnes Parochias anathema vibratum iri in omnes, qui in eam committerent. In Flandria tum Rex versabatur, unde & horum omnium confirmationem misit; tumque demum plebs nonam contulit bonorum partem, Clerus Provinciæ Cantuariensis decimam, Provinciæ Eboracensis quintam. Hæc Valsinghamus ad annum 1298.

Eo fuerunt res loco in Anglia, regnante Eduardo I. Ita confirmata sunt Parlamenta, & in duas Cameras divisa, quarum in inferiore locus est populo cum minorum gentium nobilibus; etsi antiquis in Parlamentis soli sessitarent Episcopi cum Baronibus. Illapsi sunt paulatim minores Prælati cum Episcopis, inferiores Nobiles cum Proceribus, denique admissus est & populus, quem Tertium vocant Statum, ut cujus potissimùm humeris onera publica & exactiones incumbant. Nec illud minùs sedulò observandum: ut nihil jam olim à Clero nisi consentiente eliciebatur, ita hunc Regem in se recepisse, nec à se, nec à successoribus quidquam exactionum populis indicendum posthac, nisi ex assensione Parlamenti, atque ita consentiente quodammodo populo, cujus erant & aliquæ partes in Camera Parlamenti inferiore.

Exierunt nuper in publicam lucem antiquæ Constitutiones hujus Regis, ex quibus pauca hæc delibari hoc loco juvabit. A Bonifacio VIII. expressit Eduardus I. ut decima exigeretur à Clero, cujus pars altera Regni necessitatibus cederet, pars altera Sedi Apostolicæ; sed ita, ut hujus reliquiæ Regio ipsi restituerentur fisco, Pontifex vita migraret, aut Siculo bello finis imponeretur ante triennium. *Constit. Reg. Angl. pag.* 1053. 1087. *& seqq.* Primò Regni sui anno idem Rex obtinuerat ab Apostolica Sede decimam unam, tam ex temporalibus, quàm ex spiritalibus Regni per biennium. *Decimam tam temporalium, quàm spiritalium, ad duos annos concessam. Ibid. pag.* 133. Missa facio Acta alia bene multa, decimarum huic eidem Regi indultarum, alio & alio tempore, ad alias aliasque Regni necessitates. Anno vigesimo-septimo Regni ejus Clerus Archiepiscopatûs Eboracensis tum vacantis, pollicitus est certum numerum militum, ad Scotiæ fines tuendos. Eodem anno Episcopi, Abbates & Priores Principatûs Valliæ magna ei affuere pecunia, ad Scoticum bellum. Rex vicissim diplomata annuit, ne hoc exemplo suis immu-

munitatibus præjudicaretur. *Pag.921. 861. 862.*

Joanni quondam Regi simillimis pecuniæ donis affuerat olim Clerus ad Regni defensionem. *Auxilium nobis fecerunt ad defensionem Regni nostri & recuperationem terrarum nostrarum. Ibid. p.10. 71.* Cum Henricus III. Pontificias ad Clerum Angliæ literas expressisset, quo Regi opem ferrent, mobilium quintam decimam partem Prælati contulere.

XIV. Ad Eduardum II. venio Eduardi I. Regni hæredem illum quidem, non animi ejus magnitudinis. Anno 1311. jurare compulsus est, Magnæ Chartæ se obsecuturum, nec quidquam rei gravioris adgressurum, nisi ex Cleri & Magnatum consilio. In Concilio Viennensi concessa est decima ad sex annos ad subsidium Terræ-sanctæ. Addit Valsinghamus, quod plus admirationis habeat quàm fidei, Philippo Pulchro Franciæ Regi insedisse eam animo sententiam & voluntatem, ut ex filiis suis unum Hierosolymæ Regem creari curaret, & Templariorum Equitum terris & proventibus omnibus donari: hine illas ei faces admotas esse, ut Templariorum Ordo extingueretur. *Philippus Rex Franciæ cogitavit unum de filiis suis Regem Jerosolymitanum facere, & impetrare sibi omnes reditus & proventus Templariorum.* Eos reditus & fundos Pontifex Hospitalariis Equitibus adjudicavit.

Eduardo II. successit Eduardus III. excelso Rex animo, avique, quàm patris similior. Anno 1330. concessa est illi à Pontifice decima bonorum Ecclesiæ per annos quatuor, dimidia ejus parte Sedi Apostolicæ reservata. *Papa concessit Regi Angliæ decimam omnium bonorum Ecclesiasticorum per quadriennium, medietate sibi retenta.* Anno 1337. Londinense Parlamentum quintam decimam ei addixit in vulgus, decimam in urbes & oppida; Clerus decimam in triennium, ut perhibet Valsinghamus in Hypodigmate Neustriæ. Anno 1340. rursus Decima Regi concessa; sed cum Parlamentum nonam indixisset Episcopis, quibus aliqua erat Baronia, & jus sedendi in Parlamento, declaratum est, reliquos Episcopos ei Nonæ obnoxios non fore, sed decimæ tantùm.

Datæ sunt tum ad Regem à Cantuariensi Archiepiscopo, & ad Ministros ejus literæ, authoritatem & vigorem singularem spirantes, ad tuendas has saltem libertatis Ecclesiasticæ reliquias, quæ tam charo jam Ecclesiæ constabant, sub nomine Magnæ Chartæ. Anno 1343. Rex ad Pontificem Epistolas dedit querelarum plenissimas, propter onera molestissima, quæ Romana Curia Ecclesiis Angliæ infligebat; non pecuniariis jam sanè exactionibus; eæ enim post Henricum III. conticuere: Eduardo I. à paterna illa mollitie & indulgentia alienissimo, & finem his imponente: sed reservationibus, aliisque servitutibus in Beneficiarios, Patronos, Collatores. Verùm ea de re fusiùs suprà disputatum est. Unum ergo hic adnotabimus, quando pecuniariæ exactiones Pontificum finem acceperint.

Anno 1371. quinquaginta millia Marcarum argenti à Parlamento Rex flagitavit, quod & à populo Cleroque concessum est. *In convocatione Cleri facta post Pascha concessum fuit tam à Clero, quàm à populo laicali. Valsin.* Conductitiis etiam à Presbyteris emunctum est aliquid, & à minusculis etiam Beneficiariis, qui immunes semper abierant. *Sacerdotes stipendiarii secum valorem pecuniæ, quam percipeunt per annum, taxati fuerunt; minuta etiam Beneficia, quæ nunquam priùs erat taxata, taxabantur.* Anno 1377. non Laicis tantùm in Parlamento, sed & Clericis solvendos indixere denarios, duodecim si quo Beneficio, quatuor si nullo potiscntur. Immunes fuere soli quatuor Mendicantium Ordines.

XV. Extincto Eduardo III. Richardus II. filius in avitas magis imbecillitates successit, quàm in paternam fortitudinis & regiarum virtutum famam. Tum verò usque adeo inolitæ, & longo usu roboratæ erant exactiones in Clerum, ut anno 1377. in Parlamento Londini habito statutum fit, ut duas illi uno & eodem anno decimas Clerus solveret, erat is primus Regni annus, addita ea cautione, ut postbac à populo nihil Rex extorqueret, & ex domanio suo per fidos administrato Procuratores, impensas ipse sibi sufficeret, & ad Palatii sui, & ad Exercituum necessitates. *Concessa sunt in adjutorium Regi ab Ecclesia & Clero dua decima eodem anno persolvenda, ea tamen conditione, ut videlicet Rex de cætero populum non gravet talibus petitionibus extorquendo pecuniam subditorum; sed de suis vivat & continuet guerram suam, quæ utique bona sua regalia propria sibi sufficiunt, tam ad regiæ domus exhibitionem, quàm ad guerra sustentationem; si eadem bona Ministros idoneos sortiantur.* Stupenda & præpostera fuit ea omnino perversitas, ubi Clerus, cui præ ceteris illibata sua constare debuerat immunitas ab oneribus publicis, solus ea sustinuit. Sed nimirum ea prima fuere contagia hæreseos Viclephianæ, quæ tum primum Angliam populari cœperat. Ita Viclephus populi & Magnatum animos exacerbaverat in opes, luxum, mollitiem Cleri, in Clerum denique ipsum; ut tantùm non ille sibi gratularetur, quod nihil in se acerbius constitutum esset.

Sed renovata non multò post fuit consuetudo, ut Parlamentis is maximè labor incumberet, is ex illis fructus expectaretur, ut quàm maximam corraderent à Clero, Populoque pecuniam. Vide quid idem narret Valsinghamus ad annum 1379. Placuit Parlamento plebe abstineri, divites solos onerari, Ducibus decem marcas indixere Regi solvendas, totidem Archiepiscopis, Comitibus, Episcopis & Abbatibus, qui Phrygio uterentur. Ne Parochis quidem & Capellanis abstentum est. De Parlamento verò anni 1384. vide quid idem mox referat: *Factum est Parlamentum Londoniis, in quo prout jam à multis consuevit temporibus, nihil dignum memoria fuit factum, præter illud, quod sedulo assistabatur, extorsio videlicet pecunia de Clero & communi plebe ad sustentationem militibus guerra regalis.* Anno 1385. conveniente parlamento; patuere quæ Viclefistæ animis hominum jam infudissent venena. Quintam decimam & dimidiam laici concessere Regi, ea conditione, ut Clerus decimam solveret & dimidiam. Confidentius exclamavit Archiepiscopus Cantuariensis, sanguinis etiam impendio intercessurum se, ne Clerus à laicis vectigalia solvere cogeretur. Fuere ex Proceribus aliqui, ex minusculis Nobilibus longè plures, qui prædæ objici Ecclesiarum bona postularent, quasi justitiæ & charitati ita consultius futurum esset, si nudaretur Clerus illa opum abundantia, qua tumere & insolescere videbatur. Huic impietati Rex aures obturavit, sanctissiméque confirmavit, dum vita suppeteret, incolumes semper & intactas fore Ecclesiæ libertates. Qua Regis humanitate delinitus Cantuariensis Præsul, re cum Clero deliberata, decimam Regi obtulit, *unanimi voluntate, consensu spontaneo.* Suavissima tom hilaritate perfusus Rex, testatum fecit. Eo gratuito dono se vehementiùs delectari, quàm extorta multò majore pecunia. *Quam concessionem Rex tam latè audivit, tam gratè suscepit, ut palam assereret se malle hanc ad præsens donationem liberam, quàm aliam quamcumque, quadruplicis valoris coactam.* Eo Regis verbo compressa est insolentissima hostium Ecclesiæ audacia & rapacitas. *Ita pro tunc hostium Ecclesiæ aviditas insatiabilis est frustrata.*

XVI. Temperamenti tandem aliquid commentandum fuit. Nec enim jam detrectari poterant annuæ Regum exactiones: tum quòd longo usu con-

suetudo invaluerat, & ex consuetudine lex: tum quod Clero detrectante, & vicissim Rege tuitionem suam subtrahente, agri jam & res omnes Ecclesiæ prædæ erant, ex eo potissimum tempore, quo Vielefistæ Proceres Populosque concitaverant armaverantque in immensas, ut jactabant, Cleri opes. In pudorem etiam & dedecus Cleri non immeritò vertebatur, quod cum populo, & à populo persæpè ipso Clerus exactionibus & servitutibus publicis subjiceretur in publicis Parlamentis. Consultius ergo visum est, & in speciem saltem honorificentius, ut sejunctim congregaretur Clerus, & sponte sua donum gratuitum decerneret Regi offerendum.

In locum Richardi II. successit Henricus IV. & anno 1404. convocato Londini Parlamento, petiere militiæ duces, ut bona Ecclesiæ Regio omnis inferrentur fisco; sibi enim plus satis illud oneris incumbere, ut diebus singulis de bonis omnibus, & de vita periclitarentur citra & ultra mare militiam obeuntes. Ex adverso régerebat Archiepiscopus Cantuariensis, tantundem à Clero, quantum à laicis conferri: sæpiùs à Clericis decimam, quam à laicis quintam decimam solvi: quibus Clericis essent Feuda Regia, ab iis non minore numero milites Regi subministrari, quàm à Baronibus; denique noctes diesque in excubiis agere Ecclesiam, sacris, precibusque decertantem suis, in quibus plura essent ad victoriam momenta, quàm in armis. *Clerum semper tantum Regi contulisse, quàm laici, dum decimas ipsi frequentius darent Regi, quàm ipsi quintas decimas: & insuper tenentes sui non minori numero Regem sequebantur ad bella vel pericula, quàm tenentes feodi laicalis. Et super hæc omnia Missas & orationes nocte dieque facerent pro eodem.* His adjecit Præsul, ubi impellentibus Exercituum Ducibus & Præfectis, fisco regio addicta fuerant bona Prioratuum omnium, qui à Francis & Normannis obtinebantur, totam eam pecuniam in vanissimas profusiones dilapidatam fuisse, & eo ipso vertente anno insolita Regem inopia laborasse. Hæc fidenter cum perorasset Archiepiscopus, Rex pollicitus est, amplificaturum se quidem potius libertates Ecclesiæ, quàm ut eas vel tantisper minui, & deflorescere pateretur. Optimates in partes & defensionem Archiepiscopi concessere, æquissima officii & beneficii vice, quod petente milite, ut recuperaret sibi, coronæque suæ Rex, quidquid regiorum feudorum nuperi Principes, Richardus, & Eduardus, vel ipsemet etiam, Baronibus donasset, aut oppignerasset, Archiepiscopus intercessisset. Ita Baronum ope & Archiepiscopi intrepida fortitudine suam & libertatem retinuit Clerus, & dignitatem. Laici Regi annuerunt duas decimas-quintas, Clerus decimam & dimidiam.

Anno 1406. per totum ferè illud annuum spatium Parlamentum Londini moras traxit, sumptu Reipublicæ & detrimento, quòd Parlamenti impendia eam ferè pecuniam æquarent, quam Rex postulabat, & quæ tot tergiversationibus differebatur. *Parliamentum protelabatur inutiliter ferè per annum, Communitatis damno. Nam propter hanc dilationem expensa militum Parliamentalium æquabant pene subsidium à Rege postulatum. Valsing.* Ut quam Regi receperat pecuniam solveret Clerus, dimidia argenti marca extorta est Presbyteris omnibus, & Mendicantibus ipsis, qui annalia celebrabant. Idem Valsinghamus: *Per Clerum nova taxa Regi conceditur, levanda de Presbyteris stipendiariis & fratribus Mendicantibus & aliis Religiosis, qui annalia celebrabant, ut horum quilibet dimidiam marcam Regi daret, in relevationem Cleri, sed qui semper onus portaverat pro eisdem.* Anno 1410. à Parlamento Rex flagitavit, ut se superstite, nullo novo coacto Parlamento, solveret Populus quintam decimam, Clerus decimam. Quod vehementer à Parlamento refutatum est. *Rex in præsenti Parliamento petiit, ut quotannis dum viveret, sine Parliamento tenendo, decerneretur sibi de Clero una decima, de laicis una quinta-decima, sed non obtinuit.* Potuisset sumptibus parci, nisi impendio libertatis factum id tunc quidem fuisset; Anglis certè minùs pecunia, quàm libertas chara fuit, quæ his maximè Conventibus defensatur.

Ad Bella Turcica Eugenius IV. decimam ab Angliæ Clero poposcit. Recusata decima, sex millia ducatorum ad ea bella dono data sunt, Regi duæ decimæ sunt concessæ ex Harsfeldio. Synodos bene multas idem recenset, hoc est, Congregationes Cleri generales, ab anno 1400. in quibus petenti Regi pecunia gratuita à Clero collata est, petenti Clero à Rege concessæ chartæ, Ecclesiasticarum aliàs immunitatum vendices.

Anno 1518. publicatæ sunt ab Archiepiscopo Dublinensi Provinciales Constitutiones, quibus excommunicationis vinculo innodabantur, qui terris Ecclesiæ vectigalium, aut oneris aliquid imponerent, nisi authoritate Regia id facerent. *Imponentes onera laicalia & exactiones necessarias plebis Ecclesiæ, sint excommunicati, regia potestate excepta. Con. Gener. Tom. 14. pag. 389.* In Anglicanis immunitatibus ultra non progrediar, tum quod probati illi authores jam pene deficiant, tum quod ex his plus satis intelligere possit Lector, quansum in eo Regno jam res ad opprimendam magis magisque libertatem Ecclesiæ, & Cleri majestatem propenderent.

CAPUT XLII. *P.4. l.3. c.23.*

Immunitas & libertas Clericorum & rerum Ecclesiæ post annum Christi millesimum in Gallia.

I. Immunitas personalis Clericorum & eorum etiam patrimonii. Dona Episcoporum Regi oblata.

II. Cur potuerit B. Bernardus, non potuerit B. Thomas Cantuariensis Martyr non tueri immunitatem bonorum Ecclesiæ, ex Petro Cellensi.

III. Illud tandem placuit Pontificibus & Conciliis temperamenti, ut ad Reipublicæ necessitates conferat aliquid rerum suarum Ecclesia, sed tum demum cum ferendo oneri pares non erant soli laici & spontaneè, ac gratis.

IV. Contextio reliqua Conciliorum & Canonum in eam rem usque ad Concilium Constantiense.

V. Series contexta Canonum & Conciliorum post Concilium Constantiense.

I. IN Concilio Melfensi anno 1089. vetitum est, nequid sibi juris sumerent laici, & potestatis in Clericos; ne in Clerum adscriberentur, quorum vel personæ, vel res innexæ essent publicis, vel privatis servitutibus; & nequid exigere possent laici ex Beneficiis, aut ex patrimonio Clericorum. *Ne gravamen aliquod Sancta patiatur Ecclesia, nullum jus laicis in Clericis esse volumus & censemus. Unde cavendum est, ne servilis conditionis, aut Curialium Officiorum obnoxii, ab Episcopis promoveantur in Clerum. Neque liceat laicis exactionem aliquam pro Ecclesiæ Beneficiis, aut paternis maternisve facultatibus quærere. Can. 11.* Eo tum communi jure utebatur Ecclesia, ut bona Clericorum, tum Ecclesiastica, tum hæreditaria, nul-

nullo gravari possent onere publico.

Pulcherrimæ ad Ludovicum Crassum Galliæ Regem datæ sunt literæ ab Ivone Carnotensi, à quo Rex petierat dono sibi dari pelles aliquot felinas. Rescripsit porro nec Episcopi gravitati consentaneum esse, ut donet: nec Regiæ amplitudini, ut petat inania hæc mollitiæ hominum lenocinia. *Non decet regiam Majestatem vilia vel qualibet vanitatis lenocinia à Sacerdote quærere, nec Sacerdotalis officii est in talibus regia Majestati obtemperare. Hoc quibusdam literulis respondeo, quæ ex parte vestra quærebant à me duo paria pellium cattinarum. Epist.72.* Non molestè fert Ivo, quod ab Episcopo muneris aliquid Rex petat, sed quod nugatorium nescio quid petat. *Nunquam amplius à me, vel ab alio Episcopo talia quæratis.* Nec enim novum erat, ut vel Rex peteret, vel Episcopus conferret dona, dum ejusmodi res essent, quas & à Regibus peti, & ab Episcopis dare non dedeceret. Et dum dona essent gratuita.

II. Per literas gratias egit B. Bernardus Duci Lotharingiæ & Ducissæ, quod variis ditionis suæ exactionibus exemissent homines Abbatiæ Claravallensis: oravitque, ut tuerentur suum Beneficium, nec à Ministris exigi sinerent, quæ fuerant condonata; qui si tamen exigere pergerent, sibi certum esse & fixum, ut & sui solvere pergerent, & cœlesti obsequi Christi Magisterio, qui censum ipse solvit, etsi minimè obnoxius; suisque per Apostolum Paulum id præcepti instillavit, ut solvant, cui tributum, tributum: fructumque magis captent, quàm datum: salutem potius dantis, quàm donum. *Alioqui non renuimus Domini nostri sequi exemplum, qui pro se non dedignatus est solvere censum, parati & nos libenter, quæ sunt Cæsaris Cæsare reddere, & vectigal cui vectigal, & tributum cui tributum: præsertim quia juxta Apostolum non tam debemus requirere datum nostrum, quàm fructum vestrum. Ep.119.*

Cum ejus concessionis prima illa essent exordia, de ea litem movere non decebat adversùs primos ejus authores. Cæteris forsan liberum, at Cisterciensibus Monachis pene necessarium erat, hujus rerum humanarum despicientiæ bono odore Ecclesiam universam perfundere, & perfectionis, quam profitebantur documenta dare. Non æquè potuisset sua Clerus jura & privilegia aspernari, aut conculcanda objicere; sive quod Cleri libertas Cælo delapsa sit; sive quod Principum concessiones longa plurium sæculorum possessio irrevocabiles jam & inconcussas præstiterit: sive denique quod Episcopis ex officio incumbat, Principum procurare salutem, & populorum, quibus gravissimum piaculum imputaretur, si decus & privilegia Christi Sacerdotum conculcari paterentur. Mirificè confirmatur hæc doctrina in Epistola Petri Cellensis Abbatis ad Thomam Archiepiscopum Cantuariensem & Martyrem. Aliqua ille præfatus in admirationem invictissimæ Præsulis Thomæ constantiæ, tum ejus adgreditur defensionem in eos, qui Archiepiscopum carpebant, quòd Regis pacem recusasset, nimio ut causabantur defendendi, aut repetendi patrimonii Ecclesiastici ardore. Respondet verò Petrus, à materna pietate & charitate procul fore Ecclesiam, si à filiis suis æquo animo pateretur vexationes, quas olim lubentissimè à persecutoribus patiebatur. Jubet sapientia, jubet & charitas, & infracto pectore hostiles impetus pati, & austera simul & suavi authoritate filios castigare. *Dicunt enim non debet Archiepiscopus tam instanter sua repetere à Rege Angliæ, ut dimittat reconciliationis pacem pro amissa pecunia. Falluntur spe veri & adulatione falsi. Pensanda sunt tempora & diversi status temporum, secundùm quos mutantur merita causarum. Nam in primitiva Ecclesia solu patientia locum habuit; ut auferenti tunicam, dimitteret & pallium. Extra Ecclesiam enim erat, qui persequebatur, intra Ecclesiam qui patiebatur. Modò autem jam adulta Ecclesia, non licet filiis Ecclesiæ, quod aliquando licuit inimicis. Decet enim matrem corrigere filium, sicut decuit pupillam tolerare adversarium. L.1. Epist.10.*

III. In Concilio Lateranensi III. sub Alexandro III. anno 1179. enituit summopere Ecclesiæ, cum sapientia, tum moderatio, & fortitudo circa exactiones, quibus illam Civiles non raró Magistratus fatigant. De eo enim tantùm expostulatur, quod omnia propemodum expensis Ecclesiæ fieri velint, sive muniendæ sint urbes, sive militares expeditiones, sive res quæpiam aliæ difficiles expediendæ. *Sive quidem fossatum, sive expeditiones, seu alia qualibet sibi arbitrentur agenda, de bonis Ecclesiarum & Clericorum & pauperum Christi usibus deputatis, volunt ferè cuncta compleri.* Tum edicit Concilium, ut deliberet Episcopus cum suo Clero, an suadeat utilitas, an jubeat necessitas, de rebus Ecclesiæ conferre aliquid in publicos usus; ut quod laici non possint, perficiant Cleri, nulla vi, nulla authoritate interposita laicorum. *Quocirca sub anathematis districtione fieri de cætero talia prohibemus: nisi Episcopus & Clerus tantam necessitatem, vel utilitatem aspexerint, ut absque ulla exactione ad relevandas communes necessitates, vel utilitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda. Extra. De immunit. c.4.7.* Confirmatum est hoc decretum ab Innocentio III. addita hac etiam cautione, ut ad eximendam dubitationem, an debeat Episcopus, Clerusque conferre, percontarentur semper Apostolicam Sedem, penes quam providentia est Ecclesiæ generalium necessitatum. *Propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex priùs consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere. Can.46.* Ita Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. anno 1215.

IV. Intexta sunt hæc Decreta Decretalibus Gregorianis. Unde facilis conjectura in Galliis ea fuisse observata. Perscripsit Alexander III. ad Ludovicum VII. Galliæ Regem, ut vetaret, ne Pincerna Regius novis & indebitis exactionibus vexaret Abbatiam Sanctæ Genovefæ: *Eam Ecclesiam nova & indebita exactione gravari non finas: Append.2. Epist.95.* quamvis ille confideret eo jure teneri regales omnes Abbatias. *Sub obtentu cujusdam consuetudinis, quam in omnibus se asserit Abbatiis regalibus obtinere.* Alexander IV. in sexto, Capite de Immunitatibus Ecclesiarum, audaciam damnavit urbium & dominorum quorundam in Gallia, à quibus compellebantur Ecclesiæ, vel terras restituere, quas emissent, vel earum antiqua solvere vectigalia.

In Concilio Avenionensi anno 1209. editum est statutum, Lateranensibus supra laudatis finitimum. *Sub anathematis districtione modis omnibus prohibemus, ut albergarias, procurationes, exactiones, seu tallias aliquas ab Ecclesiasticis personis de cætero laici ne exigant, vel extorquere præsumant. Can 7.* In Concilio Narbonensi anni 1227. affine his etiam decretum promulgatum est. *Statuimus, ut Clerici occasione patrimonii sui, vel personæ, nullatenus tallientur, & tam Consules, quam alii laici ab his talliis & exactionibus per censuram Ecclesiasticam, si necesse fuerit, compescantur. Can.12.* Ne ambigi autem quidem potest, quin qua immunitate donabantur patrimonia Clericorum, eadem gauderent saltem res Ecclesiæ. In Concilio Tolosano anno 1229. concessum est, ut exactionibus publicis subessent patrimonia Clericorum, si Mercatores essent, vel conjugati. *Clerici non tallabuntur occasione etiam hæreditatis, etiamsi per successionem*

eis

eis venerit, nisi sint mercatores, vel uxorati. Can.20. Si ad eos devenerit prędium, vel censui obnoxium, vel Feudi juribus, onera huic adglutinata exolvent. *Sed si per successionem hæreditariam aliqua possessio feudalis, seu etiam censualis ad eorum manus devenerit, pensiones & onera ipsis in posterum adnexa solvere teneantur: aliàs à talliis & aliis exactionibus omnino liberi & immunes*. Can.21. Omnibus quoque eximuntur pedagiis, nisi mercatores sint.

In Concilio Generali Lugdunensi I. anno 1245. tum, alia Friderico II. Imperatori flagitia adscribuntur, tum quod Clericos, eorumque res subsidiis & tributis gravaret. In Concilio Biterrensi, Can.22., anno 1246. innovatum est Decretum Concilii Narbonensis, tributis publicis subjici non posse, sive Clericos ipsos, sive eorum patrimonia. In Concilio Nannetensi anno 1264. excommunicati ipso facto declarantur, qui tributa exigent ex bonis Clericorum, quæ transvehuntur, nullo animo negotiandi: *Cum Juris sit provisioni statutum, ne pro rebus Ecclesiasticarum personarum pedagia exigantur; prohibemus, ne pro rebus Clericorum, aut quarumcumque Ecclesiasticarum personarum, quas non mercimonii causa duci faciunt per terram, aut per aquam, quisquam pedagia exigat, vel costumas, aut exactiones aliquas, quocumque nomine censeantur*. Can.7. In Concilio Coloniensi idem decretum est, Can.8., anno 1266. uti & in Budensi anno 1279. & in Virsburgensi anni 1287. Con.59. 60.

In Concilio Compendiensi, Can.40., anno 1304. sub Roberto de Curtenaco Archiepiscopo Remensi, excommunicationis telo confixi sunt omnes, qui Clericos non conjugatos vectigalibus subjicerent, aut qui virgine in uxorem ducta, more Clericorum vitam degebant, nulla implicati negotiatione, quanquam ut tributis vexari possent, hanc illis affingerent Laici calumniam, quod mercimoniis vacarent. *Quia nonnulli servientes temporalium dominorum & justitia laicalis, asserentes Clericos tam non uxoratos, quàm uxoratos, qui tamen cum unica & virgine contraxerunt, esse publicos mercatores, tallias & collectas imponunt eisdem, & extorquent ab eis invitis, quamvis clericaliter vivant, nullis se mercimoniis implicantes*, &c. Can.2.

Concilium Provinciæ Auscensis anno 1315. pœnis Canonicis subjecit eos, qui vel Clericis ipsis, vel eorum bonis onera publica indicerent. *Talliis, vel collectis eisdem, vel eorum bonis imponendis*. Can.2. Enucleatiùs aliquantò in Concilio Avenionensi anno 1326. de immunitate Clericorum, & rei eorum etiam hæreditariæ, convenienter legibus & Canonibus, jussis incitatisque Episcopis, ut infracta animi virtute has saltem tueantur fugientis Ecclesiasticę libertatis reliquias. *Item quod Clerici & hospitalia & Ecclesia à talliis & exactionibus, quas domini temporales faciunt etiam ratione temporalium possessionum, necnon & in patrimonialibus, secundùm leges & Canones defendantur per Ordinarios, nimis hactenus super hoc negligentes*. Qui mox sequuntur Canones, ii Xenodochiorum immunitatem defendunt, eamque vetustam Clericorum facultatem, ut frumenta sua transvehant & divendant, nihil obstrepentibus statutis urbium contrariis. *Cum statuta sæcularium Ecclesias, aut Ecclesiasticas personas non astringant*. Can.32. 33. 34. In famosa collatione anni 1329. inter Prælatos & Magistratus Regios coram Philippo Vallesio Rege Parisiis, à Clero declaratum est, non antè tributum à Christo persolutum fuisse, quàm suam ipse immunitatem præfatus testatusque fuisset, vitandę tantùm offensionis gratiâ id à se persolvi. At impręsentiarum non posse similiter illud à Clero solvi ad declinandum offendiculum; quod non ignorantię jam offendiculum hoc esset, sed nequitię meditatę, cui concedendum omnino non est. *Quia tempore Christi fuisset scandalum pusillorum ex ignorantia & non ex malitia; & nunc esset scandalum Pharisæorum, qui peccant ex malitia: ideo tunc fuit solvendum, propter scandalum vitandum, sed modò non*.

Concilium Andegavense anni 1365. statutum confirmat superioris Concilii ad Castrum Guntherii, & excommunicatos *ipso facto* declarat eos, qui tributis onerarent Clericos, quorum transveherentur frumenta, alięque terrarum fruges, ex fundis etiam patrimonialibus, ut eas vendant, & suis applicent usibus, cum nulla hîc mercimonii species, aut vel umbra sit: *Res proprias Clericorum declaravit Synodus vina & bluda, & alia de rebus suis hæreditariis, & quas in terra sua vel Ecclesia recolligunt*. In eodem Concilio eidem excommunicationi subesse jussi sunt Duces, Principes, Barones, aliique Nobiles, qui novas Clericis minimè assentientibus indicent exactiones. *Prohibemus, ne aliqua Ecclesiastica, vel sæcularis, impositiones, seu exactionis tributa subsidia, vel aliquas novas impositiones, à personis Ecclesiasticis, terris, vel hominibus Ecclesiæ, de novo exigat, sine consensu illorum ad quos spectat*. Can.23. 24. 28.

In Concilio Vaurensi anno 1378. firmata & novo vigore roborata sunt decreta hæc omnia, non modò ad convehendas Clericorum res, sive ad easdem divendendas citra ullius tributi solutionem, sed ad immunitatem omnium onerum, quibus Laici sustinentur. In Concilio Narbonensi anno 1374. damnatæ sunt commentitiæ donationes agrorum, qui ad Clericos transferebantur, ut oneribus & vectigalibus publicis subducerentur; quin etiam Episcopi ut in has inquirerent fraudes, cogerentque possessores, pro agris in fraudem donatis tributa solvere. *Ad nostrum pervenit auditum, quod nonnulli Clerici soluti, & tam in minoribus, quàm in sacris ordinibus constituti, & etiam Religiosi aliquè sibi procurent donationes rerum immobilium fieri in fraudem, ut bona sic eis donata ad contributionem talliarum laicorum pro rata teneantur. Nos igitur talibus fraudibus obviare volentes prohibemus, ne hujusmodi donationes in fraudem admittant. Quod si fecerint, volumus & ordinamus, ut per Judicem suum Ecclesiasticum, cum de prædicta fraude sibi constiterit, ad solutionem talliarum pro rebus eisdem donatis compellantur*.

V. Concilium Constantiense anni 1418. cum confirmasset capita quædam Bullarum aurearum Friderici II. & Caroli IV. Imperatorum, immunitati Ecclesię vehementer suffragantia: *Voluerat Imperator, quod nulla Communitas, vel publica persona vel privata collectas, seu exactiones, angarias, vel perangarias Ecclesiis, vel aliis piis locis, aut personis Ecclesiasticis hujusmodi imponeret*, &c. Constituit, ut ne quis Princeps possit quidquam oneris aut tributi imponere Clericis, citra consensum Papæ; & assentiente Papa, necesse prætérea fore, ut Episcopus & Clerus loci assentiatur. *Sancta Synodus hoc perpetuo statuit & ordinat, quod nulla persona sæcularis cujuscumque dignitatis existat, etiamsi Imperiali, Regali, vel quacumque præfulgeat, sub prætextu consensus Episcopi, Clero tallias, impositiones, vel onera & subsidia imponat, exigat, vel recipiat, nisi prius Romano Pontifice consulto, sub pœnis, bannis, vel censuris eisdem. Idem per omnia Romano Pontifice dictas tallias, vel collectas imponente, vel imponi mandante, consensu Episcopi, vel Cleri non accedente*.

Extremum hoc & summum fuit munimentum immunitatis rerum Ecclesiæ. In Concilio Lateranensi III. prohibitum fuerat, ne quid à Clericis exigeretur, nisi Episcopus & Clerus ipse judicarent,

&

& assentirentur opis aliquid ad poblicas necessitates Principi conferendum esse, ubi oneri minus pares essent Laici. Sed cùm perfacile & perexpeditum esset Principi, Episcoporum & Primorum Cleri consensum expugnare, in Concilio IV. Lateranensi declaratum est, necessariom fore & Papæ consensum. Cum rursus autem & Pontifices Regum benevolentia & ope non rarò indigerent, atqoe ita procliviores essent ad assentiendum, ut ab illis gravissima quædam onera Ecclesiis regni imponerentur; huic discrimini obviam itum est à Concilio Constantiensi, sancitumque, ut cum flagitasset Rex, cum assensus fuisset Papa, desideraretur adhuc consensus Episcopi & Cleri. Ea fuerat enimvero Conciliorum Lateranensium tertii & quarti voluntas, ut ne quid usquam ex bonis Ecclesiæ exigi posset, nisi ex consensu Episcopi & Cleri: ne assentirerut Papa, nisi assensum iam præstitissent suum Episcopus & Clerus: & ne tum quidem semper assentiretur. At increbuerant exempla tamen contraria, ubi Episcopi & Clerici omni virium contentione reluctabantur adversùs conspirantem Regum & Pontificum ineluctabilem authoritatem. Ideo & mox in hoc Constantiensi Concilio revocatur, si quid à Pontificibus concessum fuit Principibus, ut à Clero tributa, & cujusque generis vectigalia exprimant.

Paucis antè annis, nimirum anno 1415. Clerus Gallicanus apud Biturigas congregatus ad Regem Carolum VI. vehementissimas literas dedit, & multa eruditione aspersas, ut nova in vinum exactione Clerici absolverentur. Anno 1428. cum Galliæ penè universæ imperitarent Angli, & ipsi Lotetiæ; à doce Bethfordiensi Prorege convocatus est Parisiis Clerus Gallicanus, petitumque ut assentirentur ad Regni urgentem necessitatem Clericis imponi, quæ Laicis indicebatur exactionem novam, prolatis ad hoc ipsum Pontificis Bullis. Resoonsum est porro à Clero. fictitias illas esse necessitates, quibus subrepta fuerat Bulla Pontificis: cum unus taotùm alendus esset exercitus, & ex Regis Palatio sumptus idoneus suppeditandus, cui rei Regium domanium satis esset soperque; prioribus exactionibus exhaustum jam esse Clerum; abstentum olim fuisse ab his quoque in populum exactionibus; & vel tum tamen abundasse exercitibus numerosioribus sua stipendia, præter eapensas alias multò plures. Deoique appellavit Clerus ab Delegatis Papæ huic negotio præpositis. *Concil. Gene. Tom.12. pag.304. 380.*

In Concilio Andegavensi anno 1448. innovatæ sunt excommunicationes omnes olim vibratæ in Concilio ad Castrum Gontherii in eos qui jura quæpiam exigerent ex bonis Clericorum, sive Ecclesiasticis, sive patrimonialibus, quæ convcherentur, non ad commercium, sed usum Clericorum. *Can.9.* In Concilio Lateranensi V. *Sess.9.* anno 1514. sub Leone X. oovus vigor additus Canonibus Conciliorum Lateranensium superiùs explanatis. Sed cum nec hi Canones, nec ulla alia decreta prohibeant, quin sponte sua Clerici ea bonis non hæreditariis rantùm, sed & Ecclesiasticis, conferant aliquid ad Regni necessitates; quin ea adverso, sua hac permissione invitare Clericos videantur, utpote quibus chara esse debeat patria, charos Princeps: in Concilio Provinciali Bituricensi anno 1528. concessæ sunt Francisco I. Regi decimæ ad redemptionem filiorum ejus ex Hispanica captivitate, ubi obsides retinebaotur. *Super requisitione domini nostri Francorum Regis in Concilio proposita, rogatis & scrutatis singulorum sententiis, necessitateque urgenti considerata, super solvendis quatuor decimis pro redemptione filiorum ipsius, &c.* Sed de hujusmodi decimis ac donis copiosiùs, Deo dante, capite proximo. Quanquam uberrima ex hac materia strictim aliqua tantùm libare possimus, ut quæ operosis Commentationibus vix satis expediri posset, & perinde, ut res postulat, explanari. Plura peti poteruot ex Actis & Monumentis Ecclesiæ Gallicanæ. *Memoires du Clergè.*

CAPUT XLIII. *P.4. l.3. c.24.*

Immunitas bonorum Ecclesiæ & Clericorum in Gallia, Italia & Germania. Decimæ. Dona gratuita, post annum Christi millesimum.

I. Peculiaria quadam observantur in Decimas Saladinas, qua prima à Clero ad sacras expeditiones persoluta sunt.

II. Quæ Philippi Augusti exactiones alia in Clerum. Libertates Ecclesia in se receperat ille defensandas.

III. Ut Philippus Augustus sua in Clerum tuitione tantisper suspensa, Clerum Remensem compulerit, non solis precibus sibi adesse.

IV. De aliis exactionibus deinceps studio Regum, Conciliorum & Pontificum ad bella sacra. Libertatis sua Clerus semper compos, gratuita tantùm obtulit dona.

V. Post sacra Palastina bella, eadem decima, eadem dona gratuita, ad alia bella tutanda Religioni conducibilia, Pontificibus & Regibus in id connitentibus.

VI. Decima ad bella sacra innovata sub B. Ludovico Rege. Horum bellorum, & Decimarum eò pertinentium defensio.

VII. Sub Philippo III. ejus filio collecta Decima Cleri ad bellum primò Palastinum, post ad Aragonium. Quæ universim causa exigendarum Decimarum.

VIII. Iterum Decimæ sub Philippo Pulcro. Cur tanta tum Papæ authoritas, consensio Cleri & Principum tam aspernabilis. Ut decima ordinaria tandem evaserint, & annuæ; denique ut in ærarium Principum confluxerint, ad regni necessitates consumendæ.

IX. Dissidia Bonifacii VIII. & Philippi Pulcri. Bonifacius suam Constitutionem explanat, ut Regi gratum faciat in causa Decimarum. Eam Clemens V. revocat.

X. Contextio & series historica Decimarum Cleri & donorum gratuitorum sub Regibus sequentibus usque ad Philippum Valesium. Denique ubi nulla jam bella sacra fuere, eædem Decimæ persoluta sunt ad Ecclesiarum & Provinciarum regni defensionem.

XI. Eædem Decimæ sub sequentibus Regibus usque ad Concilium Constantiense adversùs Turcos, & ad Sedis Apostolicæ necessitates, flagrante potissimum schismate Avenionensi.

XII. Concessiones Decimarum Cleri factæ à Martino V. & posterioribus Pontificibus, adversùs Turcos & ad alias Ecclesiæ Regumque necessitates. Sacræ hæ Decima ad alia quandoque intervertebantur; sed & iniquis, justis quandoque etiam suspicionibus plus æquo indulgebatur.

XIII. De Decimis sub Francisco I. Rege & successoribus. De Contractu Pisiacensi. De Contractu Decimarum.

XIV. De Donis gratuitis.

XV. De alienationibus rerum Ecclesiæ.

XVI. Nonnulla animadvertuntur ad has exactiones in Clerum.

XVII. Pragmatica Sancti Ludovici.

I.

I. Cum res Angliæ suprà persequeremur, diximus jam anno 1188. ceptum esse Clero Decimas indici ad impensas belli sacri. Philippus quippe Augustus, referente Rigordo, Comitia Regni Parisiis habuit, quò Archiepiscopi, Episcopi, Abbates & Barones coaluere; ibi bene multi cruce signati & sacram militiam professi sunt; Cleri populique assensu Clericis Laicisque imposita est decima proventuum & mobilium bonorum. Illæ denique fuere Decimæ Saladinæ. *Media Quadragesima Parisiis celebratum est generale Concilium à Philippo Rege convocatis omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & totius Regni Baronibus. In quo innumerabilis militum multitudo, seu peditum, Sacratissima Cruce insigniti sunt. Et propter hanc instantem necessitatem, oppidò enim iter Hierosolymitanum Rex affectabat, cum assensu Cleri & populi quasdam Decimas ab omnibus esse accipiendas eo tantùm anno decrevit, quæ dictæ sunt Decimæ Saladini.*

Constat ergo in eum dumtaxat annum impositas fuisse has Decimas; *eo tantùm anno.* A' Laicis etiam solvendas fuisse, *Ab omnibus.* Idque factum *cum assensu Cleri.* Ingenti urgente necessitate, & ad Hierosolymæ & Terræ Sanctæ subsidium. *Propter instantem necessitatem.* Quid in his omnibus postea novatum sit, infrà aperiemus. Nec illud leviter prætereundum, quod ait Rigordus, Mobilium quoque decimas collectas fuisse. *De omnibus mobilibus suis, & de omnibus redditibus suis.* Hac exactione absoluti non fuere, nisi Cistercienses, Chartusiani, Frontis-Evrardi Cœnobia, & Xenodochia Leprosorum.

II. Id rursus ab eodem Rigordo observatur, ad annum 1194. pluribus Philippum Augustum exactionibus onerasse Ecclesias, & ingentem prorsus coacervatam esse pecuniam, cum cæteroqui ipse sumptibus parceret. Avaritiæ alii, alii ambitionis ergo invidiam illi faciebant; At Rigordus testatum facit non aliò eum spectasse, quam ut Palæstinam Christiano nomini & Imperio redderet, pristinam & Francico regno tum amplitudinem redintegraret, tum dignitatem; persuasus in præsentes illud angustias devenisse ex pecuniæ inopia, qua priores Reges nequissent, vel arces, ut par est, munire, vel Regni pomæria ad antiquos limites proferre copiosorum exercituum fortitudine. *Ecclesias in regno suo existentes gravibus exactionibus vehementer oppressit & insolitis. Thesauros etiam multos in diversis locis congessit, expensa modica contentus: dicens, quod prædecessores sui pauperes existentes, tempore necessitatis stipendiariis militibus nihil ministrantes, ingruentibus bellis, regni diminutionem passi fuerant non modicam. Principalis tamen intentio Regis erat in thesaurorum congregatione, sanctæ Terræ Hierosolymitanæ à Paganis liberatio & Christianorum restitutio, & regni Francorum ab inimicis strenua defensio. Licèt quidam minùs discreti Regis ignorantes propositum & voluntatem, ambitionem ei nimiam, & avaritiam objicerent. Sed quia tempus colligendi & tempus spargendi quod collectum est, à sapientibus didicerat, nacta opportunitate multum collegit, ut tempore necessitatis pluribus plurimum spargeret. Quod in munitionibus civitatum, & murorum reparationibus & castellorum ædificationibus innumeris manifestissimè declaratur.*

Vides quanto Rigordus Sandionysianus Monachus, & Philippi Augusti Chronologus distet intervallo ab Anglis Monachis & Scriptoribus superiùs relatis. Quàm virulenta horum maledicentia, tam castigata hujus scribendi moderatio. Nec assentatur ille tamen Philippo suo, quem non dissimulat plus æquo gravasse Ecclesias. Sed illum affirmat sibi parcum, domi sobrium, effusissimum porrò in Regni defensionem, in Ecclesiæ salutem, in Christianæ fidei per Orientales expeditiones propagationem. Enituit sanè, quàm totus in eam gloriam Rex incumberet, uti & in eam spem, ut libertates Ecclesiæ defensaret, cum anno 1215. ante prælium Bovinense, cum obvios & expugnandos haberet geminos earum libertatum acerrimos hostes, Ottonem Germaniæ Imperatorem, & Joannem Angliæ Regem, piissima & luculentissima prece Deum interpellavit, pro victoria sibi quodammodo debita pro Ecclesia certanti adversùs ejus adversarios, sanguine pauperum & Cleri rapinis jamdiu agmina sua saginantes. Juvabit ipsius Regiæ ad Deum precationis verba hic assuere. *In Deo tota spes & fiducia nostra est posita. Rex Otho & exercitus suus à domino Papa excommunicati sunt, qui sunt inimici & destructores rerum Sanctæ Ecclesiæ, & pecunia, quæ eis stipendia ministrantur, de lachrymis pauperum & de rapina Ecclesiarum Dei & Clericorum acquisita est. Nos autem Christiani sumus, communione & pace Sanctæ Ecclesiæ fruimur, & quamvis peccatores simus, tamen Ecclesiæ Dei consentimus, & Cleri pro posse nostro defendimus libertates.* His ad Deum precibus à Rege verè Christianissimo fusis, milites expetiere, ut & bene sibi precaretur; paruit Rex, benedixit Exercitui, & tum pugnæ initium factum. Aderat Rigordus ipse à tergo Regis, ut Capellanus ejus, cum alio Clerico, preces Deo ingeminans, Regiis prorsus consentientes: *Cum pura devotione coram Deo reducebant ad memoriam honorem & libertatem, qua Dei Ecclesia gauderet in potestate Regis Philippi, & dedecus & opprobria, quæ patitur & passa est per Ottonem & per Regem Joannem.*

Observavit & Vuillelmus Britto, Philippum hunc Regem, ubi primum inunctus & Regio diademate cinctus fuit, militiæ suæ primitias Ecclesiæ defensioni statim dicavisse, expugnatis Nobilibus quibusdam, compulsisque, ut Ecclesiæ & Clero prædia restituerent, à se priùs usurpata. *Tanquam manu forti prædonibus institit illis, quod quidquid tulerant Clero Clerive colonis, procedente priùs emenda restituerent. Sic novus ille sua Rex in novitate, suorum primitias operum, sic primula præmia Christo Ecclesiæque sua devota mente sacravit. Leg.* 11. Sextum-decimum ætatis annum tunc agebat Philippus, & suis idem amori, hostibus terrori erat, ut invictissimus Ecclesiæ & Cleri propugnator. *Rex sextum-decimum nondum compleverat annum, Ecclesiamque Dei sic tutabatur, ut omnes Athletam Christi protestarentur eundem, & defensorem fidei.* Ita ille in Philippiade sua carmine scripta.

III. Non deviavit à proposito oratio, cum hinc manifestè elucescat, quò converteret, & quos in usus dependeret Philippus Augustus Ecclesiæ pecunias, Cleri decimas, & quàm necessariò Ecclesiæ Regi nulla re, non fisco, non ærario suo deesset, qui non sua tantùm, sed & se ipsum tuendis ejus rebus & libertatibus impenderet. Ab eodem denuò Vuillelmo Brittone refertur, cum aliquando exaruisset Philippi pecunia, nec suppeteret unde miles stipendia acciperet: interpellatum ab eo esse Clerum Remensem, ut opis aliquid afferret, ut solent Ecclesiæ Defensori & Advocato suo opitulari. *Clerum Remensem petiit, scriptoque rogavit ut sibi subsidium fieret, quo gratior illi ad tantos vellet sumptus impendere gratis, ut solet Ecclesia patronos sæpè juvare. Ibidem.* Surdis auribus Regias preces audiit Remensis Clerus; testatus, se precibus suis Regi opem laturum, at religione & prohiberi, ne quid pecuniæ daret, ne valeret in posteros exempli authoritas. *Nè postea fortè Ecclesiæ pariant ex consuetudine damnum.* Non adhibuerat Rex, nisi preces. Nec donum poposcerat, nisi gratuitum & liberum. Itaque repulsam passus, do-

doloris sensum aut exclusit, aut dissimulavit. Sed mira arte & sapientia inconsultos illos suarum immunitatum defensores edocuit, non satis providè eas vindicari, alienando à se ejus animo, qui earum ex officio regio vindex esset invictissimus. Comites Retelenses, Cuciacenses, aliique invasere non multò post in agros & ditiones Capituli Remensis. Tum Canonici Regiam opem appellare. Rex suis & ipsum precibus respondit se pari vice eis affuturum. *Vos prece me sola nuper juvistis, eadem lege, velata nunc vice pralia vestra juvabo.* Literas enimverò Rex ad Comites dedit, oravitque, ut rebus Ecclesiæ parcerent. Comites armis terreri, non precibus flecti soliti, cœptis prædis non destitere. Tunc intellexit Clerus Remensis, quantum aberrasset à scopo tuendæ immunitatis suæ sibi proposito. Itaque pollicitus est, non precibus tantùm se, sed & pecunia laboranti Regno laturum suppetias, ut & Rex non solis precibus pro Ecclesiæ defensione decertaret. *Denique cognovit Clerus, vexatio quippè rem docuit, quanto studio quantove labore debeat Ecclesia sibi querere Regis amorem, summopereque ejus sibi procurare favorem, quo sine defendi nequeunt patrimonia Christi.* Haud mora Rex arma induit, prædatores compescuit, & prædas omnes Ecclesiæ curavit restitui.

IV. Cum primus & princeps omnium cœperit Philippus Augustus, & decimas, & nonulla alia jura ab Ecclesiis exigere; operæ pretium esse duximus ejus memoriam purgari; qua historiæ veritas passa est, & Anglorum ab eo Historicorum abstergi calumnias. De ejus exactionibus tam effusa est Vuillelmi Neubrigensis maledicentia, ut ipsa sibi fidem abroget. *Leg. 5. c. ult.* Stephanus Tornacensis in Epistola 171. ad Episcopum Suessionensem data, sibi eas displicere decimas non tacet. *Tributa & decimas solvunt Ecclesia, &c. Cum universos fiscus absorbeat.* Sed cui unquam nummorum exactioni remurmuratum non est? Cum Occidentalia Regna omnia eo bello implicata fuerint, probabile est decimas toto Occidente fuisse collectas. Refert Miechovius Polonicæ conditor historiæ, *L. 3. c. 27.*, anno 1189. Cracoviæ convocatum fuisse Concilium, ubi Pontificis Legatus Decimam Episcopis & omni Clero indixit ad Terræ Sanctæ recuperationem. Anno 1198. præscripsit Innocentius III. ad Archiepiscopos Ebrodunensem, Arelatensem, Aquensem, ut Provincialia convocarent Concilia, ut ibi ad sacras expeditiones pecuniæ indicerentur. *Rainald. n. 85. 69.* Utque ne in compendium Romanæ Curiæ id cessurum suspicari quis posset, voluit, ut pecunias ipsi colligerent Episcopi, easque Templarii & Hospitalarii Equites dispensarent. Italos ad id quoque Episcopos per Epistolas his persimiles excitavit.

Anno 1099. ab eodem Pontifice missus est in Gallias Cardinalis Goffridus, à quo convocato apud Divionem Concilio, Antistites nonnuli trigesimam redituum suorum partem polliciti sunt, alii quadragesimam, ut Papa præscripserat. Pontifex ipse decimam, nec non & Cardinales polliciti sunt. *Idem n. 71. 73.* Anno 1200. Pontifex à Clero petiit quadragesimam proventuum. Anno 1201. missus ab eodem est Cardinalis unus ad Reges Galliæ, & Angliæ, qui eos invitaret ad Palæstinæ ferendas suppetias. Uterque Rex quadragesimam spopondit redituum suorum partem. *Ad cujus mandatum ipsi Reges concesserunt se daturos quadragesimam partem omnium redituum suorum de uno anno.* Ea verba sunt Rogerii. Ita annuæ propemodum in Ecclesiam invalescebant exactiones, pro Ecclesia nimirum ipsa. Liberæ primum & voluntariæ fuerant hæ solutiones pecuniæ; sed Pontificum & Regum industria ac vigilantia, ita diu, ita instanter expressæ sunt, ut jam ferè detrectari non possent, cum gravis urgeret necessitas Christianæ Reipublicæ, cujus illi sunt provisores. Sed qua demum cumque authoritate, vel potestate elicitæ, vel expressæ sint à Clero decimæ, certum est tamen illibatam semper illi constitisse suam assentiendi, vel dissentiendi libertatem.

Cum anno 1203. Mediolanenses vim adhiberent Clero ad extorsiones quasdam, acerbissimè ab eodem Innocentio castigati sunt per literas, concesso tantùm, ut voluntaria Cleri dona susciperent, quando illum publicæ calamitatis movisset commiseratio. *Decipiatis humiliter cum actionibus gratiarum, si quis forsan Episcopus & Clerus simul tantam necessitatem, vel utilitatem inspexerint, ut absque ulla coactione, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesiasticos duxerint conferenda. Idem n. 65.* Anno 1215. Concilium Lateranense IV. vigesimam à Clericis omnibus, decimam à Cardinalibus ad sacrum bellum solvi jussit. *Ibidem num. 14.* Anno 1214. cum Marchionem Montisferratensem excivisset Honorius III. Papa ad defensionem Imperii Constantinopolitani, ad Episcopos & ad Clericos, Latinos, Græcosque ejus Imperii literas præscripsit, quibus admonuit, statuisse se cum Cardinalibus, ut mediam partem mobilium & proventuum eos conferre juberent, exceptis vasis sacris, armis, & equis, quòd multò conducibilius esset dimidium proventuum sibi semel decerpi, quàm totum funditus succidi. *Attendentes satius esse, ut bona vestra & Ecclesiarum vestrarum pro manu tenendo Imperii statu communicetis ad tempus, quàm in ea omnia perpetuò amittatis; de fratrum nostrorum consilio propter urgentem necessitatem duximus statuendum, ut omnium vestrorum proventuum hujus anni, omniumque aliorum mobilium, qua nunc habetis in ipso imperio, exceptis dumtaxat Ecclesiarum thesauris, & vestibus & equis, & utensilibus, in quibus non est aurum, vel argentum, aut lapides pretiosi, medietatem integrè conferatis. Idem n. 25.* Cum ad subigendum Thessalonicense Regnum tunc expeditio ea spectaret, sacramento adactus est Marchio Montisferratensis, si eo aliquando potiretur, restitutum ab eo iri hæc tunc sive mutua, sive dona gratuita Ecclesiarum.

V. Quæ ad Palæstinæ primum sacra bella pertinuerant sacræ decimæ, ad alias ea mox deflexæ sunt Orbis Christiani necessitates. Sub jugum mitti Imperium Constantinopolitanum, & Græcam Ecclesiam Romanæ recolligi; tanti sanè res ea quidem fuit, non immerito sacræ decimæ ad id exigerentur. Albigensium hæreticorum colluvione pestilentissima cum vastaretur maxima Galliæ pars, hinc exorta necessitas cogendi Concilii Bituricensis, ubi Gregorii IX. Papæ Legatus decimas Cleri in quinquennium flagitavit, ut pestes illæ exscinderentur, nec latius serperent. Ludovicum ipsum Galliæ Regem, ejus nominis VIII. Legatus impulit, ut expeditioni ei ipse præesset, quò latiùs & copiosiùs de suo ærario Clerus conferret. Assensus Clerus dimidię decimę, & eam solvit: repudiato decimę nomine, ne usus, jusque invalesceret, sed *subsidii* obtentu. *Non quidem nomine decima, sed obtentu subsidii persolverunt.* Morte præmatura Regis bellacissimi, exaruit & Cleri largitas. Legatus Reginam Ludovici VIII. viduam, Noni matrem demeruit, ut ea assentiente Clerum sollicitaret ad illas in quinquennium decimas persolvendas. Sed ad Pontificem provocatum est à Capitulis Provinciarum Remensis, Senonensis, Turonensis & Rotomagensis, palam vociferantibus, Non passuros se, ut dono gratuito necessitas & servitus succederet ineluctabilis. *Attendentes, quod hoc ipsum, quod de liberalitate processerat, convertebatur in obligationem & servitutem.* Sic habent literæ Capitulorum eorum ad Gregorium IX. datæ anno 1227. *Rainald.*

num. 77. His querelis emollitus Pontifex mordaces ad Legatum dedit literas, jussitque ut anteacta omnia revocaret. Sed cum postea maturius perpendisset, quantas regiones depasta esset Albigensium lues ab obitu Ludovici VIII. & quanta spes affulgeret à filio ejus & successore Ludovico IX. ostendente se in ejus quoque sacri belli curam successurum: his, inquam, perpensis Pontifex Legati Constitutionem confirmavit, voluitque decimam à Clericis omnibus exolvi, ut in Concilio Bituricensi convenerat. *Promissionem factam Regi, de consilio pene totius Concilii Bituricensis.*

Anno 1229. persuasus Pontifex non Romanæ Ecclesiæ proprium, sed universæ commune esse bellum cum Friderico II. Imperatore, hoste nimirum Religionis infensissimo & libertatum Cleri: opem, copiasque flagitavit ab Episcopis Italiæ, Galliæ, Germaniæ, Angliæ, Hispaniæ. Quin & speravit ad id teneri Episcopos sacramento ipso, quo se obligassent, dum ordinarentur. Pauca hic excerpam ex ejus Epistola ad Archiepiscopum Lugdunensem. *Te in succursum Ecclesiæ advocavimus confidenter, utpote qui præstito juramento ad defendendum Papatum, & Regalia B. Petri teneris esse adjutor, &c. In virtute obedientiæ sub debito juramenti districtè præcipiendo mandantes, ac in remissionem peccatorum, tam tuorum, quàm eorum, qui tecum in obsequium Ecclesiæ venerint injungentes, quatenus cum congruo exfortio bellatorum ad nos personaliter venire festines. Ibidem n.* 35.

Non poterat his refragari Pontificis votis Beatus Ludovicus, cui tam familiare, tam frequens, quin & necessarium fuit ad Ecclesiæ decimas & collectas recurrere. Anno 1242. Lutetiam accersivit Episcopos Regni sui, & Abbates Benedictinæ familiæ, Cistercienses & Præmonstratenses, Procuratores denique Capitulorum Cathedralium, ab eisque pecuniarum expetiit subsidium, ad extinguendas Albigensium reliquias. Prælatos perhibet Matthæus Paris vacante tum Apostolica Sede, satis intellexisse quidem, nullo se vinculo teneri ad quidquam conferendum; sed præstabilius tamen duxisse, ut tempori servirent & necessitati. *Prælati videntes se Papali regimine destitutos, licèt non tenerentur de jure ad imperium alicujus sæcularis personæ in gravamen Ecclesiæ aliquod subsidium contribuere; considerantes tamen quia dies mali sunt, & ubi malitiado in strage est, subtrahendum est aliquid severitati, vicesimam partem redituum suorum illius anni sub brevi termino persolvendam universaliter promiserunt. Idem. n.* 27.

VI. Anno 1246. ex eodem Matthæo Paris Beatus Ludovicus Galliæ Rex gravissimo ex morbo recreatus, crucem induit, flagitavitque decimam redituum Cleri ad belli sacri impensas, licentia Pontificis antè impetrata. *Ex permissione Papæ Regnum suum sub obtentu peregrinationis suæ magnificè peragendæ, pecuniam non minimam extorquendo prægravavit multipliciter; accipiens de omni proventu universalis Ecclesiæ Regni sui decimam.* Certior est nobis & exploratior sanctissimi Regis Ludovici religio & integritas, quàm ut Matthæi Paris virulentia in obliquiores de eo opiniones abduci possimus. Addit porro ille vicissim Pontificem & Regem gratificatos esse, assensuque Regis flagitasse Pontificem eodem ipso tempore vigesimam proventuum ad Terræ sanctæ subsidium, cum in triennium Clerus eam subiret geminam sarcinam. *Et præter hoc quasi alternatim consentiendo dominus Papa ad subsidium Terræ sanctæ accepit vicesimam, videlicet uterque usque ad triennium.* Nulli non id quoque persuasissimum est historiæ Gallicanæ utcumque perito, nequaquam assensurum fuisse Regem, ut vigesima illa à Pontifice exigeretur, nisi perspecta ei fuisset & Ecclesiæ necessitas, & ejus pecuniæ in publicas utilitates dispensatio. Pergit idem Matthæus, & anno 1250. infinitam opum vim affirmat ex Gallia in Ægyptum, ubi tum Rex versabatur, transmissam fuisse, ex his nempe in Clerum exactionibus per triennium corrogatam; sed ex eventu ejus belli facilè judicari posse his exactionibus. *Sed hæc omnia de bonis Ecclesiæ per triennium extorta, quem finem sunt sortita, sequens sermo plenius declarabit.* Ad annum 1252. deterreri omnes ait debuisse exemplo Regis Francorum, ne extortæ Clero pecuniæ ad educendum vinculis Regem & ad ditandos Sarracenos effundantur. *Terrere vos debaret Regis Francorum exemplum, vobis pro speculo à Deo demonstratum, qui extortam à Clero pecuniam in suam hostibus distribuit redemptionem, & inde nostros inimicos, scilicet Sarracenos amplius saginavit.*

Longè alia erat Regis Ludovici, ut suprà diximus, de his existimatio, & Bernardi sanctissimi Abbatis sententiæ accommodatior, qui stupendis prorsus miraculis, ad sacram expeditionem innumerabiles incitavit & inflammavit copias, cujus tamen successus, si corticem rerum spectemus, luctuosissimus fuit. Quo in uno satis est argumenti, probatas à Deo has sacras in Clerum decimas fuisse, cum expeditiones, in quas illæ expendebantur, cælestibus prodigiis à Deo confirmarentur.

Anno 1267. Clemens IV. quem pauci inter Pontifices æquitate & integritatis gloria superarunt, eidem Ludovico concessit alias decimas in triennium ad bella sacra, & Legatum in Gallias misit, qui earum exactioni operam navaret. *Rainald. n.* 53. 54. Impatientiùs has rursum decimas tulere Capitula Cathedralia Galliarum, perscripseruntque Pontifici amarulentiores Epistolas, ubi & hoc ingerebant, iden Hierosolymam à Sarracenis rursum expugnatam fuisse, quòd & hic à fidelibus ipsis Ecclesiastica libertas profligaretur, Ecclesia servitutis jugo opprimeretur, & tributis. Rescripsit Pontifex, nec servitutem jure dici posse nec tributa, si quid annuorum proventuum ei impenderetur Ecclesiæ, cui Christus Sanguinem impendit suum; aut aliis Reipublicæ Christianæ necessitatibus, quarum penes Christi in terris Vicarium providentia est. *Sed aliàs interdum exigente necessitate, vel suadente utilitate, deliberatione provida, potestatis Apostolicæ plenitudo dispensat.* Si qui verò minùs curarent solvi se laqueo excommunicationis, quo essent innodati, ob detrectatas istiusmodi pensiones, non deesse Apostolicæ Sedi acerbiores pœnas, quibus eos insectaretur, degradationes, Beneficiorum abdicationes, sæcularium Magistratuum opem. Sordidissimæ denique illis objecit avaritiæ dedecus & infamiam, qui tantillum pecuniæ ei causæ abnuerent, cui sanctissimus Rex, & Optimates Regni sanguinem impenderent. *Christianissimo Rege cum Magnatum multitudine se ad illius præparante subsidium, manus auxilii subtrahitur, &c.*

Anno 1256. narrat Continuator Abbatis Uspergensis anathemate confixum fuisse à Papa Germanum Canonum Commentatorem, qui ab ea pecuniæ exactione provocaverat, cui Germaniæ, æquè ut Galliæ Clerus subjiciebatur. Et hactenus quidem sola contrà niti videbantur Capitula. At anno 1263. Archiepiscopi Remensis, Senonensis, & Bituricensis intercessere centesimæ, quam Urbanus IV. ad Palæstinæ subsidia deposcebat. Hos Pontifex per Epistolas gravissimè objurgavit; esse omnino, quod pudore suffunderentur Episcopi, qui ne pecuniam quidem tantillam effundere in animum inducerent, ubi Reges ipsi sanguinem profundebant. *Idem n.* 13. Sed ubi eodem anno subsidium aliud flagitavit Pontifex, ad recuperandam Civitatem & Ecclesiam Constantinopolitanam, quam

Gre-

Græci ejectis Latinis receperant; multò obstinatiùs hi Præsules recusarunt, urgente nihilo segnius Pontifice, ne ita obdurescerent ad exitialia hæc Ecclesiæ vulnera, quæ tam illustri membro tunc, nempe Ecclesia Constantinopolitana truncabatur. Angli certè & Castellani non dissimili contumacia tum restiterunt, quin & Castellani à Nuntio ad Pontificem ipsum appellarunt. At non refrixit Pontificis ardor, quin Ecclesiæ Antistites vehementiùs urgeret, ne Ecclesiæ, hoc est, ne sui ipsorum corporis sinerent nobilissima membra succidi.

VII. Cum anno 1272. Clementis in IV. locum suffectus fuisset Gregorius X. recepto autem in cæleste Regum B. Ludovico Regi Philippus III. filius ejus successisset: missus est in Gallias à Pontifice Archiepiscopus Corinthi, aliquid subsidii expeditioris in Palæstinam acceleraturus, & Regi oppigneraturus Templariorum bona ad viginti quinque millia marcarum argenti. Rex eam pecuniam statim repræsentavit, ostenditque Pontifici sibi ipsi in votis esse eam in sacrum Palestinæ bellum profectionem. *Rainald. n.6. 7.* Anno 1274. Crucem induit, Legatumque Pontifex ad eum cum potestate exigendarum decimarum ablegavit. In his tamen pauperibus consultum voluit Pontifex. Immunitate omnium gaudere voluit Leprosos, Xenodochia, Monachos & Moniales mendicantes, necnon & Clericos, quorum Beneficii reditus septem libras Turonenses non superarent. *Idem. n.35.43.*

Anno 1275. in omnes propemodum Occidentis Ecclesias indictæ sunt Decimæ; quòd Rodolphus Imperator, & Reges Franciæ atque Angliæ crucem, sacræ militiæ insigne amplexi essent, & Pontifex ipse decrevisset in Palæstinam unà cum ipsis trajicere. Quas Concilium Lugdunense II. anni 1274. exigi decimas præceperat, ad annum usque 1282. illæ colligebantur, non sine frequenti dissensione, Episcoporum maximè Germaniæ, & Principum Septentrionalium. Concilium Provinciale indixit Archiepiscopus Magdeburgensis, cujus decreto compressa est ea decimarum exactio. Osnabrugensis Episcopus, quæ collectæ fuerant, eas sibi vendicavit. Archiepiscopus Coloniensis & alii suam in rem eas magna ex parte derivarunt. Rex Norvegiæ pati noluit pecunias collectas extra Regnum efferri. Nil intentatum reliquit Martinus IV. Papa, ut his mederetur malis. Sed nullæ crepuerunt, ut apparet, censuræ, cum Reges jam, & Archiepiscopi, atque Episcopi rei duces & authores essent.

Anno 1283. eidem Pontifex Archiepiscopum Cantuariensem delegavit, ut Regem Angliæ adduceret ad restituendas, quas in arcam suam intulerat, decimas, sacræ primùm expeditioni dicatas. *Rain. n.67.* Anno 1284. Regi Angliæ easdem decimas concessit Pontifex; utque novas ex Anglia, Hibernia, Vallia colligeret, dum Crucis ipse se insignibus vestiret, & in sacram illam militiam accingeretur. In Vasconiam & Ducatum Pontivii eas Anglo adjudicare abnuit, quòd eas jam Galliæ Regi Concilium Lugdunense addixisset. *Quia Regi Franciæ illustri secundùm ordinationem Lugdunensis Concilii est concessa. Idem n.36. 37. 39.*

Anno eodem 1283. cum Martinus IV. Arragoniæ Regnum Philippo Franciæ Regi contulisset; hic in Carolum illud transtulit filium in frequentissimo Lutetiæ Parlamento. Eadem opera concessit & decimam Pontifex bonorum Ecclesiæ ad Arragoniæ Regnum invadendum, misso Cardinali Joanne Coleto, qui adversùs Petrum Arragoniæ Regem copias colligeret explicato Crucis vexillo. Rex & Nobilium quidquid erat, crucem amplexatus est, ita perhibente eo, qui Regis hujus gesta literis mandavit. *Philippus grande tenens Parisius Parlamentum Regnum Arragoniæ oblatum sibi pro filio suo Carolo ab Ecclesia tunc recepit. Et concessa sibi fuit Ecclesiarum decima ad expeditionem dicti regni Arragoniæ conquirendi. Prædicavit etiam Cardinalis Romanæ Curiæ Joannes Coleti de cruce, ut irent homines super Petrum Arragoniæ condemnatum. Et tunc Rege Franciæ crucesignato, multi tam nobiles, quàm ignobiles, ad hujus expeditionem itineris crucem consimiliter assumpserunt. Du Chesne. Tom.5. p.542.*

Is fuit progressus sacræ militiæ, ac decimarum ei addictarum. Primæ expeditiones hujusmodi Hierosolymæ & Palæstinæ in Sarracenos expugnandæ dicatæ fuerant. Secundæ inopinato eventu abreptæ sunt ad subjugandum Byzantium & Imperium Constantinopolitanum; unde & optatissimum cepimus fructum, ut Græca Ecclesia Latinæ rursum copularetur. Tertiæ in Fridericum II. eruperunt, non Pontificum modò, sed & Apostolicæ ipsius Sedis hostem insensissimum, Clerique universi, & Christianæ demum Religionis. Quartæ in Albigenses afferbuerunt, & in Comites Tolosanos eorum duces & Antesignanos. Quintæ excitæ sunt in Petrum Arragoniæ Regem, qui Siciliæ regnum invaserat in Carolum Andium Comitem, B. Ludovici Francorum Regis fratrem, quem Pontifices utriusque Siciliæ Regno donaverant.

Anno 1282. Martinus IV. & Philippus Franciæ Rex confirmarunt fœdus initum à Roberto Duce Burgundiæ, & à Clero ejus ditionis, ut ne Dux posthac novas inveheret monetas, & decimas illi Clerus in biennium solveret, ad Palæstina Bella. Anno 1183. Hugo Dux Burgundiæ cum Abbate Dominæ Nostræ ad Castellionem super Sequanam pepigit, ut si ipse Hierosolymam proficisceretur, si filiam elocaret, si redemptionem solvi necesse foret, adesset sibi Abbas aliquanto pecuniæ subsidio, aut ex Ecclesiæ prædiis Dux trecentorum exigeret nummorum summam. *Recueil. pour. l' hist. de Bourgogne p.352. 300.*

Retorquendus jam nobis calamus est ad Martinum IV. gente quidem Gallum, sed carnis affectibus usque adeo septum & impervium, ut nihil unquam rei consangineis post adeptum Pontificatum contulerit, quanquam illi paupertate premerentur. Hujus cum minæ & censuræ cassæ cecidissent in Petrum Arragonium, Regnum ejus Carolo Valesio à Pontifice tributum est, expromptoque Crucis vexillo delectus in eum haberi cœpti, sacra militia quoquo versum promulgata. Legatus Pontificius anno 1248. jussus primùm invitare, mox & compellere Francos, Siculos & Provinciales, ut hoc triennio decimas solverent. *Rainald. n.10. 24.* Anno 1285. expostulavit apud Pontificem Rodolphus Imperator, quòd Regi Gallo ea decima concessa esset in Episcopatus Leodiensem, Metensem, Virodunensem, & Basileensem; oravitque ut id revocaretur. Excusavit Pontifex necessitatem, qua Rex Galliæ cogebatur causæ magis Ecclesiæ adesse, quàm suæ. Ejus belli exitus utrimque luctuosus fuit. Terra marique contritæ sunt Arragoniæ vires; & gloria hinc efflorescens lætior fuit, quàm diuturnior Philippo Regi Franciæ, præpropere extincto, dum in Galliam se reciperet. Nec tamen inauspicato in hoc successu satis causæ esset, ut diffideremus de ejus belli, & collectarum decimarum æquitate, nisi ex ipsis rei circumstantiis justiores nascerentur suspiciones.

VIII. Honorius IV. Martinum IV. Philippus Pulcher Philippum Audacem patrem excepit. Statim novus Rex fratrem constituit Arragoniæ regno invehere, eamque in rem Cardinali & Legato Joanni mandavit Pontifex, ut ei decimas ad annos quatuor juberet exolvi, concesso Regi, ut Capellæ suæ Clericos eximeret. Hæc anno 1286. gesta sunt. *Rainald. n.28.* At anno 1290. concessæ sunt à Ni-

colao IV. decimæ in annos sex ex Ecclesiis Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Valliæ Eduardo Regi solvendæ, cum numerosissimo exercitu Orientalem expeditionem meditanti. *Idem n.*13. 21. Rursus eodem anno Rodolphi Imperatoris querelis lacessitus est Pontifex, quòd ad Arragoniæ, Catalauniæ & Valentiæ Regnum perdomandum Gallo Regi decimas concessisset ex Ecclesiis Germaniæ corradendas.

Ex his posterioribus aliisque suprà relatis exemplis, perspicuum est; quanta in bis toto Occidente decernendis decimis Pontificum Romanorum emineret authoritas, non magnopere etiam quandoque laborantium de assensu Cleri priùs eliciendo, id denique sibi sumentium, ut Principibus eas adjudicarent, ex aliorum Ptincipum ditione colligendas. Non se continebant Principes, quin se gravari conquererentur; sed nihilo segnius solvebantur decimæ. Hortabantur Pontifices Episcopos, sed Legatis in mandatis dabant, ut eos compellerent. Raró censuris sæviebatur, sępè minis; & à vero non abhorret, Regibus Pontificio Rescripto & Legatorum præsentia fretis, facile & expeditum fuisse, ut decimas emungerent. Non injuria porro tantùm accessisse potestatis Pontificibus videtur in re omnium Ecclesiarum temporali, ex ipsius Ecclesię certissima necessitate, cui tunc temporis tot Concilia, viri sanctitate coospicui, Theologi celeberrimi, Pontifices, Reges, & utiles & necessarias esse consentiebant sacras illas expeditiones. Non tolerandæ aut levitatis fuerit, aut temeritatis, si quis contrà mutire ausit, cum vel maximè tanto exinde temporis intervallo non pauca interierint monumenta, ex quibus accuratiùs de re tota dijudicari posset. Nec nihil ad idem contulit Regum voluntas. Ad eos enim redibat emolumenti plurimum, ubi eis adjudicabantur decimę, & ubi in aliorum Principum ditiones adjudicabantur, denique ubi minùs laborabatur de Cleri assensu. Petenti Papæ, urgentibus Regibos, prodente se Ecclesię necessitate, restitum quandoque est tam absurdè & tam obstinatè, ut hinc ansam arripuerint Pontifices minùs curandi coosensus Cleri. Cum denique aliorum Principum ditiones aliis adjudicatę sunt, undecunque expediendę fuere machinę ad rem perficiendam.

Sed illud hic observari prę cęteris necesse est, subductis calculis & in unam summam revocatis annis, quibus pręscriptæ solutęque decimę fuere, constare peoe annuas & ordinarias fuisse in Gallia decimarum exactiones. His adde quod Reges, qui spe & voto belli sacri decimas exigere sinebantur, cessabant non raró à bello, sive quęsitis, sive veris objectis repagulis, nec cessabant ab exigendis decimis, quę tunc in eorum fiscum conferebantur. Anno 1291. *Rainal. num.*22. 56. 57. Nicolaus IV. Philippum Pulchrum iteratis Epistolis commonuit, ut aut quod in se receperat, ad bellum sacrum proficiscerętur: aut decimas restitueret, quę Parenti ejus Crucem induenti assignatę fuerant. Scripsit in eandem rem & ad Episcopum Parisiensem. Noo ita comparatę res erant Philippi Pulchri, ut decimas eas restitueret, cum hoc ipso anno 1291. alias ad sex annos postularit, ut fratri Arragonię Regnum subjugaret. Abnuit Pontifex, tum spe novi Regis Arragonii Jacobi humanitate & blanditiis demerendi, tum ne sacro bello in Hispaniis gerendo, expeditiones Orientales everterentur, cum Christiana res tum quidem in Palęstioa accisa & afflicta jaceret. Anno 1292. cum Eduardus Anglię Rex profectionem in Syriam adornaret, & præter jam sibi concessas regnorum suorum decimas; sibi donari postularet, quidquid decimarum persolutum fuerat jussu Concilii Lugdunensis in aliis etiam Regnis, quorum Principes ipsimet iter in Syriam non molirentur; repulsam passus est à Nicolao IV. propterea videlicet, quod Alfonso Castellæ Regi Gregorius ipse X. regni sui decimas annuisset; quodque ex decimis Germaniæ, & septentrionalium Ecclesiarum propemodum nihil in Ecclesiæ arcam influxisset. *Idem n.*7. 8. Hinc perspicis, quàm facili & quàm frequeoti flexu detorquerentur tandem decimæ sacræ in ærarium Principum. Quo tandem factum est, ut Clerus solvendis decimis insuefactus, ad bella sacra, sed longinqua, & persæpè inauspicata, imaginaria quandoque & ludificatoria, noo abhorruerit ab his Principi suo persolvendis ad incolumitatem & defensionem Regni & Ecclesiæ propriæ temporibus procellosis. *Spicileg. tom.*10. *pag.*323. 331. Anno 1294 Concilium Provinciæ Turonensis Salmurii congregatum, Regi concessit decimam unam ad biennium, *propter tuitionem Regni & Ecclesiarum*. Anno 1295. Episcopus & Clerus Andegavensis Regi annuerunt centesimam bonorum laicorum, qui ab Ecclesia feudi quidpiam obtinereot, vel retrofeudi. His vicissim Rex Chartas ad jurisdictionis & immunitatis tutelam largiebatur.

Nec secus Clerus Gallicanus aono 1299. cum Anglis Belgisque in Gallias conjurantibus, Regi adesse voluit spontanea decimarum largitione, licentia Bonifacii VIII. Papæ antè impetrata. Ejus autem licentiæ exorandæ necessitas existebat, non tam ex Concilii Lateranensis decreto, ut opinor, quippe cui utrimque derogatum fuerat, oec Clero Pontificis, nec Pontifice Cleri consensum semper expectante; quàm ex Bonifacii VIII. ipsius Constitutione nuperrima, quæ etiamnunc in Sexto radiat in eos, qui nova onera à Clero exigunt. Nec copiam tantùm fecit Bonifacius, sed & laudes præter spem omnium accumulavit iis, qui Principi ferrent suppetias, dum Ecclesiæ ille tuendæ seriò navaret opera, & nec nisi libera & gratuita acciperet dona, nec vinculum hinc necteret novæ io posterum servitutis. *Vestris supplicationibus annuentes, concedimus, ut si casus communis & evidentis necessitatis immineat, ac idem Rex vestram & aliorum Prælatorum, Ecclesiarum & personarum atque bonorum regni sui voluerit defensionem assumere, ac assumat, & efficaciter prosequatur, liceat vobis absque metu Constitutionis nostra prædicta, subventionem congruam, prout vobis videbitur, voluntariam, liberam, liberalem, non coactam, absque omni concussione, exactione & executione temporali ac laicali exigendam, hac vice impartiri*. *Rainal. n.*45. Præsules Gallicos laudibus in cœlum extulit idem Pontifex, decimarum spontaneam solutionem confirmavit, Regi concessit denique ad ingentes expensas ei faciendas, dimidiam ut partem caperet eorum, quæ fidelium legabat pietas ad subsidium Terræ Sanctæ. Non potuit apertius declarari, ut Episcoporum voluntate, & Pontificum assensu, decimæ redituum Ecclesiasticorum, quæ ab annis admodum centum cœperaot solvi ad bella sacra, detortæ sint ad libera & spontanea subsidia ad defensionem Regni & Ecclesiæ, cujus ex officio Defensores & advocati sunt Reges; cum Regni salute salus Ecclesiæ contineatur.

Decimæ sanè, quæ sub Martino IV. ad perdomandum Aragonicum Regnum solutæ sunt, eo collineabant, ut revocaretur in suum Regnum Petrus Rex, & abstraheretur à visceribus Siciliæ, in quam irruperat, & quæ beneficiario jure ab Ecclesia Romana obtinebatur. Nec absimiles decimas concessit Bonifacius VIII. anno 1300. Regi Arragonum & Comiti Artesio, ad expensas, vel jam factas, vel faciendas io defensionem Siciliæ adversùs Fridericum ejus incubatorem. *Rainal. n.*19. 20. Anno 1301. idem Pontifex Eduardo Angliæ

gliæ Regi id gratificatus est, ut ad regni sui levandas necessitates, dimidium caperet earum decimarum, quæ collectæ fuerant per triennium ex Anglia & Hibernia ad Ecclesiæ Romanæ subsidium. Non ad bella sacra, sed ad Ecclesię Romanæ, vel cæterarum Ecclesiarum necessitates, vel Regum ipsorum Ecclesiæ defensorum subsidium hę jam decimæ colligebantur. *Ibid. n.17.*

IX. Sed ne nobis excidat omnino, quod ferè jam prætervolaverat, de dissidio Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri: cum rescisset Pontifex gravissimè stomachatum Regem de nupera ejus Constitutione circa exactiones in Clerum: ad eum rescripsit: Nihil à se prohibitum fuisse, quod non antè jam damnassent Canones Conciliorum, & Decreta Sedis Apostolicæ; nec enim vetitum à se, ne Clerus conferret ad onera Regni, sed ne sine assensu Sedis Apostolicę id faceret. *Non enim præcise statuimus pro defensione, vel necessitatibus tuis, vel regni tui ab eisdem Prælatis Ecclesiasticisve personis pecuniarum subsidium non præstari: sed adjecimus id non fieri absque nostra licentia speciali.* Nec eam à se clausulam additam fuisse, nisi postquam innumerabiles quærimoniæ Romanæ Ecclesiæ auribus insonuerant, de Clero variis & novis exactionibus oppresso: nec abnuisse unquam Romanos Pontifices, quin Clerus Regi opportunè provisium suarum modo adesset, quoties ejusmodi necessitas aliqua declarata fuerat. *Objicius si quando per te, vel progenitores tuos pro necessitatibus regni ad Apostolicam Sedem sit habitus recursus, & omnis transierit petitio aures ejus, quin fueritis efficaciter exauditi, ubi nempe regni gravis necessitas immineret.* Adeo non intercessurum se, ne re sua & ope omni Regibus adsint Prælati: ut & assensurus sit ipsos distrahi potius calices mysteriorum & Sacram Ecclesiæ omnem supellectilem, quàm ut re ulla necessaria privari sinat Regnum, quod sedes Apostolica in oculis & in corde gerit, ut sibi semper addictissimum. *Nedum ab ipsius Prælatis, vel personis Ecclesiasticis tibi, vel ipsi Sedes eadem concederet ac faceret subveniri; verùm etiam si casus exigeret, ad calices, cruces aliaque propria vasa suas manus extenderet, priusquam tantum ac tale regnum, tam ipsi Sedi charum, immo charissimum & ab antiquo devotum, exponeret minoris curæ defectum, quo minùs ab eo efficacis defensionis præsidia sortiretur. Histoire du Differend. &c. p.18.*

22. Denique pręposterè & malitiosè detorqueri Constitutionem suam, si quis ex ea inferat, prohiberi Pręsules, quibus sunt aliqua Coronæ feuda, ne & obsequiis & donis in Regem statis defungantur. *Sunt qui malignè surrepunt, dicentes, jam non poterunt Prælati & personæ Ecclesiasticę regni tui servire de feudis, vel subventiones facere, in quibus feudorum ratione tenentur. Jam non poterunt unum scyphum, unum equum dare liberaliter Regi suo. Non fertur ad tales & consimiles interpretationes subdolas nostra constitutionis intentio, tum falsidicos interpretes non admittit.* Nec plura volebat Philippus Pulcher. Vide sis enim in quas voces erumperet ejus dolor, adversùs eos qui obtentu hujus Constitutionis, vel donum recusarent, vel mutuum, vel subsidii aliquid Regno ad discrimen & ad angustias adacto conferre. *Qui sanè mentis judicaret licitum & honestum, sub anathemate prohibere, ne Clerici ex devotione Principum incrassati, pro modulo suo Principibus assistant, contra ingruentes injustarum persecutionum adversitates, quocumque colore excogitato doni, vel mutui, vel subventionis, pro seipsis, pro Rege, pro regno pugnantibus, & resistentibus inimicis vi armorum, alimenta præbendo, vel stipendia persolvendo.*

Anno 1297. aliquanto eliquatius suam Bonifacius Constitutionem elucidavit, edita alia Bulla, qua id s. declarat, nec voluntatis suę fuisse, nec Constitutionem suam eo trahi posse, ut Clerus Gallicanus prohiberetur dona, mutua, munera Regi conferre, & Regno laboranti, dummodo procul sit exactio & vis, quanquam non nefas sit à Ministris Regiis, preces, & honesta quędam adhiberi invitamenta. *Declaramus quod Constitutio ipsa, vel prohibitio ad donaria, vel mutua, seu quævis alia voluntaria Prælatorum & personarum Ecclesiasticarum ejusdem regni, omni prorsus tractione & exactione cessante, se aliquatenus non extendat, licèt forsitan ad id Regis vel Officialium requisitio curialis & amica præcedat. Ibid. p.39. 40.* 2. Feuda sicubi sint Ecclesiæ data cum oneribus & obsequiis quibusdam, his utique oneribus & obsequiis obligari Clericos. 3. Si quod aliquando gravius & repentinum ingrueret discrimen vel Regi, vel Regno, tum posse Principem non expectato Sedis Apostolicę assensu opis aliquid postulare. *Adjicimus insuper quod si Regi & successoribus suis pro universali, vel particulari ejusdem regni defensione, periculosa necessitas immineret, ad hujusmodi necessitatis casum se nequaquam extenderet Constitutio memorata; quin potius Rex ac successores ipsius possint à Prælatis regni petere ac recipere pro hujusmodi defensione subsidium, vel contributionem, utque ad illum Prælati Regi suisque successoribus, inconsulto etiam Romano Pontifice teneantur; & valeant sub quota nomine, aut alias etiam imperari.* 4. An idoneę & satis graves sint necessitates, quę Clerum onerari cogant, conscientiam ipsam Regum à Pontifice onerari, si annum ętatis vigesimum attigerint: si necdum attigerint, Ministrorum cum ipsis ad gubernacula Regni sedentium.

Huic Bonifacii Constitutioni Joannis Ferrant in Tractatu, *De Juribus & Privilegiis Regni Francorum, Privil. IV.* superstruxit illud Regum Privilegium, Ut à Clero exigant, nomine Mutui, Doni, Subsidii Charitativi, ad defensionem Regni, sine nova permissione Papę. Sacra quodammodo erant, & Ecclesię usui dicata, quibus hoc donum exprimebatur, hęc verba; ut liquet ex Charta inter Antiquas Regum Anglię Constitutiones edita & qua referatur, *Pag.558.*, Cluniacenses quosdam Monachos in Angliam missos, ad eliciendum Charitativum subsidium ex omnibus ejus Ordinis Prioratibus, & ex Beneficiariis, qui his essent Prioratibus obnoxii; at Eduardum Regem vetuisse, nequid exigeretur. *Sub nomine subventionis, auxilii, mutui, sive doni, aut alio quocumque colore.*

Utque ad Bullam Bonifacii revocemus gradum, Decretalem Bonifacii, quę in Sexto legitur, sustulit Clemens V. resque eo omnes loco restituit, quo eas esse jusserant Concilia Lateranensia. Cęperat jam Benedictus XI. revocare pœnas ejus Decretalis, pręmonitis tamen Pręlatis, ut Decretis starent Conciliorum Lateranensium, quibus sancitur, ut nequid conferant Clerici, nisi ea urgeat necessitas, cui haud satis pares sint soli laici, & tum quoque nequid inconsulto fiat Pontifice.

Prope à vero abest Pontificem tum & Regem discrepasse verbis, re consensisse. Nec enim plura avebat Rex, quàm quę Pontifex pręsto erat annuere: nec Pontifici inciderat cogitatio obnitendi receptis usibus Regis & Regni Gallicani. Non gestiebat Rex nisi dona, & mutua, & quidem libera ac gratuita sibi offerri, nec nisi ad Regni defensionem ea expetebat; tuitionis suę Regię primas partes non nescius erat Ecclesię deberi; nusquam Reges abrupto Imperio quidquam à Clero extorserant, nisi interveniente Pontificis authoritate: vel summa quadam arctante necessitate. Idque totum Regibus Pontifices assentiebantur. Flagrabat Rex desiderio decimarum ad quinquennium, propter impensas belli Belgici incredibiles. Nec ta-

tamen nisi precario & nutu Pontificia speravit eaa à se obtineri posse. Eas ergo petiit, & à Clemente V. impetravit anno 1305. *Clement. L.3. Tit.17. Extrav. Commun. L.3. Tit.13.*

X. Anno 1306. Clemens idem confidebat à Carolo Valesio spectatissimę fortitudinis Principe expugnari posse Civitatem Constatinopolitanam, & ipsum Imperium, ideoque decimas Cleri ab biennium illi concessit. *Rainald. n.4. 14.* Anno 1312. *Idem n.2.* in Concilio Viennensi rursum ad Palęstinę subjugationem statutum est decimas exigi ab omni Ecclesia Latina. Anno 1315. *Idem n.22. Memoire du Cle. Edit.1. To.2 pag.119.* Ludovicus X. Galliæ Rex privilegia omnia Ecclesiarum Provinciæ Senonensis confirmavit, velut pari vice beneficii, pro oblata ad Regni defensionem decima. Anno 1317. *Rainald. n.49.* Joannes XXII. Eduardo Angliæ Regi concessit, iter Hierosolymitanum bellumque adornanti, ut exolvendis debitis suis, sextam partem impenderet decimarum Regni sui. Nec expressis tantùm his privilegiis, decimę ad sacras expeditiones solutæ, Regibus in alios usus absumendę permittebantur; sed postquam B. Ludovicus Rex Africano bello assumptus est, non jam bella sacra, sed bellorum consilia & tentamenta fuere, eaque prorsus sterilia, sive humanorum fluctuatione consiliorum, sive incurrentibus iis difficultatibus, quę superari non possent. Centies tamen interim iteratę decimarum exactiones, quæ in arcam Principum refundebantur; proderantque non longinquis Ecclesiis ab infidelium jugo eximendis, sed nostris hic muniendia.

Anno 1332. *Idem n.4.* Philippus Valesius Francię Rex Joanni XXII. Papæ paratum se & expeditum ostendit ad exercitum in Syriam deducendum; cumque tum pollicitationibus ejusmodi tam frequenter frustratis minus fidei adjiceretur; propositę sunt à Rege decimarum cupientissimo austerissimę quęque conditiones; Nimirum nisi prestituto tempore, aut certè septimo post mense itineri se committeret, decimæ jam tum revocarentur, nec nisi in sacram militiam converteretur, quiquid ex ejusmodi collectis corrasum esset. Anno 5333. Regem Pontifex certiorem fecit, generalem Crucis expeditionem à se promulgatam, ejusque summum Imperium ei se addixisse, decimasque in eam rem collectum iri ex omnibus orbis Christiani Ecclesiis. Author est Villani voluisse Regem, ut sex annorum decimę in antecessum sibi intra triennium penderentur ad belli impendia; at Pontificem consilio cum Cardinalibus communicato, respondisse: Ab annis quadraginta Majores ejus Reges Gallię decimas Ecclesiatum ad sacri belli impendia persolutas convertisse ad Christianos Principes oppugnandos; quo primùm die rei manum admovisset, statim affutura Ecclesię auxilia. *Spond. ann.1335. n.7. 1336. n.6.* Concessę postea fuere hę decimæ, & usque ad annum 1337. persolutę, quo cum exarsisset internecinum inter Francos & Anglos bellum, jamque sacrę militię spes omnis elisa esset, à Benedicto XII. revocatę sunt. Urgenti Philippo Regi eatundem decimarum ut protraberetur concessio, respondit Pontifex: Usque adeo illum sibi charum esse, ut si gemina sibi anima & salus esset, alteram ipsius causâ lubens in discrimen conjecturus esset: at eum una tantùm esset, certum sibi esse ei consulere, nec committere, ut de æterna salute periclitetur. *Rainald. anno 1337. n.21. 22.* Suboffensos primùm eo responso Rex, re maturiùs perpensa, acquievit & assensus est Pontifici, non tantùm ulteriores decimas abnuenti, sed & jam collectas restitui flagitanti. An verè restitutæ fuerint Ecclesiis suæ decimæ, non immeritò ambigitur, cum fidem faciant Historici, utrumque Regem, Franciæ, Angliæque ad belli contumacissimi & diuturni sumptus pecunias undique extudisse, & nec Clero pepercisse.

Erant Joannes XXII. & Benedictus XII. Pontifices originis Francicæ, cumque præterea sedem Avenione defixissent, non aliud illis dulcius erat, aut optatius, quàm ut de Gallis Regibus benemererentur. Prior tamen horum decimas non concessit nisi gravatè, & conditionibus cum primis gravibus: Alter eas revocavit, jussitque restitui, ubi primùm sacræ militiæ consilia evanuerunt. Itaque nihil est, quod quisquam suspicetur hos Pontifices & Reges publicam Ecclesiæ rem ludificatos esse. Seriò utrimque & sine fuco res tractabantur, fervebatque ultro citroque zelus ingens Orientalis Ecclesiæ restituendæ in antiquum splendorem. Sed tanta machinarum & copia & vis ad has expeditiones expediendas desiderabatur, ut perarduum esset, eas non modò ad optatos exitus provehi, sed vel incohoari. Harum generalium expeditionum consilia disceptata, initaque tandem fuere in Conciliis Universalibus totius Ecclesię Occidentalis, nempe Claromontano, Lugdunensibus I. & II. & Viennensi. Beatus Ludovicus non animi tantùm magnitudine, sed & sanctitatis gloria Reges omnes facilè superavit, & zelo idem ipse ęstuavit ad sacra Palæstinę bella. Ludovicus VII. Philippus Augustus, Philippus Valesius infucato amore Ecclesiæ flagraverunt, unoque eo impetu impulsi sunt ad Crucem induendam. Pontifices non famę tantùm, & Pontificatûs glorię, sed & conscientię suę consulebant, cum tota animi viriumque contentione connitebantur, ne tot Regna, tot Ecclesię Imperio Christi subducerentur.

Infractæ constantiæ suæ idem Bcnedi&na VII. specimen edidit anno 5340. cum instante Philippo Valesio Rege veniam sibi fieri sacramenti ejus, quo se obligaverat, ne ad alios usua deflecteret decimas belli sacri, aut ampliari saltem sibi tempus restitutionis, ac Præsulibus Regni affirmaret approbari, ut ea pecunia ad defensionem Regni adversùs Anglos dependeretur; cum non Regni tantùm, sed & Ecclesiæ salus eo discrimine quateretur: eam petitionem abjecit Pontifex, & Gallicanis Præsulibus succensuit, quòd ita mollescerent, & sanctissimas morum leges laxarent. *Rainald. an.1340. n.19. 25.*

Hinc patet in id procliviores fuisse Gallicanos Præsules, ut eæ decimæ tuendis muniendisque Regni Ecclesiis addicerentur. En ipsissima Regiæ ad Pontificem Epistolæ verba. *Ibidem: Quæ levari fecimus, levata fuerunt per consilium Prælatorum & aliorum de Consilio nostro, qui omnes nobis sine aliqua differentia retulerunt, quod ad tuitionem & defensionem Regni nostri ea levare & capere sana conscientia poteramus.* Ita inopinatò Clerus insolitam probare cœpit consuetudinem, ut decimæ solverentur, non jam ad Orientalium restaurationem, sed ad Gallicanarum Ecclesiarum defensionem. Et hoc ipso sanè anno Regi indultum est à Benedicto XII. biennii ut decimas proventuum Ecclesiasticorum acciperet quo Regnum adversùs hostes tueretur. *Ibidem n.18.* Quod ergo antè idem Pontifex ad Regias preces obsurduisse videbatur, ad juramenti forsan solemnitatem id magis pertinebat. Ita verò, quæ prius ad Palęstinam & Hierosolymam recuperandam decimæ annuebantur, abjecta ea spe concedi nunc cœpere ad Ecclesiarum ipsius Regni tutelam; cœpere & duo illa distingui subsidia Regibus à Clero pendenda; Donum gratuitum & Decimæ. Sed nondum certo ullo documento demonstratum est, utrumque, vel alterum saltem eorum annuum & ordinarium fuisse. His omnibus roboris nonnihil novi & luminis accedere potuis-

se

fet ex Chronico Nangii, & ejus Continuatore. Studio brevitatis loca ipsa indicabo tantùm. *Spicil. tom.* 11. *pag.* 461. 592. 597. 614. 620. 646. 721. 747. 803.

XI. Desinentibus profectò Palęstinę bellis, & fatiscente Orientalis Ecclesiæ recuperandæ cura, novi irrupere hostes in Ecclesiam ipsam Occidentalem, quæ ipsamet jam cœpit Turcorum infestationibus fatigari, ne dicam novis in dies eorum victoriis coarctari. Anno 1341. Clemens VI. nihil in præteritis reliquit, quo fideles omnes adversùs novos hos grassatores confœderaret, decimis indictis Clero Mediolanensis Provinciæ, & aliarum quarundam Italiæ Ecclesiarum. At eodem tempore tamen exigebantur decimæ ad tutelam Regni. Anno 1356. Innocentius VI. cum Joanne Francorum Rege expostulavit, quòd unius anni decimam à Clero suo exigeret, citra Sedis Apostolicæ, citra sdi ipsius Regni assensum Pręsulum, exceptis paucissimis. *Rainald. an.* 1356. Commemorat porrò Joannes Juvenalis Ursinus anno 1382. Parisienses inita cum Rege concordia, cui centum millia librarum essent persoluturi, *voluisse cives, ut Clerici ad id conferrent, quod æquitate repugnabat*. Ex eodem rursus ad annum 1392. *Pontifex in gratiam Regis Siculi, decimam ei concessit unam, at ei Regno sibi subjiciendo sumptus ne deessent. Intercessit Clerus & Universitas, provocatumque est ad Pontificem ab ejus Delegatis. Contempta fuit provocatia, invitis emuncta est pecunia.* Anno 1395. Pontifex Avenione à Rege invisus, quo illum suis partibus arctiùs constringeret adversus Pontificem Romę sedentem, *sua sponte, non petenti decimam concessit. Id Clerus molestè tulit, nec segnius tamen exigebatur pecunia.* Anno 1390. agi cœptum de decima exigenda. *Convocatus est Clerus, ut præstaret assensum. Multi abfuere, non pauci assensum sustinuerunt. Exigi tamen jussa est decima, magna sanioris partis indignatione. Denique Clericis detrectantibus ejus colligenda curam, Laicis ea tum demandata est. Jactabatur quidem ad resarciendam Ecclesiæ unitatem id pertinere, sed in longè alios & præposteros usus absumpta pecunia est, cujus & partem non modicam Principes aliique in rem privatam suam deflexerunt.* Cum anno 1402. Aurelianensis Dux designatus fuisset Regni moderator, per invaletudinem Regis germani sui, Clerum subjicere studuit publicis exactionibus ac tributis. Remensis & Senonensis Archiepiscopi forti & impavido pectore renisi sunt, nec anathematum fulminibus abstinuere. Publicis rumoribus circumferri cœpit, ętatis vitio uti Principem juvenem, *& regi magis eum posse, quàm regere*. Itaque mox Regni clavus patruo ejus Burgundiæ Duci commendatus est. Anno 1405. Benedictus XIII. Avenione Pontificatu fungens, *Genuam petere voluit, decimamque exigi præcepit, tum ex Galliis, tum ex Provinciis aliis, sua obedientia obnoxiis*. Intercessit Universitas, & immunitatis saltem suę rationem haberi voluit. Sed hi conatus pro nihilo reputati sunt. *Passim jactabatur ejus prædæ partem aliquam ad Principes & eorum ministros redituram.* Verùm Rex recuperatis viribus immunitati subscripsit Universitatis. Non ea fuit humanitate Rex Angliæ, quando Lutetia potitus fuit anno 1420. Coactis enim Comitiis marcarum argenti exactio decreta est, cui nec Clerici subduci potuere, nec Universitas.

Non pœnitet hujus Archiepiscopi verba ipsa hic adscripsisse, vehementiora illa quidem nonnunquam, sed ejus facilè moderationem animi admirabitur, quisquis Sandionysiani Monachi Annales pervolutaverit vitæ Caroli VI. Regis. Sigillatim has minutias enucleari opus fuit, ut liqueret, qui tandem factum sit, ut hæ Cleri decimæ toties collectę, tot actibus expressæ, tot causis, tot prætextibus tam frequenter Regno exportatæ, annuę tandem & ordinariæ evaserint, & in unius Regni utilitates revocatæ sint, maximè verò Ecclesiarum & Cleri, qui primus est & princeps regni Ordo. Tradit autem Sandionysianus Monachus, anno 1385. Clementem VII. qui Avenione primos sedem locaverat, minùs contentum *toto novennio decimas expressisse omnium Regni Beneficiorum*: voluisse novi aliquid oneris Clero universo imponere; Regem autem exauditis Universitatis querelis, revocasse, quidquid à se Pontifici concessum fuerat, atque Edictum promulgasse, quod magnopere conducere videretur luctuoso illo schismatis tempore, *Ne ullis posthac posset censuris cogi Clerus, ut subsidii quidquam solveret Cameræ Apostolicæ*. *L.* 5. *c.* 10. Decimæ Pontifici semper solvebantur, & tota Regis authoritate certandum fuit apud Pontificem, ut Abbatiæ Sandionysianæ reditus apud Cameram Apostolicam æstimarentur, ut nunc res essent, non ut olim cum necdum tot illa damnis & cladibus attrita fuisset. Anno 1392. Decimas Beneficiariis idem indixit Pontifex ad Andino Duci sufficiendas vires, opesque, quibus Siciliæ Regnum sibi subjiceret. *L.* 6. *c.* 6. Rex ipse Pontificem interpellavit, ut eo onere solveretur Universitas, cui accessere Præsules Regni, ut à Pontifice ad Pontificem pleniore rei notitia informatum appellarent. Foribus Palatii Pontificii Avenionensis appensa est Appellationis charta. Nec ea Pontificem charta remorari potuit, aut cohibere, quin decima exigeretur. Non prorsus dissidet hic. *L.* 14. *c.* 2. Scriptor ab Historicis Anglis, quippè non secus ac illis dolebat ei tot exactionibus exugi suum ipsum Sandionysianum Cœnobium, qunde etiam ait frequentissimas erupisse Clementis VII. querelas, uti & de Ecclesia Parisiensi, quæ ad omnem humanitatis sensum sibi occaluisse videbatur. Addit, *L.* 15. *c.* 17., verò anno 1394. fato suo occubuisse Clementem VII. *relictis in ærario Pontificio trecentis millibus nummorum aureorum, quæ ex decimis, aliisque annuis in Ecclesias Gallicanas Collectis coacervasset.* Anno 1405. nova à Pontifice decima exigi cœpta, tumque Parisiensis Universitas impatientissimè ferens de sua sibi immunitate controversiam fieri, justitium indixit ac silentium omnibus & Concionibus templorum, & scholarum lectionibus, ipsis etiam Adventûs & Natalitiis Christi diebus. Pervicit tandem Rex, ut immunitas ei sua tum constaret. Anno 1406. cum decretum fuisset obedientiam Benedicto XIII. subtrahi, prælusum est Senatusconsulto Parisiensi promulgato, quo statuebatur: *Ecclesiam Gallicanam deinceps immunem fore, ac liberam, solutamque ab omnibus decimis, procurationibus, subsidiisque aliis à Curia Romana perperam invectis*. *L.* 26. *c.* 2. 3. Anno 1411. cum Rex pecuniariam opem à Clero postulasset, graves in angustias Regno deducto: assensus est Archiepiscopus Remensis, Clerus & Universitas restitere, eo effervescentis zeli impetu, cui fræna potiùs admovenda essent, quàm calcaria. *L.* 31. *c.* 6.

Æstuationes miras & vehementes descripsit Monstreletius Ecclesiarum flagrante schismate eodem Avenionensi. Anno 1410. tradit ille. *Volum.* 1. *c.* 67. habitam fuisse Parisiis Congregationem Universitatis generalem, ubi constitutum est, ut si quid Pontifex exigere moliretur, si quas etiam vibraret censuras, ad Concilium Generale Ecclesiæ provocaretur. *Si verò à Pontifice evidens Ecclesiæ necessitas allegaretur, consecandum Ecclesiæ Consilium, ubique expediretur quæpiam exactio mitior, in modum subsidii charitativi.* Pœnæ denique in eos statutæ sunt, qui Decimæ solutioni acquiescerent. *Preuves des Liber. Gal. c.* 22. *num.* 12.

Non inani conjecturâ auguramur, horum aliquos Doctorum Concilio affuisse Constantiensi, ubi anno

no 1418. Martinus V. Papa constituit, 1. Ut religiosæ servarentur, Ecclesiasticæ leges, quibus vetatur, ne qui alii præter Romanum Pontificem decimas, vel alia onera Clericis vel Ecclesiis indicant. *Præcipimus & mandamus jura, quę prohibeat ab inferioribus à Papa decimas & alia onera Ecclesiis & Ecclesiasticis personis imponi, districtius observari.* 2. Ne vel ab ipso Pontifice imponerentur Clero universo, nisi causis gravissimis, & ad Ecclesiæ universæ salutem pertinentibus, idque tum ex assensu & subscriptione Cardinalium, aliorumque Antistitum, quorum commodè consilii copia fieret. *Per nos autem nullatenus imponantur generaliter super totum Clerum, nisi ex magna & ardua causa & utilitate universalem Ecclesiam concernente, & de consilio & consensu & subscriptione fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & Prælatorum, quorum consilium commodè haberi poterit. Sess.43.* 3. Denique ne quid Pontifex exigeret à Clero Regni, vel Principatûs cujuscumque, nisi ex consilio & assensu ejus loci Præsulum omnium, aut certè longè plurimum, tumque per Clericos Collectæ eæ fierent. *Ne specialiter in aliquo Regno, vel Provincia, inconsultis Prælatis ipsius Regni, vel Provinciæ, & ipsis non consentientibus, vel eorum majori parte, & eo casu per personas Ecclesiasticas & authoritate Apostolica dumtaxat leventur.*

XII. Mirabili quadam prudentia has leges condierat Martinus V. qui & illis obsequi cœpit ipse anno 1427. quando sacri belli classicum cecinit adversùs Hussitas Bohemos, qui decreta Concilii Constantiensis obstinatissimè aspernabantur, & à pristina vesania sua non aliter abduci se patiebantur. Decimas universæ Ecclesię Clero imposuit Pontifex, nec immunes abire passus est Cardinales, immo nec ipsam Apostolicam Sedem, cujus redituum quintam partem solvi jussit in hujus belli sumptus. *Rainald. n.9.*

Anno 1431. *Idem n.35.* Clerus Gallicanus apud Biturigas congregatus, Regi quartam decimę partem concessit, oravitque, ut convenienter decreto Constantiensi, ne sineret à Pontifice plura exigi, nisi assentiente Clero. Ita habetur in Additamentis Concilii Basileensis. Eodem anno 1431. Eugenius IV. Papa Cyprio Regi, ut obsides educere posset ex carceribus Sultani Ægyptii, quos ipsemet iis incluserat, ut ab illis vinculis exolveretur; concessit vicesimam partem redituum Ecclesiarum Hispanię, Anglię & Delphinatûs, præter pecunias jam collectas ex Ecclesiis Italię, Sabaudię & Pedemontii. Anno 1443. idem ipse concessit Alphonso Arragonum & Sicilię Regi ducenta millia florenorum auri per annos duos in omnes Ecclesias suæ ditionis, ad classem instruendam adversùs Turcos, quod meditari videbatur.

Anno 1452. *Idem n.9.* Nicolaus V. absolutionis beneficio impertivit Alfonsum Lusitanię Regem, qui exegerat, & Lusitanos ipsos, qui solverant decimas Clero inflictas inconsulta Apostolica Sede, quamvis gravi tum Regnum necessitate laboraret. Anno 1353. *Idem n.12.* idem ipse Nicolaus V. desiderio cum æstuaret recuperandæ Constantinopolitanæ Civitatis, quam recentissimè Turci expugnaverant, sacri belli classicum toto Occidente cani jussit, ideoque & universæ Clero Ecclesiæ decimas indixit.

Anno 1457. *Idem n.21.* Callixtus III. Carolo VII. Regi Galliæ blanditus est, ut decimam solvi assentiretur ab omnibus Regni Beneficiariis, eamque ad præsentium redituum modum definiri. Assensus est Carolus, quod de bello Turcico ageretur; sed cum mox Præsules eum commonuissent, nil posse sine assensu suo exigi ab Ecclesiis, nec nisi census veteris redituum cujusque Ecclesiæ haberi rationem debere; solemni diplomate illos recreavit Rex, quo contestatus est, quòd à se tum fuerat concessum, fore ut nihil in posterum Gallicanis libertatibus officere posset. *Spicil. tom.4. pag.391. Preuves des Lib. de l'Eg. Gall. c.22.n.20.*

Anno 1459. Pius II. Mantuæ Generalem Conventum habuit, ubi faces omnibus admovit ad bellum Turcis inferendum, qui non ita pridem Constantinopoli, Regnisque & Civitatibus compluribus expugnatis Christianos Græcos ejecerant. Probata est in hoc Conventu exactio universalis decimarum ex omnibus Occidentalibus Ecclesiis. Iniquo id passi sunt animo Germani, etsi proxima illis Græcia & finitima regio jam arderet. Causæ suæ non defuit Pius II. adversùs eorum querelas publicatis literis, quæ inter Epistolas jacent Jacobi Cardinalis Papiensis, quem simile veri est calamum suum Pontifici accomodasse. Juvabit sane animos advertisse & aures Pontifici, summa quadam animi moderatione aspersas sibi, sive suspiciones, sive calumnias abstergenti. Impositam ait fuisse decimam, non imperatam; non nescire se quàm molli pollice tractandę sint delicatæ Germanorum mentes: commendatum à se fuisse Legato, ne quid exigeret, nisi accederet Nationis assensus; propositam fuisse ab eo decimæ exactionem; non mandatam executioni. *Imposita est, sed non imperata decima. Nulli adhuc Nuntii; nulla litera visa, quibus mandetur Clero quidquam conferre. Non sumus nescii viæ, quam teneri cum Germanis oporteat. Venienti ad Legationem Nicæno colligendæ decimæ dedimus literas, hoc tamen adjecimus, ut nummum sine consensu Nationis non peteret. Illa volente, faceret quod esset injunctum. Mandatum servavit. De colligenda verò tractavit, non tamen ad executionem ullam processit. Ep.28.* Nec verò à Pontifice solo profectum esse consilium imponendæ decimæ, sed deliberatione & assensu Conventûs Mantuani, ad Christianæ Reipublicæ salutem. *Imponenda quoque decimæ solius nostri non fuit consilium, Mantuanus Conventus hoc approbavit. Ibi pro conservatione fidelium, consentiente tota Congregatione, decimale subsidium laudatum est, & receptum. Quod ergo tot Principum ac populorum & tanti cœtûs fuit consensus, uni nobis non est ascribendum. Si Natio dolet, nihil exigetur.* Mandatum denique à se fuisse, ut si decima colligeretur, in Germania ipsa & à Germanis usus ejus administraretur. *Quod colligendum in Germania erat, servari in Germania & à Germanis debebat. Nil inde fuerat exportandum, nisi quod natio in publicam salutem, vel ipsa converteret, vel utiliter converti videret.* Cautius hic aliquid & circumspectius vides, quàm quod in Concilio Constantiensi excogitatum & decretum fuerat. Quid enim sapientiæ, quid humanitati & moderationi accomodatius, quàm nihil exigere, nisi Nationis assensu? Nihil proponere, nisi res in Conventu Generali deliberata? Nihil expendere, nisi in ipsa gente, vel ejus assensu, cujus pecunię collectæ sunt? Nihil moliri, nisi ad rei Christianæ emolumentum?

Nomine Mutui exigebant Duces Mediolanenses à Beneficiariis suæ ditionis onera varia, & ne à Cardinalibus quidem manus abstinebant. Sæpius Pontifex ad Galeam Ducem perscripsit, nequid exigeret *nomine Mutui* ab iis, qui Principes erant Ecclesiæ, & quædam veluti summi Pontificis membra. His Pontificiis Epistolis. *Idem Ep.173. 174. 204. 205. 218.* Cardinali potissimum Papiensi consulebatur, qui Episcopatum gerebat Papiensem, ubi & Generales ejus Vicarios Dux jusserat in carcerem trudi, ut vel sic ab illis exsculperet eas pensiones. Querulæ ea de re literæ à Jacobo datæ sunt ad Paulum II. Papam, quid in res & homines suos sævè & immaniter gestum sit describente, ut hinc existimaret Pontifex, quàm cruentè in alios con-

su-

fuileret, qui & in Cardinalem ita sæviebat. *Si in fileat Romani Præsulis & in membra Vicarii Christi, & in eos, quos Sanctitas vestras anteferri Regibus asserit, tanta licentia est, videndum amodo erit quid in miseros inferiores habeat fieri?* Non erat in potestate Pontificis, qui ore tenus has exactiones Duci concesserat, Cardinali ut satisfaceret. *Quod scripsi indulto Pontificis subsidiam Clericale in ditione Ducis Mediolanensium exigi, id ego ipse, inquam ego à Pontifice audivi. Non literis tamen, ipsa verbo tantùm concessum.* Denique suasit Cardinali Pontifex, suam ut & ipse pensionem folveret, suumque ipsius exemplum proposuit, cum ingenti quodam subsidio Veneti indiguerunt.

Anno 1489. Ministri Caroli VIII. Gallorum Regis rescito, Præsules Angliæ statuisse decimam Regi suo conferre, decreverunt & ipsi à Clero Gallicano decimam exigere. At constantissimè reluctantibus Præsulibus primus ipse Senatus Parisiensis Præses Joannes de Vacaria, Senatorum complurium agmine cinctus Regem adiit, admonuitque, non permitti unquam à Pontificibus has exactiones, quin aliqui pecuniæ rivuli furtim in eorum arcam defluerent; fraudes semper complusculas intervenire, & vexationes; publicis tributis adeo gravari rusticos, ut suos extundere ab illis reditus vix possent Beneficiarii, sæpiusque retardatis solutionibus; intolerandum proinde onus fore, si decima prætera exigeretur; denique surdas non fore Senatus aures ad ejusmodi de iteratis extorsionibus quærimonias. His non oppressa, sed dilata res est. *Spond. An.1489. n.7. 1490. n.2.* Nam anno 1490. perscripsit Innocentius VIII. ad Carolum VIII. Regem, & ad aliquos Galliæ Præsules, ut decima imponeretur omnibus Regni Beneficiariis, intentata excommunicatione & privatione Beneficii, ejus pecuniæ Carolo VIII. Regi addicebantur tertiæ partes duæ, ad expensas sacri belli, in quod ingressurus mox erat adversùs Turcos Constantinupoli incubantes; tertia pars altera sedi Apostolicæ servabatur. Provocavit Universitas à Pontifice ad Pontificem, ad sanctam Sedem & ad Concilium Oecumenicum. Erant ea belli in Turcos inferendi præclarissima in speciem consilia, sed ut plurimum in ventos ea dissipabantur; expressa autem semel pecunia restituebatur nunquam. Inierat quidem Carolus VIII. consilium, hauserat forsan & spem aliquam subjiciendi sibi Imperii Constantinopolitani; at antè Neopolitanum Regnum invadere statuerat. Intererat maximopere Pontificum, ut Turcos longissimè amolirentur, aut certè prohiberent, ne ulterius versùs Italiam Imperium suum proferrent. Sed plerique hominum rem privatam ferè ante publicam ponunt, & ex suo vitio de aliis malè suspicantur.

In Concilio Lateranensi V. *Sess.12.* Leo X. decrevit toto orbe Occidentali decimas colligi per triennium, gravis ut aliqua & formidolosa belli moles in Turcos adornaretur. In Hispania, & in Arragoniæ potissimum Regno ejus decreti fama tumultuationes excivit complurimas. Ximenius Cardinalis Archiepiscopus Toletanus Decreti executionem suspendit; interim verò per suum Romæ Procuratorem Pontificem submonuit, Collaturum se non decimam tantùm suæ Diœceseos, sed reditus omnes & mobilia Beneficiariorium, argentum & aurum omne Ecclesiarum, unum orare, ut belli hujus sacri certissima aperiretur sibi causa, nisi enim adprimè necessaria cogeret causa, iniquum sibi videri, vectigalibus fatigari omnes Hispaniæ Beneficiarios, sua sponte tumultuosos. *Pontificem adeat, Ximenii nomine non solùm decimas sua Diœcesis offerat, sed totos etiam fructus, & omnem Ecclesiasticam supellectilem, & quidquid auri, aut argenti, facti, aut infecti in thesauris Sacerdotum, aut templorum sacrariis esset repositum: sed summopere oret, ut ejus sententiam de belli sacri apparatu disertè aperiat. Nam nisi justissima de causa nunquam se authorem futurum, at Hispani Sacerdotes, quos jam fere tumultuantes pacaverat, vectigales fierent. Rainal.*

Si ea & pietate & prudentia Cardinalis his se muniebat cautionibus, mirabile jam non erit, Germanos, & eos potissimum, quos Lutheri jam virus afflaverat, ab eo resilisse Concilii Lateranensis Decreto, quasi hæ non essent nisi artes, & præstigiæ ad eblandiendos & corradendos nummos, prætexto sacro bello, quod semper adornaretur, gereretur nunquam. *Rainal. an.1518. n.95.* Legationem tunc Pontificiam obibat Cajetanus Cardinalis apud Germanos, quibus & hanc exuere formidinem conabatur; Sanctissimè contestatus hoc veluti depositum fore sacrum à Germania non asportandum, donec initium fieret belli: hæc Germanici militis stipendia fore; Maximilianum Imperatorem totius expeditionis auspicem & ducem futurum; denique nulli propiores jam imminere Turcos, quàm Germaniæ. Harum rationum pondere obrui non potuit Germanorum contumacia, inanibus suspicionibus occupatorum. Cæterarum Nationum concidere animi exemplo Germaniæ, cui conspirare cum aliis Regnis cum abnuisset, mox totum onus incubuit Turcici belli. Anno 1522. *Rainal. n.56.* petiit Carolus V. Imperator ab Adriano VI. Annatas Prælaturarum, ut quæ olim Pontificibus concessæ non fuissent, nisi ad depellendos Christianæ religionis hostes, nunc verò ii à Germaniæ cervicibus essent depellendi. Petiit & pensiones, quæ Romanis Prælatis folvebantur, ex Germanicis Beneficiis. Denique Beneficiorum omnium decimas postulavit. Nihil horum Pontifex concessit, unde nec Carolo curæ fuit Hungariæ opem ferre, in quam Turcicæ se copiæ infudere. An. 1527. cum Sigismundus Poloniæ Rex impetrasset solutionem quandam extraordinariam ex omnibus Polonorum bonis, Clerici de quorum immunitate delibatum nihil unquam fuerat, ipsimet hic voluere eidem se oneri subesse. *Permiserunt etiam non gravatim bona sua Ecclesiastica hactenus semper libera, cum his, quæ ad defensionem obligata sunt, in præsens taxari. Statuta Poloniæ pag.483.* Erat sanè Clero tunc Polono persuasissimum ita corrasas Ecclesiæ opes, & necessitati Ecclesiæ impendi, & ad sæculares non deflecti expensas.

XIII. Non facilè quis sibi persuaserit, his in Clerum exactionibus abstinuisse Franciscum I. Regem, uti & Henricum II. tam diuturnis & difficillimis bellis implicatos. Leo X. anno 1516. Francisco I. concessit Decimam Cleri Gallicani redituum, ad annum dumtaxat unum, Turcico bello insumendam. Cum anno 1598. conquerebatur Clerus Gallicanus de decimis, quas ab annis octoginta Ecclesiæ persolvebat, earum referebat initia ad Franciscum I. Concilium Bituricense anni 1528. eidem Regi concessit quatuor decimas, ad filiorum redemptionem, qui obsides in Hispania retinebantur. Sed cum serpsisset virulentia novellæ hæreseos in nonnullos eorum, qui Comitiis Aurelianensibus intererant anno 1560. tanta ibi alienatio erupit animorum à Clero, ut abigendæ huic procellæ necesse fuerit, quatuor decimas singulis annis folvendas promitti per sexennium. *Memoires du Clergé. Tom. 4. p.904. Spond. an.1581. n.15.*

Ita quidem Spondanus, sed à verisimili non abhorret verba ab eo fieri de famoso Contractu Pisciacensi, cui inde nomen quod initus fit, cum Colloquium haberetur Pisciacense, quo eodem loco tum convenerant Comitia Cleri Gallicani. Initus est Contractus apud Sanctum Germanum in Laia inter Regem & delegatos Conventus Cleri Gallica-

hi apud Pisciacum habiti anno 3561. Eo Contractu Delegati tum suo, tum Conventus Cleri nomine, cujus se Procuratores esse præ se ferebant, spoponderunt, exigere à Clero per annos sex, hoc est, ab anno 1561. ad annum 5567. sexies centum millia librarum quotannis, quæ impenderentur redimendo Regio Domanio, Civitati Parisiensi oppignerato: ea domania Regi restituere omni onere absoluta & libera, intra decennium post illos sex annos elapsos; interim verò exolvere annuos reditus, quibus hæc interim domania sunt obnoxia. Ipsismet ex verbis hujus contractus perspicuè patet, extraordinarium id fuisse subsidium, & donum gratuitum. *Memoires du Clerge. Tom.4. p.387. 628.* Anno 1567. Delegati Comitiorum Generalium Cleri novum iniere Contractum cum Civitate eadem Parisiensi, quo spopondit Clerus quotannis solvere sexcenta triginta milia librarum, ad extricandum Regium domanium, pro pari summa oppigneratum. Anno 1579. & 5580. Clerus Gallicanus apud Melodunum congregatus, Contractum illum ejuravit & nonnullos alios, quibus Civitas Parisiensis sperabat in ære suo esse Clerum Gallicanum, ad mille ducenta duo millia librarum annui reditus, ejus nempe rationis, ubi duodecim denariorum sors annuum parit denarium unum. Ex adverso contendebat Melodunensis Conventus, nec legitima potestate instructos fuisse, qui contraxerant Cleri nomine, nec Clerum unquam assensum esse. Et Regi tamen subsidii aliquantuli conferendi cupidissimus, assensus est imponi Ecclesiis mille trecenta millia librarum quotannis per annos sex tantùm, ad exolutionem redituum quorundam in Clerum assignatorum, utque aliis clausulis Contractus cum Rege initi satisfieret. Anno 1585. cum sex illi anni Contractus Melodunensis elapsi essent, Clero placuit eandem iterari exactionem iisdem de causis ad annos decem. Comitia Cleri exinde habita quolibet decennio hactenus eundem Contractum innovaverunt, exceptis summulis quibusdam redemptis & extinctis in Cleri compendium, ex illis mille trecentis millibus librarum. Contractus hic quolibet decennio innovandus, Decimarum contractus appellitatur, quòd Decimarum impositione colligatur illa pecuniæ vis ingens, quæ exolvitur in eos reditus annuos, quibus obligata est civitas Parisiensis. Inde est etiam, quod Contractus dicitur Redituum civitatis Parisiensis.

XIV. Cum Decimarum iste Contractus Pisciacensi innitatur, & Melodunensi, ut hoc non conferebantur nisi extraordinaria subsidia, & dona gratuita: ita & ille exinde perpetuatus ejusdem conditionis & ordinis erat. Et nihilo tamen minus cum consuetudinis diuturnitas effecisset, ut quæ extraordinaria fuerant, ea jam ordinaria essent subsidia; & quæ ordinaria evaserant, jam non essent gratuita & libera; quanquam reapse gratuita semper & libera sint; hinc rursus cœptum est alia Regibus conferri dona, quæ usitatissimè Gratuita appellitantur: cujusmodi ut suppeditarentur, in causa sæpissimè fuere insectandæ, aut propulsandæ Calvinianorum reliquiæ. Jam inde ab anno 1585. decies centena aureorum millia ad Hugonottici belli expensas subministravit Clerus. Primum illud fuit Donum gratuitum à Decimis segregatum. Utque sub Philippo Augusto præscriptæ & solutę sunt primùm decimę ad Sarracenos Palęstina ejiciendos; & belli ejus ea fuit diuturnitas, ut frequentissimę fuerint decimarum exactiones; atque ut decimę primum in bella sacra coactę, aliis postea causis expressę sunt cum religione conjunctissimis, denique & subalienis. Ita & Donum gratuitum primò ad comprimendos Calvinianos concessum est, eaque bella tam crebra, vel tam diuturna fuere, ut donum istud jam consuetudine ipsa confirmaretur; denique ad alia quoque idem & expetitum, & indultum est, quę ad Ecclesię tuitionem spectant; & ita demum ad Regni solius defensionem, cui salus Ecclesiæ illigata est. *Ibidem Pag.628. 629. 638. 648.*

Anno 1621. in Conventu Cleri Burdigalensi concessum est extraordinarium subsidium ad protestantium comprimendos furores. Anno 1625. Conventus Cleri apud Lutetiam dono alio Regi affuit ad expensas obsidionis Rupellę. Anno 1627. Urbanus VIII. per literas Clerum cohortatus est, ut decies centena aureorum millia in arcam conferrent Regiam ad sumptus belli adversùs hęreticos flagrantis, cum tantis expensis pares non essent soli laici, & sponderet Rex non alium in usum eas detorquendas. *Quia ad hoc facultates laicorum minimè suppetunt.* Anno 1628. Conventus Cleri apud Fontenacum Comitis in Pictonibus congregatus, mandato assensus est Apostolico, & aurum illud Regi suffecit. Conventus Cleri apud Lutetiam anno 1636. propter bella ab hostibus Regni ingruentia extraordinarium annuit subsidium, trecentorum millium librarum annui reditus. Anno 1641. in Conventu Cleri apud Meduntam concessi sunt milliones quinque & quingenta millia librarum, ut extraordinarium subsidium, quo redimeretur amortizationis jus, quòd alias Clero indixissent Prefecti Ærarii Regii. Anno 1646. in Conventu Cleri apud Parisios quatuor librarum milliones oblati sunt Regi ad impendia bellorum, quibus obnoxia fuere Regni ejus ipsa primordia. Anno 1657. milliones duos & septingenta librarum millia conferri placuit, ad levamen Regni bellorum diuturnitate exhausti. Anno 1661. duo milliones librarum Regi oblati, velut ad nuptias ejus dono aliquod colendas, & ad urgentes regni necessitates. *Ibidem. Pag.673. 687. 703. 714. 937.* De aliis Conventibus Cleri posterioribus, adibit Lector Monumenta ipsa & Acta Cleri Gallicani.

XV. Illa verò ejicietur animo admiratio sacrorum redituum in belli adversùs hæreticos expensas collatorum: ubi quis rescierit eadem de causa concessum esse à summis Pontificibus, & Regi, & Clero, ut ipsos Ecclesię fundos alienarent. Anno 1564. Pius IV. solemni diplomate confirmavit & ratam habuit alienationem bonorum Ecclesię eam, quę facta fuerat anno 1563. sola Regis authoritate. Anno 1568. concessum est Clero à Pio V. ut alienare posset fundos annui reditûs centum quinquaginta millium librarum, ut Carolo IX. subsidio esset Ecclesia adversùs gravissimas Regni necessitates. Anno 1574. Gregorius XIII. distrahi concessit fundos pretii millionem librarum æquantis, ut Regi, Regno & Ecclesię adversùs communes hostes succurreretur. Anno 1576. concessit idem Pontifex tantum agrorum distrahi, quantum quinquaginta millia nummorum annui reditûs conficerent. In Acta publica relatum est à Senatu Parisiensi id diploma Pontificium, minimè probata ea clausula, *invitis Clericis.* Anno 1586. Henrico III. annuit Sixtus V. ut ad sumptus belli Hugonotici, alienarentur centum philippęorum millia annui reditûs. Cum eo ipso jam anno Clerus Regi contulisset unum amplius auri millionem; cumque eo diplomate preterea eidem tribuerentur duo milliones, & quadraginta millia philippęorum, suspicatus est Clerus subreptum fuisse Pontifici; certè de consensu Cleri verbum fiebat nullum. Intercessit ergo, ne ea Bulla in Tabulas publicas referretur, querelasque suas ad Parlamentum & ad Regem detulit. Anno 1587. eam Bullam Rex caducam & irritam haberi passus est, persolutis sibi à Clero centum millibus philippęorum. Anno 5577. dum Comitia Regni Blesis celebrarentur, obnuntiavit Clerus ibi coactus his alienationibus, & oneribus

aliis,

aliis, quibus ferendis jam impar esset; eique obnuntiationi subscripsit Conventus Melodunensis anni 1579. Hęc carptim delibanda visa sunt ex Cleri monumentis, tristissimorum temporum luctuosa remedia, quæ nec silere, nec sine gemitu referre fas est. *Ibid. p.741. 745. 750. 757. 775. 796. 811. 813.*

XVI. Huic jam dissertationi de exactionibus in Clerum, & de Decimis ad bella sacra persolutis, ad Imperii Constantinopolitani recuperatinnem, ad utriusque Ecclesię unitatem restituendam, ad Albigenses comprimendos, ad amoliendos Turcos, ad Calviniana bella, ad Ecclesię denique & Regni tuitionem, modum finemque ponet Vvillelmus Parisiensis Episcopus. Fas esse censet ille donis affici Reges, Principes, alios quosvis, qui Ecclesias extruxerunt, dotaverunt, locupletaverunt, dum ne quo gravi damno ipsę atterantur Ecclesiæ. Id enim memoris animi, & pietatis officium esse, cujus nos ipsa natura admoneat, bis reciprocis Ecclesiæ in Laicos donis, horum pietatem, benevolentiam, largitatem magis magisque inflammescere, quæ aliàs extingueretur; denique vel ipsa, quæ à Cœnobiis proficiscuntur dona, seminis instar esse, ex quo plurima inde seges efflorescat. *De his, quæ Regibus & Principibus dantur, Patronis Ecclesiarum & fundatoribus & donatoribus & ditatoribus, dicimus, quia licet. Dummodo ex ejusmodi donationibus non lædantur enormiter Ecclesiæ. Hi fiunt usus pietatis, quoniam ex virtute gratitudinis, etiam jure naturali debentur hujusmodi hominibus. Aliàs etiam impii sunt, quia gratia eorum, qui ex pietate talia donaverunt, quodammodo conservatur in eis & devotio nutritur, quæ per contrarium extingueretur. Donationes verò, quæ fiunt aliis personis à Monasteriis, si ea intentione fiant, quia præsumuntur utiles Ecclesiis, vel Monasteriis, magis seminationes sunt, quàm donationes, sicut & quidam de Ordine Cisterciensi nobis quandoque respondit. De Morib. c.9.*

Habet & Joannes Gersonius, quæ non minùs appositè hic attexantur. Pauperum esse res Ecclesiæ cæteras, Clericorum modesto sumptu antè decerpto; à Bernardo & Hieronymo sacrilegii & furti reos agi eos, qui his superfluis pauperes fraudant, ab hac Clericorum in pauperes avaritia & inhumanitate promanasse exactiones, quibus jamdiu à laicis fatigantur; nec enim tributis & vectigalibus jam subesse posse, quæ in cæleste ærarium manus pauperum transtulere. Ita ille in Sermone ad Concilium Provinciæ Remensis anno 1408. *Fiat ulterior provisio, ne pauperibus sua bona auferantur, vel detineantur. Hæc sunt ea bona, quæ viris Ecclesiasticis supersunt, ultra simplicem victum & vestitum juxta decentiam sui status in Ecclesia Republica. Notissima est hoc loco, sed durissima Bernardi atque Hieronymi sententia, qui retentionem hujusmodi, vel luxuriosam profusionem, non dubitaverunt sacrilegium, imò omni sacrilegio & deprædatione damnabiliorem appellare. Videant Ecclesiastici, ne fortè ab hoc justo Dei judicio proveniant rapinæ ejus, & conculcationes indignæ, & jurisdictionum suarum usurpationes. Quia quandoque quod non habet Christus, tollit fiscus.*

Sua Hospitalariis intacta fuit immunitas, sua & Cistercienfibus, & Carthusianis, aliisque Congregationibus Religiosis, quandiu illibata illis constitit primigenia pietatis forma, paupertatis amor, frugalitas, superfluorum omnium in pauperes larga distributio. In ea ergo versabatur Gersonius sententia, æquè & Beneficiarios omnes sua immunitate potituros semper fuisse, si primęvę paupertatis & parcimonię retinentiores fuissent; si dispensatores se, non dominos gessissent rerum Ecclesię; si necessario contenti victu, cultuque, reliqua in pauperes effudissent. At ubi patrimonii pauperum dispensatores cum sęculi Magnatibus de luxu, de deliciis, de pompa certarunt; tum volente Numine factum est, ut sacris opibus ita profanatis nihilo plus parceretur, quàm prophanis.

XVII. De Pragmatica Sancti Ludovici & hoc silui capite, & superiori, quòd propositæ hic mihi non fuerint nisi exactiones in Clerum Principibus solvendę. Immunitas enim & bonorum Ecclesię, & Clericorum non ferè nisi ad Principes sęculares refertur. Si quid Romanis Pontificibus persolutum est, id ad secundum potiùs & sequentem librum seponendum esset, quo distributionem expendemus canonicam bonorum Ecclesię, ubi & Episcoporum & Papæ utique ratio habita est, ad necessarios sumptus ab eis faciendos. Actum est & hoc alicubi capite de decimis permissione & authoritate Pontificum collectis, sed non ad Pontificum usus illæ destinabantur. Principibus temporalibus eę cedebant, curam in se recipientibus, vel recuperandę Orientalis Ecclesię, vel retinendę, abigendorum, vel opprimendorum Turcorum, novellarum hęresum in ipso sui exortu pręfocandarum.

Adde & viris quibusdam doctis visam esse fidem hujus B. Ludovici Pragmaticę, non satis firmis niti fundamentis. Res ejus gestas literis consignarunt Historici complures, altissimum apud eos omnes silentium de hac Pragmatica. Adde rursus siquæ fuerunt eo regnante Romanorum Pontificum in Ecclesiam Gallicanam exactiones, eam pecuniam in manus venisse sanctissimi Regis ad sacras ejus expeditiones, ut procul sit à veri etiam specie, iniquo illum animo eas tulisse. Quin & propiùs à vero abest, sollicitatos non semel à S. Ludovico fuisse Pontifices, ut id genus exactionibus assentirentur; unde & in Pontificem tunc & in Regem tam crebra Cleri murmura.

Addam & quod habet Chronicum vetus Neustrię à summo viro Duchesnio publicatum, cum anno 1254. flagitasset B. Ludovicus à Papa novam decimam in Clerum ad sacram militiam, Procuratores Ecclesiarum Galliæ Cathedralium Lutetiæ congregatos, Pontificem per literas certiorem fecisse, quas in angustias detrusa esset Ecclesia Gallicana bis decimis, duodecimis, centesimis, aliisque oneribus: *Novit vestra sanctissima Paternitas, & in fines orbis terræ credimus exivisse, quantis perturbationibus & pressuris universalis Ecclesia, potissimè Gallicana sit turbata, nunc decimam, nunc duodecimam præstando, nunc centesimam, nunc multarum aliarum exactionum gravamina sustinendo. Script. Norman. pag. 1012.* Ab uno Pontifice spem sibi affulgere aliquam pristinę libertatis testificantur: *In quibus nisi à Sede Apostolica plenam possit assequi libertatem, pestis istam latissimè se diffundet.* Postremę infęlicitatem expeditionis sacrę ex eo profectam esse, quòd decimarum & duodecimarum extorsionibus per annos duodecim, & exhaustę essent Ecclesiæ, & dehonestatæ. *Unde spoliati sunt veri Hebræi, ditati Ægyptii, & Israel anathemate pollutus, coram hostibus licèt inimicis Crucis stare non potuit? Quia anathema decima & duodecima per duodecim annos inventum erat in medio sui.* Occupatus Pontifex precibus & Epistolis Regis, duriùs habuit Procuratores Capitulorum, decimasque concessit ad tres annos, gravibus pœnis in contumaces sęviturus. Ubi res ita comparatæ erant, locus haud sanè, erat Pragmaticę illiusmodi. Adde quod ne iis quidem temporibus mentio ejus facta est, quibus ea opportunissima fuisset. Grassante schismate Avenionensi, sub Carolo VI. Rege, quando sublatę sunt omnes Romanę Curię exactiones, nusquam illum hujus Pragmaticæ vestigium. No tum quidem commemorata est, ad exempli au

thoritatem, ubi sub Carolo VII. Pragmatica Sanctio concinnata est. Ejus primùm, ut apparet, meminere delegati Senatûs Parisiensis in commonitorio suo ad Ludovicum XI. ut suprà declaratum est.

CAPUT XLIV. *P.4. l.3. c.25.*

De Immunitate Clericorum, & bonorum Cleri in Hispania & in Oriente, post annum Christi millesimum.

I. Initia Tertiarum & Decimarum è rebus Ecclesiæ persolutarum in Hispania, invadentibus Regibus, vel à Sede Apostolica impetrantibus. Sacra bella in Hispaniis perpetua, ad ejiciendos Mauros, qui Ecclesias & Provincias nostras invaserant.

II. Quàm inexorabilis necessitas expresserit has expeditiones sacras Orientis & Occidentis.

III. Rursus Tertia & Decima concessa adversùs Sarracenos Hispaniæ, & circumjacentium Insularum.

IV. V. Variæ vices harum in Hispania Tertiarum.

VI. Aliæ exactiones in Hispania.

VII. Exactiones in Clerum Orientalem.

I. CUM in potestatem Sarracenorum Africæ venisset Hispania, suo sibi ipsa in sinu alenda habuit sacra bella post annum Christi septingentesimum perpetua, sumptu Cleri sui partis innumerabilibus victoriis, quibus Ecclesię & Regno libertas redintegrata tandem pristina est. Ita necesse fuit sejunctim hic de ea agi, ut quę ad Orientalia Christianorum bella nec militem unquam ferè, nec pecuniam contulerit; suis ipsa satis superque bellis districta, nec materiam laudum ac triumphorum extra suos fines aucupata. Ideo & singulares hic viguere exactiones in Clerum, alibi prorsus inauditę.

Id genus fuere Tertiæ, quę primùm exigi cœptę sunt sub Castellę Rege Henrico adhuc impubere, qui anno 1214. in Alfonsi patris sedem successerat. Alvares Comes, cui & minoris Regis institutio concredita fuerat, & administratio Regni, non satis firma, nec decora posuit suę dominationis fundamenta, Magnates deprimere, exugere pecuniosos, expilare & atterere Ecclesias, fisco Regio vendicare tertiam illam decimarum sacrarum partem, quę reparandis Ecclesiis Canonicis institutis fuerat dicata. *Cœpit exterminia procurare, magnos humiliare, & vulgi divites exhaurire, Religiones & Ecclesias ancillare, & decimarum tertias, quæ ad Ecclesiarum Fabricas pertinebant, cœpit similiter infiscare.* A' Roderico Decano Ecclesię Toletanę, & tum Vicario Generali Archiepiscopi Toletani, excussum est excommunicationis jaculum in caput novi Ministri, quo consternatus restituit prędam hanc omnem, juramentoque se obligavit, nihil ejusmodi se posthac moliturum. Denique Rex ipse totum quidquid id erat juris Tertiarum ejuravit in perpetuum. Hæc prolixè narrat Rodericus Archiepiscopus Toletanus, ex quo ascribenda hic sunt verba ipsa Regiæ Epistolæ. *Notum sit omnibus, quod ego Henricus Dei gratia Rex Castellæ & Toleti, considerans me peccare graviter in accipiendis tertiis Ecclesiarum in meis usibus expendendis, salubri consilio ductus, promitto Deo & B. Mariæ ejus genitrici, & Sanctæ Ecclesiæ, quod nunquam eas de cętero accipiam, neque violentiam super eis inferam Ecclesiis, nec super his sustinebo eis injuriam inferri.* L. 9. c. 1.

Author est Mariana Sancio Arragoniæ olim Regi à Gregorio VII. Papa concessum fuisse, ut res & terras Ecclesiæ, quas à Maurorum potestate subduceret, in potestate ipse sua haberet, aut pro arbitrio suo ea conferret. *Data ante aliquot annos à Gregorio VII. Pontifice Romano facultas, decimas & vectigalia templorum, quæ extructa denuo, aut Mauris erepta essent, pro arbitratu permutandi, invertendi, attribuendive quibus mallet.* L. 10. c. 7. Verè pro libitu suo usus est & abusus Rescripto Pontificio Sancius; sed puduit illum tandem aliquando, pœnituitque suæ perversitatis: itaque Ecclesiæ res omnes in integrum restituit. Irascitur non immeritò Mariana compluribus Principibus, qui Sancii rapinas imitantur, nec inducunt unquam in animum, ut pœnitentiam imitentur.

Subjicit idem rursus anno 1102. ab Urbano II. concessum fuisse Petro Arragonum Regi, ut decimas caperet & proventus Ecclesiarum, quas Mauris eriperet, aut de novo excitaret, dum ne Cathedrales eæ essent. Quod & in successores propagandum erat privilegium. *Petro sub initia belli sacri posterisque Regibus atque Regni Proceribus Urbanus Pontifex Magnus concessit, ut templorum, quæ denuo extructa essent, decimas & reditus ipsi perciperent, exceptis tantùm iis, quæ Episcoporum sedes erant. Tanta erat cupiditas impia gentis extirpandæ, ut quid incommodi ea indulgentia allatura esset in posterum, non satis considerare viderentur.*

Anno 1236. *Rainald. n.60.* Ferdinandus Castellæ & Legionis Rex Corduba opulenta cumprimis & præpotente Civitate subacta, à Pontifice elicuit diploma, quo sinebatur exigere in Ecclesias Regni sui viginti millia aureorum nummorum, quo Mauros ejicere, Ecclesias eorum pergeret eximere servituti. Archiepiscopo Toletano, & Episcopis Burgensi, atque Uxamensi mandavit Gregorius IX. ut eam ipsi pecuniam colligerent, & Regi suppeditarent. Anno 1274. Gregorius X. in Concilio Lugdunensi II. decimas quidem Clero Occidentali in sex annos indixit ad Orientales restaurandas expeditiones; at Alfonso Castellæ Regi annuit, ut eas sexennii decimas ex Regno suo collectas in Sarracenos expenderet, dum suas in imperium spes abjiceret, concederetque Rodolpho Hasburgensi, qui jam apud Aquisgranum Imperii insulis solemniter inauguratus fuerat. *Sibi ab Imperii negotio desistenti decimam omnium Ecclesiasticorum redituum suorum regnorum & terrarum, usque ad sex annos, sicut ad Terræ Sanctæ subsidium, in præsenti Sacro Concilio est concessa, gratiosè concedere cogitamus, &c. Idem n.49.*

Alfonsum refert Mariana post solutum Lugdunense Concilium Pontificem Lugduni adisse, ut ne sibi ipse, suoque in Imperium juri deesse videretur; re infecta in Hispaniam retro flexisse vestigia, & Imperatorio se venditasse nomine, donec Archiepiscopus Hispalensis Pontificis Romani authoritate munitus, ostenso censurarum sacrarum mucrone, persuasit tandem, ut abjecta vani & vacui nominis umbra, mallet ad aliquot annos jure frui decimarum in suas Ecclesias, hoc est interprete Mariana, ea decimarum parte tertia, quæ ad sarta tecta Ecclesiarum à priscis Conciliis fuerat segregata. *Decumæ tantùm Ecclesiarum in sumptus belli Maurici concessæ sunt. Tertias vulgo decimas; nimirum decumarum tertia, quam in templorum fabricationes & sarta tecta consumere moris erat, datum ut regium in fiscum inferretur, lege non in omne tunc tempus lata, ut arbitror, sed annorum numero definito.* L. 13. c. ult. Hoc initio affirmat ille cœpisse Castellæ Reges Sacras Ecclesię opes delibare. *Hoc initium Castellæ Regibus sacros templorum reditus decerpendi.* At suprà relatis ipsius Gregorii Papę verbis interpretatio sincerior continetur, quàm quę à Mariana excogitata est, conces-

sio.

sionis Regi factę. Nec enim tertia decimarum, sed decima tantùm ona annua à Gregorio concessa Alfonso est ad sex annos, conveoienter Decreto Concilii Lugdunensis II. Anno 1276. *Rainald. n.19.* Gregorio X. successit Innocentius V. à quo confirmata est concessio decimarum Castellæ Regi à Præcessore facta; delegati sunt & ab eo Episcopi, ut nequid ex iis defraudaretur, facta etiam potestate censuras evibraodi. Ita statuebant hi Pontifices, his suis decretis nihil derogari Decretis Concilii Lugdunensis, eas de cimas indicentis, ad expugnandos in Oriente Sarracenos. Orientales enim in Hispania ipsa Sarraceni debellabantur, cum inde in Palæstinam frequenter auxiliares Maurorum copię influerent. Vide ut de his perscriberet Innocentius V. ad Episcopum Ovetanum. *Diligenter attendens, quod Sarracenorum impugnatio ipsarum partium cedit in favorem non modicum & grande subsidium Terra Sancta; cum à Sarracenis eisdem magnum soleat Babylonicis persecutoribus Terra ipsius infestis suffugium exhiberi.*

II. Vel hinc revinci possunt, quibus necdum satis explorsta videtur necessitas sacrarum hujusmodi omnium in Orientem expeditionum, atque adeo & exactionum ad earum sumptus. Plurimum in eo momenti est, quod paucissimi tamen seriò perpendunt, in conjunctione scilicet & confœderatione Sarracenorum cum Africanis, cum Babylonicis, cum Orientalibus. Complectebatur enim reapse Monarchia Sarracenica Africam, Asiam, & permagnam Europę partem; latius in dies per Asiam propagabatur, Europę finibus semper propior, ex Africa in Hispaniam novas subinde copias trajiciebat, ut in universam aliquando Europam exundaret. Octingentis prnpemodum annis in Hispania laboratum, certatumque est, ut inde Mauri funditus ejicerentur. Mirum est potuisse unam gentem in suo ipsius gremio incubantes exterere ac profligare; nec potuisse quidquid est Christiani nominis in Oriente cos cohibere, ne in Europam se infunderent. Non uno stimulabamur desiderio recuperandæ Hierosolymę, dum in hęc sacra bella ferveremus. Sed ut procul sommoverentur hostes infestissimi Christianę fidei & Reipublicę. Non sola illos excludere Palęstina moliebantur, sed Asia Minore, Thracia, Imperio Constantinopolitano, Gręcia & Hungaria. Ex eventu enim patuit, his omnibus Provinciis illam jam tum incubuisse perniciem, longè quidem tum adhuc perstrepentem, sed in dies singulos propius adventantem. Ad id sacræ decimæ, ad id sacri belli classicum. Concilia, Pontifices, Reges, Principes & viri sanctissimi, Ludovicus, Bernardus, præsagio quodam & spiritu cœlesti animati, id volebant, id urgebant, ut acerrimi Christianæ Ecclesiæ hostes in suis ipsorum Imperii finibus vincerentur; non nescii, si nostras in Provincias penetrarent, extremam erupturam in regna Christiani nominis & in Ecclesias calamitatem. Nemo tam excors est, ut neget & expeditiones sacras, & Cleri decimas pernecessarias fuisse, ad Hispanicis oris extrudendos Sarracenos. Atqui planum ast peræquè & justas fuisse, & necessarias, ut occuparentur antè Sarraceni, quàm ut Hispaniam, ita & alia Occidentis regna involarent. Unum illud interest quod in Hispaoia propius nobis in oculos incurrebat periculum, ejusque Regibus satis erat virium ad hostes paulatim atterendos: at Sarracenorum in Asia incrementa procul audita, minus movebant animos, minus terrebant; nec ullus erat Princeps unus, qoi & ex officio proprio, & pro potestate rem gereret, pecunias à Pontificibus & Conciliis indictas colligeret, manus conferret. Minùs afficiant, quæ procul, quàm quæ propè geruntur; minùs movet publica res, quàm privata; undique nunc instant hostis Christiani oominis, ad muros, ad portas furit: ut fateri tandem cogamur, consultissimè Majores nostros voluisse eos ab extremis etiam illos finibus arcere.

III. Repetenda jam nobis Hispania est, obi anno 1277. *Rainald. n.7.* Rex Arragonum tribui sibi exoravit decimas in Concilio Lugduoeosi decretas, ut Regni sui Sarracenos deleret. Anno 1279. Nicolaus III. Nuncium in Hispanias ablegavit, qui Regem Castellæ ab obruendis Ecclesiæ libertatibus avocaret, & ne jam amplius sineret publicis oneribus ac vectigalibus subjici cos agros, qui antequam Ecclesiæ fisco sive donatione, sive emptione accederent, iis erant immunes. *Si Ecclesia, vel Religiosi acquirunt per donationem, possessionem, vel alio justo titulo vassallos, aut possessiones exemptas ab omni fisco & regalibus, postquam transeunt ad dominium Ecclesia, vel Religiosorum, Rex facit possessiones & vassallos ipsos sibi censuales & tributarios. Idem. n.25.* Anno 1300. *Idem. n.19.* 20. concessit Bonifacius VIII. Jacobo Regi Arragonum decimas Cleri in tres annos, quo Friderico bellum inferret, qui Siciliam invito Pontifice, cujus id erat Beneficium, invaserat. Anno 1304. Beoedictus XI. Sardiniam & Corsicam Insulas Regi Arragonum subjugandas permisit, & io ejus belli sumptus trium annorum sacras decimas ei indulsit. Anno 1305. Clemens V. Jacobo Insularum Balearidum Regi decimas redituum Cleri in quinquennium dedit, ut Sarracenos undique incursantes summoveret. Perinde erat & da Sardinia, Corsicaque, quas Reges Arragoniæ clientelari jure, dominio & fidei Sacramento præstito, à sede Apostolica obtinuerant. Anno 1306. *Idem. n.11.* coofirmata sunt à Clemente V. decreta Benedicti XI. additæque Regi decimæ ad biennium. Anno 1309. Arragoniæ & Castellæ Reges consociatis exercitibus, ad expugnandos Granatensis Regni Sarracenos castra moverunt. In id Pontifex idem sacras decimas ad triennium contulit. Anno 1330. Castellæ, Lusitaniæ, Arragoniæ & Navarræ Reges, ad extrudendos Granatensi Imperio Mauros conjugati decimas in suum qoisque Clerum à Pontifice flagitarunt ad decem annos sibi concedi. Pontifex, erat is Joannes XXII. ad biennium concessit, eorum pia consilia laudibus in cœlum extulit; at de Castellæ Rege peramanter conquestos est, qui petitionibus suis nullum poneret modum, nec meminisset ad hoc ipsum bellum non ita pridem permissam sibi fuisse sede Apostolica decimam ooam, & pessem ejus tertiæ, quæ ad sarta tecta Ecclesiarum segregari solet, idque ad annos quatuor permissum. *Cum decimam Ecclesiasticorum redituum, praterquam militarium Ordinum, & duas partes tertia decimarum reservari solita pro Ecclesiarum fabricie, tibi usque ad quadriennium concedendas duximus, in subsidium negotii memorati. Mariana. L.15. c.9. Rainald. num.44.*

Ita cum Hispania bellis flagraret sacris penè perpetuis, perpetuæ quodammodo erant & decimarum sacrarum solutiones, & Castellæ Regibus jam concedi incipiebant tertiæ, vel tertiarum tertiæ; restaorandis Ecclesiis dicatæ. Aono 1331. *Rainald. n.19.* ab eodem Joanne XXII. Castellæ Regi decimæ in quadriennium permissæ sunt, ad Granatenses Mauros terra marique oppugnaodos; concessæ sunt & tertiarum tertiæ duæ. Anno 1367. concessum perhibet Mariana, *L.17. c.11.*, ab Urbano V. Regi Castellæ, ut tertiæ decimarum, quæ hactenus Cameræ Apostolicæ inferebantur, Regio posthac addicerentur fisco, ad Sarracenici belli impendia. *Ut tertia decimarum, qua Romanis Pontificibus obvenire solita erat, ex Sacerdotiis Castella, deinde esset Regibus, belli sacri subsidium Mauris*

em-

extirpandis. Anno 1377. Tarraconensis Provinciæ Concilium Barcinone congregatum, deliberasse fertur de pecuniario subsidio, Regi Arragonum conferendo. *Hisp. Ill. Tom.1. pag.184. 240.* Anno 1385. ad celebrationem anni quinquagesimi Regni sui petiit Rex sumptu Cleri aliquo se juvari. Anno 1421. Martinus V. Joanni Regi Castellæ ejusque successoribus indulsit tertiam decimarum reparandis templis olim destinatam, ad expensas belli Mauris Granatensibus inferendi, tandiu solvendam, quandiu ei bello strenuè incumberetur, nec aliò ea pecunia converteretur. *Præfatas portiones, sive tertias tibi pro te, & tuis hæredibus & successoribus pro fidei adversùs Infideles defensione & dilatatione, guerris & guerrarum causis durantibus, à te & eisdem successoribus hujusmodi defensionis & dilatationis bellis operam dantibus efficacem, petendas, exigendas ac recipiendas, ac ad præfatum duntaxat belli ac defensionis & dilatationis usum efficaciter convertendas & integraliter applicandas authoritate Apostolica assignamus, concedimus, & ordinamus. Rainald. n.17.*

IV. Ex his illud patet, 1. Tertias restaurandis olim templis consecratas, à Regibus nunc usurpatas primo fuisse, mox restitutas. 2. Exinde nonnunquam ab Apostolica Sede Regibus concessas fuisse, ad Mauricas expeditiones. 3. A' Gregorio VII. & Urbano II. concessas his Regibus fuisse omnes prorsus decimas Ecclesiarum, quas conderent novas, vel jugo eximerent Sarracenorum. Marianæ quidem suprà visum est, tanto ardore animi expetitam fuisse Maurorum ex Hispania ejectionem, ut minus pensi interim haberetur, quantum aliquando mali emersurum esset ex his decimarum concessionibus. Providè sanè & consultissimè Mariana pro eo, quo delegebat ipse ævo, funditus tum extirpatis ex Hispania Sarracenicæ dominationis reliquiis. At non ita consultum videri poterat horum duorum Pontificum ætate, hoc est, eo tempore, quo quadringentis jam annis obtrita jacebat Hispania pene universa sub Sarracenorum potestate & quo ab ea eximendam illam aliquando esse, aut nulla, aut modica suberat spes. An non conducibilius erat Regibus Christianis eas condonari decimas Ecclesiarum non Episcopalium, quàm ut Mauris cum Ecclesiis & fundis ipsis subesse sinerentur? An ea instrumenta subducenda Regibus erant recuperandarum Christiano nomini harum Ecclesiarum, meticulosa & incerta futuri provisione, fore ut post annos quadringentos, depulsis & contritis prorsus Mauris ęgrè adducerentur Reges ad eas decimas Ecclesiis Parochialibus restituendas? Nonne ita vulgo persuasum est, à Concilio Lateranensi laicis dimissas decimas infeodatas, etsi minus constaret, quod concessę eis aliquando fuissent, aut quod ad Ecclesiæ utilitatem expensę fuissent? 4. Regibus annuebantur tertię decimarum ad belli Maurici impendia, quòd ea esset horum bonorum conditio. Gerebantur enim Maurica bella ad Ecclesias captivitate absolvendas, & ad earum mox sarciendas labes. Mirum non est proventus reparandis sacros templis, iis expendi hostium potestati subducendis, & ita demum resarciendis. 5. Nec integrę plerumque tertię Regibus concedebantur, sed tertiarum tertiæ duę. Ita residua erat tertia una tertiæ ad restaurationem templorum, quæ nostræ jam potestatis erant. 6. Cumque non in ea semper bella Tertię istę consumerentur, propter alias Regni necessitates, quibus è Mauricis bellis Reges abducebantur; earum placuit Pontificibus se per eas bellorum intercapedines custodes esse, sive ut eæ Regibus recalescente bello sacro refunderentur; sive ut in alios necessarios usus cederent, ubi plurimum Ecclesiæ discriminis immineret. 7. Ita segregatio illa tertiæ decimarum, aut duarum ejus tertiarum, usitatissima jam & ordinaria erat, quando eam Joannes Castellæ Rex addici sibi pervicit conditionibus iis, quæ earum usum, si observatæ fuissent, Ecclesiæ compendiosissimum approbassent. Nimirum, ut nec ab ipso, nec ab ejus successoribus eæ expenderentur, nisi ad Maurici belli impensas, & per intervalla belli, ne exigerentur quidem. Addiderat & Martinus V. cautionem aliam ut vigesimo quoque anno ea decimarum tertia partim Ecclesiis Parochialibus, partim Cameræ Apostolicæ concederetur.

V. Anno 1475. *Rainal. n.19. 20.* Sixtus IV. Papa Castellę Reges videns belli Maurici & Granatensis curas animo suo penitus expunxisse jamdiu, easque decimarum tertias ad profanos usus dissipari, denique Parochiales Ecclesias collabi, quòd vigesimo quoque etiam anno eę Tertiæ subtraherentur, Martini V. concessionem Castellæ & Legionis Regibus factam retractavit, jussitque eas tertias Ecclesiæ reddi, ita tamen ut earum semissis Cameræ Apostolicæ permitteretur, ad Turcici belli expensas. *Rain. n.55.* Nec multo interposito tempore Ferdinandus Arragonum Rex, uxore ducta Elisabetha Castellæ Regnorum hærede, & in unum conglutinatis iis Regnis, summa zeli, summa virium contentione cum Granatensibus Mauris bellum ingressus est. Quò viam illi muniret Innocentius VIII. anno 1486. Rescriptum concessit, quo censum exigere posset & vectigalia in omnem Arragonicam ditionem, citra Regni Comitiorum convocationem, quod ejus Regni moribus adversabatur. Impetratas ab eo apparet fuisse jure perpetuo fruendas decimarum Tertias. Author est Covarruvias, *Pract. c.35. n.2. §. Tertio quoties*, concessas etiam illi fuisse decimas Ecclesiarum Regni Granatensis, dum idonea dote Ecclesias instrueret. *Reges Catholici Ferdinandus & Elizabetha decimas Regni Granatensis obtinuerunt à Pontifice Maximo cum onore dotandi Ecclesias.* Relatæ sunt alicubi à Barbosa exactiones à Regibus Hispaniæ in Clerum factæ, annuentibus Pontificibus Pio IV. Pio V. Gregorio XIII. Pio V. & Urbano VIII. Consule, si vacat Barbosam ipsum. *De off. & pot. Par. L.3. c.25. Par.3. n.53. 54.*

Anno 1514. *Rain. n.108.* eodem privilegio Leo X. Emmanuelem donavit Regem Portugalliæ, ut decimas & decimarum tertias acciperet, & ii nervi essent belli, quod Africæ & Indiarum Orientalium Infidelibus jamdiu inferebat. Porro sacros hos reditus testatum facit Osorius, adeo non in sacras expeditiones depensos esse, ut in Aulæ & effæminatorum hominum delicias profusæ fuerint. *Sumptus Sacra pecunia moderatos, & hominibus, qui non militiæ sacra nomen usurpant, sed pro Religione sanguinem profundunt, attributos, laudandos censeo. Tantam largitionem ex sacris vectigalibus in luxum multorum hominum, qui nunquam gladium strinxere, fieri minimè ferendum arbitror.* Nec ab eo tamen siletur, displicuisse Emmanueli ipsi eam rei sacræ profanam dilapidationem; Decimas & decimarum Tertias ab eo Ecclesiis restitutas fuisse, ex quo justissimæ in eum laudes redundarunt, Clerus verò sua ipse sponte centum quinquaginta philippęorum millia in ejus ærarium intulit. Anno 1517. *Sponda. n.7.* Madritii in Hispania coiit generalis Conventus Cleri, rumore nimirum priùs in vulgum dedito Pontificem ad sumptus belli Turcici decimam unam flagitaturum. Statuit verò tum Clerus, si quid ejusmodi Pontifex peteret, etiam atque etiam ei supplicandum, ne re instaret, cum in Conciliis decretum fuisset, ne quando eæ decimæ exigerentur, nisi postquam in Pomæria Christianæ Reipublicæ hostes irrupissent. Anno 1522. petiit à Pontifice Carolus V. ut Annatæ Germanicæ Ecclesiæ sibi donarentur, ad

eam

eam adversùs Turcos & hæreticos muniendam. Abnuit tum quidem Pontifex, at anno 1523. *Rain. n.55.* concessit ei Adrianus VI. quartam partem proventuum sacrorum omnium Hispaniæ. Iniquissimo id tulit animo Clerus Hispaniarum, & non provocavit ille quidem, sed supplicavit Pontifici, rei notitia certa minùs tum informato, accuratiùs postea informando; at ab Archiepiscopo Granatensi, cui rei executio delegata fuerat, juxta formulas juris provocavit. *Spondan. n.9.*

Hæc autem appellatio ab Archiepiscopo Granatensi Rescripti Apostolici executore, cujus copia nobis facta est, multa habet, quæ piaculare fuerit hic præteriri. Multis se Clerus Hispanicus tuetur rationibus, ne ei subesse assentiatur exactioni novæ quartæ partis suorum proventuum. 1. Quod in Concilio Constantiensi statutum sit, ne quid Pontifex exigat à Clero peculiaris cujuscumque Regni, nisi assentientibus ejus Prælatis, ex majori saltem parte. *Preuves des Libert. de l'Eg. Gall. L.22. n.29.* 2. Sixtum IV. charitativo subsidio accepto ab Hispaniarum Clero, Rescriptum concessisse, quo exinde omnibus decimarum, aliisque subduceretur exactionibus; eumque veluti solemnem habendum esse Contractum inter Apostolicam Sedem & Clerum Hispaniarum. 3. Ab Ecclesiæ Regibus jamdiu accipi annuas decimarum tertias, ad perpetua quædam bella eis imminentia: eas certè impræsentiarum à Regnis Castellæ & Legionis percipi. *Cum ex Decimis & reditibus Ecclesiasticis regnorum Castellæ & Legionis Ecclesiis debitis & Clero, totum seu partem, quam vulgus Tertias appellat, ex concessione Apostolica Reges dictorum Regnorum pro continuo bello contra Infideles singulis annis perceperint, prout Cæsarea & Majestas Regia Caroli Regis percipit de præsenti; Hæc subventio & subsidium sufficere deberet pro bello contra Turcas infideles, absque nova Quartæ impositione.* 4. Ab Equitibus S. Jacobi, Alcantarę, Calatravę, & S. Joannis Hierosolymitani, maximam partem obtineri Ecclesiasticorum Hispaniæ redituum, ad infideles perpetua quadam bellorum contextione fatigandos. 5. Italiam discrimini propiorem una defungi decima; non ergo Hispanię procul semotę & longè tuitiori onus inducendum esse, quartę partis solvendę suorum redituum. 6. A'Caroli V. avo Ferdinando Rege desponsum esse Clero Hispanię, non passuros omnino Reges eum novis subesse exactionibus, nisi conditionibus eo Contractu definitis. Ei Contractui jam tum Pontificis, postea etiam Caroli V. confirmationem accessisse.

Addita est Concilio Mexicano anno 1585. erectio Ecclesiæ ipsius Mexicanæ, & designatio tunc facta & dignitatum ejus & proventuum. Ibi autem declaratur, 1. ejus Diœceseos decimas quadripartitum iri, unam partem mensæ Archiepiscopi, alteram Capitulo addicendam. 2 Regni Hispaniæ in duas illas quartas partes decimarum proprium & peculiare jus quidem suum fuisse, sed eò illum Archiepiscopis & Capitulo cessisse, ut tantò lætiùs & ubertiùs eorum precibus & votis Deo commendaretur. *A' quibus partibus, licèt ex commissione Apostolica & longævo temporis usu, moribus & consuetudine approbatu, eadem Catholica Majestas tertiam partem, Tertios in Hispania vulgariter nuncupatus, habere & recipere integraliter consuevit, &c. Nos & Capitulum exemptos esse voluit. Conc. Gen. tom.15. p.1358. 1359.* 3. Ita præceptis duabus Archiepiscopi & Capituli partibus quartis, duas superesse, quę in novem secandæ sint, quarum duę addicuntur Regi Catholico, ut summo Ecclesiarum Patrono, Fundatori & Defensori. *Reliquas verò duas quartas partes, iterum in novem dividendas partes decernimus: duas quarum eidem Majestati Serenissimæ in signum superioritatis & juris Patronatus, ac ratione acquisitionis prædictæ terrę, futuris perpetuis temporibus percipiendas & levandas applicamus.*

VI. Ex Cardinalis Ossati Epistolis. *Epist.10. 81.* accepimus, anno 1575. solutas Pontifici decimas fuisse ex omnibus Italiæ Provinciis & Principatibus, ad suppetias Imperatori ferendas adversùs Turcum; & Ducem Sabaudiæ operam dedisse, ut sibi eę ascriberentur, quas suis ex ditionibus Nuntii Apostolici colligerent. Certior postea factus est ipse, quòd ad Sabaudię Ducem attinebat, censum eum esse, quem Sixtus V. in Clerum ei suum concessisset, confirmasset Gregorius XIV. Monet alibi idem summus vir Epistola anno 1596. data, ad exorandum Pontificis assensum in aliquam ex Clericis exactionem allegari posse eam concessionem, qua Pius IV. anno 1560. Reges Hispanię demeruisset, ut quotannis per quinquennium à Clero exigerent trecenta millia ducatorum, ea lege, ut quinquaginta triremes instruerent adversùs Turcos, quę Cleri triremes dicerentur, nec nisi in Turcos educerentur, octoginta triremes unà adornarentur aliæ sumptibus Regni. Anno verò 1562. ab eodem Rege impetratum esse, ut quadringinta viginti millia ducatorum à Clero exigeret, quò triremes Cleri in posterum sexaginta essent. Non silet tamen Ossatus quid officere possit, quod scilicet Rex Hispanię eam Pontificis concessionem non satis bona fide adhibuerit ad Ecclesię utilitatem, nihil magnopere adversùs Turcos molitus, & annua tamen à Clero emungens quingenta, aut sexcenta ducatorum millia. Nec omittendum quod idem subdit. *Aliis concessionibus Pontificum, hac anterioribus vel posterioribus, quotannis Regem Hispaniæ exigere à Clero suo tres milliones ducatorum auri, nec toto orbe Christiano Clerum esse ullum, gravioribus exactionibus depressum.*

VII. Supersedere possemus attingendis immunitatibus & Cleri, & rerum Cleri in Oriente, cum Imperatorias Leges eò pertinentes suprà deprompserimus. Paucissima ergo hîc addemus. Anno 1057. Isaacus Comnenus Imperator Ecclesiam Constantinopolitanam priscę reddidit libertati administrandæ rei suę temporalis, citra Officialium Imperii interventionem. At non parum à se ipso descivit hic ipse Imperator, cum bene multorum Cœnobiorum prædia invasit complurima, pauca dimittens & necessaria, quibus victitarent. Narrat hæc Curopalates, approbatque excisum esse, vel circumcisum Monachis, quo luxu diffluebant; & benemeriturum censet fuisse de Ecclesiis prorsus Imperatorem, si & hanc eis vitiorum sementem omnino abscidisset. Bona pauperum in delicias abligurriri, nefas est à Monachis; à Principibus expilari, aliquantò atrocius flagitium est. Nihilo plus arduum, multò æquius autem fuisset ad meliorem frugem Monachos Clericosque ab Imperatore revocari, quàm spoliari, & nequitiam nequitia cumulari. Liguritori Monacho, vel Clerico succedit pius & sobrius, ita res Ecclesiæ ad pauperum commodum & ad naturam quasi suam redintegrantur. At ubi fisco Principis absorptę sunt, & de rebus & de pauperibus conclamatum est. Subscripsit cœlum nostrę huic sententię, demerso in eas calamitates hoc Imperatore, quæ non ferè possent non cælesti harum rapinarum vindictæ imputari. Plusculum sapuisset Curopalates, si ita cum Ecclesia sapuisset.

Nec minùs lugenda Alexis Comneni audacia, qui urgente necessitate sacra vasa & ornamenta Ecclesiarum in arcam suam devehi fecit. At cum mox à Normannis copiæ ejus accisæ fuissent & deletæ, etsi serò sensit, tamen quo ex fonte hæc in eum manasset calamitas; errorem suum publicata Bulla aurea confessus est anno 1082. eaque vetuit, ne posthac quacumque necessitate ejusmodi aliquid ten-

tentaretur. *Ne quis posthac sacra temerè contrectet, etiamsi Cadmea necessitas urgeat. Baron. n.13.* Anno 1148. Manuel Comnenus Imperator aurea Bulla similiter recantavit, quidquid à se priùs factitatum fuerat adversùs Ecclesias & Abbatias, cum penè innovata Nicephori Phocæ audacia eas vetuerat fundos vel comparare novos, vel possidere. *Ibid. n.41.* Anno 1411. Calojoannes Imperator Constantinopolitanus Turcorum vicinitate perterritus, in Italiam Galliasque trajecit, auxilia corrogaturus. Venetiis iter habens mutuam accepit ingentem pecuniam, cujus cum usuras solvere nequisset rediens, à Venetis ultrà progredi prohibitus est. Andronico ille filio habenas Imperii per absentiam commiserat, ad quem & literas dedit, ut à Clericis Laicisque exigeret pretium redemptionis suæ. Andronicus Imperio delectatus, rescripsit, eam pecuniam non posse totam à Laicis exolvi, à Clericis extundi posse nullam. Emmanuel minor natu filius, qui non ita ad naturæ affectus obduruerat, quamproprere eam pecuniam confecit, Venetias detulit, patrem libertati reddidit. Hoc Emmanuelis facto planum est, Andronici responsum ab ipsius, non à Clericorum inhumanitate profectum fuisse. Nec enim ulli unquam fuere Clerici, qui immunitatem & libertatem suam Principis & Imperatoris sui captivitate emptam voluerint, hoc est, immunitatum & libertatum suarum defensoris. *Calcond. l.5.*

Adjicienda est hic ad calcem hujus capitis concessio Mahometis II. ejus Turcorum Imperatoris, qui Constantinopolim primus expugnavit, & everso Orientis Imperio, Monarchiç sedem ibi fixit Ottomanicç. Vide quid ille Patriarchæ Græco Constantinopolitano, quid Episcopis Græcis concesserit ex Georgio Phranze. *L.9. c.19. Lupus To. 5. pag.8. Mahometes dedit literas Patriarcha, cum subscriptione authoritatis Regia, quibus illi à vexationibus cavit, rebellari vetuit, & quidquam tributi nomine ab eo exigi, vim à quopiam adversario & inimico adferri interdixit; ac ut vectigalibus & publicis contributionibus, ipsi, omnesque successores, & subjecti Episcopi in perpetuum vacarent, mandavit.* Intererat ad novi hujus Turcici Imperii stabilitatem, ut ea humanitate & Ecclesiç libertatum tuitione, Græcorum sibi animos conciliaret. Sed potuit nihilo tamen minùs ille, non quid sua interesset, sed quid natura ipsa persuaderet, intueri. Gentes enim barbarie ipsa sua efferatas prodit historia, veneratione semper singulari, & Numinis providentiam & Religionem prosecutas esse & Sacerdotium.

Narrat idem Phranzes, *L.3. c.11.*, cum Constantinopolim obsidione cinxisset idem ipse Mahometes II. non Monachos tantùm & Clericos hujus regiæ civitatis ad nocturnas compulsos fuisse vigilias, & ad opera quædam varia, sed & vasa sacra Ecclesiarum abrepta fuisse, procuraque ex his numismata ad stipendia militum; quod nec aliunde quidquam amplius suppeteret Imperatori, ab eoque quadruplo plura restitutum iri promitteretur, soluta obsidione. *Et quoniam ad numeranda stipendia pecuniâ Palatium destituebatur, mandavit vasa Ecclesia Sancta Deoque consecrata confingi, & in numismata redigi. Ac ne quis nos ut sacrilegos reprehendat; qui hoc in temporibus adducti fecimus; etiam David idem egit, cum esuriens panes propositionis comedit, quos nonnisi solis Sacerdotibus licebat comedere. Ajebat enim Beata memoria Imperator: Si Deus urbem liberavit, se Domino suo quadruplum restiturum.*

CAPUT XLV. *P.4. l.3. c.26.*

De militia, quam Episcopi & Abbates Principi subministrabant, in Italia, Germania, Gallia, ab anno Christi millesimo ad millesimum ducentesimum.

I. Cum Abbates & Episcopos Majoribus Regni feudis & Beneficiis investisset Carolus Magnus, suppeditanda sibi militia necessitate eos constrinxit. Gratulandum est, quod ea exoleverit politia, nec tamen obtrectandum iis saeculis, quibus ea viguit.

II. Undecimo saeculo ei usui & consuetudini suffragati sunt in Germaniam Imperatores, Reges, Episcopi, quorum nonnulli sacris Ecclesia fastis, & cælitum adscripti sunt.

III. Invalnerat & in Galliis ea disciplina, qua nec Beato Fuldeberto improbabatur, nec ab Ivone Carnotensi, nec à Petro Damiani.

IV. Sanctissimi & alii Præsules in Germania & Italia ei non adversantur.

V. Nec ab ea abhorruit B. Bernardus.

VI. Exempla hujus Episcoporum & Abbatum disciplina duodecimo saeculo.

VII. Exempla Gallorum in expeditionibus sacris.

I. GAllias potissimum, & Germaniam, Italiamque suo complexus Imperio Carolus Magnus, tantum opum in harum Provinciarum Ecclesias, tantum latifundiorum & feudorum in Episcopos & Abbates effudit, ut pene necesse fuerit ab Episcopis ipsis & Abbatibus copias eas Regiis exercitibus suppeditari, quibus ea latifundia jam olim erant obligata. Non me prçterit, quàm ferè abhorreant nunc viri pii, & castioris Ecclesiarum disciplinæ amantissimi ab hoc usu, & quam toti propendeant ad eum vituperandum: Non ignosci tantùm, sed & laudibus affici potest hic eorum dolor, qui & meritissimo videri potest communis fuisse eorum olim Episcoporum, qui illi tamen usui ipsi serviebant, provida, & cauta, ac necessaria dispensatione. Sed nec laude, adeoque nec venia dignandi sunt, qui damnare audeant eam consuetudinem, quam tot Concilia, tot Pontifices, sanctissimique Episcopi, Imperatores & Reges commendaverunt, vel jussione sua, vel usu, & exemplo, vel tolerantia sua, & necessaria juris ad temporum vices varias attemperatione. Una prorsus eademque sapientia, & charitas jubet nos nunc gaudere de ejus usus desuetudine, & ejus restituendi desperatione; & vetat, ne una implicemus damnationis præcipiti sententia tot sanctissimos Prælatos, summosque Principes, quos in supremo quodam supra nos fastigio Numinis providentia collocavit. Non pœnitebit nos operæ in hoc & sequens Caput positæ, si hunc capiamus ex iis fructum, ut idoneo veterem Ecclesiæ disciplinam tueamur patrocinio, & hanc instillemus Lectori moderationem animi, hanc ingenii amplitudinem conciliemus, hanc æquabilitatem, qua piè & religiosè complectatur, osculeturque Ecclesiæ Christi sponsæ disciplinam, sui non semper similem, sed simillima semper sapientia & charitate conditam. Puerorum est valde rudium, ut patriæ tantùm suæ admiratione afficiantur, ad alia omnia hospites & peregrini, atque ita ad summas redacti animi angustias. Sed ubi excussa est ea animi infantia, & mentis jejunitas, sive lectione & meditatione, sive regionum per-

ipsarum perlustratione, tunc placere incipiunt, aut certè non displicere mores peregrini, quandoque & patriis anteponi. Si superiora sæcula sex revolvamus animo, & oculis Lectorum subjiciamus, non inanis spes subest, fore ut quò rerum morumque peritiores erunt, eò sint & æquiores Judices, & interpretes clementiores.

II. Edicto quodam suo vetuit Otto III. nequis Episcoporum, vel Abbatum oppigneraret, vel alienaret fundos Ecclesiæ suæ cognatis, vel amicis, quod ex Ecclesiis ita spoliatis jam non possent Imperatori ea præstari obsequia, quibus fundi illi erant obnoxii. *Dum successores pro Reipublica officio, nostroque obsequio commonentur, suarum Ecclesiarum prædia ab aliis detineri causantur. Collectio Romana Holstenii.* Promulgata fuit ea Constitutio in Concilio Mediolanensi sub Gregorio V. Papa, eique subscripsere, qui tum aderant Episcopi omnes. Anno 1010. Henricus Imperator sanctitatis laude insignis, qui Ottoni III. successerat, cum copias suas eduxisset ad defensionem Archiepiscopi Moguntini, quem immanissimè insectabatur Comes ab eo justissimis de causis excommunicatus; Beato Heriberto Achiepiscopo Coloniensi præcepit, ut & ipse cum copiis suis advolaret. Morem gerere tum quidem non poterat Coloniensis Præsul, utpote ex gravissimo morbo decumbens. Secus id interpretatus Imperator, hanc velut animi à se alienationem ulcisci statuit. *Quam impossibilitatem ejus & causam ut audivit Imperator, non credidit.* Pissimus Imperator in procinctu erat invadendi, & malè mutandi piissimum Antistitem, nisi cœlestibus ostentis & prodigiis obviatum esset, iræque regiæ consedissent. Hæc à Ruberto Abbate memoriæ prodita sunt, qui hujus Beati Heriberti vitam literis consignavit. *Baron. an.* 1010. *n.*1. *Surius die* 16. *Martii.*

Biennio post idem piissimus Imperator triplici munitus exercitu in Italiam venit. Uni præerat ipse, alteri Popo Archiepiscopus Trevirensis, tertio Pilgrinus Archiepiscopus Coloniensis. Res eo bello gestas fusissimè descripsit Leo Ostiensis, quod ad tuitionem Imperii & Ecclesiæ gerebatur adversùs Græcos, Italiæ tum universæ, & Romanæ ipsi civitati formidolosos. *Baron. an.* 1012. *n.* 5. 6. Anno 1030. cum Conradus Imperator bellum indixisset sanctissimo Hungariæ Regi Stephano; Episcopos regni sui & Optimates convocavit Rex, atque ita exercitum in hostem deduxit; *Tunc Rex Stephanus Episcoporum & Procerum coacto Conventu, in patriæ defensionem totius Hungariæ evocavit exercitum.* Ita Cartuitius Episcopus in vita Sancti Stephani Regis. *Baron. an.*1030. *c.*1. Cogi Comitia Regni necesse fuerat, ut Episcopi & Comites belli gerendi causas edocti vassallos mox ipsi suos cogerent, adducerentque armatos ad castra Regia. Quis tam perfrictæ frontis sit, ut damnet, quod Henricus I. Imperator, quod Stephanus Rex Hungariæ, sanctitatis ambo laurea fulgentes quod sanctus Heribertus, aliique sanctissimi Episcopi probarunt, experti non posse tum Ecclesiæ salutem & Imperii alio quovis satis tuto muniri præsidio?

Graviter perstringitur ab Arnoldo Lubecensi Abbate Archiepiscopus Moguntinus, qui Friderico I. Imperatori comes hæsit in Longobardiam irruenti, eamque ut ei subjiceret totam depopulatus est, qui ab Ecclesia sua discedere non debuerat, nec militem ipse ad Castra deducere, sed per ministros & Præfectos Tribunosque dimittere deducendos. *Usque ad finem vitæ suæ Longobardiam vastabat, subjiciens eam Imperio, plus placere cupiens Imperatori terreno, quàm cœlesti, & neglectis ovibus sibi commissis, magis tributa Cæsarum, quàm lucra Christi colligebat. Chronici Slav. L.*11. *c.*16. Fatetur idem alibi Arnoldus potuisse ab his Præsulibus, iisdemque Imperii Principibus utrumque gladium stringi, sed convenientius stringi spiritalem, adeoque & efficacius; nec temporali gladio locum esse debere nisi in eo, qui spiritalem aspernantur. *Geminis eos gladiis cinctos videmus, uno spiritali, altero materiali. Sed spirituali plus utendum fuerat, materiali verò minùs, contra eos tamen, qui excommunicationis sententiam minus formidant. Nunc autem ad ostendendam mundanæ gloriæ potentiam plus utuntur materiali, quàm spirituali; & in hoc arbitrantes obsequium se præstare Deo sæpè minus proficiunt. Fortior enim spiritualis est materiali &c.* Nec siluit Albertus Stadiensis Abbas Moguntini ejusdem Archiepiscopi bellica facinora, & perridiculam Canonum ludificationem ejus, ne hostilem videretur sua manu fudisse cruorem, clava ferrea hostes conterebat. Obstinatissimè tuebatur Partes Paschalis Antipapæ, & Schismatici furoris impetu ad arma concitabatur. Illud certissimè muneris erat horum Præsulum, suas ut militum turmas mitterent potius per vicarios Præfectos, quàm ut ipsi deducerent, si utrumque in potestate haberent. At eorum manu, sive cædi, sive conteri hostem, id verò & Canonicis statutis, & Apostolicis vetabatur documentis. *An.* 1172. 1173.

III. Nec ab his undecimo sæculo disciplina Gallicana dissidebat. Fulbertus Carnotensis Episcopus, rescito esse Roberto Regi consilia & negotia quædam, quæ secum communicata vellet, eidem rescripsit, vehementer se cupere copiam sibi fieri ejus adeundi, sed sine militum copiis intuta & infesta sibi fore itinera, quæ inimici in se conjurati insiderent: nec verò per Quadragesimæ tempus fas Episcopo esse militem cogere: *Venirem protinus ipse ad vos hujus rei gratia, si commodè possem. Sed venire in armis sacrum tempus abnuit, ac religio nostri ordinis. Venire inermes longa via interminatur, ac malitia sæcularis. Est enim mihi O. coluber in via, R. cerastes in semita. Epist.*86. Gravi bello cum urgeretur Philippus I. Franciæ Rex Arnulpho Sancti Medardi apud Suessiones Abbati præcepit, ut cum militari Beneficiariorum suorum cuneo ad Castra properaret. Stipendia fecerat Abbas, antequam Cœnobio se dicaret; ideoque conscius quanti illud discriminis sibi futurum esset, rem deprecatus est, & saluti, & professioni suæ prorsus infestam. Renunciari ei præcepit Rex, vetustissimæ consuetudinis esse, ut Abbas cum vassis suis ipsimet in exercitu Regio coram adesset, aut cedendum ergo loco, aut officio fungendum. *Fuisse morem antiquum, ut milites Abbatiæ Abbate prævio regali expeditioni inservirent; aut faceret juxta morem antiquum, aut daret locum, ut fieret juxta Regis imperium. Surius die* 15. *August.* Abdicavit se Abbas dignitate, convocatisque Prælatis Rex alium eligi curavit. *Convocatis omnibus Ecclesiarum Prælatis, & communicato consilio, electus est in Abbatem vir magnæ scientiæ & religionis præcipuæ. Du Chesne Tom.*4. *pag.*163 Ita Lisiardus Suessionensis Episcopus, in vita Sancti Arnulphi hujus Suessionensis Episcopi postea creati, & præcessoris sui. Intelligebat Arnulphus quàm non facilè sociari & conglutinari posset Abbatis & Militum ducis professio. Sed Episcopi, qui ei successorem delegere, & successor ejus ipse in Cœnobio, quem miris laudibus extollit idem Lisiardus non minori in laude fuere, cum tempori & necessitati servierunt, ac consuetudini toto Occidente receptissimæ; permolestæ illi quidem, sed ex qua tamen non parum utilitatis & præsidii in Ecclesiam derivabatur.

Anno 1049. profectus in Gallias Leo IX. Concilium Remis congregavit, quo Clero Simoniacos expungeret Præsules aliquot, aut ejus labis infamia conspersos. Quibus inexorabilis ea terrori erat

censura, Regi tunc in hostem meditaoti suaserunt, ut ad se vocaret Episcopos & Abbates, penes quos erant maxima quæque Regni feuda, Abbatem potissimum Sancti Remigii Remensis, cujus opera ad Concilium celebrandum pernecessaria erat. *Ipsos etiam Episcopos & Abbates, penes quos maxima pars facultatum regni est, censent immunes hujus expeditionis esse non debere. Ante alios Abbatem Sancti Remigii.* Ejus molitionis certior factus Pontifex, Concilium nihilominus habuit. Maturavit & Rex expeditiooem suam, abductis secum Episcopis, & Abbatibus, plerisque invitis, præter eos, quibus formidolosum videbatur Concilium. *Rex in rebelles iter ingreditur, coacta in unum ingenti exercitus sui militia; sed & Episcopis & plerisque Abbatibus contra voluntatem suam illò euntibus.* Remos à Rege remissus est Abbas Sancti Remigii, Conciliique Sessione prima, ejus Promotor Diaconus Ecclesiæ Romanæ, multa proposuit Disciplinæ Gallicanę vitia, utique extirpanda, atque illud in primis, *De Clericis mundiali militia studentibus.* In eam rem editum est à Concilio decretum hujusmodi: *Ne quis Clericorum arma militaria gestaret, aut mundana militia deserviret. Can.6.* Si quis hic cortici verborum hæreat, & temporum contemplationi, cum editus est hic Canon, is non perperam forsan suspicabitur, damnatam eo fuisse Gallicanam consuetudinem. Et tamen re pressius excussa liquebit eam toleratam saltem fuisse; nec crimini datum, nisi ubi Clerici arma gestarent, ubi in aciem descenderent, manus consererent, sanguinem funderent, mactarent. Quo & in Galliis semper interdicti sunt Clerici. Sive enim mitterent, sive deducerent copias Episcopi & Abbates, sive Regi præsenti præsto essent, abstinendum tamen illis semper erat armis, acie, cæde, nec certandum nisi votis & precibus, quibus victoria acceleratur, & victoriæ fructus pax.

Novis id argumentis stabiliemus, hoc unum hic præfati, eam à Philippo I. Rege Galliæ, vel ab Henrico I. ejus parente innovatam videri fuisse consuetudinem, cum antè intermissa aliquandiu fuisset. Quæ hic jam promsimus exempla, iis non obscure insinuatur, aut novari aliquid, aut renovari. Suppetunt & alia horum testimonia. Anno 1066. Vuillelmus Neustriæ Dux deleto Haraldo Angliæ regnum sibi subjecit. Habebat ille in exercitu comites Bajocensem Episcopum germanum suum, & Episcopum Constantiensem, cum examine Clericorum & Monachorum, quorum partes erant Principi adesse precibus & consilio. *Duo Pontifices aderant cum Monachis & Clericis multis, quorum officium erat pugnare precibus & consiliis.* Ita Ordericus. Nec secus qui Vuillelmi Nothi vitam scripsit, de Episcopo Bajocensi fratre ejus: *Odo Præsul Bajocarum arma neque movit unquam, neque voluit moveri, valde tamen timendus armatis. Bellum namque utilissimo consilio, cum necessitas postularet, juvabat; quantum potuit religione salva. Regi, cujus frater erat uterinus, quem tanto amplectebatur amore, ut nec inter arma vellet ab illo separari, constantissimè fidelis fuit. Du Chesne Script. Nor. pag.* 501. 209. Solo consilio, & prece ad Deum plurima aderat Vuillelmo Angliæ debellatori Odo frater & Bajocensis Episcopus. Is tunc probabiliter conjicitur fuisse usus in Neustria. At Vuillelmus debellata semel Anglia, Episcopos & Abbates compulit, ut militum catervas ducerent ipsimet in castra, ut ex capite proximo planum fiet. Itaque Catalogus ille, qui ad Calcem occurrit Scriptorum veterum Historiæ Normanicæ, ubi recensentur Episcopi & Abbates, quibus onus incumbebat suppeditandæ regiis castris certæ militiæ, is non temerè creditur hoc Vuillelmi Nothi ævo conditus fuisse. Invexit ille in Angliam, quod in Gallia renovabatur. *Scriptor histor. Norm. pag.*1045. A Philippo I. Franciæ Rege narrat Ordericus. *Ibid. p.*836. 855. 856. anno 1108. cum jam non satis edomari possent Nobiles aliqui bellaturienses, quod priscus ejus ardor senio jam obrepente hebetaretur, Ludovicum Crassum filium ejus eam in se curam & provinciam recepisse eorum comprimendorum; unde & Episcoporum opem appellarit. *Ludovicus in primis ad comprimendam tyrannidem prædonum & seditiosorum per totam Galliam deposcere coactus est Episcoporum, &c.* Nova & penè inaudita tum ratione auxilio affuere Parochi ab Episcopis jussi. Parochianos illi suos in eum ducebant cum Ecclesię vexillo locum, ubi Rex castra metabatur, sive urbem aliquam obsidione vallaturus, sive acie pugnaturus. *Tunc ergo communitas in Francia popularis statuta est à Præsulibus, ut Presbyteri comitarentur Regi ad pugnam, vel obsidionem, cum vexillis & Parochianis omnibus.* Cum anno 1119. minùs feliciter alicubi pugnasset Ludovicus idem Crassus, commonitus est ut Episcopos & comites accerseret omnes, eosque in hostem duceret, unà cum Parochia quosque suis, Parochiarum cuneo cinctis. *Episcopi, & Comites, aliæque potestates regni tui ad te conveniant, & Presbyteri cum omnibus Parochianis suis tecum quo jusseris eant; ut communis exercitus communem vindictam super hostes publicos exerceant.* Insimulantur ab eodem Orderico Noviodunensis & Laudunensis Episcopi, quod militum suorum licentię effrænatæ indulgerent, insito sibi pridem odio incitati in Normannos. *Noviomensis Episcopus & Laudunensis aliique plures in illa expeditione fuerunt, & pro malevolentia, quam in Normannos habebant, suis omne nefas permiserunt, ut suas legiones pluribus modis leniendo multiplicarent.*

Nova quædam & mira inerat species his rusticorum copiis militaribus, subitariisque. Ita cogebat necessitas nihil in præteritis relinquere. Sed & qui oppugnabantur, non fere nisi prædones erant temerè & tumultuariè effusi. Usitatissimum erat, ut Episcopi à Regibus commoniti Episcopatûs sui Vassos, seu Beneficiarios mitterent, vel ipsimet ducerent. Teste utar locupletissimo Ivone Carnotensi Episcopo, & Canonum doctrinæ callentissimo. Jussit eum Philippus I. Rex anno 1095. ad se iter arripere, & Pontesiam, vel ad Calvimontium copias secum abducere, inde secum venturum in eum locum, ubi Regi Angliæ & Comiti Normanniæ condixerat. *Excellentiæ vestræ litteras accepi, quibus submonebar, ut ad Pontesium sive Calvum montem cum manu militum die, quem statueratis, occurrerem, iturus vobiscum ad Placitum, quod futurum est inter Regem Anglorum & Comitem Normannorum. Baron. n.*15. Multa tum excusavit apud Regem Ivo, ne accurreret, sed vel ex rationibus ejus omnibus illud exprimitur, usitatissimæ tunc consuetudinis fuisse, ut his Regum jussionibus Prælati obtemperarent. Illa inter cæteras allegabatur ab Ivone causa, quòd Beneficiarii tunc Ecclesiæ milites, vel abessent, vel excommunicatione innodati essent, & nec solvi antè possent, quàm fecissent satis; nec in hostem antè duci, quàm soluti essent. *Præterea casati Ecclesiæ, & reliqui milites pene omnes vel absunt, vel pro pace violata excommunicati sunt, quos sine satisfactione reconciliare non audeo, & excommunicatos in hostem mittere non debeo.* Sed præ cæteris illud non nesciebat Ivo, quod & alios admonebat Episcopos, Præsulum non esse, armis hostes ulcisci proprios. *Quatenus propositi & officii vestri memor, mundanam superbiam non armis mundana militia, sed armis Christiana militia superare valeatis.* Alibi denique idem Ivo confirmat, suos & Episcopis fuisse homines, quibus laicæ Ecclesiæ beneficia commendata fuissent, hominium Episcopo præstaturis, & militaria hæc obituris feu-

feudorum obsequia. *Dicitur, quod milites illos, qui beneficia Monasterii habent, tanquam eos sibi reservans, hominium facere Abbati non permittis. Epist. 505. 106. 89.*

Dolebat utique Ivoni molestissima consuetudo; sed parendum erat, non tam tempori, aut necessitati, quàm Providentiæ Numinis, quæ hanc ineluctabilem objiceret necessitatem. Dolebat & Petro Damiani, qui quantumvis composito ad austeritatem animo, assentiebatur tamen extra culpam esse Prælatos, quos sola necessitas arctaret, non propria impelleret voluntas ad tumultuosas hujus generis expeditiones. Agit Petrus de B. Bonito, qui Claromontano Episcopatui renuntiavit, quòd eo investitus fuisset à Rege; affirmatque multò alieniorem ab ea sarcina futurum fuisse, si ea vidisset posterioris hujus ævi avocamentis vallatam, quò ingrediebantur Episcopi, non Clericis stipati, ut par erat, sed militum cuneis, quasi non jam ministerio Christi, sed militari fungerentur Præfectura. *Quid iste faceret, si tormenta, quibus nostri cruciantur Episcopi, & ipse perferret? Si scutatorum & lanceatorum turma post equitantis terga confluerent? Si cum tanquam gentilis militiæ ducem in procinctu positum armati undique manipuli constiparent? & quem decuerat reverenter incedere cum choro psallentium, audire cogeretur hinc inde perstrepentium tinnitus armorum? Unde fit, ut modò Pontificem non comitentur, ut dignum est, diversi Clericorum ordines, sed castra potius & armati telis vibrantibus bellatores. L.2. Ep.10.* Hanc Petrus Damiani tabellam expingebat Episcoporum sui ævi, hanc Alexandro II. Papæ exhibebat, nec quod ad militiam Episcopalem attinet, eam aboleri poscebat. Unum illud profitebatur, piis Episcopis ea militum pompa cruces & molestias creari. *Tormenta, quibus nostri cruciantur Episcopi.* Hac militum caterva cruciari Episcopos laudi erat, oblectari in vitio fuisset. Subjicit Petrus Episcopos beneficiariis his militibus fundos Ecclesiæ suæ, & magnam partem Ecclesiasticorum proventuum, patrimonii certè pauperum, dilargiri solitos fuisse. Id verò lugendum præ cæteris, id luctuosissimum erat; & tamen confitetur Petrus culpa vacasse Episcopos, si tristissimam necessitatem non antè subeant, quàm de ea seriò ingemuerint. *Pensemus quale hoc sit, quia & nonnulli hæc inviti perferunt, & tamen eos, quos tolerant, prædiis ac facultatibus Ecclesiæ, velint, nolint, carius emunt, &c. Quod totum in malè munifici caput redundare, nulli dubium est; si tamen ad hoc propria vanitas trahat, non necessitas antiqua compellat.*

IV. Constat ergo ex Petro Damiani, ne tacito quidem Episcopos verberari potuisse convitio, quòd non alerent tantùm militem, sed & fundis Ecclesiæ donarent; si non sæcularis fastus stimulo agerentur, sed accommodarent se indeclinabili temporum suorum consuetudini, una duce & auspice sapientia cælesti, & charitate. Sentiebat cum Petro Damiani B. Anno Coloniensis Archiepiscopus, etsi progredi nusquam posset, nisi longo militum agmine comitante. Cum illum Aulico favore exturbatum revocaret aliquando Henricus IV. Germaniæ Rex, gratiæ pristinæ ut illum suæ recolligeret, Sigebergensis Abbatiæ Monachis, in quorum contubernio lubentissimus interim secessus, & silentii, & contemplationis delicias degustaverat, significavit, sibi plus fore præsidii in eorum precibus, quàm in exercitu suo. *Nulla mihi spes in militibus meis, nil præsumptionis est in armis eorum. Major mihi est fiducia in vobis, quàm in omnibus illis.* Ita vitæ ejus Scriptor. *Baron. an. 1065. n. 55. 56. 1054. n. 34.*

Eodem ipso propemodum tempore Constantinopolitanus Patriarcha Michael Cerularius Ecclesiam Latinam lacessivit criminationibus & calumniis iis, quas inveterata odia suggerere & comminisci solent. Prælatos insimulavit Latinos, quòd armati incederent, manusque suas humano sanguine cruentarent. *Ad bellum exeuntes manus suas sanguine coinquinant; & in conspectu suo animas occidunt, &c.* Eam corruptelam semper damnarat Ecclesia Latina. Sed ne ab insigni quidem hoc calumniatore probro & crimini datum est, quòd Episcopi, quibus temporales Principatus concrediti sunt, ad eorum defensionem militem in armis habeant, quem & ad Regias pro Regno & Ecclesia expeditiones, vel ducant ipsi, vel mittant.

Militari penè stylo narrat Ratherius Veronensis Episcopus, & se, & aliis Episcopis jussis ab Imperatore, obsidione cingere Castrum Gardam; tergiversatos fuisse eorum quosdam, & Canones sibi prætexuisse, qui militia Clericos ejiciunt; sed abruptè respondisse Principem, impudicitia quoque Canones Clericis interdicere. *Ego ipse quondam cum Imperiali præcepto urgeremur Gardam obsidere castrum, & Episcopi & Clerici Provinciæ obtenderent, &c. Spicil. Tom. 2. p. 170.*

Leo IX. Pontifex postea Romanus, cujus annuam Fasti sacri recolunt memoriam; cum Diaconum adhuc ageret, deducendas accepit copias Hermanni Episcopi Tullensis in Longobardiam, ad Imperatorem Conradum, anno 1025. cura in se recepta regendi alendique exercitûs, castrametandi, Provincias peragrandi; *salvo tamen per omnia propriæ gradûs sacramento.*

Beatum Godofridum Ambianensem Episcopum fatetur, qui vitam ejus memoriæ commendavit & literis Monachus coævus, cum Rege Ludovico Crasso oppugnasse Turrim, in quam jamdiu velut in arcem quandam inexpugnabilem se recipiebant, & ex qua prædas agebant sceleratissimi prædones. Expugnata tunc demum & solo æquata ea fuit. *Eam Ludovicus Francorum Rex & Godefridus Episcopus biennio ferè obsessam, tandem fame ad deditionem adactam, funditus evertendam curarunt. Surius die 19. April.*

V. Nullam non sæculi sui labem, morumque perversitatem exagitavit B. Bernardus, nec ille tamen unquam in hanc exarsit Regum Præsulumque consuetudinem. Destomachatus ille quidem est in Stephanum de Garlanda, qui cum Diaconatûs Ordine, & Beneficio Ecclesiastico exornatus fuisset, Seneschalli munere investitus fuerat, quo uno continebatur tunc, quæ nunc Magni Magistri, seu Majoris Palatii, & Comitis Stabuli gemina dicitur dignitas amplissima. Itaque nulla esse, ac ne fingi quidem poterat societas inter Diaconatum & Militarem dignitatem. *Cujus cor non indignetur Diaconum sic implicatum militaribus officiis, ut præferatur & Ducibus? Rogo quid hoc est monstri, & cum & Clericus & miles simul videri velit, neutrum sit? Quis non detestetur unius esse personæ, & armatum armatam ducere militiam, & alba stolaque indutum, in medio Ecclesiæ pronuntiare Evangelium? tuba indicere bellum militibus, & jussa Episcopi populis intimare. Baron. ann. 1127. n. 54.*

Admiranda hic venit Bernardi solertia & circumspectio. Quanquam enim in speciem cognatio videretur esse quædam inter hunc Magnum Seneschallum eundemque Diaconum, & Episcopos ea obeuntes munia, de quibus hîc agimus; intererant tamen nonnulla, & quidem capitalia discrimina, ex quibus patrocinemus Bernardo, tam fidenter invehenti in Diaconum Seneschallum, & ignoscenti Episcopis militarium feudorum munia obeuntibus. Magni Seneschalli erat, non tantùm armatas deducere cohortes, sed & armatum ipsum incedere: *Armatum armatam ducere militiam.* In aciem quoque edocebat illas, & bellicum cani, tubaque

prælium indiei jubebat. *Tuba indicere bellum. Bernard. Epist.78. 42.* Denique officii ejus erat, ut & manu ipse pugnaret. Procul autem erant hæc omnia à nostris Præsulibus. Nam nec armis ipsi amiciebantur, nec ad pugnam educebant copias, nec pugnæ signum edebant, nec manus conserebant ipsi; sed milites Beneficiarios suos ad exercitum Regium mittere, vel deducere, & regendos permittere Regiis ipsis ducibus, vel Imperatoribus curæ erat.

Si qua resideat adhuc in cujusquam animo suspiciuncula, eam, ut opinor, diluet idem ipse Bernardus in Epistola illa elegantissima ad Henricum Archiepiscopum Senonensem exarata, ut eum cohortaratur ad obtemperandom ex animo Prælatis suis Ecclesiasticis, cum incunctanter morigerum se Regiis exhiberet mandatis, in consiliis, in negotiis, in exercitibus. *Porro vos si Cæsaris successori, id est, Regi sedulus in suis Curiis, Consiliis, negotiis exercitibusque adestis, indignum erit vobis saieumque Christi Vicario taliter exhibere, qualiter ab antiquo inter Ecclesias ordinatum est?* Quæ obsequia in exercitibus Episcopi Regibus præstarent, ad nauseam usque jam inculcavimus, mittere, deducere, alere militem, ipsos non adesse nisi in Consiliis & in Oratorio Regum.

B. Bernardus ipsemet miras quasdam delapsum se gemuit in angustias, quando Conventus Regni ad Carnutum, ubi expeditio sacra in Palęstinam statuta fuit, ducem illum & summum Imperatorem delegit. Occupavit illa ad Eugenium III. Papam scribere, ne pręverterent alii, suaderentque Pontifici, ut pro Imperio juberet acquiescere electioni tam inauditæ, tam insperatæ, tam alienæ à proposito suo. *In Carnotensi Conventu me quasi in ducem principem militia elegerunt. Quis sum ego, ut disponam castrorum acies, ut egrediar ante faciet armatorum? Aut quid tam remotum à professione mea, etiamsi vires suppeterent, etiamsi peritia non deesset? Obsecro, ne me voluntatibus humanis exponatis. Epist.256.* Qui in summum militiæ sacræ ducem Bernardum delegere, iis ob oculos versabantur quotidie Episcopi & Abbates, militem ducentes ad Castra regia. Itaque non videbantur sibi rem tentare valde alienam. Nec ipsi enim sperabant fore, ut castrametari, vel militem in acio instruere ipse adgrederetur. Has functiones ne delibabant quidem Episcopi in exercitibus Regiis. Præfici tantùm sibi volebant veluti Moysen alterum, qui precibus & portentis quibusdam cælestibus, victorias quò vellet, inclinaret. Sed in mentem forsan illis non venerat, Monachos Cluniacenses, etsi omnino Regulæ B. Benedicti sequaces temporalibus florere dominiis & Principatibus, & hinc militares elicere cuneos, quos ad Regium exercitum mittitarent; at Cistercienses Monachos divitiis, pompis, dominiis & Principatibus renuntiasse, opere manuum victitare, agrorumque proventibus, quos vel excolerent ipsi, vel excolendo curarent. Ita nec Cisterciensibus, nec Chartbusianis, nec posterioribus Congregationibus, pio illo fervore, & paupertatis & frugalitatis amore flagrantibus, quidquam inflictum est horum onerum, quibus prisci illi & opulentiores Abbates subjiciebantur.

VI. In Chronico Senoniensi, quæ pervetusta erat Lotbaringiæ Abbatia, tristissima describitur facies Cænobiorum, militaribus his oneribus & expensis attritorum. *Quia Monasterium sicut & alia circumjacentia Imperio Romano subjacebant, & in expeditione Imperatoris armatorum cuneos de more mittere solebant, praliis crebriùs innovantibus Ecclesia miserabiliter opprimebantur. L.1. c.16.* Non poterant hæc nisi impatientissimè ferre Cœnobiorum Præfecti, & tamen ea quasi sua sponte nascebantur ex ingentibus illis fundis, feudisque, quibus eorum plerique oblectabantur. Voluit aliquando Paschalis II. Papa abdicari Principatus Ecclesiæ temporales omnes, ut & bis quoque militaribus oneribus, & Laicorum investituris finis imponeretur. *Jura Centurionum, & Turres, quæ Regni erant, cum pertinentiis suis, militiam & castra. Epist.22.* Ejus voluntatis suæ & definitionis causam longè pulcherrimam subjiciebat Pontifex his verbis. *Oportet enim Episcopos curis sæcularibus expeditos, curam suorum agere populorum, nec Ecclesiis suis abesse diutius.* Sed nec Paschalis ipse propositi sui tenax diutiùs fuit, nec ejus successoribus approbatum est consilium, quo tanta disciplinæ novatio in Ecclesias & in Regna invehebatur.

Investituras extorsit Principibus sæcularibus Callistus II. nec Prælatos prædiis Regiis feudisque spoliavit. Vetitum est in Concilio Tolosano annis 1119. ne pro Beneficiis Ecclesiasticis ulla Clerici servitia Laicorum obirent. *Nullus Clericorum pro Ecclesiasticis Beneficiis servire Laicis compellatur. Can.6.* Ubi duo necesse est genera sejungi Beneficiorum, Alia enim Ecclesiastica sunt, & his nulla incumbunt onera servitiorum. Alia sunt laica & sæcularia, uti feuda, nec Canones vetant, quin pro his exolvant Clerici obsequia illis innexa. De his exponendus est Petrus Venerabilis in Epistola ad Tricassinum Episcopum scripta, ubi illum Cluniacum invitat, cum Regia expeditione soluta ac finita, nemo jam cogat, Episcopos militare. *Ecce redit Rex, bellicus apparatus conquievit, nullus Episcopum militare cogit. L.4. c.1.* De his obsequiis conventum erat cum Principibus, ubi ab illis Ecclesia feudis donabatur. Quando Fridericus I. anno 1157. Viennensem Archiepiscopum donavit feudis & Principatibus iis, de quibus suprà disseruimus; loca designavit, ex quibus impensæ illi suppeditarentur, sive ad Castra, sive ad Palatium Imperatorium proficiscenti. *Ad hac decernimus, ut in adventu nostro, vel quotiescumque ad Curiam nostram vocatus fueris, vel expeditionem nobiscum facere debueris, cives Viennenses & Romanenses omni excusatione remota, congrua sibi obseqaia deferant. Bibl. Flor. Par.3. p.87.*

Anno 1143. cum Goffridus Andegavensis Comes bello Normannico implicatus asset, & ex Andinis Cœnobiis auxilia non pœnitenda elicuisset: Abbas Trenorchiensis, & Prior Dominæ nostræ de Cunau, & de Loduno, antiqua soa freti immunitate nihil opis conferri à se posse præ se tulerunt. Comes ejus dissidii componendi cupidissimus, Alta, ut loquuntur, & Ima Justitia eos donavit, antiquas eorum libertates à Galliæ Regibus, & à Comitibus concessas confirmavit, id sibi tantùm juris servatum voluit, ut quandiu ipse bello distineretur, Priorum horum vassalli sub Imperio Comitis militarent. *Sibi dictus Comes retinuit, quod quando in hostem contra inimicos nostros perreximus, & hoc solùm causa pralii; tunc nostro jussu, vel missi à nobis, missi homines eorum in hostem pergant; nullo autem modo jussu ullius Vicarii nostri eant ulter. Histoire de Tournus. p.424.* Tum Abbas Trenorchiensis pecuniam aliquantam obtulit Comiti, equum ejus filio. Anno 1146. confirmata sunt à Ludovico Juniore privilegia ejusdem Abbatiæ Trenorchiensis, immunitas Palafrædi, sive equi, & Eulogiarum. *Nullus exigere Palafradum, aut Eulogias prasumat. Ibid. p.447. 353.* Eulogiæ dicebantur dona gratuita, quæ Abbates Regibus conferebant: Palafrædum dicebant; quasi Paraveredum, ut opinor, sive equum, quem ad aciem instructum donabant. Anno 1171. cum ab eodem Rege componerentur lites inter Abbates & cives Trenorchienses excitæ, vetitum ab eo est, ne pecunias exigeret Abbas, nisi ut adesset Regi, Papæ, & Cardinalibus; concesso tamen, ut ali-

quid

quid nummorum exposceret, cum sibi pergendum foret vel Romam, vel ad exercitum, vel ad Palatium Regium. *Abbas super Burgenses nullam deincepe faciat talliam, nisi pro auxilio, aut procuratione nostra, aut procuratione Domini Papa, aut alicujus Cardinalium. Si Abbas submonitus fuerit ad Concilium, vel ad Curiam Domini Papa, aut pro incremento Ecclesia sua, aut diminutione defendenda Dominum Papam adierit, aut ad nos venerit pro expeditione, aut pro Regali nostro recipienda, aut pro alio negotio nostro, vel Ecclesia, quod fuerit grande, tunc rationabile secundùm qualitatem, aut quantitatem negotii quaret auxilium, & capiet ab hominibus suis.*

Anno 1128. Ludovicus Crassus Rex libertates Prioratûs Sancti Martini de Campis Lutetiæ amplificaverat, eo indulto, ut militem non conferret Regi, nisi lubens volensque. *Concedimus etiam, quod B. Martini homines nunquam in expeditionem, vel equitatum ex consuetudine, nisi ex amore solummodo, & prece, & voluntate & licentia Prioris ibunt. Hist. de S. Martin des Champs. p.27. 28.* Id privilegium à Ludovico Juniore confirmatum est, qui militiam tamen ex quibusdam fundis sibi servavit, quam unus ipse tamen, vel Senescallus ejus posses exigere. *Ita tamen, quòd expeditiones nostras & equitatus nostros tantummodo in hominibus in prædicta terra morantibus retinemus. Qui tamen neque à Præposito, neque ab aliquo ministrorum nostrorum submoneantur, nisi ex pracepto nostro & Dapiferi nostri.* Et non multò post: *Concedimus quod Beati Martini homines nunquam in expeditionem, vel equitatum ex consuetudine, nisi ex amore solummodo & prece, & voluntate & licentia ibant, exceptis hominibus de Pontisara, quorum ista retinuit pater meus. Ibid. p.29. 162.* Novum robur accumulavit ei concessioni Legatus Pontificius, ad Pontisareosis oppidi terram, excepta militia, ubi eam vel Rex deposceret, vel Seneschallus. *Terram, quam apud Pontisaram Ecclesia Sancti Martini de Campis habebat, liberam fecit ab omnibus consuetudinibus ad se pertinentibus, excepta sola expeditione, per propriam, vel Dapiferi sui personam submonita.* Immunitatem huic perquam similem anno 1182. Hugo Burgundiæ Dux concessit Abbati Castellionensi ad Sequanam. *Ministri, qui sunt Ecclesia, & ab Ecclesia panem & vinum recipiunt, ab omni exactione & exercita, velut ministri Ducis, liberi & quieti permaneant. Recueil pour l'histoire de Bourgogne pag.300.*

VII. Expeditionis Hierosolymitanæ omnium primæ historiam qui scripto mandavit Albertus Aquensis Ecclesiæ Canonicus, prout illam ab ipsis acceperat Cruce signatis, Balduinum porro ille Regem perhibet Gottofredi fratrem & successorem, deficiente pecunia in stipendia militum, aliquid opis à Patriarcha flagitasse. *Patriarcham compellat, quatenus sibi aliquid pecunia de oblatione fidelium impertiret, quam militibus dividens, voluntarios eos sibi redderet, ac secum retineret; alioquin eos in terminio Jerusalem non velle remanere, ac Sancta Sanctorum defensare.* Ducentas argenti marcas obtulit Patriarcha, quas lubens Rex accepit; at cum didicisset ab Arnulpho Cancellario Ecclesiæ Sancti Sepulchri, reconditam esse à Patriarcha immensam quandam auri argentique vim, ex oblationibus fidelium collectam ad Sepulchrum Christi procumbentium; tum rursum Rex Patriarcham urgere cœpit, ut quadraginta saltem cataphractos milites suo sumptu aleret: *Ut milites quadraginta procuraret, atque auro dato & argento, benevolos in opus belli redderet.* Abnuit Patriarcha tantò constantius, quantò conjunctior erat Legato Pontificis, in quem ferebatur, ejus ipsius sacræ pecuniæ nihil derivari. At cum aliquando Rex improvisus intervenisset splendidissimis ejus epulis, seriò admonuit opes Ecclesiæ utilius, honestiusque impensum iri in Ecclesiæ & Sanctæ Civitatis tuitionem. Mox meditatis ejus de libertate, & immunitate Ecclesiæ sermonibus obsurdescens, coegit, ut triginta loricatos milites suis impendiis sustentaret, connitente etiam Legato, ut Patriarcha assentiretur. *Ex consilio fratris Mauricii Legati Apostolica Sedis triginta milites in conventione solidorum se procurare promisit.*

CAPUT XLVI. *P.4. l.3. c.27.*

De Militia, quam Episcopi & Abbates Franciæ, Italiæ, Germaniæ, Principibus suppeditavere ab anno millesimo ducentesimo ad hanc ætatem.

I. Varia sub Augusto Philippo exempla Episcoporum, qui certam militum turmam ad Regium exercitum deducebant. Is usus ab Innocentio III. non improbatur.

II. Alia exempla ejusdem consuetudinis sub Regibus ejusdem saculi decimi-tertii.

III. Ejusdem usus exempla sub Philippo Pulchro, saculo jam decimo quarto. Multa hic observantur. Cum frequentissima jam evasissent decimarum exactiones, totam in se curam traduxere Reges militem cogendi, nec deinceps ea de re molesti fuere Episcopis.

IV. Nova probationes ejus innovationis in Gallia saculo decimo-quinto.

V. In aliis extra Galliam Regnis Episcopi eo onere, vel levati omnino non fuere, vel tardius.

VI. Alia observantur in hanc Ecclesia disciplinam, ita à Deo dispensatam; & in virtutes alias aliasque, quibus locus est, quocumque sit loco disciplina sacra.

I. AD Philippi tandem Augusti Francorum Regis tempora delapsa oratio est, quem cum per literas Innocentius III. acuisset ad bellum sacrum adversùs Albigenses in Occitania grassantes, copias ille suas ad Meduntam congregavit anno 1207. Suas eò cohortes deduxere Episcopi, at mox Aurelianensis & Altisiodorensis abscessere, ut qui confiderent, nisi ubi Rex in castris adesset, non teneri se eò mittendarum, vel deducendarum copiarum obsequio. Infesta eis erat generalis consuetudo, teste & authore Rigordo, ex quo hæc mutuata sunt. Nullo porro ipsi speciali nitebantur privilegio. Permolestè ergo tulit Rex hanc eorum contumaciam. Itaque fisco suo adjudicavit prædia & feuda omnia, quæ clientelari Regum fide ab iis obtinebantur, decimas & oblationes eis fruendas dimisit. Circumspectissimè enim libertates Ecclesiæ reverebatur. Audiendus Rigordus: *Cum omnes Barones & Episcopi vocati ad hunc exercitum, convenissent apud Medontam, & misissent ad mandatum Regis homines suos, prout debebant in expeditionem illam, Aurelianenses & Altisiodorenses Episcopi cum militibus suis ad propria sunt reversi, dicentes se non teneri ire vel mittere in exercitum, nisi quando Rex ipse proficisceretur. Et cum nullo ad hoc privilegio se tueri possent, generali consuetudine contra eos faciente, petiit Rex, ut hoc emendarent. Ipsis autem emendare nolentibus, Rex eorum Regalia confiscavit, scilicet ea tantùm temporalia, qua ab eo feodaliter tenebant; decimas & alia spiritualia eis in pace dimittens. Ipse enim Rex Christianissimus semper timebat offendere Ecclesiam Dei*

&

& ejus Ministros. Vibrato Episcopi ambo interdicto Ecclesiastico in Regis homines, & terras suæ Diœceseos, tum denique Romam petiere, ut Innocentii III. Papæ tuitione munirentur. At Pontifex nec animum à se Regis temerè abalienare voluit, nec receptas calcare regni consuetudines. Jussit ergo ut ab Episcopis Regi fieret satis, mulcta solveretur, & ita demum Regia illis feuda restituerentur. *Consuetudines & jura Regni Papa nolente infringere, aut in aliquo revocare, emenda tandem facta & Regi soluta, post duos annos recuperaverunt omnia, quæ à Rege fuerant confiscata.*

Rescripserat & ad Philippum Regem Innocentius III. *Inn. III. Regest. 15. Epist. 191. 192. Reg. 24. Epist. 52. Reg. 15. Epist. 39. 40. 106. 507.* super hoc eodem negotio, sed longè diversis de eo sparsis rumoribus occupatus, quàm à Rigordo narratum sit. Erat enim Pontifici relatum, eo exæstuasse Regem in Episcopos, quòd eorum copiæ ipsis absentibus renuissent eò concedere, quò reliquus concedebat exercitus, quanquam nonnisi permittente Rege absfuissent Episcopi. *Levi occasione prætensa, quod quidam eorum milites, in tuo exercitu constituti, ad locum, quem eos adire præceperas, ire cum aliis noluerunt, absentibus eisdem Episcopis per licentiam à te liberaliter impetratam.* Et si res ita fuissent, vel hinc tamen manifestum esset, Pontifici non displicuisse, ab Episcopis mitti, vel duci copias ad Regios exercitus, nec ipsos tum castris nisi permittente Rege potuisse se subducere. Quin & exordio ejus Epistolæ, & sequente Epistola ad Senonensem Archiepiscopum data Regem miris evehit laudibus Pontifex, tanquam libertatum Ecclesiæ vindicem invictissimum, quem & ipse soleat in exemplum proponere Principibus aliis, in easdem conjuratis. *Cum alii Reges & Principes rationes & libertates Ecclesiasticas persequuntur: nos fili charissime, te illis objicimus in exemplum, quod eas in regno tuo custodis illæsas.* Vituperari ab Innocentio non poterant Episcopi, hoc onus mittendi, vel ducendi militis subeuntes, cum ipsemet eos frequens hortaretur copias suppeditare sacris expeditionibus, in Palæstina, vel in Italia tum ferventibus. *Postulantes ab Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Capitulis, Clericis universis competentem numerum bellatorum.* Hic ergo usus libertatibus Ecclesiæ nihil obstrepebat, eum cum in Philippo libertatum vindice approbaret Innocentius, & ipse ad bella sacra usurparet. *Reg. 15. Ep. 180. Reg. 26. Epist. 28. 30.* Repetenda hic & ea cautio est ex Vuillelmo Brittone, nunquam Clericos exploratius habuisse, non posse sine piaculo arma à seipsis tractari. *Arma, quibus tractari negat lex Ecclesialis, consilium præstant aliis, qui belligerantur, & bello superant inimicos, spiritali exemplo Moysi. L. 8. & 9.* Agit autem ibi Vuillelmus de Episcopis Clericisque aliis, quos cum Simone Monfortio Arragonum Rex obsidione cinxerat, Mureti urbis mænibus clausos. Nec multum ab his distabant Episcopi, cum eos apud Augustam Suessionum Rex Philippus unà cum Baronibus congregavit, ut de bello tractaret, adversùs Ottonem Imperatorem & Angliæ Regem sibi gerendo. *Prælatos Ecclesiarum, & toto Proceres de Regno congregat omnes.* Episcopi, Abbates, Proceres, cives omnes professi sunt & in se receperunt, vitæ ipsius impendio defensioni se Regni affuturos. *Omnis Baro, Comes, Dux, Rector, Episcopus, Abbas, cum reliquis membris regni se fœdere firmo sponte ligant Regi, viresque in prælia spondent.*

A Philippo Augusto Manasses Aurelianensis Episcopus potestatem accepit Ecclesiæ Aurelianensis Milites Beneficiarios congregandi & deducendi ad Castra Regia, quoties ipse eò vocaretur. Ante enim sub alio duce & suis ipsi sumptibus illi militabant, porro Episcopis milites aliunde accersendi erant. Ab eodem rursus Philippo Rege, ut sarciretur contumelia à Ministris suis Odoni Episcopo Parisiensi ejus injussu inusta, absolutus est Odo anno 1200. vinculo eo, quo tenebatur ducendi militis ad Exercitum Regium, dum per vicarios mitteret easdem ac priùs cohortes: *In persona sua tantùm, quandiu vixerit, ab omni exercitu absolvimus penitus & quittamus, salvo nobis debito militum, quod idem Episcopus tenetur mittere in servitium nostrum. Labbe Bibl. MMSS. Tom. 1. pag. 486.* Eidem ipsi Capitulum Remense re diu concertata promisit anno 1207. eadem se subsidia præstaturum, atque alia Capitula ad Regni tutelam: *Quando submonitio fiet, sicut fieri solet in regno Franciæ per Christianitatem pro defensione Coronæ & Regni, facere tenentur, sicut alia Capitula Franciæ, & pro faciendo hoc recognovit Rex, quod ipsi ab omni servitio liberi remanent in æternum. Gall. Christ. tom. 1. pag. 428. 522.* Ab eodem concessa est Capitulo Altisiodorensi Regalia Episcopatus Altisiodorensis vacantis anno 1206. servato subsidio militari, cui obnoxii semper fuerant Episcopi Altisiodorenses. *Salvo servitio nostro, equitationis, exercitus, & submonitionis, sicut Episcopi Autisiodorenses nobis fecerunt. Gall. Christ. tom. 2. pag. 282. Tom. 3. pag. 683.* Ab eodem anno 1209. concessa est similiter Capitulo Matisconensi Regalia ejusdem Episcopatus, & absolutus est Episcopus necessitate colligendi & ducendi militis, nisi ubi in eas oras Rex, vel filius, vel Marescallus, vel Seneschallus, vel Comes Stabuli Exercitum deduceret: modò tum eis se Episcopus Matisconensis cum suis copiis adjungeret usque ad Castrum Divionense. Testamento denique suo mandavit Philippus, ut si quid belli filio suo incumberet, ei laici, ei Clerici adessent omni ope, non secus ac sibi affuerant. *Et Ecclesiæ tale faciant ei auxilium, quale solitæ sunt facere nobis.* Vide ipsummet ejus Testamentum apud Rigordum ad annum 1190.

II. Ubi in Regnum Philippi Augusti successit Ludovicus VIII. filius, confirmata ab eo sunt anno 1223. Episcopo Andegavensi privilegia omnia, quibus Ecclesia ea dotata & gavisa fuerat sub Philippo Augusto Franciæ Rege, sub Angliæ Regibus Henrico & Richardo; nempe Episcopum Andegavensem eodem fidei sacramento Regi Franciæ functurum, sed immunem fore à militari qualicumque obsequio. *Rex ipse nobis recognovit, quod non tenemur ire in exercitum, aut equitatum ejus in propria persona nostra, vel mittere aliquem ad sumptus nostros; nec occasione istius sacramenti fidelitatis ullum onus, aut gravamen imponetur nobis, aut Ecclesiæ nostræ. Gall. Christ. Tom. 2. pag. 136. Preuves des Lib. de l'Eglise Galli. c. 39. n. 7.* Anno 1225. Henricus Andium Episcopus exonerari se curavit à Rege necessitate militis ad Albigense bellum subministrandi & decima, persolutis libris sexcentis. Exonerari autem se fecit, quòd minùs corpore valeret. *Attendens Rex debilitatem nostri corporis, pro exercitu suo & pro militibus, quos debemus ei mittere ad exercitum suum apud Albigam, quittavit nos pro sexcentis libris Parisiensibus. Pag. 422.* Quæ à Barone d'Autueil edita est in historia Ministrorum Regni, ab hoc Rege concessa Charta, necdum diffinitum fuisse docet, an Episcopi Neustriæ tenerentur ipsimet se Regiis Castris sistere.

Regnante B. Ludovico anno 1229. Gregorius IX. Papa à Friderico II. Imperatore gravissimè exagitatus, auxilia corrogavit non à Principibus tantùm Italiæ temporalibus, Hispaniæ, Franciæ, Angliæ, Germaniæ; sed & ab Episcopis, quos & ipsos obtestatus est delectum habere, conscribere militem, copias deducere ipsosmet; sacramento enim quo Ecclesiæ Romanæ tenebantur, teneri eos vel sic eam tueri. Pauca hæc carpam ex Epistola ejus

ejus ad Archiepiscopum Lugdunensem. *Te in succursum Ecclesiæ advocavimus confidenter, utpote qui præstito juramento ad defendendum Papatum & Regalia Beati Petri esse teneris adjutor, &c. Injungentes, quatenus sine mora dispendio cum congruo exfortio bellatorum ad nos personaliter venire festines. Rainald. n. 35.*

Sub Philippo III. Rege anno 1279. ab Archiepiscopo Narbonensi datæ sunt ad Diœcesanos literæ, ut eos admoneret, vocatum se ad Parlamentum à Rege in Francia habendum, ubi & agendum foret de innovationibus, quæ tum fiebant in Narbonensi Provincia, inter quas & hæc numerantur, qua de hic agimus. *Super novitatibus emergentibus, feudis videlicet & retrofeudis, alodiis & exercitu, & gravaminibus illatis. Conc. Gen. Tom 11. pag. 1061.* Sub eodem Rege anno 1285. Philippus Sabaudiæ Comes Episcopum Bellicensem & Capitulum diplomate donavit, quo profitebatur, quod ab illis auxilium impetrasset, dum bellum gereret, liberum id & gratuitum fuisse, nec posthac ejusmodi quidquam ejus quasi exempli authoritate exprimi posse. *Cum Episcopus Bellicensis & Capitulum nobis ad requisitionem nostram, de guerra plures auxilium præstiterint, & succursum curialiter & benignè, quoties per nos & nostros requisiti fuerint: nos confitemur & recognoscimus, quod ipsi prædicti fecerunt, non pro aliquo debito, nec pro eo, quod nobis ad prædicta facienda in aliquo teneantur, &c. Gall. Christ. Tom. 1. pag. 366.*

III. Inter Philippum Pulchrum Galliæ Regem & Bonifacium VIII. diu altercatum est, sed non nisi post annum 1301. Anno 1296. absterfit Bonifacius calumniam sibi ex eo structam, quasi negasset, qui feuda obtinerent Regni, eos obsequiis teneri, quæ illigata iis essent. *Jam non poterunt Prælati & personæ Ecclesiasticæ Regni tui servire de feudis, & subventiones facere. Non fertur ad tales interpretationes subdola nostræ Constitutionis intentio, &c.* Quod ipsum rursus publicavit anno 1297. *Quod feudalia, censualia, seu jura quælibet in rerum Ecclesiasticarum datione retenta, vel alia servitia consueta Regi, ejusque Successoribus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, & aliis temporalibus dominis, tam de jure, quàm de consuetudine à personis Ecclesiasticis debita, præfata Constitutio non includat. Histoire du differ. p. 19. 30.* Cum gravi bello Filippus idem Pulcher in Belgio laboraret anno 1303. Archiepiscopos, Episcoposque numero triginta per literas excivit, *ut cum quantis possent Equitibus, peditibusque ad exercitum suum advolarent.* Eodemque anno 1303. in Conventu Præsulum & Baronum constitui fecit, ut Clerici omnes regni ad id Belgicum bellum conferrent militem pro modo agrorum. *Nempe ut omnes Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & alii Prælati, Decani, Capitula, Collegia, Clerici demum omnes, Religiosi & seculares, Exempti, non Exempti, Duces, Comites, Barones, Domina, Domicellæ, & alii Regni Nobiles, cujuscumque conditionis & sortis, auxilio nobis sint ad id bellum quatuor mensibus proximis, militemque loricatum suppeditent eo numero, qui modo terrarum respondeat, quingentis terræ libris uni ejusmodi militi imputatis; inde usque ad libras mille duobus, &c. Preuves des Libert. Gall. cap. 39. n. 11. 13. 16. 17. & seqq.*

Qui tamen ex Prælatis decimam solverant, ii immunes tum fuere & deducendi, & mittendi militis ad exercitum. *Qui prædictam decimam solvunt in præsenti, de veniendo, vel mittendo hac vice in nostrum Flandrensem exercitum, vel financiando, aut præstando subventionem aliam pro eodem excusati penitus & immunes habeantur. Spicileg. tom. 13. pag. 348.* Ita decimarum solutio incipiebat loco haberi militum ab Ecclesiis suppeditandorum. Anno 1304. Ballivis mandavit Rex, Episcopos ut commonerent, aliosque Clericos, ut cum militaribus turmis ad Castra properarent. *Prælati, Episcopi, Abbates, militaribus in hostem obsequiis obligati. Attente nobiscum adsint, armis & equis ita ut par est instructi.*

His postremis exemplis triplex insinuatur subsidium, quo ad Regnum muniendum Ecclesia Regi aderet. 1. Episcopi & Abbates pro feudis suis regiis, non aliter, quàm sæculares feudatarii, certo numero militem sufficiebant. 2. Episcopi, Abbates, Capitula, Collegia unum & alterum loricatum sufficiebant militem, pro modo agrorum suorum. 3. Decimæ, quintæ-decimæ, dona gratuita colligebantur. Primum illud ex his oneribus perpetuum erat, nec omnes complectebatur Regni Prælatos; cum suprà occurrerit nobis immunitas Episcopi Andegavensis, cumque ex Abbatibus alios suprà ostenderimus debuisse Regibus solis precibus adesse, alios præterea donis gratuitis, nonnullos etiam militia. Alterum onus extraordinarium erat, sed eo premebantur Prælati, Clerici, Regulares prorsus omnes. De tertio jam satis superque suprà diximus.

At verò cum post Regnum Philippi Pulchri decimæ, aliæque pecuniariæ exactiones, longè cœperint esse frequentiores; rariùs etiam miles Prælatis colligendus fuit, & totum illud denique militiæ onus evanuit. Nec facile erat, nec expeditum, tria illa exactionum genera & indici, & solvi. Multò fuit expeditius, & cum Regi, tum Clero conducibilius, ut militem conscriberet Rex ipse, expensas à Clero exigeret, decimis, vel donis ejusmodi aliis gratuitis exolvendas. Nec enim antè institutum fuerat, ut militem colligerent Prælati, nisi ut & eundem ipsi alerent. Decimas in Clerum diuturnas & graves exegisse legitur B. Ludovicus, non autem unquam molestiam creavisse Episcopis, vel Abbatibus, ut misso, vel ducto militum globo Regios augerent exercitus. Non semel Philippus Pulcher militem Ecclesiæ in Castris habuit, sed cum dona gratuita ille frequentiùs invexerit, concessione etiam Bonifacii VIII. approbata; simillimum veri est, & ipsi tandem & Clero placuisse, ad Regni & Ecclesiæ commodum, militiam Ecclesiæ relaxari, eamque jacturam sarciri crebrioribus, pinguioribusque, sive decimis, sive donis gratuitis.

Quod de B. Ludovico perstrinximus, eo refricata nobis est memoria rei non omnino hîc prætereundæ. Non Clericis tantùm, sed & Laicis feudi erant Regii, erant & vassalli, erat & jus hos armis instruendi. Erant & Laici Regum feudatarii iisdem servitiis obligati ad sufficiendas Regibus turbas militum. Sed non eum in usum tantum milites illi suos adhibebant. Insaniebant mutuis inter se & ipsi bellis. Privatis his bellis moderandis, & tandem aliquando exterminandis, non pauca à Regibus manavere Edicta. Vir longè doctissimus Cangius scitissimè observavit, *Dissert. 19. in vitam B. Lud.*, omnium plurimum desudavisse B. Ludovicum ad privata hac bella opprimenda, Edictaque ad id promulgasse; quibus cum necdum satis obtemperatum fuisset, novo rursus diplomate Philippum Pulcrum anno 1315. rem confirmasse, successores novis rem Edictis subinde promovisse, usque ad Ludovicum XI. post quem ea tandem privatæ licentiæ bella prorsus conticuerint. Opprimendis extinguendisque his plusquam civilibus bellis nihil opportunius, nihil expeditius erat, quàm ut cogendi & armandi militis jure exuerentur domini feudorum, sive Laici, sive Clerici, unique Regi integra servaretur, quæ Regni maximè propria est facultas, delectuum habendorum, cogendorum exercituum, belli indicendi. Vix enim

aut

aut nec vix fieri potest, nt quibus jos fasque est militem conscribere; stipeodiis suis alere, ducere ad Regios exercitus, non ii quoque his copiis aliquando ad privata dissidia, & in mutuam perniciem abutantur. Inde est, quòd post B. Ludovici & Philippi Pulcri tempora laboratum semper à Regibus est, ut arma excuterent manibus subditorum, nec alia, quàm pecuniæ subsidia ab illis expectarent.

Non modico tamen temporis intervallo opus fuit, quò nova hæc invalesceret militandi forma. Privatæ Ecclesiæ à Regibus veniam exorabant sufficiendæ militiæ, idque eò facilius, quòd ab iis Rex pecunias exprimebat eas, quibus militum numeros impleret. En hujus rei elegans exemplum. Cum Provincia Senonensis volens lubensque decimam Ludovico X. contulisset, Philippi Pulchri filio & successori, concessit Ludovicus aono 1315. Beneficiariis omnibus laicis Ecclesiarum ejus Provinciæ, qui Castris regiis & Belgico bello absuerant, sua ut privilegia tuerentur, & ne mulctas ea de causa indictas, vel indicendas solverent. *Eorundem Prælatorum hominum & subjectorum libertates & privilegia, si qua habent, volumus & præcipimus illibata servari, & ad dictas financias non compelli, si obtentu dictorum privilegiorum & libertatum; vel de jure aut consuetudine immunes sunt, &c. Memoire du Clergé ancienne edit. tom.2. p.522.* Tribus verbis triplicem constrioxit Rex rationem, qua absolvi poteraot militaribus his expeditionibus, Privilegio, Jure, Consuetudine. Abundè erat hæc ab ipso Principe suggeri, quo se Prælati his clypeis, vel eorum aliquo munirent ad expangendas has servitutes, & pristinam libertatem restaurandam.

IV. Aono 1403. à Carolo VI. Rege promulgata est Constitutio, qua à Clericis pecunia exprimebatur, eo ipso tempore, quo extraordinariè convocabantur homines quique ad Regios exercitus. Cujus rei causa apertissima ea est, quod antè ad exercitus Regios accersebantur & ex Ecclesiæ militibus copiæ, & ex Nobilibus Regni feudatariis. In Nobilibus laicis oihil mutatum. Clerici pro milite pecuniam suppeditarunt. Anno 1445. Carolus VII. Clericos exemit exactionibus in militem, & ipso quoque militum metatu; non abstenturus tamen aliis Cleri donis ad impensas bellicas. *Alia tamen via & ratione confidimus Clericos affore nobis ad sustinenda militia onera, eaque de causa literas peculiares in singulas perscribemus Diœceses. Memoires du Clergè prem. edit. Part.3. Tit.4. n.55. Ibidem Part.5. Tit.9. n.5.*

V. Non tam feliciter aliis cessit Regnis, atque Galliæ, nec tam citò eorum Clerus antiquissimæ restitutus est libertati, ut uno in Altarium ministerio totus esset. Germaniæ, Poloniæ, & aliorum Septentrionalium Regnorum Prælati iisdem etiamnunc vinculis costringuntur. Anno 1345. à Beoedicto XII. confirmatum est privilegium, quo Capitulum Cracoviense donaverat Pius Rex Boleslaus, ut Episcopus & Capitulum militarium expeditionum sarcina absolverentur. *Voluit Dux, quod Episcopus & Capitulum Cracoviense, totusque Clerus à qualibet expeditione essent perpetuò liberi & exempti; ita quod de villis, possessionibus & aliis bonis suis Ecclesiasticis ad expeditiones personaliter ire, vel aliquos homines mittere minimè tenerentur, excepto dumtaxat tempore incursus subiti Lithuanorum, &c. Rainald. n.42.* Anno 1352. præscribens Gregorius X. Friderico Siciliæ Regi, quibus conditionibus Regnum illud sibi administraodum esset, in quo ut Ecclesiæ Beneficiario necesse est libertates Cleri illibatas illæsasque servari: concessit ut à Prælatis ea admitteret obsequia, quæ feudis regni eorum Ecclesiæ collatis illigata essent, dum nihil in Canonicas institutiones peccaretur. *Si qui sint Prælati & Clerici, qui temporalia sive Regalia bona teneant à Rege, & qui ratione hujusmodi bonorum ab antiquo consueverunt Regibus servitia exhibere; hujusmodi antiqua & honesta servitia Regi secundùm antiquam consuetudinem, & sicut statuta patiuntur canonica, impendent. Idem num.55.*

Anno 1501. *Idem num.45. 68.* Alexander VI. percontanti Episcopo Vilnensi io Lithuania, an posset ipse cum Presbyteris suis arma corripere, ad propulsandas Tartarorum incursationes, respondit posse. Quod æquum est interpretari eo, qun suprà diximus modo, id ut possent, conscribendo milite, immittendo, animando, ut pulcram pro pietate & pro Ecclesia mortem oppetant, non aliis tamen ipsi armis, quàm precibos & hostiis pugnaturi. Cum idem eodem anno Pontifex investituram daret Siciliæ, concessit ut Episcopi Regibus ea persolverent servitia, quæ vetustissima consuetudo feudis regiis affixit.

Defensionem parans Odericus Rainaldus bellis Leonis X. & Julii II. hoc est, ut equidem auguror, bellis Pontificiis in communi, non his peculiaribus vel eorum causis, à Bellarmioo sanctissimo & doctissimo Cardinali bene multa mutua sumit, idem ipsum argumentum versante; atque præ cæteris exempla bellorum Leonis IV. Leoois IX. Clementis IV. Innoceotii VI. & Pii II. quorum duo priores publico cultu in Ecclesia afficiuntur, duo proximi in albo Sanctissimorum Pontificum posteritatis assensu conscripti sunt; Pius II. Pontificatum suum verè Pontificis virtutibus illustravit. Refertur ab eodem Rainaldo, *anno 1513. n.52. 59. An.1518. n.82. 83. 84.*, memorandum ejusdem Leonis X. responsum, cum Rex Angliæ vehementiùs urgeret, ut Romæ solemnes supplicationes & gratiarum actiones fierent pro victoria non itapridem à se reportata de Scotorum Rege confœderato Galliæ Regi, Romanam tunc Ecclesiam oppugnanti. Respondit Pontifex, in Ecclesia Romana non agi Deo solemnes gratias, nisi pro victoriis in adversarios fidei relatis, inter quos & schismatici numerantur. Denique confutantur à Rainaldo hallucinationes Lutheri & Calvini, qui priscum quodammodo revexere Tertulliani errorem, bella omnia damnantis, ut legi & suavitati Evangelicæ adversaria. Consequens porro his erat, ut & Episcopos criminarentur, qui militares alerent copias. Qui fidei Apologias contexuerunt, frivolum hoc confixere commentum, & quæ ex eo nasci videntur errorum ludibria.

In Germania præ cæteris Christianæ Reipublicæ regnis, Episcopi Clericique arctiori hac constricti fuere necessitate, subministrandæ Imperatoribus militiæ. Ejus moribus Hungaria, & alia Regna viciniora plerumque se accomodavere. Anno 1439. Albertus II. Imperator in Hungaria Edictum promulgavit, ubi cum multa præclarè alia sanciuntur, tum ut Clerici exactionibus novis omnibus eximantur illi quidem, at militaribus servitiis omnino subjiciantur. *Item Ecclesia & Ecclesiastica persona à taxis non diu abusivè introductis libera & absoluta relinquantur; servitia tamen exercitualia more aliàs consueto facere teneantur. Goldast. Const. Imper. Tom.3. pag.490. 480.* Anno 1454. Ladislaus Rex Hungariæ Edictum publicavit, quod & postea à Friderico III. Imperatore firmatum est, & quo jubebantur Prælati, cæterique Ecclesiastici Ordinis Primores Exercitibus interesse, cum eodem militum numero, qui præscribebatur tempore Sigismundi Regis, eo tamen decremento, quo & prædia & reditus postquam hostes irruperaot, decrevissent. *Domus Archiepiscopi, Præpositi, Episcopi, & Capitula, ac Abbates, & alii dignitates*

& bo-

& honores Ecclesiasticos majores tenentes, quemadmodum tempore quondam Domini Sigismundi Imperatoris & Regis avi nostri consueti fuerunt, cum ipsorum Banderiis ac numero Lanceatorum exercitu are tenentur: ita videlicet, ut quantumcumque Ecclesiarum, seu Ecclesiasticarum personarum proventus per inimicos extitissent minorati, juxta limitationem electorum hominum, etiam hujusmodi exercituatia earundem Ecclesiarum, seu Ecclesiasticarum personarum cum tanto defectu minoretur.

In Polonia Casimirus Rex anno 1475. constituit, ut Clerici pro facultatibus suis ad sumptus bellicos conferrent: Ecclesiæ verò Cathedrales, Abbatiales & Collegiales militem instruerent, mitterentque eo numero, qui à Synodo definitus esset. *Spirituales pro hac expeditione debent servire ad bellum, juxta facultatem & exigentiam bonorum suorum. Item Ecclesiæ Cathedrales & Collegiatæ, Abbates, seu Præpositi Cœnobiorum debent expedire armigeros in eo numero, juxta quod in Synodo super unumquemque laudabitur. Etiam Episcopi debent habere intelligentiam cum Plebanis Parochialibus, ut illi etiam faciant subsidium suo Episcopo. Stat. Polo.* 38.

Anno 1544. Sigismundus Augustus Poloniæ Rex statuit, ut ne Episcopi & Abbates militem conscribere & mittere cogerentur, nisi ad inusitata & extraordinaria bella, nec ipsi unquam ad Castra accederent. *Ita tamen, ut contra solius potentioris hostis vim, & non aliter, expeditio hæc per illos fiat, & immanitatem ipsorum personæ habeant à profectione bellica; sed aliie sui loco missi, officio suo fungantur, sacrificiis & orationibus Deum placantes.*

VI. Verissimè olim Paschalis II. ad Hericum IV. Imperatorem scripserat, Episcopos acceptis à summis Principibus feudis Regalibus, Ducatibus & Comitatibus, hinc ineluctabili necessitate vinctos fuisse, ut Aulam & Castra Principum frequentarent, & ei se militiæ quodammodo innecterent, ubi rapinæ, incendia, homicidia declinari omnino non possint. *In vestri Regni partibus Episcopi, vel Abbates adeo curis sæcularibus occupantur, ut Comitatum assiduè frequentare & militiam exercere cogantur; quæ nimirum aut vix, aut nullo modo sine rapinis, sacrilegiis, incendiis, aut homicidiis exhibetur. Ministri verò Altaris ministri Curiæ facti sunt, quia Civitates, Ducatus, Marchionatus, monetas, Turres, & cætera ad Regni servitium pertinentia à Regibus acceperunt. Ep.*22. Quid ille consilii ceperit, suprà edisseruimus, quàm non sibi in eo constiterit, & qua ex adverso constantia pristinam suam disciplinam Ecclesia retinuerit; quocirca nec plura hîc addam in eam rem.

Nec silebo tamen quod memorat Ossatus Cardinalis, *Let.*40., Clementem VIII. rescita morte Cardinalis Battori in Valachia, ubi in acie pugnans interemptus fuerat, re in deliberationem missa in Consistorio, decrevisse, abstinendum censuris in ejus interemptores jaculandis. Cum Clerici laicis permixti arma corripuissent, adversùs Christiani nominis hostes, & non paucos eorum occidissent, vel truncassent, interrogatus super eo facto Honorius III. respondit, C. *Petitio Extra. De homicidio*, qui mutilassent quempiam, vel occidissent, eos irregulares fore. Profitetur denique B. ipse Thomas Aquinas, 2. 2. *q.*40. *Art.*2., si Clerici interserant se militaribus copiis, & castris, præliisque, nihil esse, quod sacro Ordini refragetur, nisi si manu ipsimet pugnent.

CAPUT XLVII. *P.4. l.3. c.28.*

De Militia, quam Episcopi & Abbates Principibus suppeditabant post annum Christi millesimum, in Anglia & Hispania.

I. Vvillemus Nothus priscum illum usum in Anglia restituit, ut Episcopi & Abbates militiam Principi alerent, pro modo & mensura terrarum, ac Baroniarum.

II. Ei usui non adversantur Concilia, obsequuntur Episcopi sanctissimi, Lanfrancus, Vulstanus & Anselmus.

III. Quantum intersit ad Ecclesiæ dignitatem, & sanctimoniæ famam, at Regibus persuasissimum sit, fide & obsequio Episcoporum, ut inconcusso munimento niti Regnorum stabilitatem.

IV. Nec armis accingi, ne prælio congredi fas erat Clericis.

V. Exempla militarium cuneorum sæculis sequentibus ab Ecclesia suppeditatorum.

VI. Abbatiæ longè plurimæ eidem oneri erant obnoxiæ.

VII. Nonnulla in eam Cœnobiorum servitutem animadvertuntur. Quando cœpta pecunia pro militia pendi.

VIII. Ad Hispaniam traducitur oratio, ubi nulla aut rara sacrarum expeditionum intercapedo: & ubi Episcopi Regibus plerumque affixi.

IX. Non potest nisi temerè & insulsissimè is usus damnari.

X. Concilio Toletano prohibentur Prælati & Clerici militem suum aliis quibusvis, quàm Regibus suppeditare.

XI. Desinunt expeditiones sacræ Hispaniæ.

I. CUM primùm Angliam suæ potestati subjecit Vvillemus Nothus, Episcopalibus Ecclesiis omnibus & Cœnobiis numerum indixit militum, quem Regio adjicerent exercitui, Gallicanas consuetudines in Angliam trajiciens. Ita narrat, nec sine acerbi doloris sensu Matthæus Paris ad annum 1070. *Rex Vvillelmus pessimo usus consilio omnia Anglorum Monasteria auro spolians & argento insatiabiliter appropriavit, & ad majora Sancta Ecclesiæ opprobria, calicibus & feretris non pepercit. Episcopatus quoque & Abbatias omnes, quæ Baronias tenebant, & eatenus ab omni servitute sæculari libertatem habuerant, sub servitute statuit militari, inrotulans singulos Episcopatus & Abbatias pro voluntate sua, quot milites sibi & successoribus suis hostilitatis tempore, voluit à singulis exhiberi. Et rotulos hujus Ecclesiasticæ servitutis ponens in thesauris, multos viros Ecclesiasticos huic Constitutioni pessimæ reluctantes, à regno fugavit.* Æquo vehementior semper est Matthæus iste ad res Ecclesiæ, à qualicumque exactione subtrahendas; sed & obliquo semper & iniquo animo in Francorum, sive Normannorum in Anglia Principatum. In his ergo circumcidendum semper aliqui ejus narrationibus, nec tota ei fides adjicienda. Quæ ille narrat de deprædationibus Regis hujus Vvillelmi, ea non à vero tantùm, sed & à probabili abhorrent. Nec dubium tamen est, quin ille omnium primus, pro mensura & numero terrarum ac Baroniarum numerum descripserit militum ab Episcopis & Abbatibus alendorum.

Etsi forsan quis à vero, non tamen à verisimili aberraret, qui hanc non institutam, sed restitu-

tam à Vvillelmo consuetudinem existimaret. Veri enim illud speciem quandam præ se fert, qui primum Reges Ecclesias his exornavere Baroniis, eos militaris etiam aliquid oneris indixisse. Non facilè potuit tam vetustus Ecclesiæ & Reipublicæ Gallicanæ usus tam serò in Angliam trajici. Ea excerpsimus alibi ex Beda, ex quibus id efficitur, minimè alienos fuisse Anglorum olim animos ab exigendis Ecclesiarum pensionibus, ad militiam fovendam, qua & Ecclesiæ & Regno consultum sit. Illud saltem indubitatissimè constar, à Vvillelmo restitutas in Anglia has consuetudines, vel etiam institutas; unde & id efficitur eodem ipso tempore restauratas in Gallia eas fuisse, ubi aliquandiu quasi oppressæ jacuerant, ut suprà à oobis declaratum est.

II. Anno 1076. à Concilio Vintoniensi vetitum est, ne Clerici quidquam laicis servitii exhiberent, nisi quod sub Eduardo Rege exhibitum fuisset. *Ne aliquis Clericus civilis, vel rusticus, de Beneficio Ecclesia aliquod servitium reddat præter illud, quod fecit tempore Regis Eduardi.* Hoc certè Canone nec Episcopi continebantur, nec Abbates. Verùm si qua poterant Clerici laicis, poterant & Episcopi, atque Abbates consentanea Regibus obsequia præstare. Anno 1080. in Concilio Juliobonensi declaratum est, *Can.4.*, quid obsequii Parochi dominis vicorum exhibere possent, ut ex eorum absentia nihil damni emergeret in Ecclesiam.

At quod ad Episcopos attinet, doctrina & religione clarissimus Lanfrancus, erat haud dubio alienissimus à Matthæi Paris sententia, cum Episcopum admonebat jamjam in Angliam irrupturos Danos, suamque illi arcem strenuè communiendam esse cibo, milite, armis. *Dani, ut Rex nobis mandavit, revera veniunt. Castrum itaque vestrum hominibus & armis & alimentis vigilanti cura muniri facito. Epist.25.* Exemplo utique probat Lanfrancus Collegis, unde & illum præmonuerat Rex, quantus Angliæ immineret hostis, ut & ille Coepiscopos ad Regni defensionem excitaret. De Vulstani Vorcestrensis Episcopi singulari sanctimonia & virtutum Episcopalium præstantia diximus jam non semel. At eum testatur Vvillelmus Malmesburiensis militaribus turmis succinctum progredi solitum, more Præsulum Normannorum, quanquam magno sibi ea constaret militia. *Nam & consuetudines Normannorum non ommittebat, pompam militum secum ducens, qui stipendiis annuis quotidianisque cibis immane quantum populabantur. De Gest. cont. Ang. l.4.* Anno 1074. Vulstanus comite usus Abbate, & militari suo cuneo vallatus prohibuit, ne duo Comites, qui à Rege defecerant, vires & copias suas consociarent. *Boland. die 19. Januar. c.3.* His non illubenter sanctissimis accedet Episcopis Beatus Anselmus Cantuariensis Episcopus. Qui vel primoribus labris Annales Ecclesiæ delibarit, is non nesciet, quàm tenax fuerit Anselmus prioris sui in Cœnobio instituti, & austerioris cultus. Non nesciet, quàm impavidus idem intercesserit Regi libertates Ecclesiasticas evertenti, & quàm ubi religio & Ecclesia periclitaretur, nec exiliis, nec morte ab officio deterreri posset. Ad Valterum tamen illè Cardinalem Angliæ Legatum scripsit, non posse se cum eo congredi, nisi in vicinitate Cantuariæ, quòd à Rege jussus esset Cantuariensem Civitatem tueri adversùs hostes Ultramarinos, qui adventabant, eisque obviam egredi ad ipsum maris littus, ne in Angliam exscendere atque adire possent. *Quoniam quotidie expectamus, ut hostes de ultra mare in Angliam per illos portus, qui Cantuarberiæ vicini sunt, irruant. Propter quod dominus meus Rex ore suo mihi præcipit & mandavit per literas proprio sigillo signatus, ut Cantuarberiam custodiam, & semper paratus sim, ut quacumque hora Nuntium eorum audiero, undecumque convocari jubeam equites & pedites, qui occurrentes violentiæ hostium obsistant. L.1. Ep.35. 36.* Subiniquo tulit animo hanc Legatus excusationem, unde & Anselmus alteras ad eum dedit literas, ut commoneret, de quibus vellet, de iis colloquendum fuisse, antequam ambo à Rege discederent, qui ad militarem proficiscebatur expeditionem cum Eboracensi Archiepiscopo, & Episcopis aliis. *Postquam licentiam accepistis à Rege redeundi Romam, & Rex in expeditionem suam cum Archiepiscopo Eboracensi & quibusdam aliis Episcopis & Principibus ivit, & vos ab illis, & ego à vobis ita discessimus, &c.* Illud denique addit Anselmus, eum sibi locum à Rege commendatum esse custodiendum, in quem primum hostes impetum facturi essent, atque adeo in quo plus periculi adeundum esset. *Postquam mihi præcepit, ut illam partem regni sui in qua maximè irruptionem hostium quotidie timemus, diligenter custodirem, & quotidie paratus essem hostibus occurrere.*

III. Nihil ad Ecclesiæ laudem amplius, nihil ad gloriam splendidius clariusque, quàm ut Regibus Principibusque terrenis perspectissimum sit, non alio firmiori, & inexpugnabiliori præsidio niti Regnum, quàm Præsulum fide. Cum deflecti à fide Regum non possit, quin & à Dei fide atque obsequio devietur; ut Deo, ita & Regibus arctiori vinculo Episcopi, quàm cæteri Regni Proceres obligantur; ipsa eadem nempè Regi, qua Deo fide obstricti. Hac persuasione Carolus Magnus nobilissima quæque ditionis suæ feuda Episcopis & Abbatibus contulit, ut superiùs non semel diximus. Hac eadem persuasione extremi Principes Carolinæ stirpis collabentis, quos jam retinere vix poterant Comitatus & Ducatus, Episcopis committere maluerunt. Hac persuasione Germaniæ Imperatores, iidemque Burgundici Regni hæredes, cum pares jam se non esse experirentur ei Regno eum Germania & Italia retinendo: nec enim Carolinę, aut prosapiæ, aut fortitudinis hæredes germani erant; Principatus ejus alios aliis Archiepiscopis & Episcopis contulere. Hac denique persuasione debellatæ Angliæ Rex Vvillelmus, ut strictioribus sibi vinculis novum illud Regnum devinciret, exercitus & arces Episcopis concredidit. Ex Lanfranco & Anselmo paulò antè patefecimus, eorum fidei commissa munimenta ea fuisse, in quæ primum & potissimum vis hostilis impetum factura esset. Si necesse ergo fuit ad Regum Regnorumque tum stabilitatem, Pontifices aris quodammodo abstrahi, ingentibus prędiis, vassallorum & militum agminibus vallari, copiarum militarium cura & potestate, urbiumque & arcium defensione onerari, atque obrui: erat omnino id permolestum Ecclesiastici ordinis luminibus, pacis & secessus, silentii & orationis amantioribus; sed & erat id cum primis opportunum splendidumque explicandæ eorum sapientiæ & charitati, & pietati in patriam & in Principem, cui ipsa eos religio devovebat. Demonstratum alibi à nobis est, temporalem ipsam urbium & regionum dominationem accrevisse non rarò Præsulibus ex eo, quòd earum ipsi curam egerant diutissimè, suaque & vigilantia & largitate eas tuiti fuerant, cum nulla prorsus alia per temporum molestias tuitione confidere possint. Hic sanè illud adjicere & affirmare fas est, has potissimum urbes, has regiones Præsulum potestati subjectas, in Regum fide & obsequio constantissimas fuisse. Duces, Comitesque ex arbitrariis necessarii, ex temporariis perpetui evasere, summam etiam & quasi Regiam usurpavere dominationem. At qui Comitatus, Ducatusque Ecclesiis & Episcopis com-

missa

mendati fuere, ii in Regoum potestate semper fuere & sunt etiam nunc. Nisi quis valdè rudis & peregrinus sit in rebus Ecclesiæ, is facilè assentietur, à Laofranco, à Vulstano, ab Anselmo, & ejusmodi Præsulibus aliis nihil magnopere extimescendum fuisse, oe Baronias & arces Regias regio aliquando jure invadere, regere & in iis regnare vellent.

IV. In Anglia quoque illud tenebatur, quod de aliis suprà Ecclesiis demonstratum est, ut Episcopi armatorum globos ducerent; oon ut ipsi arma induerent; ooo ut maou pugnareot, quorum arma lacrymæ, gemitus, preces erant. Si qui has lineas prætergrederentur, eos Ecclesia, ut degeneres & malè sanos detestabatur. Philippus Bellovacensis Episcopus authore Rogerio, *Ad an. 1197. pag. 771. 795.*, captus est ab Anglis, cum in acie staret & pugnaret. Ioterpellatus ab eo Cælestinus Papa rescripsit armis capiendis exarmasse eum suos Patrooos: preces à se, noo mandata ad Regem Angliæ allegari posse ad ejus libertatem, quòd eo ornatu iostructuque captus esset, qui Episcopum ejuraret. Cum pauco post tempore Philippus Augustus Franciæ Rex Episcopum electum Cameraceosem similiter cepisset, tum pervicit Legatus Papæ, ut ambo libertati restituerentor, ab eoque sacrameoto adactus est Episcopus Bellovacensis, *quod de catero in vita sua nunquam arma gestabit contra Christianos.*

V. Eo verò ita fixo & constituto, nunquam licuisse Episcopis, ut armis vel cingerentur, vel congrederentur; jam extra cootroversiam est, diutius in Anglia, quàm in Gallia, Episcopos munus obiisse mittendi, vel ducendi militis ad Castra Regum, ut nutaoti regno succurrerent. Anoo 1242. Henricus III. Rex à custodibus Regni, ab Eboraceosi, inqoam, Episcopo, & à Collegis pecuniam & militem corrogavit. Nec mora ab eis accepit pecunias, cibos, milites. *Misit Rex in Regnum suum ad Custodes Regni, scilicet ad Archiepiscopum Eboracensem & ejus socios, militare postulans auxilium ac pecuniare. Ipsi quoque quinquaginta Ballistarios, & magnam pecuniæ summam, & victualia, & servientes cum armis ad Mandatum Regium sine mora dispendio destinaverunt.* Ita Matthæus Paris, qui & hoc addit, inflammatos exemplo Præsulum Barones Angliæ, ad arma properasse, & advolasse ad opem regno ferendam. *Quod videntes quidam Magnates Angliæ, inhonestum arbitrantes otiis indulgere, Rege in transmarinis martio negotio operam dante, accinxerunt se ad iter cum eis arripiendum, cum equis & armis competenter præparatis.* Anno 1244. idem Henricus III. copias educens in Regem Scotiæ, Episcopos, Abbates, Barones laicos cum militaribus singulorum globis covocavit. *Notificari fecit Rex per totam Angliam, ut quilibet Baro tenens ex Rege in Capite, haberet prompta & parata Regali præcepto omnia servitia militaria, quæ ei debentur, tam Episcopi & Abbates, quàm laici Barones. Et profectus est cum exercitu copioso versus novum castrum.*

Anno 1246. ab Aoglis flagitavit Romanus Pontifex, ut Prælati suo quisque sumptu milites sibi sufficerent, alii decem, nonoulli quioque, quidam & quindecim. Obstupuere Angli, quod militaria illa auxilia nisi à Rege & Principibus flagitata fuissent nuoquam. *Emanarunt literæ, quod aliqui Prælati decem milites strenuos, etiam aliqui quinque, & aliqui quindecim invenirent domino Papæ, qui in servitio Romanæ Ecclesiæ starent per integrum annum, & Prælatorum stipendiis militarent. Quod servitium militare nullè nisi Regi & regni Principibus debetur, nec ab aliquo usque ad nostra tempora exactum fuisse recolitur.*

Anno 1255. copias ejusmodi auxiliares petiit & à Gallis Pontifex; at cum B. Ludovico tum in Palæstina bellanti summittenda esset pecunia cum novo milite, non potuit Regina Blancha Ludovici parens, & eo absente Regni administra, Pontificis, suoqoe voto satisfacere. Aono denique 1267. authore eodem Matthæo, habitum est Parlamentum, ubi Rex Angliæ & Legatus Pontificis certatim decimas, aliaque pecuniæ subsidia à Clero poposcere; utque Clerici quicumque Baronias vel alia Regia tenerent feuda, militum turmas armati armatas ducerent, pro mensura prædiorum. Utramque petitionem libertati Ecclesiasticę inimicam uno fregit Clerus responso: Non alia Clericis aut esse, aut esse posse arma, quàm preces & hostias pro Regno juges: Baronias & feuda Clero io eleemosynas data fuisse, nec alia illis incumbere servitia, quàm quæ hactenus persoluta fuissent; denique certum sibi id esse, nulla se nova premi, aut illaqueari servitute: *Ad hoc respondebatur, quod non debent pugnare cum gladio materiali, sed cum spirituali, scilicet cum lacrymis & orationibus humilibus & devotis. Et quod propter beneficia sua tenentur pacem manu tenere, non bellum. Et quod Baronia eorum ab eleemosynis puris stabiliuntur, unde servitium militare non debent, nisi certum, nec novum incipient.*

Aono 1404. ex Thoma Valsinghamo, dissensiooes penè excitę sunt inter Clerum & nobiles, utrisque non parcè sua io Regnum merita officiaque ostentatibus. Nobiles fusum sanguinem & vulnera nudabant sua, dum Clerus molli otio & pace delectaretur. At nomioe Cleri Archiepiscopus Caotuariensis regerebat, sæpius à se decimas, quàm à Nobilibus dimidias decimas solvi, militem suppeditari non dispari numero, pro modo agrorum; victorias denique religioni potiùs in Deum, quàm fortitudini; precibus, quàm armis imputandas. *Insuper tenentes sui non minori numero Regem sequebantur ad bella, vel pericula, quàm tenentes feodi laicalis. Et super hæc omnia nocte dieque orationes facerent, &c.*

VI. Rariusculæ Anglorum Abbatiæ his militaribus oneribus eximebantur. Anno 973. privilegium libertatis Abbatiæ Tornaceosi io Episcopatu Cambridgiensi concessum est ab Eadgaro Rege, & à B. Dunstano Archiepiscopo Cantuariensi, sed excepta est consuetudo militię, pontium & arcium. *Sint igitur ab omni servitutis jugo libera, tribus exceptis, rata videlicet expeditione, pontis arcisve restauratione. Monast. Angl. tom. 1. pag. 244. 259. 276.* Anno 1005. Ethelredus Rex Cœnobium Einershameose in Comitatu Orfordieosi persimili decoravit privilegio, iisdem limitibus septo. *Sit Monasterium ab omni humana servitutis jugo liberum, cum omnibus supradictis villulis ad se ritè pertinentibus, expeditione excepta, & pontis arcisve restauratione.* Anno 1024. à Rege Canuto huic finitimum concessum est. Abbatiæ Dominę oostrę Conventrensis multò amplius collatum est ab Eduardo Rege, exclusis iis limitibus. *Cuncta illius Ecclesia possessio nullis sit unquam gravata oneribus, nec expeditionis, nec pontis, nec arcis ædificatione, furum apprehensione.* A' Rege Vuillelmo Ruffo his oneribus servitiorum, decimarum, doni gratuiti, & aliorum complurium subductus est Prioratus Sancti Nicolai in Comitatu Excestrensi. *Libera sit ab omni consuetudine terrena servitutis, & ab omnibus placitis, & querelis, & siris, & hundredis & ab omni geldo, & scoto, & auxilio, & dono, & denegeldo, & exercitibus, & omnibus operibus castellorum & pontium, sicut dominica eleemosyna mea. Ibid. p. 304. 352. 379. 381.*

Seniores & domini privati, si qui fundarent Cœnobia, suis quoque ea instruebaot privilegiis, non multùm absimilibus. Rogerius Sroversburiensis Co-

mes cum in Comitatu suo fundamenta poneret Abbatię novę, concessit Baronibus suis, subditisque omnibus, ut quæ ibi cumque vellent dona conferrent, non expectata vel sua, vel hęredum assensione; addita & immunitate omnium exactionum, subsidiique militaris, sive ordinarii, sive extraordinarii, nisi ubi ipsemet proprio ex domanio suo aliquid conferret. *Concessi ut Barones mei, vel Burgenses, vel milites quodcumque vellent de terris & facultatibus suis, eidem loco largirentur, absque ullo mei, vel heredum meorum licentia. Ita ut de ipsa eleemosyna mihi nullam alteram servitium facerent vel dantes, vel recipientes. Totam quoque terrarum Monachorum à geldo militum in perpetuum liberam esse statui, & à geldo etiam communi, nisi ego ipso se domanio meo illud darem.* Id totum donationes & privilegia diplomate suo firmavit Rex Vuillelmus.

VII. Multa id genus alia stipari hic possent, sed ex hac jam sylva plus satis liquent, quæ hic jam libet observare. 1. Plerumque Abbatias militari huic oneri mancipatas fuisse conceptis ipsius fundationis suæ verbis, quibus is libertatibus limes addebatur. 2. Fuisse quasdam singulari hac dotatas immunitate militiæ, quasdam etiam pontium, castrorumque resarciendorum. 3. Nonnulla ex his privilegiis antè concessa fuisse, quàm Vuillelmus Nothus in Angliam trajiceret anno 1066. Ita non potuisse tam disertè & tam constanter affirmari à Mathæo Paris, primum Vuillelmum Angliæ Ecclesiis Episcopalibus & Monasteriis hæc onera inflixisse. Quo vereor, ut satis effugere possit Matthæus maculam livoris in Principem Gallum, Angliæ domitorem; vel cupiditatis immodicæ ad temporalium Ecclesiæ rerum defensionem, non sine gravi historiæ veritatis dispendio. 4. Ubi Optimates, aut Comites Cœnobia quæpiam condebant ipsi & dotabant, simillimas eis addebant immunitates; vel sarcinas imponebant, pro lubitu & arbitratu suo. Idque forsan erant, quod suprà alicubi Clerum audivimus contendentem, non aliis hæc obsequia militaria, quàm Regibus, aut Principibus persoluta fuisse. 5. Confirmabantur à Rege hæc privilegia immunitatum ab Optimatibus indulta, quod Regii immediatè illi tenerentur semper eundem militum globum exhibere. 6. Observari & illud potuit, quo sensu diceretur *Eleemosyna*. Cum enim eodem Deus coleretur dono, quo Ecclesia afficiebatur: hinc & Ecclesiæ oblata dona, affixam sibi suam habebant immunitatem. Idemque suprà volebat Clerus Anglicanus, *Can. 10.*, cum novas servitutes omnes detrectaret; & deprecaretur à terris, quæ Clero in eleemosynam datæ essent, hoc est, tam liberæ & immunes, quàm quæ Deo hostiæ offeruntur. 7. Nullum usquam vestigium legis est, aut consuetudinis, qua cogerentur Abbates ipsimet interesse militaribus expeditionibus. Certè receptissimum erat usu, ut milites tantùm mitterent. Anno 1182. prohibitum est in Concilio Londinensi: *Ne Abbates faciant milites.* Reges soli, aut Principes jure utebantur creandi Milites, hoc est, Equites, & nobilitatis titulos solemni addendi diplomate. At verisimili non abhorret, nobilitatis insignibus ab Episcopis donatos fuisse eos, qui ab illis clarioribus Ecclesię fundis donabantur, militiam obituri, & stipendia facturi in exercitu Regio. Eo quoque forsan hic interdicebantur Abbates à Concilio, ne prǽclariora Cœnobii prædia Laicis darent; quo eos haberent nexu & beneficio suo obligatos; vassallosque Nobiles, forsan & insignioris vexilli sui signiferos. 8. Indubium est enim opulentioribus Cœnobiis vassallos fuisse quosdam Nobiles & præpotentes, qui insigne vexillum Cœnobii gestarent, sive in Castris Regiis & exercitibus, sive in bellis privatis, quæ advocato, seu defensori Cœnobii quandoque subeunda erant, etsi non inferenda. Id testatum facit Sugerius Abbas de famoso Oriflammæ vexillo, quod proprium & peculiare erat Abbatiæ Sandionysianæ, & quod à Vilcassini Comite prægestabatur, Comitatum eum habente ejus Cœnobii beneficiarium. Cum in eum Comitatum successisset Ludovicus Crassus, successit & muneri ferendi per sese aut per vicarium ejus vexilli, quod & deinceps voluit esse Regni Gallicani vexillum. *Rex vexillum ab Altari suscipiens, quod de Comitatu Vilcassini, quo ad Ecclesiam feodatus est, spectat, votivè tanquam à domino suo suscipiens, pauca manu contra hostes evolat. Du Chesne Tom. 4. pag. 312.*

Danda tamen hic opera est, ut exploremus quo demum tempore desitum sit ab Ecclesiis & Cœnobiis milites exigi, ac vicissim cœptum sit exigi pecuniam. Inter antiquas Angliæ Regum Constitutiones illa emicat Eduardi I. quo Archiepiscopos vocat, Episcopos Abbates, Priores, Clericosque alios, ipsas viduas dominasque, quibus feuda sunt Regni aliqua, eorum ut contemplatione militiam suggerant. *Archiepiscopos, Episcopos, &c. viduas & alias mulieres, qui de nobis teneant per servitium militare, vel per Serjanciam. Ant. Const. Reg. Angl. pag. 5001.* Ut accedant *cum armis & equis bene muniti* ad exercitum suum adversùs Scotos. Ut tamen nonnihil indulgeat iis, quibus grave esset per sese ad castra progredi. *Volentes Prælatorum, Religiosorum, mulierum, & aliorum, qui ad arma minus potentes, aut etiam minus idonei existunt, parcere gratiosè laboribus ista vice*; concedit, ut per subditos sibi vicarios adsint, & impensas tantùm sufficiant viginti libris pro militari quoque feudo persolvendis. *Mittunt ad faciendum finem nobiscum, videlicet viginti librarum pro feodo unius militis.* Simile veri est; tum ab Angliæ Regibus relaxatos fuisse Clericos, Abbates, Episcopos, ut nec ampliùs copias militum, sed pecunias exhiberent; quarum, ut & militum exactiones, cum antè extraordinariæ fuissent, ordinariæ tandem evaserunt.

VIII. In Hispania desinemus, ubi inexorabilior quædam necessitas Prælatos compulit, ut militaribus copiis duces se, vel comites adderent, cum omnes prorsus Ecclesiæ Maurorum potestati fuerint subducendæ. Fuere; dictu nefas! ex Præsulibus, qui in armis assuevere, ut pugnarint in acie: & quod horret animus etiam cogitare, cum in Mauros certassent, eorum se castris & dissidiis ita implicuere; ut Mauris aliis in alios prælantibus utrimque pugnarent Episcopi, nonnulli etiam cædendo cæsi sint. *Baron. an. 1010. n. 3.* Dissimulandum & obducendum fuerat, & æterno obruendum silentio detestabile facinus, nisi terrificis ejusmodi exemplis admonendi essent homines, quæ in scelerum abrupta se præcipites per gradus quidem agant Clerici; ubi prætergredi semel incipiunt leges instituti sui Sanctissimas, quibus tam enixè vetantur aliis quàm cælestibus indui armis, & aliis pugnare telis, quàm quibus vitia configuntur.

In Concilio Coyacensi anno 1050. arma tractare vetiti sunt Presbyteri & Diaconi. *Presbyteri & Diacones, qui ministerio funguntur Ecclesiæ, arma belli non deferant. Can. 3.* Ubi tradit Mariana anno 675. à Rege Vamba jussos esse Episcopos & hostes depellendos: *Ipsi Episcopi utrique sacrati repentino hostium incursu, collecta suorum manu obviam prodire jussi ad centesimum lapidem. Hac Vambæ diligentia victoria navalis de ingenti Sarracenorum classe Gothorum virtute parta est. L. 6. c. 14.* Id eò pertinet, ut militem educerent, non ut pugnarent ipsi, tametsi Sarraceni irruissent. Nec aliter sumendum quod idem habet ad annum 844.

Ipsi

ipsi Episcopi & viri sacrati castra secuti. Perlatæ sunt aliquando ad Blancham B. Ludovici matram in Gallus litaræ ex Hispania, quibus certior fiebat de acerrimo prælio Christianorum & Sarracenorum. Prosilierat in primam aciem cum famosis ducibus Abbas Cisterciensis. *In secunda acie erant omnes Episcopi, & omnes Clerici, & omnes Ordines. Du Chesne Tom 4. pag.* 427. Agmen claudebant confœderati Reges, Castellæ, Arragoniæ & Navarræ. Mauri cæsi & in fugam effusi sunt. Non dispar apud Marianam confœderatio Regum legitur, *L.* 11. *c.* 24. 25., & pugna. In extremam aciem subductus erat Rex Castellę, cum Archiepiscopo Toletano & Episcopis aliis. Nusquam litera da pugnantibus Episcopis. At strenuissimè decertabant Magni Magistri Ordinum militarium Hispaniæ, S. Jacobi, Calatravæ, Templariorum, Hospitalariorum, cum suisquique Equitibus, Religiosum militutum professi, sed & præliari professi pro Religiona & pro Ecclesia. Si integrum fuit Ecclesiæ religiosa professione devinctos Equites in aciem educere, quid vetat & Episcopos, non pugnaces, sed spectatores fuisse militum & vassallorum suorum, quos eò duxissent? Ortum habuerat Ordo Calatravæ ab Abbate Ordinis Cisterciensis, qui tam impavido pectore urbem illam munitissimam adversùs Sarracenos oppugnantes propugnavit, ut ejus Principatu donatus sit anno 1158. & ipse, & Ordo Cisterciensis. *Idem Ibid. c.*6.

Meritissimis laudibus ornavit Rodericus Toletanus Archiepiscopus Mattinum prædecessoribus ex suis unum, quem Alfonsus Rex exercitui suo præfecit, Proceribus Hispaniæ omnibus illi ad Consilium additis. Maurorum agros populatos rediit præda onustus, gloria onustior. Nec enim ceteri, nec gloriæ inde efflorescenti satis conveniebat cum dignitate summi Antistitis; sed quas nobilissimus in eum laudes congerat historiæ Scriptor. *L.*7. *c.*28. silere nefas est, ut hinc forsan cogatur obtrectatio conticescere. *Dux exercitùs Præsul Toleti, Magnates Regni in consiliis Præsulis. Honor gentis vita ejus, & stola ejus diadema Ecclesię, sapientia ejus pax multorum, & lingua ejus informatio disciplinæ, manus ejus ad subsidium pauperum, & cor ejus ad compassionem humilium. Cingulum ejus zelus fidei, & arma ejus ad persecutionum blasphemię. Agmen omne ad nutum illius, Sanguis Arabum in conspectu illius.* Qui rursus idem Rodericus ubi pugnam describit superiùs memoratam trium Regum nostratium uno fœdere devinctorum, Archiepiscopum Toletanum & Episcopos Castellæ atque Arragoniæ in extrema locat omnas acie cum Rege; ubi & eorum munia militeria persequitur, sed incruenta, & à pugnando alianissima. *Fuerant ibi Pontifices, qui se & sua, prout Deus dedit, in sumptibus & laboribus devotè pro fidei negotio impenderunt, in sollicitudinibus debiles, in officiis devoti, in consiliis providi, in necessitatibus largi, in exhortationibus sedali, in periculis strenui, in laboribus patientes. L.*8. *c.*13. *p.* 10. 12. Etsi abstinerent hi Præsules pugna, eos tamen succendebat idem animi fervor & zelus, qui equites pugnacissimos, de quibus infrà: *Fraternitatis charitati insistentes devotè nobis & terra sanctę necessitate accensi, defensionis gladium assumpserunt*. Geminos hinc & inde exercitus Archiepiscopi crux penetravit in ipso fervore pugnæ, & nec levissimè tamen perstrictus est Canonicus, qui eam prægestabat. Non discessit Archiepiscopus à latere Regis Castellæ, faces subinde adhibens, nunc ut lubens pro Christo Sanguinem funderet, nunc & cœlesti ope victoriam spe præsumeret. Fuit ubi Proceres etiam præter Regis voluntatem nescio qua mollitia animi, aut fidei ignavia, assentirentur Mauris, ut data pecunia civitates aliquas retinerent; verùm interventione Episcoporum hæc perfidiæ machinamenta protinus dissipabantur. Nemo denique non tum sentiebat hos Præsules, non pugna, non manu, sed consilio, vigiliis, precibus, hortamentis, sumptu in his bellis Christianæ Ecclesiæ & Reipublicæ adesse & prodesse plurimum. Inde est & quod cum gravi valatudine aliquando afflictus, lectoque affixus fuisset Rodericus, Episcopum Palentinum Cappallanum suum vicas suas obiturum & Pontificalia defunctorum in exercitu munia ablagarit. *Misit tum Dominicam Capellanum suum, virum venerabilem, Episcopum Palentinensem, qui in exercitu loco ejus Pontificalia exerceret. L.*9. *c.*12.

IX. Si quid in his sit, quod morosius Lector minus probet; si quis sit, quem non frangat tantus Conciliorum, Pontificum, Præsulum, Regumque casto Ecclesiæ & pietatis amore flagrantium consensus: at emolliet forsan illum saltem contemplatio tot Provinciarum, tot florentissimarum Ecclesiarum, quæ sub Sarracenorum jugo etiam nunc gemerent, nisi istiusmodi sacris bellis ex eorum potestate receptæ fuissent. An satius fuissent, & præstabilius Episcopos sine Ecclesiis, Abbates sine Cœnobiis squallere, vel Ecclesiam potiùs & Episcopis & Abbatibus orbari, quàm ut sacri Ministri tumultuosæ bellorum dissipationi objicerentur? Fateor melioribus primævæ Ecclesiæ sæculis non ita frequentes fuisse Episcopos in Principem Regia & Castris. Sed quis controversiam faciat providentiæ summi Numinis, varia Ecclesiæ suæ tempora dispensanti, & ita illius disciplinæ moderanti, ut vices eas subire cogatur, quarum varietas illuminatæ fidei oculis nihil offensionis, quin voluptatis & admirationis plurimum afferat? Et neminem tamen preterit, cum primum Imperatores Christiani fuere fide initiati, fuisse & in eorum Castris Episcopos commilitones individuos, sacrorum administros. De Constantino & successoribus id suprà demonstratum est. Video, nec dissimulo pauciores fuisse in eorum Castris Episcopos; sed nec ea erant sacra & religiosa bella.

Denique adeo non vitio vartendum Episcopis Hispanis, quod Regibus & Magnatibus individuos se bellorum comites adjunxerint ad Ecclesias suas recuporandas: ut optatissimum sit, pari fervore tranari maria, & Ecclesiæ Christianæ Africanas illas restitui Provincias, quas olim tot Concilia, tot præstantissimi Patres illustrarunt. Si Præsulum jam olim pietas flagrantissima Reges, Proceres, exercitus eò usque pertraxisset; annon hæc mercede placeret, saltem ignosceretur, sacros Ministros aliquid strepitus, fragoris & tumultuationis expartos esse? Ejusmodi forsan cogitatio insederat animo incomparabilis viri Cardinalis Ximenii, Archiepiscopi Toletani, ubi Africani belli gustum aliquem capera, & rem pulcherrimam pretentare voluit. Quid ad Ecclesię amplitudinem, quid ad propriæ gloriæ splendorem luculentius commentari, aut aggredi potuisset vir ad summa queque natus, quàm ut in Africa illum quasi è tumulo excitaret & reviviscentem exhiberet Ecclesiam, quæ filia, quam Cyprianus, Aurelius, Fulgentius, & tot alii sanctissimi Præsules excoluere? *Gomecius L.*4. *c.*7. Si tantum boni ut Ecclesiæ conciliarent, effudissent se Hispani Episcopi paulò longiùs extra suas Ecclesias; atque ita à secessu & otio sacro Sacerdotii paululum secessissent: annon hanc interpretaremur non disciplinæ remissionem, sed Pastoralis flammam laudatissimam charitatis?

X. Finem faciemus hac postrema observatione; à Toletani Concilii mendicata Patribus, magnificè & perinde ut res erat, de Christi de ita suo Sacerdotio sentientibus, ejusque amplitudinis rivulos aliquos ad minusculi etiam Ordinum ministeria derivantibus. Prohibuit enim anno 1473. Concilium

lium Toletanum, ut non Prælati, non Beneficiarii qualescumque cum militari sua cohorte adhærerent, aut obsequerentur Principibus, aut Proceribus quibuscumque, nisi qui Regia majestate clarerent. Alioqui Beneficio suo suspenderentur. 1. Nec enim decet, ut Regium Ecclesiæ sacerdotium, & qui ejus vel amplitudinem, vel partem aliquam assecuti sunt, aliis, quàm Regibus subjiciantur, qui Christi ipsius summi Imperatoris vices fuoguntur. 2. Nec ea solet in inferiorum Principum exercitibus disciplina vigere, quæ in Regum: nec pari honore sacri Ministri afficiuntur. 3. Nec ab aliis, quàm à Regibus satis compensari potest illa sacri Ordinis dejectio, ubi militaribus turmis permiscetur, & officiis. *Absurdum & nostra Religioni dispar & incongruum videtur, ut regale genus Sacerdotum cum temporalibus dominis militariter vivendo, in eorum servitutem redigatur. Ideoque hortamur Episcopos, ceteris Beneficiatis præcipimus, ne cum Dominis sæcularibus cujuscumque gradûs, statûs, ordinis, seu conditionis existunt, exceptis Regia Majestate & Regiis personis, vitam militarem ad auxilia annorum præstanda ducere audeant dissolutam, seu ab eis terras, stipendia & salaria, vel pecunias quascumque, ut armis per se, vel per alios deserviant, cum equitum, seu peditum gentibus quomodolibet exigere, vel levare præsumant.* Nonnihil ab his abludebat, quod suprà de Anglorum moribus commemoratum est.

XI. Quo tempore Concilium hoc Toletanum habitum est, necdum Granatense Maurorum Regnum excisum in Hispania fuerat. Uberrima ea erat seges sacrarum expeditionum, quibus honestius Clerici & ordini suo convenientius implicabantur. Inde est quod in Hispania diutius, quàm alibi Prælati ad Regia castra confluere compulsi sunt, necnon & alii majores Beneficiarii. Postquam Ferdinandi & Isabellæ vigilantia indefessa expugnata tandem fuit Granata, funditusque eversum Maurorum in Hispania regnum, Regibus Hispaniæ consultius visum, decimas, tertias decimarum, & ejusmodi pecuniarias pensiones alias, à Clero exigi, quàm militiam. Sed eo vel maximè Cleri ipsius provisum est & sanctimoniæ, & secessus amori, silentiique, cui non satis cum tumultu armorum conveniebat.

CAPUT XLVIII. *P.4. l.3. c.29.*

De Jure Metatus sive Gistii, post annum Christi millesimum.

I. Constantinus & Constantius hoc onere Clerum levaverant.

II. An hic usus à Romanis Legibus in Gallias migrasset.

III. Discrimen ingens Metatus Romani, & hospitalitatis Capitularium Regum Franciæ. Non onus, sed honorem interpretabatur Ecclesia, cum Reges exciperet.

IV. Erat & Episcopis in Parochiis, quas visitabant, jus metatus & procurationis.

V. De jure metatus Imperatorum Germaniæ in Episcopatibus Italiæ, cui Romani Pontifices intercedunt. De jure metatus in Polonia.

VI. Quàm ultra juris limites in Hibernia transilietur.

VII. Et in quibusdam Galliæ Provinciis.

VIII. De jure Gistii Regum Galliæ in Episcopos, Abbates, Capitula, Urbes. Pecunia id redimitur.

IX. Servitus ea erat fundorum à Regibus accessorum.

X. Soli Imperatores & Reges in Ecclesiis jus habuere metatas.

XI. Jus id totum extinguitur.

I. Metatus jure prisca servitus continebatur, quo Clericos omnes absolvit Constantius Imperator, non aliter forsan tum, quàm confirmata ea, quam olim concessisset Constantinus Imperator immunitate. *Juxta sanctionem, quam dudum meruisse perhibemini, & vos & mancipia vestra, nullus novis collationibus obligabit, sed vacatione gaudebitis. Præterea neque hospites suscipietis.* Hocce de jure Metatus Titulus habetur totus in Codice Theodosiano, *L. 16. T. 2. Leg. 8. De Metatis*, ex quo patet hoc onere solutos fuisse privilegio quodam singulari Senatores, aliosque eminentissimis in Imperii dignitatibus collocatos, cum cæteri omnes ædibus suis excipere tenerentur eos omnes, qui ad Imperii negotia huc illucque commearent. *Tit. 7. c. 8.* Est & suus Codici Justinianæo Titulus, *De Metatis & Epidemeticis. L. 12. Tit. 41. Metatu* dicebatur ipsa hospitia, & procurationes. *Epidemeticu* autem pæcuniæ, quibus solutis eo onere levabantur.

II. Non temerè forsan dixerit quis in Gallias hunc usum migrasse ex Imperii Romani consuetudine, & veluti quibusdam collapsi Imperii Occidentalis ruderibus. Probatiunculæ sunt ad manum. In Marculphi formulis, ubi Rex immunitatis privilegio Episcopatum donat, & prædia ejus omnia, vetat, ne Judices, aut hospitium ibi, aut procurationem accipiant, & ne ibi quidem consistant ad jus dicendum. *Aut mansiones, aut paratas exigere, &c. Nec mansiones, aut paratas faciendum. L. 1. c. 3. 4.* Quæ ergo Ecclesiæ ejusmodi privilegio aliquo honestatæ non fuissent, & hospitium exhibebant, *mansiones*: & procurationem, *paratas*. Cum Childeberti Regis filia in Hispanias ad desponsum sibi conjugem proficisceretur, author est Gregorius Turonensis, *L. 6. c. 45.*, apparatum omnes ex vicinis urbibus collatum fuisse, nullo Regis impendio. *Apparatus quoque magnus expensu de civitatibus diversis in itinere cogregatus est, in quo nihil de fisco suo Rex dari præcepit, nisi omnia de pauperum conjecturis.*

Facilè tamen infirmari possint hæc argumenta; quin & in contrarium ea sensum retorqueri. Eam enim Gregorius Turonensis verba consultò adhibet, quibus invidia ejus Regis rationibus fit, ut voluerit filiam non regio suo sumptu procurari, sed *de pauperum conjecturis.* Si certum & usitatum fuisset id quidem jus, non ei Gregorius invidiam conflasset, non tam rara & tam obscura ejus impressisset vestigia historiæ suæ. Quod ad Marculphum attinet, manifestum est, non attingi ab eo nisi Judices, in utraque Formula superiùs laudata: *Nullus Judex ad causas audiendum, &c. Nec vos, neque juniores, neque successores vestri, nec ulla judiciaria potestas, &c. Integra emunitas absque introitu Judicum fuit concessa.* Non ergo ibi sermo erat nisi de hospitio & procurationibus, Judici, vel Misso Regio suppeditandis, ubi adventasset ad jus dicendum. At ea tenuissima pars erat Romani Metatus, quode uterque Codex suprà laudatus.

III. Imperante Carolo Magno & ejus stirpe jus Metatus observavimus validissimè constabilitum fuisse, nec tamen ullo constare potuit argumento, vel levissimo, Romanis id ex legibus moribusque in Gallias influxisse. Contra autem perspicuum est, si ex Romanis legibus derivatum in Gallias fuisset, ejus oneris immunitatem Episcopos & Abbates consecuturos fuisse, cum eo Clericos omnes solvisset Lex Constantii Imperatoris. Repugnant etiam manifestissimè consuetudines Romanæ Gallicanis in metatu, leges utriusque Codicis Romani Capitula-

ribus nostris. Leges enim Romanę huic servituti Laicos subjiciebant, eximebant Clericos. Capitularia ex adverso Cleri Primores potius, quàm laicos eo vel premebant onere, vel honore afficiebant. Leges Romanæ è laicis eximebant spectatissimos quosque; at Capitularia Optimates tantùm Cleri Episcopos & Abbates hinc exhibendo hospitio astringebant.

Hinc facilè odoramur, Metatum legum Romanarum servitutis speciem quandam prę se tulisse; cum Metatus Gallicanus sub Carolo Magno & posteris ejus maximè usitatus, insigne quoddam fuerit & ornamentum honoris eximii, quò proderetur affinitas Regni & Sacerdotii, atque Episcopalis magnificentia hospitalitati, qua & Reges exciperentur. A' Carolo & posteris ejus maxima quęque Regni feuda Ecclesię collata fuisse, ad nauseam usque inculcavimus, quia & inculcandum necessariò fuit. Si qui prędiis ædibusque illis antea hospitabantur Reges, hospitari etiam voluere, ubi Ecclesiæ ea jam cesserant, non onus id, non servitus videri potuit, sed honos singularis, & jucundissima materies, pietatem & memorem animum summis & munificentissimis Principibus testificandi, splendidissimamque in Reges ipsos hospitalitatem exercendi.

Ubi anno 1039. Henricus Galliæ Rex Philippum filium & successorem suum voluit Remis Regem inaugurari; pompæ sacræ præfuit Gervasius Remensis Archiepiscopus; Regemque, Prælatos, & Proceres epulo excepit. Sed illud non prætervolabit nos ex Historia, jure Regem unum excipi necesse fuisse, reliquis gratuitam hospitalitatem impensam. *Has omnes Gervasius Archiepiscopus libenter excepit, & de sumptibus suis eis plenissimè erogavit; nulli tamen ex debito præter Regem, sed honoris causa Ecclesiæ & liberalitatis suæ. Du Chesne tom.4. pag.161.*

IV. Eodem utebantur Episcopi metatus jure in Parochiis suæ ditionis. *Procurationes* eæ erant, quæ *Parata* etiam dicebantur. In Privilegio Cluniacensi Abbatiæ concesso duplicis generis Parochias discrevit ei obnoxias Paschalis II. Papa. Aliæ procurationem Episcopo solvere tenebantur, cum Parochias lustrabat in Parochos inquisiturus: aliæ ei oneri subductæ fuerant. *Præcipimus, ut omnes Ecclesiæ, seu Capellæ vestra, & cæmeteria libera sint & omnis exactionis immunia, præter consuetam Episcopi paratam & justitiam in Presbyteros, si adversùs ordinis sui dignitatem offenderint; exceptis nimirum Ecclesiis illis, quæ absque hujusmodi subjectione in Abbatis potestate consistunt. Epist.68.* Ex hospitalitate id manasse, non satis probabiliter diceretur. Confitendum potius est, Episcopos plerasque omnes condidisse ac dotavisse Parochias, assignata eis decimarum & rerum temporalium agrorumque portione, denique gregis sui parte Parochis concredita; ex quo illud nimirum nascitur, ut & jus hospitii, atque metatus in iis sibi servarint integrum, non secus, quàm Reges in Ecclesiis & Cœnobiis munificentia sua locupletatis.

V. Inter Hadrianum IV. & Fridericum I. Imperatorem de multis disceptatum est anno 1159. in quibus fuit & de Metatu & Paratis quęstio. Nullo *Foderagii*, (Fourage.) seu palearum jure volebat Pontifex uti posse Imperatorem in ditionibus Apostolicę Sedis, nisi ubi Romam properaret, Imperii corona cingendus; Nuntios verò Imperatorios nullo suo jure posse in Episcoporum ędibus diversari, cum Italię Provincias peragrarent. *De dominicalibus Apostolici fodrum non esse colligendum, nisi tempore suscipiendæ coronæ. Neque nuntios Imperatoris in Palatiis Episcoporum recipiendos. Baron. n.14. 16.* His non sanè assentiebatur Imperator, quin ex adverso confidebat, Palatia Episcoporum omnia in solo & allodio Imperatorum constructa esse, atque ita Imperatorii juris esse. *Nuncios nostros non esse recipiendos in Palatiis Episcoporum asserit: concedo si fortè aliquis Episcoporum habet in suo proprio solo & non in nostro Palatium. Si autem in nostro solo & allodio sunt Palatia Episcoporum, cum profectò omne, quod ædificatur solo cedat, nostra sunt & Palatia. Injuria ergo esset, si quis Nuncios nostros à Regiis Palatiis prohiberet.* Hęc ex Radevico. *De Gestis Frider. L.2. c.30.* Non ea, ut opinor, erat Friderici mens, ac fiducia, ita Imperatoris proprios esse fundos omnes solo & ambito Imperii inclusos, ut inędificatę ędes omnes ad eum, ut ad proprium dominum & possessorem pertineant, unde & Officiales suos ibi hospitari pręcipere possit. Non eo sensu Reges & Imperatores, omnium domini sunt. Domini omnium sunt, non possessores, non proprietarii. Domini sunt, quorum custodiam, defensionem, & Imperii jus summum obtinent, unde & potestas scatet vectigalium exigendorum ad regni incolumitatem tuendam. Sed ita proprii non sunt domini, ut fructus omnes decerpere, & vindicare sibi possint. Ideo & Fridericus unum id sperabat in Episcopos sibi jus esse exigendi sacramenti, metatus, & id genus quorundam aliorum, propterea quod Feuda Imperii penes eos essent. *Episcoporum Italiæ ego quidem non affecto dominium; si tamen & eos de nostris Regalibus nihil delectat habere. L.2. c.12.* Otto Frisingensis, cum Roncaliam juxta Placentiam attigisset Fridericus, moras ibi aliquandiu traxisse, & priscorum Imperatorum more censum edidisse eorum omnium perhibet, qui Imperii feuda consecuti essent. Summo jure & austerius res agebantur, exutis feudo omnibus, qui abessent. *Omnes omnium Beneficiati, qui sine bona voluntate dominorum domi remanserant, in feudis condemnantur.* In ea recensione feudis suis spoliati sunt Bremensis & Halberstadiensis Episcopi, ipsi, non ipsorum Ecclesiæ; His enim perpetuo jure donata ea fuerant. *Regalia personis tantùm abjudicata fuere, quia nec personis, sed Ecclesiis perpetualiter à Principibus tradita sunt.*

In Polonia anno 1374. pollicitus est Ludovicus Rex; nunquam se vel in Nobilium ædibus, vel in fundis Ecclesiæ hospitaturum; nunquam metatus, nusquam procurationum jure usurum: *Necessaria quoque nostris pecuniis proprii volumus comparare.* Variæ itaque fuere metatus vices in Germania, & circumjacentibus Regnis.

VI. Quàm æqua hæc, tam iniqua & truculenta erant, quæ Hiberni Nobiles in Ecclesiam sibi jura vindicabant, uno freti consuetudinis & hospitalitatis obtentu. Eam contumeliam proscripsit Concilium Cassellense anno 1172. quod multa violentè, multa prædatoriè agerentur; cum importunissimæ interim servituti charitas prætexeretur. *Et specialiter quod nec Reguli, nec Comites, nec aliqui potentes viri Hiberniæ, nec eorum filii cum familiis suis cibaria & hospitalitates in territoriis Ecclesiasticis secundùm consuetudinem exigant, nec amodo violenter exequirere præsumant; & quod de villis Ecclesiarum cibus ille detestabilis, qui quater in anno à vicinis Comitibus exigitur, de cætero nullatenus exigatur. Can.4.*

VII. Non in Hibernia solùm Magnates novis subinde vexationibus Ecclesias & Cœnobia fatigabant, hospitiique fuco hanc suam obtinebant rapacitatem. Anno 1233. Raimundus Comes Tolosanus statuta edidit, quibus has damnavit grassationes, decrevitque Custodes instituere, qui explorarent, ecqui tam atrociter in Ecclesias injuriosi essent. *Statuimus ne Barones, milites & alii homines nostri, Abbatias, grangias, & alias domus Religiosas, nimia importunitate albergandi opprimere præsumant. Et si quis contra voluntatem Custodum*

no-

*nostrorum, quot in singulis domibus ad requisitionem ipsarum ponemus ibi continuè moraturos, qui juravi nobis suo ministerio, authoritate nostra, hujusmodi albergatores reprimeut importunos, &c. Conc. Gener. Tom.11. pag.*453. Anno 1238. Concilium Campiniacense laicos omnes excommuoicatione perculit, qui utcumque vi expugnarent, ut in Ecclesiis & in Xenodochiis exciperentur, quod eo hospitalitatis, sive jure, sive prætextu tam diu jam conplurimi abuterentur, ut ea maximè re summas ad angustias Ecclesiæ devenissent. *Quia pro certo nobis enotnit, quod per ellicitae exactiones & augarias laicorum, quamplures Ecclesia, Hospitalia, & alia domus Religiosa ad exiaanitionem ultimam devenerunt; excommunicamus omnem saeularem personam, qua in Ecclesiis, vel Hospitalibus, vel aliis Religiosis domibus, vel personis, exactiones facere presumpserit violentas; vel non invitata invitis eorum Rectoribus ibidem hospitata fuerit prasumptivè. Can.*3.

VIII. Non torquebantur hęc tela nisi in Nobiles, aut Magnates, qui prisca abutebantur humanitate Hospitalitatis Ecclesiarum; qua proinde extruduntur; ut qui non alio, quàm voluntariç Ecclesiarum largitatis studio excepti aliquando fuissent. Longè alia & diversa erat Regum ratio, quorum sive metatus, sive hospitium in Ecclesiis solidioribus fulciebatur fundamentis, cum eas ipsimet aut extruxissent, aut dotassent, aut novis ditassent feudis, ex quibus jus istud sua quasi sponte nascebatur. In Observationibus nuper editæ B. Ludovici vitæ Gallicano idiomate, intextus est Catalogus hospitiorum B. Lodovici anno 1254. dum ab aquis mortuis Lutetiam repeteret. Ubique jus istud procurationum pecunia expressum est. Anicii tridoo commoratus, primo die à Civitate, secundo ab Episcopo, tertio à Capitulo procuratus est. Apud Clarum-montem in alvernia procurationem accepit à Civitate, non ab Episcopo. Hospitatus est in Abbatiis S. Benedicti ad Ligerim, S. Mauri Fossatensis, & S. Dionysii. Suessione procuratus est à Cœnobio S. Medardi, & Monialium; non à Civitate, non ab Episcopo, non à Capitulo. Aliàs ubique ab urbibus. Hinc patet eo jure usos non esse Reges, nec in Ecclesiis Episcopalibus omnibus, nec in omnibus Cœnobiis; usos esse in quibusdam Capitulis; denique urbes peræquè, atque Ecclesias ei juri fuisse obnoxias. Io Camera Computorum Parisiensi varii feruntur esse rotuli, ita inscripti, *Gista, qua domino Regi debentur*, quibus continentur nomina locorum; Cœnobiorum, Episcopatuum, & personarum, quibus jus istud imminebat procurandi Regis, & quo numero, & quo pretio.

IX. Quibus rebus omnibus illa maximè confirmatur sententia, jus istud sive hospitii, sive procurationis Regum innixum maximè fuisse largitioni Principum, qui variis feudis Ecclesias donassent. Inde erat enim, quod non omnibus tum Ecclesiis, tum Cœnobiis id oneris impositum esset, quòd non in omnes tanta se Regum largitas effudisset. Inde erat quod & Cœnobiis, & Civitatibus quibusdam immineret, quibus nempe feuda aliqoa à Principibus addita essent. Inde est quod anno 903. Berengarius Imperator in Italia Constitutiooem promulgavit, in Conventu Episcoporum & Procerom, qua ferebatur, ut iter agens Imperator ab Episcopis & Comitibus pro antiquo more procuraretur; sed si quod Comitatus feudum decursu temporis Episcopali accresceret Ecclesiæ, tum verò & Comitis decrescerent, & Episcopi augescerent expensæ in excipiendo Imperatore. *Ut pastus Imperatorie ab Episcopie & Comitibus secundùm antiquam consuetudinem solvatur. Quodsi nostro tempore fiscus Comitalis in jus Ecclesiasticum conversus est, augeatur stipendium Imperiale ab Ecclesia, juxta quod ree publica fuerint minorata. Goldast. Const. Imp. Tom.*3. *pag.*300. Cum & Comites ei oneri essent obnoxii, & tum Episcopi, tum Comites pro modo feudorum suorum plus minusve facerent in procurando Principe sumptuum, hinc dilucidum est, totum hoc jus à feudis manasse, quæ his illisve dono Principum accumulatæ essent.

X. De solius porro Imperatoris epulo hic mentio habetur, *Ut pastus Imperatoris, &c.* Quod de B. Ludovico diximus, ex eo idem ipsum exculpitur, solos Reges, & ipsosmet eo jure usos. Ita huic juri dissimillimum illud erat, de quo in Codice Theodosii & Justiniani multa sanciuntur. Hoc utebantur Imperatores & Reges ipsimet, illo autem utriusque Codicis nec Reges, nec Imperatores, sed alii longè diversi. Hoc feudis nitebatur Principum largitate concessis, nihil ejusmodi de illo usquam memoratur. Alii quandoque certè quàm summi Principes in Episcopalibus ædibus & in Cœnobiis, & diversati fuerant & procurati; sed consideratissimè tandem statutum est, ut eo tumultu Ecclesiæ levarentur, nec aliis jam dehonestarentur hospitibus, solis Regibus & Imperatoribus excipiendis, & procurandis iosucfactæ. Non liquet, an Fridericus I. illud pervicerit, ut Imperii Ministri & Officiales in ædibus Episcoporum hospitarentur. Quod enim suprà narravit Radevicus, id ab illo quasi ex abrupto responsum est, non diffinitum. Sed satis liquet, nec Pontificem, nec Episcopos Italiæ controversiam fecisse, quin ipse quidem in ædibus Episcoporum hospitaretur; utque ei uni jus istud vindicarent, Constitutione uti potuisse Berengarii suprà laudata.

XI. Exolevit autem usus iste metatûs, sive hospitii & procurationis, eo ipse tempore, quo & militiæ, & iisdem de causis. Utroque abstinuerunt Reges; postquam decimæ & dona increbuere gratuita, & ordinaria, atque auctiora in dies hæc subsidia evasere. Idque tantò pronius fuit in jure metatûs, quòd jam usu receptum esset, ut auro redimeretur. Militia quoque, quam hactenus Ecclesia subministrabat, pecuniis redimi cœpit, atque ita demum omnes ejusmodi exactiones in decimas & dona gratuita desiere.



De Simonia.

CAPUT XLIX. *P.*1. *l.*3. *c.*14.

De Simonia per quinque priora Ecclesiæ sæcula.

I. Damnant Apostolici Canones ordinationes pretio, aut favore factas.

II. III. Frequentissima penes Montanistas, Paulianistas & Arianos simonia.

IV. Docet Basilius ex Sacramentorum dispensatione nihil pretii accipi posse, etiam post ea collata, etiam Xenodochiorum extructionem.

V. Tum ordines, tum sacra & Ecclesiastica Officia venire vetat Concilium Calchedonense.

VI. Objectio solvitur de Theodosio Diacono in Actis hujus Concilii, qui spe opimioris Beneficii diutiue militaverat in Ecclesia Alexandrina.

VII. Varia simoniæ exempla in Ordinationibus, Constantinopoli, Ephesi, Alexandria.

VIII. Frequentior in his ella erat urbibus, ubi & electiones Episcoporum, & ordinationes erant frequentiores.

IX.

IX. In Ecclesia Latina vitat Eluirensis Synodus, ne quid posthac in Baptismo detur.

X. Vetat tantùm Gelasius Papa, ne quid exigatur.

XI. Simonia aurum est, quod pro missæ sacrificio datur, cum ea sint hostia, quæ offeruntur.

XII. Etiam ubi offerantur pecunia. Sententia Augustini.

XIII. Damnatur ab Hieronymo simonia favoris & obsequii.

XIV. Responsio Hieronymi ad duas ex Veteri Testamento objectiones.

XV. Doctrina Ambrosii.

I. PErgimus jam ad opes in Ecclesiam congestas, non sine vitio & reprehensione, atque adeo ab Ecclesia ipsa damnatas. Aperium est de Simonia sermonem institui. Ex Canonibus Apostolicis plus satis liquet, non extinctam fuisse cum Simone Mago simoniam, quæ illi & nomen debebat suum & natales. Damnantur in illis Episcopi, Presbyteri & Diaconi, qui sacram dignitatem pretio emerint, eademque pœna innodantur & Episcopi, qui manus illis imposuerint, qui flagitii utcumque consortes fuerint. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerint dignitatem, dejiciatur & ipse, & ordinator ejus, & à communione abscindatur, sicut Simon Magus à Petro. Can.*30. 31. Majores tantùm memorantur Ordines, quod minoribus necdum sua satis dignitas constaret. Porro cum emi vetat Canon sacras dignitates, eo insinuatur, non Ordinem tantùm & Sacramentum divendi vetitum, sed & Officium & Beneficium quodcumque Ecclesiasticum. Cum denique Canone proximo damnatione eadem percellantur, qui ad sacros hujusmodi apices protrudi se posse sperant gratia & potestate Magnatum, aut Magistratuum, altera nudatur simoniæ species, crebior illa quidem, sed non eò minùs execrabilis. Pretio enim & mercede emitur, quidquid sive pecunia, sive favore comparatur, cum cælesti tantùm vocatione, cum virtutum suffragio, cum meritorum stipendiis comparanda sint cælestium hæc bonorum ornamenta. *Si quis Episcopus secularibus potestatibus usus, Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur, & segregetur, & omnes, qui illi communicant.* Maxima omnium bis flagitiis inducitur pœna, ubi degradatio excommunicatione cumulatur. *Deponatur, & segregetur.* Quo simoniæ declaratur enormitas. Alio enim Apostolico Canone prohibetur, ne bis vindicetur in idipsum, hoc est ne, uni sceleri gemina infligatur pœna.

II. Cum in Concilio Antiocheno sacra dignitate exauthoraretur Paulus Samosatenus Antiochenæ civitatis Episcopus, venalis jurisdictio, & congesti rerum sacrarum distractione thesauri, probro & crimini dati sunt. Ita enim Eusebius. *l.*7. *c.*3. *Cum antea pauper ac mendicus esset, nec ullas omnino facultates aut à parentibus relictas accepisset, aut artis ullius exercitio sibi comparasset; nunc ad incredibilem opulentiam pervenit, per scelera ac sacrilegia, fratrumque concussiones; dum injuria affectos decipit, promittens quidem sese illis accepta mercede opem laturum, fallens autem ipsos, & ex facilitate litigantium, qui ut negotia liberentur, quidvis dare parati sunt, lucrum inaniter captans & pietatem quæstum esse existimans.* Alibi rursus idem Eusebius. *L.*5. *c.*18., Apollonium illum fama celebratissimum inducit Montanistas insectantem, qui ab iis omnibus dona & pecunias emungebant, quibus pestilentissimum doctrinæ suæ instillassent virus.

III. Santissimas quasque & augustas dignitates demonstrat Athanasius promercales extitisse sub Constantino Imperatore, qui ab Arianis facinatus Catholicos Episcopos loco movebat, subrogabat Arianos, non alio, quàm opum & donorum suffragio commendatos. *Quisquis fama opulentia notus erat ad spem Episcopatus pro Christiana Religione Arianismum profitebatur, &c. Nec quæsitum, si quis esset irreprehensibilis, sed si quis plus pecunia offerret, nomine Episcopi honorabatur. Apolog. ad Const.*

IV. Ad omnes Provinciæ suæ Episcopos Basilius encyclicas dedit Epistolas, ut eos dedoceret, quod temerè animo infixerant suo, jam simoniæ invidiam fieri illis non posse, qui pecunias non acciperent nisi post ordinationem celebratam, nec acciperent, nisi in sanctissimos usus expendendas, ut & reliquos Ecclesiæ proventus. *Feruntur quidam ex vobis, ab illis qui ordinantur, accipere pecuniam, idque quod pejus est, pietatis nomine palliare. Duplo namque puniendus venit, qui prætextu boni, quod malum facit; tum quod operatur, quod bonum est; tum quod ad perficiendum peccatum, bono, ut dicitur, utitur cooperatio. Epist.*76. Scitissimè hic declarat Basilius magnopere aberrare, qui sperent crimen novo crimine levari, vel obumbrari posse. Si crimini enim datur dona Spiritûs Sancti, quæ verè dona, & quidem inæstimabilia sunt vili pretio addici; nova criminis exaggeratio est, has sacrilegas hostias & profana sacrificia aris admovere. Aberrabant rursus turpissimè qui nihil pecuniæ accipi existimabant, dummodo post ordinationem acciperetur. *Putant se nihil delinquere, quod non antè, sed post manuum impositionem pecuniam accipiant. At pecuniam accipere, accipere est, quandocumque fiat.* Tam poterant hæ pecuniarum largitiones gratuitæ non esse post ordinationem, atque ante. Ideo & hic proscribuntur.

V. In Concilio Calchedonensi, *Can.*2., depositionis & excommunicationis sententia innodati sunt, 1. qui non superiores tantùm, 2. sed & qui minores Ordines pretio contulerint. 3 Sed & qui Officia ipsa Ecclesiæ Oeconomos, defensores, & ejusmodi alios pretio creaverint. 4. Quin & omnes quorum gratiæ & favori hæ donarentur Ordinationes. 5. Adde & sequestres ipsos ac mediatores quæstûs turpissimi. Si Canon hic cum Apostolico superiùs relato componatur, facilè elucescet, quàm latiùs in dies effunderetur simonia, cum novi Ecclesiæ Clericorum gradus, nova officia accederent. Sacris enim Ordinibus divina institutione conspicuis, minorum Ordinum officia accessere; & his rursum accrevere officia alia non pauca, quæ Clericis majoribus & minoribus delegari possent. Sed cujus demum cumque generis forent hęc Officia, qui ea sibi pretio pararent, iis simonię labes inusta est. Vix enim minores Ordines à majoribus hac quidem in parte sejungi potuerant, cum & ipsi ad Altaris ministerium referantur. Et rursus vix segregari poterant Oeconomorum & Defensorum officia à minoribus Ordinibus, cum & hęc Officia sint. Alibi ostensum est, Notarii & Defensoris officia inter minores Ordines à Pontificibus Romanis collocata esse ut necessaria in his interstitia antè servarentur, quàm ad sacros Ordines quisquam admoveretur.

VI. Perlectus est in eodem Concilio Calchedonensi libellus suplex Theodori Diaconi, quo profitetur ipsemet annis se quindecim infatigata militia stipendia fecisse in Clero & in obsequin Ecclesię & Episcopi Alexandrini, pinguioris Beneficii spe ductum. *Siquidem videbar fructu multorum annorum fraudari militia mea: Majorem tamen honorem existimans divini & venerabilis Mysterii ministerium, quindecim annos in eodem Clero permansi, sperans & majorem honorem mereri. Act.*3.

Si qui hoc exemplo confidant, purgari posse & abstergeri simoniæ maculam, ubi quis vel Ecclesiæ,

Aa 2 vel

vel Episcopo diutioa prestat obsequia, spe inescatus superioris Ordinis vel Beneficii, ii vehementer allucinantur. Libellus enim hic est supplex Diaconi, non definitio Concilii: nec spei, aut facto Theodori Diaconi, vel assensio accessit Concilii, vel authoritas. Adde quod & Theodorus ille contestatur eum sibi primarium scopum ob oculos versatum fuisse, ut Altari ministraret, cui se totum devovisset, addixissetque, à quo studio avocari ne inexpugnabili quidem potuisset odio Patriarchæ, à se alienissimi, & spem assurgendi altius succidentis. *Majorem honorem æstimans divini & venerabilis Mysterii ministerium.* Non erat Theodorus ipsius Archiepiscopi speciali obsequio devinctus. Nec enim id tulisset Dioscorus tum Patriarcha Alexandrinus; alienato prorsus ab eo animo. Ecc iię & Altari affixus erat, nec inde resilisset, etsi nulla usquam spe alia lactatus fuisset. Si hoc animo cum esset Theodorus, non nescius tamen erat statę legis & vetustissimę Ecclesiarum consuetudinis, ut in dispensatione Ordinum, vel Beneficiorum, seniores semper Clerici anteponantur junioribus: unde & ipse posset lapsu temporis sublimius ad aliquod culmen vocari: nihil hic est proculdubio, cui simoniæ suspicio aspergi posset. Est enim communis simoniæ invidia danti, & accipienti. Non potest autem, nisi quis valde insaniat, simonię insimulari Ecclesia, ubi Ordines & Beneficia iis potissimum hortatur conferri, qui diutius & strenuius in Clero militarint. Ergo nec iis oblini potest simoniæ vel labecula, qui una maximè sacri ministerii admiratione & charitate altari serviunt diutissimè: sed & qui tamen non possunt non avertere, qui possit fructus ex hoc diuturno obsequio existere. Compertissimum est Ecclesiæ ministerii sacri mercedem sempiternam in cœlesti gloria esse desponsam; & ei tamen ipsa sapientissimè temporales aliquos ingerit fructus. Ita & his Clericis propositum est suis obsequiis Deum demereri, & ejus sibi gratiæ gloriæque opus accervare: at ubi præter fas probro & contumelia afficiuntur, jure suo meritoque conqueri possunt, præter statas Ecclesiæ leges, & Ordinationum statuta secum agi.

VII. Ab Episcopis Constantinopolitanis suspicati sunt nonnulli, aliquid pecuniæ exigi solitum, quasi jure suo, cum Episcopos ordinarent. Ejusdem sceleris reus factus est Ibas Episcopus Edessenus. *Adhuc & de Ordinationibus accipiat.* Neminem præterit, quamlibet Ecclesiasticæ Historiæ rudem, perrexisse Chrysostomum in Asiam, Ephesique abdicasse Episcopos ejus Exarchatus complusculos, quod simoniacè ordinati fuissent. In quo argumenti satis est, ut negemus simoniam tum certe in Ecclesiam Constantinopolitanam irrepsisse. At ubi Concilium Calchedonense Episcopo Constantinopolitano tres minores Exarchatus subjecit: tum Ancyranus Episcopus, Galatiæ primæ Metropolitanus, contestatus est, non abnuere se, quin ab Episcopo Constantinopolitano ordinaretur, dum iis posthic abstineretur exactionibus, quibus Ecclesiæ miram ad inopiam adigebantur. *Rogo, ut Civitates pro ordinationibus non solvant. Si enim non in Civitatibus hi, qui eliguntur à Civitate, ordinantur, à Synodo Provinciæ comprobati, solvuntur substantia. Et hoc probatum habeo; qui pro eo, qui ante me fuit, multa reddidi debita. Con. Calcb. Act.16.* Tum Philippus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyter, ne sibi Ecclesiæque deesset suę, respondit; Jam per Leges & Canones has consuetudines peremptas fuisse: alludens forsan ad Canones tunc jam editos in Concilio ipso Calchedonensi. *Ex Canone hoc interemptum est. Legibus & Canonibus hæc sublata sunt. Altaria munda sunt.* Peccatum ibi ergo antè fuerat, eique morbo medicinam fecerat Concilium Calchedonense. Nec immunior hujus vitii Ephesus, ubi Antoninus Archiepiscopus Ephesinus illos ordinaverat Episcopos, quos Chrysostomus sacro gradu ejecit, jussis Antonini hæredibus, aurum ut illis restituerent, quo hanc infamiam sibi pepererant, confessi illud se corrasisse ex conjugum suarum muliebri mundo, *Saltem aurum, quod dedimus recipiamus. Nam uxorum nostrarum quædam dedimus vasa.* Instantissimè ab Isidoro Pelusiota commonitus est Cyrillus Archiepiscopus Alexandrinus, ut ne humanitatem amplius, ne comminationes quidem adhiberet, sed dira quæque Ecclesiæ tela intorqueret in Martinianum, qui semel Alexandriam profectus, & vacuus inde secedens, rursus illuc commigraverat, auro suffarcinatus, quo Episcopalem cineret dignitatem. *Martinianus nuper aurum Alexandriam præmisit, Episcopatum aucupans. L.2. Ep.127.*

VIII. Hinc facilè odoramur Imperatoriis civitatibus potissimum, & Patriarchalibus Ecclesiis insidiatam esse simoniam, quod ibi nimirum frequentiores essent Episcopatuum concessiones, electiones, ordinationes, ubi in auro plus esset ponderis & momenti, quàm in Legibus, in Canonicis regulis, in merito testatissimo. Sed & Principum Ministri emungere aliquid nummorum voluerunt à Præsulibus, quos ab Imperatore confirmari opus esset. Qui apud Theodosium Juniorem gratiæ palmam obtinebat Chrysaphius, is à Patriarcha Flaviano aurum flagitavit, quo eminentissimæ Dignitatis compos fieret. Flavianus vasa sacra ad eum misit, quæ sine flagitio ne contrectare quidem posset: eo admonens, res Ecclesiæ omnes tam Deo sacras esse, & tam non posse ad profanos usus converti, quàm hostias sacras, & vasa ipsa sacrificii incruenti. Audiendus hic Evagrius. *L.2. c.2. Flavianus Chrysaphio aurum pro ejus ad Episcopatum ordinatione postulanti, sacra Ecclesiæ vasa, quo eum confunderet, misit.* Charo ea Flaviano stetit constantia. Exasperatus enim Chrysaphius, eas illi conscivit procellas persecutionum, quibus exagitatus Ephesino tandem latrocinio interemptus est. At si cessisset, januam forsan aperuisset fœdissimæ consuetudini, & Ordinum nundinationi, & quæcumque demum vita claruisset, non eam martyrii laurea illustrasset.

IX. Adeunda jam nobis Ecclesia Latina est, ubi Concilium Eliberitanum expungi voluit vetustam consuetudinem, nummos in ærarium Ecclesiæ conjiciendi, ubi quis baptizabatur. *Emendari placuit, ut hi qui baptizantur, ut fieri solebat, nummos in concham non mittant, ne Sacerdos, quod gratis acceperit, pretio distrahere videatur. Can.48.* Gratuita hæc fuisse dona, suadet & sæculi tum purioris disciplina, & ipsa in gazophylacium nummorum conjectio. Itaque nec umbram simoniæ suspicari fas est. Sed annorum lapsu quæ libera fuerant dona, jam evadunt persæpè necessaria. Ipsa enim consuetudo inolescit in legem. Qui diu donari, assueverunt jam quasi jure res debeatur, videntur exigere. Ita usus ab origine innoxius, sensim & inopinatò fit simoniacus, atque adeo à Conciliis abolendus, si vel maximè aliis ex fontibus Clero affluat, quo sustentetur.

Nec secus in Ecclesia Græca tempore ipso B. Gregorii Nazianzeni. Insulso eo prætextu pauperes baptismum procrastinabant, quod ad manum non esset, quod Ecclesię offerrent in lavacro. *Turpe est dicere; Ubi est munus, quod propter baptismum efferam? Ubi ea, quæ ad initiatores meos excipiendos referuntur. Orat.40.* Respondet Nazianzenus, unum desiderari munus, quo semetipsos Deo offerant, Presbyterosque morum suorum pietate alant. *Teipsum offer, honesta & laudabili vita me ale.* Ita ergo res comparatę erant. Ecclesia nihil ipsa quidem exigebat; at tenuiores vix persuadere

re sibi poterant, non necessariò & pascendum sibi, & munerandum esse Ministrum Baptismi. Simoniæ ne tantilla quidem hic suspicio Nazianzeno. Et tamen cupiebat ille dona ea aboleri.

X. Prohibebat & Gelasius Papa, nequid exigeretur pro Baptismo & Confirmatione, ne eo alienarentur homines ab his sacramentis. *Baptizandis, consignandisque fidelibus Sacerdotes pretia nulla præfigant, nec illationibus quibuslibet impositis, exagitare cupiant renascentes, quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur. Et ideo nihil à prædictis exigere moliantur, quo vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione revocati, redemptionis suæ causas adire despiciant. Epist.9.* Summovebant Eliberini Patres voluntaria etiam dona. Gelasius liberas hostias, & spontaneas non aufert oblationes, exigi vetat.

XI. Jam si ad incruentum progrediamur sacrificium, nemini unquam in mentem venit, simoniæ infamiam aspergere iis oblationibus, quas spontè offerunt ii, pro quibus cœlestis Hostia immolatur. Quin suprà à Sanctis Patribus excitabantur fideles ad offerendum; eorum qui obtulissent nomina palam recitabantur, quod eodem recidit ac si dicatur pro illis specialiter litatum fuisse; denique ipsius oblationis suæ parte aliqua consacrata in supercœlestem hostiam reficiebantur, reliqua in Cleri & pauperum sustentationem consumenda. Prompta est autem & obvia hujus discriminis ratio: quod voce ipsa naturæ, & lege Religionis cogantur fideles offerre Sacerdotibus, quod pro ipsis offeratur Deo, vel ad eluenda delicta, vel gratiis referendis, vel novis beneficiis exorandis. Itaque sacramenta quidem alia nullo pretio dispensanda sunt, cum gratiæ eæ sint, nec ullo possint pretio æstimari. At offerenda hostia Deo à sacerdote pro populo, priùs à populo ipsi offerenda est sacerdoti. Offert enim Deo ipse populus, & pro seipso fidelis quisque, sed per sacerdotem. In Concilio Carthaginensi IV. statutum est, ut Pœnitentium, quos ante reconcilationem mors intercepisset, oblationes admitterentur, & pro eis sacrificium ineruentum celebraretur. *Memoria eorum orationibus & oblationibus commendetur. Can.79.*

XII. Pro mortuis offerri solitum ait Augustinus, non solum, quo ad altare sacra fierent, sed & quo pauperes alerentur, adeoque & pecuniam. Modicos sanè hos sumptus esse vult Sanctus Pater, & pecuniam in pauperes ex tempore erogari. Sed tum quidem temporis poterant fere pauperes inter Beneficiarios recenseri; poterant & Clerici, paupertatis jure complures, pecuniæ hujus participes fieri; denique oblationes cæteræ omnes, principis hostiæ veluti comites erant, quæ in Eucharistiam consecrabatur; uti & in sacris Mosaycis immolandæ hostiæ accedebant complusculæ oblationes aliæ, vinum, panis, oleum, thus, quibus ex omnibus unius hostiæ perfectio, atque absolutio consurgebat. En ipsa Augustini verba: *Epist.64. Oblationes pro spiritibus dormientium, quas verè aliquid adjuvare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosa, atque omnibus petentibus sine typho, & cum alacritate præbeantur, neque vendantur. Sed si quis pro Religione aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præsenti pauperibus erogat. Ita nec deserere videbuntur memorias suorum, quod potest gignere non levem cordis dolorem; & id celebrabitur in Ecclesia, quod piè & honestè celebrabitur.* His sanè verbis, *aliquid pecuniæ offerre*, non obscurè declaratur pecuniam ipsam, quæ offerebatur, hostiam verè & oblationem habitam fuisse, eam videlicet hostiæ totius partem, quæ à sacerdotibus absumebatur.

XIII. Ab Ordinationibus quàm exularet simonia, declarat Tertullianus in Apologetico; *Præsident probati quique Seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti, neque enim pretio ulla res Dei constat.* Sed non semper eam retinuere Clerici abstinentiam pecuniæ & donorum. Irascitur Hieronymus Episcopis, qui Ordines, vel Beneficia iis conferunt, qui sibi à Magnatibus commendati fuere, vel quorum delinti fuere obsequiis. *Quidam Pontifices divitum obediunt jussioni, quodque his pejus est, illis Clericatus donant gradum, quorum sunt obsequiis deliniti. Advers. Jovin. l.1.* Quàm piè, tam validè & alibi in eos effervescit, qui in sanctissimis Dignitatibus conferendis, abduci se sinunt & pelliei, vel precibus mulierculatum, vel terrenis cupiditatibus, vel obsequiis hominum, doctrinæ, & virtutum omnibus præsidiis destitutorum. *Cernimus plurimos hanc rem Beneficium facere, ut non quærant eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, & ut deteriora taceam, qui ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt. In Isaiam c.57.* Nec injuria Hieronymus conglomerat has omnes vel Ordinum, vel Beneficiorum conferendorum perversitates. Nam & pecunia, & munera, & obsequia, & Magnatum amor & favores, instrumenta sunt avaritiæ & cupiditatum, & his quidquid comparatur, pretio sui generis aliquo comparatur, & ea, etsi diversa, nundinatio tamen est. Quocumque modo, ita dare, & accipere, simoniacum est. Unde Chrysostomus. *Hom.3. in Acta. Cogita quid acciderit Simoni. Quid enim refert, si non das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis; subornas, multa machinaris? Pecunia tua tecum sit in perditionem, ad illum dictum est; Et his dicitur. Ambitio tua tecum sit in perditionem; quoniam putasti ambitu humano possidere donum Dei.*

XIV. Objicit sibi alibi Hieronymus exemplum Saulis, qui munusculo antè sibi aliquo demerendum esse Samuelem animo præsumebat, quam eum consuleret. Uxor quoque Jeroboami Regis muneribus aggressa est Achiam Prophetam, ut filii sanationem impetraret. Respondet autem Sanctus Pater, Israelitas ad Gentilium vates & oracula frequenter adiisse, & hac exinde stultissima persuasione occupari potuisse, tam veri Dei, quàm dæmonum vates inaccessos fore, nisi munera aditum panderent. Non legitur porrò Samuel quidquam à Saule accepisse, quin immo, & tecto illum, & epulo excepisse. *Non enim scriptum est, quod Samuel acceperit, aut quod illi obtulerint, quin potius à Propheta pascuntur, & invitantur ad prandium.* Similiter & Michæas non dona tantùm repudiavit Reginæ, sed & magna eam verborum asperitate castigavit, filiique prænuntiavit interitum. *Dicitur, quid illa portaverit, & tamen Propheta non scribitur accepisse, quippè cum corripuerit eam, & venturum luctum prædixerit. In Mich. c.3.* Ignoscendum denique censes Hieronymus fore, si quinque tantùm obolorum dona essent, ut Saulis. *Et nostri igitur Sacerdotes, utinam non pretia villarum, sed quinque obolos acciperent.* Narrat idem alibi in vita B. Hilarionis, nihil unquam muneris ab eo admissum fuisse, cum passim ingererentur dona ab iis, quos sanitati reddiderat, ne pari se cum Giesi & Simone damnationis vinculo constringeret.

XV. Universim æstimat Ambrosius, Sacramenta tanti esse pretii, ut dari possint; emi vendique non possint: gratiæ enim sunt, non merces: aut cœlestes merces, cœlestibus tantùm virtutibus comparandæ. *Non enim pretio taxatur Dei gratia: nec in Sacramentis lucrum quæritur, sed obsequium Sacerdotis. Habes Domini præceptum, vatis exemplum, gratis accipere, gratis dare; nec vendere*

mysterium, sed offerre. In Luca. l.4. c.4. Luculanter autem idem ipse Prælatos admonet, ut non suia tantùm, sed & Ministrorum manibus munera excutiant, Elisæi Prophetæ exemplo. *Non tamen satis est, si lucrum ipse non quæras: familiæ tuæ quoque cohibendæ sunt manus, nec hoc solùm exposcitur, ut te solum castum immaculatumque custodias. Non enim dixit Apostolus, Te solum, sed teipsum castum custodias; Quæritur ergo non solum tua ab hujusmodi nundinis, sed etiam domûs tuæ castitas.* Et infrà: *Si te fefellerit servulus, prophetico deprehensus repudietur exemplo.* Inexorabilis hæc Ambrosii inclementia in ejiciendis servis, qui furtivo munusculo manus suas, domini famam, sacramenti sanctimoniam contaminaverit, utriusque Testamenti paginis approbatur. Inexpiabile enim in his comperitur simoniæ crimen in Giesi & in Simone. *Inexpiabilis est enim venditi culpa Mysterii.* Sed in posteros traducitus servi vindicta simoniaci: *Et genetis vindicta cælestis in posteros transit.* Eum denique finem fructumque consequitur simoniacorum avaritia, ut acervos sibi congerat iniquitatum & pœnarum. *Non tam patrimonium facultatum, quàm thesaurum criminum congregarunt, æterno supplicio, & brevi fructu.*

CAPUT L. *P.2. l.3. c.9.*

De Simonia in profitenda Religione ab anno Christi quingentesimo ad octingesimum.

I. II. Variæ Constitutiones Regularum Monasticarum S. Benedicti, S. Cæsarii, Tetradii, S. Isidori, S. Fructuosi, de partiendis à Monacho profitente terrenis suis bonis.

III. Aliæ alia præcipiunt, ut detur pauperibus, Monasterio, proximis. Sed omnes consentiunt, ne quid pro Monasterio exigatur. Ne sinit quidem S. Fructuosus, ut quidquam gratis detur.

IV. Vetat Gregorius quidquam exigi à Virginibus, quas consecrationis velo donat Episcopus.

V. Omnia tunc Cœnobia à conditoribus idonea dote instruebantur, accedebant & frequentes oblationes, dona ingentia.

VI. VII. Plerique in profitendo sponte sua res suas magna ex parte Cœnobio addicebant.

VIII. Ex Augustino cuesus id probatur, complures ante professionem sua Monasterio dicusse.

IX. Fundatores autem latissima & opima prædia donasse.

X. Cum hæreditates adire semper tum possent Monachi & Moniales, difficile non erat à profitentibus nihil exigi.

XI. Nummorum aliquid corrogabant tenaiores virguncula, quod in profitendo offerrent.

I. EX Regula B. Benedicti constat, ab adultis Religionem profitentibus, moris fuisse nihil exigi, nihil tenui. *Res si quas habet, aut eroget priùs pauperibus, aut conferat Monasterio.* Quoad impuberes autem ditiores, sacramento adigebantur proximi, ne quid illis darent propriè & privatim habendum; si quid largiri cuperent, Monasterio largirentur. *Si aliquid offerre volunt in eleemosynam Monasterio, &c.* Denique nec tenuissimorum filii rejiciebantur. *Qui verò ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium suum coram testibus. Cap.58. 59.*

Hortatur Regula Tetradii, ut Religiosum amplexaturi propositum, sua distrahant omnia, & pauperibus erogent, ut perfectionis sectatoribus in Evangelio præcipitur. *Chartas venditionis faciat, sicut Dominus præcepit, Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, &c. Cap.1.* Si Evangelico ei mandato accommodare se refugiant, optio illis fit, ut sua vel Monasterio, vel proximis dimittant: *Si non vult vendere, donationis chartas aut parentibus, aut Monasterio faciat. Cap.4.*

II. Regula B. Cæsarii, *Cap.9.*, vendi, aut dari præcipit, nec exprimit quibus detur. At Magistri Regula confestim vendi & dari hortatur omnia pauperibus, convenienter Christi verbis. Si proximi autem, vel terrenarum opum cupidiores, vel reliquis consulentes filiis, ab hoc abhorreant perfectionis præcepto; consilio clementiori illos impertit Auctor Regulæ, & ad eorum patientiam magis temperato, ut portionem substantiæ, quæ profitentis propria est, partiantur inter carnales fratres, & Monasterium, & pauperes. *Quòd se fortè propter immanitatem divitiarum, vel amorem nutrita domi familiæ, gravis & minùs dulcis hæc divina præceptio convenio, audite Regula nostræ à Patribus salubre statutum consilium, De portione ejus tres fiant portiones. Cap.4.*

Beatus Isidorus Episcopus Hispalensis integrum esse vult profitenti, ut vel pauperibus sua largiatur, vel Monasterio. *Omnia sua primùm aut indigentibus dividant, aut Monasterio conferant.* At beatus Fructuosus Braccharensis Episcopus expertus Monachos, qui sua Monasterio tradidissent, in quo profitebantur, inde ansam captare resiliendi è claustris, & repetendi quod dedissent, constituit nihil omnino accipi à profitentibus, nec antè ad professionem quemquam admitti, quàm sua pauperibus omnia erogasset. *Comperimus, per multa Monasteria, qui cum facultaticulis suis ingressi sunt, &c. Nihil de pristinis facultatibus suis in eundem locum, ubi ingredi se petit Monasterium, vel ad unum nummum recipiatur, sed & ipse manu sua cuncta pauperibus eroget, &c. Cap.18.* Quæ verba videri possunt ex Cassiano decerpta. *L.4. c.4.*

III. Ex his omnibus porrò Regulis dilucidum est, 1. Illud primò consilium insusurratum fuisse profitentibus Religionem, vel eorum cognatis, ut Evangelicæ obsequerentur præceptioni, & venderent, darentque pauperibus vel hæreditates suas, vel eam paternæ hæreditatis portionem, quæ sibi obveniret. 2. Si Profitentes, vel eorum proximi sub alieno essent ab hac præceptione animo, & donare cuperent aliqui Monasterio, suadebatur, ut sua cognatis, Cœnobio & pauperibus dividerent. 3. Unus fuit Fructuosus, qui spontanea Profitentium dona aspernatus sit. 4. At manifestissimè & constantissimè illud hîc tenetur, omnium consensu Regularum & Cœnobiorum confirmatum, nihil ut à Profitentibus exigatur.

IV. Vetustissimam in Sardinia restituit Gregorius Magnus consuetudinem, ubi ad Archiepiscopum Calaritanum scribens vetuit, ne quid acciperet ab iis Virginibus, quas solemni velo consecraret. *De ordinationibus verò, vel de nuptiis Clericorum, aut de iis quæ velantur virginibus, nullus, ut tunc fieri dicitur, quidquam præmiis præsumat accipere. Nisi quippiam sua sponte offerre maluerint. L.3. Ep.24.* Non prohibet spontaneas admitti oblationes.

V. Sed illud diligenter observandum, non esse passum Gregorium Cœnobia fundari ulla, quæ non probè dotarentur. Episcopo Neapolitano per literas mandavit, ut Capellam Monasterii virginum ab opulenta Matrona fundati consecraret, dum ratum esset Matronæ testamentum; tertia pars bonorum ejus, ut illa jubebat, reapse adjiceretur Cœnobio; ac oblationes, aliæque largitiones omnes eidem cederent, nec ad earum partem ullam Episcopus, vel Clerus venirent. *L.2. Ep.59.* Quoad Monachorum Cœnobia, ad Archiepiscopum Ravennatem idem rescripsit Gregorius, *L.6. Ep.40.*, ne co-

eorum redituá Clericis arrodi fineret, nec Cœnobium condi fineret, nisi idonea redituuo antè copia esset adsignata. *Si tamen talia loca sunt, ut sit unde ibi subsistere valeant.* Ita facilè abstinebant Cœnobia, ut ne quid à Profitentibus exigerent. Extruxerat ipse Gregorius jam inde ab exordio conversionis suæ sex Monasteria in Sicilia, quibus tantum agrorum proventuumque contulerat, ut nullo vitæ subsidio Monachi indigerent. *L.7. c.6. Quibus tantum prediorum contulit, quantum posset ad victum quotidianum Deo illic militantium sine indigentia suffragari.* Ita Joannes Diaconus in ejus vita. *L.1. c.5.*

Ubi Apostolico Throno potitus est, conquestus est Gregorius idem ad Abbatem Joannem, quod non eo quo par esset studio Monachi ejus in lectiones se divinas immergerent, cum abundarent eis ex spontaneis Laicorum oblationibus alimenta. *Considerare necesse est, quantum peccatum est, ut ex aliena oblatione Deus vobis alimoniam transmiserit, & vos mandata Dei discere negligatis. l.2. Ind.11. Epist.3.* Nec temerè tamen conjicimus, ex novis in dies Gregorii largitionibus, complurium reditus Monasteriorum exuberasse. Cum à Nobilibus enim & prædivitibus ille accepisset triginta auri pondo ad redimendos captivos, mediam ejus pecuniæ partem dispensavit Monialibus Romanis ter mille, quibus non erant sæviente hyeme vestes, quibus noctu cubantes operirentur. Quanquam enim annie singulis octoginta libras dono acciperent ab Apostolica Camera, non tamen inde satis provisum esse poterat tanto examini sanctissimarum Monialium, quarum jejuniis & precibus, ceu tutissimo propugnaculo Romana civitas muniebatur adversùs enses Longobardorum. *Nam juxta notitiam, qua dispensantur, tria millia reperiantur. Et quidem de Sancti Petri Apostolorum Principis rebus octoginta annuas libras accipiunt. Sed tantam multitudinem illa quid sunt? maximè in hac urbe, ubi omnia gravi pretio emuntur. Harum verò talis vita est, atque in tantum lacrymis & abstinentia districta, ut credamus, quia si ipsa non essent, nullus nostrûm jam per tot annos in loco hoc subsistere inter Longobardorum gladios potuisset. L.6. Ep.23.*

Suo in Sicilia Nuntio præcepit idem Gregorius, ut Cœnobio consignari curaret omnes Monialium copias, quæ in illud contrusæ fuerant, ut carnalem lapsum pœnitentiæ lacrymis eluerent. Ut cui earum alendarum fovendarum onus & cura mandabatur, ei cederent & earum facultates: *Donationem ancilla Dei, qua lapsa est, & in Monasterio data, omni postposita tarditate restitue, quatenus ipse lorat rerum ejus stipendia habeat, qui ejus sollicitudinis labores portat. Sed & quidquid ab aliis ex ejus substantia tenetur, recollige, & Monasterio præfato trade. L.5. Ep.41.* Cum alius quispiam in Monasterium semet ipse abdidisset, ut Scripturarum divinarum lectioni totum se dederet, voluit Gregorius, ut ex ejus patrimonio sumptus ad ejus sustentationem decerperentur, ut qui manibus operari non posset. *Cui vix potui imponere, ut expensas eidem Vitigantino in Monasterio, quo lectioni vacat, & laborare non potest, parum aliquid de substantia matris sua dare debuisset. L.7. Ep.1.* Non ergo displicebant Gregorio pecuniariæ pensiones Monachorum, qui se opere manuum non sustentant.

Docet & alibi fuisse Monasteria nulla dote instructa, & quæ id quoque palam profitebantur, nullos à se fundos possideri. Id genus fuit Cœnobium sanctissimi viri Isaaci, qui oblatos sibi agros repudiavit, & Monachis suis necdum tantæ abdicationis patientibus respondit, Monachi nomine exuendum, qui terrenas possessiones concupiscat. *Monachus, qui in terra possessiones quærit, Monachus non est.* Sed ejus ordinis rarissima erant Cœnobia; & satis superque Gregorius ipse testatus est, *Dialog. l.3. c.14.*, quàm vehementer cuperet, ut copiosè dotarentur Cœnobia Virginum, ne rei temporalis inopia, & inopiæ comes sollicitudo spiritalem pessumdarent disciplinam. A' terrenis cupiditatibus alienissimo erat sanctissimus Pontifex animo; & sollicitè tamen ipsemet adlaborabat, ut iis fruerentur Cœnobia hæreditatibus, quæ sibi Monachorum suorum morte obvenissent. Candidus Abbas Monasterii Romæ positi, & miles nescio quis frater Monachi in ejus Cœnobio mortui, de hujus bonis judicio contendebant: suas partes interposuit Gregorius, ut concordia litem componerent, concordiæ sive transactioni robur ipse addidit sua confirmatione. *Cum nostro quoque consensu commoda transactionis pagina interveniente, decisa est causa. L.7. Ind.1. Epist.13.* Exigebantur ergo tunc patrocinante Canonum & Legum authoritate, à Monachorum & Monialium cognatis, non munera & pecuniæ ad Professionem, sed hæreditates ipsæ, sive superstites essent, sive fato jam suo abrepti essent, qui in Cœnobio professi erant.

VI. Præter reditus Monasterio ex agris & fundis dotalibus emergentes, præter oblationes, præter extraordinarias erogationes, illud quoque accedebat, quod plerique Profitentium suo excensu statim inserebant Monasterio. Id jam manifestum fecimus ex antedictis, sed & illud rursum firmari potest ex ea tum frequenti & necessaria cautione, qua utebantur, ne insolescerent supra alios ii, qui soli aliquid contulissent. Objurgabat ex suis aliquos B. Isidorus Hispalensis Episcopus, graviterque admonebat, tutius & conducibilius fuisse, suas ut quisque opes in sæculo modestè & temperanter retineret, quàm ut de iis Monasterio collatis fœdissima jactantia intumesceret. *Qui aliquid habentes in sæculo convertuntur, non extollantur, si de suis facultatibus quodcumque Monasterio contulerunt; sed potius timeant, ne per hæc in superbiam labantur. Regul. c.4.*

VII. Iidem jam olim Augustinus monitis Moniales instruxerat, inaniter eas sua pauperibus erogasse, si ex contemptu, quàm ex ipsa possessione divitiarum insolentius superbirent. *Quid prodest dispergere dando pauperibus, & pauperem fieri, si anima misera superbior efficiatur contemnendo, quàm fuerat possidendo? Epist.109.*

VIII. Sed ex eodem sanctissimo Patre apertè declaratur, quæ Monasticam amplecterentur institutionem, eas se totas, hoc est, non se tantùm, sed & unà res suas Deo, Cœnobia & pauperibus dicasse. *Quæ aliquid habebant in sæculo, quando ingressæ sunt Monasterium, libenter velint illud esse commune. Ibidem.* Quid apertius? quod propriè priùs & singulæ possidebant, possidebant postea universæ in commune. Admittebantur pari hilaritate, & quibus nihil prorsus rei erat: sed hæc ipsa divitum largitas id præstabat, ut & pauperes admitti, alique possent.

IX. Ideo & idem alibi Doctor sanctissimus ait, juxta Psalmos Davidis, super cedros Libani tunc nidulari aviculas, cum rustici, opifices, mendici, Monasticæ se vitæ devovent in iis Cœnobiis, quæ construxit sæcularium virorum opulentia, ædes hortos, latifundia sua largentium. *Etenim cedri Libani nobiles, & divites, & excelsi hujus sæculi, quoniam cum timore audiunt, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem; attendunt res suas, villas suas, & omnes superfluas copias, quibus videntur excelsi, & præbent illas servis Dei, dant agros, dant hortos, ædificant Ecclesias, Monasteria, colligunt passeres, ut in cedris Libani nidificent. Attendite totam terram, si non ita est. In Psal.103. Conc. 3.* Jam inde ergo ab ævo Augustini, hoc est,

exono-

exeunte quarto, & ineunte sæculo quinto, horti, palatia, prædia, immensæ Procerum Romanorum opes, devenerant in manus pauperum, paupertatis Evangelicæ sectatorum. Non occludebantur pauperibus fores Monasteriorum, quæ pauperibus excipiendis opulentissimi quique fundassent. *Minuti hujus sæculi, passeres videntur. Quid magnum dimiserunt? Alius se convertit, dimisit cellam patris sui inopem, vix unum lectum, & unam arcam. Convertit se tamen, factus est passer, &c.*

X. Sed nullo ex capite invictius ostenditur, quàm non posset quidquam à profitentibus exigi, quàm ex ea facultate; quam retinuerant semper Monachi, & quam eis integram suis Legibus Justinianus Imperator vindicavit, succedendi, & hæreditates excipiendi, quæ sibi obtigissent, easque vel totas, vel ex parte transfundendi, in pauperes, in Monasteria, in proximos; dum nequid privatis & propriis usibus retinerent. Ecquis enim ambigat, quin harum largitionum rivulus semper uberrimus influeret in proprium profitentis Cænobium? Proclivius enim est in communi possidere, quod sejunctim prius & propriè possidebatur, quam ut eo se quis in totum abdicet. Ad id alludere videbatur Augustinus his verbis suprà relatis. *Quę aliquid habebant in sęculo, quando ingressę sunt Monasterium, libenter velint illud esse commune.*

XI. Nec illud recedit à verisimili, usque adeo usitatum fuisse, ut puellæ, quæ in Claustra se conferebant, conferrent & aliquid rerum suarum: ut quæ omnium prorsus inopes erant, luctarentur tamen, & industriam suam explicarent, ut undecumque aliquid corraderent, quo professionem suam honestarent. Perstrinximus jam suprà illius historiam Monachi, de quo sermo habetur in vita Sancti Joannis Eleemosynarii. Cum enim aurum ille respuisset sibi oblatum, & illud præ se ferret, Qui auro egeret, Monachum non esse: *Monachus si fidem habet, auro non indiget: si autem auro eget, fidem non habet.* Is ipse tamen aliquandiu cum puella virgine mendicavit, ut pecuniæ illi aliquantulum pararet, quo in Monasterium mox admitteretur. *Gyrabam cum ea in simplici corde, expostens modicum sumptum, quatenus introducerem eam in Monasterium.* Cap. 23.

CAPUT LI. *P. 2. l. 3. c. 10.*

De Simonia rursus in profitenda Religione per eadem secula.

I. Rursum probatur à Monachis & Monialibus aditas esse hereditates, & ex iis non parum ditata Cœnobia.

II. Succensebant Sancti Patres parentibus, qui filias suas Christo sponso sese devoventes non eadem saltem dote donabant, quasi viro mortali nupsissent.

III. Volebant iidem Patres, ut quibus liberi sunt, ii Christum in liberorum & heredum numero scriberent.

IV. Cum Moniales per plura secula paternas ędes incoluissent, & cum fratribus sororibusque in partem hereditatis suę succedere insuevissent, non pejore fuere conditione, ubi se claustris inclusere.

V. Ex Regiis Burgundionum Legibus & Imperatoriis Monachis non excidebant jure succedendi.

VI. Harum legum desuetudine & oblivione mos inolevit accipiendi aliquid à profitentibus.

VII. Lege Burgundionum Monialibus non nanciebatur, nisi pensio pecuniaria, dum vitā superaret.

VIII. Vix olim simoniæ imputabatur, aliquid exigi à profitentibus.

IX. Recentiori Scriptori visum est, quod accipitur à profitentibus, eam justam esse compensationem juris succedendi, quo se tam abdicant.

I. ADmirabiles scriptis mandavit Hieronymus Malchi Monachi errores, casusque stupendos, inde ducto eorum exordio, quòd Cœnobio excessérit rescita patris morte, ut matri solatio esset, eorum divenderet hæreditates, pretium tripartito divideret, pauperibus, Monasterio, suis ipsius usibus. *Ut solarer viduitatem matris, & exinde venumdata possessiuncula, partem erogarem pauperibus, & ex parte Monasterium construerem, (quid erubesco confiteri infidelitatem meam?) partem in sumptuum meorum solatia erogarem.* Cap. 3. Arsenius ille tot virtutum insignibus clarissimus, proscissas voluit tabulas testamenti Senatoris cujusdam, sibi carne conjunctissimi, à quo hęres scriptus fuerat. Prohibitus ne laceraret ab eo, qui eas detulerat, eas illi reddidit, contestatus se jam ante Senatorem diu mortuum fuisse, ideoque nec ab eo potuisse ad hæreditatem vocari. *Ego prius mortuus sum, quàm ille, ipse autem modo mortuus est, quomodo me fecit heredem?* Mitto alia exempla, quæ leges, si vacuum erit, in vitis Patrum. Plurimis enim ibi exemplis frequens illa declaratur Monachorum tentatio, qua deludebantur, spe excipiendæ paternæ hęreditatis, in pauperesque dispergendæ. *Vita. Patr. Rosveid. Verba Senior. L. 6. c. 2. L. 7. c. 24.*

Usu tamen aliquando venit, ut spiritalis animarum regiminis peritissimi, assentirentur Monachis ad excipiendas, quæ obvenerant hęreditates, ut patet ex responsione Abbatis Pastoris ad Monachum, qui illum hac ipsa de re percunctatus fuerat. *Si dixero, Da eam hereditatem in Ecclesiam, Clerici sibi facient convivia ex ea. Si autem dixero, Da eam parentibus tuis, non est tibi merces. Si verò dicam, Da pauperibus, securus eris, Quidquid ergo vis, vade, fac, ego causas non habeo.* L. 10. c. 56. Non ambigebat Abbas piissimus, quin tam opulenta hæreditas, *dimissa est mihi omnis hæreditas,* in Clericorum si manus veniret, in epulas abligurriretur: si proximis dimitteretur, nullus hinc æternę illius fructus existeret gloriæ, quę pauperum amatoribus desponsa est. Ita totum addicebat pauperibus, quorum è numero expungi non possunt Monachi. Si enim affirmabat Augustinus toto orbe ditissimos quosque Palatia sua Monachis addixisse, qui potuissent Monachi non & ipsi, ubi dabatur, instituto suo favere.

Abrahamus splendidum Eremi lumen, anno postquam sæculo renunciaverat duodecimo, audita parentum morte, certiorque factus ab iis sibi auri vim, agrorumque plurimum dimissum esse, ipse quidem à sacro recessu suo non discessit, illa omnia pauperibus per unum ex amicis erogari fecit. Ita enim in vita ejus apud Rosveidum. Cap. 3. *Aurum ei copiosum prædiaque reliquerunt. Qui rogans amicum quendam admodum sibi charum ad distribuenda universa indigentibus ac pupillis officium religiosum ei injungit, ne ipsius orationibus impedimentum, hujus rei gratia gigneretur.* Author est Hieronymus ipse B. Hilarionem ex solitudine post obitum parentum in patriam remigrasse, hęreditatem partim fratribus, partim pauperibus distribuisse unam sibi cœlestis patriæ spem residuam fecisse. *Reversus est cum quibusdam Monachis ad patriam; & parentibus jam defunctis, partem substantia fratribus, partem pauperibus largitus est: nihil sibi omnino reservans.* Bona criticorum venia obiter attingam testamentum Gregorii Nazianzeni, qui ad Monachorum se mores composuit, & testamentum tamen edidit, quo hæredem sibi esse sanxit mobilium & immobilium omnium Ecclesiam Nazianzenam, agello tamen aliquo in Monachum

Eu-

Eustathium transcripto, quem domi suæ aluerat. *Juris Orien. part.2. pag.203. 204.*

II. Præter has observationes, quæ declarant quàm non ægrè septingentis, vel octingentis post Christum natum annis Monasteria abstinere possent, & ab exactionibus, & alicubi à voluntariis profitentium donis; cum tot aliis tum ex capitibus in ea influerent opes: accedunt & alia quæ id ipsum eluceident. Crimini enim Sancti Ecclesiæ Patres vertebant carnalibus parentibus, si vel tantilla parte filios suos religiosam perfectionem professos fraudarent hæreditatis ejus, qua eos in seculo defixo cumulassent. Copiosissima hæc esset dicendi seges, unum depromam Hieronymum in Epistola ad Demetriadem, ubi fidei & religionis torporem miratur eorum, qui filiabus religioni Monasticæ illigatis quàm minimum dimittunt, & vix etiam quo victitare queant; ut immensas opes suas filiis aliis suis servent in sæculi detestandas libidines & inanissimum fastum dilapidandas. Multò magis stupori illi sunt Clerici ipsi, qui eadem insania laborant, quibus imitanda potiùs illa fuerat mater, quæ filiæ sanctimoniali eandem contulit dotem, quam paraverat nupturæ; non degenerem rata cœlestem Sponsum, cui filia elocabatur; nec opes melius collocari usquam posse, quàm in emendo regno cœlesti. *Certè qui religiosiores sibi videntur, parvo sumptu, & qui ad alimenta sufficiat, virginibus dato, omnem censum in utroque sexu secularibus liberis largiuntur. Quod nuper in hac urbe dives quidam fecit Presbyter; ut duas filias in proposito virginali inopes relinqueret, & aliorum ad omnem copiam filiorum luxuria atque deliciis provideret. Fecerunt hoc multæ, proh dolor! nostri propositi fœminæ, atque utinam rarum esset exemplum: quod quantò crebrius est, tantò istæ feliciores, quæ ne plurimarum quidem exempla secutæ sunt. Fertur & omnium Christianorum laude celebratur, quidquid fuerat nuptiis præparatum, à sancta Christi Sinoride virgini traditum, ne sponso fieret injuria; immo ut dotata pristinis opibus veniret ad sponsum; & quod in rebus mundi periturum erat, domesticorum Dei sustentaret inopiam. Ad Demet. de Virgi. serv.*

III. Utque ne cui videatur sibi Hieronymus, suoque assentari Monastico instituto; illud hic non intempestivè addam ibidem eum vehementer exardescere in eos, tum Clericos, tum Monachos, qui agros agris addebant, & calamitosissimo tempore, quo laici levandis pauperibus res suas divendebant, illi suas amplificabant. *Ut erubescat omnis Ecclesiastici ministerii gradus, & cassa nomina Monachorum, emere prædia tanta nobilitate vendente. Ibidem.* Eodem judicio & ardore animi cæteri Ecclesiæ Doctores & Magistri patribus illis irreligiosis irascuntur, qui sibi perire putant, quidquid non perit in sæculo: qui filiis nihil annuunt iis, qui bene uti norunt: nihil non annuunt iis, qui bonis quibuslibet pessimè utuntur, & quæ potuerant esse æternæ felicitatis pretia, faciunt sibi certissimè damnationis instrumenta. Cum denique sanctissimi illi Patres ita censerent, qui liberos habent, eos Christum inter liberos & hæredes conscribere debere: hinc satis apertum est, quo loco vellent haberi filios religionem professos. His porro, ut opinor, sanctorum Patrum concionibus ita animabantur fideles, ut nihil verendum esset, ne filiis profitentibus necessaria subtraherent vitæ subsidia. *August. de decem Chor. c.12. In Psal.48. De diversi. Serm.49. 528. De Temp.76. 205. 237. Salvian. L.3. ad Eccles. Chrysost. ad Rom. ho.18. In Evang. Joan.84. Basil. Epist.204.*

IV. Si jam revolvamus animo, quæ fuerit conditio, quæ progressio religiosi status in Ecclesia, certissimè comperietur non potuisse eum paternis arceri hæreditatibus. Prioribus enim tribus sæculis cum nulla adhuc essent extructa Cœnobia, viduæ, virginesque & Diaconissæ, quæ se Deo devoverant, paternas incolebant ædes, eademque sorte, qua cæteri liberi & alebantur, & legitimam aliquando tandem hæreditatis portionem capessebant. Quarto demum sæculo exædificari cœpta Monasteria, sed nihilo tamen minus bene multæ bujusmodi Sanctimoniales in paterna hospitabantur domo cum proximis, vitamque ibi totam traducebant. Itaque & illæ suo ordine hæreditatem sortiebantur. Quæ tum in Cœnobia se abdebant, non eo deteriore erant deinceps conditione, quo ampliorem profitebantur perfectionem. Erat etiam tunc Christus earum sponsus, & quidem dote dignissimus amplissima.

V. Inde est quod Regiæ & Imperatoriæ leges, ejus excipiendarum hæreditatum Monachorum & Monialium Cœnobiis integrum illibatumque servarunt, de quo nemo controversiam illis fecerat ante extructa Cœnobia. Lege Burgundionum, quæ à Gregorio Turonensi, *L.2. c.33.*, Gundebaldo Regi tribuitur, & cujus tamen concinandæ partem aliquam sustinuit Sigismundus Rex Catholicus, Sanctimonialibus tertiam partem addicit hæreditatis, si unum, aut alterum fratrem habeant; & pro eodem modo, si plures: *De puellis, quæ se Deo voverint, si unum duos fratres habuerit, tertiam jubemus ut portionem de hæreditate patris accipiat, &c. Tit.14.* Certè ex hac lege usufructu solo gaudebant Moniales paternæ hæreditatis, sed maternæ successionis fundos ipsos, & siquid sua sibi industria acquisissent, in potestate habebant. Prohibiti sunt ab Imperatore Justiniano parentes, avocare filios à Clero, vel à Cœnobiis, aut hæreditate orbare, si sæeris devoverent se his institutis; quartam denique saltem successionis partem eis addicere jussi sunt. *Ut non liceat parentibus impedire, quo minus liberi eorum volentes, Monachi, aut Clerici fiant, aut eam ob solam causam exheredare. Sed si ipsi testamentum condant, necesse habento, quadrantem illis relinquere. Sin autem hoc non fecerint, locus sit ab intestato,* Si à Clero, vel à Claustro postea resiliant, eorum bona eidem Ecclesiæ, vel Cœnobio adjudicantur. *Quod si illi Monasteria, aut Ecclesias relinquant, atque mundani fiant, omne ipsorum jus ad Monasteriorum, aut Ecclesiam pertinet. Cod. l.5. De Epi. & Cler. Leg.54. 55.*

VI. Ex his illud concluditur perfacile & perexpeditum fore, Cœnobia nunc omnia ad antiquum illum usum revocari nihil expetendi, si & cæteræ quæ tum vigebant leges & consuetudines in integrum restituerentur. Quantò enim compendiosius esset ad temporalem Monachorum & Monialium sustentationem, si vel juxta Sanctos Patres eadem illis portio hæreditatis addiceretur, quàm si à sæculo non secessissent, consecuti essent; vel convenienter Legibus Imperatorum quarta hæreditatis parte, seu legitima portione non frustrarentur? Proximè abest à vero incuria harum regularum legumque desuetudine factum esse, ut ad has angustias Monasteria maximè puellarum adigerentur, ut cum oneri ferendo non essent, à profitentibus poscerent, quo professæ sustentarentur.

VII. Quod ad legem Burgundionum attinet, sic ibi paterna, maternaque successio segregatur: & hujus non ususfructus tantùm datur, sed tota ejus alienandæ, & Monasterio cum mobilibus omnibus transcribendæ potestas. *Ea conditione, ut post obitum illius, quæ fœmina & sanctimonialis est, quidquid in usufructu de paternis bonis percepit, ad proximiores parentes pertinent; nihil illa exinde alienandi potestatem habitura, nisi forsitan quod ex matris bonis, id est, vestimentis, vel ornamentis, aut ex suo potuerit labore conquirere.* His liberaliores etiam Justiniani leges, & Monasteriis secundiores.

VIII.

VIII. Quanquam autem prohiberetur quidquam exigi, non tamen obversabatur oculis, nisi paupertatis Monasticæ studium, & temporalium abdicationis amor; de simonia vix aliquid suspicabantur. Fateor simoniam à Gregorio Magno perstrictam exagitatamque fuisse, ubi vel à Clericis, qui ordinarentur, vel à virginibus, quæ consecrarentur, exigi quidquam vetuit. Sed sermo non erat tum illi, nisi de consecratione Virginum solemni, quæ Episcopo integra servabatur, & sacro ritu suo proximè ad Clericorum ordinationem accedebat. Nulla ejusmodi consecratione decorabantur Monachi, nulla Moniales, nisi Virgines, ac ne Virgines quidem omnes, nisi eam ætatem & maturitatem adeptæ, de qua alibi nos copiosissimè. Posterioribus sæculis geminæ hujus Professionis discrimina plerosque fefellerunt, unde & utrique illini posse visa est simonia. Certè ubi Cassianus, *L.4. c.4. 5.*, causas investigat, quamobrem Tabennenses Monachorum omnium longè olim præstantissimi, ne spontanea quidem dona Profitentium admitterent, ac ne primas quidem vestes, de studio vitandæ simoniæ verbum facit nullum. Placuisse tantùm ait, circumcidi ansas omnes superbiendi, & resiliendi aliquando è Cœnobio, spe improba repetendi à Cœnobio, quæ intulissent.

IX. Recurrit animo, quod recentiori Scriptori, viro doctissimo, & religionis laude commendatissimo visum est de dotibus Monialium. Cum enim animadversum ab eo esset, B. Gregorium censuisse, Virigantio Monacho maternæ successionis partem aliquam adsignandam esse, cum in Monasterio aleretur, nec posset operari: *Ut expensus Virigantio in Monasterio, quo electioni vacat, & laborare non potest, parum aliquid de substantia matris suæ dare debuisset.* Addit mox, quidquid à Profitentibus accipitur, eam quasi tacitam esse concordiam, & compensationem hæreditatum, quæ Professis obtingere possent. Cum enim juxta leges penes Monasteria ipsa sit jus succedendi, permodica exigitur pecunia, & ita copiosis hæreditatibus renuntiatur. In his ne umbra quidem simoniæ, nec nisi quædam avaritiæ sordes aspergi possent Cœnobiis opulentis, quibus aliunde redundant opes alendis Monialibus necessariæ. *Ante Professionem Monachi cum parentibus, aut aliis consanguineis de hæreditate stipulantur, accipiuntque quid præsentis & modici pro grandi futuro. Non itaque de Monastici ingressus aut professionis, sed de spectantis ad nos hæreditatis pretio paciscimur, ubi nulla vel species est simoniæ. Opulenta & fratrum suorum sufficientem sustentationem habentia Monasteria, ad summum de avaritia notari possunt. Lupus in Can.19. Synod.7. L.7. Ep.1.*

CAPUT LII. *P.3. l.3. c.11.*

De Simonia in Professione Religiosa sub Imperio Caroli Magni & ejus stirpis.

I. II. Facillimum erat à Profitentibus nihil exigi, quandiu liberum fuit Cœnobiis hæreditates adire. Capitularium libri quidquam exigi prohibent.

III. Nulla cupiditate stimulabantur Principes, qui id vetabant.

IV. Utcumque tenues essent Monasteriorum reditus, nihil exigebatur.

V. VI. Numerus definiebatur pro modo proventuum, etiam in Cœnobiis Canonicorum & Canonicarum, quibus patrimonii sui jus usúsque permittebatur. Forsan ne pensio quidem pecunia ab his accipiebatur.

VII. In his rarissima simonia mentio.

VIII. Ad mensuram proventuum definiebatur à Regibus & Episcopis numerus Profitentium.

IX. Magno tamen numero erant Monachi.

X. In Oriente simoniæ infamia inuri videntur, qui à Profitentibus exigunt. Cur?

XI. An jure paternarum hæreditatum uterentur tunc Monachi & Sanctimoniales.

I. ERat omnino non modò æquissimum, sed etiam facillimum, à profitentibus Monasticam Religionem, nihil tum quidem extundi; cum postea non tantùm possent obtingentes capessere hæreditates, aut hæreditatum portiones: sed ne fraudari quidem iis unquam possent semel professi, ne ob illa quidem crimina, quibus se quis ante Professionem obligasset.

II. Statim à Carolo Magno id sancitum est, ne quid ab ineuntibus Religionem exigeretur. *Ut nullus Abbas pro susceptione Monachi præmium quærat.* Id verò confirmatum est à Concilio Francofordiensi. *Audivimus quod quidam Abbates cupiditate ducti, præmia pro introeuntibus in Monasterium requirant. Ideo placuit nobis & sanctæ Synodo, ut pro suscipiendis in Sancto Ordine fratribus nequaquam pecunia requiratur, sed secundùm Regulam Sancti Benedicti suscipiantur. Conc. Gall. Tom. 2. p.156. Can.16.*

III. Nemo tum nisi valde excors suspicari potuisset, ab Imperatoribus & Regibus hæc Edicta promulgari, ne publicæ opes aliquando omnes in Ecclesiæ & Cænobiorum æraria confluerent. Cum ex adverso Imperatoriæ leges in Oriente, & Capitularia Regum atque Imperatorum Francorum in Occidente, non sinerent tantùm, sed & invitarent ad nova identidem incrementa Christi patrimonio adjicienda. Adde tunc quoque in more positum fuisse, ut Monasteriis penuria laborantibus non aliunde magis succurreretur, quàm ex fisco Regum, sive fundi largiendi essent novi, sivè quotidianis necessitatibus consulendum. Plura ad id alibi congesta sunt argumenta; unum hic ad cumulum addo, quo liqueat, non eò adductos esse Principes, ne puram & gratuitam velint esse professionem, ut plus æquo Cœnobia ditescerent, sed defæcatissimo studio purioris disciplinæ. Accipe Canonem Concilii Remensis II. anno 813. sub Carolo Magno. *De Monasteriis puellarum considerandum est, & domni Imperatoris misericordia imploranda, ut victum & necessaria à sibi Prælatis consequi possint Sanctimoniales, & vita & castitas secundùm fragilitatem sexûs diligenter provisa tueatur. Can.33.*

IV. Hinc emergit & illud, in quo non minus momenti sit. Tam accisæ & exhaustæ quandoque res erant Monasteriorum, ut inexhaustam ad Principis munificentiam necessariò confugiendum esset. Nec segniùs tamen instabatur, ut ne quid extunderent à sacræ Professionis candidatis. Non potest non admirationi & amori esse, utinam & imitationi, tum illa Principum magnanimitas & munumifica manus, qui vel in tenuioribus Monasteriis prohibebant diligentissimè, ne quid exigeretur, etsi non nescirent sua ex arca eorum indigentiæ mendicatum iri solatia: tum ipsarum religio Monialium, quæ quanquam necessariis destitutæ alimentorum præsidiis, gratis tamen novas admittebant, & professionis ac paupertatis suæ socias.

V. Ne tamen Principum beneficentiæ onerosa aliquando essent Cœnobia, cautè in Conciliis provisum est, ut ne plures ad Professionem accederent Canonici, vel Canonicæ, Monachi vel Moniales, quàm quos Cœnobium alere posset. Hinc Concilium Arelatense VI. anno 813. *Ut non amplius suscipiantur in Monasterio Canonicorum, ut-*

quo

que Monachorum, ſeu etiam puellarum, niſi quantum ratio permittit, & in eodem Monaſterio abſque rerum neceſſariarum penuria degere poſſunt. Can.8. Quod ipſum conſtitutum eſt anno eodem in Moguntino Concilio, *Can.*19., in Remenſi II. *Can.*27. & Turonenſi III. *Can.*31.

VI. Idem Canonicis præſcripſit eorumque Cœnobiis Concilium Aquiſgranenſe anni 816. etſi nec patrimonio illi, nec hæreditatibus renuntiarent. *Ne plures admittant Clericos, quàm ratio ſinit, & facultas Eccleſiæ ſuppetit; ne ſi indiſcretè & extraordinariè plures adgregaverint, nec ipſos gubernare, nec cæteris Eccleſiæ neceſſitatibus, ut oportet, valeant adminiculari.* Can.118. 120. Perſpicua cum primis eſt difficultas regendæ nimiæ multitudinis. At ejus alendæ onus vix objici poterat iis, qui proprio gaudebant peculio, & cum ſuo ſe ſumptu alere ſponderent, nullo paupertatis prætextu abigi poterant, ne admitterentur. Video tamen reponi poſſe hunc viguiſſe uſum, ut Canonici, quibus vel Beneficia Eccleſiaſtica, vel patrimonia abundabant, à Cœnobio alerentur nihilominus, & ſumptum ipſi de ſuo non facerent, niſi ad alias neceſſitates quaſlibet. Id perſpicuè docet, qui alibi depromptus eſt Canon Concilii Aquiſgranenſis. Si quid etiam mendoſi additamenti in eum Canonem irrepſit, id eo conſilio factum eſt, ut uſui poſteriori Canon accomodaretur. Ita fortaſſe placuerat, ut una & eadem veſcendi ratio ab omnibus retineretur, & ne pecuniariæ quidem penſiones à divitibus Canonicis accipiebantur, ne exinde geſtirent, & efferrent ſe ſupra alios, aut peculiari aliqua prærogativa gaudere vellent. Facilè, ut ſpero, his aſſentietur, qui duos hujus Concilii Canones ad marginem indigitatos, & quæ nos alibi in eos commentati ſumus, ſeriò expenderit. Hoc autem ita conſtituto, jam utique neceſſe erat defigi numerum Canonicorum pro ratione proventuum; ne ultra modum excreſcente numero etiam eorum, qui penſionis aliquid ſolverent, jam difficiliùs & operoſiùs regeretur exuberans illa multitudo. Ideo forſan & duæ rationes iſtæ unà ſubjectæ ſunt.

Nec ſecus in Cœnobiis Canonicarum: ultra præfinitum numerum pro redituum modulo, neſas erat plures admitti, ex eodem Concilio. *Can.*8. 9. *Tot, taleſque admittant Sanctimoniales, quæ & morum probitate commendentur, & Eccleſiaſticis rationabiliter poſſint ſuſtentari ſtipendiis.* His verbis *Eccleſiaſticis ſtipendiis* innui videtur nullas penſionis titulo, adeoque nullas admiſſas eſſe ſupernumerarias, ſive ultra præſtitutum numerum. Uſu enim mollienda ſunt nobis hæc verba. Sanè Canone ſequenti agitur de iis, quæ res ſuas Cœnobio dabant omnino, & de iis, quæ uſumfructum ſibi ſervatum volebant; & denique de iis, quæ ſua ſibi retinebant: de iis autem, qui penſionis aliquid conferrent, litera eſt nulla, ne apex quidem. Simile veri eſt ergo, ob rationes hîc libatas, necdum eas penſiones uſitatas fuiſſe. Itaque cum omnes in Cœnobio alerentur, numerum earum definiri neceſſe erat. Dixi moris fuiſſe, ut alerentur omnes, propterea quod in ea triplici Canonicarum claſſe, de prima tantùm ſancitur, ut omnia prorſus neceſſaria adminicula ſuppeditentur iis, qui ſe ſuaque omnia Cœnobio addixere, ne retento quidem uſufructu. *Si aliqua res ſuas proprias Eccleſiæ ita contulerit, ut nihil ex his ſibi proprium vindicare, ſed tantùm rebus ſuſtentari velit Eccleſiæ, huic ſufficienter in congregatione ſtipendia largiantur neceſſaria.* Nempe aliis, quibus res erant ſuæ, alimenta tantùm ſuppeditabantur, ob eaſdem rationes atque Canonicis.

Si nihil autem exigeretur vel fundorum, vel penſionum ab iis Canonicis utriuſque ſexûs, quibus patrimonium ſuppetebat, forſan & beneficium, ſed gratis prorſus in Congregationes has pias inſcribebantur; quantò certius eſt, nihil tum extorqueri ſolitum ab iis, qui Monaſticam inſtitutionem profitebantur.

VII. Conſtitutionibus profectò in his omnibus, tam Canonicis, quàm Imperatoriis, ſimoniæ vix ulla uſquam habetur ratio; illud verò inculcatur frequentiſſimè, declinandam avaritiam, elidendam cupiditatem, totum in merito & virtute ponendum, pietati jam perpauculum loci fore, ſi quid pecuniæ ſinatur exigi. *Quidam Abbates cupiditate ducti, præmia expetunt;* ut ſuprà monebat Concilium Francofordienſe. Et Carolus ipſe Magnus in Capitularibus: *Ne paſſim Epiſcopus multitudinem Clericorum faciat, ſed ſecundùm meritum, vel reditum Eccleſiarum numerus moderetur.* L.6. c.125. Conventus ipſe generalis Abbatum ſub Ludovico Pio anno 817. *Ut nullus pro munere recipiatur in Monaſteria, niſi quem bona voluntas & merita commendant.* Can.75. Nec neſciebant tamen illi forſan, nec nihili pendebant rationes ex ſimonia petitas: ſed alias ſuo ævo graviores & magis ponderandas exiſtimabant.

VIII. Refero me ad gratuitam Profeſſionem, & ad numerum Profitentium. Anno 868. Carolus Calvus in Capitulari ſuo Compendienſi, Miſſis ſuis præceperat, ut Catalogum ſibi deſcriberent & ad ſe perferrent, omnium cujuſque Cœnobii Canonicorum & Monachorum, Sanctimonialium & Canonicarum: ut re cum Epiſcopis & Regni Conſiliariis diſceptata, ſtatueret, minuendus, an augendus is eſſet numerus, ut facultatum modo conſentiret. *Numerum Canonicorum & Monachorum, ſive Sanctimonialium uniuſcujuſque loci deſcribant, & nobis referant, ut ſecundùm qualitatem & quantitatem loci, cum conſilio Epiſcoporum & fidelium noſtrorum, ubi minor numerus fuerit, noſtra authoritate addamus; ubi verò indiſcretione Prælatorum ſuperfuerit, ad menſuram redigamus. Append. Baluz. ad Lup. pag.*514. Ea recenſione opus erat, poſt evaſtatas à Normannia Provincias complures. Idem conſtitui fecere Ludovicus & Carolomannus Reges, avi ſui Caroli Calvi veſtigiis inſiſtentes, in Concilio ad Sanctam Macram in Diœceſi Remenſi. (Fimes.) *Can.*4. Ipſa eadem verba uſurpata ſunt Caroli Calvi.

Id ergo curæ erat Regibus & Epiſcopis, ut rerum & fundorum Monaſteriorum ſubinde cenſum fieri juberent, ut ei numerum aptarent Monachorum, vel Canonicorum, pro rerum modo augendum, vel extenuandum, habita etiam ratione ejus numeri, qui ſuperioribus ſub Regibus obtinuiſſet. Ita Carolus Calvus reſcire voluit, quàm numeroſa fuiſſent Cœnobia ſub Carolo Magno & Ludovico Pio. Quanquam enim premeretur ille magnis undique anguſtiis, non tamen aſſenſus eſt unquam, aut vel in mentem venire ſibi paſſus eſt, ut Cœnobia, vel Monachorum numerus minuerentur: ut, nec Monachorum Congregationes, quamlibet inopia urgente, adduci potuere, ut quidvis exigerent à ſacri inſtituti ſui tyronibus.

Penes Epiſcopum erat, ut ea poteſtate uteretur augendi, vel contrahendi numeri in quolibet Cœnobio, cum id Canones præciperent, quorum ipſi executio demandata erat. Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis apud Flodoardum, *L.* 3. *c.* 27., dans literis ad Abbatiſſam Avenacenſem, cui manſi erat mille ſupra centum & quinquaginta, eam facit certiorem communicato ſe cum Regina conſilio ſtatuiſſe, ut in ejus Cœnobio alerentur Clerici viginti, Moniales quadraginta, præter ſervos & miniſtros. *Pro ordinatione Avenaci Monaſterii, quam ipſe quondam cum Irmiatrude Regina diſpoſuerat, de numero Clericorum & Nonna-*

vum, atque de rebus villarum ipsius Monasterii, videlicet mille centum quinquaginta mansis, significans se disposuisse viginti Clericos, & quadraginta Nonnas ibidem consistere posse, victumque eis providisse, &c. Angilbertus Abbas Centulense Cœnobium trecentis Monachis constare voluit, & centum parvulis scholas frequentantibus, præter servos. *Spicil. Tom. 4. pag. 469.*

IX. Erant ergo in Cœnobiis Monachi magno numero, erant & eorum agri, fundique copiosissimi, ut facilè in ea rerum copia nihil exigerent à profitentibus; quanquam & ubi exaruerat ea ubertas, ab exactionibus ejusmodi non paulò plus, quàm ab inopia ipsa abhorrebant. Si animo denique repetas, quæ superius ex Adelardo decerpta fuere, Monachos suos alloquente, & adversùs nimias opes animante, perspicuè intelliges Cœnobia, quæ militiam, & dona Regibus subministrabant, ad sui sustentationem non eguisse, ut à profitentibus aliquid nummorum exculperetur.

X. Perlustranda nunc nobis obiter Ecclesia Orientalis, ubi Concilium VII. Generale pœnam depositionis intorquet in Episcopos, Abbates, & Abbatissas, qui pecunia pandi patientur januas Claustrorum, vel Ordinum, præter divinas leges, & decreta Concilii Calchedonensis. *In tantum inolevit avaritia facinus in Rectores Ecclesiarum, ut etiam quidam eorum, qui dicuntur religiosi, viri ac mulieres, obliviscentes mandatorum Domini decipiantur, & per aurum introitus accedentium, tam ad Sacrum Ordinem, quàm ad Monasticam vitam efficiant. Unde fit, ut quorum initium improbabile est, omnia sint projicienda, ut magnus ait Basilius. Can. 18.* Eo ergo in Concilio citra dubium in Simoniacorum classem referuntur, qui pro ingressu & professione Cœnobiorum pecuniam emungunt; cum ejus flagitii & Sacrorum Ordinum nundinationis nulla hic sit discrepantia. Ipsa Monastica professio apud Græcos illis erat sacris ritibus vallata, ne dicam de Ordinatione Abbatum, qui propius accederent ad Sacras Ordinationes, quàm apud Latinos: ideo forsan & apertius apud illos damnata & profligata simonia est, à quibuslibet Cœnobiis.

At ex eodem ipso Canone Concilii VII. mox liquet, etsi nihil exigeretur à profitentibus, ipsosmet tamen in Cœnobia sponte sua contulisse, quidquid vel labore & industria sua corradere potuissent, vel paterna hæreditate consequi; usque adeo ratis & inconcussis his donationibus futuris, ut revocari omnino non possent, ne ipsa quidem Monachi defectione, nisi ea culpa in Abbatem refunderetur. *Porro quæ filiis à parentibus dantur, more dotis, vel si quæ ex propriis rebus acquisita offeruntur; profitentibus his, qui ea offerunt, Deo dicata, definimus, sive perseveraverint, sive exierint, manere ea in Monasterio, secundùm repromissionem ipsorum, nisi fuerit culpa Prælati. Ibidem.*

Nonnullos Balsamon memorat frivolis calliditatibus & inanibus distinctiunculis duas fecisse Monasteriorum Classes, quorum in aliis vita Cœnobitica observaretur, in aliis sejunctim singuli in Cellulis degerent, aliquo tamen fraternitatis vinculo devincti. Canone superiori priores tantùm illos constringi, ex eorum sententia, non hos posteriores, quibus simoniæ macula aspergi non possit, quod non tonsura ibi emeretur. Monastica, sed convictus & societas. *Eo quod in fraternitatem recepti, victum emunt, non jus tonsuræ.* Sed eam doctrinam proscriptam fuisse, quòd nihil inter hos discriminis constituatur Canonicis institutionibus. *Audierunt id in omnibus Monachis intelligi, eo quod Monachorum & Monasteriorum non sit differentia ex Canone.*

XI. Unum restat hic obiter extricandum, alibi copiosius pertractatum, An Caroli Magni tempore & ejus stirpis in Gallia, Abbates & Abbatissæ, Monachi & Moniales obvenientes adirent hæreditates. Unum hic stringam exemplum, quo tamen possit nodus ille solvi. Refert enim Flodoardus Eurardum Marchionem Romæ impetrasse dono sibi dari corpus B. Callisti Papæ & Martyris, tumque in prædio quodam suo Cœnobium ejus nomine extruxisse. Eo mortuo ad Rodolphum Abbatem filium ejus devoluta est ejus prædii hæreditas, qui & unà simul res omnes obtinuit Monasterii. Rodolphus ante mortem hæreditatem suam transcripsit in Ecclesiam B. Mariæ Remensis. Ei testamento intercessit ejus ex sorore nepos. Interpellavit ea de re Formosum Papam Fulco Remensis Archiepiscopus, obtestatus ut testamentum confirmaret, & anathemate eos percelleret, qui Ecclesiæ suæ commodis adversarentur, & juribus. *Evrardus Monasterium in prædio constituit. Quod prædium post ejus obitum ad filium ipsius Rodulphum Abbatem hæreditario jure devenerit; qui res ipsas simul cum memorati Martyris gleba, vita sua diebus absque ulla contradictione tenuerit, & de sæculo migraturus easdem res cum Monasterio Remensi Ecclesiæ delegaverit, eandemque rerum suarum hæredem instituerit.* Habes hic Monachum, qui hæreditatem adit paternam, eam obtinet, dum vita superat, appetente morte testamento eam legat.

CAPUT LIII. *P. 4. l. 3. c. 14.*

De Simonia in profitenda Religione ab anno millesimo ad millesimum trecentesimum.

I. Monachis suo quodam modo beneficiatus est, nec potest ob eam rem ex Sanctis Patribus & Conciliis intervenienti pecuniâ quisquam Cœnobitis adscribi.

II. Contextio Canonum in eandem rem, maximè ubi extimescenda fuit multo magis simonia, postquam in Officia Claustralia secti fuere reditus & fundi Cœnobiorum, Monachique ipsi permittente Abbate peculium habere cœpere.

III. Rursum Conciliorum Canones, maximè adversùs simoniacas Monialium professiones.

IV. Cur prisca Concilia tam diligenter refragarentur, posteriora tam facilè assentiantur doti Monialium. Non jam ferè in Beneficiis computantur Monachorum & Monialium loca.

V. Olim pro numero Monachorum adsignabantur à fundatoribus reditus, ideo & certus erat numerus. Invitabantur & inopes ad amplexandam religionem. Hinc illa sollicitudo, ut gratuiti essent aditus.

VI. Posteriorum Conciliorum Canones. Vetito nequid exigeretur, paucissimi ad professionem admitti cœpere, ac plures ali non possent. Tum urgere Concilia, ut priscus numerus retineretur.

VII. Cum vetuissent Concilia, ne quid exigeretur ab iis, qui idoneis Cœnobii reditibus ali possent; utque gratis admitterentur, quo ali possent, tum indulgere cœpere, ut & supernumerarii admitterentur, si quid afferrent rei, vel pecuniæ, ad alimenta.

VIII. Exspectari poterat in prohibendo, nequid exigeretur, ut frænaretur Abbatum quorundam immodica cupiditas augendæ Congregationis suæ; cum plerumque tamen non ea essent pietatis, ac numeri incrementa.

IX. Vetitum est & quidquam exigi, quod qua pecuniam secum adferebant, invehèrent & ægritudines, sibi cæterisque onerosas.

X,

X. Qui S. Thomas Aquinas accomodabat ad usum sui avi, concedebat à supernumerariis aliquid exprimi, non ut professionis pretium, sed ad alimentorum expensas. Ei distinctioni lux infunditur.

XI. Mira super eadem re B. Bonaventura doctrina.

XII. Ut simoniacos sugillat Vuillelmus Parisiensis Episcopus parentes eos, qui filios suos religionem professos rei familiaris portione defraudant.

XIII. Quàm copiosa tunc essent spontanea oblationes.

XIV. Doctrina Petri Cantoris.

I. UT in Beneficiorum Ecclesiasticorum album relatæ sunt Abbatiæ, non aliter, quàm Episcopales Cathedræ; ita & in Beneficiariis Monachos, non aliter, quàm Canonicos numerare fas est. Religiosam professionem Clericali Ordini conglutinarunt Canonici Regulares; suisque illi in Cœnobiis & institutis apertissimè declarant, quàm verè Congregationes, tum Canonicorum, tum Monachorum, tum Canonicorum Regularium cœtus sint Beneficiariorum. Ideo & Concilium Melfense anni 1089. cum probibuisset pretio distrabi Episcopatus, Dignitates Capitulorum & Canonicatus, statim ad Abbates defluit, eosque vetat quidquam à profitentibus exigere. *Nullus Abbas pretium exigere ab eis, qui ad conversionem veniunt aliqua placiti occasione præsumat.* *Can.*7. Concilium Romanum anni 1099. sub Urbano II. iisdem verbis eundem Canonem innovavit. *Can.*17. Concilium Londinense anno 1127. pecuniarias explosit exactiones in admittendis Monachis, Canonicis & Monialibus. *Exactiones certas pecuniarum pro recipiendis Monachis, Canonicis & Sanctimonialibus condemnamus.* *Can.*3. In Concilio Turonensi anno 1163. vetitum est quidquam exigi à Monachis admittendis, à Capellanis instituendis, à Prioribus, Abbatibus, aliisque Beneficiariis Regularibus. *Probibemus, ne ab omnibus, qui ad Religionem transire voluerint, aliqua pecunia requiratur; & ne Prioratus, aut Capellania qualibet Monachorum, aut Clericorum annua distractione vendantur, neque ab eo, cui regimen ipsarum committitur, pro earum commissione ullum pretium exigatur. Hoc autem simoniacum esse Sanctorum Patrum authoritas declarat.* *Can.*6. *Extra. De Simoniac. c.*8. Quę exactiones eædem summoventur in Concilio Londinensi anno 1175. *Nullus Prælatus in recipiendo Monacho, vel Canonico, vel Sanctimoniali pretium sumere, vel exigere ab his, qui ad conversionem veniunt aliqua pacti occasione præsumat. Si quis autem hoc fecerit, anathema sit.* *Can.*8. Denique in Concilio Lateranensi anni 1179. sub Alexandro III. censoria inusti sunt nota, qui vel exigerent quidpiam, vel darent, ad receptionem Monachorum, Priorum, Obedientiariorum. *Monachi non pretio recipiantur in Monasterio. Si quis autem exactus pro sua receptione aliquid dederit ad sacros Ordines non ascendat. Is autem, qui acceperit, officii sui privatione mulctetur. Prioratus sive Obedientia pretii datione nulli tradantur. Alioquin & dantes & accipientes à ministerio fiant Ecclesiastico alieni.* *Can.*10.

Patet hinc manifestè, communem eam esse omnium Beneficiorum legem, Prioratus, Obedientias, Monachos, Canonicos & Moniales complexam, & ab iis omnibus quaslibet nundinationes proscribentem; ut in illis dispensandis una dominetur pietatis & virtutum contemplatio. Rescripsit Alexander idem III. Papa ad Ludovicum VII. Gallię Regem, orans, ut Monachos Abbatiæ Trenorchiensis in varia dispergeret Regni sui Cœnobia, juberetque necessariis vitæ præsidiis, ne destituerentur, dum ea Abbatia, ubi quatuor, aut quinque tum non amplius Monachi degere sinebantur, emergere posset ex voragine veluti quadam æris alieni, quo depressa fuerat. *Fratres prænominata Ecclesia per regni tui Monasteria facias recipi, & ad tempus eis necessaria provideri.* *Append.* 2. *Epist.*89. Non hic agebatur de Monacho ad Regis preces, vel Imperium admittendo, sed de sustentandis aliquandiu Monachis pene omnibus ejus Cœnobii, cujus res omnes funditus eversæ & absorptæ essent. Plus satis utique ponderis erat ad id evincendum in Pontificis & Regis authoritate. Ex Concilio Parisiensi anni 1212. constat à Pontifice rescriptum fuisse ad Archiepiscopos & Episcopos Regni omnes, ut simoniacis Monachorum professionibus obviam irent. *De ingressu Monachorum simoniaco licet habeamus speciale mandatum domini Papa ad Archiepiscopos & Episcopos per totum regnum Francia, quid in hoc articulo benè sufficere potest.* *Part.*2. *c.*1.

II. Qui Officiis & Administrationibus Claustralibus præerant, ii Cœnobiorum jam cœperant prędia & reditus inter se partiri; & quamvis mera illis administratio commendaretur ad publicas Monasterii necessitates, nulla iis venia facta, ut ad suos usus quidquam derivarent: magno tamen erant in pretio & honore ea Officia, nec à paucis ea illecebra ductis ambiebantur, tanquam opima Beneficia. Eo enimverò lenocinio adducebantur avari & ambitiosi complures, qui nec doctrinæ, nec virtutum suffragiis freti, pecunia irrumpebant in Monasteria, spe adipiscendorum aliquando ejusmodi Officiorum; interim etiam lucelli alicujus pergustandi, quod privati abdicatio peculii ab ipsis jam Monachis minus observaretur. Hinc est, quòd Canone X. Concilii Lateranensis III. duo hæc placita in unum contexuntur, ut ne pretio admittantur Monachi, utque ne peculio sinantur gaudere. *Monachi non pretio recipiantur in Monasterio, nec peculium permittantur habere.* Eodem verò Canone peculium permittitur Monachis, quos Abbas præfecerit Administrationibus Claustri. *Si peculium habuerit, nisi ei ab Abbate pro injuncta fuerit administratione permissum, à communione removeatur altaris.* Denique hoc Canone prohibetur, ne Prioratus & Obedientiæ pretio distrahantur. Hæ Obedientiæ illæ ipsæ sunt, quæ Administrationes, & Officia Claustri dicebantur. Nec Priores nisi Administratores erant. Si Administratores, Priores, Obedientiarii à stricta peculii abdicatione non descivissent, vix quisquam emptor advenisset. Quę eadem observari possunt in Canonem paulò antè laudatum Concilii Parisiensis. *Nullus omnino Regularis proprium habere præsumat. Priores tamen & Administrationem habentes, de generali licentia Prælatorum suorum ad communem usum habere possunt ea, quæ pertinent ad suam Administrationem.* Reliquo ejus Canonis contextu indulgetur Monachis, ut ad suos usus pauxillum rei retineant, non sine Abbatis assensione. Hæc rima, ut suspicor, in dies magis magisque dilatabatur. Et hinc conjicias de Officialibus & Administratoribus ipsis. *Claustralis quoque aliquid modicum habere potest ad suum usum, ita tamen si Prælatus suus ei specialiter dederit, vel concesserit.* Expostulatur etiam in hoc ipso Concilio, quòd in Cœnobiis decreverit numerum Monachorum, cum nibil decerptum sit de annuis reditibus. *Indignum nimis est, quod in quibusdam Prioratibus numerus Monachorum diminuitur, vel annibilatur, cum facultates non sint imminuta.* Quod argumento rursus est Priores proprietarios, seu proprii peculii studiosos jam fuisse. Canone mox sequenti vetatur, ne Clericis, vel Laicis vendantur Prioratus: *Prioratus nulli Clerico, vel Laico liceat emere in vitam suam.* *Can.* 26. Hinc rursus liquet propriæ rei cupiditatem jam in Monachos illapsam fuisse. Denique ut omnes stirpitus fibræ eliderentur avaritiæ & simoniæ, exi-

exigi vetuit Concilium vel epulas, vel vestes à Profitentibus, vel nummorum quidquam. *Præcipimus sub pœna suspensionis, ne ab ingressuris Claustrum, vel pastus, vel vestimentum exigantur, neque denarii, &c. Can. 27.*

III. Concilium IV. Lateranense anni 1215. damnata simonia in collationem Beneficiorum illabente, mox ad Monasticas utriusque sexûs Professiones delabitur. Vicem dolent hujus Concilii Patres omnium penè Monialium, in quarum Cœnobiis ea lues grassabatur, vano & fucato paupertatis obtentu. Cœnobiis ejiciendas posthac decernunt, quæ eo se flagitio inquinarint, & in alia austeriora compingendas Monasteria, ubi perpetuæ addicantur pœnitentiæ; quæ hactenus autem ita admissæ fuere, eas vel in alia traducendas Monasteria, aut ad novam in eodem Professionem eliciendam; ubi & in extremas sedes rejiciantur. *Quoniam simoniaca labes adeo plerasque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, prætextu paupertatis volentes hujusmodi vitium palliare. Ne id de cætero fiat penitus prohibemus, statuentes, ut quæcumque de cætero talem pravitatem commiserit, tam recipiens, quàm recepta, sine spe restitutionis de suo Monasterio expellatur, in locum arctioris regulæ, ad agendam perpetuam pœnitentiam retrudenda. Can. 64.* Hoc eodem decreto constringuntur Monachi & Canonici Regulares. *Hoc etiam circa Monachos & alios Regulares decernimus observandum.* Diœcesani jubentur Episcopi hæc decreta quotannis publicare, ne quis possit sibi ignorationis prætextu blandiri. *Præcipimus, ut Diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas Diœceses publicari.*

In Concilio Oxfordiensi anno 1222. vetitum est, ne Monasteria, quæ extrema etiam penuria conflictarentur, & quæ nec vestes tyronibus suppeditarent, quidquam ultra pretium vestium exigerent à Profitentibus. *De cætero pro receptione alicujus in domum Religionis pecuniam, aut quidquam aliud extorquere non præsumant, adeo ut si præ paupertate domus ingrediens debeat vestire se ipsum, prætextu vestium ultra justum pretium earum, ab eo nihil penitus recipiatur.* Jussi sunt ab eodem Concilio Episcopi, omni industria & virium contentione incumbere, ut honestè rebus Monasterii sustentarentur Moniales, & ne admitterentur ullæ, donec ad præstitutum numerum devenissent. *Provideant Episcopi, quod Moniales in omnibus necessariis competenter sustentari possint de bonis Monasterii; nec sustineant ultra numerum aliquam admitti; nec etiam suscipiatur aliqua, quousque redacta fuerint ad numerum illum. Can. 64.*

IV. Permirum illud videri possit, hæc Concilia generalia & particularia, hos Pontifices & tot Episcopos tam constanter & tam conspiratè detonuisse in Cœnobia Monialium, etiam tenuissima, quæ quidvis extunderent à Profitentibus; cum posteriori hac ætate, ut infrà prodemus, Concilia ipsa, & Episcopi longè sanctissimi consenserint, Cœnobia Virginum, ut quæ rarò abundent, plerumque deficiant idoneis proventibus, posse non admittere ad Professionem puellas, ultro advolantes, nisi earum saltem pleræque conferant, quo & ali possint, & vestiri. Hujus nos dudum nodi torquet perplexitas, cui extricandæ Canones, & Decreta, & Consuetudines Ecclesiarum perscrutamur, ordine temporum utcumque servato. Diximus jam Canonicos Regulares, & Monachos, Moniales & Canonicas in classes Beneficiariorum recenseri, eoque nihilo plus pecunia admitti eos potuisse, quàm pretio comparari Beneficia. Utque non sinebant Canones à quoquam collata pecunia fundari, & quasi construi novum Beneficium, quo idem ipse mox investiretur: ita nec Monachi, aut Monialis locum dotari à quoquam, qui in eo mox ipse collocaretur. Exigi enim aut dari quidquam à Profitentibus, perinde est ac fundari dotarique regulare Beneficium, quo statim fundator ipse investiatur. Postremis verò his temporibus non ita certè persuasum fuit omnibus, loca Monachorum, nedum Monialium, Beneficiis adscribenda esse, quæ ne tum quidem pecunia parari possent, cum ea tota in victum & vestitum consumenda pecunia est. Qui olim vigebat rigor, justissimis laudibus celebrandus erat, & tum quidem necessariò retinendus; quod nonnisi digni admitterentur, cum gratis admittebantur: ubi meriti vicem implebat pecunia, facilè minùs dignis patebant Cœnobia. At ex adverso postrema hac tempestate austerissimo examine ponderatur vocatio admittendarum Monialium, quanquam non admittantur in tenuiora saltem Cœnobia, nisi vel res, vel reditus offerant, tolerandæ vitæ non impares.

V. Ex eodem rursus Oxfordiensi Canone affulgere videtur novi rursum luminis aliquid, quo proposita illustretur difficultas. Nimirum in ipsa fundatione defigebatur numerus Monachorum & Monialium, ad redituum scilicet modum admetiendus. Quot ergo loca, tot Beneficia erant fundata, dotataque, quæ gratis implenda essent: ut nec ulli præterea admitterentur, nisi & novæ aliquid fundationis accederet. *Nec sustineant ultra numerum aliquam admitti.* Complectebatur ea lex omnia prorsus Beneficia, ut gratis conferrentur, & ne epulum quidem Cœnobio exhiberetur die Professionis. Ea enim de causa reos egit, suspenditque Alexander III. Abbatem & Seniores ejus Cœnobii, quòd epulas à Profitente exegissent, quanquam ejusmodi jam consuetudinem contenderent invaluisse. *Monachi triginta solidos, Abbas verò decem, & familia duodecim pro pastu postularunt, asserentes hoc esse de consuetudine Monasterii. Extra. De simon. c. 19. 25. 30.* Sancivit Clemens III. ut Monachi & Canonici, quorum Professio simoniæ vitio claudicaret, in alia amandarentur Monasteria durioris disciplinæ, ad subeundos pœnitentiæ labores. Si nescii fuissent ipsi simoniæ, voluit ut Monasterio renuntiarent, & tum rursus in illud revocarentur. Cum enim loca illa omnia, sicut & quævis Beneficia, à fundatoribus ipsis idoneam dotem sibi illigatam haberent, in ea asciscendi erant digniores quique, non ditiores. Archiepiscopo Cantuariensi præcepit Innocentius III. rescito in perlustranda Diœcesi, compertum ab eo fuisse virus simoniacæ pestilentiæ, quo omnia propemodum Monasteria afflata essent: *Ita quod in eis multi pretio sunt recepti, qui potius gratis recipi debuissent, imò etiam ad Religionis observantiam invitari.* Præcepit, inquam, Canonum ut rigorem distringeret in Monachos, qui ita professi fuissent, & in Abbates, à quibus admissi essent ad Professionem. Pulcherrimè admonet eo loco Innocentius, quo consilio fundata sint, vel Cœnobia, vel Monachorum in Cœnobiis loca, nempè ut proliciantur fideles ad pœnitentiam & ad religiosi secessus sanctitudinem. Quos enim incendit zelus & ardor Religionis, iis ad hoc connitendum est, ut à sæculi contagie plures abducant, perducantque ad cælitum vitam in Cœnobiis initiandam. Atqui non alliciuntur homines ad Claustra frequentanda, quin abiguntur, si non patent fores nisi pecuniæ. Hic certè scopus, hic fructus est fundationis & dotationis & conditionis Cœnobiorum, & Ecclesiasticæ Episcopalisque sollicitudinis, ut gratuitus & omnibus obvius sit ad ea aditus. *Gratis recipi debuissent; imò etiam ad Religionem invitari.*

VI. Addit verò idem ibidem Pontifex, accipi posse quod ultro offertur à Profitentibus. *Illud tamen gratanter recipi potest, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum. Ibi. c. 41.* In alio verò Decreto

Ro-

ftomachatur Innocentius idem III. in Episcopos, qui à Nobilibus, vel à Clericis, Cœnobio se cuiquam dicantibus emungere aliquid volebant. *Cum miles, aut Clericus domum Religionis ingreditur.* Episcopales istæ exactiones Monasteriorum aditus coartassent, quæ dilatari & complanari potius debuerant. Probibuit Bonifacius VIII. ne Monialium non mendicantium Cœnobia plures admitterent, quàm quas suis proventibus alere possent, irrita cæterarum Professione. *Districtius inhibemus, ne in Monasteriis Ordinum non mendicantium aliqua recipiantur de cætero in sorores, nisi quot poterunt de ipsorum Monasteriorum bonis, sive proventibus absque penuria sustentari. Si secus autem fuerit, irritum decernentes. In Sexto. De statu Regular. c.1.* De solis Monialibus, & quidem de non mendicantibus hic agitur. Minùs enim à simonia deterrere Mendicantes, aut earum præfigere numerum tunc laborabant. Nec enim definiebatur numerus ad mensuram redituum, nisi ne quid invitis exculperetur in ingressu Religionis; ecquid autem exigeretur, ubi nihil possidere, sed mendicare profitebantur; Ita Mendicantium tunc numerus definitus non fuit, quòd eorum sedes Beneficiis accenseri non possent.

Cæteris verò Regularibus in hac parte molestus esse non potuit hic Pontifex, cum sæculi XIII. Concilia in Cœnobia toties exarserint, quòd in Prioratibus jam priscus non retineretur numerus Monachorum, in diesque decresceret. Cum Canones enim & Decreta, quorum hîc sylvam conjecimus, simoniam funditus à foribus Claustrorum summovissent: eadem prorsus avaritia, quæ turpissimis hic exactionibus grassata diu fuerat, aliàs artes tentare cœpit, suo semper serviens ingenio, suis fordibus inhærescens, nimirum sedes vacare passa, quibus implendis fundatores agros suos addixerant. Ita numero decrescente infra fundationis leges Abbatum cupiditas idem assequebatur, quod priùs eodem amplificando ultra, quàm diffinitum esset. In Concilio Salmuriensi anno 1253., jussi sunt Episcopi Regulares compellere, ut pristinum impleant numerum Monachorum, nec Ecclesiæ abstinere fulminibus, dum morem gerant. *In Prioratibus Monachis, aut Clericis conversis, suppleatur antiquus numerus Monachorum. Can.19.* Concilium Nannetense anno 1264. *Cum cultus divinus minui non debeat, sed augeri, statuimus ut in Prioratibus non minuatur antiquus numerus Monachorum. Can.1.* Concilium Londinense anno 1268. *Districtè præcipimus, ut in singulis Monasteriis, & in iis præcipuè, quæ sunt Ecclesiæ Cathedrales, servetur antiquus numerus Monachorum. Can.50.* Quo Canone non dissimulatur eam numeri extenuationem ab avaritia profectam esse. *Nulla debet avaritia, &c.* Concilium Veromanduense, *Can.4.*, anno 1271. & Pont-Audemarense, *Can.12.*, anni 1279. idem confirmarunt Decretum, ut probiberent Episcopi minui numerum Monachorum, ex quo & divinus minuebatur cultus præter voluntatem eorum, qui res suas ea lege Ecclesiæ contulissent.

VII. Sed postquam desudatum est sæculo XI. & XII. ne quid à Profitentibus exigeretur: postquam sæculo XIII. certatum est, ut ne decresceret numerus cujusque Cœnobii pro modo facultatum definitus: superest ut excutiamus, an acquieverint Synodi Pontificesque, ut expleto numero definito, admitterentur & alii, qui collatis suis rebus, & quasi stipendiis suis Ecclesiæ & Claustris militarent. Explosa est in Concilio Salmuriensi anni 1276. Abbatissarum quarundam ratio, sordidis inquinata cupiditatibus, quæ dotes nuper Professarum retinebant ipsæ quidem, at Professas ipsas ablegabant ad Prioratus alios, ubi redundaret etiam jam numerus Monialium ultra proventuum patientiam. *Bona, quæ hujusmodi personæ secum afferunt, totaliter retinentes, easdem vacuas in locis ipsis, seu Prioratibus ad hoc quandoque non sufficientibus ultra debitum numerum frequenter instituunt, sibi lucrum ex integro, & prioratibus totum onus nimis inæqualiter partientes. Can.6.* Tum jubet Concilium, ut dotes Monialium ad ea transferantur Cœnobia, ubi ipsæ vitam agent. *Statuimus, ut illi loco, seu Cœnobio, in quo persona hujusmodi causa perpetua moræ fuerint instituta, bona quæ tempore suæ receptionis habebunt, totaliter applicentur.* Habes hîc perspicuè Moniales ultra præstitutum Cœnobio numerum, *ultra debitum numerum*, quæ ea alantur dote, quam ipsæ contulerunt. In Concilio Langeacensi anno 1278. statutum nihilominus est, ut Abbates, vel Abbatissæ, Priores, vel Priorissæ *ne plures recipiant, quam ex locorum facultatibus competenter poterunt sustentari. Can.11* Præceptumque Episcopis, ut numerum admetirentur reditibus. *Certum instituant numerum personarum, prout pensatis locorum facultatibus viderint expedire.*

Sed cum fas esset accipere, quidquid liberè, sponte, gratisque offerebatur, si expleto earum numero definito, quæ gratis admittendæ essent, aliæ post adventarent, & pietatis illustria, & cœlestis vocationis insignia præ se ferentes, dotem idoneam, vel pensionem ultro offerrent, qua sustentari possent: ecquis ambigat, eas ad Professionem admissas fuisse? Nec enim nisi invidiosas exactiones detestati sunt Canones; spontaneas oblationes repudiari vetuere servorum, servarumque Dei augescere multitudinem magnopere expetiere; nec numerum certum diffinitum voluere, nisi ut ne eo ultra modum exaggerato, antiqui proventus exinanirentur, quod utique reformidandum non est, ubi qui ultra numerum accedunt, rerum suarum adjectione Cœnobium levant magis, quàm gravant. Nec dubitari fas est, quin Monachorum & Monialium augendus fuerit numerus, quoties Profitentium voluntariis, vel aliorum quorumvis opimis oblationibus, reditus jam multò pinguiores esse incipiebant. Quin ergo supernumeraria quævis cum pinguiori sua dote admitteretur, cum plus satis augescerent Cœnobii proventus ad unius adjectionem?

In Concilio Coloniensi anni 1310. perspicuum est admitti Moniales, cum patrimonii sui portione aliqua, à parentibus & cognatis sponte oblata, post emissam Professionem. *Ne in ullquo Monasterio in admissione, vel receptione Monachi, seu Sanctimonialis pecunia exigatur; vel pro receptione talis personæ ad Religionem pacta, conditiones, aut conventiones de pecunia vel alia re temporali ipsi Religiosi faciant, quovis nomine, vel colore ad hoc quæsito. Sed id, quod ex post facto parentes & amici personæ receptæ pro eleemosyna & devotionis nomine absque pacto liberè contulerint, recipere valeant: dum tamen id fiat purè & simpliciter sine fraude. Can.28.* Non vetat Concilium tot admitti Monachos, Monachasque, quot præstò erunt: dum tessera adsit legitimæ vocationis, dum ne quid paciscantur, & voluntariæ sint oblationes omnes, & ne ipsæ quidem fiant, nisi post celebratam Professionem, facessente hinc fraude quavis, & ludificatione.

VIII. Aperuit Petrus Venerabilis, quàm justis ab ortu suo de caussis Carthusiani nollent numerum Monachorum in Cœnobiis sui ultra duodecim assurgere, cum decimo-tertio Priore. Religio illis erat excrescente eo numero, exilire extra eos agrorum limites, quos sibi paupertatis studio præscripserant. Agrorum enim incrementa augmenta quoque fieri sollicitudinum, servorum, negotiorum, quibus se vinculis expeditos, cœlo, Deoque vacare vellent. *Et ut non esset eis quandoque necessarium, vel plus terræ quàm dictum est, possessioni suæ ad-*

*addere, aut numerum jumentorum suorum vel pecorum augere, duodecim tantùm Monachos cum decimo-tertio Priore ac decem & octo Conversis paucisque mercenariis, nullo prorsus superaddito in sui Ordinis Monasteriis esse perpetuò decreverunt. Bibl. Clun. p.*1329. Nec alia Hugoni Victorino insederat animo sententia, de multitudine nimia, & de paucitate, diverso hinc & inde, sed pari ferè periculo, cum interjectus, & quasi intermedius sit numerus duodenarius, ab imminente hinc & hinc discrimine tutissimus. Nimiam multitudinem hæc consectantur mala. Tumultuatio, litigia, dissipatæ mentis ludibria, sollicitudines, magnarum opum comites individuæ. *Qui multos congregant, necesse est ut eorum victui multa quærant. Sed dum quærunt plura, crescit exteriorum cura, sparguntur fratres, soli inter sæculares habitant, nolentes pati fraudem, sed judicio contendere parati. De Claustro animæ l. 2. c. 2.* His sanè rationibus impellebantur Concilia; ut iterum iterumque prohiberent, ne plures, quàm pro reditibus ad Professionem admitterentur, & ne quid exigeretur à Profitentibus. Impotentissimè ex adverso quidam Abbates ambiebant augeri in dies gregem suum; eo impellebantur, ut & res agrosque aggerarent sibi; præter fas denique à Profitentibus exigebant, quo auctior ille jam numerus sustentari posset.

IX. Alia quoque ostenditur ratio, cui non parum probabilitatis concilient nostri hujus ævi experimenta, ex Constitutionibus Ordinis Cluniacensis, anno 1200. compilatis, cura Hugonis V. Abbatis Cluniacensis. *Bib. Clun. pag.* 1459. Prohibetur quemquam pactione admitti, vel pecunia, & omnino quidquam exigi. *Nullus pactione, seu pretio recipiatur.* Concesso, ut gratuita dona ne respuantur: *Sed si quis quidquam sponte obtulerit, non respuatur ejus devotio.* Sed mox non siletur, unde ea corruptela serpsisset, ex iis nimirum, quos sola animi & corporis inbecillitas ad claustra propelleret, ad quæ cum aditum sibi patefacere sapientia & virtute non possent, auro & argento fores perfringebant: Quod ea statuta in futurum prohibent. *Et quoniam ex susceptione debilium & inutilium personarum ista præcipuè pestis irrepsit, præcipimus ut nonnisi tales recipiantur in Monachos, qui apti sint servitio Dei, & non onerosi Fratribus, & inutiles Monasterio.* Planum est Religiosas Congregationes suæ ut plurimùm propagationis cupientissimas, non arctasse aut sepsisse objectis obicibus limina Claustrorum iis, quorum doctrina, prudentia, pietas spem faciebat gloriæ vel Cœnobii, vel Ordinis etiam amplianda. Ergo pecunia vexationem redimere, & eos obices pretio amovere non cogebantur, nisi qui non satis sustinere possent religiosæ vitæ observantiam, cujusmodi ferè sunt etiamnunc à quibus major pecunia & dos copiosior exprimitur.

X Sed cum spontanea hîc munera accipi permittatur, quæ postea ab Henrico I. Abbate Cluniacensi creato anno 1308. publicata sunt statuta, rationem commonstrant, qua id fieret. Prohibetur à Monachis & Monialibus quidquam accipi, cum iis pactionibus, quæ jure damnantur: *Inhibemus, quod aliquem Clericum monachandum, vel Domicellam, seu puellam velandam, seu monachandam pro pecunia, aut cum pactionibus, aut conditionibus à jure reprobatis recipere non præsumant. Ibi. p.* 1570. Jubetur ut præ oculis non habeatur, nec cordi sit, nisi pietas & salus animarum; sed profiteri cupientibus non taceatur inopia Cœnobii, quo invitentur secum suorum etiam aliquid ei addicere. *Licet decetque Monasteriorum & locorum Ordinis paupertatem & tenuitatem in facultatibus, si fuerint, allegare, ut iis expositis ingredi volentes nostrum Ordinem, voluntariè, purè & affectu pietatis excitentur ad dandum seu offerendum Monasteriis se & sua, vel certam bonorum suorum portionem cum congrua sustentatione Fratrum & Sororum, seu Monialium.*

Nec tamen hoc statuto expeditur, quod plus negotii nobis facescit, expleto numero gratis admittendorum, juxta proventuum modum, si qui alii admitti se flagitarent, an exhibita Monasterii paupertate, exigeretur aliquid ab eis ante vel post Professionem, & excluderentur, qui nihil rei vellent, aut etiam possent conferre. Si quid enim tum offerretur ab his supernumerariis, nonne id erat exigere, ubi admonebatur, citra imprudentiam admitti eos non posse, ubi ali non possent; Si gratis autem admitterentur, nonne injuria fiebat canonicis legibus, tam sollicitè prohibentibus, ne qui ultra numerum & supra modum redituum admitterentur? His nos forsan laqueis explicabat Sanctus Thomas. Fatetur enim exigi aliquid posse, ad alimenta nimirum, quæ aliunde sufficere non possent. Nec enim tunc pro ingressu exigitur Monasterii, sed pro alimentis. Quando verò aliunde suppeditat copia alimentorum, & exigitur tamen, exigitur tum sanè pro ingressu Monasterii. Germanissima est hæc summi Theologi, ut quidem opinor, doctrina, quanquam illum alii distinctione usum suspicentur subtili magis, quàm solida, ubi censuit exigi posse à Profitentibus, non ut pretium Professionis, sed ut Professorum alimenta. Quibus hæc sententia displicuit, vereor, ut satis in ejus sensum penetrarint. Esset enim indubitatissimè nugatoria verborum collusio, si ubi alimentorum & proventuum copia aliàs abundè suppetit, exigi aliquid diceretur, non ut Religionis Monasticæ pretium, sed ad alimenta Monachorum, vel Monialium. At ubi jam tot admissi sunt ad Professionem, quot ali possunt, si tum accedant supernumerarii, utique rejiciendi, si nihil offerant sua sponte: & admittendi, si quid offerant, quo sustentari possint: tum certissimè non ad Professionem, sed ad sustentationem exigitur. Eam autem esse B. Thomæ doctrinam, ex ejus verbis facilè intelliges, sua semper mirabilique perspicuitate nitentibus. En objectionem primò, quam diluit. *Religio est status spiritualis perfectionis. Sed in aliquibus Monasteriis aliquid ab his, qui recipiuntur, exigitur; ergo licet pro spiritualibus aliquid exigere.* En responsionem: *Dicendum, quod pro ingressu Monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium. Licet tamen, si Monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum Monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in Monasterio fuerit recipienda, si adhuc non sufficiant Monasterii opes. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4.*

Illud in primis adverte, paucissimis his verbis à Sanctissimo Doctore bis repeti, huic districtioni locum non fore in iis Monasteriis, ubi non decesset facultas alendi ejus, qui admittitur. Si aliàs enim suppetunt copiæ ad alimenta, utcumque mente & cogitatione confingas distinctiunculas nescio quas, & calliditates intentionis fucum sibi ipsi facientis, rem ita omnes tamen interpretabuntur, pro Religionis ingressu exigi quidvis, non pro alimentis. 2. Illud quoque adverte, non negari hîc, quin exigatur: sed illud contendi, quod non exigatur nisi cogente necessitate, cum non alia tum sit ratio obvia, alendorum Monachorum. Tum enim exigere & accipere, unum idemque est; quod tunc veterent Canones supernumerarium quemquam admitti. Cum prohibeant enim Canones quemquam tum admitti, offert ipse sua sponte; quo possit admitti. Nec verò Monasterium exigit, cum Canonibus obsequitur, eòque respuit, quem alere non potest, nihil offerentem: admittit quem offerentem jam alere potest. Volunt enim & hoc Canones, ut spontaneæ suscipiantur oblationes; utque tot admittan-

tur

tur Monachi, quot sustentari possunt. Atqui spontanea hæc est oblatio, & ejus doni author in Cœnobio ali jam poterit. Et illa ergo suscipienda est juxta Canones, & hic ad professionem admittendus. 3. Negare potuisset B. Thomas quidquam exigi à Monasteriis; cum non exigatur, quod ultro datur & accipitur. Sed alienum à se duxit summus Theologus, ubi de re conveniebat, de verbo controversiam facere. Præstabilius tamen est exigendi voce temperari, quòd ea malè audiat in canonicis institutis. Quin & certissimum est verè nihil exigi, sed spontaneas oblationes suscipi, etsi quis ad offerendum tunc denique animum adjecerit, ubi canonicam passus fuit repulsam, summotusque fuit à Cœnobio, ubi substentari non posset. 4. Denique hæc duo videtur sanctissimus Doctor constantissimè retinere, ut ea exigendi licentia non abutantur Cœnobia, nisi ubi ita cogit redituum annuorum penuria, majori impar numero: utque quod petitur, vel accipitur, sine pactione & conditione quavis accipiatur. Pactiones enim damnantur canonicis institutis, idque unum per B. Thomam licet, *accipere aliquid pro victu*. Spontanea est oblatio, etsi offerentem eò adduxerit justa repulsa.

XI. Quæ hîc à nobis enucleata sunt, his præsidii non parum accedet ex B. Bonaventura, Monialibus Sanctæ Claræ patrocinante, quas temerè proscindebant, quibus non placebat, eas non sine pecunia aliqua admitti. Purissima & alienissima est tota Bonaventuræ ratio à distinctiuncularum subtilium argutiis; ipse à terrenarum cupiditatum suspicionibus longè semotus. Ait porro Bonaventura, quatuor esse rationes admittendi ad Professionem. Primò nec cum pecunia, nec pro pecunia, sed una Dei charitate ob oculos posita, idque longè optimum & castissimum est. *Quadruplex est forma recipiendi ad ordinem qualemcumque. Prima quando aliquis recipitur nec pro pecunia, nec cum pecunia, sed purè pro Deo, sed ista est purissima coram Deo & hominibus.* Hæc Bonaventura in *Libello Apologetico, in eos qui Ordini Minorum adversantur. Quæst.* 18. Secundo, cum quis admittitur cum pecunia, non pro pecunia; nam etiam sine pecunia admitteretur. Idque maculæ etiam & suspicionis expers est. *Secundo quando aliquis recipitur non pro pecunia, sed cum pecunia; ita ut si nihil afferret, tamen reciperetur pro Deo. Et similiter hoc purum est coram Deo, sed cautè agendum coram hominibus; ne detur eis occasio scandali, & ne sit ibi affectus avaritiæ infectus ex spe lucri.* Hę verò cautiones eò demum redeunt, pactiones procul amandentur; oblata dona, velut piæ & spontaneæ erogationes suscipiant, de quibus nusquam conventum est. Tertia est cum quis admittitur, non pro pecunia, sed cum pecunia, aliàs non admittendus, quòd impar sit Cœnobium pluribus alendis, quàm qui jam posessi sunt, & quos æquum non sit necessariis fraudari alimentis, ut novi adgregentur; ita animo tamen comparatis Cœnobiorum Præfectis, ut & hos gratis admitterent, si res suppeterent. *Tertia quando quis recipitur non pro pecunia, nec tamen reciperetur sine pecunia, eo quod non habent aliter ei, qui eum recipiunt in necessitatibus corporis providere: cum tenues facultates domûs vix sufficiant jam receptis, nec ad eus audeant plures recipere, & istos suis necessitatibus spoliare; ita quod talis persona, quæ sic recipitur, si abundaret locus, sine pecunia reciperetur.* Quartò ubi quis pro pecunia suscipitur, non sine furtivo voto suspicientium, ut posset pecunia ipsius, non ipse suscipi. Qua simoniæ infamia nihil execrabilius. *Quarta cum aliquis recipitur amore pecuniæ, ita quod si possent illam pecuniam habere sine persona ista, non reciperent personam, sed ut habeant pecuniam, personam recipiunt: & hoc penitus impurum est & simoniacum, quia ibi pecunia causa est receptionis personæ, & non è converso.*

Hæc sanctissimi Doctoris sententia est, ex qua sunt quę elici hîc à nobis debeant 1. Esse verissimè simoniacas quasdam admissiones in Claustra, & Professiones, cum cupiditate pecuniæ, non charitate cælestis patriæ aguntur, qui suscipiunt, cum pluris faciunt dantis pecuniam, quàm ipsum dantem, & sempiternam ejus salutem; ubi denique aliàs indigni, admittuntur tamen pro pecunia, aliàs non admittendi, etsi opibus abundet Cœnobium. *Ubi ergo recipitur persona propter pecuniam, simonia est, quia ibi venditur spiritale, id est, consortium spiritalis societatis, pro temporali, scilicet pro pecunia.* 2. Hæc porro simonia frequentior est, quàm plerique existiment. Quæ enim Cœnobia inopia premuntur, in iis plerumque flagrat cupiditas pecuniæ, qua & paupertas levetur, & solvatur æs alienum, in iis admittuntur ad Professionem, quæ aliàs ejicerentur, & ejiciendæ essent; quod argumento est, eas pro pecunia recipi, pecuniam potiùs, quàm ipsas recipi. *Et hoc plerique faciunt, etiam ex mera inopia optantes aliquem venire cum pecunia, quem reciperent, ut eorum inopia repararetur, vel debita contracta solverentur, vel bona concupita emerentur, vel ædificia construerentur.* 3. Ut hæc pestilentissima à Monasteriis aura simonię exsufletur, illa una animo insidere & imperitare debet cupiditas, ut sæculi fæcibus eximamus, & in hos pietatis & pœnitentię sacros secessus abducamus, quantos poterimus, gratis admittamus, quantos per proventus Monasteriorum licebit; si eo expleto numero advolent alii ad fores Cœnobiorum, ex animo dolemus, quòd iis alendis jam facultas non adsit, spondeamus in vacantes primùm sedes, eos admissum iri: si offerant ipsi quo sustententur, delectet nos multò magis ipsorum pietas, quàm pecunia. *Ubi verò pecunia recipitur propter personam, quàm aliàs libenter reciperent, si haberent unde eam pascerent, non videtur esse simonia, dummodo forma cum intentione concordet.* Hanc tenebat sanctissima virgo Clara rationem suscipiendi Moniales cum pecunia, cum supernumerarias suspiciebat. *Et hoc modo sustinemus, quod Sorores Sanctæ Claræ recipiunt pecuniam cum personis, si quando oportet eas plures personas accipere, quàm de facultatibus Monasterii congruè valeant sustentari.*

Thomę Aquinatis & Bonaventurę suffragio accedet consensus B. Raimundi de Pennaforti. Recensentur ab eo pœnę canonicę in eos distringendę, quorum simoniaca fuit Professio. Sed fatetur ille tamen, ubi jam per inopiam Monasterii non licet novas admitti Moniales; si plures admitti abeant, posse eas moneri à Proposita, avere quidem se, sed inopia rei non posse eas admittere: quo purè & simpliciter peracto, si illę res suas secum offerant, posse admitti. *Credo quod possunt dicere, Non sufficiunt nobis: libenter suscepimus te ad spiritualia: ad temporalia non possumus, nisi habeamus plures possessiones; Et tunc ille offerat se & sua.* Ita Canonum ac decretorum compilator & interpres eruditissimus sanctissimusque. *Summa l.* 1. *Tom.* 1. *n.* 14. 21.

Assentitur & B. Antoninus nullas prorsus iniri posse pactiones pro ingressu Religionis, quantumvis pauperrimum sit Cœnobium. Cum in confesso id quidem sit apud omnes. *Etiamsi Monasterium sit tenue &c. penè secundùm omnes.* In opulentis verò Cœnobiis scelestum est non tantùm exigi quidvis, sed & vel verbo id tentari, etsi tantò vulgatior illa sit, quantò atrocior perversitas, ut plura exigant ditiora quæque Cœnobia. *Si Monasterium sit abundans, nullus debet ibi esse tractatus*

de

de temporalibus in receptione. Et hoc est contra communem abusionem, quia quantò Monasterium est abundantius, tantò volunt majores dotes. Summa Tom. 2. tit. 1. c. 5. n. 18. Addit posse tamen ultro oblata accipi; sed si primus & princeps accipientium scopus est, ut res accipiant temporales, clandestinam eam esse & mentalem simoniam, quanquam pactiones procul sint, & exactiones. Si verò admissa ad Professionem puella, jam detrectent proximi, & dare quidvis abnuant, quanquam comperta sit Cœnobii tenuitas; ex Cardinali Ostiensi jus & actio est Monasterio in proximos puellæ; cujus si jam pater vita excessit, potest portio idonea hæreditatis repeti, saltem legitima, qua spoliari nequit Monialis, nisi profitendo renuntiasset. *Quod si gratis recepta est puella, & parentes post Professionem nihil volunt dare Monasterio, cum tamen sit tenue: dicit Ostiensis quod possunt Moniales agere contra patrem pro alimentis filiæ: vel si est mortuus pater, agere possunt ad partem suæ hæreditatis. Non enim privari potest legitima per ingressum Religionis, nisi ipsa sponte juri suo renuntiasset.*

XII. A' proposito non deviabimus, aut non longè certè aberrabimus à via, si observata à B. Bonaventura simoniæ fallentis specie, & valde pertimescendæ Monachis & Monialibus: aliam indigitemus ex Vuillelmo Parisiensi Episcopo, quæ non minus exitialis Laicis immineat. Nempe si qui filios suos in Monasteria contrudunt, uno maximè stimulo cor spoliandi justa hæreditatis portione, eamque accumulandi liberis aliis inter sæculi ludibria vitam acturis. *Alii verò à parentibus & propinquis eo modo in Claustro projiciuntur, quemadmodum catuli & porculi, quos matres non sufficiunt enutrire, ut videlicet mundo non spiritualiter, sed ut ita dicamus, civiliter moriantur, videlicet ut portione hæreditaria priventur, & ad eos, qui sæculo remanent, devolvuntur, & quantum ad hoc simoniaca est ejusmodi projectio, immersio, vel intentio. De Moribus c. 9. p. 226.* Doctissimo Præsuli simoniæ affines visi sunt, qui aliorum ex natis Professione Religiosa, aliorum emunt in sæculo opulentiam & splendorem.

XIII. Tabellam expressit Goffridus Vindocinensis Abbas, sui ipsius, ut spero, certè Præpositi ab omni cupiditatum contage alienissimi, paratissimi semper ad pios & virtutis studiosos omnes admittendos; ad terrenas opes nauseantis; accipientis quod ultro datur, quoniam ita sancivit Regula B. Benedicti; cæterùm toto pectore ad paupertatis amorem propendentis: *Quoscumque honesta vita Clericos inveneritis, nobis transmittere non differatis. Plus in hominibus diligimus honestam paupertatem, quàm superbas eorum divitias. Quas si habuerint, respuendæ non sunt, habent enim & illæ locum suum: nihil tamen pro faciendis Monachis quærimus: sed si quid oblatum fuerit, quia illud Regula suscipi jubet, suscipimus. Ordo siquidem noster exigit, ut tales simus, qui non lucris temporalibus, sed lucrandis animabus operam demus. L. 4. Ep. 49.*

Finitimum autem verò est, spontaneas ipsas oblationes & frequentes fuisse, & cumulatissimas, & ex eo ditissimo fonte tantùm opum in complures Abbatias influxisse. Dum Diœcesin obambularet B. Hugo Lincolniensis Episcopus, reperto Cœnobio, ubi ultra mensuram proventuum creverat numerus Monialium, sanxit ut in posterum non essent nisi triginta tres Moniales, decem Sorores conversæ, duodecim Fratres Conversi, ad agrorum curam & cultum. *Duodecim Fratres Conversi ad opera ruralia exercenda:* tres Capellani: vetito ne quis ulteriùs admitteretur, *nisi propter manifestam domûs utilitatem;* ubi si voles, supernumerarias intelliges, pinguem dotem sponte afferentes. Sed illud commendatissimum voluit Sanctus Præsul, *Ne vir, vel mulier pro pecunia, vel re qualibet temporali recipiatur unquam ibidem ex pacto.* Cum juventa efflοreret adhuc B. Edmundus, postea Cantuariensis Archiepiscopus, sorores suas semovit à Monasterio, ubi à Profitentibus aliquid exigebatur. Exigebatur, ut opinor, vel citra necessitatem, vel cum pactione.

Anno 1100. præpotens & nobilis Occitanniæ miles Abbatiæ Sancti Pontii Tomeriarum prædium opimum concessit, uti hæreditariam filii sui portionem, quem ibi Monachum dicabat. *Pro hæreditate filii mei, quem Deo offero ad Monasticum Ordinem suscipiendum. Mona. Angl. Tom. 2. pag. 19. 481. Surius die 16. Novem.* Complusculа id genus occurrunt exempla, ubi ejusmodi dona paternæ successionis vices obtinent. In compilatione ad historiam Burgundiæ refertur vidua opulentum prædium contulisse Prioratui Abbatis Lamberti ad Ligerim, ea lege, ut filium suum aleret; si profitendi studio aliquando accenderetur, eum gratis admitteret. *Si verò Monachatus ordinem exposceret, pro hoc susciperetur.* Agri ergo etiam à parentibus dabantur filiis profitentibus. Anno 1205. Abbas Sancti Benigni numerum defixit Monialium, alicujus Cœnobii, ut triginta essent Moniales, sex Conversi, octo Conversæ; at Monialium ne numerus augesceret, cum nec Præbendæ essent nisi triginta. *Debent esse triginta. Moniales, nec plures ultra præbenda Monialium possunt ibi esse, &c.* Ergo Præbendis annumerabantur loca Monialium sufficienti dote instructa, ut mirum jam non esset, si citra simoniæ labem distrahi pretio non possent. *Spicil. Tom. 10. p. 263. Tom. 8. pag. 196. 366. Tom. 9. p. 158. Recueil pour l' histoire de Bourgogne. p. 29. 481.*

XIV. Quod hîc à nobis excutitur argumentum, in eo versatus est Petrus Cantor, ea diligentia & moderatione, cui accedere nihil possit, ut forma quædam hæc esse possit purissimæ disciplinæ. *Sic quod aliquis accedens ad Monasterium, vel ad Ecclesiam, dicat, Offero me & mea Ecclesiæ huic, vel Monasterio, ad serviendum in eo perpetuò, si sine distinctione recipitur, sanus erit ingressus ejus. Si autem plura quam oblata ab eo exigantur, vel si distinguatur inter sua & illum, ut sua scilicet sint causa, cur recipiatur; vitiosus erit ingressus. Si autem inter sua & illum distinguatur, ut scilicet ille sit causa, cur sua cum ipso recipiantur, sanus & licitus erit ingressus. De Verbo abbrev. c. 38.* Quasi dicat ubi se quis & sua Monasterio cupit addicere, sive Monachi illi sint, sive Canonici, non posse nisi scelestè ab eo plura exigi, quàm quæ offert, nec suscipi ipsummet posse, rerum suarum contemplatione. *Si autem Monasterium eguerit, ita quod offerentem se illi sine pecunia recipere non possit, vel sustentare, spiritualem fraternitatem ei concedat, non corporalem; vel in exceptionem paupertatis suæ, & sustentationem vitæ illius exigere potest ab eo ut eam recipiat, & temporales reditus, quibus tantùm sustentetur, dum vixerit. Quod si perpetuos exegerit, jam manifesta cupiditas vitiosum facit ingressum. Ex his autem liquet non debere construi, vel fundari aliquod Monasterium sine certo numero agrorum, pecorum, & personarum.* Hoc est, si egeat Cœnobium, exigi posse ab admittendo, non agros, non fundos, vel reditus perpetuos, sed annuas pensiones ad vitæ tempus, cum non aliter possit sustentari. Ex quo perspicis, quàm non condenda essent ulla Cœnobia, quin statim idonei reditus adsignarentur.

CAPUT LIV. *P.4. l.3. c.15.*

De eodem ab anno millesimo trecentesimo, usque ad hodiernam diem. An à Profitentibus Religionem exigi aliquid possit.

I. Concilia & Pontifices voluntarias oblationes probant, pactiones prohibent.

II. Concilium Senonense Monialium numerum defigit, supernumerarias cum pensione annua suscipi non vetat, ita ut pauperes semper admittantur ad numerum illum præfixum.

III. Decreta Concilii Tridentini, & aliorum ejus sæculi Conciliorum, ut admittantur Moniales sine pactione, & eo numero, qui reditibus atque statis eleemosynis consentiat. Inter eas eleemosynas locum habent dotes supernumerariorum. Argumenta ex Conciliis Mediolanensibus. Ut se in his gereret B. Carolus Borromæus, ex quo ediscas mentem Concilii Tridentini.

IV. Quàm innoxiam inierit B. Carolus rationem & artem, ut & pactiones abjicerentur, & nil inde periclitarentur Cœnobia.

V. Eandem rationem & viam tenuere alia quoque Concilia, aliique Antistites.

VI. Cur in Conciliis B. Caroli expressum non sit, tot admittendas Moniales gratis, quot ali possent ejus reditibus. Duplici via & ratione eodem pervenitur.

VII. Non dissonant à B. Carolo, & ejus Conciliis Decreta Congregationis Concilii, & Congregationis Regularium, qua dotes non à supernumerariis tantùm exigunt, sed etiam ab illis omnibus.

VIII. Decreta Conciliorum Galliæ post Concilium Tridentinum.

IX. Solvitur objectio, cur non possit quis erigere & dotare Cœnobium, quo mox ipse donetur; posset autem assignata dote erigi sedes Monachalis, ad quam quis statim admittatur.

X. Quid voce commodè *significetur.*

XI. Cur ferè excidisset animo, loca Monachorum dotata instar esse Beneficiorum.

I. Posterioribus his sæculis eliminandis pactionibus opera data est; non cohibendis spontaneis oblationibus, quarum in numero locabantur eæ, quæ tum collatæ essent, cum supra numerum statum, supra patientiam redituum novæ gestirent admitti Moniales. Anno 1429. damnata est à Concilio Parisiensi, *Can.15.*, simonia, cui stolidè patrocinabantur quidam præsidio consuetudinis, damnatis pactionibus, & conventionibus quibusuis. *Ex pacto, vel conventione nihil recipiant, si quid fuerit ex devotione oblatum, illud recipi minimè prohibemus*. Anno 1369. easdem proscripsit Urbanus V. pactiones, quod iis multi ab amplexanda Religione abalienarentur. *Quamplures tam execratione hujusmodi criminis, quàm expensarum onere à sacræ Religionis proposito retrahuntur. Extravag. Comm. l.5. c.1.* Cum is autem Pontifex prohibuisset simoniæ quosdam veluti ludos & oblectamenta, *pastus, prandia, jocalia;* mox donari sinit, quidquid sponte & sine pactione quis donare volet, *Purè & sponte, ac plena liberalitate, omnique pactione cessante.*

Laudatur in Bibliotheca Præmonstratensi Decretum Innocentii VIII. quo simoniæ labes à Monialibus abstergetur, propter earum juris imperitiam, exceptis causis duabus, cum pro admittenda Moniali paciscuntur, & cum minùs idoneas admittunt, spe illectæ temporalium commodorum. At eodem loco citatur Declaratio Clementis VII. quam subreptitiam & adulterinam confiteri pene necesse est. Qua nimirum eximuntur simoniæ suspicioni Moniales Franciscanæ, etsi paciscantur de iis, quæ necessaria sunt ad Monialium sustentationem. Si pactionibus non induunt se Franciscanæ in simoniæ laqueos, quid causæ erit, quamobrem cæteræ Moniales in eos incurrent? Omnium enim Monialium una causa, una vel ex imperitia excusatio est, vel ex cupiditate culpa. An possunt pactiones ipsæ eædem, his innoxiæ, aliis exitiales esse?

II. Mitto Synodum Frisingensem anni 1440. *Can.12.* Concilium Suessionense anni 1456. *Art. 5.* & Senonense anni 1485. ubi exactiones qualeslibet in aditu Claustrorum prohibentur. *c.3.* Sed omittere nefas Canonem Concilii Senonensis anni 1528. ubi vetantur Præpositæ Cœnobiorum, ne plures suscipiant, quàm quanta commodè alere poterunt ex proventibus Monasterii, subductis expensis necessariis in sarta tecta, in negotia, in lites. *Constituimus, ut in Monasteriis Monialium tot instituantur Moniales, quot de facultatibus eorundem, reparationibus Ecclesiæ, clausura & aliorum Regularium domorum, necnon & processuum expensis deductis, commodè & sine penuria sustentari possint. A quibus pro ingressu aut receptione nihil prorsus prætextu consuetudinis, aut quovis alio quæsito colore exigatur.* Si postea affluant aliæ, quæ profiteri cupiant, admitti & hæ poterunt, si pensionis aliquid afferant, qua alantur. *Si qua tamen ultra eas in hujusmodi Monasteriis se recipi petat, id non interdicimus, dummodo congruam secum afferat pensionem, qua cum cæteris Religiosis numerariis alatur. Can.28.* Quæ admissæ semel fuerint titulo, ut ita dicam, patrimonii, sive pensionis, supernumerariæ semper erunt, nec poterunt earum loca implere, quæ gratis admittendæ sunt: quibus fato suo fungentibus aliæ similiter gratis subrogabuntur. *Non tamen in locum numerariarum succedat, sed decedentibus numerariis aliæ novæ & pauperes subrogentur.*

Hoc Canone elegantissimè explanatur Ecclesiæ in his doctrina & voluntas, atque usus tum probatissimus. 1. Figitur certus gratis admittendarum numerus pro modo redituum, detractis expensis fabricarum, negotiorum, litium, servorum, & id genus complurium. Nec nimis parcè ac jejunè sumptus faciendi sunt in cujusque Monialis substentationem. *Commodè & sine penuria sustentari possint.* 2. Expleto numero gratis suscipiendarum, suscipientur & aliæ, si quæ advolent, supernumerariæ, non sine pensione. Ab his sanè nihil exigitur: non pactio, non conventio intervenit; sed cum jam gratis admitti aliquæ non possint, cum spontaneis oblationibus admittuntur. Id sensere, id sanxere prisca Concilia, ubi oblationes voluntarias respui vetuere. Cum enim ex his Conciliis suscipiendæ sint voluntariæ oblationes, etiam expleto gratuitarum Monialium numero, utique cum ea, quæ offert & seipsam, suscipiendæ sunt. Ita planum est ex Conciliis semper admittendas ad Professionem fuisse divites supernumerarias, expleto numero pauperum gratis admittendarum. 3. Is usus viguit prioribus Ecclesiæ juvenescentis sæculis, nulli ut Clero inscriberentur, nisi titulo Beneficii. Ante tempora Alexandri III. cæptum ferat titulo patrimonii aliquos ad Clericatum suscipi. Nec secus res habet in Monachis & Monialibus, quorum loca singula singulorum speciem præ se fuerunt Beneficiorum. Antiquissima consuetudine tot suscipiebantur, quot essent loca, seu Beneficia probè dotata, instar titulorum Clericalium. Postea autem consultius visum est, nec eos excludi à Claustris, qui semet cum

non impari patrimonii sui portione offerrent, velut ad dotationem Beneficii Monastici. 4. Illud magnopere refert mordicus retineri, ne loca gratis admittendarum dentur divitibus, cum agro, pecunia, pensione, sese offerentibus; sed pauperibus & gratis suscipiendis ea semper pateant, semper reserventur loca. Id Senonensi hoc Concilio disertis verbis sancitur, id superiora volebant Concilia in definiendo numero cujusque Cœnobii Monialium. Nec enim id moliebantur, ut excluderentur quæ oneri futuræ non erant: sed ut semper retineretur numerus pauperum, gratis susceptarum.

III. In Concilio Coloniensi anni 1536. vetitum est plures suscipi, quàm ali commodè possent. *Non debebunt plures suscipi, quàm congruè poterunt sustentari. Part.10. c.11.* Possunt ergo recipi, quæ fundum vel pensionem adferunt; ita enim demum fit, ut jam possit eas congruè Cœnobium sustentare. Anno 1563. vetuit Concilium Tridentinum, ne qua alterutrius sexûs Cœnobia plures ad Professionem admitterent, quàm ex reditibus & consuetis eleemosynis alere possent. *Is tantùm numerus constituatur, ne in posterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari. Sess.25. c.3.* In his eleemosynis computandæ sunt & voluntariæ oblationes, ac dotes Monialium, cum verè dotales ex sponte offerantur eleemosynæ. Itaque nec exigere, nec pacisci sinit Tridentinum Concilium, uti nec superiores Synodi; sed tot suscipere Moniales, quantis commodè sustentandis sufficient Cœnobii reditus & eleemosynæ. Unde illud existit Tridentinis Patribus fuisse duplicis generis Moniales, quarum aliæ ex Cœnobii proventibus, aliæ ex eleemosynis alerentur, & spontaneis donis suis, vel alienis. Ex quo & illud rursum emergit, gratis suscipiendas esse ad Professionem aliquas in Monasteriis, quibus certi sunt reditus, & pro horum redituum modulo. Vetuit denique Tridentinum, *Ibidem c.16.*, quidquam à Novitiis recipi toto tyrocinii tempore, præter vestes & alimenta: ne difficultate restituendi quæ ipsæ, vel parentes donassent, retardaretur, vel ipsarum ad discedendum, vel Monasterii ad eas ejiciendum libertas.

Anno 1565. Concilium Cameracense, *Cap.18. numer.12.*, prisca renovavit statuta, ne qua pactio interponeretur; nec prætexeretur inopia Cœnobii ad plures sine novo subsidio alendas, cum decreverit Tridentinum, ultra modulum redituum, & eleemosynarum plures admitti non debere. Jam enim eleemosynæ non sunt, ubi pactiones intercedunt. *Ne recipiant ad Professionem, mediante pecunia, aut muneris pacto.* Prohibentur denique in hoc Cameracensi Concilio, illæ lautiores epulæ, die Professionis jam usitatissimæ. *Vetat Sancta Synodus, ne ipsis Professionum diebus & Primitiarum, fiat lautus sumptus, lautu'que apparatus, quantus plerisque locis fieri solet, sed sint frugalia omnia & moderata.*

At B. Carolus Borromæus, quo non alius solertior interpres Concilii Tridentini, non alius obsequentior ejus sectator Decretorum, anno 1585. in Concilio Mediolanensi I. constituit, ut quo tempore religiosa veste induitur Monialis, deponeretur penes fidissimum custodem, Monialibus notum, summa pecuniæ, Cœnobio post Professionem donanda. *Quod verò Professione factâ eleemosyna gratia ad Professam sustentandam Monasterio datur, id quo tempore puella Religionis habitum suscipiet, apud virum Monialibus & earum Superiori probatum deponatur, ut nullo impedimento tum Monialibus præsto esse possit. Part.3. c.6.* Deponitur ergo pecunia ineunte tyrocinio, seu Novitiatu, non tamen Cœnobio numeratur nisi post Professionem: nihil hîc pactionis intercurrit; fidissimus custos pecuniam recipit, servat, peracta Professione tradit Cœnobio. Hæ sunt eleemosynæ, de quibus Tridentinum. Anno 1569. illud ipsum Decretum confirmatum est in Concilio Mediolanensi II. statutumque, ut ab Episcopo ipsa præfiniretur pecunia & eleemosyna dotalis, cuique assignanda Moniali, ad eam toto vitæ cursu sustentandam, sive agri, fundique, sive pecuniariæ pensiones assignarentur. *Episcopus præterea tum impensas æstimet, quæ & in Religionis ingressu & tempore Professionis fieri soleat, pro vestitu, aut pro aliis rebus ad ipsius puellæ & Monasterii usum commoditatemve pertinentibus. Tum pecuniæ etiam summam præscribat, quam puella alimentorum nomine Monasterio det: nisi census, aut alia bona immobilia, quorum annui fructus ejusdem judicio ad ea alimenta satis sint, Monasterio attribuantur. Ea autem omnis pecunia summa eo nomine ab Episcopo decreta, reipsa apud certum hominem & virum bonum deponatur, qui Professione confecta illam statim Monasterio tradat, ut decretum est superiori Concilio. Capita ad Moniales pertinen. c.2.*

Quibus visus est B. Carolus primus omnium excogitasse, atque invexisse dotales Monialium eleemosynas, ut ita demum supernumerariæ ad Professionem reciperentur: non illi vel verba expenderant, vel sententias superiorum Conciliorum. Quinquaginta circiter antè annis idem decreverat Concilium Senonense; à nobis verò demonstratum est, ante annos quadringentos ab hinc, vel quingentos, defigendo Monialium numero, & admittendis spontaneis donis Concilia longè plurima, idem voluisse, idem in mores invexisse. Perspicuè id approbatur ex Concilii Tridentini & Conciliorum B. Caroli Mediolanensium ætate suppari & vicinitate. Cum enim statuisset Tridentinum, consentaneè priscis Conciliis, præfigi numerum Monialium pro modo redituum & eleemosynarum: anno statim proximo in Concilio Mediolanensi I. quod ad executionem potissimùm Tridentinorum Decretorum congregaverat B. Carolus, decreta illa à nobis paulò ante relata promulgata sunt. Eò ergo collineabat Concilii Tridentini Decretum, eò & huic gemina antiquorum Conciliorum statuta conspirabant, ut illa numeri Monialium pro redituum quantitate diffinitio, nihil prohiberet, quin ablegatis pactionibus, reciperentur parentum eleemosynæ, & spontaneæ dotes Monialium. Nemo tam expers & tam rudis erit posterioris hujus ævi Disciplinæ Ecclesiasticæ, qui vel suspicari possit Beatum Carolum, decreta Concilii Tridentini vel intelligendo, vel exequendo assecutum non esse.

IV. Unum est quod commentatus sit B. Carolus cum Conciliis suis Mediolanensibus, qua innocua industria & solertia vitarentur pactiones & conventiones, nec discrimini tamen objicerentur Cœnobia plurium sibi ingerendarum Sanctimonialium, quàm sustentare possent: denique prohiberentur parentes & proximi nuper professarum, ne revocarent oblationes liberas & voluntarias, quas fecissent. At verò non abludit, Concilio Senonensi, & aliis suprà memoratis aliquid ejusmodi placuisse, quanquam id reticuerint. Primus omnino S. Carolus conceptis verbis rem edisseruit in duobus illis Mediolanensibus Conciliis, quorum posteriori nodum solvit, qui priori obstare videbatur. Poterat enim utcumque objectari Concilio I. Mediolanensi, speciem saltem quandam subesse simoniæ, & pactionis verbalis, si Præpositæ & parentibus puellæ priùs conveniret de pecunia, & tum ea deponeretur in manus fidelis administri. Eum scrupulum exemit alterum Concilium Mediolanense à nobis relatum, jusso Episcopo diligentissimè primùm explora-

rare, an puella Cœnobio, Cœnobium puellæ conveniat; qui sint etiam Cœnobii reditus, qui fundi: tum definire quantam pecuniam dotalem parentes deponerent in manus viri probi. Extremæ fuerit vesaniæ huic rationi, & constitutioni obtrectare duorum Provincialium Conciliorum, pauco post Tridentinum tempore habitorum, quæ admirationi & imitationi fuere Conciliis omnibus exinde in Gallia congregatis, & alibi terrarum. Insaniat necesse est, qui se Concilii Tridentini mentem speret assecutum feliciùs esse, quàm B. Carolum, qui totus in eo fuit, ut illud animo, illud pectori, moribus suis, Ecclesiæque suæ inscriberet, executioni mandaret, eoque præstantissimus deinceps audiret sacræ disciplinæ restaurator.

V. Video tamen mirari quempiam meritò posse, ecqui hæc duo Concilia disertis verbis non expresserint, unoquoque in Cœnobio tot gratis suscipiendas Sanctimoniales, quot ali possent commodè, subductis necessariis impendiis; & tum denique si aliæ quæpiam accederent, definiret Episcopus, qua pecunia, quanta dote deposita admitterentur. Id conceptis verbis suprà expressit Concilium Senonense anni 1528. Nec minùs perspicuè Stephanus Poncherius Episcopus Parisiensis in Constitutionibus iis, quas anno 1506. Benedictinis Monialibus commendavit, probatas priùs Ambosio Cardinali Legato Summi Pontificis. Edixit enim ut numerum determinatum semper implerent puellæ pauperes, gratis susceptæ; tumque si aliæ instent, admonendas esse, non posse se, & per Canones prohiberi plures admittere, nisi si quæ sponte velint aliquid vel fundi, vel annuæ pensionis secum inferre. Anno 1519. cum Cardinalis Pratensis Constitutiones sanciret Monialibus Sanctæ Crucis apud Pictones, persimile decretum inseruit. Is ipse fuit, qui præfuit Concilio Senonensi anno 1528. atque ita à vero propè abest, eam toto Parisiensi Episcopatu, adeoque & Provincia tota Senonensi politiam invaluisse. Nihil ejusmodi emicat in his Conciliis B. Caroli Mediolanensibus.

VI. Posset forsan aliquis non temerè respondere, geminum hoc Concilium prudentiæ Episcopi permisisse, an quidvis & quantum darent Novitiæ, vel parentes earum, ante ingressum Cœnobii. Ea enim potestate instructus Episcopus, si puella occurrat bonis destituta, virtutum prædives, & ejusmodi sit Cœnobium, in quo plures, quàm nunc sint, possint sustentari Moniales, gratis utique jubebit eam admitti. Si autem non abundent reditus Cœnobii ultra expensas præsentium Monialium, vetabit Episcopus, ne qua alia interim recipiatur supernumeraria, nisi aliquid afferat dotis, vel pensionis; pauperculas differet, donec vacuę sint sedes aliquæ. Ita deflexa Concilia Mediolanensia, & B. Caroli Decreta eodem revolventur cum Concilio Senonensi, & cuique Cœnobio tot includent gratuitas Moniales, quot ali commodè poterunt. Cavendum tamen sedulò nobis est, ne si eò flectantur hæc B. Caroli Concilia, à suo scopo deflectantur. Nam primum ex his Conciliis ea potestate, vel functione Episcopum non onerat, rem finit inter proximos puellæ & Cœnobium tractari. Alterum eo jure donat Episcopum & munere, sed jubet tantùm ab Episcopo præscribi pecuniam, vel terram à proximis dandam, & viro pio interim commendandam, donec edatur Professio. Ita si nullo utamur anfractu, nullo interpretationis longiùs petitæ circuitu, volunt hujus Concilii Patres, omnibus prorsus Monialibus ab Episcopo indici, quantam pecuniam, vel quantulam daturæ sint ipsæ, vel proximi earum, ut nec ulla admittatur penitus indotata.

Similius ergo forsan veri est, eò conferendos esse Monasteriorum reditus, non ut Monialium aliæ gratis omnino recipiantur, aliæ expensas suas omnes suppeditent: sed ut multò minus ab omnibus accipiatur, à tenuioribus nihil propemodum, moderante his omnibus Episcopi charitate & sapientia. Quæ nihil prorsus rei habent, eas moris est Conversarum in grege recipi, de quibus hic verba non facimus. Quæ verò Moniales confidant se fore, & sacræ intersuturas psalmodiæ, earum nulla est, cui non vel pauxillulum suppetat rei, cum Evangelica vidua uno aut altero minuto laudem splendidissimæ largitatis consecuta sit, ut quæ totum dedisset. Ex Conciliis ergo his Mediolanensibus Episcopalis est sapientiæ, multa charitate conditæ, minutissimas has admittere oblatiunculas candidatarum vitæ Monasticæ puellarum, majores ditiorum & pinguiores dotes recipere: quæ necessaria, quæ commoda sustentatio utrarumque prætereа desiderabit, ea ex communibus Monasterii reditibus adjicere; ditiores, quæ sint, eas hortari ad dotes ampliores conferendas, ut harum accedente abundantia, succurratur earum penuriæ, quæ minimum quid offerre possunt. Hæc verò tota ratio adprimè consentit verbis Conciliorum Mediolanensium suprà relatis, & in eundem scopum dirigitur Concilii Senonensis, etsi non eadem prorsus via. Nam Concilium Senonense alias Monialium gratis omnino admittit, alias nonnisi cum justa dote: cum Concilia Mediolanensia in omnes eas, aut ferè omnes refundant levamenti aliquid ex communibus Monasterii reditibus. Ingenia hæc sunt varia & multiplicia unius sincerissimæ semper charitatis. Hac duplici via ad idem caput venitur, ut gratis Monasterii reditus omnes impendantur, utque ne à Novitiis, vel earum proximis capiatur, nisi ubi communes Cœnobii reditus exaruerint. Denique sive reditus Monasterii aliis tantùm impendantur, gratis omnino alendis, sive omnibus prorsus, quæ suæ inde dotis angustias suppleri gaudeant, gratis omnia fiant, omnia ad Ecclesiæ, ad Conciliorum mentem, ad Canonum sanctimoniam temperantur.

Sunt & non pauca, quæ mirificè commendent methodum & rationem Conciliorum Mediolanensium, quæ nec à nobis præteriri fas est, qui laudibus B. Caroli favere nos propensissimè profitemur. Non vacabat forsan periculo illa inter Moniales approbata à Concilio Senonensi inæqualitas, numerarias alias, alias supernumerarias; alias nihil, alias totum conferentes. Hinc æmulatio & jurgiorum seges pullulascere poterat. Æqualitatem, adeoque & pacem invexit B. Carolus. Ex norma Concilii Senonensis poterat puella locuples inter numerarias admitti, si tum loca vacarent: unde & mox necesse erat tenues repudiari, vel differri, dum vacua sedes aliqua foret. At ex præscripto B. Caroli, puellæ divites ab Episcopo dotem conferre justam jubebantur; ex quo fiebat, ut pauperculæ post accurrentes semper admitterentur.

VII. Sed quorsum attinet diutius nos tuendæ B. Caroli, & Conciliorum Mediolanensium disciplinæ immorari, cum eis prorsus consentiant Declarationes Cardinalium Congregationis Concilii Tridentini. Et hæc quidem refertur Declaratio in Bibliotheca Præmonstratensi, *Pag.* 356., qua non video quid consonantius dici potuerit Concilio I. Mediolanensi. *Non vestiantur Moniales, nec admittantur ad habitum, nisi prius parentes, vel illi, ad quos earum cura spectat, promptam habuerint pecuniam pro dote, vel eleemosynam consueta, & illam deposuerint solvendam Monasterio post emissam Professionem: ipsisque Monialibus interim probationis tempore alimenta ab eis præstentur. He eleemosyna, sive dotes ante missam Professionem non solvantur Monasterio, nec aliqua obligatio, aut renuntiatio fiat, nisi juxta formam Concilii.* Dedita opera Congre-

gationis Patres ipsa adhibuerunt Tridentini Concilii verba, *Eleemosyna consueta*: ut hinc discamus consuetis eleemosynis, ad quarum modum determinandus est Monialium numerus, dotes etiam, sive eleemosynas dotales contineri, sive pensiones alimentarias Monialium.

Expostulantibus Majoricæ Insulæ civibus de Episcopo suo, qui Moniales suscipi probibuerat ad Professionem, nisi saltem ducentos auri ducatos in dote numerarent: refert Fagnanus à Congregatione Concilii statutum esse, ut ad Episcopum perscriberetur, ne quid de his statueret: si quid jam statuisset, id retractaret; sineretque plus minusve dotis addi sacris Virginibus, pro temporum & puellarum ratione ac facultate. *Nihil præcisè statuat, & si quidquam statuit, abroget: veruntamen pro qualitate personarum ac temporum, modò plus, modò minus bonorum Monasteriis tradi sinat. Fagnan. in L.3. Decret. Part.2. pag.216.* Addit idem Fagnanus, ab ea Congregatione, quę Regularium & Episcoporum negotiis præest, non admitti Fundationes ullas, nisi ad alendas Moniales duodecim; fundi, agrique dentur ii, ex quibus colligatur saltem reditus annuus trecentorum philippęorum, ac præterea Monialis quælibet dotalem secum afferat eleemosynam, sive terra aliqua, sive pensione adsignata. *Ac præterea requirat, ut Moniales secum deferant eleemosynam dotalem post Professionem in bonis stabilibus, vel in censibus perpetuis ac titulis investiendam.*

Et quanquam Congregatio Concilii percontantibus, An in numerariæ Monialis, quæ idem suum obiisset, locum posset subrogari, quæ dotem offerret, respondisset non posse: sed pauperem sufficiendam esse, & hanc, quæ dotem offerebat inter supernumerarias rejiciendam; quamquam hanc responsionem Pontifex ipse assensu suo confirmasset: re tamen postea accuratiùs consultata, cum experimento jam constaret, Cœnobia puellarum quamvis opulenta, diu consistere non posse, nisi novis subinde dotibus ac pensionibus foveantur; cum inopina incidant subinde damna, nec aliunde magis, quàm ex paupertate illabatur in Cœnobia puellaria morum & disciplinæ labes: Congregatio negotiis Episcoporum & Regularium præposita, statutum revocavit Congregationis Concilii, & ex authoritate Pontificum decrevit, ut in illis etiam Monasteriis, ubi ab Episcopis præstitutus esset certus numerus Monialium, pro modulo proventuum, numerariæ ipsæ dotem suam singulæ conferrent. *Congregatio super negotiis Episcoporum & Regularium, animadvertens Sanctimonialium Monasteria sine dotium subsidia diu sustineri non posse, & propter ingruentes necessitates & casus inopinatos plerumque ad inopiam redigi: summis Pontificibus approbantibus, prudenter sanxit, ut dotales eleemosynæ à Monialibus numerariis persolverentur, tametsi numerus esset taxatus ad mensuram numeri Monasterii. Ex penuria enim multa proveniunt mala, præsertim in Monasteriis dominarum, ut inquit Hostiensis.*

VIII. Nescio quid satis sit, si hæc copia non satis sit illustrandis Mediolanensibus duobus Conciliis, & decretis Sancti Caroli. Jam progredi nos æquum est ad Concilia Gallicana Tridentino recentiora. Concilium Remense anni 1583. satis manifestè assentiri visum est suprapositæ doctrinæ, ubi simoniacas declaravit extorsiones, si quæ fiant, ad fores Claustrorum; præ se tamen ferens necesse quandoque esse propter tenuitatem Monasteriorum, ut quæ profiteri cupiunt, rerum aliquid suarum conferant: at cum Tridentino præcipiens, ne plures ulli inscribantur Monasterio Moniales, quàm quantas reditibus & eleemosynis suis alere possit: denique justissimo encomio, commendatis nobilibus virginibus, quæ pinguissimas Monasteriis advehunt dotes. *Qui pro Religionis, seu Monasterii ingressu aliquid extorserit, simoniacus esse censeatur. Nam licèt opes Monasterii sint adeo tenues, ut vix ingredientem alere queant, eumque oporteat aliquando pro alimentis & vestibus aliquid Monasterio conferre tuta conscientia, modò id fiat ante votorum emissionem: Tamen ut deinceps omnis nequitiæ amputetur occasio, Synodi Tridentinæ decretis admoniti statuimus, ne deinceps quibuscumque Monasteriis major Monachorum, vel Monialium numerus admittatur, quàm qui ex propriis reditibus Monasterii, vel eleemosynis assuetis educari queat. Approbamus tamen & laudamus eleemosynas etiam copiosas ab ingredientibus sponte oblatas. Tit de simon. c. 10.*

Quod ex Tridentino, ex Conciliis Mediolanensibus, & ex Congregatione Concilii suprà disseruimus, de definiendo numero Monialium, id nulla ratione adversatur huic consuetudini nonnihil ab iis omnibus accipiendi, qui profitentur. Quò minor enim erit hic numerus, tantò proclivius erit, non multum à Profitentibus accipere; à paupperculis autem ita propemodum nihil accipere, ut ea receptio gratuita meritò videri possit. Concilium Turonense eodem anno 1583. decretum edidit, ubi eadem elucescit forma & temperies, ut defigatur numerus Profitentium, & admittantur nihilominus supernumerariæ, postquam novi accrevere reditus, quibus sustententur. Quo insinuatur apertè novas ultra numerum admittendas, quando ex uberioribus earum dotibus copiosa fiunt redituum incrementa. *In Monasteriis numerum Monialium suæ authoritate repleri curent Episcopi pro modo & facultate loci, neque eundem augeri, nisi facta Monasterio annua, quæ satis sit, fructuum accessione. Can.17.* In Concilio Mexicano anno 1585. prohibiti sunt Præpositi Monasteriorum, ne amplius quidquam exigerent ex Indicis puellis recens ad fidem Christi conversis, quàm ex aliis. Concilium Avenionense anno 1584. statuit, ut ante Professionem constitueretur de quantitate pecuniæ ad dotalem eleemosynam dandæ, & ex ea fundi emerentur, ne alioqui ad persolvendum æs alienum, vel ad sumptus Cœnobii quotidianos consumeretur. *Antequam Professio emittatur à virginibus, diligenter de eleemosyna agatur in numerata pecunia, quæ super fundo statuatur, cujus sors principalis non possit aut debitis solvendis, aut quotidianis usibus insumi. L.5. Tit.13. n.7.* Mox in eodem Concilio statuitur, ut Episcopus figat certum numerum Monialium cujusque Cœnobii, eumque proventibus, vel eleemosynis annuis admetiatur. Quo rursus patet non confligari has sibi invicem consuetudines, & definiendi numeri Monialium, & aliquid à singulis accipiendi.

IX. Unus superest nodus, quem hic paucis attingam, si quâ liceat eum extricare. Eccur nempè possit puella patrimonii sui tantum conferre, quantum satis sit ad augendos Cœnobii reditus, & tum demum ipsamet ibi admittatur ad sacrum illud puellare Collegium: nec possit similiter quis Collegio Canonicorum tantum adjicere rerum suarum, quantum satis est, ad Canonicatum novum, sedemque sibi erigendam inter cœteros Canonicos? Difficultas hinc ingravescit, quod Monachi & Moniales præ se ferant speciem Beneficiariorum; usque adeo, ut non pauca sint Canonicorum Capitula, quæ non constet nisi ex Monachis: sint & Canonicarum Collegia propria, ut Canonicorum. Iidem porrò Canones vetant quidquam exigi, in Capitulis, ut in Monasteriis. Denique pactiones peræquè ut simoniacæ interdicuntur, ut in admittendis Monachis & Monialibus, ita & in Canonicis.

Responderi forsan posset, ut ab Innocentio III. concessum est, ut in Capitula adscribantur, qui rerum suarum partem iis conferebant, dum id fieret

sine

ſine pactione; ita nec improbari, ſi Moniales ſuſcipiantur in Monaſteriis, quibus ſua conferunt, dum ſuperſedeatur omni conventione. Sed vereor ut ſatis firma conſiſtere poſſit hæc reſponſio, ſi res penitius excutiatur. Tradit enim apertè Innocentius, ut Capitulum & Canonicatûs candidatus à ſimoniæ labe etiam mentalis puri & immunes ſint, neceſſe, ut ita animatum ſit Capitulum, ut Canonicum hunc vel gratis admittere præſto ſit; & Canonico certa voluntas ſit conferendi Capitulo patrimonii ſui, etſi Canonicatûs ſpe dejiceretur. Atqui non ita res comparatæ ſunt in admittendis ad Profeſſionem Monialibus. Nec enim diſſimulat Monialis, dotem à ſe conferri, ut admittatur, nec aliàs eam datum iri; nec minùs ingenuè confitetur Præpoſita expleto numerariorum grege, admitti à ſe nullam poſſe ſine dote, cum id & Canones vetent, & Conſtitutiones Monaſticæ. Et cum tamen tum Monialis, tum Præpoſita in his obſequantur, & Conciliis compluribus, & ſanctiſſimis Epiſcopis, Theologiſque, & Juris canonici conſultiſſimis, eas planum eſt ne in ſuſpicionem quidem vocari poſſe ſimoniæ, etiam mentalis. Intereſt ergo diſcriminis hac in parte non parum Capitula inter & Monaſteria; idque jam à nobis hic exquiritur.

Occurret forſan reſponſio & ſolida & peregregia in Decreto Alexandri III. ſuperiùs laudato, ubi confirmat nihil ſimoniæ expaveſcendum eſſe; ſi Clerici juniores in extremos & humiliores Cleri gradus admittantur, cum Eccleſiæ interim ei patrimonii ſui partem non mediocrem, vel ipſum totum transſcribant. Cum hoc Decretum ſuo ſuprà loco interpretaremur, illud obſervavimus, ab omni cupiditatis & ambitionis contagio alienam fuiſſe eam rerum ſuarum à minoribus Clericis factam donationem, propterea quod junioribus pueris non ferè uſquam occluderetur janua Clericatûs, etſi nihil conferrent; immo cum non ferè unquam quidquam conferrent. Itaque ſi quid darent, non eo aperiebant ſibi aditum ad Clericatum, qui omnibus ferè patebat; & ſi ad Clericatum admitterentur, nulla oblationis factæ ratio habebatur, cum tot alii ſuſciperentur citra ullum donum. Æquius eſt autem ſuſceptionem Monachorum & Monialium cum hac conferri impuberum Clericorum, quàm cum illa Canonicorum. Splendor enim, dignitas, & opes Canonicorum ejuſmodi illecebræ ſunt, quibus ineſcari poſſint animæ terrenis cupiditatibus necdum expeditæ. At ad infimos Cleri ordines & ad Clauſtra non allicit, niſi religio & pietas. Ita non omnibus panditur aditus ad Canonicorum Collegia & Dignitates: at invitantur omnes, ut mundo ſæculoque valedicant, atque addicant ſe vel infimo Clero, vel Cœnobiis. Plus ſatis ineſt & ſplendoris & emolumenti Canonicatibus, ut concupiſci & emi poſſint, adeoque ut adversùs has ſive cupiditates, ſive nundinationes ſimoniacas armandus ſit animus. At in extremis Cleri gradibus nihil eſt, ſi adventitia alia reſpuantur, quod ambitioſis vel avaris blandiri poſſit. Beatum Martinum memorat Severus Sulpitius initio converſionis ſuæ Exorciſtam non illubenter ordinatum fuiſſe, quòd imò hoc gradu dejiceretur potiùs, quàm extolleretur; & contumelia ei inuri, non honor conferri videretur. Eſt etiam aliquantò manifeſtius, non eſſe in humilitate, in paupertate & pœnitentia Clauſtrorum, quo accendantur carnalium hominum cupiditates; pretio non emitur cupiditatum abdicatio. Eſt ergo ſimile veri, qui fundos ſuos, vel pecunias largitur, ut fiat Canonicus, non aliter eas largiturum. Et qui ſe pœnitentiæ Cœnobiorum dicat, & ſimul ſua confert, is facilè intelligitur, vel ipſius pœnitentiæ ſuæ fundamenta jacere abdicatione rerum ſuarum; vel ſibi & Cœnobio addere, quibus vita & pœnitentia ſuſtentari & prorogari poſſit, non cupiditas ali. Nec aliter conjectandum eſt de Capitulis & Monaſteriis. Nec enim id profitentur Capitula admitti ad ſe omnes, qui adgregari eis velint, veluti Cœnobio. Itaque ubi novus creatur Canonicatus ex rebus ejus, qui Canonicum ſe creari cupit, perſpicuum eſt ſine hac rerum acceſſione nec Canonicatum, nec Canonicum novum creatum iri. At Monaſteria palam ad ſe, hoc eſt, ad fugam ſæculi, ad ſeceſſus & pœnitentiæ amorem omnes invitant, omnes admittunt, omnes gratis admittunt, paucis exceptis, qui jam ali non poſſint, niſi rei ſuæ familiaris aliquid afferant; reditus denique ſuos omnes impendunt, aut gratis admittendis pauperibus, aut minùs idoneis donis & dotibus Cœnobii ſumptu ſupplendis.

X. Offenſioni fuit viris quandoque doctis, quod non ſemel dixi convenienter Canonibus & Decretis, tot admitti debere Monachos & Moniales, quot *commodè* ali poſſint ex reditibus & eleemoſynis conſuetis. Video non ſatis convenire, ut commodè vivant, utque vitæ commoda conſectentur, qui ſe pœnitentiæ devoverunt. Sed non ea quoque fuit Conciliorum mens & Pontificum, qui in ejus vocis uſum nobis præiverunt. Et eorum enim, & noſtra ſecundùm illos fuit ſententia, ut Monaſteriorum reditus ſubductis expenſis reparationum & litium, omninò ſufficiant alendis Monachis, vel Monialibus, quorum numerus præfinitus fuit. Nec definiri à nobis debuit, aut verò potuit, quantum ad ſingulorum ſuſtentationem expendatur; plus ſumptuum enim fit in mitioribus Cœnobiis, quàm in auſterioribus; ſed non tantum fit tamen in locis pœnitentiæ dicatis, quàm alibi. Verùm non de eo nunc quæritur, ſed de redituum ſufficiente copia ad ſuſtentationem numeri ſemel præſcripti in qualibuſcumque Cœnobiis. Itaque quò arctior & auſterior erit Monachi vita, eò commodiùs ali poterit à Cœnobio, quia minore ſumptu.

XI. Et ex hac forſan Cœnobiorum aſperitate id emerſerat, ut jam Beneficiorum ne cogitatio quidem menti incideret, ubi de Monachis agebatur. Beneficiorum enim ipſo nomine ſtatim excitatur animus ad redituum & copiarum vim ſibi fingendam, vitæque lautioris & commodorum ſpem, à quibus alieniſſima plerumque ſunt Clauſtra. Idque potiſſimùm ita habuit, ex quo Mendicantium inſtitutæ ſunt Congregationes, eæ potiſſimum, quæ à fundis & poſſeſſionibus ſe quibuſcumque abſtinent. Ecqua enim hæc erit Beneficii ſpecies, Mendicantis locum implere, eleemoſynis victitare? An ex hujuſmodi Beneficiis lucri & negotii aliquid emerget unquam, aut vel fingendo quis id comminiſci poterit? Certò tamen conſtat, certos reditus ex his conflari eleemoſynis, ut tot ſuprà exemplis patuit, & ex Tridentino, quando numerus Monialium & Monachorum juſſus eſt aptari modo redituum & eleemoſynarum conſuetarum. Inde eſt etiam quod damnare ſemper Eccleſia pergit ſimoniacos ut Beneficiorum, ita & Clauſtrorum aditus; ſed longè tamen diligentia accuratior adhibenda fuit, ne cum pecunia in Beneficia, quàm in Clauſtra admitti quiſquam poſſet. Etſi enim utrobique Beneficia ſint, ſunt tamen longè diverſiſſima.

Illud poſtremò tandem hic Lectorem monebo, editam eſſe à doctiſſimo Mabillonio, *Analect. Tom.1. p.495.*, diſſertationem hac eadem de re, ſæculo XII. lucubratam à Rodolpho Abbate Sancti Trudonis in agro Leodienſi. Eo autem illa demum vergit, ut ne filios fraudent parentes legitima ſucceſſionis parte; nil tamen exigi poſſit à Præfectia Cœnobiorum; quanquam poſſint hortari proximos, ut officio fungantur, nec poſſint ipſi cogi ad pueros admittendos.

CAPUT LV. P.2. l.3. c.11.

De Simonia in Ordinationibus & Dignitatibus sacris Occidentis, ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. Simonia in Occidente vulgatior, ut apparet, in Oriente plausibilior.
II. Simonia in Scripturis notata & damnata.
III. Rarior ea fuit tribus prioribus sæculis.
IV. V. VI. Vulgatior postea ut exemplis patet.
VII. De epulis post electiones Episcoporum.
VIII. IX. Alia simoniæ exempla.
X. XI. XII. Quid de simonia Carolus Magnus. Ejus Epistola ad Galliæ Reges & Episcopos.
XIII. Latè grassabatur simonia & in Italia.
XIV. XV. In Conciliis Galliæ & Hispaniæ sæpè damnata fuerat.
XVI. Remisit priscorum Canonum austerior disciplina, ubi venia facta est Simoniacis pœnitentia functis, ut beneficio suo restituerentur.

I. NON minor hîc ubertas rerum in simonia ordinationum; quàm Professionum Monasticarum. Ab Occidente ordiemur, desinemus in Oriente, ubi simonia minùs forsan se effudit illa quidem, sed non paulò plus tamen authoritatis sibi quodammodo vindicavit. Cum autem de simonia paucissima quædam perstrinxerimus, in prima Ecclesiæ ætate delineanda, operæ pretium erit hîc quæ præterita fuerint hactenus, revocare.

II. Antiquissimos quosdam simoniæ natales descripsere sacri Codices, ejusdemque confestim damnatioonem, in Balaam, qui ex Apostolo Petro *mercedem iniquitatis amavit. 2. Pet.2. 15.* In Giesi, quem exorta statim lepra admonuit interioris animæ suæ contagii. In Jeroboamo, qui licitantibus Sacerdotium ingerebat, unde & in eum, ejusque liberos cælestis iræ incubuit vindicta. *Quicumque volebat, implebat manum suam, & fiebat Sacerdos excelsorum, & propter hanc causam peccavit domus Jeroboam, & eversa est & deleta de superficie terræ. 3. Reg. c.13. v.33. 34.* Emit & Jason Pontificatum ab Antiocho Nobili Syriæ Rege. *Macch. l.1. c.4.* Herodes ingressus est in vestigia prædecessorum Regum, apud quos non rarò promercale prostabat Sacerdotium. Adnotatum est ab Hieronymo Christum ipsum morti addictum fuisse à Pontifice simoniaco, cum Caiphas ab Herode emisset annuam Pontificatûs usuram. *Refert Josephus istum Caipham unius tantùm anni Pontificatum ab Herode pretio redemisse. Non ergo mirum est, si nequam Pontifex iniquiùs judicet. In Matth. c.26.*

In Ecclesia verò Christi simonia authore & parente Simone Mago se jactat; cum porro Simon illo errore occupatus fuisset, posse res sacras pretio æstimari & vendi, hinc illa hæresis dicta est, & quidem primaria & princeps ante alias omnes, non sine hoc quoque elogio, quò ex Magno Gregorio omnium prima damnata fuerit. *Cum liqueat hanc hæresim in Ecclesia ante omnes radice pestifera surrepsisse, atque in ipsa sua origine Apostolica esse detestatione damnatam. L.7. Ep.112.*

III. Non ea erant vel ornamenta sacrarum dignitatum & ordinationum, vel emolumenta prioribus tribus Ecclesiæ sæculis, ut earum cupiditate animi inflammarentur, donec per Constantinum libertas, pax & pacis socia opulentia Ecclesiæ parta est. Negat Tertullianus, *In Apologet.*, eò perveniri potuisse *pretio*, sed cumulatæ testimonio probitatis. *Præsident probati quique Seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti.* Universim res Dei ille pronuntiat inæstimabiles esse, adeoque nec venales esse posse: *Neque enim pretio ulla res Dei constat.* Ita in fiscum Ecclesiæ influebant non pretia sagrilegæ venditionis, sed spontanea pietatis & religionis dona. *Etiam si quod arcæ genus est, non de honoraria summa, quasi redempta religionis congregat; modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, & si modò possit, apponit; nam nemo compellitur, sed sponte confert.*

IV. Sed postquam illapsæ sunt in Ecclesiam donata pace opes, insidiari cœpit avaritia, & pretium facere rebus, quæ jam nihili sunt, ubi pretio comparantur. Ex Hilario hanc Christus ipse pestem tunc labefactavit, cum cathedras evertit vendentium columbas in Ecclesia. *In columba Spiritum Sanctum intelligimus, in cathedris sacerdotii sedes est. Ergo eorum, qui Sancti Spiritus donum venale habent, cathedras evertit, quibus ministerium à Deo commissum, negotiatio est. In Matth c.21.* Nec minùs constanter in hanc corruptelam debacchatos esse cæteros Ecclesiæ Patres infrà liquebit.

V. Ducenta sestertia Marcion Ecclesiæ Romanæ obtulit, quę nihil utique ad ordinationem pertinebant. Eo veluti pignore suam ille Ecclesiæ fidem & constantiam obligabat. Ideo & sua illi refusa est pecunia, cum primum patere cœpit ejus perfidia. *Ejectus Marcion quidem cum ducentis sestertiis, quæ Ecclesiæ intulerat.* Ut refert Tertullianus libro de Præscriptionibus. *Cap.30.* Ambrosius agros reique omnes suas Ecclesiæ transcripsit, cum Episcopus ordinatos est: sed neminem latet, quàm non ambierit Episcopatum, quam nihil non tentarit ad eam sarcinam declinandam: ut constet solo Evangelicæ paupertatis amore excitatum fuisse ad eas largitiones *Paulin. in vit. S. Amb.*

VI. Et ambigi tamen posset, an hinc ortum duxerit consuetudo erogandi aliquid liberalius in pauperes, quo die consecratur Episcopus. Jam modum finemque æqui non tenebat hæc largitio, cum Joannes II. Edicto Athalarici Regis eam cohiberi curavit. *Baron. an.533. n.32.* Accipe quod sollicitante Pontifice promulgatum est à Rege diploma, in usum Ecclesiæ Romanæ, Ecclesiarum Metropolitanarum, quæ Patriarchales hîc dicuntur, & Episcopalium. *Cum de Apostolici consecratione Pontificis intentio fortasse pervenerit, & ad Palatium nostrum perducta fuerit altercatio populorum, suggerentes nobis intra tria millia solidorum, cum collectione chartarum, censemus accipere: à quibus tamen omnes indoneos rei ipsius consideratione removemus: quia de Ecclesiastico munere pauperibus est potius consulendum. Alios verò Patriarchas quando cum Comitatu nostro de eorum ordinatione tractatur, in supradictis conditionibus atque personis, intra duo millia solidorum jubemus expendere. In civitatibus autem suis tenuissima plebi non amplius, quàm quingentos solidos se distributuros esse cognoscant. Reliquos & accipientes Edicti præsentis, & dantes Canonum severitas persequatur. Cassiod. l.9. Epist.15.*

VII. Non ea erat mens Pontificis hoc diploma elicientis, ut qui hic usus insinuantur, iis ipse suffragaretur: sed ut moderaretur, ne ulteriùs serperent, utque ne integrasceret malum, quod sanare non posset. Hinc enim constat, 1. Ut electionem Episcopi confirmarent Reges hi, pecuniæ aliquid numerandum fuisse. 2. Erogationes in plebem olim liberas & voluntarias, jam necessarias fuisse. 3. Eis largitionibus jam non modum adhibuisse charitatem & prudentiam Episcoporum, sed ultra modum insaniisse populares cupiditates. Hoc Edicto illud saltem consecuta est Ecclesia, ut impensis ut-

cum-

cumque parceretur, & tenujores ne quid expenderent, sua paupertas excusaret.

VIII. Ante Joannem Hormisda Papa simoniam summoverat ab ordinationibus, quod in pretio jam non sit, quidquid cælestium donorum pretio parari potest. *Quis non vile putat esse, quod venditur? Epist.25.* Hujus verò culpæ reos ille agebat Metropolitanos, qui partes sustinebant excubandi in Episcopos & in Episcopales electiones. *Adversùs hac facilius providebitur, si Metropolitani circa Parochias suas ordinem suum, ea, qua decet veneratione custodiant.* Eodem usus est remedio Symmachus Papa, damnata primum simonia, tum jusso Metropolitano, sumam ut sibi in electionibus authoritatem summeret *Ut hac faciliùs possint custodiri, Clerici, vel cives Decretum facere, vel subscribere, sine Metropolitani notitia, vel consensu non præsumant. Epist.5. 6.* Idem declaratum est à Pelagio I. omnes prorsus Ordines complexo, etiam minusculos: *Ab Ostiario usque ad gradum Episcopatûs neque per aurum, neque per aliquas promissiones, quisquam proficiat.*

Universim hęc sanciebantur, & in dona, atque promissa, sive ante, sive post ordinationem sæviebatur. Author est Sidonius Apollinaris Patientem Lugdunensem Archiepiscopum Cabilonem accessisse ad electionem Episcopi. Cum studia autem in contraria Civitas scissa esset, tres præ cæteris eminebant competitores. Primus nobilitatis magna, sed non alia præferebat insignia. Alter plebem opiparis conviviis inescaverat. Tertius denique suffragatoribus suis prædæ fore spondebat agros Ecclesiæ. *Hic antiquam natalium prærogativam, reliqua destitutus morum dote ructabat. Hic per fragores parasiticos, culinarum suffragio comparatos, Apicianis plausibus ingerebatur. Hic apice votivo si potiretur, tacita pactione promiserat, Ecclesiastica fautoribus suis præda prædia fore. L.4. 25.*

IX. Hæc sive impendia, sive promissa ante ordinationem, manifestissimam præ se ferebant simoniæ turpitudinem. Quæ post electionem fiebant, ut simoniaca non essent, erant certè fædissima & detestanda. Cum Rex Theodoricus beatum Gallum Arverno donasset Episcopatu, publico sumptu jussit instrui epulum solemne, natalis, hoc est, consecrationis ejus; Gallus verò ipse jocans dixit, Teruntio sibi uno constare Episcopatum, quo muneratus esset coquum. *Jam tum Germen illud iniquum cœperat pullulare, ut Sacerdotium aut venderetur à Regibus, aut compararetur à Clericis. Tunc ii audiunt à Rege, quod sanctum Gallum habituri essent Episcopum, quem Presbyterum ordinatum jussit Rex, ut datis de publico expensis, cives invitarentur ad epulum, & lætarentur ad honorem Galli futuri Episcopi; quod ita factum est. Nam referre erat solitus, non amplius donasse pro Episcopatu, quàm unum trientem coquo, qui servivit ad prandium.* Hactenus Gregorius Turonensis. *L.5. c.46. Vita Patr. c.6.* Nec ad has sanè post electionem epulas intuetur idem Scriptor, ubi ait jam tum incœpisse Reges distrahere Ecclesias Episcopales, jam tum emptores accessisse Clericos. Ad dona ille alludit, quibus Reges colebantur. *Arverni verò Clerici cum consensu insipientium facto, & multis muneribus ad Regem venerunt. Jam tum germen illud iniquum cœperat pullulare, ut sacerdotium venderetur à Regibus, aut compararetur à Clericis.* Alibi verò idem Gregorius testatum facit vacante Episcopatu Bituricensi repudiata esse à Guntramno Rege dona omnia competitorum, quos his verbis compellavit: *Non est Principatûs nostri consuetudo Sacerdotium venundare, sub pretio, sed nec vestrûm cum præmiis comparare, ne & nos turpis lucri infamia notemur, & vos mago Simoni comparemini. L.6. c.39.* Ex quo manifestum est admissa fuisse à Regibus dona, quò electos Episcopos confirmarent. Rariuscula sunt tamen exempla ea apud Historiæ Scriptores, unde nec eas usitatas fuisse, vel ordinarias exactiones conjicitur, uti eas, quibus Gotthi Reges, & Imperatores postea Constantinopolitani Romanam Ecclesiam subjecerunt.

X. Eam necessitatem subiit, eam pecuniam solvit Gregorius Magnus, in Imperatores solos redundante simonia, non in Pontifices, quorum temporibus & necessitati servientium sapientia facem prætulit omnibus posteriorum sæculorum Episcopis. Non is erat Gregorius, qui exactioni ei & servituti assentiretur, quanquam ipse quidem cederet; cum ne Episcopos quidem alios electos passus sit compelli ad pecuniæ in pauperes qualemcumque erogationem. De illis nimirum suprà perstrictis epulis capienda est illa ejus Epistola ad Episcopos Gallicanos, quos admonet nihilominus turpem esse sordidamque simoniam eam, quæ quod ipsammet sui pudeat, obtegit se sucatè in pauperes pietatis velo; nec enim eam jam eleemosynam esse, quæ malè parta malè effunduntur; nullis denique hac pecunia structis Monasteriis & Xenodochiis compensari posse flagitia Episcopatûs non aliò empti, quàm ut omnia habeat venalia. *Neque enim eleemosyna reputanda est, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus accipitur; quia qui hac intentione malè accipit, ut quasi bene dispenset, gravatur potius, quàm juvatur. Eleemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, qua non de illicitis & iniquitate congeritur, sed quę rebus concessis & bene acquisitis impenditur. Unde etiam illud certum est, quia etsi Monasteria & Xenodochia, vel quid aliud de pecunia, qua pro sacris Ordinibus datur, construantur, mercedi non proficit, quoniam dum perversus emptor honoris in locum sanctum transmittitur, & alios ad suam similitudinem sub commodi datione constituit, plura & malè ordinando destruit, quàm ille potest ædificare, qui ab eo pecuniam ordinationis accepit. L.7. Ep.111.* Qui enim Spiritum Sanctum semel pretio emit, id est, ordinandi potestatem; iis etiam confidentius eandem divendet: dignior que illi semper videbitur sacrorum Ordinum minister, qui pecuniosior. *Quid per hoc aliud agitur, nisi ut nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus; nulla sit de vita discussio, sed ille solummodo dignus, qui dare pretium sufficerit, æstimetur.*

XI. Apostolico prorsus zelo ad Reges, Reginas & Episcopos Galliarum conquerebatur Gregorius, quòd in Gallia & Germania gratis & purè ordinaretur nemo; ut charo constaret hæreticum fieri, cum inter hæreses simonia principem locum teneat. *Agnovi quod in Galliarum vel Germanię partibus nullus ad sacrum Ordinem sine commodi datione perveniat, &c. Et cum prima simoniaca hæresis sit contra Ecclesiam exorta; cum pretio ordinat, provehendo agit, ut hæreticus fiat. L.4. Ep.50. 13. L.7. Ep. 5. 114. 115. 111. L.9. Ep.50. 53. 54. 55.* Illud inculcavit Pontifex, evilescere omnino sacras dignitates, cum pretio addicuntur: vile est enim & aspernabile, quidquid venale prostat; cum pretio æquatur pecunia rebus sacris, eam quodammodo consecrari, & hanc esse avaritiam, idolorum servitutem. *Nam quis denuo veneratur quod venditur? Aut quis non vile putet esse quod emitur? &c. Nam ubi dona superna gratia venalia judicantur, ad Dei servitium non vita quæritur, sed magis contra Deum pecunia veneratur. L.4. Ep.55. L.5. Epist.7.* Ita fit ut jam crimini vertatur paupertas, opes virtutum in sedes vocentur, innocentiæ jam laude cumuletur, quem Christus vocat thesaurum iniquitatis; meritisque & virtutibus is demum polleat, qui opibus. *Hinc fit ut insontes & pauperes, à sacris Ordinibus prohibiti, despectique co-*

sti-

filiant. Et dum innocentia pauperis displicet, dubiam non est, quod premium illic delicta commendet. Quia ubi aurum placet, ibi & vitium. In Evang. hom.17.

XII. Nec Occidente reliquo, & Oriente, immo & Italia ipsa minus latè serpserat simonia ex eodem Gregorio, ut sequentibus Capitibus palam faciemus. Ita enim ille in Concione aliquando ad populum: *Vobis Sacerdotibus lugens loquor, quia nonnullos vestrum eam premiis facere ordinationes agnovimus.* Non deterruit tamen vis mali, quaoquam latissimè grassantis Gregorium, ut qui comperisset à Deo se ad summum Pontificatûs fastigium vocatum fuisse, ut vitiorum fibras pestiferas, altissimèque irradicatas evelleret. *Animadvertens se ideo à Domino super gentes & regna summum Pontificem constitutum, ut juxta illud Propheticum, vitiorum radices evelleret.*

XIII. Frequenter interpellaverat Sanctissimus Pontifex Reges & Episcopos Galliæ, ut Concilium indicerent, ubi exitiali malo medicamenti aliquid excogitaretur. Habita fuerant jam pridem in Galliis ad id Concilia, nec medicari tamen tam latè fusæ pesti potuerant. In Concilio Aurelianensi II. *Can.* 3.4. illisum fuerat anathema & dantibus & accipientibus in ordinatione sacra. *Quia donum Dei pecunia trutina minimè comparandum.* Donum istud Dei Spiritus Sanctus est, quem perspicuum est nullo pretio, nulla trutina comparari posse. In Concilio etiam Aurelianensi V. *Can.*10. Episcopi simoniaci exauthorati fuerant. *Eum qui per premia ordinatus fuerit, statuimus removendum.* Non sacrilegii tantùm, sed & hæreseos invidia eos oneraverat Concilium Turonense II. *Can.*27. qui quidvis emungerent ab ordinanandis. *De ordinationibus Clericorum premia exigere, non solùm sacrilegium, sed & hereticum est.* In concilio Cabilonensi, *Can.*16., eadem renovata est depositionis pœna in Clericos omnes majores & Abbates, qui inæstimabile donum emerent. *Ut nullus Episcopus, neque Presbyter vel Abbas, seu Diaconus per premium ad sacrum Ordinem quodo peuitus accedat, &c.*

XIV. In Hispania Concilium Braccharense II. *Can.*3. antiquam revexit Ecclesiæ Constitutionem, qua anathemate innectitur, qui dat, & qui accipit in ordinationibus, *Anathema danti, & accipienti:* & Clericatûs janua reseratur virtuti spectatæ, non pecuniæ & donis: *Non per gratiam munerum, sed per diligentem prius discussionem, deinde per multorum testimoniam Clericos ordinari.* At cum sanctissimæ leges hæ transilirentur, Concilium Toletanum XI. *Can.*9. molestissimè tulit pretio addici Spiritûs Sancti donum, quod pretio jam non est, nisi donum sit; nec gratia jam est, si gratiæ detur: *Ne inappretiabilem Spiritûs Sancti gratiam donis vel muneribus quis existimet comparandam:* & fœda cavillatione fucari scelus, non exolvenda nisi post consecrationem pecunia, antè desponsa: statuit denique ut Episcopi ad aras se juramento constringerent, nihil se dedisse, vel daturos pro dono cælesti, quod natura & nomine suo excidit, nisi merum donum sit. *Facinus est Spiritum Sanctum, qui omnia redemit, venundari.* Verba hæc sunt Gregorii, *L.*7. *Ep.*5., quibus adprimè concinit hoc Concilium, cui graviores placuit in posterum aggerare pœnas, exilio damnatis, excommunicatis, & ad biennii pœnitentiam ablegatis, qui hoc se flagitio inquinassent. *Honoris gradum, quem premiis emerant, lacrymis conquirere & reparare intendant.*

XV. Quantumvis acerba videatur hæc pœna, non erat tamen ea nisi antiqui rigoris quædam remissio, & Canonum, qui feriebant depositione Clericos, qui in Ordinationibus quidvis darent, aut acciperent; innodabant autem diro anathemate laicos eodem facinore implicatos. *Qui hunc Ordinem munerum fuerit acceptione lucratus, & suscepti honoris gradu privetur, & Monasterio sub perenni pœnitentia religetur. Illi verò qui pro hac causa munerum acceptores extiterint, si Clerici fuerint, honoris amissione mulctentur: si verò laici, anathemate perpetuo condemnentur.* Can.3. Indeflexa vero ea severitas luculentius etiam splendet in Concilio Toletano VI. *Can.*4. ubi præter irrevocabilem depositionem, hæreditariis etiam bonis spoliantur, qui res sacras ita profanaverint. *Communione privatus cum Ordinatoribus suis, propriorum bonorum amissione damnetur.* Postremò denique Concilium III. Braccharense, undecimo Toletano posterius, antiquis Canonibus primævum restituit vigorem, convenienter statuto Concilii Calchedonensis. *Quicumque pro conferendo cuiquam Sacerdoti gradu, aut manus quodcumque, aut promissionem muneris, antequam ordinetur, acceperit, aut etiam postquam ordinatus fuerit; sive ille, qui dederit; sive qui acceperit, juxta sententiam Calchedonensis Concilii, gradus sui periculum sustinebit.* Can.7. Quibus omnibus Hispaniensibus Canonibus illud apertum est, tam desperatum fuisse eum morbum, ut remediis ipsis videretur redintegrascere.

CAPUT LVI. *P.*2. *l.*3. *c.*15.

De Simonia in Ordinationibus in Oriente ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. Austerissimæ Justiniani Leges in Episcopos, Clericos; & Laicos ipsos simoniæ contagione aspersos.

II. Pro Insinuatione etiam vetat quidquam exigi, nisi in majore Ecclesia Constantinopolitana.

III. Nimirum in ea tolerabat Ecclesia, quod abolere cupiebat magis, quàm poterat. Eo etiam modo intronizationum jura Ecclesiis in omnibus diffiant, non quo ea probet, sed ne augeri sinat. Quæ demum jura ea essent.

IV. Eadem ratione permittit dari Officialibus Episcopi Ordinatoris, dum ne ultra unius anni reditus.

V. Pro administrationibus Xenodochiorum, nec dari quidquam potest, nec accipi.

VI. Electores & Electi jurant nec accepisse se quidquam, nec dedisse.

VII. Chorepiscopus, Oeconomus, Defensor, aliique Officiales pro ministerio suo quidquam dare prohibentur.

VIII. Ea jura Insinuationum, Inthronizationum, Consuetudinis & Annata irrepsere post Concilium Calchedonense. Justinianus ea toleravit, eoque confirmavit, haud ægrè, ut opinor, cum à novo quolibet Pontifice Romano non dissimilia exigeret.

IX. Serviebant vi necessitatis Pontifices Romani, ubi nil melioris spei affulgebat.

X. Toto forsan Oriente sparsæ tum non erant hæ sordes.

XI. XII. An Imperatores à Cæteris Patriarchis, ut à Papa exigerent.

XIII. XIV. Quàm pervulgata toto Oriente esset simonia.

XV. Prestigia & fraudes, ut simonia tegatur.

XVI. XVII. XVIII. Erigitur Canonicatus ab eo ipso, cui conferendus est.

XIX. Satisfit objectioni.

I. DUci aptius non potest initium ullum, quàm à Novella Justiniani, qui Episcopali ejicit dignitate, & dantes, & accipientes quidlibet in Ordinatione: eadem pœna ferit Clericos alios simo-

moniacos; pecuniamque datam & acceptam ei jubet restitui Ecclesiæ, cui illa contumelia inurebatur. Si qui verò laici venali gratia sua & favore Ordines alicui conferri exorariot, duplam ab eis Ecclesiæ pecuniam solvi sancit; ipsos si qua dignitate floreant, ea extrudi, & in exilium ejici. Postremò emptorem sacrilegum Episcopatus non eo tantùm ordioe & fastigio exturbat, sed etiam Presbyteratu, & Diaconatu. *Illud quoque sciat apertè, qui pecaniis, aut rebus aliis emerit Præsulatum, quia si priùs Diaconus, aut Presbyter sit, deinde per suffragium ad Sacerdotium veniat; non solùm cadat Episcopatu, sed nec prioe ei relinquitur ordo Presbyterii forsitan, aut Diaconatae. Novel.6. c.1. §.9.* Utque ne unquam tam necessaria lex exolescat ex hominum memoria & Ecclesiæ moribus, jubet Imperator eam ab Ordinatore Episcopo recitari omnibus ordinandis.

II. Nec his contentus Justinianus, eum rescisset eos qui ad aliquam Ecclesiam ordinati essent, non admitti postea in eam, nisi persoluto jure *Insinuationum*; eam quoque proscripsit corruptelam, exauthorato dignitate sua eo, qui pecuniam exegisset, eaque dignitate in illum translata, cui pecunia emuncta fuisset. Ea tamen lege absolutam voluit Justinianus Ecclesiam Constantinopolitanam, cui fas esse jubet, ut ea exigere pergat, quæ usitata hactenus fuere insinuativa. Ita enim habet ea lex ad Menam Patriarcham Constantioopolitanum. *Sancimus beatitudinem tuam hoc validissimè custodire, ut siquidem consuetudo est, dare eos, qui ordinantur in sanctissima majore Ecclesia, hoc eos præbere. Nihil enim de iis, quæ dantur in Sanctissima majore Ecclesia aovamus. Præter illam verò in omnibus aliis nulli iu eis Clericorum licentiam esse peatat, pro iis, quæ vocantur insinuativa, aliquid ferre. Sed & si quis aliquid tale egerit, illum quidem privari Sacerdotio; in illius autem officio iatroire qui missus est; & hanc eam avaritia ferre mercedem. Novel 56. c.1.* Jubet denique ut Defensores Ecclesiæ Majoris strenuè incumbant, curentque omnia gratis fieri, alioqui decem auri pondo luituri. *Gratis omnia procedere.* Cum non compellet hic Imperator, nisi defensores Ecclesiæ Majoris Constantinopolitanæ, nonnullis visum est, hac lege non fuisse devinctam nisi eam Ecclesiam. Sed multò probabilius est eam luem latius in Oriente sparsam fuisse, quanquam Constantinopoli vis mali maxima grassaretur, ne Justiniano quidem ipso dissimulante. *Clerici omnium patiuntur crudelissima, non recipientibus eos illis Ecclesiis, antequam quantum voluerint, accipiant aurum.*

III. Ejusmodi exactionibus ne Episcopos quidem sua exemerat amplitudo; quin immo videbatur corruptelæ diuturnitas adversum Canones præscripsisse, & Imperatores ipsos compulisse, ut moderari malo studerent, quod persanare, igni ferroque admoto, non daretur. Id quidem dilucidum fit ex alia ejusdem Imperatoris Novella, *Novell.123. c.3.*, ubi eum illud præfatus esset, laudibus ornandum esse Episcopum, si post ordinationem suam Ecclesiæ suæ transcribat bona sua, vel per magnam eorum partem: eam enim oblationem esse, non emptionem: *Etiam omni laude dignum judicamus, quoniam hoc non est emptio, sed oblatio.* His subjungit Imperator, definire se velle quantum quisque Episcopus pecuniæ dare possit pro Inthronisticis suis, ut *Consuetudinibus* jam inveteratis se accomodet, ut non ulterius unquam possit quidquam expendi. *Pro consuetudinibus autem illa sola permittimus præbere ab ordinatis Episcopis, quæ subsequenter præsenti legi inserta sunt.* Statuit ergo à Patriarchis Romano, Constantinopolitano, Alexandrino, Aotiocheno, & Hierosolymitano dari posse auri pondo non amplius viginti, distribuendo Episcopis, Clericisque, qui inaugurationi interfuerint, si tantum dari consuetudo ferat. *Si quidem consuetudo habet*: sed ne quid præterea dari possit: *Plus ab hac quantitate nihil præberi.* Metropolitanos, qui à Synodis suæ Provinciæ ordinantur, vel à Patriarchis: & Episcopos, quibus imponuntur manus, vel à Patriarchis, vel à Metropolitanis, pro inthronizatione sua daturos centum nummos, præter trecentos nummos dari solitos Notariis, & aliis Officialibus Ordinatoris. *Dare pro inthronisticis quidem solidos centum: Notariis autem ordinantis, & aliis ministrantibus ei, & solemniter accipientibus, solidos trecentos.* Hæc Inthronistica jura, & pro Officialibus, variè mox dispensantur juxta proventus cujusque Ecclesiæ, à triginta pondo auri ad duo. Eximuntur enim his exactiooibus Episcopi, quorum Ecclesiæ reditus ad duo auri pondo non assurgunt. *Episcopum enim Ecclesia minùs duas auri libras redditus habentis, neque pro inthronisticis, neque pro alia qualibet consuetudine dare aliquid permittimus.* Protopresbyter & Archidiaconus consecratoris has pecuniæ summas accipient & dispensabunt. Qui plura his exiget, *pro inthronisticis, seu consuetudinibus*, triplum ejus solvet Ecclesiæ ejus qui dederit. Ex his elici videtur, Enthronistica solvi solita ab Episcopis post ordinationem. Insinuativa autem à cæteris Beneficiariis, ubi installabantur.

IV. Supersunt & alia ejusdem Constitutionis capita, non prætereunda, hinc remissioni, hinc rigori juris accomodata. Quo enim quisque demum Ordine initietur, vetitum est quidquam dari, nisi quod dari solitum est Ministris Episcopi Ordinatoris ita, ut omnium summa non exuperet reditus unius anni. *Sed neque Clericum cujuscumque gradus dare aliquid ei, à quo ordinatur, aut alii cuilibet personæ permittimus: solas autem præbere eum consuetudines iis, qui ordinantium Ministrantes sunt, ex consuetudine accipientibus, annuos autem emolumenta non transcendentem.* Habes hic ergo Annatam, sive reditum annuum Beneficii, persolvendam Ministris Episcopi, qui Ordinatione quempiam mittit in possessionem Beneficii. Postea enim nil Ecclesiæ, nil Capitulo dare cogitur, cui inscribitur. *In sancta verò Ecclesia, in qua constituitur, sacrum complere ministerium, & nulla penitus propriis Clericis dare pro sua insinuatione, nec ob hanc causam propriis emolumentis, aut aliis portionibus suis privari.*

V. Prohibetur mox ibidem Xenodochiorum Administratoribus, nequid iis dent à quibus eliguntur, vel instituuntur. Quod quamvis ad Ordines ea Officia nihil pertineant, Ecclesiastica tamen sunt, nec pretio venire possunt, nisi per summum nefas, ut ex Concilio Calchedonensi patet, à quo eodem damnationis telo confixi sunt, omnium authores simmniacarum exactionum, sive pro Ordinibus, sive pro Officiis Ecclesiasticis. *Sed neque Xenodochiam aut Nosocomum, aut Ptochotrophum, aut alium quemlibet, venerabilis domus gubernatorem, aut quamcumque Ecclesiasticam sollicitudinem agentem, dare aliquid illi, à quo constituitur, aut alii cuicumque personæ pro commissa sibi gubernatione. Ibidem.* Latissimè patent hæ voces, *Quamcumque Ecclesiasticam sollicitudinem, gubernationem.* Ita planum est iis circumscribi Officia, & munia omnia Ecclesiastica, ut omnium ex æquo nundinatio simoniaca sit. Innovat denique Imperator pœnas suprà memoratas, adversùs interventores sacrilegæ hujus emptionis, Laicos, Clericosque indiscriminatim. *Ibidem.*

VI. Et nequa elaberetur opportuna cautio, ac provisio, alia Constitutione Novella 137. c.2., voluit idem Justioianus, cum ad electionem Episco-

pi accedendum esset, omnis ut Clerus & Primores Civitatis convocarentur, jurarentque ad sacros Codices, inscriberentque hoc juramentum suo suffragio, ad haoc electionem nullo se alieno stimulo agi, non dooorum, non pollicitationum, noo amicitiæ, non gratiæ, aut favoris, non humano affectu quovis, sed contemplatione unius fidei purissimæ, & castissimæ disciplinæ. *Quemque ipsorum jurare secundùm divinu eloquiu, & ipsis psephismatibus inscribi, quod neque per dationem, aut promissionem, vel umicitium & grutium, vel aliam qualemcumque affectionem, sed, &c.* Electus ipse non ante ordinabatur, quàm juramento se constrinxisset, non dedisse, non promisisse se quidquam: non daturum, non promissurum, nec ordinatori Episcopo, nec electoribus, nec quibuscumque aliis. *Quod neque per se ipsum, neque per aliam personam dedit quid, aut promisit; neque postbac dabit, vel ordinunti ipsum, vel bis, qui fueru pro eo suffrugiu feceunt, vel alii cuiquam, ordinationis de ipso faciendu nomine.*

VII. Quia verò quod de Oeconomis, & Defensoribus, cæterisque Officiis dictum est, id validissimè confirmari oportebat, quod non tam facilè omnes assentirentur, ne hæc quidem sine simonia distrahi posse: id in causa fuit ut eandem rursos Legem Codiei suo Justinianus inculcatam voluerir, ubi & prolixius ejusmodi enumerat Ecclesię Officiales. *Si verò Oeconomus, vel Ecclesiasticus, seu Defensor, vel Chorepiscopus, vel Periodeuta, Visitator, vel Xenodocus, vel Nosocomus, vel Ptocbotcopbus, vel Orphanotrophue, vel Ptocbio Præpositus, compecietur peabuisse quid, ut sibi eura illa committeeetue, & bunc removeri ab bujusmdi curæ jubemus. Cod. l. 1. de Ep. & Clec. leg. 41.*

VIII. Uno quidem Canone complexi fuerant Calchedonenses Patres, *Can. 2.*, regulas omnes sacræ & purioris disciplinæ in propulsanda simonia, exauthorari jussi, qui Ordines, qui Clericatum pecunia, ant gratia emerent, qui ipsa similiter officia Chorepiscopi, Oeconomi, & id genus alia; nec inulti abierant sequestres, ac mediatores infandarum emptionum, Clericis depositione, Monachis & laicis excommunicatione perculsis. Quod verò nihil ibi commemoratum essei de Consuetudinibus, de Insinuativis, de Intronisticis, quæ Justinianus moderari visus est, & ita tolerare, cum funditus exscindere non posset: inde facilè conjectura assequimur, necdum eas corruptelas invaluisse tempore Concilii Calchedonensis, cujus jam hic nobis Canon adscribendus est. *Si quis per pecuniam fecerit oedinationem, & sub pretio eedegerit gentiam, qua non potest vendi, ordinaveeitque per pecuniam Episcopum, Peesbyterum, aut Diuconum, aut quemlibet ex bis, qui numecautur in Clero, aut promoverit per pecuniam dispensatoeem aut Desensorem, vel quemque, qui subjectus est Regula, pro sui turpissimi lucei commodo, propeil gradus periculo subjacebit; & qui oedinatus est, nibil ex hac ordinatione, aut peomotione proficiat: sed sit alienus ab ea digutate quam pecuniis quasieeit. Si quis veeò mediatoe tum tuepibus & nefundis datis vel acceptis extiterit, Clerieus grudu decidat, Laicus & Monacbus unathematizetue.*

Ita ergo statuendum nobis est, intra illos centum admodum annos, qui à Concilio Calchedonensi ad Justiniani tempora interlapsi sunt, ea omnia irrepsisse in Ecclesiam Orientalem jura Consuetudinum, Annatarum, insinuationum, & Inthronizationum. Uti certum est Justiniaoum primum & Imperatoribus exegisse aliquid pecuniæ ad confirmationem electionis Papæ'. Simillimum veri est, nihilo parcius eum, aut verecundius, cum aliis Patriarchalibus sedibus egisse. De hac exactione in Romanam Ecclesiam cur in Constitutiooibus suis siluerit Justinianus, ioquirent alii nobis oculatiores. An suarum ipsum puduerit sordium? An ne potuerit quidem de eo jure, peræquè ut de aliis suprà explanatia exactionibus meminisse? ut qui his modum aliquem saltem præscriberet, cum ea omnino opprimere ac tollere non posset: at summa potestate uti posset, in ea cohibenda exactione, cujus author ipse erat, cujus utilitas ad ipsum unum redibat. Potuerat utique ille hanc laudem pręripere Constantino Pogonato Imperatori, qui post Concilium VI. Oecumenicum ei consuetudioi ac servituti Principis Ecclesiæ finem imposuit, ut author est Anastasius Bibilothecarius in vita Agathonis Papæ. *Hic suscepit divulem jussionem, secundùm suam postulationem, ut suggessit, per quam relevata est quantitas, qua solita erut duei, pro ordinatione Pontificis faciendu.*

IX. Nec abnuo fieri potuisse, ut sicut Romani Pontifices, constantiæ & vigoris laude clarissimi, ac præ cæteris Gregorius Magnus, insregerunt seipsos, & accomodaverunt ei consuetudini, cui aliàs rigor Canonum simoniæ maculam illinebat; ita & Imperatores, atque Episcopi Orientis patienter & modicè tulerint consuetudines, & exactiones aliquas in Ordinationibus, quibus expurgandis impares se intelligebant, nisi Ecclesia in schismatis fœdissimi discrimen conjiceretur. Datis ad Eulogium Alexandrinum Episcopum Epistolis significat Gregorius, rescisse se in Ecclesia Alexandrina id teneri, ut in Ordinationibus dona ultro citroque commeent: *Addidit quod pee peamiu & donationee ordinatus esset Diaconus, quia eandem consuetudinem in sancta Alexandrinu Ecclesia convulvisse fatebutur. L. 11. Ep. 48.* Si certo rumore ad aures Gregorii id pervenerat, bas facilè existimarim illas fuisse à Justiniano dissimulatas Consuetudines. Non is enim erat sanctissimus Præsul Eulogius, qui alias tolerаret. His autem non irascebatur, quod & medici minusculis malis abstineant curandis, ne graviora excitentur. Nec secus forsan opinandum de Hierosolymitano Patriarcha Hesycbio, ad quem Gregorius eadem perscripsit, fama vulgatum esse, Orientales omnes Ordinationes simoniaco contagio afflari. *Pervenit ud nos in Oeientis Ecclesiis nullum ad sacrum Oedinem nisi ex præmiorum datione perveniri. Baron. an. 601. n. 14.*

X. Eas autem Orientis vitiosas consuetudines Occidentem pervasisse, ne probabile quidem est. Id quidem ex antè disputatis, & ex allegatis Canonibus satis superque patet. In dubium vocari etiam possit, an totum in Orientem illa consuetudinum colluvies exundarit. Sanctitatis gloria celebratissimus Patriarcha Alexandrinus Joannes Eleemosynarius, bigamum Diaconatu initiare constantissimè recusavit, etsi ducenta millia medimnorum tritici offerret, & centum octoginta pondo auri in pauperes eroganda, quos tum pręmebat egestas, exaustis nimirum pecuniis Patriarchæ, omnium parentis ac provisoris. *Vitu ejus c. 12.*

XI. Ab Sunnerico Ariano Vandalorum in Africa Rege promulgatum est Edictum, ut Catholicis Episcopis ex hac mortali vita migrantibus eorum res fisco Regio adjudicarentur, nec in eorum sedes conscendere sinerentur successores, nisi pecunia ærario persoluta publico. Suspensa tamen est ejus Edicti executio, cum Regii Ministri Principem monuissent, non alia ratione Præsules omnes suæ sectæ per Orientem dissipatos per Thraciam, pœnis & exactionibus iisdem mancipatum iri. *Vit. de persecut. Vand. l. 2.* Hinc autem perspicis ante imperium Justiniani ne Antistites quidem sectarum hæreticarum obnoxios fuisse exactioni ulli, aut pecuniæ Principi solvendæ. Perfecit in Italia Theodoricus Rex, quod meditatus fuerat in Africa Hunericus; Justinianus in jura successit Regum Gotho-

thorum. Si Chrysaphius à Flaviano aurum poposcit, privata & peculiaris ea erat Chrysapii perversitas, non consuetudo jam adulta. Ideo & vasa sacra misit Flavianus, quibus improbitas & avaritia ejus suffunderetur. *Evagr. l.2. c.2.*

XII. Exilio mulctatus, an illustratus est Patriarcha Antiochenus Anastasius Sinaita, quòd impatientissimè ferret Justinus II. Imperator invictam ejus constantiam in recusando auro, quod deposcebatur, ad aditum sibi in Episcopalem Cathedram aperiendum. *Dicitur Justinum Anastasio succensuisse, quòd postulanti ei pecuniam, cum Episcopus esset designatus, Anastasius dare noluit. Ibidem l.5. c.5.* Hinc quidem manifestissimum fit Justinianum & successorem ejus, in aliorum Patriarcharum electiones ampliasse jus illud exigendæ pro confirmatione pecuniæ, quo in Romanos Antistites abutebantur. Sed & hinc eminet magnum & memorabile constantiæ Episcopalis monumentum, ne facilè assentiantur injuriosis novisque in libertates Ecclesiæ conatibus.

XIII. Sed inter Episcopos non paulò plus periculi à simonia incumbebat. Narrat Palladius, *c.14. 15.*, ut Chrysostomus Ephesum concesserit, & Synodico judicio discinxerit, deposueritque Episcopos omnes, quos Antoninus Episcopus Ephesinus repræsentata pro singularum Ecclesiarum facultatibus pecunia ordinaverat. *Ordinationes Episcoporum vendere pro modo redituum.* Illis abdicatis jussum est, ut aurum quod expressum ab eis fuerat, eis restitueretur ab Antonini jam fato functi hæredibus. Pia & necessaria visa est hujus Concilii sævitia, ne in Ecclesia eadem increbresceret rerum sacrarum nundinatio, quæ inter Judæorum & Ægyptiorum Patriarchas. *Ne si ista passim permitterentur, consuetudo Judaica vel Ægyptia fieret, vendendi Sacerdotium & emendi. Ajunt enim eum, qui apud Judæos falso nomine Patriarcha dicitur, ut pecunias cumulet, annis singulis & intra annum quoque sæpiùs Archisynagogos mutare. Similiter & Ægyptiorum Patriarcham hunc imitando peragere.* Quàm crebra autem Orientem infestaret simonia, locupletissimus & oculatus testis est Isidorus Pelusiota, complurimis Epistolis, quas indicasse contentus ad aliam pergam. *L.2. Epist.60. 199. 221.*

Rescripserat ad Episcopos Provinciæ suæ B. Basilius, *L.3. Epist.17. 76.*, Cæsareæ in Cappadocia Metropolitanus, sua se eos communione ejecturum, nisi manus abstinerent à pecunia ab iis, quos ordinabant exprimenda, ludificatorio eo obtentu nihil posthac profuturo, quasi spontanea ea essent post perfectam ordinationem dona. *Quæ verò sit impostura, dicam: putant enim se nihil delinquere, quòd non ante; sed post manuum impositionem pecuniam accipiunt. At pecuniam accipere, accipere est, quandocumque fiat.* Scitissimè porro Basilius ait, quocumque sumas tempore, pecuniam sumi: utcumque ematur Spiritus Sanctus, certissimam emi damnationem; denique hujus sui ævi Simoniacos Simone ipso nocentiores esse, qui in tanto non versabatur lumine, nec tot exemplis à flagitio avocabatur. *Levius enim deliquit, qui propter inexperientiam emere volebat.*

XIV. Ea Basilii Epistola à Balsamone prolata est, uti & Justiniani Constitutiones hìc à nobis laudatæ, in Photii Nomocanonem, *Tit.1. cap.24.*, conjectæ sunt. In usu ergo illæ erant Photii & Balsamonis ætate, quantum ad juris remissionem pertinebat: at in stricti juris observantia, quantum ab eis descitum esset, apertum fecit Balsamon his verbis: *Puniri laicos, qui Sacrosanctarum Domorum administrationes pecuniis suscipiunt, ex hac Novella apparet. Quis sit autem laicus, qui Sacrosancta Domus administrationem suscipiat, vel fiat Clericus, vel in Cellulario Monasterio constituatur gratis, ignoro. Et propterea genibus flexis Deum rogo, ut nos omnes à talibus minis liberemur. Si enim Dominus iniquitates observaverit, quis sustinebit?* Quo testatum fit ejus ævo nec Xenodochiorum administrationes, nec Clericatum, nec habitum Monasticum impetrari potuisse, nisi aliquantis nummis persolutis. Quod nec ipse negat Sacris Constitutionibus inimicissimum esse. Missam facio Constitutionem Gennadii Patriarchæ Constantinopolitani adversùs simoniacas ordinationes, ab eodem Balsamone publicatam.

XV. Sed in præteritis non relinquam Observationes Joannis Antiocheni in suo Nomocanone, in has ipsas Justiniani Constitutiones, quæ nonnullas in ordinationibus largitiones æquo animo ferunt. Confitetur statim Joannes leges eas Apostolicis Constitutionibus adversari, necnon & Canonibus ac Conciliis, quibus placet, ut Christi ministri à quacumque avaritiæ contage ac specie alieni sint. *Sciendum est hanc Constitutionem Apostolicis Canonibus & Sanctis Synodis adversari. Quod Sancti quidem Apostoli, & qui post illos fuerunt Sancti Patres Sacerdotum mores ab avaritia alienos esse debere censuerunt. Tit.16.* Sed præmissa ingenua confessione, ea fuco nescio quo, & ascititio velo obumbrare idem ipse conatur has Juris Canonici labes. Censet enim Imperatorem, ut qui dominetur orbi, statuisse, quibus donis colendi sint Episcopi, sicut auro, thure & myrrha Christum venerati sunt Magi; ab Episcopis dignos ordinandos esse, at indignos procul amoliendos: verùm post Ordinationem posse eos, non exigere quidquam à pauperibus, sed à locupletibus accipere, quod legibus præfinitum est. *Verùm si placet hoc consideremus; hanc Imperatoris Constitutionem esse, qui cum omnes mundi res in sua potestate habeat, munera Episcopis providit. Etenim Magi aurum, thus & myrram Christo obtulerunt. At divitibus quidem postquam divina gratia digni comperti fuerint, hæc dare permittit; non tamen ordinantem ad munera respicere, vel omnino animum ejus iis oblectari, vel eos, qui sine muneribus accedunt, pauperes quidem, at divina gratia dignatos rejicere, aut probris afficere: sed ad Deum respicientem, accuratè considerare eum, qui verè dignus sit, eumque ordinare.* Æstimabit pro arbitrio Lector, an simili tergiversatione excusari posset Isaaci Comneni Imperatoris Constitutio, & aliæ quæpiam hic adnotatæ. *Juris Orien. Tom.1. pag.7. 121. 123. 269.*

XVI. Agmen claudet Constitutio Heraclii Imperatoris, nisi eam males Sergio adscribere Patriarchæ, qui illam ipse ante commentatus fuerat. Præfixo ibi ille numero cujusque Ordinis Clericorum Cleri Constantinopolitani, vetitoque, ne quis ultra eum numerum allegeretur; subjicit mox tamen accrescere & supernumerarios posse, si modos fundos ipsi & reditus Ecclesiæ donis non aspernandis augeant, vel testamentis, aut si quis alius in eorum gratiam ejusmodi conferat proventuum incrementa. *Nisi quis fortè propter eximium incrementum, quod facultatibus ejusdem Sanctissimæ Ecclesiæ per concessas ab ipso res in donationibus, vel testamentis, cum observatione Sacrorum Canonum accesserit, in aliquem prædictorum ordinum receptus fuerit, vel alteri persona hoc impetraverit. Quippe si hoc usuveniat, tam ob ejus propositi pietatem, quàm magnitudinem emolumenti, permitti posse, ut numerus ille constitutus adaugeatur. Juris Orient. L.2. p.79.*

XVIII. Existere illinc id videtur, posse à quopiam erigi, & dotari, fundarique Canonicatum, quo vel ipsemet, vel alius quispiam illico induatur, si modò nulla obstrepat irregularitas. Eo enim sensu donanda sunt hæc verba, *Cum obser-*

vatione sacrorum Canonum. Sedes omnes Clericorum cujuslibet Ordinis & Officii in Ecclesia Constantinopolitana, instar habebant Collegii Canonicorum, ad certum numerum astricti: quo expleto, poterant nihilominus accedere, adjicique, qui eidem Ecclesiæ tam largè res suas & fundos accumulabant, ut hæc videri posset, quasi novi Canonicatus dotatio.

XVIII. Nec ea videri potest privata & peculiaris fuisse hujus Imperatoris sententia, cum ab ipsomet testificatum sit, à Patriarcha Sergio ante diu libratam perpensamque eam Constitutionem, atque ita ejus hortatu ab Imperatoria Majestate promulgatam fuisse. *Simul à nobis Beatitudo tua petiit, ut hac adeo præclarè ac religiosè abs se trutinata, per Sacram Sanctionem Pragmaticam confirmaremus.* Horum Canonicorum admissioni innexa erat quodammodo Ordinatio. Unde ibidem mox: *Neminem recipi debere, nec ordinationem consequi, sine magna quadam compensatione, vel ex testamentis, vel donationibus, quæ cogant eum procedere. Nam & hoc ad ejusdem Sanctissimæ Ecclesiæ utilitatem spectat.*

Quibus postremis verbis refricatur nobis memoria Justiniani longo intervallo semoventis dona quæ Ecclesiæ, & quæ privatis hominibus fiunt: cum his ut plurimum comes adhærescat simonia, aut simoniæ suspicio. *Nos enim ea sola dari prohibemus, quæ privatis quibusdam personis præbentur; non ea etiam, quæ Sacrosanctis Ecclesiis & venerabilibus domibus offeruntur. Apud Basil. in Nomoc. Tit. 1. c.24.* Plura à nobis superiùs hac de re dicta sunt.

XIX. Unus superest scrupulus, quem eximamus. Diximus enim inter Calchedonensis Concilii & Justiniani Imperatoris tempora inolescere cœpisse consuetudines eas, vel simoniacas, vel simoniæ finitimas, quibus ille suis legibus umbram aliquam authoritatis circumfudit. At Episcopi, quos Chrysostomus in Asia abdicavit, tanquam simoniacos, professi sunt se donis Ordinatori suo Episcopo Ephesino offerendis, consuetudini obsecutos fuisse, cum non aliter confiderent posse se Curialium servitutibus absolvi. *Dedimus, hanc esse consuetudinem existimantes, ut videremur à Curia liberari. Pallad. in vita Chrys. c.14. 15.* In Concilio autem Calchedonensi Patriarchæ Constantinopolitano ordinatio quorumdam Metropolitanorum concessa illa quidem est, sed sustinuit assensum suum Ancyranus, donec sponderent Patriarchæ Constantinopolitani, abstenturos se in posterum prioribus suis illis extorsionibus, quibus ordinandos exugebant. *Rogo ut Civitates pro Ordinationibus non solvant. Act.16.* Tum sanè responsum est à Presbytero Ecclesiæ Constantinopolitanæ, *Ex Regula hoc interemptum esse*, hoc secundo Canone Concilii Calchedonensis expunctam jam esse eam corruptelam. Non ergo forsan aptior responsio occurret ulla. A' Calchedonensi elisos fuisse omnes eos usus simoniacos. Adde nec his paucis & peculiaribus factis fidem astrui posse consuetudinis vulgatissimæ. Nec id consuetudinis invaluisse causantur Episcopi à Chrysostomo depositi, sed ita se existimasse. Et quanquam id affirmassent, labaret fides testimonii, quo suam ipsi causam tuebantur. Et sanè à vero alienissimum erat, quod prætexebant, eam se pecuniæ largitionem existimasse necessariam, ut Curialium vinculis eximerentur, cum obvia esset Constantii lex, qua iis nexibus absolvebantur Episcopi.

CAPUT LVII. *P.2. l.3. c.17.*

De Simonia ex Favore, Precibus, Obsequiis, ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. Quantis obvia sit periculis gratia & interventio Magnatum, ad Beneficiorum, & ordinum adeptionem.

II. Humana hac industria & arte extinguitur meritum & pietas.

III. Hæ assurgendi rationes ex B. Gregorio simoniæ finitima sunt.

IV. Qui eligunt, præsentant, instituunt, conferunt, ordinant, simoniaci sunt, si non obversantur eorum oculis & mentibus, nisi preces, laudes, obsequia, amicitia.

V. Piis & religiosis omnibus omnia abjicienda sunt munera, quæ à lingua proficiscuntur, à manu, à corde, quo sensu & modo.

VI. De iis, qui Ordines, vel Beneficia conferunt illis, qui confidunt in potestate magis se habituros.

VII. Ex Hieronymi doctrina, & Hormisda, confirmatur sententia Gregorii Magni.

VIII. IX. Confirmatur & ex Legibus Justiniani, & ex Canonibus Apostolicis.

I. PAulò altiùs subeundum nobis est in penetralia simoniacæ pravitatis, declarandumque non auro tantùm emi cœlestia & quovis pretio uberiora Spiritus Sancti dona, sed etiam favore, interventione, & ambitiosis precibus Optimatum sæculi. Illi enim demum ad hanc Magnatum gratiam confugiunt, qui virtutum & meritorum inanes, mendicatis commendationibus obrepere contendunt, quibus ipsis ab eo scopo, in quem collimant, longius semoventur. Quam enim his artibus adepti erunt dignitatem, hanc interventorum suorum libidini & vesaniæ prostituent; servientque certissimè iis, per quos ad eam dominationem protrusi fuerint. Ita sentiebat Gregorius, *L.2. Ep.22.*, ubi de electione disputabat Episcopi Salonensis: *Illud præ omnibus cura sit, ut in hac electione nec datio quibuscumque modis interveniat præmiorum, nec quarumlibet personarum patrocinia convalescant. Nam si quorumdam patrocinio fuerit quisquam electus, voluntatibus eorum cum fuerit ordinatus, obedire reverentia exigente compellitur; sicque fit, ut & res illius minuantur Ecclesiæ, & ordo Ecclesiasticus non servetur. Talem ergo personam debent eligere, quæ nullius incongruæ voluntati deserviat; sed vita ac moribus decorata, tanto ordine digna valeat inveniri.*

II. Alibi quoque idem Gregorius certissimè auguratur, ubi abundat Procerum favor, inde vera merita exulare. *Nulla sit in ordinatione venalitas, potentia vel supplicatio personarum nihil obtineat. Nam procul dubio Deus offenditur, si ad Sacros Ordines quisquam non ex merito, sed ex favore, quod absit, aut ex venalitate provehitur. L.2. Ep.48.* Et rursus alibi: *Eorum, qui in Sacro sunt Ordine collocandi, priùs vitam moresque discutite, & ut dignos officio adhibere possitis, non vobis potentia, aut supplicatio quarumlibet surrepat personarum.* Et alibi: *Oportet ut neque per commodum, neque per gratiam, aut quorumdam supplicationem aliquos ad Sacros Ordines consentiatis, vel permittatis adduci. L.4. Ep.56.*

III. Exploratissimum profectò erat Sanctissimo Pontifici, verè emi, vendique, quæ favore, preci-

cibusque Procerum extunduntur ab iis, penes quos jus est eligendi, vel nominandi ad Beneficia, cum eam ille semper ambitionem simoniacam ei adjungat, quæ auro fit. Ita liquebat in Epistolis suprà recitatis; liquebit & ex hac rursum, ubi illud quoque sedulò adverti par est, quòd consanguinitatis & proximitatis contemplatio simoniacis & ipsa illigetur affectibus. Constantissimum enim est, affectus istos omnes, pecuniæ, commendationum, precum, interventionis Magnatum, proximitatis, ne speciem quidem, vel umbram tenuissimam meriti præ se ferre; argumento autem potius esse, & virtuti & merito nuntium esse remissum. Audi ut Gregorius super ea re Brunechildem Reginam alloquatur. *L.7. Ep.5. Nullum, qui sub Regno vestro est, ad Sacrum Ordinem ex datione pecuniæ, vel quarumlibet patrocinio personarum, seu proximitatis jure patiatur accedere; sed quem dignum vita & mores ostenderint, &c. Ne si honor venalis fuerit Sacerdotii, &c.* Et in Epistola alia ad Episcopum Gallicanum: *Nihil in dandis Ecclesiasticis ordinibus auri fames inveniat, nil blandimenta surripiant, nihil gratia conferat, honoris præmium vitæ sit provectus, sapientię incrementum, modestia morum. L.9. Ep.50.*

IV. Si à simoniaca infamia non recedit, qui suffragium confert, qui Beneficia, qui ordines, una commendatione Magnatum, vel precibus excitatus, vel consanguinitatis impulsu, non meriti, non doctrinæ conscius ejus, qui proponitur; si eodem oblinunt se flagitio Proceres, qui interventione sua & precibus indignos ad dignitates propellunt, ut monebat nunc Gregorius: æquè indubium est, Electores, Præsentatores, Collatores & Ordinatores in eandem conjiciendos esse classem simoniacorum, qui non incitantur nisi laudibus, affectibus privatis, & obsequiis, vel jam exhibitis, vel quæ spes sit exhiberi ab his posse, quos vel Ordinibus vel Beneficiis decorari gestiunt. Aliquo sunt hæc omnia pretio apud mortales, & ea vel expectare, vel excipere, ut mercedes cælestium mysteriorum, execrandum simoniæ genus est. Ita constanter Gregorius idem Magnus. *Hom.4. & 17. In Evangel. Sunt nonnulli, qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen sacros Ordines pro humana gratia largiuntur: atque de largitate eadem laudis solummodo retributionem quærunt. Hi nimirum quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt; quia de impenso officio sanctitatis, nummum expetunt favoris. Unde bene cum justum virum describeret Propheta, ait: Qui excutit manus suas ab omni munere. Neque enim dixit: Qui excutit manus suas à munere, sed adjunxit, ab omni: quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus quippe ab obsequio est, subjectio indebitè impensa: munus à manu, pecunia est: munus à lingua, favor. Qui ergo sacros Ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solùm nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit.*

V. Laudes, assentationes, studia, obsequia, sive præstita, sive præstanda, ejusmodi res sunt quæ in pretio habeantur, ideoque his emi vendique possint res quælibet promercales, quas modò emi vendique fas sit. Nefas est autem utcunque emi, vel vendi res sacras; nefas est ex Gregorio, pium, & justum quemlibet, maximè autem Ordinum & Beneficiorum Collatorem humano affectui indulgere, & qualicumque tandem pretio moveri in cœlestium dignitatum distributione. *Tres sunt acceptiones munerum, ad quas ex fraude festinatur. Munus namque à corde, est captata gratia à cogitatione. Munus ab ore, est gloria per favorem. Munus ex manu, est præmium per dationem. Sed justus quisque ab omni munere manus excutit, quia in eo, quod rectè agit, nec ab humano corde inanem gloriam, nec ab ore laudem, nec à manu recipere dationem quærit. Moral. In Job. l.12. c.25. l.9. c.17.*

VI. Gregorii mentem assecutus omnino est Joannes Diaconus & simoniæ incunctanter imputavit, si vel Ordines, vel Beneficia obsequiis donentur, adulationibus & laudibus. Ita enim ille in vita Gregorii: *L.3. c.6. Sed astuta turpissimæ cupiditatis iniquitas non sufferens, tantis se commodis, licèt turpissimis, immo periculosissimis angustari, commentum satis artificiosum reperit, quo scilicet illos Sacerdotio sublimaret, qui sibi post consecrationem tantò subjectiores esse debuissent, quantò non divino, quin potius humano judicio se fuisse promotos, ipsi proculdubio reputarent.* Quod confirmat Gregorii loco suprà laudato.

VII. Jam & Hieronymus à simonia non segregaverat cupiditates illas terrenas Episcoporum, sacras Dignitates, Ordinesque donantium studiis privatis, amicitiæ, cognationis, Magnatum favoris, & quibuscumque demum illecebris, à virtute, sapientiaque & doctrina alienis. *Ex quo manifestum est, eos, qui Apostoli lege contempta Ecclesiasticum gradum non meritò voluerint alicui deferre, sed gratia, contra Christum facere. Moyses amicus Dei potuit utique successores principatus filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem: sed extraneus de alia tribu eligitur Jesus, ut sciremus principatum in populos, non sanguini deferendum esse, sed vitæ. At nunc cernimus plurimos hanc rem Beneficium facere, ut non quærant eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse; sed quos ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, & ut deteriora taceam, qui ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt. In Epist.1. ad Tit. c.1.* Concinit prorsus ea doctrina cum Gregorio, qui consentaneus & ipse erat Hormisdæ Papæ prædecessori suo, cujus hæc sunt verba: *Ep.25. Nec electio Præsulis empta detur pretiis, nec obsequiis sit quæsita operibus, &c. Nec ille se absolvet à culpa alienum, qui Sacerdotem initiaverit ad alterius redempti voluntatem; & vel sponte in hoc, vel necessitate consenserit.*

VIII. Quod magis mireris, nec Justinianum ipsum fallere potuit hæc fraudulenta simonia, quæ blanditiis, laudibus, studiis, authoritate, precum ambitione, patrocinio peragitur. Sic enim ille laicos etiam damnat simoniacorum pœnis; qui patrocinio suo quempiam juvabunt ad Ordinis, vel Beneficii consecutionem. *Si quis extraneorum, & non in Clero constitutus, qui aurum, aut rem aliquam propter patrocinium ordinationis accepit, &c. Novel.6. c.1.* Quid quod alibi Electores jurare cogit, & juramentum scripto firmare, non amicitia, non favore se agi, non humano quovis affectu, sed conscientia pietatis ejus quem sacro gradu augeri cupiunt: *Quod neque per dationem, neque promissionem, vel amicitiam, vel gratiam, vel aliam qualemcumque affectionem, sed quod scientes ipsos rectæ fidei, & honestæ vitæ, &c. Nov.137. c.2.*

IX. Quin & ipsi Apostolici Canones has secreverant geminas simoniæ species: *Si qui Episcopus per pecunias dignitatem assecutus, &c. Deponatur. &c. Si quis Principibus sæcularibus usus, &c. Can.29.* Canon Trullanus etsi solas videtur pecunias excludere, universim tamen proscribit instigationes quascumque alias, quæ non exoriantur ex probitatis & virtutum commendatione, quod eodem tandem relabitur, atque ea omnia, quæ hoc toto capite congesta sunt. *Qui pecuniis ordinantur, & non examinatione, aut vitæ electione, &c. Can.22.*

CA-

CAPUT LVIII. P.3. l.3. c.12.

De Simonia in Ordinationibus Ecclesiæ Latinæ sub Imperio Caroli Magni, & stirpis ejus.

I. Episcopos Consecrator juramento adigebat, omnibus omnino donis in Ordinationibus manus abstenturos.

II. Extimescenda magis erat simonia in Beneficiis, quàm in Ordinibus.

III. Patronis maximè reformidanda.

IV. Concilium Parisiense detestatur simoniam, qua in electione tunc Papa quandoque res turbabat.

V. Dona quibus adibatur Pontifex honoris causa, in usu erant tunc vulgatissimo in adeundis quibuslibet Magnatibus.

VI. Multa observantur in simoniam, maximè Patronorum.

VII. Ne à Beneficiariis quidem laicis exigere quidquam poterant Episcopi, qui feudis Ecclesiæ eos donabant.

VIII. Quanta in simonia discriminibus fuerit Hincmari morositas.

IX. Ut B. Dunstanus Abbas creatus sit Monasterii, quod ipsemet struxerat.

X. Quàm frequens tum simonia.

XI. Et quæ ejus pœnæ. Abdicare Prælaturam, & retrudi in Monasterium ad agendam pœnitentiam.

I. RESCRIBENS ad Carolum Magnum Adrianus I. significavit, Episcopum à se ordinari neminem, nisi publicè interrogatum, an quid cuiquam dedisset hujus dignitatis adipiscendæ gratia: & sacramento à se obligatum, etiam scripto, se nihil unquam ab ordinandis accepturum. *Sub jurejurando in scriptis respondent, se nunquam aliquid accepturos de manus impositione. Concil. Gal. Tom.2. p.96. 97.*

II. Sed cum distrahendorum Ordinum dedecus facilè incurrat in offensionem hominum, & horrori sit; diligentius crebriusque instandum fuit, ne Beneficia venalia prostarent, quòd hæc simonia sæpius fallat, & fucum faciat plerisque, qui suis se ludi affectibus non magnopere refugiunt. Patronatus ipsum quidem jus vendi, emique nefas est; at prædia, quibus illud affixum est, pretio distrahi concessit Concilium Francofordiense, dum Ecclesiæ, & Officiis Ecclesiasticis pristina constet forma & integritas. *De Ecclesiis, quæ ab ingenuis hominibus constituuntur, licet eas tradere, aut vendere, tantummodo ut Ecclesia non destruatur, sed serventur quotidie honores. Can.54.* Quibus extremis verbis obiter moneo insinuari his verbis quotidiana aliqua Officia, etiam in Capellis Nobilium, quas ipsimet suis prædiis inædificaverant.

III. Quanquam autem possent Patroni citra simoniam agros divendere, quibus illigatus erat Patronatus; non poterant tamen quidquam extundere ab eo, quem præsentabant, quanquam eum præsentarent, qui Presbyteratu jam esset initiatus. Si in id autem interventionem suam cuiquam venderent Laici, Clericique, eodem & ipsi flagitio inquinabantur. Ita enim Capitulare Theodulfi. *Si quis Presbyter inventus fuerit alicui Clerico aut laico munera dare, aut dedisse, ut Ecclesiam alterius Presbyteri surripiat, sciat se pro hac rapina, & sæva cupiditate, aut gradum admissurum, aut in carceris ærumna longo tempore pœnitentiam agendo detinendum. Cap.16.* Prohibet etiam Concilium Arelatense VI. ne quid Præsentatores accipiant à Presbyteris, quos nominant: alias enim Parochias addici pecuniæ, non doctrinæ, non religioni, quæ si suffragaretur, vilesceret & obrueretur pecuniæ suffragium. *Laici à Presbyteris omnino non audeant munera exigere propter commendationem Ecclesiæ; quia propter cupiditatem plerumque à Laicis talibus Presbyteris Ecclesiæ dantur, qui ad peragendum sacerdotale officium sunt indigni. Can.5.*

IV. Exarsit Concilium Parisiense VI. anno 829. in electiones & ordinationes simoniacas Episcoporum & Presbyterorum, nulla ne Romanæ quidem Ecclesiæ exceptione, à qua ejici & propulsari simoniam vehementissimè concupivit, pia & constantissima Imperatorum & Antistitum conspiratione. Quod nempe à capite non possit non in omnes artus morbi contagio permanare. *Quæ etiam Deo odibilis pestis necesse est, ut imperiali authoritate & potestate, cum consensu venerabilium Sacerdotum à Romana Ecclesia amputetur. Quoniam si caput languerit, membra in cassum vigeant necesse est. Can.11.* Propiùs abest à vero, non hc agi nisi de electione Papæ, quæ tum factionibus plerumque & ambitione plurima jactabatur, non sine frequenti pecuniæ interventione. Verba fecimus alibi de his electionibus, & quas ibi partes agerent Legati Imperatorum ad tumultuationes compescendas. Idque forsan ipsum est, quod hoc Concilio significatur interpositione authoritatis Imperialis. Episcopi verò quibusde hîc agitur, Cardinales Episcopi sunt, quos tum moris erat vocari Episcopos Cardinales, & qui in electionibus Pontificis Romani plurimum omnium poterant.

V. Fateor Lupum Ferrariensem Abbatem, cum in procinctu esset Romani itineris, testificatum esse non faciles sibi patere posse aditus ad Papam sine muneribus: *Quoniam in conficiendis rebus Apostolicis notitia indigebo, ea verò sine munerum intercessione iniri commodè non potest. Epist.68.* Sed à Cardinali Baronio, *Ad an.855.*, luculentè observatum est, ea honoris & venerationis pignora fuisse, non avaritiæ fomenta. *Quæ symbolum charitatis exprimerent in dante, & in accipiente non arguerent avaritiam.* Moris enim fuit, & est etiamnunc toto Oriente, ut nusquam Principes summi & Proceres adeantur, nisi dona præeant, honoris & reverentiæ documenta. Idem & in Occidente olim viguit. Nec nos fugit incestuosum publicum à B. Dunstano Archiepiscopo Cantuariensi excommunicatum, Romanæ Curiæ ministros muneribus excantasse, & impetrasse rescriptum, cui deferendum sibi non esse censuit Dunstanus: *Legatos Romam destinat, & talibus assuetu quorundam Romanorum corda & ora, in suam causam, largo munere, largiori sponsione permutat. Surius die 19. Maji c.31.* Sed quæ usquam Curia fuit, eritve numerosa, & frequens, cujus ministri & gratiæ impervii sint, & muneribus inaccessi?

VI. Reliqua lubens prætereo Concilia Franciæ, quæ simoniacas detestantur ordinationes, sicut & Capitulare Ludovici Pii, quo illæ è Longobardia proscribebantur. Nec dissimulaverat Adrianus I. in Epistola ad Carolum Magnum, frequentes eas esse in Thuscia & in Italia, quanquam pro virili ipse conniteretur ad stirpes tanti flagitii revellendas. Viderit Lector, an vicinarum Ecclesiarum dedecus in Romanam retorqueretur. *Vermer. Can. 24. Aquisgr. Can.32. Rom.II. Can.21. Turon.III. Can.15. Capit. Car. Magn. l.1. c.97. Conc. Gal. Tom.2. p.431.* In iis Conciliis quæ hîc adnotavimus, illud observare est, minus quandoque sejungi ordinationes, & Beneficiorum collationes, sive etiam permutationes. *Si pro immutatione Titulorum aliqud exigere præsumat*, ut habetur in Concilio

cilio II. Aquisgranensi anno 836. C.1. 2. 5.

Illud quoque animadverti par est, ad Patronos plerumque & Præsentatores laicos spectasse Canones, quibus simonia explodebatur. Superioribus addendus Canon Concilii ad Theodonis-villam anno 844. à quo vehementissimè interpellatus est Carolus Calvus, proscripta ut regno suo simonia, vacantibus Ecclesiis Episcopos daret, & sedibus suis redderet, iis quomodocumque ejectos. *Ut sedes quæ sine Episcopis viduata manent, submota fauditus peste simoniacæ hæreseos, sine dilatione juxta auctoritatem canonicam, aut Episcopis quacumque occasione privata sunt, canonicè eos sine aliqua excusatione aut tarditate recipiant.* Can.2. Et Concilium Viennense anni 888. *Ut nulli census à Presbyteris loco muneris ad introitu, ut dicunt, Ecclesiarum exquirantur, vi aliquæ extorqueantur:* Can.4.

Sed & ab ipsis Clericis non rarò manabat ea corruptela, qui muneribus Patronos demereri satagebant, qui virtutum magis & morum suffragiis fuissent conciliandi. Hinc irascebatur Hincmarus Presbyteris suis, qui Parochias ambiebant sibi, aliisve alumnis scilicet suis, & pecunia Patronos expugnabant, qui fuerant meritis & pietate alliciendi, *Et non necesse esset vobis petere Ecclesias cum superfluo exenio. Quia quique fidelis si vestra culpa non esset, plus quæreret bonos Clericos, quàm vestros nutritos. In maledictionem mittitis, cum dato Patronis præmio, vobis & illis peccatum emitis.* Con. Gall. tom.3. p.641.

VII. Probro idem Hincmarus & crimini vertit Laudunensi Episcopo nepoti suo, quòd Beneficia conferret donis delinitus. *A multis dicitur, quod vix pauci, aut potius nulli, apud te quidquam Beneficii sine præmii datione prævalent obtinere.* Hincm. Tom.2. p.584. & seqq. Hic verò memoria repetendum est, quo sensu Beneficia tunc dicerentur. Hincmari enim ævo & ab ipso Hincmaro plerumque ea voce designabantur laica Beneficia, sive feuda Laicis collata, qui militia fungerentur ea, qua Ecclesia Principi tenebatur. At non omnibus facilè forsan persuadebitur, simoniæ affines foro Episcopos, si quam ex iis pecuniam elicerent, quns his donabant Beneficiis. Et is tamen germanus videntur Hincmari sensus Qui rursum idem confirmat his verbis: *Canonum decretis adversum est, at res & facultates Ecclesiasticas, quæ in ordinatione Episcopali ad regendum & regulariter dispensandum sine pretio suscepisti, ad turpis lucri præmium in Beneficium dones.* Suo ipsius ut nepotem exemplo roboraret Hincmarus, nec in Parochiis, nec in feudis Ecclesiasticis dispensandis quidquam se muneris exuisse testatur. *Et ego nutritor tuus, quod quem à pueritia usque ad juventutem tuam exegisti ætatem, sicut vidisti & audisti, non pro largitione Beneficiorum, non pro commendatione ministeriorum, &c. aut à Clericis, aut à Laicis &c. quæcumque pretia, vel exenia, vel emolumenta exegi.* Eorum usu temporum, *commendatio ministeriorum* non aliud erat, quàm Parochorum institutio: at *largitio Beneficiorum* ipsa erat feudorum Ecclesiasticorum in Laicos distributio. Laudat denique in rem suam Hincmarus Constitutionem Novellam Justiniani Imperatoris, qua dari quidquam, accipique vetatur pro administrationibus locorum Ecclesiasticorum. *Ut locorum venerabilium administratores sine pecunia fiant. Nullus usque ex Xenodochiis, neque ex Ptochotrophiis, neque Nosocomiis, neque alicujus Religiosæ domûs administrator, vel cujuscumque Curæ Ecclesiasticæ gestor, præstet aliquid ei, à quo præponitur, vel cuicumque personæ pro commissa sibi administratione.*

Si porro tum simoniæ ascribebatur collatio Feudorum Ecclesiæ laicis facta ad tuitionem Ecclesiæ stipendia facturis, nisi gratuita esset; quo nunc se conspergunt dedecore Prælati, qui Officialium, Judicum, & id genus alia munia distrahunt?

VIII. Nec minus luculentè patuit, quanta in his esset Hincmari scrupulositas, ac religio, necnon & zeli constantia, cum ad Carolum Calvum literis datis, hortatus est diligentissimè, ab omni ut se simoniæ sorde abstineret; optatius enim sibi, pronitisque fore Episcopatu abire, quàm ut Episcopos ordinaret, vel tantillæ simoniæ fuligine aspersos. *In qua Epistola Regem studet à simoniaca hæresi compescere; asserens sibi multò amabilius esse, ipsum Episcopatum secundùm sæculum dimittere, quàm Episcopum contra canonicam institutionem, tam benedicere, quàm æterna secum maledictione maledicere.* Hæc Flodoardus. L.3. c.18. Facilè & brevi abolesceret simonia, si pari animi vigore perstarent Episcopi, ea labe maculatos sacris arcere ministeriis, eosque nec ordinare usquam, nec instituere.

Denique ne à Monachis quidem Sandionysianis existimavit Hincmarus, vendi posse Parocho decimas nescio quas: ea quippe venditione sempiternam emi damnationem, & ne laicos quidem se pati ejusmodi quæstu inquinari. *Decimam vendere quærunt, ut de ipso infernum comparent.* Ibidem. L.3. c.25.

IX. Ex adverso non immeritò forsan stupebit quis, B. Dunstanum, ingens postea Cantuariensis Ecclesiæ lumen, tum verò Monasticam vitam agentem, Abbatem creatum esse Monasterii, quod suis ipse opibus construxerat, dotaveratque iis, quibus à Rege donatus fuerat, latifundiis. *Claustra, Officinas, & quæ poterant esse Monachis accommoda cœpit ædificare. Post quæ plurimis fratribus sibi sociatis, loci ipsius Abbas effectus est.* Surius die 19. Maji c.14. Non ferè sinunt quemquam statim indui Beneficio, quod ipse dotarit, qua de re copiosè superiùs. Unum hic dicemus; Non sua voluntate Dunstanum eo Abbatis culmine sublimatum esse, sed à Monachis electum, à Rege compulsum electioni acquiescere: idque his verbis indicatur, *Abbas effectus est.*

X. Obruere silentio velim equidem quod in vita B. Romualdi scripsit Petrus Damiani. Sed cum Historiæ nihilominus, quam Ecclesiastico Dogmati dicatum sit hoc opus, meæ partes sunt, ut nec vitia taceam, nec virtutes. Scribit Petrus in Imperio Romano tam latè propagatam, tamque diu inveteratam fuisse simoniam, ut ne vitio quidem vereretur. *Per totam namque Monarchiam usque ad Romualdi tempora, vulgata consuetudine vix quisquam noverat, simoniacam hæresim esse peccatum.* Surius die 19. Junii c.42. Contra obnixus est Romualdus, objectaque Canonum & Conciliorum congerie, declaravit, non criminosos tantùm, sed & hæreticos habendos esse simoniacos. *Durissima severitate corripiebat eos, nisi Ordinem sponte desererent, omnino damnabiles & hæreticos asserebat.* Hæresibus annumerari non poterat simonia, nisi stulta & contumaci persuasione ea, quod nec crimini imputanda esset. Atqui vecordia illa occupati fuerant tum simoniaci, ut Petrus Damianus testatum facit. Non injuria ergo hæretici audiebant.

XI. Fulminanti Romualdo cessere consternati quidam Episcopi, eumque ipsum maximè percontati sunt, quæ demum sibi tenenda esset via emendandi erroris, & pœnitentiæ peragendæ. Sed cum primo statim malè parta abdicanda essent Beneficia, vix quisquam eorum ad perfectam resipiscentiam sese revocavit. *Nonnulli Episcopi, Episcopatum termino statuto deserere, & ad sanctæ conversationis se promittebant ordinem festinare. Ex quibus tamen vir sanctus quandiu vixit, nescio si vel unum convertere potuit.* Ibidem. Non erat quòd resilirent Episcopi, aut beato Romualdo succenserent, urgen-

geoti, ut Episcopatui renuntiarent, cum ita præcipiant sacri Canones, inusitatissimæ autem tum temporis essent dispensationes. Nec erat rursum quod excandescerent, quòd eos ille juberet reliquum vitæ cursum in Monasteriis peragere: cum iidem sacri Canones in Monasteria ablegent Episcopos & Clericos alios, qui pœnitentiæ expiationibus indigent; cum denique in Cœnobium idem Romualdus Ottonem ipsum Imperatorem abducturus fuisset, nisi tam præclaram summi Principis voluntatem mors præpropera antevertisset.

CAPUT LIX. *P.3. l.3. c.13.*

De Simonia in Ordinationibus Ecclesiæ Orientalis per eadem tempora Imperantis Caroli Magni & ejus prosapiæ Augustæ.

I. Mira perversitas & præpostera jactantia sese, venditantium de emptis Beneficiis, inemptis & gratuitis illudentium.

II. Eorum, qui officia Ecclesiastica pretio redimunt, condemnatio.

III. Qui in Cleri, vel Claustri limine primo quidvis largiuntur, non habent, quo jure infestentur.

IV. Quàm vulgata tum in Oriente simonia.

V. An fuerint jura aliqua Legibus confirmata, ut Episcopi à Clericis, quos ordinabunt, quidvis exigerent, aut à laicis.

VI. Fundator Cœnobii sua ipsius authoritate ei præfici non potest, & Abbas constitui.

VII. Plura observantur in legem Heraclii, qui supra numerum definitum Canonicorum, novos cooptari sinebat, siquid fundorum afferrent, vel pecunia.

VIII. Qui in Ecclesia Latina titulo patrimonii ordinantur, quasi supernumerarii Clerici sunt; eorumque jam patrimonio species jam quadam & imago illinitur Beneficii.

IX. Objectioni respondetur.

X. Prohibetur vendi Officia.

I. Latissimè manaverat morum calamitas in Ecclesia Orientali, cum quod pudori debuere esse, jam honori haberetur; & de emptis dignitatibus sacris jactarent sese, quos suffundi decuerat; illuderentque sola pietate & religione ad eas eluctantibus. Ei malo obviavit Concilium VII. Oecumenicum, *Act.5.*, qui ea, arte grassati fuerant, illis in postremas sedes dejectis; deterritisque justissima comminatione infligendæ canonicæ pœnitentiæ, nisi stolidam abjicerent ostentationem. *Eos igitur qui gloriantur se per dationem auri constitutos in Ecclesia, & in hac maligna consuetudine, quæ aliena à Deo, & omni Sacerdotio, sperant; & ex hoc impudenti facie, & exprobrabilibus verbis eos, qui ob virtutem vitæ à Sancto Spiritu electi, & constituti sine datione auri sunt, inhonorant: primo quidem novissimum gradum sui ordinis accipere definimus: quod si permanserint, per Epitimium corrigantur.*

Hic sanè non agitur, nisi de ejectione, vel nominatione ad Beneficia & ad Ecclesiasticas dignitates. Mox enim eodem Canone irrevocabili conteruntur depositionis sententia, quicumque simoniacè fuerint ordinati, uti Canone Apostolico cautum fuerat. *Si quis verò claruerit hoc faciens super Ordinatione.*

II. Id quoque adnotare juvat, in hoc Concilio Calchedonensem renovari Canonem & totum exscribi. Atque adeo eadem feriri damnatione & pœna, qui Officia Ecclesiastica Oeconomi, Defensoris, Mansionarii, & id genus alia pretio emunt. Ut idem prosus valere debeat in alia quævis bis finitima Ecclesiarum Officia, ævo posteriori licèt instituta. Hoc denique Concilio Mediatores ipsi simoniacarum conventionum eidem pœnæ subjiciuntur, laici excommunicationi, Clerici verò è suo gradu depulsioni. Ad calcem verò extremæ sessionis hujus Concilii rejicitur Epistola Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani ad Adrianum Papam, invehentis in simoniacas Ordinationes: ubi & illud operosa Canonum strenuè confirmat, æquè prohiberi, sive ante ordinationem quidquam accipi, sive postea, sive denique in ipsa ordinatione.

III. Scitè autem observat Balsamon post Zonaram, priorem hujus Canonis partem ad eos referendam esse, qui res suas ultro obtulerint Ecclesiæ, dum in Clericos attonderentur, & à quibus has gratuitas hostias Ecclesia accepit; qui tamen postea de his largitionibus suis intumescunt, confiduntque iis se anteponendos semper, quorum paupertas multis locupletata virtutibus, summas quasque divitias splendore suo oblitterare poterat. Addit idem ipse non minoris esse id momenti in Cœnobiis, ubi admittantur cum ingenti rerum suarum copia, qui eas sponte sua conferunt: cum ibi tamen debeat multo pluris fieri pauperum pietas & virtutum præstantia singularis.

IV. Intexuit Photius, *Tit.5. c.34.*, Nomocanoni suo Novellas Justiniani suprà sæpiuscule jam memoratas de Insinuativis, & de Consuetudinibus Clericorum Majoris Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ubi qui recentiores accedebant, dono quopiam seniores afficere compellebantur, dum ne ea summa Annatam, sive unius anni reditum superaret. Unde non temerè suspiceris Photii ævo usitatissima adhuc ea fuisse. In eum porro Nomocanonis locum non tacet Balsamon, quod patriæ, ætatisque suæ ingenti sentit cedere dedecori, vel laicum ad Zenodochiorum administrationes, vel Clericum ad Tonsuram, vel ad Prioratum Conventualem gratis admitti jam neminem; quo non possit non summopere dolere cladem desperatissimam disciplinæ sacræ sui ævi. *Quis sit autem laicus, qui sacrosanctæ domus administrationem, vel Ecclesiasticam ministrationem suscipiat, vel Clericus factus, vel in Cellulario Monasterio constitutus gratis, ignoro, & propterea genibus flexis, Deum rogo, ut nos omnes à talibus minis liberemur. Si enim Dominus iniquitates observaverit, quis sustinebit?* Quæ non piguit hic rursus exscripsisse.

V. Alibi verò idem ipse confirmat ætate sua viguisse Constitutionem Isaaci Comneni, de Jure Ordinatoris, qua non aliud tamen, quàm antiqua corroborabatur consuetudo. Eo jure solvebantur aurei solidi septem, nempe solidus aureus, ubi ab Episcopo, vel Archiepiscopo creabatur Clericus: vel Lector. Tres ubi ordinabatur Diaconus, tres denique ubi Presbyter.

Tum eadem Constitutio definiebat, quid à laicis exigere posset Episcopus, solidum nempe aureum unum, à vico cujus triginta essent fumaria, duos argenteos, tot agnos, tot gallinas, tot vini & tritici modios, & pro cujusque modo ex aliis vicis.

Eam Imperatoris Bullam Auream confirmavit Nicolaus Patriarcha, edito Pontificio diplomate. Adjicit porro Balsamon, his se exactionibus eximere non posse laicos, nec patrocinio uti textus Evangelici, ubi Christus ait, Gratis accepta, gratis danda: quod in mercedis, vel pretii loco esse non possit, quod Pastori alendo impenditur. *Ple-*

rum-

rumque laici prompta voluntate non largiantur Pontificibus Canonica, Evangelicum illud usurpantes, Gratis accepistis, gratis date. Quod non est admittendum. Neque mereet est, quod alimentorum gratia Pontifici datur. In Nomoc. Tit.1. c.34. De hac lege Isaaci Comneni prolixius agetur capite sequenti. *n.10.*

VI. Damnatus est in Concilio Constantinopolitano I. & II. usus alius simoniæ valde affinis. Simulatæ pietatis velo cupiditatem tegebant laici, exædificabant Cœnobia suis in prædiis, & eorum dominium retinebant, ad hæredes etiam cum luberet transmittendum. Jussit Concilium, ut chartæ dotationis Monasteriorum apud Episcopum deponeretur, ut omni eo jure & dominio exueretur fundator, & Abbatem ibi agere se, vel quemvis alium sibi subrogare non posset: *Nullo modo potestatem habente eo, se ipsum Præfectum, vel pro se alium constituere: Can.1.* Addit Balsamon, voluntate & authoritate Abbatem fieri non posse Episcopi, eum ipsum qui fundavit Cœnobium, vel dotavit. *Adjicit Canon, quod tantum debet abesse is, qui obtulit, à dominatu eorum, quæ ad Deum pertineat, ut ne Præfecturam quidem gerat in Monasterio, præter sententiam Episcopi, sed nec etiam alium Præfectum constituat.*

Varia aspersimus huic nostræ lucubrationi exempla Fundatorum, qui exædificatis à se Cœnobiis dominati sint semper suo quodam modo & jure; Abbatesque eis præfecerint, vel filios, vel proximos quoslibet. Sed illud nimirum animo præsumendum est, intervenisse authoritatem Episcopi, & expiasse quidquid laicorum imperitia, vel cupiditas obliquæ, & simoniacæ intentionis infundere potuisset. Gallicanis Conciliis illa sæpissimè Patronorum laicorum in Episcopos inculcata est observantia.

In Jure Orientali Leunclavii eadem repræsentatur Bulla aurea Isaaci Comneni Imperatoris, quo permittitur Episcopus aureos septem solidos exigere, ad ordinationem Lectoris, Diaconi, & Presbyteri. Quippe Græcis ex Minoribus Ordinibus, quos inter & Subdiaconatum numerabant, fas erat uno tantùm initiari, & ita provehi ad majores: unde unius nummi ad eos omnes exactio indrcebatur. Hanc Imperatoriam Declarationem Michael & Nicolaus Patriarchæ Synodicis decretis suis munierunt. *Juris Orien. pag.7. 121. 123.*

VII. Refertur & ibidem, *pag.79. 80.*, Constitutio Heraclii Imperatoris, de qua superius jam egimus, & in quam rursus non erit alienum pauca animadvertere. 1. Nec Imperatori, nec Patriarchæ observari visa est ulla simoniæ species, aut verò suspicio. In illud unum oculos conjiciebant, satis momenti esse in pietate dantis & in utilitate Ecclesiæ accipientis, ut remitterentur Canones qui numerum Cleri certum & definitum esse voluerant. 2. Illud enim necessariò præstruendum est, qui ita Clero, vel Capitulo Majoris Ecclesiæ Constantinopolitanæ inscribebatur, eum nec virtute, nec religione ea defieri potuisse, quam Ordo illi conferendus desiderabat; nec eo illum Ordine frustrandum fuisse, si alii Ecclesiæ allegi expetiisset, nullis oblatis donis: 3. Adde nec res Deo oblatas spectari, nisi ut hostias Sacras Deo dicatas, & pauperum destinatas sustentationi: Ita quamquam terrena sint hæc bona, spiritali tamen affectu, & ipsa, & ipsorum incrementa moderatâ concupisci possunt. 4. Cum ergo non agatur nisi de Clerico in Clerum adgregando, quem nec meritorum suffragia destituunt, & qui merita jam sua cumulat nova in Ecclesiam & pauperes largitate, forsan & rerum suarum omnium translatione in Ecclesiam & in pauperes: minùs mirandum jam est, si ab Imperatore à Patriarcha, & à Synodo Patriarchalium ut plurimum diplomatum confirmatrice, unanimi assensione responsum sit, & posse id ita fieri, & debere.

Aliàs autem in eam Constitutionem odia inflammari possunt, si quis reclamet, hominem ambitionis oestro percitum numerata pecunia Canonicatum sibi emere in Ecclesia Principe, Civitatis, Provinciæ, Imperii. At contrà. 1. Si proponatur Clericus ambitionis stimulo incitatus, jam receditur à proposita specie, ubi objiciebatur qui omnes impleret numeros & doctrinæ & pietatis ejus, quam Ordo requireret, cui suspirabat. 2. Ipsa per sese virtuti & religioni consentit voluntas renuntiandi sæculo, & adglutinandi se Ecclesiastico Collegio, cum rebus suis omnibus, vel earum parte non mediocri. 3. Ei Clerico patuisset aditus in eundem Clerum, nisi numerus jam impletus fuisset. Quod offert munus non eò pertinet, ut admittatur, sed ut ultra præscriptum admittatur. 4. Ætate Caroli Magni jam ostensum est Capitula omnia in Clericales coaluisse Congregationes; in eas adgregari se, multos expetiisse, & admissos non aliter fuisse; quàm in Congregationes Monasticas; vel nullis, vel aliquantulis donis oblatis, oblato nonnunquam & patrimonio universo. In his autem nec vel umbra oberrabat simoniæ. Discrimen in his unum subest, quod in Capitulis Occidentalibus omnes indiscriminatim admitterentur, etiam gratis: cum ex Bulla Heraclii agatur de iis, quibus dona sua aditum patefacerent. Nimirum nonnisi de supernumerariis suscipiendis hic quærebatur; qui gratis admitti ne possent quidem, sive per Canones, sive per Cleri opes. Alioqui gratuita fuisset & horum susceptio, si qui præfixus fuerat numerus, vacuas tunc aliquas sedes habuisset.

VIII. Posset & Ecclesiæ Latinæ exemplum aliud proferri, cui persuasissimum semper fuit, nec suspiciunculam posse oboriri simoniæ, si quis in Clerum allegatur sub titulo patrimonii. Ut enim Occidentalis Ecclesia illud cum diu mordicus retinuisset, ne Clero inscriberet, vel Ordinibus, nisi qui Ecclesiæ sese alicui certæ manciparent, à qua & sustentarentur: remisit postea, & in Clerum adscivit illos quoque, qui patrimonii sui portionem in Titulum Clericalem addicerent. Ita videri non immeritò potest, Heraclii Edicto, & Sergii Decreto cœpisse Ecclesiam Constantinopolitanam duplicis generis habere Canonicos, cum titulo videlicet alios Beneficii, alios patrimonii; quanquam horum patrimonium, non ad vitæ tempus, ut nobis moris est Latinis, sed in perpetuum Ecclesiæ addictum, jam speciem utique Beneficii illustriorem præ se ferret.

Longè posterior autem apud Latinos hæc fuit, quàm apud Græcos Tituli & Beneficii, ut ità dicam, patrimonii ratio. Illic videlicet ineunte ferè sæculo septimo, hic penè desinente duodecimo. 2. Apud Latinos etsi fundus ipse patrimonii non addiceretur Ecclesiæ, addicebatur tamen pensio temporaria ad vitam Clerici inde victitantis, & Ecclesiæ ministrantis. 3. His addes, si voles, Capellam anno 906. in Diœcesi Claromontana fundatam, & illico collatam Fundatori ipsi, dum superstes esset. *Joannes Sacerdos qui eam fundavit, regat quandiu advixerit. Capellam quandiu vixerit, non perdat. Baluz. Capitul. Tom.2. pag.1526.*

IX. Si Græcis rursus objicias Canonem Concilii I. & II. suprà allatum, quo vetatur fundator Cœnobii, se ipsum ejus Præfectura, vel suorum quempiam investire, cum unum penes Episcopum ea potestas sit. Reponere possunt illi discrepare mirum in modum regimen Monasterii, cui tanta animarum cura, tanta rerum temporalium in dies copia accrescit fundationi, à privata institutione Clerici, Lectoris, Subdiaconi, vel etiam Presbyteri,

teri, in Congregatione Clericorum, in quam nec temporali, nec spirituali jurisdictione oneretur. Distant immane quantum inter se, concupiscere Abbatem se, an Monachum creari: Episcopum, an Clericum tantùm.

X. In Compilatione Legum sub Imperatoribus Leone & Constantino facta, prohibetur exigi quidquam, aut dari, ad dandas vel admittendas Administrationes Xenodochiorum, & cujuscumque demum Religiosæ domus. *Juris Orien. Tom. 3. pag. 94.*

CAPUT LX. *P. 4. l. 3. c. 9.*

Quid exigi, quid recipi potuerit ex ordinationibus post annum Christi millesimum.

I. Varia Pontificum & Conciliorum decreta, ut gratuitè conferrentur Ordines, utque per cuniculos & anfractus nemo adreperet.

II. Decretum Gregorii VII. ne Ordines, vel Ecclesiastica Dignitates pretio redimantur.

III. Consimile Urbani II. Decretum. Ut hi duo Pontifices Concilii Calchedonensis Canonem trahant ad Ecclesiasticas posterioris hujus ævi dignitates.

IV. Vetantur Episcopi consecratores à consecrando accipere argentea vascula, cappas, id genus alia.

V. Ab undecimo sæculo ad duodecimum delabitur oratio, & ad decimum-tertium, ubi negotiationes qualescumque proscribunt Concilia in Ordinibus, Ordinumque consectaneis omnibus.

VI. Vetant & posteriora Concilia, ne quid exigatur pro Ordinibus, vel Literis dimissoriis: & nequid ministri ipsi exigere permittantur.

VII. Concilii Tridentini Decreta, ne quid pro Ordinibus exigatur, vel Ordinum additamentis.

VIII. Observationes in ea Decreta, quibus prohibetur quidquam accipi, etiam gratis oblatum. Mira incorruptæ integritatis exempla Episcoporum.

IX. Promulgatio Decreti Concilii Tridentini in Galliis.

X. De Ecclesia Orientali.

I. CUm ordinatione evehantur homines ad longè præstantissimam omnium dignitatem, & à qua cæteræ derivantur etiam sacræ dignitates omnes: diligentiùs etiam muniendi fuere, obstruendique aditus omnes, ne quos eò vel ambitio protruderet, vel admitteret avaritia. Ideo Lemovicense Concilium anno 1031. prohibuit munera omnino suscipi. *Episcopi de sacris Ordinibus munus non accipiant. Can. 3.* Ne pro inscribendis quidem nominibus, nec pro Literis ordinandorum. *Sicut pro scribendis nominibus ordinandorum solebant scriptores pretium accipere.* Concilium Remense anni 1049. vendi emique vetuit Ordines. *Can. 2. Ne quis sacros Ordines, aut ministeria Ecclesiastica, vel Altaria emeret, aut venderet.* Ex quo liquet ubi munera interdicebantur, tum Ordinibus conjuncta & indiscreta fuisse Beneficia, quòd non ferè ad Ordines anhelarent, nisi spe illecti Beneficiorum. Dilucidè id patet ex Epistola 35. Alexandri II. Papæ: *Constituimus atque firmamus, sicut olim Antecessores nostri fecisse noscuntur, ut nullus deinceps Episcoporum beneficium Ecclesia, quod quidam Canonicum, vel Præbendas, seu etiam Ordines vocant, pro aliquo pretio vel munere Clericis audeat unquam conferre; sed omnes ministros & servitores Ecclesia gratis & absque ulla venalitate in Sancta Ecclesia studeant ordinare.* Addit Pontifex non opibus merita, sed meritis & virtutibus veras opes parari Clericorum. *Nec eligant in domo Domini, qui majores sacculos pecunia conferant, sed eos, qui moribus & disciplina atque scientia divites, pro officio suo ipsam valeant sustentare Ecclesiam.* Denique ad prævertendas eludendasque artes omnes, quibus ingeniosa hominum cupiditas insidiatur dignitatibus sacris, vetat Pontifex, ne vel ad Ordinum, vel ad Beneficiorum assecutionem erogetur quidquam, vel in Fabricas Ecclesiæ, vel ad sacras aras, vel in pauperes, quòd malè parta bono usu nunquam satis excusentur. *Constituimus & eodem modo firmamus, ut nullus cujuscumque gradus Clericus pro Ecclesia beneficio aliquid audeat conferre, vel fabrica, vel denariis Ecclesiarum, seu etiam quod pauperibus sit tribuendum. Quia teste Scriptura, qui aliquid malè accipit, ut quasi bene dispenset, potius gravatur, quàm juvatur.*

In id Decretum non pauca sunt, quæ observari interfit. 1. Planum est tum unam adhuc eandemque rem fuisse his verbis designatam, Canonicatus, Præbenda, Beneficium, Ordo. Residuus enim erat usus ille ab ultima antiquitate repetitus, ut nec Beneficium fine Ordine, nec Ordo sine Beneficio conferretur. Ita & Ordo universim, & quique sigillatim Ordo, tam certò Beneficium designabat, quàm nunc Episcopatus. 2. Circuitu ambitioso utebantur, & voluntate saltem furtiva simoniaci erant, qui Ordinum vel Beneficiorum spe res suas Ecclesiæ conferebant. 3. Ubi divites ad Ordines aspirabant, vel sacras unà & profanas tunc opes sibi accumulatas volebant, vel splendore etiam sacræ dignitatis delectabantur. 4. In controversiam trahi potest, an hoc Decreto percellantur ii, qui patrimonii fundis dotant Beneficia, quibus ipsimet mox induantur. Disertis verbis nihil ejusmodi exprimitur, sed consequens utique videtur illud esse, præposterè agere, qui se marte propellat ad Ordines sacros & ad Dignitates Ecclésiasticas; & quidem si se ipse non meritis & pietate, sed opibus commendet. In eam rem non pauca jam attigimus, supersunt & non pauca suo infrà loco delibanda.

II. Anathema jaculatus est Gregorius VII. in eos, qui vel Ordines emerent, vel Officia sacra. Officia dicere malui, quàm Beneficia, quòd ea vox consentiat magis & sententiæ Gregorii, & Canoni Calchedonensi, quem hoc suo Decreto & Concilio Romano Gregorius innovatum voluit, & quo duplex illa emptio, & Ordinis, & Officii proscribitur. Ita sanè legitur in famosa Concilii hujus Romani Apologia, quæ Concilio ipsi subtexitur habito anno 1074. *Nec hoc sine consideratione prætereundum videtur, quod idem caput duo negotiatorum genera damnavit, unum quidem eorum, qui ad Diaconatum vel Presbyteratum, vel ad aliquem hujusmodi gradum per pecuniam ordinantur; alterum eorum, qui ad dispensationis ministerium, vel ad aliquod hujusmodi Clericale officium per pecuniam promoventur, qualis est Vicedominatus, Præpositura, Decania, Archipresbyteratus, & his similia. Sic ergo & noster Apostolicus duo negotiorum genera & omnes negotiantium versutiae in primo ejus statuto comprehendit. Cap. 6.*

Vicedominatus, Archipresbyteratus, Decanatus rurales, quibus de hic agitur, Officia sunt, non Beneficia. Et nihilo tamen minus horum nundinatores in Concilio Calchedonensi & Romano diris devoventur, diro implicantur anathemate. Facilè intelliget Lector, an eo quoque numero habendi sint Officiales, contentiosæ Episcopi jurisdictionis totius administri. Archipresbyteri enim & Decani rurales nullo Presbyteris aliis præcipuo jure antecellebant, nisi exercendæ ex parte aliqua jurisdictionis Episcopalis, qua impertiti erant, uti & Archidiaconi & Officiales. Id quoque adnotat hujus author Apologiæ, Simonem illum, quem tota etiam-

etiamnum execratur simoniæ parentem posteritas, sola voluntate peccasse, ad fructum sui flagitii non pervenisse. Itaque illo plerosque etiam nunc simoniacos detestabiliores asse. *Unde non param ipsum Simonem Magum in culpa præcedere videntur.*

III. Nec à Gregorio recessit Urbanus II. in Concilii Calchedonensis Canone 9. innovando & interpretando, Ecclesiastica Officia unà cum Ordinibus & Beneficiis complexus. *In nomine verò Procuratoris intelligit profata Synodus quemlibet Ecclesiasticarum rerum administratorem, ut verbi gratia, Præpositum, Oeconomum, Vicedominum: Defensorem nomine Advocatum, sive Castaldum & Judicem. In subjecto regula Archipresbyterum, Archidiaconum, Canonicum, Monachum, vel quemlibet Ecclesiastico mancipatum officio. Quod verò Spiritum Sanctum, quantum in se est, vendat, vel emat, qui Præposituram, vel hujusmodi vendit, vel emit, audit Augustinum, &c. Epist.17.*

Ita Pontifex ipsomet Concilii Calchedonensis spiritu animatus, Canonem ejus interpretatur, nominaque & Officia Ecclesiastica sui ævi accomodat illis Concilii Calchedonensis. Itaque simoniaca emptio ac venditio illa est, ubi temporali commodo addicuntur officia & dignitates Archidiaconi, Archipresbyteri, Canonici, Monachi. Hi sunt enim quos dici Concilium Calchedonense *subjectæ regulæ*. Judices quoque Ecclesiastici, sive Officiales eodem loco sunt, ut qui ex hoc Pontifice Defensoribus successerint, de quibus Concilium Calchedonense. Existimandum Lectori permitto, an Officia alia, quæ citra simoniam negat distrahi posse Pontifex, cognationis nonnihil habeant, vel etiam plurimum cum iis, quæ impræsentiarum impunè venire posse censentur. Altiùs autem velut à capite rem arcessit Urbanus, vendi Ordines, ubi venduntur Officia & Præbendę, quibus innexi sunt Ordines. *Quisquis alterum eorum vendit, sine quo alterum habere non potest, utrumque non venditum derelinquit.*

IV. Continui me studio brevitatis, ne omnes hic conglobarem Canones, tunc variis in Conciliis editos, cum ruente Caroli Magni stirpe, collabante Ecclesiæ disciplina, impunè grassata perdiu simonia est. Sed præteriri hic non potuit Decretum Concilii Romani sub Urbano II. anno 1099. quo vetantur Primates, Archiepiscopi, Episcopi, à quibus Episcopi consecrantur, ne vascula ab eis exigant argentea, ne cappas, ne tapetes. Cum sedibus enim suis excussi complures fuissent Episcopi, qui ad sacræ dignitatis culmen gradum sibi auro fecerant; ad hæc diverticula deflexit Præsulum avaritia, & munuscula hæc speravit dissimulari posse, quasi sponte oblata. Sed eo spiritu animantur, eo lumine collustrantur Concilia, cui hæc fallentis & furtivæ ambitionis latibula impervia esse non possint. *Ut nullus Primatum, Archiepiscoporum & Episcoporum in ordinatione & consecratione Episcoporum & Abbatum cappas, tapetia, bacinos, & manutergia qualibet exactione requirat, vel suscipiat.* Can.18. Minutias ejusmodi alias insectati sunt & Patres Concilii Pictaviensis anno 1100. *Ut nemo in faciendis coronis forcipes vel manutergia exigat.* Can.9. 13. Ubi non possum non Lectores monere, ut seriò advertant, quantas in sordes se præcipitem agat summa & sanctissima Ecclesiæ dignitas, ubi primùm ab officio suo & à Canonum observantia, hoc est, à se ipsa degenerat. In hoc denique Concilio confirmatum est, & totidem verbis rursus inculcatum Decretum suprapositum Concilii Romani.

V. Nec diu his ludibriis immorata avaritia, non multò post rursum ad emptiones Ordinum, Beneficiorum, Officiorum, Dedicationum, Installationum, & omnium denique rerum sacrarum transversam illam egit insitus furor. In Concilio Londinensi anni 1102. vænire prohibetur Officialis Officium, eo enim munere tum fungebatur Archidiaconus: *Ut Archidiaconatus non dentur ad firmam.* Can.2. Dabatur ad firmam jurisdictio Archidiaconi, atque ita venalia prostabant judicia. At in Concilio Remensi sub Callisto II. qui ei præfuit anno 1119. damnata est emptio quorumcumque Ordinum, Dignitatum, functionum sacrarum, Tonsuræ, Dedicationum, Consecrationum & Installationum. *Si quis vendiderit, aut emerit, vel per se, vel per quamlibet submissam personam, Episcopatum, Abbatiam, Decanatum, Archidiaconatum, Presbyteratum, Archipresbyteratum, Præposituram, Præbendam, Altaria, vel qualibet Ecclesiastica Beneficia, Promotiones, Ordinationes, Consecrationes, Dedicationes Ecclesiarum, Clericalem tonsuram, sedes in Choro, aut quolibet Ecclesiastica officia, & vendens & emens dignitatis & officii sui ac beneficii periculo subjacebit.* Can.1. Nec abhorret à verisimili sola hic munera proscribi, quę audaciùs exigebantur. Et sanè Concilium Londinense anni 1125. hoc universim renovans Decretum, vetat vi exprimi, non gratis oblata suscipi ejusmodi dona, tapetas, pelves argenteas. *Decernimus ut in consecrationibus Episcoporum, vel Abbatum benedictionibus, seu in Dedicationibus Ecclesiarum, non cappa, non tapeta, non manutergia non bacilia & nihil omnino, per violentiam, nisi sponte oblatum fuerit, penitus exigatur.* Can.1.3.

In Concilio rursus Londinensi anno 1138. cui præerat Legatus Pontificius, eadem explosa est licentia munusculorum in Episcopis consecrandis. *Non cappa, non indumentum Ecclesiasticum in consecrationibus Episcoporum, vel Abbatum benedictionibus, neque quidquam ab Episcopo, vel à ministris ejus exigatur.* Can.3.4. Exulare & hęc jussa sunt à Dedicatione Ecclesiarum, excepta una Procuratione, cui subscribunt Canones ipsi. *Nihil omnino præter procurationem sacris Canonibus institutam requiratur.* Si Episcopus Episcopi alterius precario utatur ministerio ad Ecclesiæ Dedicationem, ne huic quidem nisi procuratio debetur.

In Concilio Lateranensi II. sub Innocentio II. anno 1139. non solùm proscripta est venditio consecrationis Ecclesiarum, & quorumcumque Sacramentorum, sed & largitio quorumvis munerum, epularum, & quidquid ingenii excogitavit simoniaciti nec allegata suffragari jam posset consuetudo, ad exigendum, vel largiendum quidvis. *Et nec pro pastu, nec sub obtentu alicujus consuetudinis ante, vel post à quoquam aliquid exigatur, vel ille dare præsumat, quoniam simoniacum est.* Can.2. Concilium Lateranense IV. anno 1215. sub Innocentio III. nefandam explosit corruptelam, quæ pretium cujusque Ordinis definierat, & quantum cuique exolvendum esset: *Esque taxatum quantum sit isti, vel illi, quantumve alteri, vel alii persolvendum.* Consuetudo & antiquitas patrona allegabatur: *Consuetudinem longo tempore observatam.* Tantò constantiùs à Concilio damnata est vetustissima corruptela.

In Concilio Parisiensi anno 1212. nudati & proscripti sunt abusus furtivi complusculi, qui & ipsos persæpè Episcoporum oculos fallunt. Eorum non rarò Ministri exigunt, quod nefas est, vel quantum nefas est exigi: *Familiam habeant frugi, humilem, non superfluam, sed moderatam, ne exactiones indebitas faciant his, qui debent Episcopos dominos suos procurare. Camerarius, Buticularius, Panetarius, Cocus, Marescallus, Janitor, Senescallus, vel eorum servientes, pecuniam, vel aliam rem, quam soleat quasi pro consuetudine accipere, de cætero inhonestè non extorqueant. Janitores liberales & discretos habeant, &c. non venaliter pro loco & tem-*

pore recipiendos recipiant, & præcipuè ab ordinandis nihil prorsus exigant. Officiales fideles habeant & prudentes, sine personarum acceptione gratis justitiam exhibentes. Can.63. Part.4. c.10. 11.

Mox quamcumque simoniam hæc Synodus concepit, quòd gratiæ spiritales jam inanes sint, nisi sint inemptæ; pretio vilescant. *Simoniam generaliter & uniformiter prohibemus, videlicet in Ordinum & Beneficiorum collatione, in Ecclesiarum dedicatione, in virginum benedictione, in illicita servientium, seu creditorum, seu quorumcumque remuneratione in spiritualibus pro servitio temporali, & in aliis variis articulis simoniæ, salvis honestis & licitis consuetudinibus Ecclesiasticorum.* Can.12. 13. Mandanda animo sunt & altiùs infigenda hæc verba, ubi temporalibus obsequiis compensari & elici gratiæ spiritales prohibentur. *Seu quorumcumque remuneratione in spiritualibus pro servitio temporali.* Vetantur hic denique Episcopi quidquam exigere ex Visitationibus Parochiarum, ubi non eas ipsi, vel per substitutos obeunt; ne dispensationes autem pretio unquam addicant. *Neque pro redemptione procurationum, quæ eis ratione visitationis debentur, aliquid exigant, ubi nec per se, nec per alios visitationes faciunt. Et ne Beneficiariis ordinandis propter pecuniam quominus ordinentur indulgeant.* Missas facio & alias dispensationes, quæ hoc Concilio jubentur nonnisi gratis concedi.

VI. Anno 1322. in Concilio Hispaniæ Palentino vetiti sunt Episcopi, Clerici, Ministrique omnes inferiores, etiam Ostiarii, ne quid ante, vel post ordinationes acciperent. *Officiales eorum, seu Portarii pro Ordinibus collatis, seu conferendis, vel quocumque actu seu licentia ipsos Ordines præcedente, quidquam recipere ne audeant.* Idem prohibitum est in Literis dimissoriis, quibus permittuntur Clerici ab aliis Episcopis ordinari. *Archiepiscopi autem vel Episcopi, seu Vicarii eorum ipsis in remotis agentibus; vel sede vacante Vicarii per Capitulum deputati nihil omnino recipiant pro præsentatione ad Ordines, vel præsentationis literis alteri Episcopo facienda. Alioquin eo ipso incidant in supradictas pœnas.* Can. 29. Graves sunt hæ pœnæ, dupli etiam restitutionem indicunt.

Concilium Toletanum anni 1473. præcepit, ne quid exigerent Episcopi pro ordinationibus: ne quid acciperent ipsi, aut accipi sinerent ab Ostiariis, tonsoribus, cæterisque Ministris. *Percipimus universis Episcopis nostræ Provinciæ, ut pro conferendis Ordinibus quibuscumque, nihil penitus ante, vel post, seu cum iidem Ordines celebrantur, exigant, seu recipiant. Nec Janitores, Barbitonsores & alios Officiales quidquam exigere, seu levare permittant.* Can.25.

VII. Uno Decreto Concilii Tridentini contexta & connumerata fuere pleraque superiorum statuta Conciliorum hactenus à nobis memorata. *Quoniam ab Ecclesiastico Ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis tonsuræ, nec pro literis dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi & alii Ordinum Collatores, aut eorum ministri quovis prætextu accipiant.* Sess.21.c.1. Itaque donis etiam voluntariis & sponte in Ordinatione oblatis Episcopi hic interdicuntur. De Notariis infrà dicemus & Secretariis, & quid ab eis accipi fas sit. Sed non ulterius differendum, quod à Concilio prohibetur, ne quid Episcopi delibent de eorum sive lucellis, sive mercedibus, nec inveteratæ consuetudinis patrocinio confidant, cum ea potuerit consenescere perversitas, atque ita non tam levari, quàm ingravescere. *Nec Episcopis ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum collationibus directè vel indirectè provenire possit. Tunc enim gratis operam suam eos præstare omnino teneri decernit, contrarias taxas ac statuta & consuetudines etiam immemorabiles quorumcumque locorum, quæ potius abusus & corruptelæ simoniacæ pravitati faventes nuncupari possint, penitus cassando & interdicendo.*

In Concilio I. Mediolanensi Episcopis commendatum est, religiosè ut Decreto huic Tridentino morem gererent; ex Ordinationibus nihil acciperent ipsi eorumque Ministri, & ne id quidem quod gratis & sponte offertur. *Ne Episcopi & eorum ministri quidquam etiam sponte quavis de causa datum accipiant.* Can.9. Utque pervigiles in domesticos agant excubias, ne vel ab ipsis etiam quidquam gratis oblatum accipiatur. *Et à suis cubiculariis, cæterisque familiaribus servandum curent.*

VIII. Porro nihil novavit, prisca tantùm suo vigori reddidit statuta Juris Canonici B. Carolus, cum Episcopos vetuit, Officialesque & Domesticos eorum, voluntaria etiam dona admittere. Idem præcipiebat in Gregorianis Decretalibus Caput *in ordinando, De simonia*, ut quod ex Gregorio Magno decerptum esset. Callidius illud quam solidius commentati fuerant nonnulli, referente Fagnano, *in l.5. Decr. part.1. pag.142.*, Canonistæ, posse gratis oblata accipi ab Episcopo, si non ordinationis, sed amicitiæ causa & grati animi impulsu offerantur. Sed scitissimè advertit Fagnanus, hæc interpretandi ludibria explosa fuisse omnia disertissimis Tridentinorum Patrum verbis, vetantibus quidquam recipi, quo demum cumque fuco & colore id prætexatur. *Etiam sponte oblatum, quovis prætextu, & quacumque ex causa.*

Qui Beati Antonini Archiepiscopi Florentini vitam scriptis mandavit, commendata ejus incorrupta integritate in refellendis quibuscumque muneribus post Ordinum, vel Beneficiorum Collationem: duo subjungit quæ hinc ad eum redierint maximi ponderis emolumenta: alterum quod adversùs blanditias minasque septus ac munitus fuerit, ut nec transversum quod ajunt unguem à strictæ orbita justitiæ deflecteret: alterum denique, quod summa hinc illi accreverit authoritas in Clerum, ut pro arbitratu suo puriorem ad Disciplinæ formam illum sequacem & morigerum haberet. *Quoties initiandi ad eum convenissent, quoties Sacerdotia contulisset, aut probata ab aliis probaturus esset, ne obolum quidem, quid obolum, ne flosculos quidem, ut ita dicam, in domum intulit, aut quod caperetur à suorum quopiam permisit. Quam quidem abstinentiam ita in cæteris rebus præstitit, ut nullis posset machinis ac pollicitis adversùs integritatem & justitiam expugnari, &c. Clerum quem in omne flagitiorum genus ferè prolapsum acceperat, in meliorem formam restituit. Surius die 2. Maji c. 26.*

Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus exigenti mille argenti pondo Vuillelmo Angliæ Regi, quod gratis ejus Ordinationi assensus esset, atque ita gratuitam consensionem suam vendenti, & vendendo evertenti: negavit se simoniacæ cessurum exactioni, quam non magni interesset, ante, vel post ordinationem fieri. Ita enim habet Matthæus Paris. *Ad annum 1094. Archiepiscopus nihil interesse ducens, ante promotionem vel post, talem ob causam numerare pecuniam, pari pœna dignum arbitrabatur utrumque. Cum autem favor Regis nisi læsa conscientia impleri non poterat, elegit potiùs Regis indignationem, quàm dispendium suum, & periculum animæ in præsens incurrere, & in posterum confusionem & scandalum in Dei Ecclesia seminare.*

Literis commendata est ab Innocentio III. mira morum innocentia & insueta, ac semper suspensa religio Archiepiscopi Strigoniensis, qui an-

ceps

ceps animi, anxiusque aliquandio fuit, nequis simoniæ nævus ordinationi suæ illitus esset ex eo, quod germaous ejus Legatum, qui Roma Pallium sibi attulerat, equo donasset, equis nempe, post tantum emensum iter destitutum. Eum Pontifex Archiepiscopn scrupulum exemit, ostensa dooi levitate præ amplitudine Legati, præ germani sui opibus & nobilitate; præter quam quod, cum equorum penuria premeretur tum Legatus, hinc liquebat, tum solandæ ejus inopiæ, non emercandæ gratiæ id datum esse. Addit Pontifex, quæ minimi sunt pretii munuscula, pro nihilo reputanda esse, nec ex iis esse quod angatur vel dantium animus, vel accipientium. *Quod autem scriptum est, Beatus quis excutit manus suos ab omni munere, de illis donis dictum est, qua accipientis animam allicere, vel pervertere solent. Quoniam si ipsa etiam persona electi offerat Ordinatori, vel consecratori suo electuarium, vel de vino, sive aliis hujusmodi, qua modici pretii fuerunt, & qua volantatem recipientis inclinare vel movere non debeant, non tamen Ecclesia Romana interpretari consuevit accipientem in his delinquere, vel donantem.*

IX. Anno 1574. Comitia generalia Cleri Gallicani, suo ad Regem Commonitorio, sive Capitulari, *Art.*14., illigavere totum Tridentini suprapositum Concilii Decretum. Henricus III. Rex Christianissimus exinde illud idem intexuit Edicto suo Blesceosi, *Art.*20., anno 1579. atque ita Regia confirmavit & promulgavit authoritate. Itaque ambigit jam nemo, quin Decretum hocce Tridentinum in Galliis promulgatum sit.

X. Noo potest non plurimum ab Occidente Oriens discrepare, quod ad res Ecclesiasticas & ad exactiones Antistitum attinet. Ex decimis & primitiis permagoa potest ex parte Clerus ali & foveri Latinus. Earum ne vestigia quidem apparent in Ecclesia Græca ævi hujus posterioris. Itaque alii ibi fontes aperiendi fuere ad Clericos procurandos. Fundos ingentes, & hæreditates obtinent Ecclesiæ Latinorum: ejusmodi opes Græcis Antistitibus, aut his finitimas communicatas fuisse diffidimus. Et quam non injuria, liquebit ex Constitutione, qua anno 1057. Isaacus Comnenus Imperator antiquos confirmavit Canones exactionum Episcbpalium, tum ex ordinationibus, tum ex Canonico, per focos & domos persolvendo. *Majestas mea faaxit tam in ordinatione Sacerdotum, quàm in Canonice antiqua sanctio vigorem obtineat. Neve quid amplius in ordinatione capiat Episcopus, qui Sacerdotem ordinat, præter septem nummos aureos præstantioris moneta Majestatis mea; videlicet unum, quando eum simplicem Papam, vel Lectorem facit; tres quando Diaconum ordinat, & alios tres, quando Sacerdotem. Baron. an.* 1057.*n.*37. Jam de Canonico, in fumaria & domos vicorum, *Similiter nomine Canonici à vico babente triginta fumaria, similis unus aureus exigatur; argenti duo, aries unus, hordei modii sex, trigiata gallina. Ab eo qui fumaria viginti habet, &c.* Facilè suspicamur, non æquo passurum fuisse animo Imperatorem, vicos, vicorumque domos omnes vectigales Episcopis & Clericis fieri, si qua alia sacris Ministris tolerandæ vitæ prædia affuissent. A' Michaele & Nicolao Patriarchis testatur, *l.*10. *c.*2. 8., Blastares Monachus id diploma Imperatorium confirmatum fuisse. Retulimus etiam suprà ex Curopulate ab hoc eodem Imperatore complura Monasteria prædiis suis exuta fuisse, quo plus satis proditur, quo ille animi æstu arderet, ad exhauriendum Ecclesiæ, exaggerandum Imperii ærarium. Ut hinc meritò id concludatur, ab eodem hoc ipso Principe non potuisse Episcopis permitti illas in laicos exactiones, nisi hoc uno tum maximè fundo Clerus Orientalis sustentaretur. Ex quo & illud nascitur ut æquioribus auribus, animisque audiamus, Græcos Episcopos permissos esse certas pecuniæ summas ab ordinandis accipere. Eæ videri possint laudabiles Consuetudines Orientis, sicut & in Occidentalibus quibusdam Ecclesis concessum est Parochis Civitatum, ubi decimarum nibil, nihil primitiarum colligunt, ex administratione ipsa Sacramentorum spontaneas oblationes accipere, jussis etiam per sanctiones Canonicas Episcopis, ut plebem cogant Pastores suos his necessariis erogationibus alere.

Hæc ad Græcorum rationem à calumnia purgandam. Visum est nonnullis Constantinopolitanos ipsos Patriarchas post electionem suam perfectam, vel ab Imperatore confirmatam, solemni eum munere prosecutos esse, quod vel electioni assensum præstitisset suæ, vel ordinationi. Nihil ea de re tamen Codinus, *c.*20., aut Cantacuzenus, *L.*4. *c.*37., quanquam ab illis prolixè edisseratur electio Patriarchæ, & quàm cupidè illi se interponeret Imperatoria authoritas. Volunt iidem, quod nunc Turco Imperatori à Patriarchis statim penditur tributum: id ab osque ipsis manasse Christianis Imperatoribus, quorum ille in sedem involavit. Si res ita constaret, illa dicenda foret vis Patriarchis illata, tam immerentibus, tam modicè & pacatè toleranda, quàm ubi olim Reges primo Gothi, post Imperatores Constantinopolitani à Pontificibus Romanis pecuniam ante extundebant, quàm illas assensu suo confirmarent. Addi posset & exemplum rursus eorum Pontificum Romanorum, à quibus sæculo XI. Imperatores Germani aurum quoque exigebant, nec ante sinebant ordinari, ut innui videtur à Gregorio VII. vel quovis alio Authore Commentarii in septem Psalmos Pœnitentiales, inter opera Gregorii Magni. Gregorio certè Magno hunc Tractatum abjudicant, hæc quæ ibi magno animi æstu, & qualis Gregorio magis VII. quàm I. consentiat, disputantur adversùs Germanorum Imperatorum avaritiam ambitionis facibus inflammatam, & Romanæ Ecclesiæ libertati ac dignitati tunc inimicissimam: *Nulla enim ratio fuit, ut inter Reges habeatur, qui destruit potiùs, quàm regit Imperium, & quoscumque habere potest perversitatis sua socios, eos à consortio Christi efficit alienos: qui turpissimi lucri cupiditate illectus, sponsam Christi captivam cupit abducere.*

Aliena hæc tota est æstuatio & effervescentia in Summos Principes à Gregorii Magni ingenio. Summo semper honore Mauritium ille coluit, qui ejus confirmaverat electionem. Ne irasci quidem illi potuit, cum aliquoties ab eo & aculeatis dictis, & factis exagitatus est. Mauritio nec in mentem venit ut schismate Romanam scinderet Ecclesiam. At fœdissimum schisma excivit Henricus Germaniæ Rex in Gregorium VII. qui eam Ecclesiæ contumeliam ulciscitur iis verbis, iis querelis, quæ à reliquo ejus vitæ cursu & scriptorum tenore oon dissentiant.

Nec tamen satis firma, certaque mihi quidem videntur argumenta hæc esse exactionis pecuniariæ, qua Germanici Imperatores ordinandum fatigarent Pontificem Romanum, possunt enim hæc eò torqueri, ut voluerint Germani Principes Romanam Civitatem temporali suæ ditioni subjugare, ex qua plurimum semper auri corraderent. Multò magis verbis suprapositis consonare videtur hæc sententia, si seriò & æqua lance res perpendatur, & quæ inde nascantur omnia. Adde quod nec ejus ævi Scriptores ulli ejus tributi meminerint. Nec verò de eo silere, aut zeli sui impetum cohibere potuisset Petrus Damiani, tam crebrò destomachatus in illam Germaniæ Imperatorum, in eligendis, aut confirmandis Pontificibus licentiam; tam crebro deniquè in simoniacos invectus.

Sed

Sed quod ad Græcos attinet, nemini non exploratum est, post expugnatam à Turco Imperatore Constaotinopolio, Patriarchæ quidem electionem liberam esse, at electum ordinari non posse, nisi tributo Turcis persoluto. Ejus servitutis immuoes fuere Patriarchæ quatuor primi, post eam urbem à Bajazethe II. occupatam. A' Græcis ipsis prima hujus mali labes orta est iis, qui tributi hujus spontanea solutione Patriarchatum emercati sunt, quem & deinceps aucto subinde tributo licitari non destitere, alii aliis summam & summopere à seipsis dehonestatam dignitatem præripientes. *Rainal. ann.1461. n.39.40.* Rem totam prosecutus est Crusius, nec nobis superest quod addamus, nisi si Hieremias Patriarcha, vel quivis alius ex animo interim assensus est veritati, unitati, paci, charitati Ecclesiæ Romanæ, ei præjudicari, ejusque legitimæ vocationi & authoritati nihil potuisse hac indeclinabili nunc quidem tributi pensiatione; cum persimili necessitati morigerati sint olim Pontifices non pauci, iique sanctitate clari.

Non ea crimini vertenda est Græcis necessitas tributi, sed in ambiendo certatim Patriarchatus culmine nefanda cupiditas, qua ad majus in dies tributum offerendum ultro prosiliunt. In Concilio Constantinopolitano anni 1565. Patriarcham gradu dejecere, ut simoniacum, viasque elidere conati sunt simoniæ fibras in Ordinationibus, facta tamen potestate demerendi aliquo munere ordinatoris Episcopi: qua stirpe ex una tota illa antiquæ perversitatis simonia repullulasceret. *Embaticum* vocatur hoc munus. Historiam ejus Concilii literis mandavit Emmanuel Malaxus, in Historia sua Ecclesiastica, inde & hæc decerpta sunt. *Nihilominus tamen Embaticum, est doni nescio quid, quod daretur, accipi permisere. O' indulgentiam pœnis dignam! Mala arboris decussere folia, & ramos exciderant, atque ipsam adeo arborem, sed radicem reliquerunt, nempe munus, ut ne deesset causa rursus germinandi.* Altiùs consuluit Tridentinum Concilium, nec ullas tanti mali fibras residere passum est, quando spontaneis etiam oblationibus & donis interdixit, nec rem ullo voluit obumbrari posse prætextu.

CAPUT LXI. *P.4. l.3. c.10.*

De Simonia in Beneficiis post annum Christi millesimum.

I. Ut Gratianus Presbyter tribus Romanis pseudopontificibus numerata pecunia, eos altro abire adduxerit Sede Apostolica, in eam mox ipse adlectus est citra simoniam, quanquam Germanis mox Imperatores illam ut simoniacum abdicarat.

II. Eos, qui dicerent emi posse Beneficium, quòd soli emantur reditus temporales, strenuè refellit Petrus Damiani.

III. Probatur Cardinalatum verè Ordinem esse, vel Ordini innexum & Beneficio, eòque nec nisi simoniacè emi posse.

IV. Alia Decreta Pontificum sæculi XI. ad exterminandam simoniam in Beneficiis & Officiis Ecclesiasticis, quæ velut Episcopatûs segmenta quædam sunt.

V. Ut Monachi Ecclesias Parochiales redimerent à Nobilibus usurpatas; ex eis etiam Episcopi censum annuum accipiebant, exulante utrimque simonia.

VI. Sæculi XII. Concilia & Pontifices exactiones pecuniarias damnant pro Canonicatibus, pro installatione Abbatum, & pro epulis novorum Canonicorum.

VII. Sæculo XIII. prohibentur Collatores, vacantis fructus Beneficii sibi vindicare, illud ubi conferunt.

VIII. Decretales Pontificia juris Canonici, quæ ad Beneficia spectant litigiosa, & Canonicorum convivia, ubi primùm Clero inserebantur.

IX. Quæ Decretale damnent eos, qui non profitentur in Monasteriis, nisi spe adipiscendæ Abbatiæ; aut ad Ordines non accedunt, nisi cupiditate Beneficiorum incitante.

X. Decreta sequentium Conciliorum adversùs simoniam multiplicem. Decretum Concilii Basileensis adversùs Annatas & Deportas.

XI. Per Canones licet fructus primi anni, vel quæ à novo exigantur alicubi Beneficiario, adscribere fabricæ, vel aliis Ecclesiæ necessitatibus, non privatæ utilitati aliorum Beneficiariorum.

XII. Damnantur à Tridentino exactiones omnes in novos Beneficiarios, nisi quidquid illud est rei, vel pecuniæ, Ecclesiæ cedat.

XIII. Decreta Conciliorum Mediolanensium in eandem rem.

XIV. Conciliorum Franciæ statuta in eandem rem.

XV. Ivonis Episcopi Carnotensis Epistola luculentissima, & in eam observationes Baronii de exactionibus etiam nunc usitatis in Ecclesiis quibusdam.

XVI. Ut Papa simoniam purget.

I. TAm indivulso nexu illigantur Ordinibus Beneficia, præteritis maximè sœculis, ut superiori Capite de Ordinibus differere & de laudatis vel illaudatis ad eos consequendos oblationibus dicere non potuerimus, quin multa exciderent, quæ ad Beneficia magis pertinerent. Superest tamen sylva rerum copiosissima ad Beneficiorum toto hoc Capite pertractationem, atriumque sinuosarum & furtivarum, quibus ad ea bene multi grassati sunt.

Obviam autem primùm se dat quæstio, quam facilè non est enodare, ubi Romanæ ipsi & Apostolicæ Cathedræ tres incubabant Pontifices, veriùs pseudopontifices, quorum & apertissima erat intrusio, & vita licentiosa. Unus eorum Benedictus IX. stimulante conscientia, & penitudine ductus, re cum sanctissimo Abbate Bartholomæo consultata, sese ipsemet quodammodo abdicarat. At Gratianus Presbyter ardore incensus restituendæ in integrum Ecclesiæ omnium cæterarum Principis, & Magistræ, tribus his Competitoribus ingentem pecuniæ vim dilargitus est, Benedicto IX. Angliæ reditus permisit, ut qui duobus aliis gratia & authoritate præstaret, atque ita illos adduxit, ut sacræ dignitati penitus renuntiarent. Romani gratulabundi de redintegrata eligendi legitimi Pontificis libertate, in ipsum libertatis suæ authorem vota consulere, eumdemque Gregorium VI. dixere. Rem gestam, ut Romæ ipsemet eam acceperat; scriptis consignavit Otto Episcopus Frisiogensis. *Circa idem tempus pudenda confusio Ecclesiæ Dei in urbe Roma fuit, tribus ibi invasoribus, quorum unus Benedictus vocabatur, sedem illam simul occupantibus, atque ad majorem miseriæ cumulum divisis simul reditibus.* Ea erat tum Ecclesiæ Romanæ calamitas, cui Gratianus Presbyter opitulari ita exorsus est. *Hunc miserrimum statum Ecclesiæ religiosus quidam Presbyter Gratianus nomine videns, zeloque pietatis matri suæ compatiendo animadvertens, præfatos viros adiit, eisque à Sancta Sede cedere pecunia persuasit. Benedicto reditibus Angliæ; quia majoris videbatur esse authoritatis, relictis: ob eos cives præfatum Presbyterum tanquam Ecclesiæ Dei liberatorem in Summum Pontificem elegerunt, eumque mutato nomine Gregorium VI. vocaverant. Baron. an.1044. n.2. 4. 5. 6.*

Si tantam Gratianus hanc non effudisset pecuniam, paci, unitati, & decori Ecclesiæ usque adeo conducibilem, nisi desponsa sibi clam à Romanis, vel furtim animo ipse suo præsumpta & spe devorata Apostolicæ Sedis successione, illius à simonia

pur-

purgandi conatum omnem abjecissemus. At Ottonis Frisingensis narratio istiusmodi omnes eliminat suspiciones. Quin & ex eodem Ottone, simoniacorum implacatissimus hostis Hildebrandus Gregorii VI. causam & defectionem amplexatus est, illi comes hæsit cis Alpes iter molienti, creatus denique ipsemet postea Pontifex ex Gregorii VI. suavissima, & semper sibi colendissima memoria, Gregorium se VII. dici voluit. *Hunc Gratianum Alpes transcendentem, secutum esse tradunt Hildebrandum, qui postmodum Summus Pontifex factus, ob ejus amorem, quia de Catalogo Pontificum semotus fuerat, se Gregorium VII. vocari voluit. Baron. ibidem.*

Ea ætate florebat & Glaber, qui Gregorii VI. sanctitatem spectatissimam hoc testimonio suo prosecutus est. *Tunc verò cum consensu totius Romani populi atque ex præcepto Imperatoris ejectus est à Sede Benedictus, ac loco ejus subrogatus est vir religiosissimus ac sanctitate perspicuus, Gregorius natione Romanus; cujus videlicet bona fama, quidquid prior fœdaverat, in melius reformavit.* Denique qui & à simonia & ab adulatione longè omnium alienissimus erat Petrus Damiani, ut primùm inaudiit de Gregorii VI. electione, per literas illi, Ecclesiæque congratulatus est, cui per ipsum aurea rursus sæcula præsagiebat ventura esse, priscamque & incorruptam canonicarum electionum formam in usum revocandam. *Reparetur nunc aureum Apostolorum sæculum, & præsidente vestra prudentia, Ecclesiastica refloreat disciplina. Reprimatur avaritia ad Episcopales infulas anhelantium: evertuntur cathedræ columbas vendentium nummulariorum.*

Quantumvis apertissimæ videantur hæ & invictissimæ rationes defendendæ Gregorii hujus innocentiæ & electionis; Henricus Germaniæ Rex biennio post Romam profectus ad coronam Imperii, exauthorari illum curavit in Episcoporum apud Sutriom Conventu, ubi, & Papam eligi fecit Episcopum Bambergensem, qui se Clementem II. dici voluit. Ita enim Hermannus in historia: *Juxta Natalem Domini non longè ab urbe Roma apud Sutrium Synodo actu, causaque erroneorum Pontificum diligentius ventilata, Gratianum Papam convictum Pastorali baculo privavit, &c. Baron. an. 1046. 1047.*

Hujus Clementis II. famosum vulgatum est Decretum in Concilio Romano anni 1047. adversùs simoniacos, ubi temperante austeritatem Canonum lenitate statutum est, qui ordinatus esset gratis à simoniaco, quem simoniacum esse non nesciret, is quadraginta ut dierum pœnitentia expiaretur, & tum sacro ministerio sineretur rursum fungi. Ita enim Petrus Damiani hoc Decretum refert: *Clementem decrevisse, ut quicumque à simoniaco consecratus esset, in ipso ordinationis suæ tempore non ignorans simoniacum esse, cui se obtulerit promovendum, quadraginta nunc dierum pœnitentiam ageret, & sic suscepti Ordinis officia ministraret.*

Ut jam ergo ad Pontificatum Gregorii VI. revocetur oratio, qui hìc à nobis allegati sunt Authores, majora certè momenta & rationis & authoritatis habent, quàm qui Gregorium ipsum unum ex illis fuisse putant, tribus, quos Sede Apostolica exturbavit Henricus Imperator. Utcumque autem de facto non conveniat, de jure ipso consentiant omnes necesse est, si Gregorius ad Apostolicam Sedem sublatus fuisset adminiculante, & quasi succollante charitate, & zelo pacis unitatisque Ecclesiasticæ, ut ex probatissimis Authoribus à nobis approbatum est, nec consilio, nec electioni ejus sinistræ quidquam suspicionis affricari, aut criminis potuisse, nec nisi tyrannica vi à Petri solio illum dejici potuisse. A' similitudine veri non recedit, variis criminationibus impetitum fuisse Gregorium à sectariis pseudopontificum, quos ad voluntariam adduxerat abdicationem; Imperatori obreptum fuisse ab his Sycophantis, & ab furtiva forsan etiam cupiditate vendicandæ sibi Pontificum electionis; illusum & illi fortè fuisse spe non absurda post tandiu grassatam simoniam in electionibus Pontificum ab annis admodum centum, pacis & libertatis Imperatoria interventione restituendæ. Multa ausi sunt Germanici Imperatores; ubi tanta non suberat species sive æquitatis, sive necessitatis Ecclesiarum. Henricus porrò hic Imperator, ut validiùs vel suam hanc novam communiter potestatem, vel libertatem Ecclesiæ, Germanicæ gentis Episcopum sublegi curavit. Quod prætextum tunc jactatumque est, qui eam sarcinam sustinere posset, ex Italis esse neminem, id verò ne probabile quidem videri potest hominibus emunctæ naris. Gesta quidem sua tum omnia Imperator auctoritate Concilii obumbravit. Sed facilè subolet, Imperatori ex Germania cum exercitu adventanti, & in Concilio paucorum Episcoporum majestatem & potestatem suam explicanti, arduum non esse, quæ ipse cumque decreverit, pro decretis Concilii publicare. Qui rem longè aliter narrant Historici, tam Gregorio infesti, quàm nobis addicti, ii aut Germanicæ suæ gentis & factionis studio abrepti sunt, aut Germanicorum fuere imitatores Historicorum; certè, nec nomine, nec fide, nec authoritate iis pares, quos suprà laudavimus, & quibus subscripsimus lubentissimi. Hinc illud perspicuè enitescit, à Gratiano Presbytero non Pontificiam emptam esse dignitatem, sed libertatem Ecclesiæ esse redemptam, ut ex ejus cervicibus tres illi excuterentur incubatores, & liberæ copia fieret electiones. Hoc ille meditatus est, hoc ex animi sententia processit, electio canonica celebrata est, qua ut cæteris omnibus præponeretur, id non gratiæ datum est, sed tantis ejus in Apostolicam sedem meritis, quantis nulla refundi posset gratia, nisi sedes ipsa Apostolicæ.

II. Cum autem id sibi sumpsisset Imperator, ut Pontifices Romanos sacra purpura investiret, nihilo verecundior in alias Episcopales & inferiores sedes consuluit; quas & ipse, & posteri ejus, & cæteri pestifero hoc exemplo invitati Principes conferre cœperunt, pro arbitrio, non rarò & pro pecunia. Usque adeo autem pervagata tunc fuit Episcopalium Cathedrarum nundinatio, ut & patronos habuerit Scriptorum calamos, jactantium videlicet temporalia tantùm emi Beneficiorum, spiritalem Ordinem & potestatem gratis donari. Pro suo fidei Catholicæ & castioris disciplinæ zelo Petrus Damiani in hanc hæresin calamum distrinxit, cujus insania ab eo hæc fuisse describitur. *Dicebant enim quia cum hoc fit, non distrahitur Ecclesia, sed facultas: nec emitur Sacerdotium, sed possessio prædiorum. Sub hac præsumtione pecuniis ope tantùm, non honoris vel Ecclesiæ redimitur sacramentum. Venalia siquidem sunt, sicut ajunt, unde sunt divites; gratis accipiunt, unde fieri debeant Sacerdotes. Baron. an. 1065. n. 37. 40.*

Contra regerit Petrus, cum à terreno Principe, non terrenæ vexillum potestatis accipiatur; sed Pastorale pedum, spiritalis authoritatis insigne, simoniacam eam esse emptionem; Principe pecuniam accipiente, & spiritalem conferente dignitatem. *Si sæcularis ille Princeps accepta vel promissa pecunia, Pastoralem tibi tradidit baculum, qua fronte poteris Episcopalis ordinis excusare commercium? Enimvero nisi per hanc investituram ille futuro sacerdotii tibi priùs imprimeret titulum, futurus ordinator nequaquam per manûs impositionem sacerdotii tibi traderet sacramentum. Per hoc enim quod venaliter accepisti, consequenter ad sacerdotium promoveris.* Consentiebant & ipsa Principis Prælatum investientis verba, cum pedum in manus daret; nec enim à se prædia, sed Eccle-

fiam

siam accipi jubebat. *Adhuc autem ad investituram, & à te quod non Ecclesiam, sed Ecclesiæ prædiate accepisse gloriaris, inquiro: Sanè cum baculum ille tuis manibus tradidit, dixitne, Accipe terras atque divitias illius Ecclesiæ? an potius, quod certum est, Accipe Ecclesiam.*

III. Quòd nugatoria hæc distinctiuncula freti nonnulli confidant vendi similiter, emique potuisse sacram Cardinalium dignitatem, quasi non ordò, sed temporale decus & ornamentum expetatur, & numerata pecunia comparetur; id verò non immeritò obstupescit Cardinalis Baronius. *Ibid. n.* 50. Et hic enim paria sunt rationum à Petro Damiani depromptarum momenta. Est enim Cardinalatus sacra & Ecclesiastica dignitas, Ordini sacro illigata, Diaconatui, Presbyteratui & Episcopatui. Ejusmodi sunt enim Tituli omnes Cardinalium: unde & Ordines & Beneficia certissimè sunt. Quin & Curata & Beneficia sunt. Si non statim autem atque sacrato purpuratorum Principum Collegio adscripti sunt, Ordinibus suo Titulo innexis initiantur, perinde est, acsi Parochiali Ecclesia, vel Archidiaconatu, vel Archipresbyteratu donati, ad Ordines harum dignitatum proprios tardiùs accederent. Beneficium ipsum sua semper nativa gaudet prærogativa; sacrum, spiritale; inæstimabile donum est.

His adde Cardinales primigenio suo ex instituto Pontifici summo à Consiliis esse, esse & Pontificum electores, hoc est, Canonicos esse Romanæ Ecclesiæ Cleri peculiaris. Ex quo id efficitur, ut seposita etiam Ordinis sacri contemplatione, Cardinalatus inter Beneficia numerari debeant, non secus ac cæterarum omnium Ecclesiarum Canonicatus. Et illud quoque animo recolendum est, quod alibi susius explanavimus, eosdem fuisse per sex aut septem priora Ecclesiæ sæcula & Episcopalis Ecclesiæ Canonicos, & Parochos Ecclesiarum Civitatis. Nec magnopere laborandum hic nobis est, ex Parochis Canonici, an ex Canonicis Parochi evaserint. Abunde est nobis, ut iidem utrumque & nomen impleverint, & officium. Quæ fuit olim omnium Ecclesiarum, ea est etiamnum Ecclesiæ Romanæ disciplina. Sunt etiamnum qui Cardinales dicuntur, & Antistitis Romani Canonici, & Parochi Ecclesiarum Urbis. Duplici ergo simonia illaqueabitur, qui Cardinalatum pretio paraverit; quem hinc liquet inter Ecclesiastica Beneficia minimè omnium emi posse. His adjice summam quandam authoritatem Cardinalatui adhærescentem in omnibus, in maximis potissimum Ecclesiæ negotiis, maximè verò in electione Pontificis, quæ potestas utique spiritalis est, nec pretio ullo corruptibili æstimandam.

IV. Ad Alexandrum II. reflectendus est sermo, ad quem Petrus Damiani illas dabat literas pulcherrimas, ex quibus pauca aliqua jam delibavimus. Ad alios inde Pontifices, & eorundem temporum Concilia delabemur, ab iisque eas hauriemus Beneficiorum leges, quæ æquè prohibeant, & ipsa, & cum ipsis Cardinalatum distrahi. Gratiani Decreto intexta est, 1. *q.* 3. *c.* 9. 3. 4., Alexandri II. Epistola ad Clerum Lucensem, qua restituto in integrum Calchedonensi Canone, dignitatum prorsus omnium Ecclesiasticarum venalitas profligatur. Verba ipsa prolata sunt Capite superiori. Canone quoque Calchedonensi distrahi vetantur Dignitates & Officia, quibus non tanta utique cognatio est cum sacris Ordinibus, quanta Cardinalatui. Addit & Decretum Gratianus Gregorii VII. in Synodo Romana, quo vetantur Episcopi Præbendas, Archidiaconatus, Præpositura divendere, & quæcumque tandem Ecclesiastica Officia, *vel aliqua Ecclesiastica Officia*. Cum enim execrandę simoniæ sit Episcopatum vendi, similiter æstimandum de cæteris Beneficiis; quæ veluti membra & portiones quædam sunt Episcopatus. *Dignum est enim, ut sicut gratis Episcopatum accepit, ita membra ejusdem Episcopatus gratis distribuat.* Ecquis dubitare possit, quin Cardinalium, Officialium, & alia ejusmodi officia, de quibus homines malè feriati controversiam facere voluerunt, Officia sint Ecclesiastica, & rivuli quidam Episcopalis authoritatis, ac jurisdictionis?

V. Additur & à Gratiano Canon Concilii Claromontani, cui præerat Urbanus II. quo prohibetur Episcopis, ne censum exigant è Monasteriis, quoties novo Parocho commendatur Ecclesia, quam à laicis permittente Episcopo redemerant. Cum Parochiæ enim complurimæ à laicis usurpatæ & infessæ fuissent, jam inde à temporibus Caroli Magni, multò plures autem corruente ejus prosapia, Hugo Capetius caput & princeps tertiæ Regum Gallorum Dynastiæ, tot jam sæculis, tantoque cum splendore, nec impari fœlicitate regnantis, exemplo suo præluxit aliis, Abbatias, quasi hæreditario jure ad se transmissas abdicavit, Nobiles omnes ad sui imitationem pellexit. Accensi sunt & laicorum non pauci, ut & Ecclesias à se invasas dimitterent, sed & aliquid sibi pecuniæ refundi volebant; Ecclesiasque Abbatibus Monachisque gestiebant reddere, non Parochis, non Episcopis. Concilia sæculi XI. complura eam sive venditionem Parochialium Ecclesiarum, sive emptionem explosere; & ne Abbates à Laicis Parochias acciperent vetuere, nisi interveniente Episcopi authoritate. Quod à laicis vendi fas non erat, nefas erat & à Monachis emi, nisi redimenda necessitas fuisset, & hinc tristissima quædam Monasteriis parata esset excusatio. Eadem necessitate coarctati fuere Episcopi, ut assentirentur, cum non aliter Laici Parochias restituerent. Sed cum Monachis, Laicisque tam clementes se & benevolos præstarent, ne suę quidem rei incuriosi fuere. Pensioni ergo sive censui eas illi Parochias subjicere, quoties & ab Abbate præsentandus, & ab Episcopo instituendus esset Parochus novus. *Redemptiones altarium* eæ pensiones vocabantur; quibus mox invidia conflata est, quasi vexationes potius dicendæ forent, & emptiones: unde & in Concilio Claromontano proscriptæ sunt, simoniæ veluti simulatæ nomine. At annuo de censu, quem hæ Parochiæ Episcopis solvebant, nihil ejus Concilii decretis detractum est, quod eo jure utantur complures Episcopi jam olim in omnes suæ singuli Diœceseos Parochias, de quo inferius suo loco verba faciemus. *Salvo utique Episcoporum censu annuo, quem ex eisdem Altaribus habere soliti sunt. Ibid. c.*8. Idem prorsus constitutum fuit in Concilio Nemausensi, anno 1096.

Additur & Urbani II. Epistola à Gratiano, adversùs eandem ludificationem, temporalia Ecclesiæ bona sola emi, eoque procul esse amandandam simoniæ calumniam. At contra Urbanus instabat, Nec Simonem ergo ipsum ab Apostolo Petro simoniacum habendum, aut rejiciendum fuisse, cum tam excors non esset, ut ipsummet Spiritum Sanctum, & venalem, & emptum speraret; sed temporalem tantummodo ambiret gloriam, & patrandorum miraculorum vim, & opum ex ea ostentatione colligendarum. A' Paschali I. scitissimè olim pronunciatum esse, spiritalia tum vænire, cum temporalia eis affixa veneunt. Denique cum Calchedonenses Patres simoniacis accenset eos, qui Oeconomorum, & Defensorum Ecclesiæ officia licitantur, satis superque prodidere, emi non posse Ecclesiæ temporalia, quin & spiritalia emantur illis implicata. *Cur Synodus Calchedonensis Procuratorem, vel Defensorem Ecclesiæ, vel quemquam Regulæ subjectum adeo per pecuniam ordinari prohibet, ut interventores quoque tanti sceleris anathematizet, nisi quod eosdem simoniacos judicet?*

IV.

VI. Damnavit & Paschalis II. Pontifex Episcoporum exactiones in instituendis Parochis, si quos eis Abbates præsentarent. Concilium Pictaviense anni 1100. cui præerant ejus Legati, vetuit, ne Abbatiæ & Capitula à Laicis Ecclesias emerent Parochiales. *Ut neque Clerici, vel Monachi per pecuniam Altaria vel decimas à Laicis, vel quibuslibet personis sibi acquirant.* Prohibitum est in hoc quoque Concilio, non tantùm vendi Præbendas, sed & à Canonicis novis epulas exigi. *Ut Præbenda non vendatur, vel ematur, neque pastus inde exigatur, sub excommunicatione interdicimus. Cap.9.7.* Vendi Præbendas, tanto excusatius videri potuisset, quod nulla eis immineret animarum cura; quod non longè repeti possent exempla laicorum Præbendis quibusdam donatorum, sive laicorum in Canonicorum albo descriptorum. Nec tamen Conciliis approbari ullis potuit, ut ejusmodi Beneficia pretio distrahi sinerentur; propterea quod in quamcumque illa partem trahantur, non possint non ea esse quædam Sacerdotii ornamenta, & jura illi indivulsè cohærentia. Acerbissimas Alexander III. ad Archidiaconum Parisiensem literas dedit, *Appen. 2. Ep.20.*, cum rescisset aureos centum solidos ab eo exigi ad installationem Abbatis Sancti Victoris: cum tam liberam necesse sit esse & gratuitam installationem, quàm electionem ipsam. *Quia inthronizatio Abbatis, vel alicujus Ecclesiastici viri libera & gratuita esse debet, sicut & electio.* Nec in dubium vocari posset, quin simoniaca esset ea exactio. *Cum id ad simoniacam pravitatem non sit dubium pertinere.* In Concilio verò Turonensi, anno 1163. eodem Præside Pontifice prohibitum est sub annuo censu Parochias conferri: *Ut sub annuo pretio Sacerdotes ad Ecclesiarum regimen ne constituantur, quia dum Sacerdotium sub hujusmodi mercede venale disponitur, &c. Can.5.6.* Vetitum etiam ibidem est Prioratus & Capellas pretio distrahi, sive Regularia essent ea Beneficia, sive sæcularia. *Ne Prioratus aut Capellania qualibet Monachorum aut Clericorum annua distractione vendantur; neque ab eo, cui regimen ipsarum committitur, pro earum commissione pretium aliquod exigatur. Hoc simoniacum esse, &c.*

VII. Asperget aliquid lucis his Canonibus Concilium Oxfordiense anni 1222. denudatis fraudibus, quibus nitebantur lucelli aliquid exprimere ex Institutionibus, & Installationibus novi cujuslibet Beneficii. Prohibetur autem eo Concilio, ne Episcopi in conferendis Canonicatibus, vel Ecclesiis Parochialibus, fructus sibi vendicent needum demessos, neve quid exigant, ex institutione, vel missione in possessionem horum Beneficiorum; denique ne vel Archidiaconos sinant, vel quoscumque Ministros suos ejusmodi quidquam exigere. *Statuimus ne Prælatus aliquis cum Ecclesiam contulerit aut Præbendam, fructus ejusdem Ecclesiæ, sive Præbendæ nondum collectos sibi præsumat aliquatenus usurpare, vel pro institutione, vel missione in possessionem, vel charta super hoc facienda aliquid audeat extorquere; nec ab Officiariis suis, Archidiaconis, vel Decanis sustineat extorqueri. Can.3. 4.* Proximo subinde Canone proditur, cavillationes & fugas affectari solitas, ne statim instituerentur, quos Patroni præsentassent, quo vacantis interim Beneficii fructus ad Episcopum, vel Archidiaconum redirent. Bimestri ergo spatio jubet Concilium dignos institui ab Episcopo: qui si morosius procrastinet, fructus interim Beneficii ad Beneficiarios refundi debere, tametsi jam eis manus injecissent Episcopi. *Episcopus præsentatum, dum idoneus sit, nequaquam admittere differat ultra duos menses; alioquin quidquid ex eadem Ecclesia post factam præsentationem fuerit fortè perceptum, illi cum institutus fuerit, restituatur; quatenus fructus illi ad Episcopum pervenerint.* Eadem lege tenentur Archidiaconi, intra duos menses instituendi Beneficiarios, vel Superiori justas allegandi causas, cur distulerint.

VIII. Venio ad corpus ipsum Juris Canonici, & ad Gregorianas Decretales, ubi Alexander III. Provinciæ Cantuariensi insolitam concerpit pravitatem; Parochis nimirum mortali hoc studio defunctis, competitores advolabant complures, certatimque pensiones majusculas offerebant. *Decedentibus Ecclesiarum personis patiuntur ex ipsis Ecclesiis majores solito solvere pensiones, ut facilius possint easdem Ecclesias adipisci. Extra. De Pactis. c.6.4.* Ab eodem Pontifice damnata est Monachorum & Clerici conventio, qua Clericus jus sibi partum in aliquod Beneficium ejurabat, vicissim autem à Cœnobio ad expensas litis sarciendas tres argenti Marcas capiebat. *Convenerunt quod Petro pro expensis, quas fecerat, tres marchæ argenti solverentur, & idem litis cederet, & Monachorum infestatione cessaret.* Negavit Pontifex ei se pactioni assensurum, quam juri adversam existimaret: *Eo, quod videbatur pravam illicitæ pactionis speciem continere.* Nec eo tantùm loco ab eo Pontifice damnatæ sunt transactiones super Beneficiis; quanquam gratis & amicè, ut inter se partes conveniant & concordent, in optatis habuerit. *Transigi super re sacra & litigiosa non potest. Etenim res sacra ut possideantur aliquo dato, vel retento, seu promisso, speciem credimus habere simoniæ. Alias si gratis & amicabiliter inter se litigantes componant, sacris Canonibus nequaquam dicimus obviare. Extra. De transact. c.4. 5. 6.* A Gregorio IX. inusta est consuetudo Capituli, ubi tandiu novi Canonici danda sibi præbenda fraudabantur, donec opimo convivio Canonicos omnes excepissent. *Cum sit receptus in Canonicum & fratrem, Canonici partem proventuum ac Præbendam sibi adsignare recusant, quandam consuetudinem prætendentes, quod prandium habere debeant à Canonico recepto de novo. Extra. De Simonia. c.44.*

IX. Innocenti III. Decretales duas à proposito nostro nec prorsus alienas, & maximi alioqui prorsus momenti, non me contineo, quin hic interseram. Declarat Pontifex, si quis Monasticam sit professus vitam, spe, aut promissione adipiscendæ Abbatiæ, Abbatem eligi non posse: si electus sit, rescindendam electionem. *Cum nullus spem, vel promissionem habens, ut Abbas fiat, debeat monachari, electionem de ipso factam curavimus irritare. Extra. De electione. c. 37 38.* Cum rursus Cœnobium quoddam hostibus undique vallaretur, nec in suo gremio haberet, qui necessariam tunc tuitionem posset impendere: rogatus ex vicina regione Nobilis quidam à Monachis, unum ut ex liberis daret, invitaretque ad profitendum in Monasterio, nulla tamen certa spe facta ejus in Abbatem eligendi: paruit Nobilis, ejusque filius emissa professione Abbas electus est, & à Legato Pontificis confirmatus. Infirmata est tamen electio ab Innocentio, quod ad magisterium esset electus, qui necdum satis idoneum tyrocinium posuisset. *Quod talis non possit eligi in Abbatem, maximè pro eo, quod antequam esset discipulus, voluit esse Magister.* Illum tamen denuo eligi concessit, si quando Regularis & Monasticæ disciplinæ peritior factus, fidem facere posset nulla se ambitiosa Prælaturæ spe ad professionem illectum fuisse. *Quod nulla fuit ad hoc ambitione inductus;* atque præterea constaret, vel urgente necessitate, vel evidenti utilitate eligi eum debuisse, ne Cœnobium ab adversariis labefactaretur. *Si urgens necessitas, & evidens utilitas ipsius Monasterii postulavit.* Persimile Decretum tribuit Gratianus, 16. q.7. c.20., Alexandro II. *Nullus habitum Monachi suscipiat,*

spem, aut promissionem habens, ut Abbas fiat. In Concilio Tolosano anno 1056. idem statutum fuerat, *Can.5.*, ambitiosulum hujusmodi Monachum, Monachum semper fore, nunquam Abbatem. *Statuit Sancta Synodus, ut si quis Clericorum adipiscenda Abbatia causa Monachus effectus fuerit, in Abbatia quidem Monachus permaneat, sed ad ipsum honorem, ad quem aspirabat, nullatenus accedat. Quod si præsumpserit, excommunicetur.* Concilium Romanum centum tredecim Episcoporum sub Nicolao II. anno 1059. idem constituit. *Ut nullus Monachus habitum suscipiat, spem aut promissionem habens, ut Abbas fiat.* Ad hos Canones, & ad hæc Concilia intuebatur Innocentius III. cum suprapolita ederet Decreta. Porro idem auguratur Pagnanus de Clericis, qui noo alio consilio, aut fine Ordioes suscipiunt, quam ut ad Beneficia gradum sibi faciant; nimirum fœdissima simonia eorum saltem mentem inquinari, non quò Beneficia abdicare cogendi sint, sed ut tantum flagitium pari luant pœnitentia. *Sic videmus è converso Clericum sæcularem, qui Ordines suscepit, ut Beneficium consequatur, simoniam commisisse saltem mentalem; quæ non obligat ad Beneficii dimissionem, sed tantummodo ad satisfaciendum Deo per pœnitentiam, nisi pactum præcesserit. In l.5. Part.2. pag.88.*

Nulla in his Canonibus, vel exemplis conflictatio extimescenda est, uti nec inter leges Juris Canonici novi, quibus jubentur Laici, vel Clerici, Prioratu, vel Abbatia Regulari donati, intra certum tempus profiteri. Censuræ & pœnis Decretorum suprà laudatorum obnoxii indubitatissimè sunt, sive Priores, sive Abbates, qui una maximè spe Prioratûs, vel Abbatiæ Regularis, ad Professionem Monasticam animum adjecerunt. Et quanquam Canonicæ hæ Regulæ conticuissent, lex ipsa æterna, internaque, exertissimè vociferaretur, nullam ad Christianæ vitæ vocationem amplexandam, nedum ad Monasticam, duces & auspices esse posse sive opum, sive honorum dignitatumque cupiditates. Sed suprà relatis exemplis liquet, posse Laicum quandoque divina voluntate vocari ad Prioratûs vel Abbatiæ regimen, ad ipsius compendium Prioratûs vel Abbatiæ; & Professionem tum factam gratissimam Deo fore, cum nihil opum, nihil honorum oculis obversetur, sed una sese totum Deo impendendi voluntas, unus macerationum Monasticarum amor, & indefessæ vigilantiæ in Prælatura defungenda.

X. Redeo ad Concilia. Palentinum primò occurrit in Hispania anno 1322. ubi damnata est Collegiorum quorundam Ecclesiasticorum profana cupiditas, ubi novi Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi non antè sacris vestibus ad sui Ordinis functiones uti finebantur, aut ad distributiones & reditus annuos admittebantur, quàm vel convivia ipsis lautiora, vel pecuniæ extunderentur: *Per unum aut plures dies prandia & convivia sumptuosa, vel certam pecuniæ quantitatem.* Proscriptæ sunt à Concilio, *Can.19.*, omnes id genus exactiones. *Eis ad celebrandum ministrent Ecclesiæ paramenta; eisdem etiam secundùm quod Ordo ipsorum exegerit, portionem integraliter conferant & assignent.* Facilè conjicimus non alios his Capitulis fuisse reditus, quàm distributiones, quæ pro Ordinum gradibus non una omnes mensura dispensarentur. Damnantur & in hoc Concilio Episcopi, qui in conferendis Beneficiis, vel fructuum partem aliquam, vel certam pecuniam exigebant. *Occasione collationis factæ fructus eorundem Beneficiorum, aut aliquam ipsorum partem, seu summam aliquam pecuniæ exigere præsumunt.*

In Concilio Basileensi anno 1435. vetitum est, *Sess.21.*, quidquam exigi pro Præsentatione, Provisione, Collatione, Installatione, sive Investitura cujuscumque Beneficii; quæ demum cumque inanes prætexerentur causæ. Itaque Annatæ, Deportus, & id genus alia jura omnibus hoc Decreto ab Ecclesiis expuncta sunt, Canonicis pœnis in simoniacos intentatis. *Statuit hæc Sancta Synodus, quod tam in Curia Romana, quàm alibi pro confirmatione electionum, collatione, electione, præsentatione etiam à laicis facienda, institutione, installatione, investitura, de Ecclesiis etiam Cathedralibus, Monasteriis, Dignitatibus, Beneficiis, Officiisque Ecclesiasticis quibuscumque, necnon Ordinibus sacris, & benedictione, ac pallio, de cætero nihil penitus ante, vel post exigatur, ratione Bullæ, literarum, sigilli, Annatarum, primorum fructuum, deportuum, &c.*

Synodus Frisingensis anni 1440. hoc Basileense Decretum amplexata est, sed optatum sibi esse testata est, ut à Concilio declararetur, non damnari à se usum nonnullis in Ecclesiis receptissimum, ut aliquid à novis exprimatur Beneficiariis, non ad privatos derivandum, sed ad Fabricam, vel ad ornamenta & vestes sacras Ecclesiarum. *Dignetur Sacrum Concilium declarare, quod non intendit per hoc decretum prohibere, quin licitè exigatur & solvatur, si quid tempore receptionis beneficiati solitum sit solvi fabricæ, vel pro ornamentis Ecclesiæ, vel simili casu, ad usum tamen divini cultûs, & non ad privatum commodum personarum convertendum. Cap.15.* Quo ipso propè tempore Clerus Gallicanus apud Bituriges congregatus illud ipsum admisit Basileense Decretum, sed iis limitibus circumscriptum, de quibus suo alibi loco.

XI. Cnncilium Senonense anno 1528. usum explosit absurdissimum, cujus nequedum ulla potuimus observare impressa vestigia. Novi Canonici jura quædam solvere cogebantur, nec pro seipsis modò, sed & pro prædecessoribus suis, qui eadem non solvissent, quanquam non ab his ad id Beneficium asciti essent. *Irrationabilem illam consuetudinem judicantes, qua ad unam Præbendam receptus, suorum in dicta Præbenda prædecessorum non receptorum, à quibus jus non habet, sed ab instituente, vel à conferente, plures receptiones solvere compellatur. Can.2.* Legitima erant sanè ea jura, cum una esset expostulandi causa, quòd quis pro prædecessoribus suis solvere cogeretur. Non insulsè præsumitur ejusdem generis jura fuisse, atque pro fabrica, vel sacris Ecclesiæ ornamentis. Id quoque in hoc Concilio statutum est, ut Canonici Præbendæ suæ reditibus fruerentur, adeoque & distributionibus, cum primùm essent admissi; nisi certissimis legibus fundationis, fructus ad certum tempus addicti essent aliis Ecclesiis, vel ad pios usus: *Nisi ex fundatione earum locorum speciali & legitima, sufficienter probata, prædicti grossi fructus pro certo tempore aliis Ecclesiis, aut piis usibus expressè pertineant & deputentur. Can.22.* Quod ad illas verò attinet Ecclesias, ubi fructibus suis Canonici aliquandiu fraudantur, distribuendis interim inter cæteros Canonicos, insolentissima erat ea perversitas, in quam non potuere noo exardescere hujus Concilii Patres. *Damnabilem illam consuetudinem judicantes, qua in certis Ecclesiis prædicti fructus ad certum tempus in utilitatem cedunt jam receptorum; sive qua cavetur, ut ad certum tempus sint de novo recepti expectantes; veram corruptelam & notorium abusum tales & similes declarantes, per hoc præsens nostrum statutum.*

In Concilio Coloniensi anno 1536. toleratum fuisse videtur, *Part.1. Can.13.*, ut Archidiaconi, vel eorum Officiales aliquid exigerent ex investitura, sive institutione Beneficiariorum, dum teneatur modus, nec quæstuosæ quærantur dilatio-

oes

nes. *Quoniam ad nos perlatum est, nonnullos Officiales Archidiaconorum nostrorum investitura nomine plus aquo interdum petere, quosdam etiam institutionem ipsam negare, vel differre, &c.* Nec potuere hujus Patres Concilii, *Part.3. Can.19. 20.*, non stomachari in Capitula quædam, & in eorum præpostera statuta, charitati & justitiæ ipsi inimica, avaritiæ & inæqualitati illi accomodata, ex qua tot scaturiunt discordiæ. Et quantumvis plenissima discriminis sint hæc statuta, in ea tamen juramento adiguntur, quicumque alleguntur Capitulo. Cui huic Concilio præerat Archiepiscopus, spopondisse in visitandis Ecclesiis, statuta hæc omnia ad examen vocaturum, & ea expuncturum, quæ adversaria essent puritati, charitati & sanctitudini legum Ecclesiasticarum, prohibitis interim bis juramentis, ut quæ tam exitio essent jurantibus, quàm exigentibus. *Inter hac statuta reperies quamplurima, qua quastum magis, quàm pietatem resipiant, & ad inaqualitatem potius, quàm aqualitatem faciant: unde discordia inter fratres, uti solet, frequenter oritur, &c. Opera pretium nobis videtur hujuscemodi statutorum volumina inter visitandum excutere.* Id quoque se expensurum spopondit Archiepiscopus, an minuendi essent *anni expectantia*, & an expeditius etiam foret, juniores Clericos ablegari ad Universitates, ut sacris literis operam darent, atque interim gauderent fructibus Præbendarum suarum, non distributionibus; iniquum enim esse, ut qui seriò studiis literarum incumbunt, ut paratiores postea accedant ad sacra ministeria; & qui testimoniis Professorum suorum muniti redeunt, fructibus interim Præbendarum suarum fraudentur. *Indignum ergo studio tam frugifero intentos, ac in vinea Domini operantes, diurno denario fraudari, modò tamen testimonium exhibeant Magistrorum, quod totos illos annos rectis operam dederint studiis. Ibid. c.21. 22. 23.* Esse verò iniquissimum à Canonico quovis exigi jura, quæ ab aliquo prædecessorum suorum persoluta non essent; ea jura in dies exaggerari, ut in Capitulis quibusdam factitabatur, etsi id quidem vetarent sacræ Canonum Constitutiones: *Pecuniaria onera, quibus recens recepti contra Sacrorum Canonum receptionem gravantur.* Postremò denique esse quidem necessarias in sarta tecta Templorum expensas; sed æquius forsan ac decentius fore, ex communibus Capituli reditibus eas fieri, quàm privatorum Canonicorum dispendio. *Quod si fabrica, aut alia necessitas Ecclesia immineat, satius est, ut quod in communem vertetur utilitatem, ex communibus reditibus desumatur, quàm ut quis privatim gravetur.*

XII. Majori & pondere authoritatis & zelo Concilii Tridentini Patres in hanc eandem corruptelam detonuerunt. Consuetudines quippe explosere omnes, quidvis exigendi à Canonicis novis, vel Beneficiariis quibusvis quod in aliorum cederet utilitatem, non Ecclesiæ ipsius; Episcopis omnibus id oneris imposuere, ut ejusmodi statuta examinarent; si qua avaritiam & cupiditatem redolerent, ea abrogarent: laudabiles confirmarent consuetudines, reliquarum illaudabilium etiam Apostolicas confirmationes subreptitias declararent, eoque uterentur delegata Sedis Apostolicæ authoritate. *In pluribus Ecclesiis, tam Cathedralibus, quàm Collegiatis & Parochialibus, ex earum Constitutionibus, aut ex prava consuetudine, observari intelligitur, ut in institutione, collatione, sive admissione ad possessionem alicujus Cathedralis Ecclesia, vel Beneficii, Canonicatuum, vel Prabendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas, certa conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones compensationesve illicita, aut etiam qua in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum lucra, interponantur. Hac cum Sancta Synodus detestetur, mandat Episcopis, aut quacumque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui simoniaca labis aut sordida avaritia suspicionem habent, fieri non permittant: ipsique diligenter de eorum Constitutionibus sive consuetudinibus super pradictis cognoscant: & illis tantùm, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas ut pravas & scandalosas rejiciant & aboleant. Sess.24. c.14.*

Est profectò quod miremur, Decretum, tanta & sapientia libratum & æquitate, & tam finitimum antiquissimis sanctissimisque Ecclesiæ legibus, à Cardinali Lotharingo, & ab ejus Remensi Concilio admitti non potuisse, anno 1564. nisi limitibus quibusdam coarctatum. In ea enim Episcoporum Synodo contestatus est Archiepiscopus, Episcopos omnes Provinciæ Remensis non satis idoneis instructos esse reditibus; si donis iis, sive juribus exuerentur, quæ in collationibus & institutionibus Beneficiorum usu jam recepta erant, gravi eos inopia laboraturos: sibi quidem alias abundè affluere copias, & reditus, ut facilè bis exactionibus abstinere posset. Censuerunt primùm Episcopi rem eam Episcoporum arbitrio permittendam; sed pro Beneficiis ad se devolutis ex crimine hæreseos, vel simoniæ, videri sibi quatuor nummos exigi posse. En ipsa Cardinalis Lotharingii verba de eo Tridentino Decreto: *Esse quidem Canones in Concilio Tridentino, quibus prohibetur, ne aliquid accipiant, sed tamen adhibendam esse aliquam moderationem.* Sed longè nunc quidem alia est Ecclesiæ illius disciplina, ita sanè accurata & castigata, ut ne dubitare quidem fas sit quin religiosissima Tridentini hujus Decreti ibi vigeat observantia.

XIII. Diversissimam tenuit anno proximo rationem B. Carolus in Concilio suo I. Mediolanensi. *Can.11.* Adeo non arctare Decreta Concilii Tridentini voluit, ut & vigorem ulteriùs promoveret; non tantùm exigi quidquam vetuit, sed spontanea etiam dona excussit; ne decerpi quidem passus est novo Beneficiario partem fructuum, etiam ad usus pios. Et tamen non paulò opulentiores sunt Episcopales Galliarum, quàm Italiæ Ecclesiæ. Sed fixum illud nobis certumque esse debet, paucissimos esse Episcopatus, quorum non satis uberes sint proventus, si parcimonia, si frugalitas in proventibus numeretur: paucos, quorum etsi copiosissimi reditus pares sint sæcularis pompæ & luxus prodigalitati. *Interdicimus iis, qui jus habent conferendi quacumque Beneficia Ecclesiastica, seu eis providendi, aut ad ea eligendi, prasentandi, vel nominandi, & eorum ministris cujusque generis, ne quidquam per quamvis causam ejus rei gratia ab aliquo ne sponte quidem datum accipiant. Neve in eo Beneficio dando ulla fructuum pars ab Episcopis & inferioribus contra sacrorum Canonum instituta quavis etiam pietatis specie reservetur.* In hoc eodem Concilio, ad eliminandas à Beneficiorum litibus simoniacas pactiones, vetitum est pecunias dari ad redimendam vexationem, nisi antè adiretur & assentiretur Episcopus.

In Concilio II. Mediolanensi anno 1569. abrogari placuit statuta omnia, & consuetudines etiam immemoriales Capitulorum quorundam, ubi juniores Canonici ne quotidianis quidem gaudebant distributionibus per priores sex etiam menses suos strictissimæ residentiæ; ita ut debitam illis portionem cæteri inter se Canonici partirentur. *Sex mensibus, qui Probationum nomine vocantur, choro inservire antè debeat, quàm distributiones quascumque etiam quotidianas percipiat, aliisque Canonicis accrescat, &c. Tit.3. n.3.* Nec expuncta tamen est ab hoc Concilio earum Ecclesia-

rum conſuetudo, ubi reditus primi anni Beneficiorum ſeponuntur ad reparationes Eccleſiæ, ad uſum ſacrarii, vel ad pias aliquas erogationes. *Quibus in Eccleſiis ea vel conſtitutio, vel conſuetudo eſt, ut Canonicus nuper creatus, quos fructus Prabenda ſuæ primo anno percipiet, eos omnes, vel aliquam eorum partem fabrica Eccleſia, aut ſacriſtiæ, aliove pio loco ſolvat; in poſterum illa ſtatſervetur &c. Ibid. n.4.*

Concilium V. Mediolanenſe anni 1579. Bullæ Pii V. obſequi voluit, unde & ſtatuta antiquavit omnia, quibus reditus priores unius anni, vel alterius, vel plurium, addicebantur menſæ Epiſcopali, vel Canonicorum, aut alterius loci, aut inter Canonicos diſtribuebantur. *Statuta abrogamus, quibus cautum eſt, Beneficiorum vacantium fructus, vel diſtributiones etiam quotidianas, qua inde primo vacationis anno aut longiori breviorive tempore obvenerint, menſa Epiſcopali, aut Canonicali, aliove loco omnes, vel partem aliquam obvenire, attribuive aut in communes uſus cedere, aut inter alios Canonicos miniſtroſve illius alteriuſve Eccleſia dividi. Hac tanquam reſciſſa penitusque ſublata Pii V. Pontificis ſanctione declaramus nulla eſſe, nulliuſque planè roboris. Can.5.* Mox ibidem vetantur Epiſcopi & Capitula hæc jura ſemel extincta transferre ad Fabricam vel Sacriſtiam Eccleſiæ, vel quoſcumque alios pios uſus.

XIV. Concilium Rotomagenſe anni 1581. *Tit. De Epiſ. c.22.* ſimoniacos pronuntiavit Patronos, tum Clericos, tum laicos, qui quidvis exigerent ex Præſentatione ad Beneficia. In Concilio Remenſi anno 1583. prohibiti ſunt Collatores exigere vel penſiones, vel obſequia, vel partem fructuum, vel Beneficia quævis alia ſibi, aliiſve ceſſura. *Si quis Beneficium propter obſequium vel impenſa ſervitutis mercedem conferat, vel de retinenda penſione ſibi, vel alteri paciſcatur, aut partem fructuum, vel aliud Beneficium in compenſationem collationis etiam alteri conferendum exigat, vel aliam quamlibet pactionem à Sede Romana non approbatam fecerit, ſimoniacus eſſe cenſeatur. Tit. De ſimon. n.7.* Damnatæ ſunt hìc etiam exactiones uſitatæ in admittendis Beneficiariis novis, exceptis tamen in Tridentino Concilio laudabilibus conſuetudinibus, hoc eſt, ubi quod exigitur, in pios expenditur uſus. *Rerum exactio, qua pro Canonicorum & aliorum Beneficiariorum ingreſſu in pleriſque locis ſuſpicione ſimoniæ, vel ſordida avaritia non caret, fieri nullo modo permittatur; quamvis laudabiles conſuetudines in Concilio Tridentino non damnatas approbemus eorum, qua in pios uſus conferri ſolent.*

In Concilio Bituricenſi anno 1584. monentur Epiſcopi, ne quid deteri patiantur de fructibus Beneficiorum, dum ea conferuntur, vel confirmantur, vel poſſideri incipiunt, niſi ſi quid ad uſus pios expendendum ſit, ut ad cæteros Beneficiarios nihil inde derivetur. *Nulla fieri ſinant proventuum deductiones, ſolutiones, promiſſiones, compenſationes illicitas, niſi ubi laudabilis eſt conſuetudo, ut in pios uſus Eccleſia convertantur. Tit.13. c.4.*

Concilium Mexicanum anni 1585. Epiſcopos ipſos prohibuit quidquam accipere ex conceſſis Ordinibus, Beneficiis, Diſpenſationibus, cum tantas Tridentinum Concilium pœnas interminatum ſit, ut ab his Præſules deterrerentur. *Nihil quidquam pecuniæ ac pretii Epiſcopi accipiant, aut eorum Judices accipere permittant; pro collatione Ordinum, Beneficiorum, aut eorum inſtitutione, aut pro literis dimiſſoriis, nec pro diſpenſationibus, qua eis committuntur, ut eſt à Concilio Tridentino ſancitum, ſub pœnis ab eo ſtatutis. L.3. Tit.1. De Viſit. num.9.*

In Concilio Avenionenſi anno 1494. innovata priſca lege, ne quid à novis exigatur Beneficiariis præter laudabiles conſuetudines ad ſarta tecta, & ad veſtimenta ſacra Eccleſiæ; ſtatutum eſt, ut ab Epiſcopo ad novum revocentur examen hæ conſuetudines, & delegetur, qui ſibi declaret, an expenſa ſint omnia ex Canonum & Pontificum placitis. *Quis aliquem deputabit, cui incumbet de acceptis ab admiſſo coram Epiſcopo rationem reddere, an juxta Concilii & Pontificum decreta expenſa ſint. Tit.33.* In Concilio Burdigalenſi anni 1624. probatæ ſunt etiam laudabiles conſuetudines, dum earum uſus is eſſet, qui ſuprapoſitis Decretis prælibatus eſt. *Cap. 9. n.15.*

XV. Ad hujus denique Capitis calcem, non intempeſtivè manebimus, ex Tridentini Concilii, & Conciliorum poſteriorum Decretis id eniteſcere: Epiſcoporum jam muneris eſſe, ut à ſe longiſſimè amoliantur, non ſimoniam tantùm, ſed & avaritiam, nec ſordes has tantùm, ſed & earum afflatum, ac ſuſpiciones; tum ad ſtricti incudem examinis ut vocent ſtatuta Capitulorum omnia, conſuetudineſque Diœceſeos totius, & omnes extirpent funditus, quæ laudabiles dici non poſſunt, cum à privatis cupiditatibus non ſunt prorſus alienæ. Ivo Epiſcopus Carnotenſis, reſcito infamatam apud Legatum Pontificis Epiſcopum Albanenſem fuiſſe Eccleſiam ſuam, quaſi ibi, quàm in aliis Eccleſiis tutior & inulta latitaret ſimonia, eam calumniam paulò ardentiùs diſcuſſit, datis ad Legatum literis, quibus affirmabat, cum primùm clavum Eccleſiæ ſuæ capeſſiviſſet, cura & induſtria qua potuit maxima enixum ſe, ut peſtilentiſſimæ ejus ſtirpis fibras omnes perſequeretur, & elideret; nec inutilem, abeſſet verbo invidia, ſe operam poſuiſſe: conſuetudines complures vitioſas ſuis jam exulare Eccleſiis, etſi in vicinis ſerpant adhuc; ſi quid adhuc à Decano, vel Cantore ſuo, Miniſtriſve emungeretur ex novis Canonicis, id totum fieri præter expreſſiſſima ſtatuta ſua, præter juſſa ſæpiùs inculcata; ſed è nonnullis conculcari ſolita, qui contrarias prætexerent, ſibique objectarent Curiæ Romanæ conſuetudines, cujus Miniſtri multa exigunt jura ab Epiſcopis & Abbatibus poſt conſecrationem, has nimirum cauſati pias eſſe & ſpontaneas oblationes, eulogiaſque religioſas; cum alioqui & calami & chartæ expenſas æquum ſit rependi. *Si qua autem adhuc ſunt, qua pro conſuetudine antiqua publicè exigant Decanus & Cantor, & alii miniſtri ab his, qui Canonici ſiunt, me contradicente & perſequente, Romana Eccleſia conſuetudine ſe defendunt; in qua dicunt Cubicularios & miniſtros ſacri Palatii multa exigere à conſecratis Epiſcopis & Abbatibus, qua oblationis & benedictionis nomine palliantur, cum nec calamus, nec charta gratis, ut ajunt, habeatur, & hoc quaſi lapide conterunt frontem meam, cum non habeam quod reſpondeam, niſi Evangelicum illud, Quod dicunt ſervate & facite; ſed ſi id faciunt, ſecundùm opera eorum nolite facere. Baron. an.1104. n.9. 10.*

Hac Baronius prolata Ivonis Epiſtola, in eam ea commentatur, quæ non poſſint citra ingens piaculum prætermitti. Confitetur enim longè optatiſſimum eſſe, nunquam ut Eccleſia Romana has inoleſcere conſuetudines paſſa eſſet: quanquam enim honeſtus illis color illinatur, non omnia tamen expediunt, quæ licent; Apoſtolo certum fuiſſe, etſi licitis alioqui, nunquam tamen uti cibis, ex quibus parvuli offenderentur. Ad Eccleſiæ amplitudinem expeditiſſimum fuiſſe reſecari omnia, quæ infirmis offendiculo eſſe poſſent, nec apud eos obſcurari & marceſcere incorruptam Cleri integritatis famam, miniſtrorum cupiditatibus: hinc enim ſive infirmos, ſive maledicos inſidiari, & occaſiones captare obtrectandi miris alioqui & divinis prærogativis Eccleſiæ toto orbe omnium Principis. *Opta-*

ret

ret quisque bonus, his carnisse semper Romanam Ecclesiam, qua quantumlibet honestis titulis decorentur, tamen quia secundum Apostolum, Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant, atque illud. Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum: expediret in omnibus quantum possibile esset consulere scandalo pusillorum, atque libera fronte dicere Episcopum, illud Apostoli, Bonum est mihi magis mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet; qua sæpè Ministrorum aviditate prave occasionem quærentes persolvitur: fitque ut domus illa, quæ est repleta boni odoris unguento ex diversorum Sancti Spiritûs charismatum donis, ob hujusmodi muscas morientes, quæ perdunt odorem unguenti, male malis oleat in ipsorum perditionem. In his exactionibus censet Baronius esse aliquas, quas tametsi puras & licitas, conduceret tamen usu nunquam receptas fuisse, ad prævertendas offensiones infirmorum. 2. Non posse non in numerosissimam Ecclesiam Ministros irrepere aliquos, quorum aviditas pecuniæ ultra legum limites exiliat. 3. Qui conviciis non authores flagitii, sed ipsam proscindunt Ecclesiam, præpostero æquitatis zelo omnium maxima eos sese obligare iniquitate.

Refert idem alibi Baronius, *Num.1.*, præeunte Rogerio ad annum 1190. quàm acerbè Angliæ Rex exprobrarit Cardinali Ostiensi, quod argenti markis septingentis ex consecratione Episcopi Cenomanensis exegisset, quindecies centum ex Legatione Episcopi Eliensis, ingentem denique pecuniam ab Archiepiscopo Burdigalensi, quo ei adversùs criminationes Cleri tuitionem suam commodaret. His enarratis, existimat Baronius, si hæc ita sint, esse quod ævo nostro gratulemur, unde jam exulant simoniacæ exactiones, vel ei suspicioni meritò obnoxiæ; supersunt autem eæ dumtaxat, quæ cum justæ, tum moderatissimæ sunt. *Quæ si vera sunt, erit profectò, ut laudanda fiat tempora nostra, quibus quidquid simoniacum tantum suspicione nudiùe, procul abjicitur, & aliæ exactiones aliqua justa causa prætensa, sunt modestiores.*

XVI. Non in eorum numero habendus est doctissimus hic, juxtaque piissimus sacrorum Annalium conditor, quibus videtur Romanus Pontifex nulla unquam simoniæ labe maculari posse. Ea de re alibi dixi. Hoc loco addam verba unius tantummodo Theologi, cujus & infucatæ in summos Pontifices religioni & observantiæ, & sincerioris Ecclesiæ disciplinæ amori accedere nihil posse videatur. Petrus is est Ecclesiæ Parisiensis Cantor, cujus hæc sunt verba, ubi non audet simoniæ infamiam illinere iis Beneficiorum permutationibus, quæ dispensante Alexandro III. Papa fuerant celebratæ. *Nolo tamen os meum in cœlum ponere, ut asseram hoc esse simoniacum; cum summus Pontifex Alexander hujusmodi commutationem fieri ex dispensatione concesserit. Cap.42.* Quibus ille verbis satis innuit, quando purgat Pontifex simoniam exactionum, quæ aliàs simoniacæ existimarentur id eò fieri, quòd sua dispensandi potestate utatur. Atqui jam satis superque explanavimus, quæ sint leges, quæ dotes germanæ dispensationis, ne in dissipationem desciscat.

In historia à se elucubrata schismatis Avenionensis testatum facit Theodoricus de Niem, *In Præf.*, annos sese triginta in Romana Curia contrivisse, Urbano VI. & ejus post successoribus affixum. Excandescit autem ille vehementissimè in Bonifacium IX. Urbani VI. successorem, ob vulgatissimas tum Romæ & impunè grassantes Beneficiorum licitationes. Hunc primum tradit ille, *L.2. c.7.*, Pontificem dissimulandæ simoniæ ergo Annatas primum exegisse. *Circa decimum annum sui regiminis, aut cautius ageret in hac parte, palliaretque simoniam, quam exercuit, quodam necessitatis colore, primos fructus Ecclesiarum Cathedralium & Abbatiarum vacantium suæ Cameræ reservavit.* A' veri orbita hic deviare Theodoricum, & alibi jam patefecimus, & infrà prolixius declarabitur. Multò æquiùs autem ille invehitur in Aulicos assentatores, qui tum jactabant, nihil unquam simoniacè à Papa committi posse. *Hac eo tempore omni timore Dei & verecundia hominum postposita in tam frequenti erant usu, quod Curiales pro majori parte affirmabant talia licitè fieri; cum Papa, ut dicebant, in talibus peccare non possit. L.2. c.9.* Si intra Annatas se cohibuisset ea doctrina, non temerè debuisset à Theodorico refelli, cum Annatis jam locus esset in omnibus pene Ecclesiis, ad ipsarum utilitatem Ecclesiarum. At non iis se cancellis coerceri sinebant Scriptores illi, ut liquet ex Theodorici verbis sequentibus. *L.2. c.32.* His enim significatur, fuisse tum Theologos, eruditione & pietate præstantissimos, qui incolumi & illibata Sedis Apostolicæ & Pontificum reverentia profitebant, tunc certissimè simoniacos fore summos Pontifices, si Beneficia & res sacras pretio distraherent: tantòque gravioris culpæ affines fore, quantò eorum supra reliquos Ecclesiæ Antistites præstantia, vitæ innocentiam, & regiminis integritatem desiderat luculentiorem: ne flagitiis, quibus pœnas irrogare debent, exemplo suo authoritatem concilient. *Multi periti in jure propter continuationem simoniæ in Romana Curia tempore dicti Bonifacii, publicè arguere atque tenere volebant, quod Papa simoniam committere non posset, etiam in beneficiis, seu rebus Ecclesiasticis, intercedente pecuniario quæstu, seu pacto. Quod & mihi videbatur satis injustum; cum saltem incivile sit, & contra bonos mores, si quod dignis gratis dare debet, ob vilem pecuniæ rum quæstum concedatur indignis: quodque Papa in omnibus præest, à quo cæteri vivendi normam capere debent, si tali crimine sordidatus, profectò eum alium punire non posset, in eo in quo ipse delinquit: quia, Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum, &c. Vivente eodem quidam integri Magistri in sacra Theologia, & alii in scientiis illuminati, dolenter ita communiter & apertè simoniam committi in Curia, determinarunt, licèt sub magno timore, quod Papa vendente Ecclesiastica beneficia ex pacto intercedente, simoniacus esset; quia non foret constitutus, ut illa venderet, sed ut dignis gratuitò dispensaret.*

Ut in Annatis exagitandis à vero aberravit Theodoricus, ita hallucinari fortassis potuerit & in aliis capitibus, quibus immerentibus simoniam aspersserit, atque ita Bonifacii IX. Pontificatum ultra quam fas erat depresserit. Potuit & tristitia temporum ei Pontifici aliquid extorquere, quod aliàs improbasset. Extra fines vagarer, si in hac quæstione longior essem. Paucis monebo, non abs re à me explosos esse hos Aulæ palpones, & iodigitatos tum Theologos, tum Canonistas, qui illis adversati sint, integra & intacta summorum Pontificum jure meritò summa reverentia. Hæc verò nos tantò liberius scripsimus, quantò jam diutius Pontifices ab hac labe procul sunt, & nunc Apostolico solio sessitantem suspicimus Pontificem, dignissimum ejus successorem, cujus primùm primus olim simoniæ parens ore fulminante damnatus est.

CAPUT LXII. *P.4. l.3. c.11.*

De exactionibus pro sigillo, pro charta, pro Notariis, post annum Christi millesimum.

I. Connexio trium Quæstionum sequentium, totidem Capitibus extricandarum. II.

II. Vetiti Notarii tempore Gregorii Magni nequid acciperent. Officium Notarii tunc Minores inter Ordines numerabatur, & inter Beneficia, quorum ideo functionem decebat esse gratuitam.

III. Obtinuit ea prohibitio, etiam tunc eam Notarii in Officia mera rejecti sunt, etiam ex laicis cum cooptati sunt. Nequid pro sigillo, & pro literis accipiatur.

IV. Sæculo decimo-quarto Conciliis quibusdam approbatum est, ut tenue quid exigeretur pro Notariis, Sigillo, Charta; cum alias interim quidquam exigi prohiberent.

V. De eodem rursus. Sejuncta ab Ordinibus quandoque fuit causa & ratio Beneficiorum, & pro Beneficiis accipi minus imputirenter tulere.

VI. Serpebant latius exactiones, sed Concilia illis occurrere non destiterunt.

VII. Decreta Concilii Tridentini adversùs exactiones pro Episcopis, pro Notariis, pro Sigillo, pro Charta.

VIII. Statuta in eandem rem Conciliorum Coloniæ, Mediolani, Galliæ; de Notariis, de Cera, de Charta, de Ordinibus, & Beneficiis.

IX. In eandem rem responsa Congregationis Concilii.

X. De exactione pro Pallio.

XI. Exemplum B. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis.

I. RElstant extricandæ & paulò copiosiùs edisserendæ quæstiones paucæ, Capiti superiori ferè implicatæ, & ibi jam delibatæ. Prima earum spectat ad Notarios, aliosque Ministros inferiores, ad Sigillum & Chartam. Altera in simonia versatur obsequiorum & precum. Tertia singulariter spectat ad Canonicos, & Beneficiarios alios, qui paternis suis hæreditatibus Canonicatum, aliave erigunt & dotant Beneficia, ut iis ipsimet mox investiantur. In his tribus versabuntur sequentia hæc Capita tria.

II. Refertur à Gratiano, *1.q.2. c.4.*, decretum Gregorii Magni, qui vetabat in Ordinationibus, sive à Notariis, sive ab aliis inferioribus Ministris, nihilo plus, quàm ab ipsis Episcopis quidquam exigi. *Sicut Episcopum non decet manum, quam imponit vendere: ita Minister, vel Notarius non debet in ordinatione ejus vocem suam, vel calamum venundare.* Addit autem Pontifex, si post acceptum pallium, post literas susceptas, ultro quis velit aliquid offerre, voluntariam eam suscipi posse oblationem. *Is autem, qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactus, neque petitus, post acceptas chartas pallium aliquid cuilibet ex Clero gratiæ tantummodo causa dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus. Quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit.* Intextum est & Gregorianis novi Juris Decretalibus hoc Decretum, cui & hæc attexuntur, *Pro ordinatione igitur, vel usu pallii, seu chartis atque pastellis eum, qui ordinatur, omnino aliquid dare prohibemus. Extra. De Simonia. c.1.* Ex his ergo elucet nil dari posse pro Ordinibus, pro Pallio, pro Chartis, pro Convivio.

Minimè mirum est à Gregorio Magno prohibitum esse nequid exigerent Notarii. Erat enim tunc temporis Notariorum Ordo Minorum unus Ordinum, adeoque & suo inter Beneficia loco numerabantur. Tam Beneficiarii tunc erant, fuerantque Notarii, quàm Lectores. Omnibus peræquè suppeditabat Ecclesia, quo vesci, quo indui possent, ut Ordinum suorum, & munerum functiones gratis obirent, utque ne lucelli quidem cogitatio eorum animos subiret. Perspicuè Gregorius Notarios in Ministrorum Ecclesiæ classes conjiciebat cum Episcopis & Diaconis. *Sicut non debet Episcopus, ita nec Minister, vel Notarius.* Qui Minister hic dicitur, Diaconus est, cujus est Evangelium decantare inter solemnia Missarum Ordinationis. Id manifestum est ex posterioribus verbis ejusdem Decreti; *Episcopo Pontifex manum imponit, Evangelicam lectionem minister legit, confirmationis autem ejus Epistolam Notarius scribit.* Eam simillimum veri est causam fuisse justissimam, ne sinerentur Notarii quidquam exigere. Magis certè mirum id etiam à Gregorio IX. prohiberi in Decretalium libris ab eo promulgatis, cum ejus ævo jam Notarii, nec Ordine, nec Beneficio gauderent amplius ullo.

III. Nec à vero recedit, inter Episcopi Ministros hoc posteriori ævo eos collocari solitos, & persuasissimum fuisse, jam Episcopi cujusque esse, suos ipse ut Ministros suo sumptu sustentet, & justa donet mercede: Episcopalis enim Ecclesiæ proventus abundare satis superque, ad omnes Episcopi & Ministrorum ejus, etiam ad quaslibet cujusque functionum expensas. Erat & id Episcopalis Officii, ut gratis suppeditaret oleum sacrum, Chrisma, Ceram, Sigillum, literas dimissorias, testimoniales, & alias. In Concilio Parisiensi anno 1212. vetiti sunt Episcopi, pro Sigillo quidquam recipere: *Prohibemus, ne Prælati, vel eorum Ministri ratione sigilli aliquid exigant. Part. 1. c.13.* Concilium Oxfordiense anno 1222. vetuit, nequid extorqueretur pro Chartis provisionum. *Ne pro institutione, vel missione in possessionem, vel charta super hoc facienda aliquid audeat extorquere: nec ab officiariis suis sustineat extorqueri.* In Concilio Andegavensi anno 1279. inculcatum est illud ipsum Gregorii Magni decretum, prohibitumque, nequid acciperetur pro sigillo & pro literis, evibrata excommunicationis pœna in Laicos, Clericosque minores, nisi morigeri essent. *Ne quis de cætero pro literis sigillandis quæ conceduntur pro ordinationes Clericorum aliquod pecuniarum commodum, vel quidquam aliquid exigat, vel recipiat temporale. Transgressores si laici, vel in Minoribus constituti, &c. Can.2.* E laicis ergo tum erant Notarii, & interdicebantur tamen qualicumque exactione pro sigillo literarum.

IV. Nec diuturna fuit in quibusdam Ecclesiis hæc lucri abstinentia. In Constitutionibus Synodalibus Ecclesiæ Cantuariensis anno 1295. definita est, *Cap.6.*, pecunia & merces ad Sigillum & Chartas omnium literarum, quanquam id spectaret ad Officialem, Jurisdictionis administrum. Jussi suot Episcopi in Concilio Ravennate anni 1311. intercedere cupiditati Notariorum, & Sigilli Ministrorum, atque definire pecuniam perquam modicam, ad expensas Chartæ, Scripturæ, Ceræ & Sigilli solvendam. *Cum indebitè exactiones à Notariis & Sigilliferis Episcoporum taxentur & moderentur in omnibus, præsertim in ordinationibus; ut ultra duos venetos non possint accipere pro Scriptura, Charta, Schedula, Cera & Sigillo. Can.32.* Eo continentur & Ordines, & Beneficia. In Concilio Ravennate anni 1317. constitutum est, *Can.24.*, quantum pecuniæ solveretur pro Institutione, Investitura, Confirmatione, Collatione & Sigillo cujusque generis Beneficiorum.

In Concilio Palentino Hispaniæ anno 1322. vetiti sunt prorsus Episcopi, & Ministri quidquam exigere pro Ordinibus, quanquam ordinatione peracta admittere possent dona spontanea pro scriptura, charta, cera, dum ne tota quidem ea pecunia superaret quinque marabetinos, quod vilissimæ pecuniæ genus erat: à pauperibus autem aliquantò minus, aut nihil omnino acciperetur. *Ordinati verò, si post receptos Ordines pro scriptura labore, charta & cera aliquid offerre voluerit, hoc accipi minimè prohibetur, ita tamen quod hæc gratuita obla-*

tio

tia summam quinque marabetinorum usualis monetæ aliquatenus non excedat; à pauperibus autem aut nihil, aut minus recipiant pro prædictis. Can.19. Prohibetur mox, ne quid accipiatur pro Literis dimissoriis, ut ab alieno quis possit Episcopo ordinari. Quoad Beneficia verò omnino vetantur Episcopi, qui ea conferunt, ne exigant, vel retineant fructuum partem, vel quidvis aliud, quocumque demum obtentu; solis Notariis modicum quid accipere permissis pro charta & sigillo. *Jubemus, ne Episcopi, quivis alius, ad quem Beneficii collatio pertinet, ratione collationis hujusmodi Beneficii, aut charta, seu alio quocumque colore aliud præsumant per se, vel per alium exigere, seu etiam retinere. Nec Notarius, seu Scriptor quidquam nisi moderatum exigat pro collationis litera & sigilla.*

V. Cœpta sunt ergo Beneficia ab Ordinibus segregari, & quod ad Ordines quidem attinet, non remisit antiquus vigor, nihil ut exprimi posset ab Episcopi ministris, pro charta, sigillo & scriptura; at verò in Beneficiis eum modum observari placuit, ut nihil prorsus ad Episcopum ipsum rediret, qua demum cumque prætexta causa; facta cæteroqui Notariis venia, ut mediocri mercede contenti sint pro labore, sigillo, charta. Ita cœpit decretum Gregorii Magni ad solas ordinationes circumscribi, quod Decreto & Decretalibus intextum est; quanquam eo Decreto Gregorius indiscriminatim & Ordines complexus esset, & Beneficia, ut quæ tunc omnino non sejungerentur. Ab hac verò Ordinum à Beneficiis segregatione manavit illa licentia exigendi pro Beneficiis.

In Concilio Toletano anni 1347. definitæ sunt tantùm summæ pro Literis quibusdam solvendæ, quæ ultra æqui metas cœperant efferri. *Quia plerumque in exactione emolumenti sigilli nonnulli metas rationis excedunt, & tam pro licentia quoad studia literarum, seu qua animarum cura ad tempus committitur, quàm pro litera dimissoria, qua cuique se ad alias partes transferendi licentia conceditur, quantitates indebita extorquentur: nos eorum insatiabilem voraginem componere cupientes, statuimus ut pro qualibet prædictarum Literarum possint sex marabetini, & pro Cancellaria duo denarii, & unus marabetinus pro regesto, & non amplius recipi ullo modo. Can.4.*

In Concilio Tarraconensi anno 1370. probibitum est ad firmam dari, vel locari sigillum: nullitatis & excommunicationis pœna ostensa. *Quia secundùm Apostolum non solùm à malo, sed ab omni specie mali est abstinendum; & non solùm fraudes sunt vitandæ, sed etiam via eisdem posse præcludenda; ordinamus & statuimus, quod emolumenta proprii sigilli Episcoporum seu Prelatorum, non possint per quoscumque specialiter vendi, seu etiam arrendari; Et si contrarium factum fuerit, arrendatio seu venditio ipso facto nulla existat, & arrendatores, seu emptores excommunicationis sententiam incurrant. Const. Conc. Tarrac. l.5. Tit.4.*

VI. Tam modicæ verò quandoque definitæ sunt pecuniæ, ut nihilo ferè minùs dici possent hæc gratis dari. Sed non dissimulabimus etiam non illam diu retentam esse mediocritatem, & pecuniis his non nihil exaggeratis, & iisdem exactionibus ad Ordines ipsos ampliatis. Concilium Londinense anni 1321. graviter expostulavit de exactionibus ad sigillum, & ad chartas Ordinum ac Beneficiorum, præter sacros Canones, quibus utrumque ex æquo videtur prohiberi. *Novæ insatiabilis ambitio adinvenit, ut Clericis institutis in Ecclesiasticis Beneficiis, seu ipsis collatis eisdem, vel ad Ordines promotis, pro Literarum super iis habendarum scriptura, labore ac sigillis fiant multoties exactiones immensæ; id reprobante Canone ac dicente; Quod sicut non decet Episcopum manûs impositionem vendere, ita nec ministrum, vel Notarium calamum venundare. Can.4.*

In hoc ergo Concilio illud Episcopi confessi sunt Gregorii Decretum tam ad Beneficia, quàm ad Ordines exporrigi, eoque tam Notarios, quàm Episcopos exactione qualibet interdici. Sed cum hujus Concilii Londinensis ætate jam permitterentur Notarii pauxilulum pecuniæ accipere ad provisiones, literas & sigilla Beneficiorum: ab hoc quoque designatum est Concilio, quantulum posset etiam pro literis Ordinum exigi. *Nos abusum abolere volentes, duximus ordinandum quod pro scriptura singularum literarum institutionum, vel collationum, ultra singulos duodecim denarios sterlingorum; pro literis verè singulis sacrorum Ordinum vel dimissarum ultra singulos sex denarios dicti Clerici per se, vel per alios non recipiant ullo modo.* Literæ ad causas jurisdictionis pro modo Beneficialium literarum diffinitæ sunt.

Liquet ergo exigi primùm cœpisse aliquantulum pecuniæ ex chartis & sigillis judicialium causarum. Tum ad Beneficia ventum esse, ac denique ad Ordines. Hinc modò audivimus ad literas Ordinum, sive dimissorias non exigi nisi dimidiam pecuniam Beneficiorum. Denique permodicæ usque adeo sunt hæ summæ, ut nihilominus Episcopis præscribatur in hoc Concilio, suis ut ministris idonea & certa constituant ipsi, solvantque salaria, quo possint pro sigillo nihil prorsus exprimere. *Cæterùm quia Ordinarii suis tenentur ministris stipendia constituere, quibus debeant meritò contentari, pro sigillatione literarum hujusmodi nihil omnino exigi volumus, vel persolvi; ne cujusvis speciei velaminis solutio pro sigillo literarum hujusmodi in prædâ quæstum damnabilem convertatur. Ibidem.*

Confidentiùs certè Concilium Basileense simoniæ radices altissimas evellere studuit. Et tamen cum vetuisset exigi quidvis pro Ordinibus, Beneficiis, sigillo, chartis: *De cætero nihil penitus ante, vel post exigatur ratione literarum, Bullæ, sigilli, in Beneficiis officiisque Ecclesiasticis quibuscumque. Sess. 21. c.1.* Mox tamen concessit mediocris aliquid mercedis pro labore conscribendarum chartarum: *Solum scriptoribus abbreviatoribusque & Registratoribus literarum, seu minutarum pro ipsorum labore competenti salario solvendo.*

Concilium Toletanum anno 1463. Episcopos & eorum ministros noluit quidquam exigere pro sigillo & cera in literis Ordinum. *Nihil levare permittant pro sigillo & cera, sed gratis & liberaliter impendant.* Indulto tamen Notariis, ut pro literis Ordinum & Dimissoriis decem marabetinos acciperent, quod jam diximus infimæ genus fuisse pecuniæ. *Pro literis Ordinum & reverendis decem dumtaxat marabetinos recipere audeant. Can.25.*

VII. At longè cumulatissimæ sapientiæ decretum edidit Concilium Tridentinum, *Sess.21. c.1.*, ubi constituit, ne quid etiam ultro oblatum pro Ordinibus, pro Tonsura, pro Dimissoriis, pro sigillo acciperent Episcopi, vel eorum ministri Officiales. At Notarii pro singulis literis dimissoriis vel testimonialibus acciperent decimam partem nummi, illis in locis nimirum, ubi non invaluit consuetudo nihil accipiendi, & ubi ejusmodi Ministri non satis idoneo ab Episcopis salario donarentur. Tunc enim gratuitam operam suam præstare debent Notarii, ut nec posthac locus sit statutis ullis contrariis. *Notarii verò in his tantùm locis in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis literis dimissoriis, aut testimonialibus decimam tantùm unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo. Nec Episcopis ex Notariis commodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum collationibus directè provenire possit. Tunc enim gratis operam suam*

eos præsturæ teneri omnino decernit, contrarias taxas ac statuta & consuetudines etiam immemorabiles quorumcumque locorum, quæ potius abusus & corruptelæ simoniacæ pravitati faventes nuncupari possunt, penitus cassando & interdicendo.

Nihil poterat statui antiquissimæ magis consentaneum disciplinæ, & ad nostrorum tamen temporum patientiam accomodatius. Abundè enim testantur Tridentini Patres, nihil præstabilius, nihil optatius fore, quàm ut Notarii Episcoporum nihil omnino acciperent pro litteris Ordinum, adde & Beneficiorum, si horum temporum mores id ferre possent, & ab Episcopo honesta si eis merces esset constituta. Ubi res non ita habet, tam modicam pecuniam exigi sinunt, ut pro nihilo putari possit; sed & tum vetatur, ne in ejus aliquam partem cum ministris suis veniat Episcopus. Qua quidem in re magnum interponitur hic discrimen Episcopos inter & ministros, quanquam illos Gregorius una & communi lege devinxisset nihil accipiendi. Ratio discriminis in promptu est, inde scilicet petita, quòd Tridentini Concilii tempore, & diu antè Notarii jam nec Clericis, nec Beneficiariis accenserentur. Ideo & salaria iis plerumque adsignabantur, eratque optatissimum, ut semper adsignarentur. Episcopus ergo ipse quidem à Tridentino legibus constringitur austerissimæ disciplinæ, quæ nec primævæ Ecclesiarum sanctimoniæ dissentiat, nihil ut accipere possit, sive pro Ordinibus, sive pro sigillo & literis, ac ne voluntarias quidem oblationes. Notarii olim Clerici erant & Beneficiarii, Beneficii sive Ecclesiæ stipendiis sustentati, ut facillimè possent nihil exigere. At cum inter ministros nunc censeantur, suis illos reditibus Episcopi alere abnuerunt, quòd non Episcopi, sed communis Cleri mensæ olim participes essent. Itaque ad eorum sustentationem attributæ sunt illæ sive fidelium, sive Clericorum oblatiunculæ, sive pecuniæ, quas ex literis colligunt.

Non meminit quidem hic Tridentinum collationis Beneficiorum; sed non obscurè tamen insinuavit, quàm & hic abhorrere debeat Episcopus ab avaritiæ suspicione. *Quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet;* si ne spontanea quidem dona ex ordinationibus fas est admittere: quàm in collationibus Beneficiorum exigere nihil possit, quorum tanta est cum ordinibus conjunctio; quàm gratuitum ex æquo in omnibus debeat esse sigillum; quàm in optatis sit, non ad Ordines tantùm, sed & ad Beneficia Notarios tam copiosis ab Episcopo donari salariis, nihil ut usquam exigant; quàm denique ut in ordinibus, ita & in Beneficiis studiosè explorentur causæ, vel occasiones omnes abrogandi consuetudines qualescumque quidvis exigendi. Cum verò alibi Tridentinum, *Sess.*24. *c.*14., faces admovit Episcopis, ut quàm diligentissimè expungi curarent & oblitterari consuetudines & exactiones Capitulorum omnes in novos Beneficiarios, si eæ privatorum commodis augendis, non Ecclesiis reparandis cederent; nonne tum Concilium Episcopos submonuit, exemplo ut ipsi suo Capitula animarent, abstinerentque à quavis exactione in Beneficiis conferendis? Si exigit enim Episcopus ab iis, quos instituit, aut quibus confert: ecqui poterit Capitula deterrere, ne quid à Canonicis exigant, aliisve Beneficiariis, quos admittunt? Hoc enim capite Tridentini Concilii, non Episcopi tantùm, sed & Capitula, & conferre dicuntur, & instituere.

Cæterùm si per Tridentinos Patres jam Notariis licet aliquid exigere moderati salarii, non innovato eo usu, sed confirmato, ut qui pridem pervulgatissimus fuisset: non erit, ut opinor, jam quod stupeamus, si ministri Curiæ Romanæ, quos capite superiori exagitabat Ivo Carnotensis, aliquid etiam exigebant, *cum nec calamus, nec charta gratis, ut ajunt, non habeatur.* Tantò æquius id illis condonandum erat, quòd etsi possit singulis Ecclesiis ea lex indici, suos ut ministros tam copiosè munerentur, ut officio jam suo fungi gratis possint: non æquè possit compelli Ecclesia Romana ministros habere & idoneis stipendiis alere, qui reliquarum omnium Ecclesiarum utilitatibus gratuitas præstent operas. Percupiebat Ivo & Baronius rem ita fieri, ut vel levissimæ suspicionculæ cupiditatis, & inanes calumniandi prætextus amputarentur. Illud ipsum & Tridentini Patres flagitari avebant singulis in Diœcesibus. Sed bene multa sunt, quæ optari magis possint, quàm vel sperari, vel præcipi, ut vel hoc Tridentinorum Patrum exemplo elucet, penes quos summa erat præcipiendi, quod optarent, potestas, sed & summa erat non præfestinè præcipiendi sapientia.

VIII. Jam inde ab anno 1536. statuerat Concilium Coloniense. *Part.*2. *c.*28., nihil exigi pro Ordinibus & sigillo; à Notario verò exigi *unum* non amplius *album* pro singulis literis. At post Concilium Tridentinum, in Mediolanensi Concilio I. præceptum est Episcopis, summulas pecuniæ ut definirent, *taxas* vocant, ad Notariorum & cæterorum ministrorum in litibus mercedes: quoad literas Ordinum & dimissorias, pareri placuit Tridentinis Decretis; alia verò omnia, quæ merè spiritalia sunt, vetitum est, nec quid Notarii acciperent, nisi præfinisset Episcopus, quamquam nullo ejus salario gauderent. *In aliis, quæ merè spirituales sunt, etiamsi nullum stipendium eis constitutum sit, nihil omnino accipiant præter scripturæ mercedem ab Ordinario statuendam.* *Cap.*32. In B. Caroli Concilio eodem Provinciali I. vetitum est, ne Notariis, aliisve Episcopi ministris ultra duos aureos pro Beneficii chartis daretur. *Notariis, Scriptoribus, aliisque Episcopi ministris pro omnium opera, sumptu ac labore in conficiendis literis, quibus Beneficii collatio, confirmatio, institutio, provisio continetur, non plus duobus aureis ad summum persolvatur. Act. Eccl. Mediol. pag.* 14.

In Concilio Mediolanensi III. *Cap.*18. promulgatum est superius Concilii Tridentini Decretum, cum hoc novo elucidamento, ne Notarius ultra decimam aurei partem acciperet, pro litera etiam testimoniali plurium semel Ordinum, peræquè ac si unius Ordinis suscepti testimonio esset. In Concilio IV. Mediolanensi vetitum est quidquam exigi pro sigillo, frustra enim fore adversarias quascumque consuetudines, sive Canonicas Constitutiones Conciliorum, ad Beneficiorum provisiones. *Ne sigilli quidem nomine exigi accipive ab ullo quidquam liceat, omni prorsus si qua huic decreto repugnet, consuetudine & superiorum Conciliorum decreto antiquato, abrogato. Part.*2. *c.*9. Quoad Notarios præscribet Episcopus eorum operæ mercedem, ut tamen tota pecuniæ summa ne aureum nummum superet unum. *Ita tamen ut pro omni Beneficii collati scriptura à se confecta, aliove quovis nomine vel prætextu, plus aureo nummo ad summum ne capiat.* Affirmat Scriptor vitæ B. Caroli, *Giossano. l.*8. *c.*30., eo decreto restitutam in integrum fuisse antiquissimæ inter Beneficiarios puritatis & sanctimoniæ disciplinam.

Concilium Coloniense anni 1570. fidentissimè pronunciavit, quæ Sigilli obtentu exigebantur pro Dispensationibus, Collationibus, Provisionibus quibuscumque, ea nullo satis legitimo niti fundamento; vitiosam eam fuisse ab exordio jam ipso suo & adulterinam consuetudinem, ideoque longissimè eliminandam. *Occasione Sigilli varia jura solent exigi. Statuit Provincialis Synodus omnia illa jura, tanquam non satis probata consuetudine introducta, planè remittenda & relinquenda esse, & nihil inde acci-*

accipi posse. *Tit. De Sigill. c.1. 2.* Omnium Ministrorum, qui Literis & Sigillo operam navant, vetuit hæc Synodus salaria simul omnia ultra nummum aureum unum excrescere, quanticumque sint Beneficii reditus. *Nunquam verò ne in maximis accipere possint ultra coronatum*. In Concilio Burdigalensi anno 1581. prohibiti sunt Episcopi Sigillum locare, Clerico nempe pio & experto concredendum. *Non liceat Episcopis Sigillum suum ad certum pretium locare, sed illud probo viro, nec indocto, tamen Ecclesiastico committant. Tit. De Jurisdict. n.8.*

In Concilio Remensi, *Tit. de Simon. n.8.*, anni 1583. Simoniaci pronunciati sunt Episcopi, qui ad literas Ordinum & Sigillum quidvis acciperent: ne permisso quidem Notario ultra decimam aurei partem exigere. Quod idem statutum fuit in Concilio Burdigalensi ejusdem anni. *Can.14. 22.* At quoad Beneficia prohibitum est, ultra duos aureos accipi ad literas, ad Sigillum, & ad Notariorum operas. *Prohibemus, ne pro literis collationum & institutionum cujuscumque Beneficii, tam Scribæ, quàm Sigilli nomine aliquid præter duos aureos accipere liceat*. Concilium denique Tolosanum anno 1590. vetuit, *Cap.5.*, ne Collatores & Præsentatores Beneficiorum, eorumve familiares ac Ministri, quidvis acciperent, ne gratuita quidem munuscula. *Nec sponte quidem oblatum accipiant*. Notarii, & Cancellarii Episcoporum, ne plus uno nummo accipiant, pro opera sua, Sigillo, cera, aliisve expensis. *Possit tamen Notariae, aut Cancellariae Episcopi in singulas collationes accipere mercedem suo labori congruam, quæ Sigillo, cera & cæteris computatis aureum unum non excedat*. Et ne id quidem accipiant, nisi ubi nullis Episcopi salariis juvantur; utque nihil inde emolumenti decerpant, sibique sumant Episcopi. *Dum tamen nullum ei pro officio exercendo salarium constitutum sit, nihilque inde emolumenti Collatores directè, vel indirectè accipiant*. Planum est eum Canonem ad normam Tridentini decreti, *Sess.21. c.21.*, supra positi concinnatum fuisse. At hoc Canone ad Collationes rapiunt Beneficiorum, quod Tridentinum de Ordinum Collatione decreverat. Ex quo facilè rursus intelligas, eam fuisse Tridentinorum Patrum mentem ac sententiam, quam suprà explanavimus.

In Comitiis Cleri Gallicani anno 1655. admoniti sunt Præsules, *Libellos supplices Provinciarum nonnullarum, querelis amarioribus refertos esse, de Episcopis, vel eorum Ministris, Sigilli, & literarum obtentu exactiones molestissimas indicentibus; non posse quantalibet consuetudinis diuturnitate quemquam ei usui patrocinari, quem conceptis verbis proscripsissent Concilia antiqua, & nova, præcipuè verò Calchedonense, Tridentinum, & Complura Galliæ Provincialia: Pontifices item Gregorius I. & VII. & Alexander III. cui doctrinæ B. Thomas assensus esset, omnesque secundùm illum Theologi subscripsissent; hic concinere Edictum Blesense, ita constanter diffinire Theologos, ita Judices pronunciare; atque adeo plurimum omnium interesse, ut tam sanctæ leges primævæ reddantur authoritati*. Hæc ad sacri Conventus Præsules perorata sont, à quibus *incunctanter statutum est, ut ad omnes perscriberetur Episcopos, ne sinant à suis quidquam exigi Ministris ad literas Ordinum, & alia Sigilli jura, nisi consentaneè decretis Concilii Tridentini, & statutis Cleri Gallicani*.

IX. Multa depromsit Fagnanus, *In l.5. Decr. Part.1. pag.147. 200. 201.*, responsa Congregationis Concilii, aut Pontificum ipsorum, de hac eadem re, ex quibus pauca hæc excerpam. Responsum est ergo à Congregatione, verè simoniacos habendos esse Notarios, vel Amanuenses, qui ad literas dimissorias ultra unum nummum acciperent. Pro literis, sigillo, cera, & omnibus deoique expensis provisionis Beneficiorum, à Notariis accipi non posse supra unum aureum. Idque ea cautione, ut his Notariis, vel Cancellariis non alia suppeditarentur salaria, & hujus quæstus ne particeps quoquomodo fieret Episcopus. A' Gregorio XIII. declaratum est, nibil ab Episcopo accipi posse pro Sigillo, nec ad Beneficii chartas ultra unum aureum emungi posse, sive ad Notarii mercedem, sive ad impendia quævis alia. Ejusdem authoritate & mandato Pontificis, percontantibus Lusitanis responsum est, nibil exigi posse pro dispensationibus conjugiorum, convenienter Tridentino, *Sess.24. c.5.*, itemque pro Rescriptis omnibus, nec à Notariis ultra quartam aurei partem accipi posse. Denique & à Congregatione negotiis Episcoporum præposita, & à Clemente VIII. definitum est, ab Episcopis non posse locari Cancellariatum.

X. Pauca restant de Pallio Archiepiscoporum, carptim supra jam delibata. Antiquo usu Romam proficiscebantur Episcopi, illud accepturi, nec solis quandoque itineris expensis fatigabantur. Angliæ & Daniæ Rex Canutus anno 1027. Romam ipse profectus, fidentissimè conquestus est de expensis gravissimis, quibus exhauriebantur suorum Regnorum Episcopi pro Pallio impetrando. Satisfecit cumulatissimè Pontifex ejus votis, ut Rex ipsemet testificabatur. *Conquestus sum coram Domino Papa & mihi valde displicere dixi, quod mei Archiepiscopi in tantum angariabantur immensitate pecuniarum, quæ ab eis expetebantur, dum pro Pallio accipiendo secundùm morem expeterent Apostolicam Sedem, decretumque est, ne id deinceps fiat. Cuncta enim, quæ à Domino Papa & ab Imperatore pro meæ gentis utilitate postulabam, libenter annuerunt, & concessa etiam Sacramento firmaverunt. Baron. ann.1027. n.4.* Hinc augurari fas est immoderatas eas exactiones, Ministris potius plerumque imputandas esse, quàm Prælatis, qui statim commoniti, rem emendent.

Simillimum tamen veri est, meritissimo reprehensas exactiones istiusmodi plerasque non alio ex capite manasse, quàm spontaneorum donorum, quibus Prælati Pontificem colebant, & Ministros etiam ejus studebant demereri. Ea vis est & natura hujusmodi consuetudinum, quæ primùm liberæ & arbitrariæ, longissimo usu ipsæ sibi cudunt nescio quæ vincula necessitatis. Ipsa enim consuetudo sua sponte in legem convalescit, ut jam non possint sine perturbatione & offensione animorum aliqua præteriri consuetudines, laudabiles illæ quidem, sed ab ortu tamen suo arbitrariæ. Inde est quod antiqua Concilia non pauca, quibus accessit tandem & Tridentinum, vetuere, nequid etiam gratis oblatum acciperetur in Ordinationibus. Vix enim fieri potest, quin in legis & Juris authoritatem evadat, quod longissimo & latissimè fuso usu præscriptum est. Cantuariensi Archiepiscopatu sublimatus Beatus Anselmus Romanum iter statuit ipsemet emetiri. Intercessere Regni factiones. Pallium ei à Pontifice transmissum est. Dono Pontificem remuneratus est Anselmus, quod non temerè conjicimus maximum fuisse, cum à tam opulento Archiepiscopo proficisceretur, quanquam pretium ipsi maximè faceret modestia Præsulis, tenuitatem sui doni his verbis excusantis: *In munusculo nostro magnitudo vestra rogo non solam penset quantitatem, sed & bonam, qua missum est, voluntatem. L.3. Ep.37.* Prælati quibus ea remittebatur necessitas Romanæ profectionis, & impensarum ad id necessariarum, non illubentes Pontifici offerebant, quo pietatem suam, & grati animi memoriam testificarentur. Hæ verò grati &

memoris animi significationes omnes unà contextæ, consuetudinem, & ex consuetudine obligationem contexuere. Quæ enim dicuntur laudabiles Consuetudines, & quæ impræsentiarum vim legis obtinent, quandiu nondum eam legum maturitatem assecutæ erant, meræ erant & liberæ consuetudines. Cum Alexander III. Archiepiscopum Strigoniensem & Primatem Hungariæ, per literas eo scrupulo, & religione paulò morosiore levavit, veritum, ne quo simoniæ nævo inquinatus esset ex dono equi, quo Legatum muneratus fuerat, cum ab eo Pallium Roma allatum accepisset: hinc perspicuè declaratum est, nihil tum expressum fuisse pecuniæ, aut doni pro Pallio Archiepiscoporum. *Extra. de Simon. c.*18. Contra autem nec Concilium Basileense, *Sess.*21., nec Pragmatica Caroli VII. Galliæ Regis Sanctio, in eas pro Pallio exactiones efferbuissent, si ut olim, ita & tunc temporis voluntariæ fuissent eæ oblationes. Interim ergo longo usu, & diuturna assuetudine adjecta illis erat ea vis & species legum, consuetudini innixarum.

XI. Finem faciet huic Capiti exemplum Beati Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis. Cancellarium ille suum juramento constrinxit, in suo obeundo munere nihil unquam accepturum, quantumlibet gratis offerretur. *Ut simoniam à domo sua penitus amoveret, instituens Arnulphum Cancellarium, eum juramento astrinxit, quod nec cum pactione, nec sine pactione, usque ad manipulum pro officio Cancellariæ administrando acciperet.* Hæc de eo Petrus Cantor. *De verbo abrev. c.*338. *L.*4. *c.*3.

C A P U T LXIII. *P.*4. *l.*3. *c.*12.

De Simonia, quæ fit muneribus à lingua, & ab obsequio post annum Christi millesimum.

I. Luculentissimè probat Petrus Damiani, precibus, obsequiis, & expensis in Aula, & in Beneficiorum aucupio factis; emi Beneficia, & simoniacè comparari.

II. De eodem. Cur tam vehementer bacchatus sit Petrus Damiani in eos, qui ad Episcopales assurgant Cathedras, obsequiis Principi exhibitis.

III. Principes, penes quos jus nunc est ad Episcopatus nominandi, possunt non spectare, nisi vera merita & virtutes. Ejus rei exemplo vult esse Henricum II. Angliæ Regem Petrus Blesensis.

IV. Decreta Pontificum & Conciliorum, quibus convenit simoniacos esse, quicumque Episcopatus, & alia quævis Beneficia largiuntur, vel adipiscuntur, obsequiis, precibus, adulationibus. Quæ licita, quæ illicita preces in Beneficiorum dispensatione.

V. Rursum Decreta Conciliorum, Basileensis potissimum. Quæ preces Regum non displicuerint authoribus Pragmaticæ Sanctionis.

VI. Contexuntur alia denuo Concilia Mediolanensia, potissimum S. Caroli, adversùs simoniacas Beneficiorum impetrationes, per obsequia, per preces.

VII. Decretum Innocentii III. quo non respuuntur preces divitis cujuspiam ad impetrandum Beneficium, quod collata re ipse sua familiari fundavit, dotavitque.

I. CONstantissimam Gregorii Magni doctrinam, de triplici simonia, simulata quidem illa & personata, sed tantò formidolosiore, non potuimus non hic etiam pertractare, cum eam ad hanc ætatem nostram Patres & Concilia illibatam transfuderint. Luculentissimè Petrus Damiani tres istas sejunxit lubricæ simoniæ species in Epistola ad Episcopos Cardinales. Prima manu & muneribus incurritur, *munus à manu*. Altera laudibus & assentationibus, *munus à lingua*. Tertia denique obsequiis privatæ cupiditati servientibus, *munus ab obsequio*. Atqui non dubitat Petrus Damiani, ingens Ecclesiæ postrema hac ætate lumen, singulari Numinis providentia accensum ad denudandam, exagitandam, & debellandam simoniam tum maximè grassantem: Non dubitat, inquam, Petrus, quàm fœdissima sit illa simonia, qua incitati, Aulam frequentant, Magnatibus adulantur, sua ipsis obsequia devovent, Beneficia spe devorant, his eblandiendis res, vigilias, curas omnes conferunt suas. *Siquidem munus à manu pecunia, munus ab obsequio obedientia subjectionis, munus à lingua favor adulationis. Et cum ab unoquoque horum manus excutiendas Propheta denunciet, omnibus his manus implicasse dignoscitur, qui nanciscenda dignitatis ambitu potestatum sublimium castra sectatur.* *L.*2. *Ep.*1. Quos hi in aula sumptus faciunt, aucupandi ergo Beneficii, pecunia non immerito illa videbitur ad emptionem numerata. *Nam dum in vehiculis acquirendis, diversorumque sumptuum apparatibus non modica summa profunditur, hic procul dubio data pecunia obnoxius invenitur.* Nec ambigi potest, quin Principi, cujus est conferre Beneficia, quidquid illud est obsequiorum, laudum, adulationum propensius, effusiusque impendatur: *Quia etiam nulli dubium, quin ei & obsequium præbeat, cui factus assecla, sub tanto laboris & itineris fasce desudat. Postremò dum domino suo blandiri ejusque voluntati congruere per omnia nititur, sæpè ipsi quibusdam adulationis favoribus assentatur.* Si singulæ hæ sejunctim machinationes ad impetranda Beneficia, simoniacam redoleant pravitatem, quid universæ? Atqui quos hic lacessimus, eos certissimum est triplici hoc machinarum genere ad Beneficia expugnanda grassari. *Porro quisquis in dandis accipiendisve dignitatibus Ecclesiasticis una dumtaxat earum quæ prædictę sunt, peste corripitur, simoniacę hęreseos teneri crimine judicatur. Quam ergo sui afferant excusationem, qui licèt verbis non contraxerint venalis pacta commercii, operatione tamen non uno, sed omnibus his probantur laqueis irretiti?* Si ambitiosi verò hi aucupes, nulla se simoniæ macula sperant inquinatos, quòd nec promiserint, nec numeraverint pecuniam ei ipsi, à quo Beneficium expressere; percunctatur illos Petrus Damiani, si pro vasculo aureo comparando tantundem obsequiorum & impensarum effudissent, annon illud charo sibi emptum existimaturi essent? Emuntur ergo & Beneficia, cum tanto assentationum & obsequiorum impendio obtinentur. *Dic mihi, ô Clerice quisquis es, si redempto quolibet aureo vase, vel prædio, distractor exigeret, ut retenti apud te vice pretii, hujusmodi sibi sedulitatis impendium exhiberes; numquid non postmodum constanter assereres, se quod acceptum est, justo pretio comparasse? Non videlicet quia pecuniam persolvisti, sed quia servitium præbuisti.* Nec à vero deviabit, qui dixerit charius hæc emi, quæ tanta obsequendi vilitate, defatigatione & pertinacia redimuntur. *Diceres enim, & non hoc fortasse impudenter astrueres, charius emi, dum tanto me labore vexarem, dum toties facultatum mearum sumptus expenderem, quàm si semel præfixa quantitatis pecuniam numerarem.* Ita denique statuit Petrus Damiani sinuosos hos anfractus, deflexusque ad assequenda Beneficia, nec laboris nunc minus, nec postea damnationis afferre, quàm si apertè pecunia repræsentaretur, perinde ut de ea antè convenisset. *Enimvero facilioris exitus fuerat, si pro honoribus venali-*

liter acquirendis pecuniam semel appenderent, quàm tot laborum, tot pressurarum molestias sustinerent. Nam cum Propheta de viro justo dicat; Qui excutit manus suas ab omni munere: quis eum à munerum præstatione defendat, qui & se ipsum alienæ servituris imperio subjugat, & insuper in diuturnæ expectationis impensas facultatum suarum lucra profligat?

II. Cum Clericorum partem longè maximam tum corripuisset ea pestis, propter investituras Beneficiorum, quas terreni Principes invaserant: hinc Petro Damiani campus latissimus invehendi in hanc Beneficiorum tum frequentissimam in Aula ambitionem. Sic ergo rursum ille ad Cardinalem Episcopum Albanensem, de expensis Aulicis in vestes, in currus, & in alia luxûs instrumenta, ut hæc non injuria dici posset emptio impudentissima Beneficiorum. *Quis eum valeat à munerum præstatione defendere, qui & semetipsum alienæ servitutis imperio dedere, & in diuturnæ expeditionis impensas facultates sua conviuritur profligare? Quis enim manifestius approbatur pro adipiscendis honoribus præstare pecuniam, quàm is, qui tot expensas nutrendo vehiculis, tot facultatum summas in accurandis pretiosarum vestium prodigit ornamentis? L.2. Ep.3.* Vide rursus ut ingenuè & aculeatissimè tamen describat, & ita pulcherrimè insectetur vilissimas & sordidissimas adulationes horum Aulæ mancipiorum. *Jam verò quis ambigat eum cum datur occasio, favorabilitùs dominum suum verbis oblinere, ut eum blanda possit adulatione mulcere? Pendet ad nutum. Ire jubetur, evolat; stare præcipitur, filicem repræsentat. Si dominus fervet, iste sudat; si ille æstum, hic eamdem conqueritur, &c.* Cætera missa facio, sed illud in prætereitis non relinquam, quod idem Sanctissimus Cardinalis ad Alexandrum II. perscribebat, eum etiam atque vehementissimè orans rogansque, ut ne unquam eos in Episcopales sedes eluctari pateretur, qui eo contenderent per Aulicas has servitutes. *Ut in quantum facultas suppetit, nunquam fieri vel esse Clementia vestra permittat Episcopum, quem ad honoris culmen constiterit ascendisse per premium, vel etiam quod damnabilius est, per Curialis obsequii famulatum. Absit enim ut qui prælationis ambitu sæcularem coluit Principem, spiritalem Ecclesiastici culminis obtineat dignitatem.*

Gratissimam nobis rem fecisset Petrus Damiani si edisseruisset eas rationes, quæ illum movebant, ut diceret, exitialius quid esse, ad Cleri dignitates perveniri hac adulationum & obsequiorum perversitate, quàm si pecunia palam effunderetur. An execrationi illi erat, ita conculcari & vilescere summam & sanctissimam dignitatem, quæ longa & pudenda emebatur servitute, Principibus quidem, fateor, sed hominibus impensa, quibus indignum erat serviri, ut Christi familiæ imperitarent? An illud Aulicum tyrocinium alienissimum illi visum est ab iis virtutibus, quibus uti gradibus enitendum est ad summos Ecclesiæ apices, quarum prima & potissima illa est, Aulæ fuga, aversatio quarumlibet, etiam sacrarum dignitatum? Certè ita sentiebat Petrus de Aula Principum sui ævi. Si qua enim Caroli Magni, si qua alterius cujuscumque Regis Aula fuit, aut est domicilium Religionis, sedes pietatis, seminarium Præsulum omni virtutum laude florentissimorum; non tum Clerici Principibus serviliter adulantur, non vilibus obsequiis aucupantur sacras infulas: sed Principes ipsi sacro & Episcopali zelo animantur, nec ullos constantiùs arcent à Beneficiis quibuscumque quàm quos cernunt eorum spe improba æstuare. Damiani monitis obsecutus est Alexander II. & Remigium Episcopum Licolniensem, authore Vuillelmo Malmesburiensi, spoliavit sacro Magistratu, quem adeptus erat Militari opera & industria Vuillelmo Notho impensa, cum ad Angliam sub jugum mittendam profectus est. *Pro auxiliis Guilelmo venienti in Angliam præbitis, divinum munus bellicosis laboribus nundinatus. Baron. an.1071. n.7.* Veniam certè & dispensationem Pontificiam Remigio impetravit Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus: sed non antequam ejus rei periculum in se ipse recepisset, & Pontificis exonerasset conscientiam. *Papa pondus facti à se rejiciens, in eum considerationem transfudit, bene, an secus ferret.*

III. Ex Petro Blesensi jam patefaciemus, quàm non hæc à nobis disputata, obstrepant juri, quo nunc plerique gaudent summi Principes, nominandi ad Episcopatus. Henricus II. Angliæ Rex non eo quidem ille utebatur jure dandorum Episcopatuum; sed in electionibus Episcoporum tantum sibi sumebat, tantum illi tribuebatur authoritatis ut à verò non multum deflexerit, qui illum dicat Episcopatus donasse. Et illi tamen incorruptus testis hoc testimonium dicit Petrus Blesensis, nihil illum gratiæ, nihil muneribus quibuscumque donasse, in Episcopis Abbatibusque promovendis. *Manus suas excussit ab omni munere, nec in Prælatis Ecclesiæ promovendis ipsum unquam inflectere potuit, vel muneris oblatio, vel gratia personalis. Epist.10.*

IV. Sed expromendi jam sunt Canones Conciliorum & Pontificum Decreta, quibus superiùs explanata confirmetur doctrina de multiplici hac & præstigiatrice simonia. In Concilio V. Romano sub Eugenio VII. proscriptæ sunt ordinationes, atque adeo & Beneficiorum promotiones, quæ aut pecunia conciliatrice fierent, aut precibus, aut obsequiis, quòd non ea essent ostia: quibus adeundus esset Christi grex; sed insidiosa diverticula, per quæ in eum irrumperetur. *Ordinationes, quæ interveniente pretio, vel precibus, vel obsequio alicujus personæ ea intentione impenso, irritas & infirmas esse dijudicamus. Quoniam qui taliter ordinantur, non per ostium, id est, non per Christum intrant, sed ut ipsa Veritas testatur, fures sunt & latrones. Can.4.* Nulla hic, ut vides, discrepantia triplicis simoniæ in emendis vendendisque Beneficiis, sive pecunia, sive precibus & adulationibus, sive obsequiis eo consilio exhibitis.

Nec ea sejunxit Urbanus II. *Qui res Ecclesiasticas non ad hoc, ad quod instituta, sed ad propria lucra munere linguæ, vel indebiti obsequii, vel pecuniæ largitur, vel adipiscitur, simoniacus est. Epist.17.* Alia rursum idem Pontifex Epistola declaravit, compertissimum sibi esse, Guezelonem Archiepiscopum Moguntino simoniaca pravitate contaminatum esse, ut qui perdiu Germaniæ Regi inservisset ad emerendum eum Episcopatum, quo impetrato eadem rursus illi obsequia præstitisset. *Et nos profectò scimus Guezelonem hæreticum fuisse, Moguntinumque Episcopatum simoniaco credimus facinore invasisse, propter quem, aut ut eum acquirendum Regi sub anathemate posito diu servierit, & propter acquisitum omni vita sua tempore deservivit. Epist.19.* In Concilio Melfensi, cui Pontifex idem præfuit anno 1089. Ordinibus & Beneficiis abdicati sunt suis, qui ad Episcopatum pertingerent, aut alios promoverent, stimulo excitati pecuniæ, precum, obsequiorum denique, eo fine impensorum. *Sanctorum Patrum sententiis consona sentientes, ex Dei & Apostolorum ejus parte præcipimus, ne quis ulteriùs dato, vel promisso, vel pretio, vel servitio ea intentione intento, vel precibus Episcopalem nitatur assequi dignitatem, nec ullus eam prætaxato tenore indulgeat. Hoc idem etiam de omni Ecclesiastica dignitate, vel officio, Apostolica authoritatis potestate præfigimus: aliàs & dator & acceptor proprii Ordinis dignitate privetur. Can.1.*

Alexander III. datis literis ad Archiepiscopum Upsalensem, vicem doluit Nobilitatis Suecicæ, ejusque impatienter tulit audaciam, dandis pleno jure Beneficiis, & quidem unde munera conferrentur, ubi favor & gratia aspiraret, dandis. *Ipsi vobis inconsultis, sicut dicitur, aut contemptis concedunt aut conferunt Ecclesias quibus volunt; omnia simoniacè, sive per pecuniam, sive per privatam gratiam, vel odium ingentes. Append. 1. Epist. 19.* Congessit Gratianus in Decretum Epistolas & loca Gregorii Magni alia, ubi triplex hęc personatę simoniæ species explodit: & objecta sibi ejusdem Papę Epistola, qua videtur Ipsimet Acolyrum ordinasse, precibus delinitus, respondet, non excludi à Beneficiorum dispensatione, nisi preces vel ejus qui Beneficium ambit, vel amicorum ejus; preces denique instinctu cupiditatis, non charitatis dictatas. *Non itaque quorumlibet precibus ordinationes facta falsa dijudicantur, sed hæ demum, qua precibus ordinandi, vel ejus amici, non spiritali, sed carnali affectus porrectis fiunt, cum aliàs futurę non essent; quas non charitas interveniens, sed ambitio supplicans extorquet. q. 1. c. 121.* In decretalium libris damnantur eorum preces: quorum res agitur, & simoniacos habetur, qui Beneficio quopiam remunerari eum promiserat, qui suum Romæ negotium promovisset: *Promiserat ei dare Ecclesiam, si quoddam negotium ejus in nostra posset pręsentia promovere. Extra. De Elect. c. 26. De simon. c. 12.*

Sanctissimus, idemque doctissimus vir Raimundus de Pennaforti prolatis in medium cęterorum Canonistarum sententiis, suam denique ipse ita depromit. Non posse quemquam unquam petere per sese, vel per amicos, sive Episcopatum, sive Dignitatem, aut quod vis Beneficium, cui regimen incumbat animarum. *Ego distinguo, salvo meliori judicio; quod non potest pro se petere Ecclesiam, vel dignitatem, vel aliud Beneficium, habens curam animarum annexam. Summa l. 3. Tit. 1. §. 7.* At si quem deficiant necessaria vitę pręsidia, posse ab eo citra simoniam, citra quantulamcumque culpam peti Beneficium simplex, quo se non indignum fore sperat. *Beneficium verò simplex si indiget, & sentit se dignum, potest petere absque metu peccati & simonia.* Denique si nulla quis prematur inopia, peccat, si vel simplex ambiat Beneficium. *Si verò non indiget, peccat.* Non pauca autem Decretalium capita ad eodem laudantur, quibus authoritas & fides suis his responsis concilietur. A Raimundi sententia non discessit B. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, à quo & illud inculcatur, citra simoniam peti non posse Episcopatus, Dignitates & Parochiales Ecclesias: Eos bis omnino arcendos, qui eas precibus ambiant. *Tales preces inducunt simoniam, &c. Quantumcumque aliàs esset dignus, eo ipso, quod se ingerit, præsumptuosus & ambitiosus videtur, & per consequens indignus. Summa To. 2. Tit. 1. c. 4. 5.*

V. Interrupta quæ fuit Conciliorum contextio, revocanda nunc nobis est. Anno 1287. in Synodo Excestrensi, luculenta hac doctrina imbuuntur, quicumque ad Ordines accessuri sunt, seipsos ut ipsi penitissimè excutiant, & explorent, quo fine, quo consilio, qua spe agantur: simoniæ enim nexu implicari, si non aliud magis agant, quàm ut Episcopo suo aliquid beneficii extorqueant. *Ad propriam recurrant conscientiam, quo fine ad Ordines aspirent, ut Deo & Ecclesiæ virtuosiùs & gratiosiùs famulentur, non pro temporali, nec pro Beneficiis à suis Ordinatoribus extorquendis quoniam tales simoniacos reputamus. Cap. 8.*

Anno 1368. in Concilio Taurensi innodati sunt excommunicationis vinculis sæculares, Regularesque Clerici, qui Principum terrenorum patrocinio, literisque ad Beneficia grassarentur. *Statuimus quod Clerici saculares, vel Regulares, qui per potentiam vel impressionem cujuscumque sæcularis personæ se per patronos ad Ecclesiastica Beneficia procuraverint præsentari, aut ad hoc literas, nuntium, vel mandatum impetraverint, vel fecerint impetrari, aut tali præsentationi vel collationi consenserint excommunicationis sententiam eo ipso se noverint incurrisse. Can. 77.*

Anno 1433. in Concilio Basileensi statutum est, qui suffragii jure potirentur quibuscumque tandem in electionibus, juramento priùs constringendos esse nunquam se eis suffragaturus, qui pollicitationes, dona, preces, amicos adbibuissent, ad vota sibi concilianda. *Nec illi vocem dare quem verisimiliter sciverò, promissione, aut datione alicujus rei temporalis; seu prece per se, aut alium interposita, aut alius qualitercumque directè vel indirectè, pro se electionem procurare. Sess. 12.* Mox interpellavit sacra Synodus Reges Principesque, & tum seculares, tum Ecclesiasticos Optimates omnes, ne suas unquam vel preces interponerent, vel literas, nedum jussiones, vel minas, ut Prælaturas extunderent iis conferendas, qui profana exæstuant cupiditate rerum sacrarum. *Sancta Synodus instantissimè hortatur Reges & Principes, ne electoribus literas scribant, aut preces porrigant pro eo, qui per se, vel per alium tales preces procurabit; multòque minus comminationes, impressiones, aut aliud faciant, quominus liberè ad electionem procedatur.* Si Principum humanitas & indulgentia cedat importunitati hominum ambitiosorum: at electores hortatur Synodus, ne de sententia & religiosa Canonum observantia dejici se sinant, his sive Principum precibus, literisque, sive minis, & vi allata. *Similiter in virtute sanctæ obedientiæ ipsis electoribus præcipitur, ne ad hujusmodi literas vel preces, comminationes, vel impressiones quemquam eligere præsumant.*

Apud Biturigas congregatus anno 1428. Clerus Gallicanus ei Decreto assensus est Concilii Basileensis, hoc sanè cum additamento, possent ut Reges, Principesque, non minis illi quidem, sed precibus conniti, ut homines commendarent, religione in Ecclesiam, pietate in patriam sibi perspectissimos. *Nec credit ipsa Congregatio Bituricensis fore reprehensibile, si Rex, vel Principes sui, cessantibus tamen omnibus comminationibus & quibuslibet violentiis aliquando utantur precibus benignis atque benevolis, pro personis benemeritis & zelantibus bonum Reipublica Regni & Delphinatûs.* Scitissimè observatum est, necesse esse ut has preces adhibeat Princeps suapte sponte, & consilio, judicioque suo, non instigatione avari, aut ambitiosi Clerici, vel proximorum, & amicorum ejus eadem insania laborantium; nec enim meritum, quo muniri par est eos, qui commendantur, alio magis constare, quàm ut ne Magnatum suffragia ambierint. *Sic preces illæ debent proprio motu Regis procedere, non ad instantiam fieri; quia procurans preces non potest dici benemeritus, sed demeritus, tanquam se ingerens; ideo si de eo fieret electio, non esset confirmanda, quia contra Concilium facta.*

VI. Summovit Coloniense Concilium anno 1536. ab electionibus, non comminationes tantùm Magnatum, sed & preces: propterea quod eorum preces præcepti pondus & vim habeant, terroremque circumferant, non aliter propemodum quàm comminationes. *Absit ergo omnis simoniæ pravitas, omnis personarum respectus. Cessent potentiorum preces, quæ minis æquiparantur, omnisque impressio; cesset ambitio ac dominandi libido. Can. 9.* In Concilio Remensi anni 1583. in simoniacorum classem relati sunt, qui Beneficia vel largiuntur, vel adipiscuntur navata opera, vel obsequiis præstitis: *Si quis Be-*

ne-

neficium propter obsequium vel impensæ servitutis mercedem conferat, vel &c. Simoniacus esse censeatur. D. Simon. c.7. In Concilio I. Mediolanensi anno 1565. prohibitum est, quicquid Beneficii intra biennium assequerentur, qui ad ea assequenda, vel suas vel amicorum preces interposuissent. *Qui Beneficium Ecclesiasticum vacans multis & ambitiosis precibus per se, vel per alios petierit, eo facto ita reddatur indignus, ut per biennium in eum, neque illud, neque aliud Beneficium conferri possit. Acta Eccles. Med. p.14.* Utque ne familiares & Ministri Episcoporum eis se adglutinent & addicant, spe inescati Beneficiorum; Episcopos obtestatur Synodus, ampla ut eis adsignent salaria, quibus honestè acquiescant: non prorsus tamen à Beneficiis excludendi, si illos eò perducat morum probitas & doctrinæ copia singularis. *Monemus, & obtestamur Episcopos, aliosque, quibus est jus conferendi Beneficia, ut familiaribus suis certam mercedem constituant, ne illi hoc subsidio destituti, Beneficia Ecclesiastica, tanquam suæ operæ & laboris pretium, præcipuè sibi proponant. Fraudari tamen Ecclesiae nolumus probatorum hominum ministerio, si qui sint in eorum familia, quorum doctrina & pietate utiliter suorum munus committi possit.*

Concilium Mexicanum anno 1585. huic Decreto subscripsit, quod & publicavit, cum hac memorabili accessione, & monitione ad Episcopos, Ne sibi ipsis inopinato blandiantur in librandis meritis, & in electu promovendorum, ne domesticos suos privato hoc affectu extraneis anteponant. *Qua in re Episcopis vehementer commendatur, ut familiarum merita & doctrinam examinent ita ut benemeriti non graventur, si eis familiares Episcoporum præferantur. L.5. Tit.3. n.3. 4.* In hoc eodem Concilio, qui quilibet inhiantes Beneficio preces, pollicitationes, & Procerum gratiam adhibent, eâ saltem vice ab eodem Beneficio summoventur. *Qui Beneficia seu Parochias multis & ambitiosis precibus, donis, promissionibus, favoribusve petierint, pro illa reddantur inhabiles ad tale Beneficium, &c.* His verò Sanctionibus, quam morigerum & obsequentem se præstiterit beatus Carolus Borromæus, docet in ejus vita Glossanus, *L.8. c.30.*, ut nequaquam contulerit usquam Beneficia precibus, aut gratiæ Magnatum, proximorum & amicorum. Alienior etiam erat ab iis contemplatione obsequiorum dandis, constituto amplissimo salario ministris omnibus suis, vel adsignatis pensionibus in hæreditarias suas possessiones.

VII. Ad calcem hujus Capitis occurrit Decretum Innocentii III. quo facilius postea ad propositam Capitis sequentis quæstionem delabemur. Rescripsit enim Innocentius ad Decanum Bellovacensem, qui res suas confert Ecclesiæ, & pactionibus quidem abstinet, sed demissas tantùm & modestiæ plenas adhibet preces, eum in Canonicum ejus Ecclesiæ admitti debere, & usufructu gaudere rerum à se collatarum; nec enim in his quamlibet simoniæ suspiciunculam residere posse. *Si purè & sine pacto & conditione qualibet offerat rogans humiliter & ut in Canonicum admittatur, & bona sua retinere sibi liceat pro Prebenda, hujusmodi receptio fieri potest absque scrupulo simoniacæ pravitatis. Extra. De Simon. c.34.*

Cautissimè Fagnanus, *In l.1.5. Decre. p.176.*, observat in hoc Decretum, quæ ad Prælaturas anhelant preces, eas ab ambitione manare; quæ verò ad alia minuscula spectant Beneficia, si humilitas, si modestia, si meritum non impar adsit, ab ea procul esse suspicione, idque ex hoc Decreto declarari. *Nota ibi, Rogans humiliter, preces humiles à digno oblatas pro Canonicatu, vel alio Beneficio Ecclesiastico obtinendo, simoniæ labem non inducere, nec peccatum aliquod ambitionis.* Id ille exprimit ex Capite, *Præposuit, De Clerico excommunicato*, ubi Clericus necessariorum vitæ adjumentorum inops, Beneficium postulat à Legato Papæ, impetratque, tanquam eleemosynam, & patrimonii pauperum portionem. *Preces humiliter porrigens.* Ea, ut opinor, mens est Fagnani. Si Clericus enim re familiari satis instructus, forsan & abundans, Beneficium petat, non potest utique ei aptari hæc Fagnani doctrina. Quæ aliæ in Corpore Juris Canonici preces adhibitæ, nec improbatæ describuntur, eæ non aliis, quàm pauperibus suffragabantur. Prolixè quæstionem hanc versavit Petrus Cantor, *De Verbo abbrev. c.55. 56. 57. 383. 9.* de precum & obsequiorum simonia. Multa hic ex eo acervare potuissem, nisi meæ me jam prolixitatis suppuderet.

CAPUT LXIV. *P.4. l.3. c.13.*

De iis, qui Canonicatus, vel Beneficia quævis alia suis ex rebus hæreditariis dotant, illis ut ipsimet mox induantur.

I. Proponitur quæstio, An simoniacum sit, & an in Beneficia se ipse ingerat, si quis ea dotet de patrimonialibus rebus suis, eisque mox induatur. Sæpissimè juniores Clerici sese ipsi cum bonis suis Ecclesiæ addicebant, quorum usumfructum retinere permittebantur. Probatio hausta ex Epistola Alexandri III.

II. Contra niti videtur Innocentius III. ne Canonicorum Collegio inscribatur, qui se bonaque sua Ecclesiæ dedit, nisi ita affectus sit, ut & sua largiturus esset, etsi non admitteretur: & Capitulum vicissim ita animatum sit, ut eum admissurum sit, etiam nihil largientem. Alias simoniam intervenire.

III. Qua utramque Pontificum responsionem juvent rationum momenta.

IV. Qui collatis Cœnobio bonis, in eo profitetur, spe adipiscendi Beneficii ductus, ille simoniacus est. Nihil periculi à simonia imminet, si quis se suaque dedat Congregationi, vel Collegio Canonicorum Regularium.

V. Exemplum Canonici, cum rebus suis admissi, quarum usufructu potiri permittitur.

VI. De Vicecomite Agatensi, qui Vicecomitatum suum Ecclesiæ Agathensi addixit, cujus & Canonicorum Collegio adgregatus est.

VII. Varia ejus rei exempla in Burgundia.

VIII. IX. X. Exempla alia in Hispania, Anglia, & Gallia.

XI. Summa eorum colligitur, quæ disputata sunt.

I. INgentium Ecclesiæ opum cum & plurimi fuerint, & copiosissimi fontes; tum & ille non aspernandus, qui ex privatorum largitate fluxit, Beneficia sibi, aliisve fundantium, dotantiumque. Sed quàm constanter laudatissimum fuit, fundos Ecclesiæ accumulari, ad amplificandum numerum Ministrorum Altaris, qui æternis templa Canticis concelebrent: tam anceps & perplexum videtur, in laude, an in vitio sit, qui collatis Ecclesiæ rebus suis, is ipsemet velit esse Altarium minister, & divinæ psalmodiæ socius indefessus. Non ii nos sumus, aut hactenus fuimus, qui in rebus dubiis in alterum ante declinaremus partem, quam Concilia, Patres, Annales sacri Ecclesiarum aliquid suggererent, quo ea fluctuatio sisteretur, serenaretur caligo.

Con-

Concluso ac definito Alexander III. spoliandos Beneficiis suis esse Clericos Minores, qui desperata continentia ad nuptias convolant; addit mox, si quid fundorum, vel rerum quarumlibet suarum Ecclesiæ largiti essent, cuius titulo ordinati fuissent: eis indubitatissimè restituendum esse, simul atque ab eius Ecclesiæ gremio divellerentur. *Sanè si Ecclesiis quibus attitulati fuerant, de possessionibus aut aliis bonis suis aliqua contulisse noscuntur, cum ab eorumdem Ecclesiarum fuerint ministerio & beneficio sequestrati, ad ipsos recta via dominium & proprietas illico debet absque ulla contradictione redire. Append. Conc. Later. part. ult. c. 7.* Cum ait Pontifex, eo ipso temporis puncto, quo illi contractis nuptiis ab Ecclesia se abscindunt, dominium & proprietatem bonorum, ante donatorum Ecclesiæ, ad eos revocari: apertè insinuat retentum ab eis usumfructum fuisse, & hos fuisse eorum Beneficii proventus. Erat enim pietati & honestati Clericorum adprimè consentaneum, ut se suaque Ecclesiæ devoverent, ejusque Clero adscriberentur, retento usufructu rerum, quas dedissent. Fuerat illa quidem donatio simplex & pura. Sed nihil opus erat pactionis, ut quis allegeretur inferiori Clero; facillimè admittebantur, qui cupiebant, qui nulla morum macula, nulla infamia notabantur; lubentes lubenter admittebantur, unis etiam pietatis opibus commendati. Hinc probabiliter omnino creditur, non displicuisse, ad inferiores Ordinum gradus si quis contenderet, & rem suam familiarem ita Ecclesiæ addiceret, ut utendas sibi fruendasque dum superaret vita, servaret. Ecqui enim is abnui potuisset usufructus, cum etiam nudi & inopes omnium admissi fuissent? cumque vel laici admitterentur ad formam Precarii, dum superstites essent, fruituri rebus, quas donassent. Etsi denique non temerè possit quis sibi fingare, resilientibus his Clericis refusas ideo res suis fuisse, quod suum Ecclesia testatissimum esse vellet animum, ab omni cupiditatum contagio alienissimum: similius tamen veri est, cum his Clericis conventum fuisse, ut rerum suarum usufructu gauderent, dum adviverent: unde & illud erat consequens, ut cum abjiciebantur, res illis suæ restituerentur. Non facilè poterat recusari Clericis, quod & laicis annuebatur.

II. Vereor, ut eadem ratio sit Canonicatuum, & eorum Beneficiorum, quæ sui splendore & rerum copia possint alliaere homines honorum & opum amantiores. Ea species proposita fuit Innocentio III. Capite 2. *Tua nos. De Simonia*. Disertè confirmat Pontifex, pactionis simoniacæ flagitium id esse, si admittatur Clericus in Canonicum, fruiturus fundis, quos offert, tanquam fructibus suæ Præbendæ. *Si quis Clericus cum conditione vel pacto largiatur, aut offerat bona sua, ut illa postmodum pro Præbenda retineat & in Canonicum admittatur, hujusmodi oblatio, vel receptio fieri non poterit absque vitio simoniæ; cum in talibus omnis pactio vel conventio cessare debeat, juxta canonicas sanctiones etc.* At si suæ Clericus sine bona purè & simpliciter det Ecclesiæ, & mox precario admitti se oret in album Canonicorum, non alia donandam Præbenda, quàm usufructu rerum, quas obtulerit: tum tutò, & impunè posse eum adoptari à Canonicis in Collegium, nec enim simoniæ vel tantillum loci esse posse, cum nec pactioni fuerit. *Si verò purè & sine pacto, vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter, & ut in Canonicum admittatur, & bona sua retinere sibi liceat pro Præbenda, & Clerici ejusdem Ecclesiæ purè consentiant, hujusmodi receptio fieri potest absque scrupulo simoniacæ pravitatis.* 3. Et hactenus quidem in cortice rei hæsit Pontifex. Nam idem ipse mox subjungit, si ea mente sit, & voluntate, qui donat, ut ac temporalia sua donet, nisi spiritalis dignitatis mox ipse apice exurgat; si Capitulum etiam ejus receptioni non acquiescat, nisi certa spe commodi temporalis, tum mentis recessibus intimis fœdam insidere simoniam, quæ possit hominum, non possit summi Numinis & sempiternæ Veritatis oculos & vindictam fallere. *Licèt autem taliter duximus respondendum, quia nobis datum est, de manifestis tantummodo judicare: si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci; & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent tum nisi temporalia bona perciperent admissuri, sine dubio tam ille, quàm isti apud districtum Judicem, qui scrutator est cordium & cognitor secretorum, culpabiles judicantur.* 4. Illud ergo ex hac Decretali existit; si se cum suis Clericus Ecclesiæ dedat, posse eum Canonicorum cooptari Collegio, & usufructu rerum collatarum, tanquam Præbenda potiri, dum nihil interveniat pactionis, quæ non posset non simoniæ labe commaculari. At si cessante quanquam pactione, hinc illincque latitet voluntas, nec temporalia nisi spe spiritalium, nec spiritalia addicendi nisi expectatione temporalium, clandestina ea est simonia, quæ hominibus imponere possit, non Deo. 5. Germana autem ratio dignoscendæ hujus voluntatis, sive intentionis, puræ vel simoniacæ, ex Innocentio III. ex eo petenda est, An qui dat, daret, etiam non admittendus: an qui admittit, admitteret, etiam nihil dantem. *Si non essent eum, nisi temporalia commoda perciperent, admissuri.*

III. Dissident autem in speciem hæc responsa Alexandri III. & Innocentii III. propterea quod ut plurimum, qui cum rebus suis alleguntur, in Canonicorum Collegia, nec ipsi allegerentur, nisi res suas unà conferrent: nec verò conferrent res suas, si se allegendos diffiderent iis oblatis, aut confiderent iis non oblatis nihilominus allegendos. In ea certè specie versatus est Innocentius III. à quo nec Alexander abhorruisset. At ubi non ambiuntur nisi infimi Ordines, imique gradus Ecclesiæ, iis non excluduntur, qui piè & humiliter petunt, etsi nihil rei adferant: ex quo patet, cum res suas conferunt, & ita admittuntur, æquè admittendos fore, etsi nihil contulissent. Hanc quæstionem tractavit Alexander III. cui & Innocentius III. facillimè assensus esset. Nec secus res habet, ubi ad Professionem Monasticam admittuntur, qui fundos & terras suas secum Deo dicant. Ejusmodi fuit Fulco ille, de quo Ordericus Vitalis in Ecclesiastica historia sua, qui Abbatiæ filium suum valde puerum & immaturum addixit cum Ecclesia Sancti Nicolai, quam dotalem acceperat à socero suo, cujus parens Ecclesiæ fundamenta jecerat, dotemque constituerat rebus ex suis. *Ecclesiam Sancti Nicolai, quam pater suus construxerat, cum adjacenti fundo in maritagio concessit. L. 3. p. 379.* Ideo non absurdè præsumitur, non contemplatione doni admissum fuisse puerum, quòd constet etiam sine dono & eum admittendum fuisse, & alios aliosque admitti solitos esse.

IV. Qui ex adverso autem se suaque dicabant Cœnobiis, non ut humilem & pauperem Monachorum degerent vitam, sed ut ad Beneficia, & ad Prælaturas denique sese protruderent, etsi nihil pacisceerentur, simoniæ tamen multa fuligine conspergebantur ex Can. 22. Concilii Biterrensis anno 1233. ita ut Beneficiis exuendi essent ipsi, & qui illa eis contulissent, conferendi ea vice privandi forent potestate, quæ tunc ad Ordinarium devolvebatur. *Quidam se & sua conferunt Monasteriis, sub spe ut ipsis postmodum Ecclesiastica Beneficia conferantur. Quod omnino damnabile est propter maculam simoniæ; & tales Beneficio privandos decernimus, quod pro pecunia sunt adepti. Taliter verò Beneficia conferens*

ferentes, illa vice donandi potestate priventur, & ad Diœcesanum Episcopum donatio eorum devolvatur. Nec ipsi tales recipiant ad curam animarum. Catel. Des Contes de Toulouse pag.352. Quibus postremis verbis innuitur, nonnihil rei familiaris Monasterio donatum fuisse, ut qui donasset, ad Parochialem aliquam ejus præsentationis Ecclesiam promoveretur.

Vetuit Benedictus XII. in iis, quas Canonicis Regularibus præstituit Constitutionibus anno 1339. ne quos illi vel Clericos, vel Laicos admitterent ad Præbendam Canonici Regularis, nisi qui & se & sua Cœnobio dederent & dicarent. *Prohibemus, ne in Ecclesia Cathedrali, seu Monasterio, vel alio loco Religionis ejusdem, quivis Clericus sæcularis, vel laicus recipiatur ad Præbendam, seu etiam portionem, nisi eidem Ecclesiæ, seu Monasterio, vel loco, dederit se primitus & sua. Cap.3.* Ubi Ecclesiæ Cathedralis Capitulum obtinebant implebantque Canonici Regulares, tunc paulò plus erat periculi, ne qui cum bonis suis admittebantur, pro ipsis etiam admitterentur bonis, quod jam simoniacum fuisset. Nec tamen ejus rei rationem habet Pontifex; quòd hic ageretur de admittendis, non ad Professionem, sed ad Præbendam, seu portionem, scilicet panis & vini. Id verò merè temporale erat commodum, quo & Laici fruebantur, alicubi etiam fœminæ; nec gratis fruebantur, ut exemplis jam patuit, & rursum mox patebit.

V. Implicatius nescio quid habent exempla alia, nobis hic, qua licebit illustranda. Anno 1163. Bernardus Episcopus Tolosanus Nobilem virum cum conjuge admisit in Canonicum & Canonicam Sancti Stephani apud Tolosam; participes illos faciens fore precum, piorumque operum Capituli, nec non & mensæ communis Canonicorum, cum liberet; concessa etiam in Commendam & veluti in obedientiam terra illa ipsa, qua Ecclesiam donabant, ut eam excolerent, ejus fructibus vitam tolerarent, prandio Capitulum exciperent die festo Sancti Stephani, post eorum obitum terra juri Ecclesiæ cederet. *Ego Bernardus, &c. consilio & voluntate totius Conventûs Tolosanæ Sedis, recipio te in Canonicum, & uxorem tuam in Canonicam; concedimus tibi talem partem & talem mercedem habere in orationibus omnibus nostris in Missis, Psalmis, jejuniis, &c. eleemosynis, &c. Damus & vobis in vita vestra victum de nostro cellario, sicut duobus Canonicis, quando vobis placuerit. Super hæc omnia commendamus vobis in obedientia, sicut uni de Canonicis nostris commendare solemus, illum totum honorem d'Escalquens, quem tu de tuo proprio honore nobis dedisti, ut tu & uxor tua supradictum honorem in vita vestra teneatis, & habeatis, & fruamini, &c. Catel. Mem. de l'hist. du Languedoc. pag.884.* Si verum fateri volumus, Precarium hoc erat, quò Nobilis hic Canonicus laicus creabatur, & aggregabatur cum conjuge sua precibus & meritis Capituli. Itaque si accuratiùs rem expendere & eloqui libet, nec Canonicus erat hic Nobilis, nec Beneficiarius. Unde nec ulla ejus supra conjugem suam prærogativa, quæ nec Capituli ejus Canonica creari poterat, nec ullius verò Beneficii Titulo frui. Cum conjuge vitam degere permissus est, quod à Canonico alienum foret. Nec sedes illi, nec honos in Clero, vel in Capitulo conceditur. Liquet ergo perhonorificum quidem, sed merum id fuisse Precarium, de quo pacisci fas erat.

VI. Paulò aliter, *Ibid. p.872.*, res habebat in Attone Comite, vel Vicecomite Agathensi, qui Vicecomitatum suum Agathensem anno 1187. Ecclesiæ Cathedrali Sancti Stephani Agathensis dedit, in possessionem misit Episcopum Agathensem, quem & ipsum Comes Tholosanus investivit; obnoxius enim erat Vicecomitatus Agathensis Comitatui Tholosano. Atto autem transcripto Comitatu suo cum urbibus, castris, prædiisque suis Episcopo Agathensi, in Canonicorum ejus Ecclesiæ Collegium adscriptus est, in qua & reliquum vitæ cursum consumpsit. Pura est donatio, nec quidquam intercurrit pactionis, qua in Canonicum ejus Ecclesiæ asciscceretur. Sed quanquam ea voluntate & spe Vicecomitatum suum Nobilis iste Ecclesiæ Agathensi transcripsisset, ut ejus Canonicus crearetur, tam, ut spero, alienus fuisset à labe simoniæ, quàm à suspicione vel avaritiæ, vel ambitionis. Non erat tanti Canonicum creari. Multum illi debere se Capitulum existimasset, sibique, illique congratulandum, si vel gratis adgregari Canonicis voluisset. Tanta est enim intercapedo Vicecomitatûs & Canonicatûs, ut ne in cogitationem quidem cadere possit, Vicecomitem Agathensis emendi Canonicatûs consilium iniisse. Illos hic Vicecomes æmulabatur, qui amplissima patrimonia conferunt, ubi ad Professionem admittuntur Monasticam, pauperem posthac vitam inter Monachos traducturi. Hæ sunt charitatis & suavitatis hostiæ, non simoniæ machinamenta. Si qui Canonicos se & Beneficiarios creari concupiscunt, eo animo essent, si Vicecomitatus, si amplissima patrimonia abdicarent, & Ecclesiæ adjicerent, pauperem humilemque vitam ipsi quidem deinceps ut agerent, ne locus quidem esset quæstioni, quam hic vexamus.

VII. In Collectaneis Historiæ Burgundicæ plura sunt Precarii exempla, ubi Cœnubio Floriacensi & aliis largiuntur pii laici hæreditates & fundos, ea cautione, ut horum ipsi, dum vita suppetet; usumfructum retineant, adjecto etiam usufructu aliarum Cœnobii terrarum. Precaria hæc quoque erant, de quibus alibi à nobis copiosiùs. Sed ad rem nostram pluscilum facit, quæ ibidem habetur pactio Præpositi Sancti Stephani in Castro Divionensi. Est enim charta, qua Præpositus à Capitulo donatur, *causa beneficii ad censum*, vineis aliquibus mensæ Capitularis ab eo expetitis, & à Præposito vineas alias accipit Capitulum, usufructu ad vitam ei permisso, post obitum ad Capitulum redituras. *Dedimus quasdam petiolas vinearum, ut & ipse nobis ex suis daret, &c. Ibid.p.43. 44. 62. 139.* Cum Præpositus hic jam esset ejus Ecclesiæ, suodorum suorum aliquid Ecclesiæ dabat, augumentum Præbendæ suæ vicissim cum titulo Beneficii accepturus. Plus etiam facit ad nostrum hoc propositum, quod ibidem affertur laici Nobilis exemplum, qui Abbatem Sancti Stephani interpellavit apud Divionem, & Capitulum omne, filium ut suum in Canonicum admitterent. Voti compos factus, & prædiis compluribus Capitulum donavit. *Cujus petitioni annuentes prædictum Jacobum Canonicum fecimus, &c. Ipse autem donavit nobis quidquid habebat in villa.* Eadem charta continetur & adgregatio filii ad Capitulum, & agrorum transcriptio à patre facta, non expressa pactione ulla. Ita gratis fiebant omnia, saltem in speciem; sola poterat in vitio esse voluntas, & quidem tantò periculosiùs, si homines falleret, quæ Deum non poterat. Satius tamen forsan erit hæc omnia humaniùs interpretari. Quanquam alii cautiorem sequerentur rationem, & à suspicionibus obliquis remotissimam, ubi stipulabantur, etsi pueri à Congregatione Canonicorum desciscerent, Capitulo quod esset donatum, nulla id ratione revocari posse. *Girardus filium suum pro Canonico reddidit, hoc pacto interposito, quod per accessum temporis, si puer levitate animi inde moveretur, nullum tamen detrimentum & remotionem prædictum donum consequeretur. Ibid.p.115.*

VIII. Paulò diversum succurrit ex Hispania. Exem-

exemplum in Presbytero Sanctissimo Martino, quem Teresia Portugalliæ Regina, Ecclesia donavit funditus eversa à Sarracenis, hac lege, ut si eam restauraret, & contra Sarracenos tueretur, ea ejus esset, & ejus consanguineorum, qui hac spoliari non possent, nisi gravissimo crimine patrato, & judicio canonico. Si eam Mauri expugnarent, & ipse rursus eam sibi subjiceret, denuo ejus ditioni illa redintegraretur, & Clericorum ejus stirpis. Episcopus Conimbricensis, in cujus hæc Diœcesi gerebantur, concessionem eam confirmavit anno 1124. cum omnibus his circumstantiis. *Tali videlicet pacto, ut eam Ecclesiam firmiter obtineatis, & tam vos, quàm quisque vestrûm ex propinquitate vestra professione Clericus fuerit, per successiones temporum firma stabilitate obtineatis, & nunquam eam sine vestra culpa secundùm decreta Canonum pro aliquo alio homine perdatis. Supponimus enim, quod si peccatis exigentibus iterum ab incursione Maurorum destructa fuerit, & præterea vos potueritis illam recuperare, licentiam habeatis semper possidendi eam quocumque tempore volueritis. Bollandus. Februa. Tom.5.pag.716.*

Duo hîc valde nova & inusitata observari queunt. Primum est, Ecclesiam ei in Beneficium addici, qui possit eam expugnatis ejectisque Sarracenis recipere. Alterum, eam veluti hereditariam addici proximis omnibus ejus prosapię, Clericatum professis. Eam ergo Ecclesiam Presbyter hic sibi stirpique suę comparabat, expensis faciendis, subeundisque periculis in Maurorum expugnatione.

IX. Ex Anglia affinius adhuc exemplum accersemus. Vir nobilis Radulphus de Limesey, famosissimæ Sancti Albani Abbatię dono dedit Ecclesiam Bethfordiensem, eum ingenti copia agrorum, decimarum aliorumque jurium, ut & ipse ibi admitteretur in fratrem & in Monachum, uxor ejus in sororem, filius in Beneficiarium: mortui ibidem sepelirentur, iisdemque ac Monachi precum juvarentur suffragiis. *Pro qua re Abbas & Monachi Sancti Albani susceperunt Radulphum in fratrem & Monachum, & uxorem suam similiter in sororem, filium verò eorum in Beneficio Ecclesiæ, &c. Et tantum facient Monachi pro eis, quantum facere debent pro Monacho suo. Monast. Angli. Tom.1.pag.332.* Laici tum sæpissimè Ecclesias Monasteriis divendebant. Hanc Radulphus gratis concessit: *Non pro quolibet munere, vel mercede terrena, sed purè.* Sed eas leges & conditiones imposuit, propter quas ab aliis pecunia pendebatur. Ita videri posset quasi Beneficium fundasse sibi, conjugi, filioque. Sed propiùs à vero abest, hunc Nobilem admissum fuisse in Monachum laicum, uti & conjugem ejus in sororem; neutrum Professioni Monasticæ illigatum: utrumque Cœnobio sociatum, & cooptatum quodammodo, thesauroque precum & bonorum operum immenso, quę à Beneficio omnino dissident. Quòd verò eorum filius *in Beneficio Ecclesiæ* conscriptus sit, id nempe ibi significatur, ejus alendi curam Monasterium in se recepisse, ut quandoque Beneficiarii Ecclesiæ dicebantur, qui Matriculę & catalogo pauperum ab ea alendorum inscripti erant. Erat semper in Laicorum grege hic puer, etsi frueretur interim Pręhenda Monachali; cujusmodi plures alii donabantur quandoque gratis, quandoque pretio accepto, quandoque obsequiis ea mercede compensatis. Ex his Præbendis paulatim augescentibus gravabantur quandoque Cœnobia. Ideo & anno 1200. statuta sunt quammulta, tum hoc in primis, ne Præbendæ posthac ejusmodi Laicis donarentur, ac ne venderentur quidem, nisi gravis urgeret necessitas. *Præbendas etiam obtentu pecuniæ, vel cujusquam servitii cuilibet ad vitam dari, cum hoc in damnum vertatur domorum, districtè vetamus. Si quando autem necessitas, vel evidens utilitas id poposcerit faciendum, fiat de consilio domni Abbatis.* Quod idem ferè continetur & statutis Joannis Borbonii Abbatis Cluniacensis, anno 1458. compilatis: *Sæculares in Donatos & in Fratres ad Præbendam Monachalem absque licentia domni Abbatis & consensu recipi non possunt; & si recepti fuerint, pro non receptis habeantur. Bibl. Clun. pag.1679. 1606.* Apertissimè hîc vides, qui essent Monachi laici, quæ Præbendæ Monachales, quæ Beneficia Monachis laicis annuerentur. Nomine, non re illa Beneficia, hi Monachi erant. Ita poterant hæc Beneficia, hæ Præbendæ vendi, vel dari repensandis agris, qui Cœnobiis donabantur.

Reflectenda jam in Angliam vestigia, ubi Radulphus idem uxori suæ indulsit, dotale ut prædium suum Ecclesiæ Bethofordiensi conferret, ea lege, ut in ea Ecclesia tres, quandiu superstes esset, Præbendas haberet, addita potestate eas dandi, cui liberet; post ejus obitum verò Monachus reciperetur unus, pro ipsa & marito juges preces fusurus. *Hac conventione, ut dum illa vixerit, habeat tres Præbendas in illa Ecclesia, quando illi placuerit, aut aliis tribus, quibus voluerit dare. Post obitum autem ejus Monachus unus recipietur in illa Ecclesia pro anima mariti & pro sua. Mona. Ang. Tom.1. p.331.* Præbendæ istæ Beneficiis annumerari non poterant, cum mulieri laicæ permitterentur. Monachus poterat ille quidem Beneficiarius videri, sed aliis, non sibi mulier illud addici Beneficium volebat, cui fundos assignabat.

X. Non paulò plus habet admirationis testamentum Vuillelmi, Domini Mntispessulani anno 1211. Erant ei liberi complures, quorum alios Clero, alios Cœnobiis testamento destinavit. Cum duos Canonicos fieri sanxisset, Ecclesias ipsas designavit, ipsisque legavit, non Ecclesiis centum libras, ut nihil præterea expeterent. Non ea sanè dici poterat fundatio vel dotatio Canonicatûs. Aliis verò jussis Monasticam vitam profiteri apud Grandisylvenses & Cluniacenses, centum similiter legavit libras, non ipsis, sed Cœnobiis. Itaque dici poterat illis erexisse & dotasse Beneficium Monachale. Sed non injuria conjicitur, tam nobilis Domini liberos sine ullo ejusmodi dono oblatos, admittendos utique fuisse, uti & tot alios. Non ergo invidiosa ea esse potuit pactio, sed laudanda gratificatio: nisi mavis eam fuisse definitionem legitimæ portionis, quam meritò sibi potuissent aliquando tam oobiles adolescentuli vindicare. Nemo enim nescit, tum hæreditarię successionis portiones ad Monachos, vel ad Monasteria pervenisse. Ad hanc circumscriptionem legitimæ portionis spectare non abs re suspicamur, hæc toties iterata ejus testamenti verba: *Dimitto centum libras, quibus contentus sit de omnibus bonis meis. Spicil. tom.9. p.158. 159.*

Cum in Gallias rursum penè inopini trajecerimus, addam hoc loco miram conventionem Episcopi & Capituli Cadurcensis cum Gausberto de Castronovo anno 1096. factam. In ejus Ecclesiæ res & agros vir hic nobilis multa sibi arrogabat jura, cumque diu altercatum esset, periculosa inciderunt bella, quibus sævientibus, non potuit illi Ecclesiæ perfugium ullum opportunius occurrere, quàm in Gausberti defensione. Tum verò ei ultro concedi placuit partem non mediocrem prædiorum, quæ sui ille juris esse confidebat; sed illa addita lex est, ut cum primus filius ejus annum ætatis suæ decimum assecutus esset, eum Cœnobio cederet, Canonicis Regularibus inscribendum, tumque pro bono pacis restitueret, quæ modo ei concedebantur: ea denique restitueret, etsi filius ejus ab instituto Canonicorum Regularium re-

resistet. Non hic pater filio Canonicatum fundat & dotat: sed Capitulum Canonicorum Regularium expetit, ut eo ad Professionem admisso, agros controversos pater vel restituat, vel gratificetur. Jam suprà ostensum est, quàm frequenter tunc temporis parentes devoverent filios impuberes vitæ Clericali vel Monasticæ, & ad obsequium cogerent. At ubi unà largiebantur & aliquid prædiorum, eo arcebatur simoniæ suspicio, quod citra ullum ejusmodi donum filii admitterentur. *Spicil. tom.8. p.361. 366.*

XI. Quidquid ergo hic congestum est exemplorum, nihil in his est, quod à Decretali Innocentii III. recedat; aut non eadem enim erant negotia, aut diversa non erat eorum definitio. Ideo & optimè Fagnanus, *in l.3. Decret. Part.1. p.174.*, definit, simoniacum fore, si quis dotaret Canonicatum, sibi ipsi mox conferendum. *Non simoniam esse fundare vel dotare Canonicatum, vel aliud Beneficium Ecclesiasticum, eo pacto, ut Beneficium illud sibi conferatur.* Rem probat exemplo ejus, qui Archipresbyteratum in Ecclesia Cathedrali fundaverat, & ex ipsamet fundationis charta ea dignitate induendus erat Fundator ipse. Consulentibus super ea causa respondit Fagnanus ipse, & fundationem, & provisionem simoniæ vitio claudicare, quo factum est, ut ab Urbano VIII. nova & Beneficii institutio impetraretur, & provisio.

CAPUT LXV. *P.2. l.3. c.13.*

Sepulturarum simonia proscripta ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. Cur vetuerit Gregorius Papa, ex sepulturis quidquam exigi. Paganorum & Sichimitarum exempla.

II. Sepeliri in Ecclesia, novum cum id esset, & insuetum, id verò pretio quandoque comparabatur.

III. Qui cœperint in Ecclesia contumulari Reges, Episcopi, Monachi, Moniales.

IV. Nemo olim in urbibus, nedum in Ecclesiis terra mandabatur. Circa Ecclesias sepulcra ambiri cœpta ab iis, qui precum participes se fieri cuperent. Hinc forsan addita Ecclesiis Capella.

V. Origines Cœmeteriorum. Cur proxima sint Ecclesiis.

VI. VII. Exempla sanctissimorum Episcoporum, aliorumque pietate præstantium virorum, qui in Ecclesiis tumulati fuere; Ambrosii, sororis, fratris, S. Paula, S. Fulgentii.

VIII. Jam inde ab ipsis Ecclesiæ cunabulis sepositæ erant Christianorum sepultræ, earum cura penes Clericos, quandoque & penes Monachos.

IX. Cur exoleverit mos incendendi corpora.

X. Facilè sopirentur Clericorum & Monachorum dissensiones de sepulturis, si primævo ex usu Ecclesiæ, nemo in Ecclesia humaretur.

XI. Hæ porro dissensiones Clericorum & Monachorum de sepulturis jam ævo Gregorii fervere cœperant.

I. MOrem explosit Gregorius exigendi aliquid ex sepulturis, impatientissimè ferens Clericos minus à terrenis cupiditatibus expeditos esse, quàm Sichimitas, qui locum sepulturæ Abrahamo gratificari voluere. En Gregorii verba Epistolæ ad Episcopum Messinensem. *L.7. Ep.4. Cum secundum nostrum institutum noveris, non illicitam antiquam consuetudinem à nostra Ecclesia omnino vetuisse, nec cuiquam assensum præbere, ut loca humani corporis pretio possint adipisci. Nam si Gentiles, ut arbitramur, viri Sichimitæ Abrahæ pro Sara mortua, atque in loco proprio humandæ sepulturam gratis obtulerunt, & vix magna ejus importunitate coacti sunt, ut pretium de loco sepulturæ perciperent: nos qui Episcopi dicimur, de humandis fidelium corporibus pensa quid facere debemus.* Porro Gregorius rescito, *centum solidos* à Janvario Calaritano Archiepiscopo exigi, ad tumulandam filiam matronæ illustris, & querelis lacessitus hujus ipsius matronæ, ad Janvarium rescripsit, nova hac injuria cumulari non debuisse damnum doloremque filiæ morte inflictum: ex alterius luctu & calamitate lucrum captandum non esse, nec pretio addicendum locum putredinis; summovisse se istiusmodi corruptelam ab Ecclesia Romana ineunte statim Pontificatu suo; eam se Prælatis indixisse legem, ut saltem Sichimitas imitarentur, quos tametsi paganos, puduerat ex cadavere lucri aliquid extundere: liberas spontaneas oblationes admitti posse, at nihil exigi, nihil peti fas esse: ne eo convitio verberentur Clerici, reliquorum mortalium tam gratam illis esse mortem, quàm compendiosam. Gaudio enim esse præsumitur, quod lucro est. *Grave nimis est & procul nimis à Sacerdotis officio, pretium de terra concessa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium. Hoc vitium & nos postquam ad Episcopatûs honorem accessimus, de Ecclesia nostra omnino vetuimus: & pravam denuo consuetudinem nequaquam usurpari permisimus, &c. Si quando aliquem in Ecclesia vestra sepeliri conceditis, siquidem parentes ipsius, proximi, vel hæredes, pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipere non vetamus. Peti verò, aut aliquid exigi, omnino prohibemus. Ne quod valde irreligiosum est, aut venalis fortasse, quod absit, dicatur Ecclesia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaveribus studeatis quærere quolibet modo compendium. L.7. Epist.56.*

II. His profectò Gregorii verbis; *Si quando aliquem in Ecclesia vestra sepeliri conceditis:* apertè innuitur origo hujus perversitatis. Cum necdum usus invaluisset, ut in Ecclesiis sepeliretur quisquam, qui ejus privilegii cupidiores fuere, ut participes fierent precum & hostiarum à proximis ibi suis offerendarum, oblata ingenti pecunia id emercari cœpere. Gratuita fuit, ut puto, ea primum largitio; quæ mox tamen in tributum & exactionem descivit. Nostram hanc conjecturam iis firmat præsidiis Gregorius idem in Dialogis, ut jam ambigendi locus supersit nullus. Præfatus enim iis, qui mortali hoc ex stadio migrant nullo impiati crimine, conducibile esse in Ecclesia sepeliri, quod eorum proximi, ipso tumulorum conspectu admoniti & excitati, pro illis flagrantius & frequentius orent; *Hoc prodest mortuis si in Ecclesia sepeliantur, quod, &c. L.4. c.50. 52. 53.* mox ex adverso contestatur, si qui flagitia hic sua non expiarint, eos graviori obnoxios fore damnationi, qui sepulcro etiam suo Ecclesiam contaminaverint. Quod approbat ille exemplo Valeriani Patricii, cui concesserat, immo pretio addixerat Brixianus Episcopus locum sepulturæ in Ecclesia: *Cui ejusdem civitatis Episcopus accepto pretio, locum in Ecclesia præbuit, in quo sepeliri debuisset.* Crebris autem postea cœli ostentis minisque perfectum tandem est, ut scelestissimi hominis cadaver Ecclesia ejiceretur.

III. Meminit quidem alibi Gregorius Defensoris Ecclesiæ Mediolanensis, in Ecclesia tumulati: sed cum mox affirmet Presbyterum Parochumque sanctissimum non in Ecclesia, sed *ante Ecclesiam sepultum* fuisse; *Dial. l.3. c.22.*, abundè hinc proditur, ejusmodi prærogativam non omnibus Clericis, adeoque nec Presbyteris omnibus communica-

tam fuisse. Ideo & Gregorius Turonensis ait Episcopum Arvernum, qui uxoratus fuerat, eum conjuge & filia juxta viam conditum fuisse. *Ipse quoque Sacerdos cum conjuge & filia in crypta Cantobennensi juxta aggerem publicum est sepultus. L.1.c.44. L.2. c.5.* Idem ille narrat de Beato Servatio Tungrensi Episcopo: *Ablutusque à fidelibus, juxta ipsum aggerem publicum sepultus est. L.2. c.43.* Affirmat tamen idem Gregorius Clodovęum Regem & B. Clotildem eius conjugem io Basilica sanctorum Apostolorum consepultos fuisse, ubi tumulata fuerat sancta Genovefa, & quam ipsimet extruxerant. *Nam Basilicam illam ipsa construxerat, in qua & beatissima Genovefa est sepulta. L.4.c.1.* Alibi rursus idem ipse demonstrat Reges, Regumque liberos in Ecclesiis tumulari solitos. *L.5.c.34.* Quin & ipse Altare consecravit Capellæ, ubi recondendum erat corpus B. Radegundis Reginæ. *Altare in Cellula ipsa sacravi. De Glor. Conf. c.106.* Ingentibus decoravit privilegiis Ecclesiam Abbatiæ Sandionisianæ juxta Lutetiam Clodovæus II. Rex, quòd uterque parens Dagobertus Rex & Nantildis Regina ibi sepulturam nacti essent. *Conc. Gall. Tom. 1. p.496.*

Sed nondum eo cum Regibus privilegio fruebatur vulgus fidelium; cum in Baptisteriis quemquam sepeliri vetet Synodus Antisiodorensis. *Non licet in Baptisterio corpora sepelire. Can.14.* Monachi, & Sanctimoniales, uti & Episcopi Clericique, primi omnium io ejus honoris societatem cooptati sunt. Qui vitam beati Cæsarii Arelatensis Episcopi literis mandavere, exædificatam ab eo narrant *tripliccm in una conclusione Basilicam: L.1. c.29.* mediam, quam Navim dicimus, cæteris altius assurgentem Deiparæ Virginis nomine dicavit; duas minores, Alas vocamus, beato Joanni, & beato Martino sacras esse voluit; sub pavimento Ecclesiæ totius arcas lapideas locari jussit, ad Monialium sepulturas. *Et ut offerret sacris virginibus, quas congregaverat, curam necessariæ sepulturæ, nobiles arcas corporibus humandis aptissimas, de saxis ingentibus noviter fecit incidi, quas per omne pavimentum Basilicæ constipatas sterni fecit ordine.* Non multò post tempore avecta ad cœlestem patriam Cæsaria soror ejus & Abbatissa, in medii ullio Ecclesiæ consepulta est, juxta solium Episcopi, nec longè ab eo, quem sibi ipse delegerat sepulturæ locum. *Inibi ad medium throni, juxta eam, quam sibi paraverat, condiderunt sepulturam.* Et infrà: *Sepultus est in Basilica Sanctæ Mariæ semper Virginis, quam ipse condiderat, ubi sacra Virginum corpora de Monasterio suo conduntur. L.2. c. ult.*

Beatus Perpetuus Turonensis Episcopus Cleri sui judicio permisit, quo ipsum loco tumulatum mallent: quamquam nec dissimulare omnino posset animi sui ęstum, & votum, ut ad pedes Beati Martini humo conderetur, cujus ipse magnificentissimum Mausoleum extruxerat. *Vobis Presbyteris, Diaconibus, & Clericis Ecclesiæ meæ sepeliendum cadaver mortis hujus, ubicumque elegeritis, permitto. Tamen si indigno mihi feceritis misericordiam, quam supplex postulo, optarem ad domni Martini pedes in diem quiescere judicii, &c.* Ita Perpetuus ipse in testamenti tabulis: voti compotem factum esset docet ejus Epitaphium: *Et licet ante pedes Martini contumuletur, in cœlo similè gaudet uterque loco. Spicil. to.5. p.105 109.*

IV. Ex Concilio Braccharensi anno 563. patebunt fontes ipsi hujus Consuetudinis Ecclesiasticę in sepulturis. Cum enim prohibuissent ejus Concilii Patres, ne quis omnino in Basilicis Martyrum sepeliretur, annuissentque id tantùm, ut extra & juxta muros Ecclesię tumuli adjungerentur; mox reddunt, non potuisse Beatos Martyres eo frustrari honore, quo utuntur Civitates, ne quem sinant intra murorum ambitum humari. *Placuit, ut corpora defunctorum nullo modo in Basilica sanctorum sepeliantur. Sed si necesse est de foris circa murum Basilicæ, usque adeo non abhorret. Nam si firmissimum hoc privilegium usque nunc retinent civitates, ut nullo modo intra ambitum murorum, cujuslibet defuncti corpus humetur, quantò magis hoc venerabilium Martyrum debet reverentia obtinere. Can.18.* Quod ad illud primum caput attinet, sepulcra admittendi ad exteriorem ambitum juxta muros Ecclesię; id probabiliter creditur cœptum esse, antequam intra ipsas Ecclesias quisquam sepeliretur. Ita Gregorium ipsum explanavit Joannes Diaconus in ejus vita: *De sepultura juxta Ecclesiam commodum sperare prohibuit. L.2. c.20.* Video ejus conjecturam à nostra superius exposita nonnihil discrepare; sed rem judicio Lectorum permittere malo, quàm contendere. Hic autem suspicari fas est, eas Capellas, quibus nunc ferè cinguntur majores Ecclesię, ex his juxta positis tumulis ortas esse, quibus murus circumstrui placuerit, & huic ędificiolo altare inferri; uti suprà jam attigimus, ad consecrandam Capellam, in qua condendum erat corpus B. Radegundis, absente Episcopo Diœcesano, à Gregorio Turonensi consecratum esse altare. *Locus in quo sepeliri debet, non est Sacerdotali benedictione sacratus, &c. Benedic altare illud, &c. Et sic ab illis injunctus, altare in cellula ipsa sacravi. De Gloria Confess. c.106.* Sed illud potissimum ex Concilio Braccharensi observari necesse est, Legibus Romanis vetitum fuisse, ne quisquam intra urbes terræ mandaretur, cujus moris ac privilegii civitates omnes retinentissimę erant. Itaque prioribus Ecclesię sęculis fideles in Cryptis recondebantur, quas appellitabant *Tumbas, Catatumbas, Catacumbas*, extra urbes, & juxta vias, more forsan Israelitarum. In spelunca enim Saram Abrahamus tumulavit, contumulatusque ipse est. Christus ipse in specu exciso in saxo.

V. Narrat Hieronymus, Romæ cum juvenis versaretur, Dominicos dies solitum se consumere in perlustrandis Cryptis Martyrum & Apostolorum: *Solebam diebus Dominicis sepulchra Apostolorum & Martyrum circumire, crebroque cryptas ingredi, quę in terrarum profunda defossa, ex utraque parte ingredientium, per parietes habent corpora sepultorum. In Ezech. c.4.* Expinxit & luculentè Prudentius concava montium, ubi Cęmeteria erant Christianorum: *Attamen excisi subter cava viscera montis, crebra terebrato fornice lux penetrat. Peri Steph. Himno.2.* In hæc Cęmeteria congregabantur fideles, ut rem ibi divinam facerent, nec minis persecutorum deterriti, nec furore. Ubi pax affulsit Ecclesiæ. Cæmeteria ab Ecclesiis sejuncta fuere, sed in dies magisque viciniora evasere. Id non obscurè declarat Optatus, cum donatistis exprobat, usurpatas ab illis in Catholicos Ecclesias, ut & Cęmeteria aliquando invaderent, prohiberentque fideles sepeliri. *Ad hoc Basilicas invadere voluistis, ut vobis solis Cęmeteria vindicetis; non permittentes sepeliri corpora Catholica. L.6.* Ingenuè fateor non me satis capere, quod alibi, *L.3.*, ab eodem dicitur de sepulturis.

VI. Sed si fidelium vulgus in Cęmeteriis promiscuè sua sibi sepulchra habebat, nemo inficias ierit, quin viri dignitate, & nobilitate prętantes, & in primis Episcopi, in ipsis Ecclesiis tumulos sibi deligerent. Ambrosius sub altari ipso, quod quotidianis frequentabat sacrificiis, recondi se post mortem concupierat; dexteram tamen ejus partem cessit corporibus Sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, ubi ea reperta fuere: persuasus, Hostię immortali membra sua omnia redintegranda esse, ita sanè ut sub altari laterent Martyres, Christus super altare emineret. *Succedant victimæ trium-*

triumphales in locum, ubi Christus hostia est, sed illr super altare, qui pro omnibus pussuc est: isti sub ultari, qui illius redempti sunt passione. Hunc ego locam predestinaveram mibi. Dignum est enim, ut ibi requiescat Sacerdos; ubi offerre consuevit. Sed erdo sacris victimis dexteram portionem, locus iste Martyribus debebutur. Epist.55. Marcellina soror Ambrosii juxta ipsum inhumari se voluit: & fratri ipse suo Satyro sepulcrum paraverat juxta corpus perinclyti Martyris, cujus vicino odore ipsemet persunderetur. *Ut sacri sanguinis humor finitimas penetrans udlaat exuvias. Buron. an.383.* Author est Hieronymus corpus B. Panlæ in media Bethleemitica Ecclesia positum fuisse. *In mediu Ecclesiu spelauca Salvatoric est posita.* Sic ille in Epitaphio Paulę.

VII. A` Ferrando illud observatum est in vita Beati Fulgentii, hunc primum in Ecclesia SS. Apostolorum tumulatum fuisse, quamquam prisca consuetudioe id hactenus invaluisset, ut ne Episcopi quidem ibi terrę mandarentur, nedum laici. *Sacerdotum manibus ad Ecclesium civitutis, qua secunda dicitur, ubi etiam reliquias Apostolorum constituerat, deportutus, fortitus est honorabile monumentum. Primus planè lu eadem Bafilicu Pontifex poni meruit: ubi nullum mortuum neque Sacerdotem, neque laicam sepliri, consuetudo sinebut untiqua. Sed mugna vis devotionic removerat impedimentum consuetudinic, &c. Cap. ult.* Erat illud ergo antiquissimis Ecclesiis usitatum, ut nullis prorsus sepulcris occuparentur, ac ne Episcoporum quidem. Hęc Fulgentii Ecclesia diutius id & constantius retinuit, & tamen ipsa quoque tandem cessit invalescenti oovitati. Ab Episcopis cœptum, tum ad Clericos, denique ad laicos ventum est.

VIII. Religio certè fidelibus fuit jam inde ab initio, ut oe tumuli sui Paganorum sepulcrorum vicinitate & contagione inquinarentur. Vituperavit Cypriaous Martialem Episcopum Hispaniæ, tum ob alia complura, tum quod filios suos indiscrimioatim inter Gentilium sepulcra humari fecisset. *Et filios exterurum gentium more apud profana sepulcra depositos, & alienigenic consepultos. Ep.68.* Cum verò sepulturis moderati fint semper Clerici, perspicuum hioc fit, etiam tum, cum in Ecclesiis sepeliretur nemo, Ecclesiasticas tamen fuisse sepulturas. Agens Hieronymus de muliere, quæ publici Judicis gladio ioterfecta fuerat, Clericos mox advolasse ait, ut eam terrę pro officio suo mandareot. *Clerici, quibus id officii erut, cruentum lruteo eadaver obvolunt, & fossam humum lapidibus construentes, ex more tumulum parunt.* Ita ille in Epistola *de muliere septies icta.* Operam quoque suam quandoque Monachi sepeliendis mortuis commodabant; unde reprehensus est à Beato Gregorio Papa Episcopus Urbevetanus, quod in Monasterio prohiberet, & celebrari sacra Mysteria, & mortuos sepeliri. *Sepeliri ibidem mortuos, vel eslebrari Missas, nulla ulterias habita contradictione permittas. L.1. Ep.12.* Sed eo tameo longè frequeotius munere Clerici fungebaotur; atque ita sanctæ semper & Ecclesiasticę erant sepulturę: oec ea humanitatis, sed religionis obsequia reputabantur. Unde Tertulianus io Libro de Anima: *Cum in puce dormisset, & moranto adhuc sepultura, interim oratione Presbyteri componeretur, &c.* Agit ibidem ille de sepulcretis fidelium propriis, & de eo, qui paululum recessit, ot juxtà sepeliendo fratri locum daret. *Est & aliu relutio apud nostros, in Cameterio corpus corpori juxta collocando spatium recessu communicusse.*

IX. Illud quoque per Christianos iovectum est Orbi, ut ne amplius defunctorum corpora igni absumerentur. Hoc probro nobis vertebant Gentiles; *Execrantur rogos, & damnant ignium sepulturam.* At scitissimè reponebat Minotius Felix, hunc Christianę genti morem oon ex insulsa illa manare formidine, oe corpora pereant, quę utique vel ardendo, vel putrescendo ęquè pereunt; sed ex veneratione & observantia consuetudinis longè antiquioris & religiosioris, inhumandi, quàm comburendi. *Non ut creditur ullum damnum sepultura timemus, sed & veterem & meliorem consuetudinem humaudi frequentumus.* Alias etiam rationes à pietate ductas allegavit Tertuliaous libro de Anima, & libro de Resurrectione carnis.

X. Tantum dissensionum posterioribus sęculis exardescet de jure sepulturarum Clericos inter & Regulares, ut earum orginem inquirere hoc loco operę pretium visum sit, ut iode lux aliqua in posteras ętates effundatur. Non tantopere efferbuissent contentiones, si in honore & pretio semper fuissent illę Regulæ duę, quę io primigenię Ecclesię florentissima juventa viguerunt, ut in Ecclesiis tumularetur nemo, otque ex loco putredinis, sive sepulturæ nihil lucri exigeretur. Ubi primùm cœpit vulgus hominum in Ecclesiis sepeliri, emersere sordidissimæ avaritiæ inquinamenta. Id verò in Ecclesia Latina desinente quarto sæculo contigit, ut patet ex Augustini libro *de Curu pro Mortuic*, ad Beatum Paulioum Nolanum Episcopum scriptu, ex occasione piæ & illustris Matronæ, quę Cynegium filium condi voluerat in Basilica B. Felicis Martyris. *Et in Felicic Confessorie Basilica poneretur. Cup.2.* Conducere id profitetur Augustinus iis, qui piam & religiosam duxerint vitam; quòd his monumentis moneantur fideles, qui oraturi confluunt, precibus ut hos suis Deo commendent. Inde est enim, eodem teste Augustino, quòd dicantur *Memoria & Monumenta, &c. Eo quòd moneant mentem, &c. Cap.4.*

XI. Non immeritò verò has de sepulturis antiquissimas duximus inter Clericos & Monachos concertationes, cum Georgius ipse Papa Episcopum Urbevetanum per Epistolas jusserit, ne io Abbatia Sancti Gregorii amplius prohiberet, & sepeliri mortuos, & Sacra Mysteria celebrari. *Hortamur sepeliri ibidem mortuoc, vel celebrari Missas, nulla ulterius habita contradictione permittuc.*

C A P U T LXVI. *P.2. l.3. c.14.*

De simonia sepulturarum in Oriente ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. Cur olim sepulcra extra urbes, & secundùm viac essent.

II. Ex quo Vita sempiternu Christus morti vim infudit vivificam, sepulcric Murtyrum condecorata sunt urbes, delectati sunt mortales.

III. Non alibi, quàm in vestibulo templi Apostolorum sepultus est Constantinuc, honorificam sibi ratus, si vel janitor eorum haberetur.

IV. In ea postea Ecclesia contumulati fuere tum Imperatorec, tum Episcopi ob inexplicabile quoddam Sacerdotii & Imperii vinculum.

V. Unde ortus mos excitundi tumuloc in Ecclesiis, vel Capellas circa tumulos Sanctorum.

VI. Alia exemplu. Cateri fideles idem ambiere. Origo porticuum circa Ecclesias ad mortuos sepeliendos.

VII. Leo Sapienc revocat antiquas prohibitiones.

VIII. IX. Constantinus, Anastasius, & Justinus plurima donunt, vel donata confirmant, ut gratuita sint sepultura.

X. Varia Justiniani statuta de Exequiis. Cura-

ra-

varum penes Monachos, Canonicos, Clericos. Qui Clericos majori numero adesse, vel vestes sacras magnificentiores expetebant, ii pecunia aliqua hanc redimebant prærogativam.

I. VEtuerat lex Tabularum duodecim quemquam in urbe mortuum uri, vel humari: *Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito.* Ea erat priscæ consuetudinis confirmatio. In Scripturis sacris utriusque Testamenti idem elucet mos antiquissimus, non igni, sed terræ mandandi mortuos. Quod de urbe Roma sanxerat lex duodecim Tabularum, id Ulpianus ait ab Imperatore ad omnes Imperii urbes propagatum fuisse. Id Antonino Pio tribuit Lampridius. *Intra urbes sepeliri mortuos vetuit.* Sepulcra tradit Varro plerumque juxta vias publicas locatas fuisse, ad mortales mortalitatis suæ admonendos. *Sepulcra ideo secundùm viam sunt, quò prætereuntes admoneant, & se fuisse, & illos esse mortales. L.5. de lingua Latina.* Idem allegatum est à Theodosio Imperatore, eum in novam Romam Veteris privilegia transtulit, jussitque efferri Constantinopoli tum urnas, ubi cineres, tum sarcophagos, ubi corpora claudebantur eorum, qui in rogis arsissent. *Omnia quæ supra terram urnis sunt clausa, vel sarcophagis corpora detineatur, extra urbem delata ponantur ut & humanitatis instar exhibeant, & relinquant incolarum domicilio sanctitatem. Cod. Theod. L.9. T.17. Lege 6.* Postrema hæc verba exponit Paulus Jurisconsultus, *In Sentent.*, & ad aliam torquet ejusdem legis rationem. *Corpus in Civitatem inferri non licet, ne funestentur sacra Civitatis.* Ignoscenda erat ea mentis imbecillitas Gentilibus, ut cadaveribus sacra incestari crederent, eum & lege Mosayca imbuti Israelitæ, ne ipsi quidem ab his religiosæ infantiæ crepundiis recessissent, & religioni esset Pontificibus, ne quid ejusmodi contrectarent.

II. Sed postquam vitæ fons primigenius Verbum Deus, nostræ carni mortalia illapsus, in morte ipsa fontem vitæ posuit, tum in seipso, tum in membris suis: non resurrectione tantùm sua, sed aspirata nobis resurgendi spe; exinde tumuli eorum, qui pro ipso mortem oppetierant, domicilia quædam vitæ visa sunt esse, & adyta sanctitatis. Ideo tumuli in Ecclesiis locati, vel circa tumulos circumstructæ Basilicæ; ut ea jam sint pulcherrima civitatum ornamenta, & victricis trophæa religionis. In eadem id adnotat lege Theodosius, ubi occurrere illis studet, qui pio prætextu legem ejus eludebant, & condi se curabant iis in Ecclesiis, ubi Apostolorum & Martyrum corpora conquiescebant. *Ac ne alicujus fallax & arguta solertia ab hujus se præcepti intentione subducat, neque Apostolorum vel Martyrum sedem, humandis corporibus æstimet esse concessam, ab his quoque, ita ut à reliquo civitatis, noverint se, atque intelligant esse submotos.* Tum certè Christiana consuetudo obtinuit, & pervicit, ut ne amplius corpora exurerentur. Unde Macrobius, qui non totis quinquaginta annis post eam promulgatam legem agebat, usum illum funditus concidisse suo ævo testatur. *Licet urendi corpora defunctorum usus nostro tempore nullus sit. L.7.c.7.*

III. In ipsamet Apostolorum Ecclesia tumulum Constantini Magni Constantinopoli quidam collocarunt, in eum errorem abducti his Eusebii verbis: *Ædem illam construxit, &c. Quippè ipse sibi hunc locum post mortem designaverat, ut corpus suum communem cum Apostolis appellationem post obitum sortiretur: quo scilicet precationum, quæ in honorem Apostolorum ibidem celebrandæ erant, etiam mortuus particeps fieret. Cum igitur duodecim illic capsas quasi sacras quasdam columnas in memoriam & honorem Apostolici Collegii erexisset, suam ipsius arcam in medio constituit, quæ senas utrimque Apostolorum capsas dispositas habebat. De vita Constant. L.4. c. 60. 70.* Verùm aut ea ipsa fuit Constantini Magni voluntas, ut in vestibulo tantùm Ecclesiæ locaretur: aut Constantius patris voluntatem ita interpretatus est, amplissimum fore Imperatori, quasi ad januam assidere eorum, quorum vestigiis dum superstes esset, Imperatorium diadema, verticemque suum demiserat. Locupletissimo teste utemur Chrysostomo, qui rem narravit, ob oculos quotidie suos obversantem. *Nam & hic quoque Constantinum Magnum filium ejus ita demum ingenti honore se affecturum existimavit, si eum in piscatoris vestibulo conderet. Quodque Imperatoribus sunt in Aulis janitores, hoc in sepulchro piscatoribus sunt Imperatores. Atque illi quidem velut Domini, interiores loci partes obtinent, hi autem velut accolæ & vicini, præclarè secum agi putarunt, si vestibuli janua ipsis assignetur.* His innuere videtur Chrysostomus Constantium suo usum consilio, patris voluntatem eò deflexisse, voto magis ejus, quàm verbis obsequentem.

IV. In Ecclesia, hoc est, in vestibulo Ecclesiæ Apostolorum refert etiam Socrates inhumatum esse à Constantio Constantinum, ejus conditorem, authoremque, ut Imperatores & Episcopi propiùs admoverentur ad eum cælestium gratiarum fontem. *Depositus est in Ecclesia Apostolorum, quam ipse eo consilio ædificaverat, ut Imperatores, ac Pontifices ab Apostolorum Reliquiis haud procul abessent. L.1. c. ult.* Idem commemorat & Sozomenus, qui exinde inolevisse ait, ut eadem in Ecclesia Imperatores & Pontifices sepelirentur Constantinopoli, quòd eædem sint Pontificum atque Imperatorum prærogativæ, præcellantque etiam Pontifices in locis sacris. *Ab eo tanquam rei ejus authore consuetudine ducta, Imperatores Constantinopoli obeuntes sepeliuntur, atque Episcopi etiam: quippè cum Sacerdotalis Imperii dignitati par sit, immo verò in locis sacris primas partes obtineat. L.2. c. ult.* Ex his Sozomeni verbis non satis liquet, an agat ille de communi Imperatorum & Episcoporum privilegio, ut Constantinopoli, an ut in ea Constantinopolitana Apostolorum Ecclesia tumularentur. Verùm non magni nostra refert, ut is eximatur scrupulus. Ea enim utrorumque verè prærogativa erat, ut Constantinopoli sepelirentur, ubi nefas erat quemquam alium humari; & eò traducta consuetudine Antiquæ Romæ, & ex lege Theodosii Magni. Refert & Evagrius à Justiniano instauratam vel restitutam Ecclesiam Apostolorum, in qua moris erat Imperatores & Antistites humari: *In qua Imperatores & Sacerdotes sepeliri solent. L.4. c.30.*

V. Constat hinc ergo ab Imperatoribus & Episcopis orta esse exempla, fidelium in Ecclesiis ipsis tumulandorum. His addendi viri quidam spectatissimæ sanctitatis, quorum tumuli circumdati fuere Capellis, vel Basilicis, in quas & alia postea Martyrum illata sunt pignora, consecrata sunt & Altaria. In historia Theodoreti Religiosa pulcherrimum istud ejus rei monumentum existit. Ubi nimirum, *Cap.21.*, de sanctissimo Monacho Jacobo sermonem instituit, cui inhumando & exædificata fuerat ingens Ecclesia in vico proximo; & ipsemet tumulum instruxerat in Ecclesia Apostolorum: sed cum Jacobus ipse ei significasset, percupere se in eo ipso sepeliri monte, quo tot præliorum spiritalium theatro usus erat: Tum verò lapideum ejus tumulum curasse se ait Theodoretus eò transferri; ubi eum lapis ipse imbrium & procellarum vi computresceret, ædiculam ei se circumdedisse. Impatienter tulisse Jacobum tantum sibi tribui; itaque illud Martyrum templum esse voluisse, eoque consilio illuc coacervasse reliquias Martyrum eorum, quibuscum averet & hic quie-

sce-

ſcere, & beatæ ad ſempiternam vitam reſurrectionis conſortem ſe fieri. *Arcam ſurſum transferendam curavi, & quia lapidem à pruinis labefactari animadverti, parva adiculâ circumdari arcam juſſi. At ille; Non patiar, inquit, ut Jacobi ſepulchrum hoc appelletur, ſed triumphantium Martyrum templum hoc fieri volo, & me velut inquilinum quempiam illorum cohabitatione dignatum, alia in arca poni. Neque hæc dixit modo, ſed reipſa præſtitit. Collectis enim undique multis Prophetis, multiſque Apoſtolis & Martyribus, omnes una in arca repoſuit, cum Sanctorum populo habitare cupiens, & cum eis reſurgere, divinoque conſpectu potiri.* Ea fuit, ut videtur, progreſſio ejus usûs, vel condendarum circa tumulos ædicularum, ſeu Capellarum, vel ſepulchro rumin ipſis Eccleſiis deligendorum.

VI. Fratrem ſuum Cæſarium in Eccleſia Martyrum perhibet Nazianzenus ſepultum fuiſſe. *Ad Martyrum ſacraria cum pompa ductus. Orat.* 50. Beata Macrina in Eccleſia Martyrum ſepulta eſt, in eodem ipſo matris ſuæ tumulo, ut author eſt frater ejus Gregorius Nyſſenus, ejus vitæ ſcriptor, quique funus ipſe ejus proſecutus eſt. Contineo calamum, pluribus hic exemplis id genus accumulandis ſanctitate commendatorum virorum, Epiſcoporum, Imperatorum, in Eccleſiis ſepulcra honorificentiora conſecutorum, ex quo & arſit privatorum cupiditas. Unum adjiciam, quod literis mandavit Nicephorus de Theodoſio Juniore, qui inſepultus eſt tumulo Archadii parentis, & avi ſui Theodoſii Magni, in una ex Porticibus Templi Apoſtolorum. Porticus hæ, uti & Capellæ ab exordio extra Eccleſias extruebantur, quibus tandem accrevere, & interiores tandem factæ ſunt. *Theodoſius in paterno monumento repoſitus eſt, in dextera ſublimi Sanctorum Apoſtolorum portica, in qua porticu, eodemque lapide pater quoque Arcadius & mater Eudoxia, necnon avus Theodoſius ſiti ſunt. In ſiniſtra autem, quæ ex adverſo portica ſacri ejus templi, Jovinianus jacet. L.* 14. *c.* 58. Non injuria videri poſſit, has urnas, ſive hos tumulos in ſuperioribus Templorum porticibus collocatos fuiſſe. Nec aliter capiendus Ammianus Marcellinus, ubi corpus Valentiniani Senioris Conſtantinopolim tradit comportatum fuiſſe, *ut inter Divinorum reliquias humaretur.* Modeſtiùs Theophanes inſinuat Honorii corpus depoſitum fuiſſe in Mauſoleo, juxta Eccleſiam Apoſtolorum. *Corpus ejus juxta B. Petri Martyrem in Mauſoleo ſepultum.* Etenim Martyrii nomine non tam tumulus, quàm Eccleſia deſignatur, Martyris tumulo inſignita.

VII. Cum his exemplis autem excita gliſceret privatorum in dies licentia, hanc frænare ſtuduit Theodoſius Magnus iſtiuſmodi lege, codici ejus inſeata. *Nemo Apoſtolorum vel Martyrum ſedem humandis corporibus exiſtimet eſſe conceſſam.* Verùm extra legum cancellos erupit aliquando tandem ſive pietatis, ſive ambiſionis æſtus. Unde & Leo Sapiens indulſit, ut ſepeliri fas eſſet in urbibus, hoc eſt; in Eccleſiis. Ita enim promptum eſt de ejus mente conjectari. *Cod. Theod. L.*9. *Tit.*17. *c.*6. *Cod. Juſt. L.*1. *Tit.*2. *l.*2. *Conſt.*53.

VIII. Non ergo ad ſingulares has & ex privilegio indultas, ſed ad vulgares ſpectabat lex illa Anaſtaſii Imperatoris, Juſtiniani Codici illigata, quæ majori Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ addicebat ſeptuaginta pondo auri proventum annuum ut gratoitæ ibi eſſent omnes ſepulturæ, quinquaginta auri pondo perſoluturis, qui quidvis exegiſſent. *Conſtitutio adſignat magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſeptuaginta librarum auri reditum, eam ob cauſam, ut ſcilicet exequiæ ſine ſumptu & gratis fiant in urbe Conſtantinopolitana; & uſque ad novos muros & Blachernas. Nam Syra, ſeu Sycorum tranſitus, pars ſunt civitatis. Statuit contra delinquentes pœnam quinquaginta auri librarum. Cod. l.*1. *T.*2. *l.*18.

IX. Sed & ab ipſo Juſtiniano innovatæ ſunt leges Conſtantini Magni & Anaſtaſii de gratuitis ſepulturis. Illud enim primum conteſtatus, ultra vitam ipſam hominum patere ſuam in eos charitatem, nec paſſurum ſe ut eorum exequiæ proximis graves ſiot: *Quoniam potentiæ noſtræ ſubditi noſtri, ſive vivant, ſive moriantur, curæ ſunt, ne vel graves ipſis ſepulturæ, vel defunctis cognatis damnoſæ exiſtant: Novel.*43. immunitates mox confirmat à Conſtantino & Anaſtaſio Imperatoribus conceſſas Officinis undecies centenis, majori Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ adſignatis, ut funerum quorumcunque impenſas ipſa præſtaret, revocatis cæterarum immunitatibus officinarum, ne his Eccleſiaſticis officerent. *Sacroſanctam majorem Eccleſiam centum & mille officinas in fructu habere ab omni vectigali liberas eo, quod ad peragendas in commune omnium hominum exequias proficiant.*

X. Sed in alia Conſtitutione ſua idem Juſtinianus, *Novel.*59., enucleatius hæc eadem proſecutus eſt, ubi à Conſtantino conceſſas Eccleſiæ ait nongentas & quinquaginta Officinas, prorſus immunes; centum quinquaginta ab Anaſtaſio additas, & centum aliarum reditus, ut gratis fierent ſepulturæ; & nihilo tamen minus graviſſimis ſe interpellatum querelis, quod inhumanius exigeretur ab ipſis pauperibus: *Non ſine mercede fieri defunctorum exequias, ſed exigi amarè, &c. Etiam invitos exigunt lugentes, & cogunt dare, non habentes.* Cui malo ut medicina fiat, juberi à ſe, ut Oeconomi majoris Eccleſiæ curam agant agrorum ſepulcris dedicatorum, *Habentes prædiorum adminiſtrationem, quæ ſepulcris deputata ſunt:* & trecentarum Officinarum Deſenſores reliquarum adminiſtrationem gerant, ut pecuniam definitam repræſentent. *Decanis, Aſceteiis, Canonicis fœminis, Acolythis, laborantibus circa funerum exequias.* Niſi Miniſtris funerum ſuppeditent Oeconomi pecunias has, agros fundoſque ad id deſtinatos auferet Patriarcha, ut nihil vi à quoquam exigatur: *Nullum quidquam ab invito percipere.* Numerum tamen definit Imperator eorum, qui exequiis miniſtrabunt, intereruntque gratis; ut qui plures volent, ſolvant de cenſu ſuo, quantum Eccleſia ſolveret. Qui loculos & lectos opulentiores volent, quam qui vulgo commodantur; lectos potiſſimum illos duos, qui in Eccleſiis Studitarum, & Sancti Stephani cuſtodiuntur, vel auratam etiam Lecticam majoris Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ſumptus etiam facient majoris numeri Miniſtrorum, qui ad id deſiderant. Ita certè ut his ſumptibus modus ſit, iis accomodatus, quos ipſa facit Eccleſia in gratis exequiis.

C A P U T LXVII. *P.*3. *l.*3. *c.*14.

De Sepulturarum ſimonia ab octingenteſimo anno ad milleſimum.

I. Univerſim prohibetur quemquam in Eccleſiis humari. Exceptiones.

II. Præcipitur ut Priſca jam in Eccleſiis ſepulcra, ultius in terram deprimantur.

III. Canones & Leges conſentiunt, ut ne qui in Eccleſiis tumulentur.

IV. Ex cupiditate conſequendi in Eccleſia ſepulcri, factum eſt, ut jam gratuita non eſſent ſepulturæ.

V. Ne Nobilibus quidem & Proceribus id tum fas erat, ut hereditarios haberent tumulos.

VI. Voluntaria dona non abnuebantur. Non pauca

ea exordio sui libera, necessitatis paulatim nexu stringuntur.

VII. Medium quoddam fuit temperamentum; in vestibula, & porticibus Ecclesiæ sepeliri.

VIII. Quæ supra dicta sunt, ex Hincmaro confirmantur.

IX. Concilium Triburiense Nobilibus suasit, ut juxta Ecclesiam Cathedralem sepulcra sibi pararent, vel in Cœnobiis, aut in Parochiis suis.

X. Nulla tum de sepulturis lites.

XI. Privatorum ambitio emptionibus locum dedit, & ebullientibus inde litibus.

XII. XIII. Consuetudines Italiæ & Angliæ.

XIV. Quid Paradisus, vel Parvisium Ecclesiæ.

XV. An in Oriente mos vigeret, in Ecclesiis sepeliri.

XVI. An gratuitæ ibi essent sepulturæ.

I. Refert & suggillat Theodulphus invalescentem tunc in Galliis consuetudinem, adeoque & jam confirmatam, ut passim in Ecclesiis sepelirentur, quo Ecclesiæ jam in Cœmeteria degenerabant. Vetat autem nequis post hac ibi tumuletur, nisi cui ex Presbyteris, vel laici; eminentior sanctimonia hanc meritò pepererit prærogativam. *Antiquus in his regionibus in Ecclesiis sepeliendorum mortuorum usus fuit, & plerumque loca divino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hostias preparata, Cœmeteria, sive polyandrea facta sunt, Unde volumus ut ab hac re deinceps abstineatur, & nemo in Ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit persona Sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, quæ per vitæ meritum, talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisivit. Ann.797. Can.9.* His verbis, si seriò ponderentur, nihil amplius Presbyteris supra laicos tribuitur: nec vel illi, vel hi permittuntur in Ecclesia tumulos nancisci, nisi singularis meritorum prærogativa hanc illis conciliaverit præcellentiam post mortem.

II. Quoad sepulcra verò, quæ jam in Ecclesiis excitata erant, unum jubet Theodulphus, ut complanentur & solo æquentur, quæ eminent omnia, si id verò arduum esse videatur, Ecclesiam illam asportato altari in Cœmeterium redigendam. *Corpora verò, quæ antiquitus in Ecclesiis sepulta sunt; nequaquam projiciantur, sed tumuli, qui apparent, profundius in terram mittantur, & pavimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, Ecclesiæ reverentia conservetur. Ubi verò est tanta multitudo cadaverum; ut hoc facere difficile sit, locus ille pro Cœmeterio habeatur, ablato inde altari & in eo loco constructo, ubi religiosè & purè Deo sacrificium offerri valeat.*

Hinc liquet antiquam illam fuisse non consuetudinem, sed corruptelam, mortuos in Ecclesiis terræ mandandi; in eo à prioribus sæculis descitum esse: in id laboratum esse, ut oblitteraretur, quod præter Canones novatum erat; persuasissimum adhuc pene fuisse Ecclesias dehonestari, inquinari altaria, si ibi contumulentur alii, quàm Martyres, vel longo pœnitentiæ curriculo incruentam Martyrii palmam adepti; denique si immergerentur altius in terram tumuli Ecclesiarum, non eò tantùm id pertinuisse, ut deprimeretur, & contereretur mortalium immortalis quædam & insana ambitio; sed ut decentius puriusque in templis immolari & offerri Deo posset immortalis & immaculati Agni hostia, *Ubi religiosè & purè Deo sacrificium offerri valeat.*

III. Anno 813. novas tentavit machinas Concilium Arelatense VI. antiqua ut consuetudo in usum revocaretur. *Ut de sepeliendis in Basilicis mortuis illa constitutio servetur, quæ ab antiquis Patribus constituta est. Can.21. Cap. L.2. c.47.* Remisit plusculum quid ejusdem anni Concilium Moguntinum, non ejectis Ecclesia sepulturis Episcoporum, Abbatum, necnon & virtute clarorum Presbyterorum, & Laicorum, ut paulò ante de Theodulfo diximus. *Nullus mortuus infra Ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi aut Abbates, aut digni Presbyteri, vel fideles laici. Can.20.* Capitulare Caroli Magni eodem anno publicatum laicos prorsus omnes summovet. *Ut mortui non sepeliantur in Ecclesia, nisi Episcopi & Abbates, vel fideles & boni Presbyteri.* Et in libris ipsis Capitularium, *Ut nullus deinceps in Ecclesia mortuum sepeliat. L.1. c.159.* Alibi tamen, *L.5. c.48.*, conceditur, ut in Ecclesiis sacra fiant, quanquam fidelium corpora in eis sepulta fuerint, Infidelium enim inde essent exportanda. Consecratio autem ipsa Ecclesiarum hinc conjicitur fieri non potuisse, si qua in eis jam terræ mandata fuissent corpora, quod docent & sexcentæ Gregorii Magni Epistolæ.

IV. Ex his jam dilucidius fiet quæ fuerit simoniæ in sepulturis origo. Cum enim vigore Canonum vetarentur in Ecclesiis terræ mandari, vel utcumque condi, nisi Martyrum cineres, Sanctorum pignora, inde & Episcopi, atque Abbates; necnon & siqui ex Presbyteris & laicis singulari innocentia morum claruissent; cæterorum fidelium exarsit æmulatio, ut vel pretio saltem virtutum præmia assequerentur. In Formulis Episcopalium Ordinationum, ab ordinandis à se Episcopis id exprimit Hincmarus, ut polliceantur, nihil unquam ex sepulturis se exacturos juxta Decreta Gregorii Magni, ut ne luctus fidelium & cadaverum ipsa putredo pretio compararetur. *Pretium de terra concessa putredini quemquam non permittat in Parochia sua quærere, & de alieno velle facere lucri compendium.* Quid enim tam probrosum, quàm venalem prostare Ecclesiam, & de ovium interitu suarum quæstum facere Pastores; *Ne aut venalis, quod absit, dicatur Ecclesia, aut de humanis Sacerdotalis religio videantur mortibus gratulari, si ex eorum cadaveribus studuerit quærere quolibet modo compendium. Conc. Gall. Tom.2. pag.661.*

V. Ex Concilio Meldensi, *Ann.845. Can.72.*, mendicata sunt hæc verba, cui & ipsi illa Gregorius Magnus mutua dederat. *Gregor. L.8. Ep.55.* Ambigere possit quis, capiendane ea sint de sepultura in Ecclesia. Certissimè enim nullo limite determinatur hæc prohibitio; universim etiam, & verbis, & rationum momentis Gregorius omnes complectitur sepulturas. Re tamen accuratius pensitata, indubium est non agere Meldense Concilium, nisi de sepeliendis in Ecclesia corporibus; nec eo privilegio potiri, nisi quos Episcopus, vel Parochus judicarit hoc vitæ innocentia sibi jure quodammodo vindicare; nulla quantumcumque celebrata Nobilium prosapia ad hoc quasi hæreditarium jus admissa. *Ut nemo quemlibet mortuum in Ecclesia, quasi hæreditario jure, nisi quem Episcopus aut Presbyter pro qualitate conversationis & vitæ dignum duxerit, sepelire præsumat.*

Non avita ergo Nobilitate, non sæcularium Dignitatum insignibus, sed luminibus virtutum ad hanc prærogativam pertingebant laici, ut in Ecclesiis terræ commendarentur. Sed cum penes Episcopos, & Parochos is esset delectus, non ea fuit semper vel integritas eorum, vel constantia, quæ nec pecunia labefactari, nec carnalibus affectibus inflecti posset.

VI. Adde cum hoc Canone prohiberetur, tantùm, *peti, aut exigi aliquid*; liceret autem accipere proximorum demortui oblationes spontaneas; latissimè tandem effusam offerendi consuetudinem, paulatim ex spontanea necessariam evasisse; quod ita universim comparatum sit, ut quæ piè & liberè diu, & ubique fiunt, fiant tandem pene necessariò, ne refrixisse pietas, aut religiosa consue-

suetudo cujusquam culpa videatur exolevisse. Quocumque loco fierent sepulturæ, vetuit quidquam exigi Herardus Archiepiscopus Turonensis. *Cap.77.*

VII. Patefecit autem aliquando tandem Nannetense Concilium, quid temperamenti excogitatum sit, ut & votis fidelium fieret satis, nec tamen in Ecclesiis quisquam humaretur. Vestibula ipsa Ecclesiæ, vel Porticus eis adjunctas placuit sepulturis his promiscuis addici. *Prohibendum secundùm Majorum instituta, ut in Ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in Porticu, aut extra Ecclesiam. Infra Ecclesiam verò, aut prope altare, ubi Corpus Domini & sanguis conficitur, nullatenus habeat licentiam sepeliendi. Can.6.* Ut hunc sibi potiorem, & honorificentiorem locum in vestibulo, vel porticibus Ecclesiæ compararent, Parochis fideles ea ultro largiebantur, quæ exigi nefas fuisset, si longius tumulandi fuissent. *Nihil muneris exigant, nisi fortè qui sepelitur, vivens jusserit Ecclesiæ, in cujus atrio sepelitur, de suis aliquid tribuere.*

VIII. Uni sibi servatum voluit Hincmarus Remensis Archiepiscopus dispensandi in hoc negotio facultatem, non permissis Parochis, ut in Ecclesia tumularent ipsi quidem, nisi qui in Concilio designati fuissent, Meldensi nimirum, supra allegato. *Ut nemo Presbyterorum quemquam in Ecclesia sepeliat, sine consultu Episcopi, exceptis hujusmodi dumtaxat personis, quas sigillatim & privatim in Synodo signavimus. Tom.1. pag.713.* Nisi si malis hæc ad eos torquere, de quibus cum Parochis in Synodo Diœcesana conventum erat.

Alibi rursus idem Hincmarus ambitionem nescio quam hæreditariam damnat Nobilium, qui quasi avitas quasdam sibi vendicabant sepulturas. Sancit autem ille, ut Parochus sapientissimè, sed & summa quadam potestate decernat, quo quisque loco resurrectionem, & beatam immortalitatem opperiri debeat. *Nemo Christianorum præsumat, quasi hæreditario jure, de sepultura contendere: sed in Sacerdotis providentia sit, ut Parochiani sui, secundùm Christianam devotionem, in locis, quibus viderit sepeliantur. Ibid. pag.731.* Ut ne quid denique loci artibus, & fraudum præstigiis relinqueretur, non tantùm exigi quidquam vetuit, sed & spontanea dona admitti, nisi post absolutas exequias. *Si aliquid quisquam gratis offerre voluerit, post sepultum corpus hoc suscipi non vetamus. Ibidem.*

IX. In Concilio Triburiensi editus est primò Canon, quo spectabiles tantùm viri contineri videntur. Suadetur enim, ut juxta Cathedralem Ecclesiam sepeliri se curent. *Sepulturam morientium apud Ecclesiam, ubi sedes est Episcopi, celebrari. Can.15.* Si deterreat locorum distantia, suadetur, ut eligant Collegium aliquod Canonicorum, vel Monachorum, aut Sanctimonialium, ut eorum precibus consortes accedant. *Expectet eum terra sepulturæ suæ, quo Canonicorum, aut Monachorum, sive Sanctimonialium Congregatio sancta communiter degit, ut eorum orationibus Judici suo commendatus occurrat, & remissionem delictorum, quam meritis non obtinet, illorum intercessionibus percipiat.* Si ne id quidem possint, in Parochia humandi sunt, cui decimas persolvebant. *Quod si & hoc difficile æstimetur, ubi decimam persolvebat vivus, sepelietur mortuus.*

X. Nihildum ergo exarserat contentionis inter Ecclesias ipsas, nihil inter Clericos & Monachos, circa laicorum, maximè verò Nobilium sepulturas. Episcopi ipsi, & Episcopales Synodi in optatis habebant, ut spectatissimi quique natalibus, opulentia, vel dignitatibus, sepulcra sibi deligerent circa Cathedrales Ecclesias, vel Congregationes Religiosas. Nihil hic æmulationis, nihil contentionis servebat, ac ne suspicio quidem, nequid hinc detrimenti Parochis importaretur. Proximo Canone aperitur ejus pacis & concordiæ cardo; gratuitæ erant sepulturæ, & piaculare habebatur facinus, privatim distrahi jus, quo in commune fideles omnes potiuntur: & cœlestem ipsam gratiam non gratis annui. *Abhorrendus & Christianis omnibus devitandus mos iniquus subrepsit, sepulturam mortuis debitam sub pretio vendere, & gratiam Dei venalem facere. Ibid. Can.16.*

XI. Canone rursus proximo retegi videtur hujus inquinamenti fons in sepulturis idem, qui priùs jam sæpè indigitatus, ambitiosa quædam fidelium pietas, ut in Ecclesia humarentur. Consecrari videbantur & albo Cœlitum inscribi, qui in Ecclesiis tumulabantur, cum ex Canonicis institutis id consequi non possent, nisi qui summæ pietatis experimentis vitam commendassent. Vetantur hic ergo omnino Laici in Ecclesiis condi, nec Theodulphi tamen exceptiones rejiciuntur, cum ejus statutum superiùs relatum, *mirabilis Doctoris* nomine inseratur. *Secundùm Statuta Sanctorum Patrum & experimenta miraculorum prohibemus & præcipimus, ut deinceps nullus laicus in Ecclesia sepeliatur. Quidam mirabilis Doctor nostræ definitioni consentiens, inquit Nemo, &c. Can.17.* His attexitur Decretum Theodulphi, & mox historia ex Gregorii Magni Dialogis decerpta de Ecclesiæ Mediolanensis Defensore, quem in Ecclesia tumulatum, noctu dæmones inde abstraxere. Ex quo infert Gregorius novo damnationis cumulo gravari viros nefarios, si se in Ecclesiis humari curent. *Ex qua re colligendum est, quia si quos peccata gravia deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciunt, restat, ut etiam de sua præsumptione judicentur; quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset.* Addit Concilium meritò consternari nos hoc exemplo debere, ut ne quasi in ejusmodi calamitates non præcipites demus.

XII. Ex hoc autem loco colligi videtur, liberum Laicis in Italia fuisse, ut sepulturam sibi in Ecclesia deligerent; cum in Gallia non alii in ea sepelirentur, quàm quorum Episcopus mores, vel Parochus ad examen vocasset. Itaque in Italia Laici suo judicio singuli permittebantur, ut ipsimet dignoscerent, an tumulo sibi in Ecclesia designato, novas sibi damnationis pœnas accumularent: in Gallia eas judicandi partes Episcopi & Presbyteri sustinebant. Percontantibus Bulgaris, an fas sit Christianos in Ecclesia sepeliri, responsum est à Nicolao I. Papa, convenienter doctrinæ Gregorii Magni, & modò relatæ consuetudini Italiæ, Fidelibus & piis conducibile esse eo quiescere loco, ubi participatione aliqua precum, quæ ibi fiunt, recreentur; at impios vel hinc extimescere debere graviorem damnationis pœnam. En ipsa ejus verba: *Si est Christianus intra Ecclesiam sepeliendus, inquiritis? Hanc Sanctus Papa Gregorius quæstionem absolvit, dicens, cum gravia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur; quod eorum proximi quoties ad eadem sacra loca conveniunt, suorum, quorum sepulchra aspiciunt, recordantur, & pro eis domino preces fundunt. Nam quos peccata gravia deprimunt, non ad absolutionem potiùs, quàm ad majorem damnationis cumulum eorum corpora in Ecclesiis ponuntur.* Ubi perspicis hoc rursus discrimine dissensisse Italos à Gallis, quòd in Italia utiliter sepeliri in Ecclesia eos omnes confiderent, qui Christianæ pietatis sectatores fidi fuissent, nec ab ea prorsus descivissent: cum in Galliis nefas esset quemquam à Parochis & Episcopis permitti in Ecclesia humari, nisi singulari quadam sanctitate præcelluisset.

XIII. Rem hanc totam non pœnitebit illustrasse

se ex historia Bedæ. Narrat enim ille, Augustini Anglorum Apostoli corpus post ejus obitum *juxta Ecclesiam* depositum fuisse, non in Ecclesia. At cum primùm perfecta & absoluta ea fuit, eò delatum illud fuisse, & in porticu positum Septentrionali: *In porticu ejus Aquilonari decenter sepultus est. L.2. c.3.* In eadem porticu reliquis deinceps omnibus Archiepiscopis Cantuariensibus tumuli adsignati sunt, duobus exceptis, qui in Ecclesia tumulati sunt, quòd vacuus jam non superesset in porticu locus. *In qua etiam sequentium omnium Archiepiscoporum sunt corpora tumulata, præter duorum tantummodo, quorum corpora in ipsa Ecclesia posita sunt eo, quod prædicta porticus plura capere nequivit.* Hinc perspicis, quæ in porticibus his corpora terræ mandabantur, in Ecclesiis mandari non esse visa; & visa rursus suo quodam modo in Ecclesiis sepeliri, quòd ab Ecclesia in porticus aditus esset. Hic quasi medius & temperatus interjectus est mos sepeliendi juxta Ecclesiam, ut gradatim in Ecclesia tumulari ipsa aliqui permitterentur.

XIV. Si porticum autem Septentrionalem sejungat Beda ab aliis, id ex eo ortum suspicamur, quòd vestibulum Ecclesiæ plerumque pluribus constaret porticibus. Is erat Romæ *Paradisus Ecclesię*, Gallis *Ecclesia parvisium*. Author est Anastasius Bibliothecarius Domnum Papam curasse, ut marmore sterneretur atrium, seu quatuor porticus vestibuli Ecclesiæ Sancti Petri Romæ. *Hic atrium B. Petri superius, quod est ante Ecclesiam, in quadriporticum magnis marmoribus stravit. L.4. c.35.* Affirmat Aimoinus hoc atrium Ecclesiæ Paradisum dictum fuisse. *Locum qui Paradisus dicitur, ante Ecclesiam Sancti Petri* Roma manasse hanc vocem tradit Leo Ostiensis: *Fecit & atrium ante Ecclesiam, quod nos Romana consuetudine Paradisum dicimus. Chron. Cass. L.3. c.26.*

Ubi ergo licere cœpit in vestibulo, vel porticibus sepeliri Ecclesiæ, de his nimirum paradisis, vel parvisiis sermo erat. Unde & Ottonem II. Imperatorem tradit idem Leo Ostiensis in atrio, seu paradiso Ecclesiæ Sancti Petri sepultum fuisse. *Romam rediens defunctus est, atque in atrio Ecclesiæ B. Petri Apostoli sepultus, introeuntibus in Ecclesia ipsius paradisum ad lævam. L.2. c.9.* Et alibi: *Roberti Duris uxor vita excedens, in Ecclesia paradiso, ante Basilicam B. Petri Apostoli tumulari oravit. L.4. c.8.* Hic enimvero paradisus quasi terrenus habebatur, ceu vestibulum, quo in cœlum trajiceremur.

XV. In Jure Orientali Leanclavii, *tom.1. p.323. 324.*, A' Cabasila Dirracheno Archiepiscopo à proposita quæstione, an æquo animo ferendum sit Christianos Græcos in Latinorum, Latinos in Græcorum Ecclesiis sepeliri, & tum psalmodiam, tum reliquam pompam utriusque gentis promiscuo agmine celebrari: Respondet Joannes Citrius Episcopus, duplici tantùm in capite utramque dissidere Ecclesiam, quorum alterum ad Spiritum Sanctum pertineat, & majoris omnino momenti sit: alterum ad Azyma, quæ non adeo magni ponderis controversia est; nil præjudicii & damni emergere posse ex hac sepulturarum, psalmodiæ & rituum communione promiscua, cum in his quidem Ecclesiæ prorsus concordent, consentiantque in eandem fidem. Si hinc autem offendantur Græci, qui se solos autumant orthodoxos esse, rursus illis recolendum esse, Sanctorum Martyrum reliquias persæpè abjectas fuisse inter jumentorum cadavera, vel in loca quædam inquinatissima, nec inde tamen vel tantillum sordidari potuisse; Hæreticorum quorundam, vel gentilium Imperatorum corpora, putà Juliani Apostatæ, in Ecclesiis condita fuisse; nulla hinc vel cadaveribus sanctimonia, vel Ecclesiis affricata contage. Denique in Ecclesiis Latinorum Cruces & Imagines Sanctorum venerationi esse, ideoque & ea loca sancta haberi debere.

Hinc facilè concluderetur, frequentissimas fuisse Orientalium in ipsis Ecclesiis sepulturas, Et Balsamon tamen in responsionibus ad interrogationes Marci Patriarchæ Alexandrini, segregat Ecclesias quæ solemni consecratione dedicatæ fuere ab Episcopo cum chrismate & Reliquiis Martyrum; illas, inquam, segregat Ecclesias ab Oratoriis, quæ non ita consecrata fuere. In his Oratoriis sepulturas fieri approbat, non in Ecclesiis dedicatis, juxta Legem illam in Basilicis, *Nullus in Ecclesia sepeliatur mortuus.* Et juxta antiquum Decretum: *Non licet quemquam sepelire in Ecclesia, ubi scilicet corpus Martyris depositum est. Ibid. p.382. Interrog.38.* Qua distinctione elevatur difficultas, & diluitur suspicio conflictationis inter duas illas responsiones. Addi posset, & visam esse in Ecclesia sepulturam, quæ fiebat in atrio Ecclesiæ, vel ejus porticibus.

Aliam Leo Sapiens Imperator quæstionem proponit, & diluit, *Constit.53.*, de antiquissima Romanorum lege, quæ & intra Urbis pomœria humari quemquam prohibebat. Consuetudinem novam approbat Leo, quæ eam legem antiquaverat, ejusque mutationis duplicem depromit rationem. Altera petitur ex inhumanitate arcendi, vel ipsa hominum monumenta à conspectu eorum, quibus fuere charissimi. Altera à penuria vulgi, cui gravis est sumptus corporum aliò deportandorum.

XVI. An ergo, inquies, sumptus exequiarum faciebant privati, quantumvis pauperes? Ita quidem inde colligeretur. Sed alibi tamen, *Constit.12.*, idem Leo pietatem Constantini Magni vehementer commendat, qui Officinarum complurium reditus Ecclesiæ contulit in impensas funerum gratis faciendorum. Additas ait Len & Officinas his postea alias, jam centum supra mille eas numerari. Sed non silet tamen ille jamdiu esse, quod Ecclesia Constantinopolitana proventus illos in alios pios usus transtulit; quòd jam minimè necesse esset eas expendi juxta priorem Constantini voluntatem; ideoque non gravatè à se confirmatam lege esse contrariam consuetudinem, in harum Officinarum reditibus consumendis.

Ex his illud efficitur, funerum sumptus fecisse quidem pauperes ipsos, & privatos quosque, sed tam modicos eos fuisse, ut & maximè inopes his pares essent. Planum est enim, si quæ fuissent pauperum querelæ de gravibus funerum expensis: tum verò Leonem hunc Imperatorem sanciturum fuisse, ut illarum reditus officinarum rursus gratuitis addicerentur exequiis, pro voto & voluntate Constantini Magni.

CAPUT LXVIII. *P.4. l.3. c.16.*

De oblationibus pro sepulturis. De simonia in funeribus post annum Christi millesimum.

I. Tria magni momenti capita. Nihil exigi potuisse pro sepulturis, spontaneas oblationes recusatas non esse, laudabiles consuetudines mordicus retineri.

II. Duo priora capita constabiliuntur ex Conciliis sæculi undecimi.

III. De laudabilibus consuetudinibus.

IV. Qui alibi sepeliebantur, & ibi aliquid largiebantur, dent sui jubebantur partem Parochiæ conferre.

V. Ne

V. Ne qui in Ecclesia tumulentur. Spontanea etiam eleemosyna portio ad Ecclesiam revocatur.

VI. Contextio Conciliorum saculi duodecimi.

VII. Quoad jus Decretalium, Tertia aut quarta pars oblationum funeris, & legatorum piorum, Parochiali integra vendicatur Ecclesia.

VIII. Contextio & series saculorum & Conciliorum sequentium usque ad Tridentinum.

IX. Statuta varia Tridentina, & Conciliorum Mediolanensium circa sepulturas.

X. De magnificentia tumulorum supra pavimentum assurgentium, clementiùs ab aliis tolerata, expuncta ab aliis sapientiùs.

XI. De horum pietate, ut velint, de aliorum verecundia & religione, ut abstineant se, nec ausint in Ecclesia tumulari.

XII. Decreta longè pulcherrima variorum Gallia Conciliorum de sepulturis.

I. SEpeliri mortuos religiosæ pietatis semper fuit, eoque Clerici potissimùm officio tenebantur, ideoque nec simoniacæ pactionis quidquam intervenire unquam passi sunt Sancti Patres, quanquam & spontaneę non recusarentur proximorum vel amicorum oblationes, & hinc laudabiles inolescerent consuetudines, quæ non facilè deinceps aboleri sinerentur. Tria hæc sunt, quæ hoc capite illustrare adgredimur. 1. A' Clericis Parochisque administratas esse sepulturas sine pactione aut exactione quavis. 2. Nec repudiata tamen fuisse spontaneæ pietatis dona. 3. Edita fuisse Decreta & Synodica Statuta, nec laudabiles exolescerent consuetudines.

II. Trium horum duo priora perspicuè exprimit Concilium Ravennas anno 997. sub Gerberto Archiepiscopo, qui Pontifex post creatus Sedis Apostolicæ, Sylvester II. dictus est. *Et si quis sacri Ordinis de sepultura mortuorum aliquid acceperit, nisi fortè qua sponte ab amicis, vel propinquis mortuorum Ecclesia fuerint collata, hac maledictione teneantur obnoxii.* Can.3. Concilium Bituricense anno 1031. uno & eodem Canone constringit & detestatur exactiones quascumque pro Baptismo, pro pœnitentia, pro sepulturis. *Nullus pretium pro Baptismo, neque pro pœnitentia danda, neque pro sepultura accipiat, nisi quod fideles sponte dare, vel offerre voluerint.* Can.12. Concilium Lemovicense ejusdem anni, audita narratione Episcopi Cadurcensis, de viro nobili, antè vita, quàm excommunicatione soluti, contumacioribus ab aliis Nobilibus in Cœmeterio humati, inde noctu mira quadam & divina vi excussi, & longiùs ejecti, cum terra nusquam discissa esset: eoque & hominum flagitio & cælesti ostento quinquies iterato; his inquam auditis Concilium pronuntiavit, arcano quodam nexu hærere sepulturam cum Eucharistica communione, & cum communione Ecclesiæ, cujus qui exortes sunt, ii & à sepultura arcentur: hisque Catholicæ disciplinæ placitis fidem & authoritatem conciliari novis his & miris eventis. *Arbiter omnium affirmat Ecclesia sua authoritatem, quia excommunicati à sepultura Christianorum justè ab Episcopis segregantur.* Vendi igitur sepulturas perinde ferè esset, ac vendi communionem, & participationem precum Ecclesiæ, qua fideles in Christo mortui potiuntur, ut rivulo quodam gratiarum, à suo cum Christo & Ecclesia communione defluente.

III. Eodem pene ipso tempore Angliæ, Daniæ & Norvegiæ Rex Canutus leges promulgavit Ecclesiasticas, quibus Canones & usus Ecclesiæ sacros muniret; ita autem singulari studio vallavit laudabiles sepulturarum consuetudines; statuto, ut cum primùm proscindi terra inciperet, offerretur usitatum pecuniæ donum, idque ad Parochiam mortui deferretur, etsi procul ab ea eum contigisset fato suo fungi. *Porro autem aquum est; ut effosso tumulo ipsa protinus numeretur pecunia sepulcralis. Atque si quis extra Parochia sua fines mortuum humarit aliquem, ipsa nihilo secius pecunia sepulcralis, Ecclesia, ad quam jure pertinet, redditur.* Cap.13. Minus deceret Parochum id quidquid erat pecuniæ exigere. At Principi consentaneum erat Canonum vindici, altiùs consulere, ne Christianæ pietatis laudabiles consuetudines hominum incuria abolescerent.

IV. Consentit omnino Canuti statuto Regio Leonis IX. Epistola ad Episcopos Italiæ scripta; sed & aliquantò longius progreditur. Gravissimè enim objurgatis Monachis, qui immodica terrenarum rerum cupiditate incensi, blandiebantur viris sæcularibus, insusurrabantque, ut quidquid erant pro sempiterna animæ suæ salute erogaturi, sive superstites, sive mors appeteret, id totum Monasterio suo contraderent; nec ullam ejus largitionis partem defluere vellent in Ecclesiam Parochialem, ubi sacro fonte initiati, ubi pœnitentiæ expiati fuissent Sacramento, ubi Eucharistiæ cœlesti epulo pasti, ubi verbo veritatis irrigati tandiu: Mox Pontifex præcipit, ut qui se Claustris addicent Monasticis, sive vitam in iis ut traducant, sive mortem obituri, Parochiæ primùm suæ dimidium largiantur ejus substantiæ, quam eleemosynis dicaverunt, & tum demum in potestate habeant sese cum suis residuis bonis in Cœnobium aliquod abdere, totosque Deo devovere. *Ideoque præcipimus atque jubemus, ut quicumque amodo in Monasterio se converti voluerit, sive in vita, sive in morte, omnium rerum ac possessionum, quas pro salute anima suę disponi decreverit, medietatem Ecclesia, cui ipse pertinere dignoscitur, relinquat; & sic demum in Monasterio, prout libitum sibi fuerit, eundi convertendique habeat licentiam.* Epist.8. Hujus Decreti transgressoribus anathema intentatur. Cum professione Monastica mortales sæculo mori existimarentur, & non pauci tum ea illigari & quasi consecrari se percuperent, cum adventantis mortis jam hora appeteret: noluit Pontifex pios fideles, & pauperibus levandis addictos, immemores esse Pastorum suorum, nec nullo grati animi testimonio suam consignare in eos pietatem, à quibus & primùm in Christo geniti essent, & spiritalia deinceps vitæ subsidia omnia & incrementa accepissent. Nec ille quidem cogit largiri quidvis; sed si elargiri ultro velint, huic eorum voluntati modum finemque præscribit Christianæ pietati consentaneum. Nec abludit supra laudata Canuti Regis Constitutio, ab hac sepulturæ extra Parochiam propriam observantia.

V. Tanquam ex Vintoniensi Concilio refertur hic Canon, ad annum 1076. *ut in Ecclesiis corpora defunctorum non sepeliantur.* Can.9. Multa suadebant, ita statui: at præ cæteris simoniæ inquinamenta fugienda, & fuganda erant. Nec enim tam frequentia manassent de gratuitis sepulturis decreta, si fideles omnes vulgari, eidemque sanctissimæ acquievissent in Cœmeteriis sepulturæ, ubi una omnes resurrectionis spe communi foverentur: tanto etiam uberius ęquiusque, quod procul fuissent ab inani illa & profana ostentatione, quæ ex ipso putrescentis cadaveris fœtore singularem gloriam aucupatur. Hæc & Paschalis Papa complexus est in Epistola ad Episcopum Augustodunensem. Vetuit quidvis exigi ex loco sepulturæ. Ex loco, ut opinor, honorificentiore, quàm in Cœmeteriis. Præcipit præterea Pontifex, sive intra, sive extra limites suæ quisque Parochiæ extremum diem obeat, Canonicam portionem eleemosynarum Parochiali Ecclesiæ suæ persolvendam esse. *Statuimus, ut pro sepultura quidem loco, vel spatio nullum pe-*

nitus ab aliquo pretium exigatur. Pro redemptione verò peccatorum, morientes in Ecclesia, in qua fidei sacramenta acceperint, eleemosynam dare secundùm Apostolica decreta statuimus omnino & confirmamus. Si quis autem ad alia vivens, sive moriens se conferre voluerit, de eo, quod pro salute animæ suæ dare disposuerit, secundùm Apostolica decreta matrici Ecclesiæ partem relinquat. Ep.38.

Hac porro Constitutione, peræquè ut illa Leonis IX. comprehenduntur donationes illæ omnes liberæ, in professionibus Monasticis usitatissimæ; & harum enim aliqua portio decerpitur Ecclesiis Matricibus, sive Cathedrales eæ sint, sive Parochiales. Cum enim hæc in Monastica professione dona, eleemosynæ meræ haberentur, *eleemosynam dare*; cum omnino liberæ essent, *quod dare disposuerit*: cum necdum spectarentur, ut pensiones quædam alimentariæ, in quo major jam species justitiæ, & necessitatis imago sublucet; hic plus sibi sumebant summi Ecclesiarum Pastores in earum distributione regenda, ac moderanda. Satis enim superque tota hac lucubratione nostra patefecimus, jam inde à nascentis Ecclesiæ principio penes Episcopos fuisse jus quoddam summum in Eleemosynis fidelium dispensandis; quod & ipsi sibi fideles gratissimum esse significabant, tanquam ex incolumi adhuc instinctu illo primigenio Christianorum, dona sua ad pedes Apostolorum abjicientium, pretiaque divenditorum agrorum; ut qui essent persuasissimi, & sapientius & sanctius Apostolorum judicio & manu Beneficia hæc sua collocari.

VI. In Concilio Londinensi anni 1102. vetitum est corpora mortuorum efferri extra Parochiam, ad Parochos suos jure defraudandos. Præerat ei Concilio is, cujus integritas, ne dicam indeflexa austeritas, à nemine sobrio in controversiam vocari potest, Anselmus Episcopus Cantuariensis. *Ne corpora defunctorum extra Parochiam suam sepelienda portentur, ut Presbyter Parochiæ perdat, quod illi inde justè debetur.* Can.25. Erant ergo jura æquissima, quibus citra piaculum frustrari non possent Parochi, quamvis ipsi quidem nihil exigerent. Piæ & laudatissimæ erant consuetudines, quas ultro invexerant, diutissiméque sponte sua confirmaverant fideles: à quin pietatis postea tenore eos degenerare molestissimè ferebant Episcopi, ne charitas his fomentis destituta, penitus aliquando refrigesceret. Lubens prætereo Decreta Pontificum, & Canones complures Conciliorum, quæ exigi quidvis vetant; Concilium Remense sub Leone IX. Placentinum, & Claromontanum sub Urbano II. Remense iterum sub Calisto II. Lateranense sub Innocentio II. Remense denuo sub Eugenio III. Turonense & Lateranense sub Alexandro III. Lateranense denique sub Innocentio III.

In Appendice Decretalium post Concilium Lateranense conglobatarum sub Alexandro III. anno 1179. innexa est Constitutio Paschalis II. qua integrum cuique vult esse, quo sepulturam sibi loco optet, etiam in Ecclesiis Monasteriorum. Nec non & altera Leonis III. qua sancitur ut ad eam Ecclesiam, in qua quisque cœlestibus sacramentis munitus fuerit, tertia pars redeat piarum largitionum, etsi qui alibi tumulari se mandent. *Tertiam partem judicii sui illi Ecclesiæ censemus jure dari, in qua cœlesti pabulo à principio sui exordii refectus cognoscitur.* Part.43. c.1.2. Prohibetur differri sepulturam, dum sua Parochus jura acceperit. Quod ipsum prohibetur & in Constitutionibus Odonis de Soliaco Episcopi Parisiensis, quibus tamen annuitur, ut post impletas exequias, laudabiles exigantur consuetudines. *Ne sepeliri differatur, sed post sepulturam exigant laudabiles consuetudines. Idem dicimus de similibus.*

Decreto suo illigavit Gratianus illud Gregorii Magni ad Archiepiscopum Calaritanum, quo initio Pontificatus proscripta à se testatur dehonestamenta omnia simoniacæ sepulturæ: annuit tamen spontaneas oblationes; qua occasione cum rursus exactiones gliscerent, has rursus ille interdixit: *Sed si quando aliquem in Ecclesia vestra sepeliri conceditis, si quidem parentes ipsius proximi vel heredes pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipi non vetamus. Peti verò aliquid, aut exigi omnino prohibemus.* 13. q.2. c.12. 13. 14. 15. Addit & illud Hieronymi Gratianus prolato ante Abrahami exemplo, cui gratis Sichimitæ sepulturæ jus conferre maluerunt ipsi quidem: *Sciant qui sepulchra vendunt, nec rogantur ut accipiant pretium, sed à nolentibus quoque extorquent.* Addit & ille Canonem Concilii Triburiensis: *Interdictum sit omnibus Christianis terram mortuis vendere, & debitam sepulturam denegare; nisi fortè proximi & amici defuncti gratis aliquid dare velint.* Ac denique profertur à Gratiano Concilii Nannetensis Canon, quo sepulturæ in vestibulo tantùm, vel in porticibus, non in ipsa Ecclesia permittuntur: prohibeturque quidvis exigi. *De hominibus sepeliendis nihil muneris exigant, nisi fortè qui sepelitur, vivens jusserit Ecclesiæ in cujus atrio sepelitur, aliquid de suis rebus tribuere. Tamen nullatenus à Presbyteris illius Ecclesiæ aliquid exigatur. Prohibendum est etiam, secundùm Majorum instituta, ut in Ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in portica, aut in exedris Ecclesiæ. Intra Ecclesiam verò & prope Altare, ubi corpus, & sanguis Domini conficitur, nullatenus sepeliantur.*

Duo sunt, quæ observari æquum sit in hæc Gratiani testimonia. Primum est, has sive spontaneas oblationes, sive extorsiones simoniacas, eò plurimum spectasse, ut honoratior, & altari propior sepulturæ locus impetraretur. Ideo Concilio Nannetensi placuit, ut juxta Ecclesiam condi se, vel in vestibulo, aut in porticibus Ecclesiæ mallent. Alterum est, omnes omnino exactiones proscribi, ad honoratiores etiam bas sepulturas, nulla adhuc mentione laudabilium consuetudinum.

VII. Nec ferè Gregoriani Decretalium libri, nisi voluntarias memorant oblationes, quarum ibi delineatur facienda partitio inter Parochialem Ecclesiam, & illas alias, ubi se quis elegit inhumari. Leo III. tertiam partem Parochiæ adjudicat. *Tertiam partem dari censemus.* At si quis in Cœnobium secedat, sive dum integra est valetudine, sive imminente jam extremo die, pars dimidia spontanearum oblationum Parochiæ adjudicatur. Verba ipsa superius adscripsi. Ei legi derogavit Alexander III. quoad spontaneas oblationes profitentium in Cœnobiis, dum viribus & animo vigent. Plena enim illos vult, liberaque potestate uti, quæ volent largiendi Cœnobiis, nec inde quidquam decerpendi, quod Parochiæ prosit. At si afflicta jam valetudine, & ægri, veste induantur Monastica, in qua vitam non ducant, sed animam agant, tum spontanearum portio Canonica oblationum ad Parochiales Ecclesias suo quodammodo ipsarum jure devolvenda est. *Si in ægritudine ipsa ad Religionem transeant, dummodo de ægritudine illa decedant, de bonis suis ipsis Ecclesiis de quibus assumpti fuerint, Canonica debet portio exhiberi. Si verò ad Religiosa loca se in sanitate transtulerint, de his, quæ locis ipsis conferunt, cogi non possunt aliquid præscriptis Ecclesiis impertiri, quia liberum est tunc bona sua non solùm Religiosis, sed etiam quibuslibet privatis conferre personis.* Extra. De Sepul. c.1. 2. 4. 8. 9.

Alteri rursus ejusdem Leonis III. Decreti Capiti à Lucio Papa derogatum est, quarta tantùm parte

Pa-

Parochiis adjudicata spontanearum oblationum, Testamentariarum, ubi in aliena quis Parochia eligit sepulturam. *Quarta vobis portio relinquatur.* Fuere qui Clementem III. percontarentur de hac conflictatione & pugna Decretorum Leonis III. & Lucii III. vel Urbani II. Quod enim plerique Lucio III. tribuunt, hoc Clemens III. vendicat Urbano II. Responsum est autem à Clemente, in hac discrepantia quartæ, tertiæ & dimidiæ partis, suæ quemque Ecclesiæ usum consectari debere. *Unaquaque Provincia in suo sensu abundet, secundùm rationabilem consuetudinem regionis, illa justitia medietatem, vel tertiam, aut quartam partem pro locorum diversitatibus attendatur.* Rursum Clemens V. dum componere satagit exortas dissensiones inter Parochos, & tum Dominicanos, tum Franciscanos, constituit ut ab his Parochiali Ecclesiæ concederetur quarta pars exequialium oblationum, & legatorum piorum. *De obventionibus tam funeralibus, quàm quibuscumque & quomodocumque relictis, de quibus etiam quarta seu canonica portio dari seu exigi non consuevit, vel non debet de jure: nec non de datis, vel qualitercumque donatis in morte seu mortis articulo, de qua infirmitate decesserit, quartam partem Curatis largiri teneantur. Clem. De Sepult. c.2.*

VIII. In Concilio Campiniacensi *De Cognac.* anno 1255. vetitum est in Ecclesia sepeliri quemquam, injussu Episcopi, præter ejus fundatorem, vel Patronum, vel Parochum. *Ne corpora defunctorum in Ecclesiis sepeliantur, nisi sit fundator, vel Patronus, vel Capellanus Ecclesiæ. Can.39.* In alio Concilio ejusdem loci anno 1260. vetitum est, ne mortuorum corpora in Ecclesiam aliam efferrentur, ubi sepeliri se illi mandassent, nisi priùs in Parochialem propriam deferrentur Ecclesiam; quòd Parochi maximè testimonio opus sit, ut certò sciatur, num quo interdicti, vel excommunicationis jaculo percussus quis fuisset. *Ne Capellanus alicui portandi funus ad locum sepulturæ licentiam concedat, quousque ut moris est, ad Parochialem Ecclesiam fuerit deportatum; ut melius sciatur ibi, quam alibi, an defunctus interdictus vel excommunicatus existat. Can.15. 16.* Vetantur mox Parochi, ac Regulares prorsus omnes, ne cujus corpus in Ecclesiam suam admittant, nisi à proprio Parocho repræsentatum. *Cum conditiones personarum hujusmodi melius noverint proprii Capellani.* In Concilio Budensi anni 1279. placuit, *Can.46.*, ut consuetudo Archidiaconorum Hungariæ, qui marcam argenti exigebant ex omnibus, qui de industria gladio, vel veneno perempti fuissent, vel ejusmodi grassatione alia, antequam terræ mandari eos sinerent: ne extenderetur ad eos, qui fortè, vel fulmine, vel incendio, vel ruina, vel quovis id genus casu extincti essent; sed sepultura omnes Ecclesiastica gauderent, dum ante obitum fidem & pœnitentiam judicio aliquo prodidissent. Credi æquum est, hujus Concilii Patribus persuasum fuisse, per importunitatem temporum non licere sibi eam funditus abrogare consuetudinem; eoque laborandum sibi tantum censuisse in ea temperanda & circumcidenda.

In Synodo Nemausensi anno 1284. declaratum est, sepulturarum extra Parochiam propriam faciendarum, tertiam partem jurium & oblationum ad proprium Parochum revocari debere; qui verò Monastica induerentur veste, sive dum valerent, sive lecto affixi, illis liberum esse omnia Cœnobio, nil Parochiæ largiri. *Si quis in sanitate vel infirmitate, de qua non moritur, intrat aliquam Religionem se & sua reddendo, non debet Parochialis Ecclesia de bonis ipsius habere canonicam portionem.* In Synodo Cisterciensi anno 1292. prohibitum est, ne indiscriminatim omnes, qui peterent, in Ecclesia tumularentur, sed domini, Patroni, eorum conjuges, Parochi, Vicarii, & collatis beneficiis insigniores quique. *In Ecclesiis vel earum cancellis non fiat sepultura indistinctè ad cujuslibet voluntariam electionem, villarum dominis, & Patronis Ecclesiarum, & illorum uxoribus, Rectoribus etiam & Vicariis exceptis, per quos, vel per quas accreverit honor illis Ecclesiis, notabiliter & perpetuò duraturus. Cap.5.* Ex hac rursus beneficiorum exceptione serpere potuit latiùs consuetudo, non humandorum in Ecclesia, nisi eorum, qui aliquid largirentur; ac si dicas exigendi aliquid ab eis, qui ambirent hoc privilegium, ut in Ecclesia ipsa conderentur. Concilium Avenionense anni 1326. concessit, ut in Ecclesiis Regularium sepelirentur, qui vellent, dum antè in Ecclesiam Parochialem corpus deferretur, juxta receptum morem. *Salvo tamen jure portandi funus ad Parochialem Ecclesiam ex consuetudine laudabili hactenus observata.* In Concilio Vaurensi idem statutum est, si ita ferret consuetudo: *Matrici Ecclesiæ solemniter præsentetur, si hoc de consuetudine, vel de usu habeatur. Can.27.*

IX. In Concilio Tridentino constitutum est, *Sess. 25. c.13.*, ut quarta illa pars funerum, quæ primùm ad Cathedrales vel Parochiales spectaverat Ecclesias, & ante non totos quadraginta annos Monasteriis, Xenodochiis, aliisve piis locis addicta fuerat, ad easdem revocaretur Cathedrales, sive Parochiales Ecclesias, in irritum mittendis privilegiis quibuscumque contrariis. *Quarta quæ funeralium dicitur, &c. Non obstantibus privilegiis, &c.* In Concilio Narbonensi anni 1551. explosæ fuerant pactiones, exactiones, conventiones omnes ad funera, ad majores vel minores cruces: nullo hinc tamen laudabilium consuetudinum detrimento. *Pro magnis, vel parvis crucibus deferendis, &c. Tollantur conventiones, &c. Nihil transactionibus, decretis, sententiis, laudandisque quorundam locorum moribus obesse volumus. Can.41.*

In Concilio I. Mediolanensi exulare jussæ sunt exactiones & pactiones omnes; præceptum Episcopis est, ut salaria constituerent ministrorum, eorumque, qui tympana pulsant funerum: pauperes sepelirentur omnino gratis; observarentur tamen laudabiles consuetudines, earumque vindex esset Episcopus: *Piat tamen consuetudines in his servari jubemus, cujus rei Episcopus curam suscipiat:* Orationes funebres, seu encomia defunctorum è suggestu recitari vetuit idem Concilium, nisi eas Episcopus à se perlectas approbasset. *Nemini quemquam in funere laudare liceat, nisi & eum, quem laudare velit, Episcopus dignum censuerit, & laudationem scriptam antè probarit. Cap.60. 61.* Præcepit Episcopis, ut morem priscum redintegrarent sepeliendi in Cœmeteriis: *Morem restituendum curent in cœmeteriis sepeliendi.* Si quis in Ecclesia quandoque humo daretur, ne tumulus pavimento emineret. *Sepulcrum reliquo pavimento Ecclesiæ æquatum sit.* Jubet denique Concilium, hæc summoveri omnia, & superbiæ mortalium monumenta & putredinis: arma, scuta, gentilitia insignia, tam cadaverum sordibus, quàm Ecclesiæ sanctitati dissonantia; spatio trium mensium corpora ipsa altiùs in scrobes suas demergi, tumulos pavimento æquari, omnia superbiæ in ipsa morte immortalis ludibria oblitterari.

X. Fastigium denique in illud summum hominum fastus evaserat. Olim enim ipsa fidelium pietas tumulos in Ecclesia ambierat, ut & Martyrum patrocinio, & cæterorum fidelium precibus juvarentur. Pietati accessit vanitas iniquè ferentium, se cum turba fidelis vulgi in Cœmeteriis permisceri. Ubi jam vulgatissimum fuit in Ecclesiis sepeliri, suos præ aliis superbiùs assurgere tumulos

quidam volitere. Denique adjecta sunt trophæa inanissimæ gloriæ, quæ nec ipsa morte retundi potuisset, nedum extingui. His malis decreto superiori mederi annixus est B. Carolus, qui nec ipsi pepercit avunculi sui tumulo Joannis Jacobi Medequini, quamvis in Ecclesia Mediolanensi jussu Pii IV. excitatus fuisset. Et hunc enim nihilo secius complanari, & solo æquari fecit. Quascumque perlustravit Ecclesias in visitanda Diœcesi, idem servari fecit. *Cadavera in sacris locis sublimia, signaque militaria sepulcris apposita, in suis alienisque Ecclesiis, quas visitavit, sustulit, licèt clarissimorum Ducum suorum ejusmodi monumenta studiosè civitates retinere cuperent.* Suum quinque ipsius tumulum Carolus voluit æquari pavimento Ecclesiæ Mediolanensis. Nec nesciebat ille quid Regibus & Reginis peculiarius tribuendum esset. Hispanicæ enim pientissimæ Reginæ & magnificentissimum celebravit ipse funus, & illam ipsemet ex suggestu laudavit. *Vita ejus apud Sur. die 4. Nov. c. 18. Giossano L. 8. c. 4. L. 7. c. 13. L. 6. c. 13.*

Fuerant & ex antiquioribus Principibus, quos pietatis ipse Christianæ instinctus his iisdem cogitationibus & consiliis animaret. Aurelianensium Dux Caroli VI. Galliarum Regis frater, testamento vetuit, ne tumulus suus ultra quatuor digitos superaret pavimentum Ecclesiæ, utque ipse supra exhiberetur specie mortui, & in veste Cælestini Monachi. *Annot. sur la vie de Charles VI. p. 633.*

Nec me tamen præterit, etsi ea sit proprior & magis consentanea Christianæ pietati forma; potuisse Gersonio, nec soli forsan, videri, hæc ipsa, quæ sunt plerumque humanæ ostentationis inania nugamenta, posse ab aliquo ad religionis cultum retorqueri, ut ibi magnificentissimis se indui velint ornamentis, ubi resurrectionis diem expectaturi, & quasi votorum suorum silentio acceleraturi sunt. Unde Gersonius; *Præcogitu, cedunt, omnia ad honorem Dei magnificum & Ecclesiæ, tam militantis, quàm triumphantis, & ad fidem spemque resurrectionis astruendam. Gerson. Tom. 2. pag. 440.* Eo consilio existimat Gersonius potuisse oblationes fieri in Ecclesia, ad eas honorificentiores post mortem sedes impetrandas. *Sollicitudo pia conferentis temporalia potest cum bono corde eligere loca certa & honorabilia sua sepelitione, cum appensione insigniorum, seu titulorum conscriptione, juxta sui status qualitatem.*

Siquis objiciat, has ad nos funebres pompas à Gentilibus manasse: forsan non abnuet Gersonius, & ab illis fluxisse, & à nobis Christiana pietate fuisse persusas, quod & de aliis complusculis ritibus certissimum est. Lampades accendebant Ethnici in tumulis defunctorum, antequam eos undique clauderent. Quæ perridicula erat superstitio. Vuilhelmus Episcopus Andegavensis excessit è vita, & tumulo conditus est anno 1290. eodem prorsus modo, accensa in sepulcro lampade, qua, ut suspicor, designabatur, nec ipsa mortis caligine obscurari aut contenebrari posse Christianæ fidei & germanæ pietatis lucem. *Retro caput, erat quidam alveolus, in quo erat lampas cum oleo accensa, ita quod sarcophago clauso, lumen ipsius lampadis accensa intus radiabat per foveam supra corpus. Spicil. Tom. 5. pag. 252.* Quæ verba sunt Episcopi successoris. Is verò usus tum pervagatus fuisse conjicitur ex eo, quod nihil in eo funere novatum sit. Potuere hæc olim superstitiosè, postea etiam piè frequentari. Potuit & Gersonii ævo tumulorum pompa, ut in Regibus, ita & in Proceribus, Nobilibusque aliis, aliqua pietatis & religionis imagine decorari; quæ cum postea ad ineptias & ad superbiam descisceret, satius visum est eam proscribi. Nec longè à proposito in hæc deflеximus, cum has honoris sedes in Ecclesia testatum fecerit Gersonius pecunia redemptas fuisse.

XI. Nec multùm dispar ratio in delectu & voto complurium, ut in Ecclesia ipsa sepelirentur. In laude fuere, qui ea re sese abstinuere, ex pia quadam loci sacri sacrarumque rerum reverentia. Narrat Vuillelmus Malmesburiensis, Episcopum Dunhelmensem in Anglia, cum mox animam efflaturus esset, inaudisse aliquid de consilio, quod inibatur ejus in Ecclesia ea tumulandi, quam ipsemet magnificentissimam restaurare cœpisset; & confidenter intercessisse, ne id fieret, & ne sui honoris causâ infringeretur vetustissima, & pluribus sæculis jam religiosissimè observata consuetudo, ne quis etiam Episcopus in ea contumularetur Ecclesia, in qua Beatus Cuthbertus quiesceret. *Non placeat Deo, ut pro me mutetur vel minuatur domini mei Sancti Cuthberti reverentia, pro cujus honore nullus Antecessorum meorum in Ecclesia unquam humatus est. Sed in Capitulo me ponite. Pag. 277.*

Elegerat & Otto Episcopus Frisingensis, tot nobilitatis, virtutumque & doctrinæ ornamentis instructissimus, locum sepulturæ valde depressum extra Ecclesiam, ubi omnium pedibus conculcaretur. Unde Radevicus; *Extra Ecclesiam in loco humili, ubi ab omnibus fratribus calcari debuisset.* Sed post ejus mortem non placuit huic ejus mandato pareri. Audi quid referant & de Duce Normanniæ Richardo I. cujus hæc fuere jussa; *Cadaver tanti sceleris non requiescet infra aditum hujus Templi, sed ad illud ostium in stillicidio Monasterii. Scriptor. histor. Norm. pag. 157.* Ei sanè obtemperatum, sed ejus mox tumulo superstructa est Capella magnificentior, quæ Ecclesiæ continuaretur.

In his omnibus mira quædam spirabat pietas. Huic autem in Ecclesias reverentiæ non immeritò accedet transactio anno 1093. facta Tolosæ inter Ecclesias & Capitula Sancti Stephani & Sancti Saturnini, sequestres & mediatores se agentibus Episcopis Tolosano, Aginnensi & Carcassonensi. Ea conventum est, ut Episcopi, Comites, Equites, eorum conjuges & liberi sepelirentur in Sancti Saturnini, cæteri omnes in Sancti Stephani Cœmeterio. Author est Catellus, *des Comtes de Toulouse pag. 125.*, hoc Sancti Saturnini Cœmeterium vocari etiamnunc Cœmeterium Nobilium. Ea tum restabant antiquissimæ in Ecclesias pietatis & reverentiæ vestigia, & in Martyrum sepulcra, quibus illæ consecrabantur, & quibus propiùs accedere religio erat. Qui ex adverso propiùs admoveri se experiere ad thecas Martyrum, ceu ad rivulos quosdam exundantes cælestis sanctitudinis, & ad divinam similiter illam Hostiam, è qua martyrium omne derivatum est, nec mediocres & ipsi laudes assecuti sunt, suis in has Ecclesias donis.

XII. His non infructuosè, ut spero, observatis, ad Conciliorum & Decretorum seriem pertexendam revocanda jam oratio est. Bene multa publicata sunt in Concilio Mediolanensi IV. *Cap. 12.* Decreta, ad avaritiam Clericorum circumscribendam in funerum exactionibus. Concilio Toletano anno 1566. placuit, *Can. 9.*, ut quæ aliquibus Diœcesibus solvebatur pecunia ad effodiendam primò terram, addiceretur Fabricæ, tum Cathedralis Ecclesiæ, tum ejus in qua fieret sepultura. In Concilio Mechliniensi anni 1570. vetitum est quidquam exigi ante absolutionem & perfectionem funeris: tum enim conceditur laudabiles exigi consuetudines. *Officiis peractis juridicè exigant, quod ex laudabili consuetudine solvi consuevit. Can. 12.* Quod idem confirmatum est anno 1581. in Concilio Rotomagensi: *Contra hæredes ex laudabili consuetudine sepulturam agat, postquam sepulturæ officia impenderit; quos ad solutionem via juris compellat, nisi paupertas obstiterit. De Curat. offic. n. 30. 31.*

Sed

Sed non pauca alia in hoc Concilio constituta sunt, quibus mirificè confirmentur, quæ hactenus disputata sunt, ideoque præteriri hic minimè debeant. Placuit enim ne omnes promiscuè in Ecclesia humentur, & ne divites quidem, ne qui religiosus honos est, iis divitiis impendatur: sed ea vendicetur prærogativa Clericis, qui Spiritûs Sancti specialiùs & templa sunt, & oracula; præstantioribus dignitate viris, quos ministros Deus suos esse voluerit; denique nobilitate vel virtute valde conspicuis, quòd ea sint quædam divinæ amplitudinis lumina ad nos delapsa. *Non adeo promiscuè, ut nunc fit, mortui sepeliantur in Ecclesiis, ac ne quidem ditiores, ne is honor detur pecuniis potius, quàm gratiis Spiritûs Sancti: sed hoc servetur Deo sacratis specialiter hominibus eo, quod præ aliis eorum corpora templa sint Christi & Spiritûs Sancti; & aliis in sublimitate & dignitate tam Ecclesiastica, quàm sæculari constitutis, quandoquidem & isti Dei ministri sunt, atque organa Spiritûs Sancti; aliis insuper, qui nobilitate vel virtutibus & meritis erga Deum & Rempublicam fulgent. Cæteri religiosè in Cœmeteriis sepulturæ tradantur.* Additur denique non omnibus passim laudes funebres dicendas esse, sed iis, quorum memoriam jure meritissimo charissima esse debeat Ecclesiæ. In Concilio Remensi anno 1583. pleraque hæc decreta innovata sunt, mediocri ut oblatione contenti essent Parochi; supervacaneas expensas circumcidi curarent, & in pauperes potiùs effundi; gratis & honestè pauperes humarent, alioqui pro Episcopi arbitrio pœnas daturi; ne facilè quisquam in Ecclesiis sepeliretur; ne supra pavimentum Ecclesiæ extarent tumuli, & nec statuis, nec vexillis, nec trophæis insignirentur. *Non liceat tumulos ipsa humo altiores erigere; nec ibi cuiquam statuas, aut vexilla militaria, vel trophæa ponere. C. de Sepult.* Ne laudarentur è suggestu nisi eminentissimæ sorti viri, & ad cohortandos potiùs fideles, ut pro eis orent, quàm ad eorum laudes celebrandas. *Quæ ad pietatem & preces pro mortuis faciendas spectent potius, quàm defunctorum enarrandis laudibus insumantur.*

In Concilio Burdigalensi anni ejusdem 1583. placuit, *Cap.30.*, condi in Ecclesiis juxta Canones non debere nisi Presbyteros, Clericos majores, Regulares, Patronos: cæterorum quantacumque effulgescat nobilitas, vel virtus, assensu Episcopi opus esse. Eodem anno idem statutum est in Concilio Turonensi, à quo & ea ratio deprompta est: Cum sepulturæ jus decusque spiritale sit, & Ecclesiasticum, Laicos ejus exortes, adeoque & Nobiles ipsos esse; *Laicis omnibus, etiam Nobilibus minimè liceat sepulturas in Ecclesiis jure proprio sibi vendicare; cum sepultura sit propriè & merè jus spiritale & Ecclesiasticum. Cap.18.* In Concilio Bituricensi anno 1584. statutum est, si quis fidelium extra Parochialem Ecclesiam suam sepeliri se testamento juberet, corpus ejus Parochus proprius domo efferret, inferretque in Ecclesiam, quam delegisset, quarta sibi parte funerum servata, aliarumque oblationum consuetudine confirmatarum. *Salvo ipsius Parochi jure, tum in quarta funeraria, tum in aliis, quæ jure, consuetudine, aut dispositione testatoris illi debentur. De Cœmet. c.10. 19.* Vetitum est in hoc eodem Concilio, nequi tumuli altiores excitarentur, maximè in sacrario, nisi Antistitum, Regum, Principumque: aut certè si aliorum quorumvis, nonnisi permittente Episcopo, & justis de causis. *Non altius erigantur tumuli in Ecclesiis, in Choro præsertim, ni fortè Prælatorum, Regum & Principum. Cæteris id non liceat sine authoritate Episcopi cum causa cognitione.*

Concilium Aquense anno 1585. funebres Orationes pronunciari prohibuit, nisi permisisset Episcopus, & eas ipsemet examinasset: concesso tamen, ut Concio haberetur, qua excitarentur fideles ad religiosam ex ipsius mortis contemplatione pietatem. Concilium Tolosanum anno 1590. idem decretum confirmavit, addiditque, ubi prohiberi omninò non posset, ne Magnatis alicujus supra pavimentum Ecclesiæ tumulus emineret: saltem ne supra altare ipsum emineret, & nec emblemata illi, nec inscriptiones accederent ullæ, nisi quas vel Episcopus, vel Archidiaconus, vel Parochus approbasset. *Can.10.* Quod Decretum rursus à Concilio Narbonensi anno 1609. confirmatum est. *Cap.24.* Concilium Burdigalense anno 1624. Episcopo uni servatum voluit, *Cap.20.*, jus annuendæ in Ecclesia sepulturæ, Episcoposque commonuit, ut ne eo privilegio nisi rarissimè hæredes, familiasque donarent: longe rarius autem intra Cancellos, & prope altare. Prohibiti sunt & Regulares, ne corpora defunctorum ipsi è domibus eorum efferrent, neve stola extra Monasteria sua uterentur. Finem faciet huic Capiti Conventus Cleri Gallicani apud Melodunum anno 1579. luculento hoc judicio suo de vanis tumulorum ornamentis, quibus fidelium plerumque pietas offenditur, certè sola pascitur curiositas, ubi minimè decet. *Piorum omnium esto Pastorum judicare, an ferenda sit nostri temporis insolentia sepulcrorum, in quibus putrida corpora, nisi sint Regum aut Principum, tanquam sanctorum Reliquiæ, excelso, ornato, & splendido loco in Ecclesiis collocantur; non sine armorum vexillorum, & trophæorum maxima copia; quæ omnia amovenda potius, quam diutius asservanda, piorum fere omnium videntur judicio.*

CAPUT LXIX. *P.2. l.3. c.12.*

De Simonia multiplici alia in Occidente, ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. Contextio quæstionum hic tractandarum.

II. Ne quid exigatur pro Baptismo, Confirmatione, Chrismate, Conjugiis Clericorum.

III. Non abnuit Augustinus, quin oblationes recipiantur, etiam pecuniaria, pro celebrando sacrificio.

IV. Nihil exigi fas pro dedicatione Ecclesiarum.

V. Nihil exigi licet pro prædicatione.

VI. Quo animo Concionatores ali se patiantur.

VII. Nihil exigi potest pro judiciis causarum.

VIII. Exempla varia, ac quid muneris admittatur.

IX. Vetat Gregorius quidquam Romæ exigi, pro Pallio, pro literis Apostolicis, pro Epalo. Ea decreta à successoribus ejus confirmata.

I. POstquam verba fecimus de simonia in Ordinibus, & in Dignitatibus Ecclesiasticis emercandis, in professione Religiosa, & in sepulturis: jam delabemur ad alias multiformis hujus vitii species, quot res sacræ sunt, tot in profanas se formas induentis.

II. In Concilio Eliberitano prohibitum fuerat, ne quid pro Baptismo daretur, quo tunc decreto forsan & Confirmatio, & Eucharistia continebatur, ut quæ rarius sejungerentur tunc sacramenta. *Hi qui baptizantur, ut fieri solebat, nummos in concham non mittant, ut Sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur. Can.4.* Dona quoque spontanea hoc Concilio rejecta sunt. Quàm

non

non ei Canoni obtemperatum sit, declarat Concilium Braccarense II. ubi sordidissimæ imputat Clericorum avaritiæ, quod pauperes pigritentur, ne filios suos ad baptismum admoveant; ita ex damno animarum vilissima lucra captari; hinc prohibetur quidquam in posterum exigi pro baptismo, quamvis spontanea dona non abjiciantur. *Placuit, ut unusquisque Episcopus per Ecclesias suas hoc præcipiat, ut hi, qui infantes suos ad Baptismum offerunt, si quid voluntariè pro suo offerunt voto, suscipiatur ab eis: si verò per necessitatem paupertatis aliquid non habent, quod offerant, nullum illis pignus violenter tollatur à Clericis. Nam multi pauperes hoc timentes, filios suos à baptismo retrahunt. Can.7.* Nec pro Chrismate quidquam exigi ibidem concessum est, cum eo perfectio quodammodo, & absolutio baptismi contineatur: *Placuit, ut modicum balsami, quod benedictum pro baptismi sacramento Ecclesiis datur, quia à singulis tremisses pro ipso exigi solent, nihil ulterius exigatur. Can.4.*

In Concilio Emeritensi idem rursus vetitum est, ne quid pro baptismo & chrismate emungatur, quanquam voluntarias fas sit oblationes suscipi. *Quod si quis aliquid offerat per bonam voluntatem, accipiat gratè; nihil tamen auferatur quacumque occasione. Can.9.* In Concilio Barcinonensi idem prohibitum: *Nihil pro liquoris pretio exigatur. Can.2.* Episcopi Lutetiæ & Ambiani, à quibus manarunt privilegia Abbatiarum Sancti Dionysii, & Corbiensis, hanc verbis conceptis immunitatem expresserunt, ne quid pro chrismate acciperetur. Una denique censoria virga Concilium Toletanum XI. has omnes abegit simoniæ pestes: pro Baptismo, pro Confirmatione, pro Ordinibus, non repudiatis tamen spontaneis donis. *Quicumque aut pro baptizandis consignandisque fidelibus, aut pro collatione chrismatis, vel promotionibus graduum pretia qualibet, vel præmia, nisi voluntariè oblata, pro hujusmodi ambitione susceperit, si sciente loci Episcopo tale quidquam à subditis perpetratur, idem Episcopus duobus mensibus excommunicationi subjaceat, sin suorum quispiam eo nesciente accipiendum esse crediderit, si Presbyter est, trium mensium excommunicatione plectatur; si Diaconus quatuor; Subdiaconus verò, vel Clericus his cupiditatibus serviens, & competenti verbere, & debita excommunicatione plectendus est. Can.8.* Est & alia Canonis hujus editio, unde expuncta est ea vox *nisi*, atque ita vel spontaneæ oblationes exploderentur. Sed cum alii Canones, tum laudati, tum laudandi, cum receptissimi ipsi mores Ecclesiæ declararent longè usitatius fuisse, ut voluntaria non rejicerentur dona, hinc patet priori magis editioni suffragandum esse. Vetuit & Gregorius magnus, ne quid pro conjugiis Clericorum exigeretur; *De Ordinationibus vel de nuptiis Clericorum, &c. L.3. Ep.24.* Jura nescio quæ ex nuptiis servorum exprimebantur, forsan & in Sardinia eodem onere Clericos etiam minores affixerant Episcopi. Ei impotentiæ intercessit Gregorius, quanquam sponte oblata admitti permiserit.

III. In ea Augustinus etiam sententia versabatur, quod ad oblationes attinet & hostias pro defunctis pertinebat. Non oblationes enim tantùm admitti vult, sed & pecuniam ea de causa oblatam, quanquam hanc velit statim in pauperes erogari. Atqui si qua ibi simoniæ formidanda essent inquinamenta, ne ad pauperes quidem alendos sovendosque quidquam accipi liceret, ut supra admonebat Gregorius. Verba Augustini supra retulimus. In Concilio Emeritensi anni 666. sancitum est, ut quotidie solemnia Mysteriorum celebrarentur pro Rege & exercitu, usque ad finem ejus expeditionis. *Quandiu ad suam redeat sedem, sacrificium Deo pro ejus, exercitusque salute offeratur.* Apud Baronium, *an.679. n.12. 13.*, legere est quas ille ex Beda decerpsit narrationes, de captivis, quos fama vulgaverat in acie cæsos fuisse, & pro quibus propinqui sacra frequentari curabant, unde & illi carceribus mira quadam & divina vi exempti fuere. Hinc advertit Beda magis magisque increbuisse pium usum sacra iterandi pro mortuis. *Multi accensi sunt devotione, ad offerendum Domino victimas sacræ oblationis, pro ereptione suorum, qui de sæculo migraverant, vel ad eleemosynas faciendas.* Planum est eo consilio erogatas fuisse has eleemosynas, ut privatis his fidelibus levandis addicerentur hæc sacrificia Agni immortalis; nec tamen suspicari tum quidem potuisse quemquam, simoniaci aliquid contagii ei consuetudini inesse. Non siluit Concilium Toletanum XVII. nec nos hic silebimus incredibilem eorum pravitatem, qui Pane ipso vitæ inimicis suis mortem consciscere se posse confidebant, celebrato pro iis sacrificio illo, quod pro mortuis celebrari mos est. Eam impietatem execrati sunt hujus Concilii Patres. *Quod cunctis datum est in salutis remedium illi hoc perverso instinctu quibusdam esse expetunt in interitum.* Illud hinc saltem elucet, non displicuisse morem celebrandæ pro privatis sigillatim quibusdam Missæ. Quod priore anno, hoc est 693. habitum fuerat Concilium Toletanum XVI. iteranda sanxerat quotidie Mysteria pro Rege Regiaque stirpe, non in Ecclesiis tantùm Cathedralibus, sed & in Parochiis ruris, exceptis diebus sacræ Parasceves in Hebdomada majori, quibus exuuntur Altaria, nec omnino sacrificium celebratur. *Excepto Passionis Dominicæ die, quando Altaria denudata persistunt, & nec cuiquam in eodem die Missarum licet solemnia celebrare.*

IV. Nihilo plus ex Ecclesiarum Dedicationibus exigi quidquam poterat, sed nec refellendæ erant spontaneæ oblationes ad demerendos Episcopos, præter dotem à Fundatoribus Ecclesiis & Clero assignandam. Vide quid in eam rem decreverit Concilium Braccarense II. *Can.5. Placuit, ut quoties ab aliquo fidelium ad consecrandas Ecclesias Episcopi invitantur non quasi ex debito munus aliquod à Fundatore requirant; sed si ipse quidem aliquid ex suo voto obtulerit, non respuatur. Si verò aut paupertas illum, aut necessitas retinet, nihil exigatur ab illo. Ne Episcopus Ecclesiam dedicet, nisi antea dotem accipiat, &c.*

V. Verbum Dei nullo pretio æstimari potest. Gratis effundi potest, non vendi, non emi. Supra ex Hieronymo observavimus; qui Samuelem percuncturi erant ipsos quidem aliquid pecuniæ parasse, quo ipsum exorabiliorem haberent; at cum sacri Codices id referant, non referri, quod vel ipsi dederint, vel Samuel acceperit quidvis; quin ex adverso ipsos ab eo mensa & convivio exceptos. Etsi autem eam pecuniam Samuel non abnuisset, non tam eam interpretandam fore Prophetæ mercedem, quàm piam oblationem Arcæ & Tabernaculo factam.

VI. Si Evangelici autem Concionatores à fidelibus ali se patiantur, monet Gregorius Magnus, non eos concionari, ut pascantur: sed pasci, ut concionari possint. Una ipsis merces, unum lucrum, gaudium de veritate, quam promulgant, qua pascuntur ipsi, & populos pascunt; gaudium rursus de charitate fidelium, qui procuranda hac temporali Concionatorum vita, æternam sibi ipsis vitam paciscuntur. *Non quod ideo prædicent, ut alantur: sed ideo alantur, ut prædicent: id est, ut prædicare subsistant. Non ut in intentionem sumendi victus transeat actio prædicationis. Sed ad utilitatem prædicationis deserviant ministeria sustentationis. Unde à bonis Prædicatoribus non causa victus prædicatio impenditur, sed causa prædicationis accipitur victus,*

Et

Et quoties prædicantibus necessaria ab auditoribus conferuntur, non soleut de rerum munere, sed de conferentium gaudere mercede. Unde per Paulum dicitur, Non quæro datum, sed requiro fructum. In Job. L.19. c.10.

VII. Cum Episcoporum autem & Clericorum jurisdictio latissimè pateret, ut documenta darent invictissimæ adversùs gratiam & preces constantiæ, & incorruptæ adversùs munera integritatis; hinc illis hoc fixum animo, hoc certum erat, ut precibus minimum, & sollicitationibus, vel nihil prorsus tribuerent, nec munera prorsus ulla inde admitterent. A' Severo Sulpitio, & à nobis jam secundùm ipsum animadversum est, singulari prorsus exemplo beatum Martinum semel accepisse munusculum sanctissimæ Monialis, quæ miro & incredibili secessûs & silentii amore, ab ipso ne inviseretur, deprecata fuerat. Qui muneribus quibuscumque septus & impervius hactenus fuerat vir Sanctissimus Martinus, nefas sibi tum duxit tam sanctæ Virginis, non tam munusculum, quàm pietatem & odorem suavitatis abjicere. *Xenium beato viro eadem illa Virgo transmisit; fecitque Martinus, quod antea non fecerat. Nullius enim ille unquam xenium, nullius manus accepit, nihil verò ex his, quæ virgo venerabilis miserat, refutavit: diceus, Benedictionem illius à Sacerdote minimè respuendam, quæ esset multis Sacerdotibus præferenda. Dialo.2.* Ita statuebat Ambrosius, non posse Clericum citra facinus, favore, & precibus, & gratia sua mercaturam facere; adulationibus & blanditiis munuscula allicere viduarum; cum his blandissimis etiam artibus vis adhibeatur, adeoque & rapina hæc habenda; sit denique utcumque hominibus verba demus, furtiva rei alienæ cupiditas divinos oculos non fallet. *Nam & Catholicus Clerus hac sententia retinetur. Si enim non contentus stipendiis fuerit, quæ de Altario, Domino jubente, consequitur, sed exercet mercimonium, intercessiones vendit, viduarum munera libenter amplectitur, hic negotiator potest magis videri, quàm Clericus. Nec dicere possumus. Nemo nos invasores arguat violentia, nemo accusat. Quasi non interdum majorem prædam à viduis blandimenta eliciunt, quàm tormenta. Nec interest apud Deum utrum vi, an circumventione quis res alienas occupet, dummodo quoquo pacto teneat alienum. Serm.6.*

Iden & à Concilio Tarraconensi pronunciatum est, Episcopos, Clericosque, qui munera acciperent à pauperibus, quibus tuititionem suam in jure dicendo impendissent, pari in culpa esse, atque publicis usuris infamatos. *Observandum quoque decrevimus, ne quis Sacerdotum, vel Clericorum, more sæcularium Judicum, audeat accipere pro impensis patrociniis munera, nisi fortè in Ecclesia oblata gratuita; qua non favore muneris videantur accepta, sed collatione devotionis illata. Quia si qui ista probantur accipere, veluti exactores fœnoris, aut usurarum possessores, secundùm statuta Patrum se noverint degradandos. Can.10.*

Narrat Flodoardus, *L.1. c.14.*, Nobilem læsæ Majestatis reum, cum Beatus Remigius veniam & vitam impetraverat à Clodovæo Rege, memoris animi sui monumentum extare voluisse spernacensem suam ditionem, qua Ecclesiam Remensem donavit. Ita ille quidem animatus erat. At Remigius pecuniam illi refudit, ne quid intercessione sua sibi privatim lucratus videretur. *Temporalem pro sua intercessionis munere vitans retributionem recipere.* Idoneus denique testis est Joannes Diaconus, nihil usquam muneris Gregorium Magnum ab Episcopis accepisse; & quàm alienus esset à terrenæ cupiditatis sordibus ipsum prodidisse, ubi vetuit Siculos Episcopos Romam, nisi post quinquennium adventare, quamvis antè triconio quolibet advolarent; nec enim nullo Pontificem colebant Episcopi Romam proficiscentes; at Gregorius donare malebat ipse suffraganeos suos, quàm ab illis donari. *Notandum quia si Beatus Gregorius Xenia, quod dici nefas est, anhelaret, non Episcoporum adventus à triennio in quinquennium protelaret, immo à triennio in biennium procul dubio festinaret, &c. Non mirum si liberalissimus Pontifex nullas consuetudines à suis suffraganeis, nulla Xenia capiebat; quibus ipse, si qua necessaria videbantur, satis hilariter ministrabat. L.3. c.25. 26. 27.* Episcopum sanè Messinensem deterruit Gregorius, ne quid sibi muneris posthac missitaret: quæ missa jam ab eo fuerant, ea distrahi fecit, pretiumque ad eum remitti: illud diligentissimè inculcans, ne quid decerperet de usitatis Cleri sui distributionibus. *L.1. Epist.64.*

VIII. Criminis se Simonis & Giesi conscium sociumque fore augurabatur B. Hilarion, cujus vitam Hieronymus scriptis commendavit, si quid ab eo doni acciperet, è quo totam ejecerat dæmonum legionem. Oblationes ejus, ne distribuendas quidem pauperibus admisit, suasitque, ut ipsemet manus suas ea charitatis hostia consecraret. *Non legisti, quid Giesi, quid Simon passi sunt? &c. Tu melius potes tua distribuere, qui per urbes ambulas, qui nosti pauperes, &c. si hæc accepero, & ego offendam Deum, & ad te legio revertetur.* Dæmonem ab alio abegerat, qui cum auri pondo decem offerret, ipse illi panem dono dedit hordeaceum: insinuans qui hoc pane vescerentur, eos aurum non pluris facere, quàm lutum. *Quod qui tali cibo alerentur, aurum pro luto ducerent.* Pestilentis morbi contagio cum familiam quandam precibus suis purgasset B. Martinus, captivis redimendis impendi fecit eodem ipso temporis puncto libras argenti decem sibi oblatas, ne teruntium quidem passus delibari ad Monasterii sui usus, magna tunc penuria conflictati. *Nos, inquit, Ecclesia, & pascat, & vestiat, dummodo nil nostris usibus quæsisse videamur. Dial.3.* Ita Severus Sulpitius, at author vitæ B. Porphyrii Episcopi Gazensis narrat puerulum illum, qui cœlitus afflatus arcana quædam mira renuntiaverat, parentem suam monuisse, tres ut illos nummos restitueret, quos à Porphyrio Episcopo acceperat, ne cæleste donum terreno pretio pensatum vilesceret. *Ne accipias, mater, ne tu quoque auro vendas donum Christi. Cap.48.*

IX. Ea fuit Gregorii Magni sagacitas zeli & diligentia, ut vel minusculas fibras umbrasque simoniæ insectatus sit, & latitantes ejus fraudes nudarit. In Concilio enim suo Romano damnavit, non solùm qui exigerent quidvis pro ordinationibus, sed etiam qui pro Pallio, pro Litteris ordinationis, pro epulo diei ordinationis. Ea erant velut extrema versipellis Clericorum avaritiæ latibula. *Antequam Patrum regulam sequens, nihil unquam de ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex datione Pallii, neque ex traditione chartarum, neque ex ea, quam nova per ambitionem simulatio invenit, appellatione pastelli. Qui enim ordinando Episcopo Pontifex manum imponit, Evangelicam verò lectionem minister legit, confirmationis autem ejus Epistolam Notarius scribit, sicut Pontificem non decet manum, quam imponit vendere: ita minister, vel Notarius non debet in ordinatione ejus vocem suam, vel calamum venumdare. Pro ordinatione verò, vel pallio, seu chartis atque pastello, eadem, qui ordinatus est, omnino aliquid dare prohibet. L.4. Ep.44* Qui *pastellus* hic dicitur, hic videri possit qui Diacono proprius fuisse, si verba ipsa perpendas. Et tamen longè probabilius est, cum non solus minister esset ordinationum Diaconus ab Episcopo etiam novo exceptos

fuis-

fuisse epulo omnes, qui ordinationi altarique affuerant. At perfecta ordinatione, non repugnat Gregorius, quin voluntariis locus detur oblationibus. *Is autem qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactas, neque petitus, post acceptas chartas & pallium, aliquid cuilibet ex Clero gratiæ tantummodo causa dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus, quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non processit.*

A' Lenne II. confirmatum est hoc de Pallio decretum, & de minutioribus aliis obsequiis. *Hic fecit constitutum, quod Archivo Ecclesiæ continetur, ut qui ordinatus fuerit Archiepiscopus, nulla consuetudine pro usu Pallii, aut diversis Officiis Ecclesiæ persolvere debeat. Anast. Bibl. in ejus vita.* Denique suo ævo testatus est Zacharias Papa, tum Pallium, tum Chartas Bullasque Romæ gratis dari solere, nihil exigi, nihil accipi, & mendacissimæ calumniæ reos esse, qui dicerent Romæ Spiritum Sanctum vendi, exprimenda pro pallio & pro literis pecunia. *Quasi nos corruptores simus Canonum, & Patrum rescindere traditiones quæramus; ac per hoc, quod absit, cum nostris Clericis in simoniacam hæresim incidamus; accipientes, & compellentes, ut hi quibus pallia tribuimus, nobis præmia largiantur, expetentes ab illis pecunias. Absit à nobis, & à nostris Clericis, ut donum quod per Spiritûs Sancti gratiam suscepimus, pretio vendamus: dum & illa tria pallia, quæ te suggerente, sumus flagitati, nullum ab eis quispiam commodum expetiit. Insuper & chartas, quæ secundùm morem à nostro scrinio pro tua confirmatione atque doctrina tribuuntur, de nostro concessimus, nihil ab eis auferentes; absit ut sic quidquam à tua fraternitate criminis nobis simoniaci objiciatur. Ep. 5. Conc. Gall. T. 1. p. 548.* Ita Pontifex redditis ad Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum literis diluebat rumores vanissimos de simonia Romæ serpente, longè latèque sparsos.

CAPUT LXX. *P. 2. l. 3. c. 16.*

Simonia reliqua per Orientem eodem ævo, ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. De donis & conviviis pro baptismo.

II. III. De pecunia ad Missæ sacrificium celebrandum.

IV. De ingenti pecunia à Concionatoribus coacervata.

V. Gratuita erant dispensationes.

VI. VII. A' muneribus quibuscumque manus excutere jussi domestici & ministri Prælatorum.

VIII. Vetitum quidquam exigere pro jurisdictione exercenda.

IX. Vetitum fulmina Ecclesiæ adhiberi, ad quidvis exigendum.

I. APtissimè à baptismo ordiemur, ubi docet Nazianzenus, moris fuisse, ut divites lautius aliquid ad altare offerrent, & largioribus epulis exciperent omnes, per quos tam splendidi sibi conciliati essent novi in Christo Natales. At homines sua opulentia & gloria vento intumescentes, monebat Nazianzenus, inanes has impensas esse; hoc Saramentum meram esse gratiam, nec pretio ullo posse utcumque comparari; non alio opus esse dono, quàm puro terrenarum sordium eorum animo: multò suaviùs pasci sacros ministros bonis eorum operibus, & morum castitate, quàm conviviis; in Ecclesia promiscuè haberi pauperes, divitesque, omnibus ex æquo patere cælestis gratiæ opes. *Turpe est dicere, Ubi est munus, quod propter baptismum offeram? Ubi ea, quæ ad initiatores meos excipiendos requiruntur? at in his quoque rebus nominis celebritatem consequar. Valde enim, uti vides, hæc necessaria sunt, & propterea gratia imminuetur. Orat. 40.* Hæc postrema verba jocosè pene dicuntur, ut contrario sumenda sint sensu. *Sublimius est hoc sacramentum iis rebus, quæ in oculorum aspectum cadunt. Te ipsum offer. Honesta & laudabili vita me ale; si ego excipi lætor, sic etiam Deus, qui maxima quæque beneficia nobis elargitur. Nihil apud Deum magnum est, quod non pauper quoque donare possit; ut ne hac quoque in re tenuiores propellantur, ut qui non habent, quomodo cum locupletibus certent. Etenim in cæteris quidem rebus inter divitias & paupertatem interest; hic autem, qui promptior atque alacrior est, idem quoque ditior est.*

II. Non satis intelligo, ad baptisma, an ad sacrificium Missæ referendum sit munus illud, quo apud Epiphanium Patriarcha Judæorum affecit Episcopum, qui eum sacro fonte lustraverat. *Patriarcha vim quandam auri non mediocrem tenens, hanc Episcopo porrexit, &, Pro me, inquit, offerto: scriptum est enim, à Sacerdotibus Dei alligari, solvique in terris omnia, & eadem in cœlo soluta fore, vel alligata. Hæresi 30. n. 6.* Minùs refert utrùm ad sacramentum id referas, cum liberum & spontaneum hoc esset munus. Similius tamen veri est, ad incruentum sacrificium pertinuisse, ut clamant hæc ibi verba: *Offer pro me.* Atqui vix, aut ne vix quidem fieri potest, ut quæ ad sacrificium celebrandum fiunt oblationes, eæ simoniacæ sint. Tum quòd voluntariæ prorsus sint, tum quòd in sacris Literis, & ipso pene naturæ magisterio præcipiantur.

III. Hortabantur quidem Sancti Patres, ut ne quis, cui res esset familiaris, de alterius oblatione ad hostiæ sacræ communionem accederet: sed inauditum est, vel exigi tum quidquam potuisse, vel à communione quemquam arceri, quòd nihil obtulisset. Trullanum Concilium gradu eos movit Clericos, tanquam simoniaco contagio deturpatos, qui vel obolum ante communionem exigerent. *Ut nullus sive Episcopus, sive Presbyter, sive Diaconus, immaculatam præbens Communionem, ab eo, qui communicat, ejus participationis gratia, obolos, vel quamvis aliam speciem exigat. Non est enim venalis gratia, &c. Can. 23.*

IV. Quoad Conciones, non temerè quis conjecerit statuta jam olim quædam fuisse certa salaria præconum verbi divini. Cum referat Socrates, Antiochum Ptolemaidis in Phœnicia Episcopum, cum annis pluribus Ecclesias Civitatis Constantinopolitanæ suis Concionibus frequentasset, & ingentem pecuniæ vim inde coacervasset, in Ecclesiam suam se recepisse: exemploque suo excitasse Severianum Gabalorum Episcopum, linguæ Græcæ callentissimum, etsi nescio quid semper Syriacæ ex linguæ contagio ejus oratio, seu pronuntiatio redoleret, in idem ut se stadium conjiceret, prædicandique munus ingrederetur in Ecclesiis ejusdem Urbis Regiæ, quo & ipse pari arte & copia ditesceret. *Antiochus primùm Ptolemaide Constantinopolim accedens, ibi ad tempus summa cum diligentia in Ecclesiis docuit; atque ubi multum quæstûs inde fecisset, ad suam ipsius revertit Ecclesiam Severianus, postquam audierat Antiochum Constantinopoli in Ecclesiis docendo magnam pecuniæ vim collegisse, permagno ejusdem rei faciendæ studio incendi cœpit. L. 6. c. 10.* Hujus enimvero Severiani eloquentia usque adeo in sui admirationem rapuit Bizantinos, ut ejus æmulatione quadam perculsi sint amici & sectatores B. Joannis Chrysostomi; unde & ex exci-

te-

tæ sunt turbæ, quibus ut mederetur Chrysostomus, Severianum urbe discedere compulit; cumque eum revocasset Imperatrix, non potuit ea animorum alienatio prorsus sedari, nec quemquam acerbiorem expertus est hostem Chrysostomus, quàm Episcopum hunc Severianum.

V. Quod ad dispensationes attinet, erant illæ, cum gratuitæ, tum rarissimæ in Ecclesiis bene moratis. Jam dixi de bigamo, qui ad expugnandum à Sanctissimo Patriarcha Alexandrino Joanne Eleemosynario Diaconatum, centum & octoginta auri pondo, ducentaque obtulit millia modiorum tritici. Captaverat ille tempus calamitosissimum famis ex inopia aquarum Nili exortæ, & ex infinita multitudine Christianorum ex Perside profugorum. Arcas suas exhauserat jam Patriarcha, exhauserat & amicorum. Nec ea tamen necessitate ita frangi potuit, ut eam dispensationem concederet, nedum ut venderet. *Vita ejus c. 12.*

VI. Rescito autem Sanctissimus hic Patriarcha, ministros Palatii sui multa iis gratificari, qui eos suis muneribus demulcerent, vetuit, ne vel teruncium posthac acciperent: utque minùs gravatè obsequerentur, salaria eorum amplificavit. Denique cum paruissent omnes, non pauci eorum usque adeo se jam copiis omnibus abundare senserunt, ut illa salarii additamenta dimiserint. *Relatum est aliquando huic divinitus sapientiam consecuto, quod per Xenia Ecclesiæ Rectores empti, personas acciperent, circa dispositiones captivorum. Quos nihil negligens convocavit, neminem penitus exasperans, supercrevit mercedes; quæ eis priùs dabantur, ponens verbum, quatenus munera à quolibet omnimodis non acciperent. Quoniam, inquit, ignis consumet domos munera accipientium. Ex tunc igitur per gratiam Dei abundaverunt domus eorum, ita ut quidam addita sibi mercedis quantitatem dimitterent. Cap.4.*

VII. Sylvano Troadis Episcopo persuasissimum utique erat, qui jus dicerent, litibusque fidelium terminandis occuparentur, muneribus eos esse debere inaccessos, & ab omni questûs cupiditate expeditos. Cum enim Clericos suos sensisset ex eo lucelli aliquid exculpere, hoc illos officio absolvit, & eo laicum ornavit, nullo non virtutum genere præstantem. Quo facto incredibile dictu, quanta illi gloriæ & laudum accessio facta sit. *Cum Clericos ex litigantium controversiis quæstum facere videret, deinceps neminem ex Clero judicem esse permisit; sed acceptis supplicantium libellis, unum ex fidelibus laicis, quem æquo & bono favere pro certo cognosceret, ei causarum cognitioni præfecit, sicque litigantes contentione & controversia liberavit. His de causis Sylvanus maximam gloriam apud omnes consecutus est. Socrat. l.7. c.36.*

VIII. Nec minore laudum cumulo decorari potuit Theodoretus, qui sibi, suisque ministris & domesticis omnibus, donis prorsus omnibus interdixit. Ita enim ipsemet profitetur. *Epist.81. Non obolum: non vestem à quoquam accepi. Panem unum, vel ovum nullus domesticorum meorum accepit unquam.*

IX. Vetuit Justinianus, ne censuras Episcopi, Clericique alii, aut vim quamcumque adhiberent, quò primitias, vel decimas exigerent: & ne ea de causa quemquam Sacramentis fraudarent. *Non oportet Episcopos aut Clericos cogere quosquam ad fructus offerendos, aut angarias dandas, aut alio modo vexare, aut excommunicare, aut anathematizare, aut denegare communionem, aut idcirco non baptizare, quamvis usus ita obtinuerit. Cod. l.1. De Epis. & Cler. c.38.*

CAPUT LXXI. *P.3. l.3. c.15.*

De Simonia alia multiplici, sub Imperio Caroli Magni, & ejus Regiæ stirpis.

I. Non distrahebantur Dignitates Ecclesiasticæ. Partium munera rejiciebantur.

II. In judiciis & foro pœnitentiæ publicæ adversùs munera & gentium septos munitosque oportebat esse Judices.

III. Nefas erat quidquam accipere Præsulum domesticos.

IV. Cum nonnullæ essent & Parochorum partes in foro pœnitentiæ publicæ, ipsis quoque avaritia & simonia insidiabatur.

V. Ut pœnitentia publica in mulctas pecuniarias mutarentur.

VI. Citra simoniam terra & pecunia dabantur, ad celebrationem Mysteriorum.

VII. De eodem, ut mens, voluntas, simplicitas vulgi fidelium emendetur elementi interpretatione.

VIII. Singulis etiam Presbyteris dabatur, ut pro privato aliquo Missas celebrarent.

IX. Cautiones, ne unus idemque Presbyter nimia gravaretur celebrandarum Missarum multitudine.

X. Nihil exigebatur pro Baptismo, Chrismate, Dedicationibus, puerorum rudimentis.

XI. Flodoardi verba de B. Remigio, gratuitæ intercessionis exemplo documentum posteris dante.

XII. Nihil accipi poterat de beneficiis matricula-riorum; ea veluti pauperum beneficia erant.

XIII. Nihil exigi poterat ex beneficiis militaribus Laicorum.

XIV. Adrianus II. vetuit ne Romæ voluntaria munera reciperentur.

XV. In Oriente plures explodantur extorsiones.

XVI. XVII. Precibus, obsequiis, favore, tam Laicos, quàm Clericos simoniæ laqueis implicari posse.

I. A Dignitatibus & judiciis Ecclesiasticis ordiemur, quæ nefas semper fuit pretio addici. In Concilio Verno anno 755. sub Pipino Rege, prohibitum primò quidem est, ne Officia & Dignitates Ecclesiæ distraherentur, quòd ea esset perspicua simoniæ pravitas: *Ut nullus per pecunias ad honorem vel gradum Ecclesiasticum accedere debeat, quia hæresis simoniaca esse videtur.* Mox verò vetiti sunt Episcopi, Abbates, Judices denique omnes, etiam laici, ne quid munerum acciperent, quòd donis facilè jus fasque evertatur. *Ut nec Episcopus, nec Abbas, nec ullus laicus pro justitia facienda sportulas contradictas accipiat; quia ubi dona intercurrunt, justitia maculatur. Can.24. 25.*

Non exigi ergo tantùm, sed & recipi dona vetitum erat, propter causarum litiumque judicia. Ita rursum decrevit Concilium Remense II. anno 813. *Ut nullus homo munera pro placito requirat, aut accipere præsumat. Can.39.* In Concilio III. Turonensi fidentissimè declaratur, Scripturas sacras omnibus Judicibus eandem indixisse legem. *Nullus Christianus pro quolibet placito, vel judicio, à qualibet persona munera exigere aut accipere debet: quoniam id divina Scriptura multis in locis magna interdicit authoritate. Munera excæcant oculos sapientum, & subvertunt verba justorum. Can.35. Add.3. c.57.* Et in ipsis Caroli Magni Capitulari-

bus: *Quàm sit extraneus à Christiana fidei regula, qui se defensorem veritatis insimulat, & veritatem ipsam munerum acceptione commaculat, audiat contra se Prophetam dicentem, &c. l.7.c.374.*

II. Etsi Canones hi, legesque complecterentur ex æquo sæculares atque Ecclesiasticos Judices; erat tamen & arctior necessitas, & ratio vehementior, quæ Clericos constringeret: ut quorum judicia persæpè cum foro pœnitentiæ permiscebantur, ubi partes erant pœnitentes ipsi, ubi pœnæ pœnitentiæ publicæ, ubi denique sententia non modò judicium, sed quandoque etiam portio, vel fructus sacramenti. Ita elucet in Capitulari Herardi Archiepiscopi Turonensis, cujus hæc sunt verba: *Ut regulariter pœnitentiam dent, & in judicando æquitatem habeant, & munera inde non exigant.* Cap.87. Concilium Cabilonense II. anni 813. graviter stomachabatur, *Can.18.*, in Episcopos & Comites, qui indulgentiùs agebant cum incestuosis, aliisque peccatoribus publicis, & cum Parochis ipsis, accepta ab eis pecunia, & relaxato pœnitentiæ publicæ vinculo. *Dictum est nobis, quod in quibusdam locis Episcopi & Comites ab incestuosis, & ab his, qui decimas non dant, vadios accipiant; & à Presbyteris pro quibusdam negligentiis, & inter se pecuniam dividant. Quod penitus abolendum decrevimus, ne fortè avaritiæ locus detur. Et constituimus, ut incestuosi juxta Canonicam sententiam pœnitentia mulctentur: qui verò decimas post crebras admonitiones & prædicationes dare neglexerint, excommunicentur. Capit. Car. Mag. l.1.c.38.*

Qui tum nomine Ducum, & Comitum Præsides erant & gubernatores Provinciarum, iis Imperatores & Reges commendabant, ut tota authoritatis suæ vi judicia Episcoporum tuerentur, & executioni mandarent: cogerentque peccatores publicè subire pœnitentiæ labores, quibus eos Episcopi judicio suo addixissent. At & Præsidibus & Præsulibus illudebat nonnunquam pecuniæ munerumque cupiditas, ut has quasi pecuniarias mulctas pœnis corporalibus & macerationibus carnis subrogarent. Quocirca circumspectissimè hoc Concilio jubentur Canonicæ pœnitentiæ retineri. *Juxta Canonicam sententiam pœnitentia mulctentur.*

III. Si quid exigerent domestici & ministri Episcoporum & Abbatum, imprudentibus dominis suis: sacri Canones horum somnolentiam, illorum rapaces manus detestabantur. Unde in eodem Concilio. *Can.7. Si verò nescientibus Episcopis aut Abbatibus, ministri eorum, qualibet videlicet in Clero, hoc fecisse convincuntur; Episcopi & Abbates desidia, illi verò capacitate & avaritia judicentur.*

IV. Quanquam verò Episcopi pœnitentiis soli publicis moderarentur, non soli tamen patebant insidiis artibusque pœnitentium per dona, vel blanditias, per humanos affectus quoslibet grassantium. Cum enim Parochorum esset renuntiare, qui peccatores essent publici, ut ab Episcopo, vel ejus Vicario generali pœnitentiis Canonicis subjicerentur: cumque eorum rursus esset observare sedulò pœnitentium mores, ut Episcopum, ejusque ministros admonerent, qui eorum fervor, qui tepor esset; quæ accelerandæ reconciliationis causæ subessent, quæ retardandæ: si Parochos excæcarent, & à recti orbita depellerent peccatorum, vel pœnitentium artes, munera, favores, affinitates, ut ne officio fungerentur; tum verò in confesso erat, detestandæ eos simoniæ laqueis irretiri. Ea erat certissima Hincmari doctrina. *Tom.1. pag.713. Ut nemo Presbyterorum exenium, vel quodcumque emolumentum temporale, immo detrimentum spiritale, à quocumque publicè peccante, vel incestuoso accipiat, ut nobis, vel Ministris nostris peccatum illius reticeat; nec pro respectu cujusque personæ, vel consanguinitatis, vel familiaritatis, alienis peccatis communicans, hoc nobis vel Ministris nostris innotescere detrectet: nec à quocumque pœnitente, aut gratiam aut favorem, aut munus accipere præsumat, ut minùs dignè pœnitentem ad reconciliationem adducat, & ei testimonium reconciliationis ferat, & quocumque livore aliam quemlibet dignius pœnitentem à reconciliatione removeat; quia hoc simoniacum, & Deo, & hominibus abominabile est.*

Quanquam ergo pœnitentiarum publicarum Ministri ordinarii non essent Parochi, utpote Episcopo, vel ejus vices gerenti Penitentiario reservatarum; non aspernanda tamen erat eorum in his etiam potestas, cum eorum testimonio, & pœnitentiæ primum indicerentur peccatoribus publicis, & pœnitentium reconciliatio maturaretur, aut ex adverso protraheretur. Si in has autem Parochorum, ceu delatorum, & testium functiones publicas posset illabi simonia; quid æstimandum erit de pœnitentiis occultis, quarum tota penes ipsos dumtaxat residebat potestas, & functio; Indubium est execrabilis & hoc fuisse simoniæ, si amicitiæ, si avaritiæ, si cognationis impulsione abduci se finerent à sanctimonia Canonum, & ab eo vigore, qui spiritalium medicorum proprius est.

V. Solæ Pœnitentiæ publicæ in mulctas quandoque pecuniarias deflexæ sunt. Cum enim elui crimina hortentur sacri Codices jejuniis, oratione & eleemosynis, poterant sanè Episcopi pœnitentibus publicis eleemosynas indicere, peræquè ut jejunia, quæ criminum gravitati & numero utcumque responderent. Procul hinc erat simonia, sola charitas, sola animarum puritas in pretio erat. At ubi primum pecuniæ eæ in alios cœpere usus derivari, quàm in extemporaneas in pauperes erogationes, inhærescere quoque illis mox cœpit avaritiæ & cupiditatis, vel macula, vel suspicio. Audiendus hic Isaac Episcopus Lingonensis. *Quanti hodie tradunt, quod nec à Deo, nec ab Apostolo acceperunt. Traditiones verò hodiernæ pene omnes turpi lucro deserviunt. Pœna quæ pro commisso irrogatur, pene omnis pecuniaria est. Beneficium, quod quasi gratis impenditur, ferè omne, & si pretium ante non taxat, obsequium postea sperat. Spicileg. Tom. 1. pag.547.* Ætatem agebat hic Præsul senescente sæculo nono, ut ejusdem ævi testatum faciunt Concilia Gallicana. Ita à verisimili non recedit Forum Ecclesiasticum componi tum & accommodari cœpisse foro civili sub Imperio Caroli Magni, & Minorum ejus. Alibi enim ostensum est, tum temporis pecuniariis maximè exactionibus publicos Judices in quælibet scelera animadvertisse.

VI. A Pœnitentiæ sacramento ad Eucharistiam delabemur. Certissimum est oblationes semper fidelium frequentes fuisse, sin minus pro offerendo, certè in offerendo Eucharistiæ sacrificio, easque non panis tantùm & vini oblationes fuisse, ad Corpus Christi conficiendum, ad Clericos, pauperesque sustentandos; sed & pecuniæ, & quarumcumque demum rerum, agrorum etiam & fundorum. Formula offerendorum agrorum in Capitularium libris habetur in hæc verba. *Offero Deo atque dedico omnes res, quæ hac in cartula tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum, ac parentum & filiorum, ad serviendum ex his Deo in sacrificiis, Missarumque solemniis, luminariis, pauperum ac Clericorum alimoniis, &c. Cap. Car. Mag. l.6. c.285.*

Tribuebatur ergo pro sacrificio, & quod offerebatur, pretio æstimari poterat, adeoque sui generis pecunia erat. Sed non id erat pretium Hostiæ, omni pretio majoris, & quæ ipsa pretium est mundi; sed oblatio, qua Deus coleretur; hostia, ex qua verissimæ & immortalis Hostiæ corpus confice-

re-

retur; eleemosyna, qua recrearentur paoperes, tributum, quo Sacerdotium laici venerarentur. Ideo & Herardus Archiepiscopus Turonensis repudiatas fuisse docet eorum eleemosynas, quorum respuerentur oblationes. *De orationibus, & eleemosynis & Missarum celebrationibus, pro fidelibus defunctis agendis, quibus impii carere debent, quoniam nec eorum eleemosyna à Sacerdotibus, vel reliquis fidelibus accipienda est, nec sepultura fidelium tribuenda. Cap.116.*

Quidquid exinde ad Missas dari, vel offerri moris fuit, ejusdem semper generis fuit; eadem semper constantissima Ecclesiæ sententia & voluntas; privatorum etiam semper idem, & sui simile votum, ut hoc dono numeros omnes impleant officii sui in Deum, in Sacerdotes, in pauperes. Si illa autem fidelium mentes incessit opinio, eleemosynas Presbyteris oblatas ad sacrificium celebrandum, vi longè potiori pollere ad opem vita functis ferendam; perantiqua est ea quoque persuasio, jamque inde à temporibus Jonæ Episcopi Aureliaoensis longè altiores egerat in hominum mentibus radices. Docet enim Jonas tum vulgatissimis rumusculis sparsum fuisse, non aliis juvari posse eleemosynis animas defunctorum, nisi quæ in manus Presbyterorum ad sacrificium deponerentur. Contra ille vociferatur eam hallucinationem meritò horum inscitiæ, illorum avaritiæ imputari. Præter Missas enim, quibus mirum quaotum levarentur defuncti, plures suppetere rationes alias illis succurreodi per eleemosynas in alios usus destinatas, ad orandum pro iis, ad excipiendos hospites, recreandos pauperes, redimendos captivos. *Nullatenus audiendi sunt illi, qui dicunt, quod nulla alia eleemosyna opitulari possint defunctis, nisi solummodo quæ Sacerdotibus dantur, & sacrificia, quæ per eos Deo offeruntur. Hoc qui credunt, aut ignorantia, aut certè aliorum persuasione falluntur. Credibile sanè est, quod hæc persuasio, qua simplices id credere & dicere videntur, ex fonte avaritiæ processerit. Sancta quippe Mater Ecclesia pro defunctis suis non solum sacrificia Altaris, sed etiam quascumque alias eleemosynas offerre consuevit. Unde & quotidie pro eorum spiritibus, qui res suas obtulerunt Deo, offeruntur Deo sacrificia, & multifaria supplicationes, atque orationes, hospitum receptiones, & pauperum recreationes, captivorumque redemptiones, & alia innumera adjumenta. De institut. Laicali. L.3. c.55.*

VII. Quibus in verbis duo sunt, quæ non perfunctoriè observemus. Primum est nullo tempore vehementius flagrasse fidelium pietatem ad Missas sibi, vel privatis aliis, vivis, vel defunctis exorandas; cum necesse tunc fuerit, ut Præsules zelo & doctrina abundantes, ei modum adhiberent, populosque dedocerent, atque exuerent errore eo, quo occupati fuerant, non alia ratione ulla posse se mortuis opitulari, quàm Missarum celebratione.

Alterum est eam Ecclesiæ mentem esse & doctrinam, ut quidquid offertur à fidelibus Deo, oon soli impendatur sacrificio, vel alendo Clero, quanquam non aliud ferè illi petant, sive simplicitate, sive ratione quavis alia; sed explicandæ etiam charitati & eleemosynis, in hospites, in pauperes, in captivos. Et officii enim & juris Pastorum est, fidelium vulgi vota interpretari, & interpretando accommodare votis Ecclesiæ & Pontificum; cum & in intimo cordis recessu id inscriptum habeat plebs fidelium, ut quoquo modo commodissimè & piissimè fieri poterit, oblationes suæ cedant gloriæ summi Numinis, saluti propriæ, solatio mortuorum. Id disertè exprimit Formula donationum Ecclesię faciendarum in Capitularibus. *Pro Missarum solemniis, Pauperum & Clericorum alimoniis, & cæteris divinis cultibus, atque illius Ecclesiæ utilitatibus. Capitul. l.6. c.285.*

Posset & hoc addi tertio loco, mirum in modum excrevisse Missarum numerum, hac vulgata tunc persuasione, non alia, aut non alia magis ratione mortuis nos suffragari posse. Quanquam enim is fidelibus error eximeretur, quo delusi fuerant, nec jam una ea opera nostra, celebrandis scilicet Missis, adesse nos eis posse opinarentur: illud tamen hærere sinebatur eorum mentibus, non alio magis adjumento mortuorum animas sublevari posse.

VIII. Video hic excipi posse, obtulisse tunc fideles, non singulis Presbyteris, pro singulari Missa, quæ sibi privatim unis prodesset: sed obtulisse Ecclesiæ & Clero in commune, quo vel sibi, vel proximis, sive superstitibus, sive defunctis participationem aliquam conciliarem sacrificiorom & precum Ecclesiæ communium. Fateor hunc usum primigenium fuisse nascentis & juvenescentis Ecclesiæ, ut uni sacrificio Missæ interessent, offereot, participarent in commune fideles, quod pro omni & ab omni offerebatur Ecclesia, nemine fidelium diffidente, oe sua meritorum portio minueretur, si alii, complures accederent consortes, cum infinitum & inexhaustum gratiarum fontem illa hostia contineat, immo effundat.

At Pipini, & Caroli Magni ævo jam tamen cœperant fideles singuli suam privatim Presbytero cuipiam stipem erogare, ut ejus sacrificii exuberantem fructum in se derivarent, in proximos, in amicos, vitæ compotes adhuc, vel defunctos. Ejus rei invictissimum suppeditat argumentum Regula Crodogangi, cui placuit, ut inter Canonicos etiam Regulares, quos instituebat & informabat ad communis vitæ societatem, posset quisque eorum accipere, & in qoos vellet usus expendere, quod pro sua sibi Missa offerebatur, pro Confessione, & pro Psalmorum recitatione. Sed quod in commune Presbyteris offerebatur, inter eos id distribueretur, vel in communes dispensaretur necessitates. *Si aliquis uni Sacerdoti pro Missa sua, vel pro Confessione; aut Clerico pro Psalmis & Hymnis, seu pro seipso, vel pro quolibet charo suo, aut vivente, aut mortuo, aliquid in eleemosyna dare voluerit, hoc Sacerdos, vel Clericus à tribuente accipiat, & exinde quod voluerit facit. Si autem à tribuente ad omnes Sacerdotes aliquid in eleemosyna datum fuerit, hanc eleemosynam communem habeant, & psalmodiam, vel Missas pro illo misericorde faciant. Spicil. tom. 1. pag 235. Cap.42.*

Non poterat distinctius explanari ratio duplex offerendæ pecuniæ pro Missis & Psalmodiis; nunc ea deposita in manus Presbyteri sacris operaturi; nunc ea repræsentata toti Presbyterorum Collegio, cujus sacrificiorum participatio annueretur. Si detur autem & pecuniæ aliquid pro Confessione, quod ad occultæ pœnitentiæ absolutionem hic spectare videtur, spontanea ea quoque oblatio, & eleemosyna est prorsus libera. Illud postremò in hac Canonicorum Regula observare est, non Presbyteris tantùm laicos stipis aliquid dedisse pro Missa & Confessione; sed etiam Clericis, tum privatim singulis, tum omnibus in commune *pro Psalmis & Hymnis*. Cum integrum esset cuique Clerico, suos sibi in usus sepositum habere, quod datum esset.

IX. At cum posset quis Presbyter in se recipere onus plurium, quàm quibus par esset Missarum, adeoque, & plurium stipendiorum; Capite sequenti ejusdem Regulæ ei malo occurri videtur. Admonentur enim Presbyteri, his elemosynis recipiendis, quæ pretia sunt peccatorum, ipsosmet ooerari jam peccatis eas offerentium; & rem esse plenam discriminis, tot in se crimina recipere expianda; denique ei oneri ferendo paratius esse Collegium ipsum Presbyterorum. *Nimis grave eis esse existimamus, si tam ingentium onera peccantium*

solite illis Sacerdotibus contigerit portare. Quia facilius Dei misericordiam plures impetrant, quàm unus. Quia unusquisque de propria conscientia sua debet metuere; quanto magis de alienis peccatis supra vires non debet sibi sarcinam peccatorum cumulare. *Cap.*43. Non ergo in eo laborabat Crodogangus, qui posset unus Presbyter, unam celebraturus Missam plura percipere stipendia; nec qui finita effusio infiniti pretii divinissimæ hujus hostiæ, posset spem implere tot fidelium? Propterea quod illa, quæ à toto Collegio celebrabatur Mysteriorum solemnitas, eisdem impeti poterat difficultatibus, eum & offerrent, & participes ejus fierent omnes fideles. Sed eo uno deterret Præsul doctissimus singulos Presbyteros, ut eos ab avaritia & cupiditate terrenorum avocet, quòd tutum non sit, tot hominum peccata eluenda adgredi, cum vix quisque nostrum suis ipsius eluendis par sit.

Mirabatur Valafridus Strabo, esse, qui diffiderent posse se satisfacere eorum multitudini pro quibus offere vellent, nisi pro singulis eorum offerrent; nec verò sperarent pro vivis simul & mortuis offerri posse; prorsus quasi nescissent, hanc esse, hanc fuisse divinam hostiam, pro universi orbis salute immolatam, & usque immolandam. Non quod non fateatur hic Scriptor maxima quædam esse momenta in frequentatione & iteratione Mysteriorum; sed illud iterari vetat ex desperatione ejus efficaciæ, meritique latissimè effusi. *Sed & in hoc error non modicus videtur, quod quidam se non posse aliter plenam commemorationem eorum facere, pro quibus offerunt, nisi singulas oblationes pro singulis offerant: vel pro vivis & defunctis non simul æstimant immolandum; cum verè sciamus unum pro omnibus mortuum, & unum panem esse & sanguinem, quem universalis Ecclesia offert. Quod si cui placet pro singulis singulatim offerre, pro solius devotionis amplitudine, & orationum augendarum delectatione id faciat, non autem pro stulta opinione, qua putet, unum Dei sacramentum non esse generale medicamentum.* *L. de rebus Eccles. c.*22. Fructuosum est ergo iterari Mysteria etiam pro singulis, sed illud cavendum, ne ita singulis ea fructuosa esse velimus, ut alios omnes ejus fructuum exortes esse velimus.

Non hic ego congeram exempla fundationum, sive divinæ psalmodiæ, sive Missarum. Unum illud attexam, quod refertur in Chronico Cœnobii Italici, ubi Ludovicus Imperator constituit; ut ter quotidie celebraretur sacrificium pro ipso, præter Psalmos, & Canonicum Officii pensum, quod pro ipso similiter persolveretur. *Ita tamen ut tres quotidie pro nobis Missas, & omnibus diurnis ac nocturnis officiis centesimum vigesimum decantare non desinant Psalmum, exceptis duntaxat matutinis & vespertinalibus hymnis, quos perpetim pro nostra remedio animæ repetere jugiter non cessabunt.* *Spicil. Tom.*5. *pag.*385.

X. Ad alia gradus nobis faciendus est sacramenta. Vetuit Concilium Cabilonense II. anno 813. quidquam recipi pro Dedicationibus, pro Ordinibus, & pro Chrismate; oblitteratis exactionibus Episcoporum in Parochos, pro lampadibus Ecclesiæ suæ, & pro Chrismate. *Quidam fratres dixerunt consuetudinis antiquæ fuisse in eorum Ecclesiis, ut pro balsamo emendo ad chrisma faciendum, sive pro luminaribus Ecclesiæ concinnandis binos vel quaternos denarios Presbyteri darent. Unde omnes uno consensu statuimus, ut sicut pro dedicandis Basilicis & dandis Ordinibus, nihil accipiendum est: ita etiam pro balsamo sive luminaribus emendis nihil Presbyteri chrisma accepturi dent. Episcopi itaque de facultatibus Ecclesiæ balsamum emant, & luminaria singuli in suis Ecclesiis concinnanda provideant.* *Can.*16. In Concilio II. Aquisgranensi anno 836. idem vetitum est, *Can.*1., additumque, *Can.*5., ut ne quid Episcopus acciperet pro permutatione Parochiarum.

Vetabantur quoque ab Episcopis Parochi, ne quid pro Baptismo acciperent, ut patet ex Capitulari Episcoporum, & ex Formulis promotionum Episcopalium. *Can.*5. *Conc. Gall. Tom.*2. *pag.*250. 261. Idem vetant & Capitularia Caroli Magni. *l.*5. *c.*105. *Ut nemo Presbyterorum pro baptismo pretium accipere præsumat. Quod si fecerit, sciat se canonica regula esse damnandum.* Quàm necessariò id cautum esset, manifestum fuit in Ecclesia Coloniensi, ubi sanctus Herebertus ejus Ecclesiæ Archiepiscopus, sacro ipsemet fonte tinxit pauperrimi hominis filium, quem ob inopiam Parochi omnes ejus urbis baptismo excluserant. *Is quia pauper erat, & quia nihil quæstus in munus habebat, contemnebatur à Sacerdotibus per totam urbem Coloniam puerulum illum circumferens, & regenerationis gratiam illi offerri postulans.* *Surius die* 16. *Mart. c.*23. Cum post baptismum verò summopere necesse sit catechismo imbui, & fidei potissima sacramenta edoceri parvulos; hinc Theodulfus Episcopus Aurelianensis Parochis commendavit, Scholas ut haberent, nec quidquam exigerent à pueris instituendis. *Cum ergo eos doceant, nihil ab eis pretii pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes charitatis studio sua voluntate obtulerint.* *Cap.*20.

XI. Jam diximus de B. Remigio, qui cum à Clodovæo Rege vitam & bona impetrasset Nobili læsæ Majestatis reo, noluit ab eo oblatam accipere Spernacensem villam; sed eum studiosissimè hortatus, ut perfectionis semitam posthac sectaretur, suaque omnia erogaret pauperibus; ipse quidem ejus ditionis pretium ei restituit, eamque Ecclesiæ suæ comparavit. Hinc Flodoardus, *L.*1. *c.*14., ansam arripiebat cohortandi Episcopos sui sæculi, ne venderent quod gratis accepissent; & ne quid mercedis terrenæ caperent pro tuitione miseris commodata, sive pro exorata, non tam impunitate criminum, quàm pœnæ in penitentiam commutatione. *Bonum cunctis relinquens exemplum Episcopis, cæterisque Sacerdotibus, ut dum pro his qui ad Ecclesiæ sinum, vel servorum Dei præsidia confugium faciunt, intercedunt, aut bona qualibet agunt, hæc pro temporali recompensatione non expleant, nec transitoria veliat recipere; sed juxta mandatum Domini, quæ gratis acceperant, studeant quoque gratis impendere.*

XII. Qui tunc Matricularii vocabantur, ii pauperes erant de vulgo hominum, quibus Episcopi vel Parochi aliquam addicebant decimarum portionem, velut in titulum Beneficii. Cum denique in eo esset simulacrum quoddam Beneficii, nefas erat quidquam ex ejusmodi collatione Presbyteros exigere. Vide ut de his Hincmarus Parochos suos alloquatur *t.*1.*p.*734. *Sæpè vos admonui de Matriculariis, quales suscipere debeatis, & qualiter eis partem decimæ dispensare debeatis. Interdixi vobis, ut nemo Presbyter pro loco Matriculæ quodcumque xenium vel servitium in messe, vel in quocumque suo servitio præsumat requirere, vel accipere; & Matriculariis debitam partem decimæ, quam fideles pro peccatis suis redimendis Domino offerunt, nemo præsumat vendere. Quod & nunc iterum interdico, ostendens vobis divinam authoritatem.* Et paulò post: *Presbyter, qui de redemptione peccatorum, id est, de decimis fidelium quodcumque xenium requirit, aut accipit, non est dignus inter Presbyteros nominari, sed dejici, sicut Judas, &c. Et sciatis quia quicumque Presbyter ex hoc Judæ latrocinio fuerit revinctus, non solùm à Presbyterali ordine dejicitur, sed nec etiam partem de illa decima, quam Matricularii accipiunt, arripere promerebitur.* Si qui pro-

propter crimina quævis gradu suo depulsi fuerant Clerici, poterant illi adhuc Ecclesiæ eleemosynis, & his Matriculariorum sustentari beneficiis, dum ne eorum, quæ modò detestabatur Hincmarus, conscientia scelerum premerentur.

Hincmarus excanduit in Comitem Theodulphom, qui ejusmodi beneficium abstulerat ei; quem ad id promoverant ministri Episcopi, aliumque ei subrogarat, à quo muneribus fuerat illectus. Audacter objurgavit illum Hincmarus, quòd laicus cum esset, propriam Clericorum facultatem usurpasset; venditam ab eo exprobravit eleemosynam, charitatem, misericordiam, & tantumnon Deitatem: Deus enim charitas est: denique magnam esse non posse ejus in divites justitiæ opinionem, cum & in pauperes venalem eam haberet. *Dictum est mihi, quod Matricularios à ministro meo constitutos, de matricula illa ejecisti, & ibi Bonarium misisti, & pro illa matricula in pretium unum asinum accepisti. Quod si ita est, non solùm criminaliter fecisti, qui contra omnes leges Ecclesiasticum ministerium homo laicus, & eleemosynam, id est, misericordiam, ac per hoc Deum sicut Judas proditor vendidisti. Sed etiam turpiter in hoc nimis fecisti; ubi de mendicitate, de qua mendici vivere debent, Comes & honoratus Regis Consiliarius, in pretio asinum accepisti, &c. Flodoard. L.3. c.26.*

XIII. Reliqui cum essent Ecclesiæ Beneficiarii laici, qui ab Episcopis vel Abbatibus agros Ecclesiæ acceperant, ea conditione, ut pro Ecclesiæ & Regni desensione militarent, sive Regio, sive Episcopali mandato: & his quoque Beneficia sua gratis conferenda erant ex Capitularibus Caroli Magni. *L.5. c.224. Admonemus etiam Episcopos & Abbates, ut per præmia Beneficia hominibus suis nec offerant, nec donent, quia multæ reclamationes & querelæ de hac causa ad nostras aures solent pervenire.*

XIV. Roma proscripsit Adrianus II. consuetudinem, quæ purgari utcumque potuisset à simoniæ suspicione, cum gratis & sponte undique munera mississtarentur Romano Pontifici recens inaugurato. Sed in promptu est, horum plerumque authores munerum spem illam in sinu fovere, fructuosa sibi aliquando ea fore, in exorandis Beneficiis; qui verò his coluntur donis, non jam æquè liberos esse posse & expeditos, ad refellendas iniqoas preces, aut ad rigorem Juris stringendum. Itaque non retinuit Pontifex nisi dapes, quæ hospitibus & pauperibus exhiberi possent, reliqua abjecit, aut remisit omnia. Audiendus hic Anastasius Bibliothecarius. *Consuetudinem, qua diversorum xeniorum hinc inde confluentium, retentis solùm, quæ usibus mensarum sufficerent, reliquis, pretia capiuntur, exclusit, dicens, non esse pium, quod gratis accipimus, pretio venumdare, & chariores habere rationalibus fratribus irrationales nummos, pro quibus Christi pretiosus est cruor effusus, &c. Parvipenduntur hæc pudenda commercia, &c. Et oblationes Christi cum ejus hospitibus & pauperibus partiamur.*

Non erat sanè quod accederet hujus Pontificis religiosi & diligentiæ, cum ultra modum evectus ille sit abstinentiæ & austeritatis Nicolai I. præcessoris sui. Ad ejusmodi forsan consuetudines intuebatur Carolus Magnus, cum Angilberto Abbati, quem Romam ablegabat, commendabat, ut Leonem III. hortaretur, radices ut & fibras omnes simonię latitantis radicitus evelleret. *Et de simoniaca subvertenda hæresi, diligentissimè suadeas illi, quæ sanctum Ecclesiæ corpus multis male maculat in locis. Conc. Gall. Tom.2. pag.208.*

XV. In Oriente à Balsamone refertur lex Alexis Comneni Imperatoris, qua diffiniebat emolumenta Doctorum sive Concionatorum Majoris Ecclesiæ Constantinopolitanæ, sive de gremio ejusdem Ecclesiæ, sive aliunde prodiissent. Verùm non nisi Præbenda ea erat, sive largitio aliquot modiorum frumenti & leguminum, ex penu ejusdem Ecclesiæ. *In Can.19. Trul.* Docet idem Balsamon, *In Can.15. Carthag.*, legibus Ecclesiasticis nullas sanciri pœnas adversùs eos Judices Ecclesiasticos, qui odio vel gratiæ serviunt, judicantque præter æqui normam; sed legum pœnas illis esse subeundas. Si inscitia autem legum peccet Episcopus, nulli eum pœnæ obnoxiom esse, quòd tumultu & multitudine sacrarum occupationum, non vacet illi legibus accuratè perdiscendis operam navare. Sed Assessores & Consiliarios Episcopi in culpa esse, qui contra leges suffragium ferant, quòd eas ipsi quidem adprimè callere teneantur. Si ex imperitia autem Canonum perperam judicet Episcopus, deponendum eum esse, quòd officio suo ipso constringatur ad perdiscendos Canones.

In Jure Orientali Leunclavii occurrit, *Tom.1. p.249.*, Constitutio Nicolai Patriachæ Constantinopolitani, sub Imperio Leonis Philosophi, & filiorum ejus: qua exploditur consuetudo Ostiariorum Palatii Patriarchalis, nonnihil pecuniæ ab iis extorquentium, qui Rescripta Patriarchalia impetrassent. Præcipitur autem ut Ostiariis in posterum certa constituantur stipendia, & ne quid à quoquam recipiant.

XVI. Unum restat hic elucidandum, sed magni prorsus ponderis. Nempe furtivas quasdam esse simoniæ artes, quæ oculos pene effugiant, etsi crimen non effugiant. Pecuniæ, munera incurrunt in oculos, & turpitudine perspicua ejiciuntur. At amicitiæ illecebræ, cognationis nexus, spes obsequiorum, laudes, adulationes ejusmodi sunt, ut his facillimè homines illudantur & illaqueentur inopini. His lumen rationis extinguitur, his pervertitur æquitas judicii, & simoniacè his addicitur, quod uni virtuti tribuendum erat. Salutaribus hinc documentis Hincmarus Reges imbuebat sui ævi, cum præcepta consarcinavit illa pulcherrima, ad sanctissimè moderandas Regni habenas. *Quia res Ecclesiasticas divino judicio tuendas & defensandas suscepit Rex, consensu ejus, electione Cleri ac plebis, & approbatione Episcoporum Provinciæ, quisque ad Ecclesiasticum regimen absque ulla venalitate provehi debet. Quia sicut Dominus in Evangelio dicit: Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. Ecclesiasticis regulis sine difficultate omnimodis debet favere, si non vult Regem Regum offendere. Et sicut Episcopi, ac Rex providere debent, ne ullius rei intuitu eligatur Episcopus, nisi Dei solius, id est, non pro aliquo munere dationis, nec pro aliquo obsequio humano, vel propinquitate consanguinitatis, seu amicitiæ, vel servitio temporali. Du Chesne. Tom.2. pag.489.*

Hæc varia sunt simoniæ personatæ ludibria, ex Hincmaro summopere fugienda. Quæ eadem ipsa pericula Parochis imminere monuit idem Præsul doctissimus, si pœnitentibus humaniores se præstent, non æquitatis pondere, sed delinimentis munerum inclinati, amicitiæ, cognationisque illecebris. *Ne pro respectu cujusquam personæ, aut consanguinitatis, vel familiaritatis, peccatis alienis communicet, &c. Nec à quocumque pœnitente aut gratium, aut favorem, aut munus suscipere præsumat, &c. Quia hoc simoniacum est, &c. Tom.1. pag.713. c.13.*

XVII. Cum verò Ludovicus Balbus Rex inconcussam Hincmari constantiam quatere aggressus est, pollicendis favoribus & beneficiis in ejus amicos & proximos spargendis, si votis modò suis suffragaretur in promovenda Episcopi Bellovacensis electione: *Quod scripsistis, quia si vestra voluntati, Ecclesiasticis videlicet regulis contraria, obsecutus fuero, eos, quos mihi cariores & familiariores cognoveritis,*

ho-

honorare in omnibus curabitis, tantummodo ut in hac petitione vestra vobis consentiam. Rescripsit Antistes excelso & magno animo, humanasque res omnes despiciente, nullios apud se momenti esse posse cognatos & amicos, ubi de dignitatibus Ecclesiasticis ageretur; ne ad eas latrones pro Pastoribus irreperent, non alios ad eas patere aditus, quàm doctrinæ copia, pietate & religione: simoniacæ semper pravitatis dehonestamenta ea esse, ubi muneribus, laudibus, obsequiis, humanis qualibuscunque affectibus ad res sacras aditus panderetur. *Unde in hoc Episcopali ministerio carnalem propinquum, nec amicum videlicet animi familiarem, carnali affectu recognosco, sed sententiam Domini attendo, qui dicit: Qui non intrat per ostium, &c. Et ideo neminem recognosco, neminem recipio, nisi qui vita & moribus & scientia Catholica doctrina per claves Ecclesiæ ad hoc Episcopale ministerium accedit. Et quoniam non est Deus personarum acceptor, in hac causa nullius personam accipio, sicut Propheta dicit, Qui excutit manus suas ab omni munere. Neque enim dixit tantùm, à munere, sed addidit ab omni; id est, à munere manûs, à munere linguæ, à munere obsequii, sicut jam vobis scripsi. Hincmar. Tom.2. p.194. 195.*

Conquerebatur Isaacus Lingonensis Episcopos, quòd Beneficiorum Collatores; quos ipsa rei fœditas deterrebat, ne quid muneris acciperent, furtim tamen non rarò obsequiorum aliquid sibi despoonderent. *Beneficium quod quasi gratis impenditur, ferè omne, etsi pretium ante non taxat, obsequium postea sperat. Spicil. tom.2. p.347.*

Contestatur Atto Vercellensis Episcopus nihilo tutius donari Prælaturas Ecclesiæ carnalibus affectibus, affinitati, cognationi, amicitiæ, familiaritati, quàm si pretio distraherentur. *Quamvis ab avaritia pecuniæ in ordinandis Episcopis videantur manum retrahere, non ideo ad legitimam libertatem Ecclesiastica electio pertinebit, sed aut consanguinitatis affectio, vel amicorum dilectio, seu etiam familiarum obsequia prævalebunt. Et quid prodest declinare à laqueo, si in foveam incidamus. Spicil. tom 8. pag.73.* Addit porro ille, quoties Principes terreni, vel Electores, & Præsentatores, Presbytero frugi & probo, & diutinis virtutum stipendiis de Ecclesia bene merito, anteponunt filium Optimatis cujusdam, toties sceleratissimum ut olim hominem Christo præferri. *Cum enim aliquis dignissimus Sacerdos diu in Ecclesia militans, ab Episcopali electione ipsius, cui servierat Ecclesiæ à Principibus reprobatur, nunquid non Dei filius despicitur? Cum verò alicujus potentis filius impar meritis, & injustè præponitur, quid aliud, quàm Barabas eligitur.*

De laudabilibus Consuetudinibus.

CAPUT LXXII. *P.4. l.3. c.5.*

Consuetudines laudabiles, sive oblationes spontaneæ pro administratione Sacramentorum, ab anno millesimo ad quadringentesimum supra millesimum.

I. Laudabiles Consuetudines; sive piæ erogationes ad celebrationem Mysteriorum. Aucto mirificè Missarum numero, tum verò cœpere privati privatim sibi earum aliquas vindicare, & ad id erogare.

II. Series historica Canonum & Conciliorum, quibus approbata est hæc Missarum celebratio in singulorum spiritalem utilitatem, sæculo undecimo. De pecunia ad id collata.

III. De eodem rursus. An idem Presbyter quotidie celebraret. An sæpiùs eadem die. Res mira in majore Ecclesia Constantinopolitana non singulis diebus celebratam fuisse synaxim.

IV. Etsi spontaneæ oblationes non abnuerentur, nihil tamen exigebatur ad sacramenta, nec undecimo, nec duodecimo sæculo, cujus hic laudabiles Consuetudines pertexuntur. Explanantur Constitutiones Synodales Parisiensis Ecclesiæ, quæ administrato Baptismo, postea exigi sinebant laudabiles Consuetudines.

V. Arnulphi Lexoviensis Episcopi doctrina, de exuberantissimo sacrificii Missæ pretio. Doctrina Petri Cantoris Ecclesiæ Parisiensis.

VI. De Presbyteris plures uno die Missas iterantibus.

VII. Historica contextio Conciliorum & Canonum sæculi decimi-tertii, de Missarum pluralitate, & stipendio. De Consuetudinibus laudabilibus, & eas exigendi necessitate, non Parochis, sed Episcopis impacta. Ex quo via panditur concordiæ inter pugnantes Canones.

VIII. Nihil decerpitur de valore infinito, & pretio sacrificii Missæ, etsi sacrifici jubeantur illud toties iterare, quoties spoponderunt, vel eidem, vel pluribus fidelibus.

IX. Concilii Lateranensis IV. Canone prohibiti sunt Parochi quidquam exigere, sed & jussi sunt Episcopi cogere, ut laudabilibus consuetudinibus satisfiat.

I. Laudabilium Consuetudinum vocabulo continentur erogationes omnes piæ & voluntariæ oblationes in administrandis sacramentis usitatæ, in visitandis ægrotis, in sepulturis, cæterisque religiosæ pietatis functionibus. Perspicua est hujusmodi quæstionum connexio cum hactenus pertractatis. Hinc rursus ad alia defluemus, in quibus hærere simoniæ fuligo quædam videri possit. Supersunt monumenta non pauca partitionis oblationum inter Capitula & Monasteria, itemque inter Parochos Primitivos, & eorum Vicarios, ubi sexcentæ, diversissimæque pernumerantur oblationes, ad singulas Sacerdotii functiones usitatissimæ. *Bibl. Clun. p.1450. 1530. Nota 108. Recueil pour l' histoire de Bourgogne. p.433. 534.* Earum potissimas tantùm hic attingemus, & eas maximè quæ ad sacramenta, & ad Eucharisticum sacrificium pertinebant, cum his tandem potissimum hæserit oblationis nomen.

Hac postrema sanè Ecclesiæ ætate longè frequentior cœpit esse Missarum celebratio, quàm fuisset hactenus; unde & privati quique sibi aliquas unis addici ambiere, collata etiam in id stipe; & quanquam publicis hinc oblationibus non derogaretur tum quidem, postea tamen his pene obliteratis, in earum locum illæ venerunt. Quandiu enim nondum magno erant numero fideles, conducebat & una diebus singulis celebrari synaxin, & omnes indiscriminatim tum offerre. At ubi in immensam quandam multitudinem amplificatus est Christi grex, & plures necesse fuit quot diebus celebrari Missas, non potuere ad earum singulas singuli offerre fideles. Hinc ergo illud emersit, ut privati quique suas sibi Missas celebrari averent, idque majuscula oblatione studerent sibi comparare.

II. Dilucidum id nunc fiet congerie Canonum, aliorumque Ecclesiasticæ historiæ monumentorum, per sua sejunctim sæcula, pro nostro pridem more,

Ethel-

Ethelredus Angliæ Rex circa annum 1012. leges promulgavit Ecclesiasticas, quarum una præcipitur, ut diebus singulis singulæ Congregationes Mysteria celebrent pro Rege & populo. *Cantetur communiter pro Rege & omni populo una Missa quotidie ad matutinalem Missam.* Ab unoquoque autem Monacho Presbytero quotannis triginta pro Rege & populo celebrentur missæ. Nulla hîc mentio oblatæ pecuniæ. Sed Regiæ largitiones & fundationes quantamlibet superare intelliguntur privatorum oblationem. Lege proxima edicitur, ut decimæ solvantur, & laudabiles consuetudines. *Et omnis consuetudo reddatur ad matrem Ecclesiam.*

In Concilio Salingestadiensi anno 1022. minùs probari visæ sunt peculiares illæ Missæ, quas sibi celebrari cupiebant privati passim homines de Sancta Trinitate, de B. Michaele, de Verbo Incarnato. Sed non pertinebat ea censura, nisi ad eos, qui hinc confidebant divinare se posse rem quampiam arcanam. Porro non displicebat Concilio, quod singuli quique fideles pio quodam instinctu has sibi quotidie, vel alias quascumque decantari curarent Missas, sive superstitibus, sive defunctis profuturas. *Quidam laicorum, & maximè matronæ habent in consuetudine, ut per singulos dies audiant Evangelium, In principio erat Verbum, & Missas peculiares, hoc est de Sancta Trinitate aut de Sancto Michaele. Et ideo sancitum est, ut hoc ulterius non fiat, nisi suo tempore, & nisi aliquis fidelium audire velit pro reverentia Sanctæ Trinitatis, non pro aliqua divinatione; & si voluerint ut sibi Missa cantentur, de eodem die audiant Missas, vel pro salute vivorum, aut pro defunctis. Can. 10.* Vides hîc Missas de Trinitate votivas, quibus tamen anteponantur, quæ singulis diebus sunt adsignatæ. Sed omnino Missas hîc perspicis pro singulis celebratas, qui utique usitato offerendi munere ibi fungebantur.

III. Antonio Augustino authore usus Baronius, Concilii meminit Compostellani anno 1056. in Hispania, quo præcipiebatur, ut Episcopi, Presbyterique quotidie sacra facerent. Non possum non multum tribuere fidei & authoritati Antonii Augustini. Aliàs non facilè mihi persuaserim ejusmodi Canonem conditum fuisse, si eus ea sententia & jussio est, ut eorum quisque quotidie sacris operetur. Non facilè lege communi ad id omnes constringi potuere Presbyteri, quod singularis proprium est specimen pietatis. Si certis tamen nitatur is Canon præsidiis, ad Episcopos & Parochos, qui usitatissimè Presbyteri dicebantur, restringendus erit: quod eorum maximè partes essent, ut quotidie Mysteria frequentarent.

Multò certiùs est eodem sæculo undecimo coercendam fuisse Presbyterorum licentiosam pietatem, eorum, qui plures una qualibet die Missas celebrabant. Ideo enim Concilium idem Salingestadiense prohibuit, ne quis Presbyter plures uno die, quàm tres decantaret Missas. *Ut unusquisque Presbyter in die non ampliùs, quàm tres Missas celebrare præsumat. Can. 5.* Eò spectat & Decretum illud, ab Ivone Carnotensi, & à Gratiano ad tempora relatum Alexandri II. Eo enim significatur, Christum semel pro nobis in cruce passum, ideoque & Presbyteros singulos una diebus singulis immolatione contentos esse debere; nisi quis cupiat præter propriam ejus diei Missam, etiam pro mortuis celebrare: porro piaculare illud esse flagitium, si quis sæpius quolibet die celebret, ut avaritiæ, vel humanis affectibus obsequatur. *Sufficit Sacerdoti Missam unam in die celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Non modica res est unam Missam facere, & valde felix est, qui unam dignè celebrare potest. Quidam tamen pro defunctis unam faciunt & alteram de die, si necesse sit. Nam qui enimque pro pecuniis aut adulationibus sæcularibus una die præsumunt plures facere Missas, non existimo evadere condemnationem. Gratian. De Consecr. d. 5. C. Sufficit.* Ex hoc Canone apertum est, oblatam fuisse pecuniam ab iis, qui sibi Missam fieri vellent; ideo & Presbyteros quosdam avaritiæ servientes, plures uno & eodem die celebrasse, quod meritissimè hîc damnatur; denique ne hîc quidem prohiberi, quin bis saltem uno die quis celebret, semel Missam diei propriam, ac rursum Missam defunctorum. Ejus autem pecuniariæ oblationis aliud promitur à Petro Damiani exemplum, in Presbytero, ita destituto, & à doctrina, ut non satis legere posset; & à re familiari, ut cogeretur quotidie Missam celebrare. *Tam parvam & tenuem in litterarum habet doctrina notitiam, ut aperta quoque scriptionis articulum syllabatim vix valeat legere; nimia tamen paupertate constrictus, utrumque Missarum cogitur solemnia celebrare. Opuscul. 47. c. 2.*

Illud non possumus non obstupescere, quod majori in Ecclesia Constantinopolitana Mysteria non celebrarentur nisi Dominicis diebus, Sabbatis, & majoribus Festis; donec sæculo demum undecimo adulto Constantinus Monomachus Imperator idoneos assignavit reditus, ut quotidie sacra fieri possent. Ex inopia enim annuorum proventuum fiebat, ut non quotidie sacra fierent. Ita refert Curopalates: *Siquidem usque ad illius tempestatem insignibus tantum diebus festis, itemque Sabbatis & Dominicis diebus incruentum Deo sacrificium peragebatur, reliquis autem diebus nequaquam. Id autem nulla alia de causa fiebat, nisi ob redituum inopiam; quos ille opipare constituens & abunde, ut quotidie sacra celebrarentur, author fuit, idque etiam nunc observatur. Baron. an 1054. n. 57.* Est omnino quod hîc vehementissimè stupeamus. An principe quippe in Imperii civitate, in Ecclesia urbis Regiæ maxima, in Templo Patriarchali, in Ecclesia illa longè magnificentissima, in qua & quingenti amplius ministri sub Justiniano Imperatore numerabantur, unde & legem ille sancire compulsus est, ne ultra eum numerum progrederentur; An ejusmodi, inquam, in Ecclesia non erant idonea stipendia, ut semel quotidie Missa celebraretur.

Longè ergo veri similius est, hoc reliquum fuisse vestigium vetustissimæ disciplinæ, & infrequentiæ Missarum. Pluribus enim tum in Ecclesiis non quotidie celebrabatur, alicubi diebus tantum Dominicis & Festis. Is ab ultima antiquitate usus retinebatur in Ecclesia Constantinopolitana, quòd pauciora semper majoribus in Ecclesiis, quàm in minusculis innoventur. Reditus ejus Ecclesiæ ad alios usus conversi fuerant; ad quotidianas Missas nulli fuerant additi, quod needum moris esset, ut quotidie in ea celebraretur. Interim verò minores Ecclesiæ novam & piam amplexatæ sunt consuetudinem quotidie celebrandi: cumque id invaluisset, jam novum mirumque cœpit videri, quod non idem in Ecclesia majori factitaretur. Cum ejus reditus alloqui uberrimi jamdiu ad alia essent derivati, lubens eam Imperator arripuit ansam explicandæ magnificentiæ & pietatis suæ, collatis stipendiis ad celebrationem Mysteriorum ferialibus etiam diebus. Vulgo creditum est uni inopiæ reditum imputandum esse, quod tandiu à sacrificii quotidiana celebratione cessaretur. At rem à capite arcessenti patuisset ideo reditus ei Missarum frequentiæ assignatos non fuisse, quod necdum usitatum esset, ut tam frequenter sacra celebrarentur in omnibus Ecclesiis. Quantacumque hîc nobis blandiatur species probabilitatis, suo quisque tamen per me licet utatur judicio; cui & ego lubens accesserim, si melius quis aliquid benignus impertiatur. Illud certè lubentissimè profitemur, longè conducibiliorem fuisse Missarum frequentissimam cele-

celebrationem in Ecclesia Latina, quàm infrequentem in Græca.

IV. Quæ hactenus porro disputata sunt, non eò trahi illa possunt, ut quidquam exigi aliquando licuerit pro Eucharistia, Baptismo, & Sepulturis, quod expressius vetitum est in Concilio Remensi anno 1049. sub Leone IX. qui plurimum ibi operæ & curæ posuit in insectandis simoniacæ vesaniç reliquiis: *Ne quis pro Sepultura, vel Baptismo, sive pro Eucharistia, aut infirmorum visitatione quidquam exigeret. Can.5.* Nec tamen abhorruere hujus Concilii Patres à laudabilibus consuetudinibus, dum ne eas laici ipsi exigerent. *Ne quis in atriis Ecclesiarum præter Episcopum & ejus Ministrum quaslibet consuetudines exigere præsumeret. Can.4.* Nec remisit is vigor duodecimo sæculo, in quod delabimur, in explodendis simoniacis exactionibus, tum ad Eucharistiam, tum ad alia Sacramenta. Eas omnes uno Canone circumscripsit Concilium Londinense anno 1138. Ita enim Legatus Papæ in eo Canone: *Sanctorum Patrum Canonica instituta sequentes, authoritate Apostolica interdicimus, ut pro chrismate, pro oleo, pro baptismate, pro pœnitentia, pro visitatione infirmorum, seu desponsatione mulierum, seu unctione, pro communione Corporis Christi, pro sepultura, nullum omnino pretium exigatur; quod qui præsumpserit, excommunicationi subjaceat.*

In Synodo Vvesmonasteriensi sub Archiepiscopo Richardo Cantuariensi, successore B. Thomæ Martyris, referente Rogerio, damnata est consuetudo offerendi denarios in ipsa Eucharistiæ communione. *Dictum est solere nummos in quibusdam locis dari pro communione. Hæc simoniaca hæresis esse detestata est Sancta Synodus.* Concilium Eboracense anni 1194. prohibuit ne Presbyteri paciscerentur de constituendo pretio Missarum suarum. *Ne Sacerdos aliquis pro celebratione Missarum pretio constituto pactum ineat, sed hoc dumtaxat quod offertur in Missa, recipiat. Can.5.* Concilium Turonense anni 1163. prohibuit nequid exigeretur pro chrismate, pro oleo, pro sepultura, utque ne valerent consuetudines contrariæ, quod diuturnitas temporis errores & corruptelas non elevet, sed potius gravet. *Pro sepultura chrismatis & olei sacri perceptione nulla cujusquam pretii exactio intercedat; neque sub obtentu alicujus consuetudinis reatum suum quisquam tueatur: quia diuturnitas non minuit peccatum, sed auget. Can.6.* Non exigi tantùm vetat hoc Concilium, sed & qualemcumque abrogat exigendi consuetudinem. Itaque quàm certum est offerre solitos fideles vel pecuniam, vel aliud quidvis, & laudabiles eas consuetudines à Laicis religiosè tenendas fuisse: tam indubium est intercessisse semper Ecclesiam, ne quid exigerent Pastores. Petrus Damiani, perhibente Joanne Monacho, & alumno ejus, in ejus vita, cum puerulus adhuc reperisset nummum argenteum, diu animi dubius hæsit, quem in usum eam pecuniam conferret: ac decrevit tandem eam offerre Presbytero, qui sacrificium offerret pro patre ejus. *Melius est, ut tradam Presbytero, qui offerat sacrificium pro patre meo. Cap.2.* Dabatur ergo, non exigebatur.

In Constitutionibus Synodalibus Odonis de Soliaco, Episcopi Parisiensis creati anno 1196. illud edocemur, persæpè tum Presbyteros in decernendis pœnitentiis præcepisse; ut Missas sibi pœnitentes curarent celebrari; quanquam easdem ipsi Missas, qui eas indixissent, celebrare non possent, sive triginta dierum, sive unius anni. *Nullas Missas, quas injunxerit, celebret, nec tricenarium, nec annuale.* Multò minùs fas erat, ut ipsimet in se reciperent decantandas, quas indixissent trium, vel quinque annorum Missas. *Et pro minus, nullus triennale, vel quinquennale.* Has voces, *pro minus*, explanavi *multò minus*. Video quàm longè alius eis sensus appingi possit; sed nemo non videt quàm ex hoc in graves impingamus scopulos difficultatum. Rursum, quod magis mirere in eisdem Constitutionibus, prohibent illæ quidem, *Cap.6.a.12.*, exigi quidquam pro baptismo nondum collato: at postea non recipi modò, sed & exigi sinunt, quidquid est laudabilium consuetudinum. *Pro baptismo nihil omnino ante exigatur, sed post laudabilis consuetudo exigi potest. Cap.3. n.2.*

In Concilio Turonensi, quod modò laudatum est, vetabatur quidquam exigi, quin & ipsa exigendi consuetudo multò acerbiùs damnabatur, quòd mala quælibet longo usu ingravescant. Est ergo species & umbra aliqua conflictationis inter has Synodales Constitutiones & illud Concilium. Certè in Concilio de baptismo nihil expresè dicitur; & qua de agit consuetudo, nondum præscripta erat, nedum memoriam omnem hominum superaret, qualis ea de qua Constitutiones Odonis. Sed vereor, ut hæ responsiones satis solidæ habeantur, nec magis tergiversationes existimentur. Probabiliùs ergo forsan respondebitur, in Concilio Turonensi de Parochiis agi, quales pleræque sunt, ubi ex decimis, primitiis, oblationibus, & manso, seu fundo aliquo honestè Parochi possunt sustentari; at in Constitutionibus Synodalibus agi de Parochis civitatis Parisiensis, quibus nec decimæ sunt ullæ, nec terræ, & quibus non ea sufficit oblationum copia, qua vitam tolerare possint.

V. Nihil erat periculi, ne quid pro Missa exigeretur, cum possint fideles ea contenti esse participatione, qua fraudari non poterant. At verendum omnino erat, ne qui Presbyteri cupidiores avaritiæ se manciparent, & sacris operari abnuerent, nisi ubi mercedis aliquid ostenderetur. In hanc perversitatem effervescere visus est Robertus Pullus Cardinalis, ubi censuit ita rursum venire Christum, flagitio tantò detestabiliore, quantò nunc in paternæ gloriæ sempiterno regnat solio. *Quid est Missarum solemnia contuitu temporalis commodi celebrare, nisi cum Juda Christum vendere, tantò nequius, quantò resurgendo est sublimatus. Par.7. c.17.* Luculentissimè verò Arnulphus Lexoviensis Episcopus hæc duo edisseruit. Primùm, quàm infandum sit pretio æstimari Hostiam, quæ inæstimabile nostræ omnium salutis pretium sit. *Oportet offerentem puras manus inferre, ne quod impenetrabile est, omnique veneratione dignissimum, vel sub pretii recidat vilitatem, vel causis indignioribus expendatur.* Et rursum cum hujus sacrificii pretio nec finis, nec modus sit ullus, par illud utique esse, & redundans tum offerenti, tum pro quibus offertur, quorum singulis tantundem prodest, quantum si pro singulis eorum offerretur, quanquam offeratur pro universis. *Quoscumque enim Sacerdos effusæ charitatis latitudine complectitur totum simul omnium, totum uniuscujusque est sigillatim; nec integritatem dividit communicatio plurium, nec soliditatem minuit communicatio diversorum. Sic est, totus tibi Christus impenditur, totus mihi, totiusque in solidum te cohæredem hæreditatis admittit, quam totam mihi nihilominus repromittit. Epist.54.*

Succenset Petrus Cantor, *De verbo abbrev. c.27. 28. 29.*, iis Presbyteris, qui sæpiùs una & eadem die Mysteria celebrabant; & postquam illud à Concilio prohibitum fuit, sæpiùs iterabant preces illas omnes, quæ Canoni Missæ præcurrunt, ut hæ instar haberent plurium Missarum, quæ una tamen omnes Canonis recitatione, & Eucharistiæ consecratione concluderentur. Eò denique vesaniæ eruperant, ut si accurreret nemo ad Offertorium qui offerret, toties alias auspicarentur Missas, donec oblationis aliquid conferretur. Eas tum vocitabant *Missas multarum facierum.* In eos quoque exarsit Petrus Cantor, qui plurium sala-

lariis acceptis onam tantum eelebrabant Missam. Quin & tanto malo medendum existimavit, imminuto numero Ecclesiarum, Altarium, Presbyterorum, & consentaneè monitis Gregorii VIII. oblationibus non admittendis nisi quatuor majoribus anni celebritatibus, ad exequias, & anniversarium obitûs diem. Si reapse hæc adbibita fuissent medieamenta, pœnituisset forsan aliquando sui Petrum ipsum consilii, mala alia nempe expertum aliquaotò graviora, quæ ex hac medicina pullulassent. Hine saltem illud constabit, quàm execrabiles fuerint bæ corruptelæ.

VI. Revocandus nunc stylus ad aliam Constitutionem Odonis Episcopi Parisiensis, ubi probibuit ne Presbyteri, nisi gravissima urgente necessitate, bis uno die eelebrarent. *Nullus bis in die Missam audeat celebrare, aut cum duplici introitu, nisi in magna necessitate. Cap.7. n.9.* Cum pecunia tunc ut plurimum ad Missam offerretur, hinc avaritiæ species vel suspicio quædam iterationi Missarum affrieabatur. Erant tamen ex hoc ipso Decreto eausæ quandoque justæ ut iterarentur. Edicto quidem Ethenulphi Regis Angliæ jubebatur quisque Sacerdos bis eelebrare, semel pro Rege, iterumque pro ducibus exercitûs: sed non expresè dicitur, ut uno & quovis die id fieret. *Unusquisque Presbyter duas Missas, unam pro Rege, & aliam pro ducibus ejus dicat. Vuil.Malm. pag.41.* Saliogestadiensis Concilii tempore usus invaluerat, ut multò plurimas uno & eodem die Missas concelebrarent; unde nil ulteriùs præcepere hujus Coocilii Patres, quàm ut ne plures tribus uno die eelebrarentur. *Ut unusquisque Presbyter in die non amplius quàm tres Missas celebrare præsumat. Can.5.* Postea vetitum est, ne plures quàm duæ, & ne tot quidem dicerentur, nisi urgente necessitate. Monet Honorius Augustodunensis abundè esse, ut una uno die Missa decantetur: sed duas tamen tresve decaotari posse, si gravis immineat necessitas, nempè plurium uno die concurrentium eelebritatum, cum Romæ die Christi Natalitio iter Mysteria celebrentur. *Semel in die debet Missa ab uno Sacerdote celebrari, sicut & Christus semel voluit immolari. Si autem necessitas exigit, id est, si duæ festivitates simul concurrunt, duæ, vel tres celebrari poterunt. Quia & Romani hoc in die Natalis Domini faciunt.*

Illud ergo tunc usu receptum erat, ut si plures in unum diem inciderent solemnitates, plures etiam à quolibet Presbytero fierent Missæ. Antea plures à pluribus Presbyteris decantabantur, post ab uoo & eodem decantatæ sunt; & nunc tandem revocato priore usu plures à pluribus celebrantur Missæ, vel minorum festivitatum commemorationes uni intertexuntur principalioria celebritatis Missæ. Tres in Natalitio Christi celebrari Missas antiquissimi moris est, eum ejus meminerit Gregorius Magnus. Decursu temporis cum cœpissent Presbyteri singuli ea sacra facere, quæ antea omnes conjunctim celebrabant, cumque in dies major eupido incesseret imitandæ Ecclesiæ *Romanæ*, inde perfectum, ut totum Occidentem pervagaretur illa consuetudo; triplicis in Natali Christi Missæ decantandæ. Duæ quoque celebrabaotur Missæ in festo die Paschæ, & in Narali Joannis Baptistæ. Ita perspicuè Synodus Oxfordiensis sub Henrico III. de die Paschæ: *Ne Sacerdos quispiam Missarum solemnia celebret bis in die, excepto die Nativitatis & Resurrectionis Dominica.* Prior illa diei Paschæ Missa illa ipsa est, quę Sabbato Sancto imputatur volgò, ut quæ noctu decantaretur, nec desineret nisi jam illucescente die Paschæ. Nec aliter res habebat in tribus Missis B. Joannis Baptistæ. Prima earum ad vesperas Vigiliæ celebrabatur. Ita dici supererant duæ. Ideo & alicubi inquirit Hugo Victorinus, *Quare in festo Sancti Joannis Baptistæ Missæ duæ in quibusdam Ecclesiis celebrentur. De Offic. div. l.3. c.6.* In responsionibus mysticis & longè quæsitis ad hanc quæstionem, his duabus Missis illam adjicit pervigili. Non ergo universim vigebat, ut alio, quàm Christi Natali die tres decaotarentur Missæ. Ideo & Inoocentius III. ei legi, una ut uoo die celebretur tantùm Missa, derogari negat, nisi in Natali Christi, & cogente gravi necessitate. *Respondemus, quod excepto Nativitatis Dominica die, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare. Extra. De celebr. Miss. c.3.*

VII. Attigimus jam ergo cum Innocentio III. ad sæculum decimum tertium. Concilium Londinense anno 1200. prohibet ab uoo plures uno die decantari, oisi jubeat necessitas, & tum monet, ut in Missa priori abstineatur ablutione. *Non liceat Presbytero bis in die celebrare, nisi necessitate urgente. Can.2. 4.* Hoc eodem Concilio, quo obrepenti per cuniculos obviaretur avaritiæ, vetitum est, ne in pœnitentiis injungendis Confessarius Missas dicendas injungat, nisi iis pœnitentibus, qui Presbyteri sint. *Id adjicimus ad Sacerdotum cupiditatem resecandam, ut Missę non injungantur in pœnitentia his, qui non fuerint Sacerdotes.*

Concilium Lambethanum in Provincia Cantuariensi anno 1206. causas omnes designavit, quibus etiam tum fas esset uno die uni Presbytero sæpiùs celebrare, die natalis Christi, die Paschæ, in sepulturis; si festum novem Lectionum, aut feria Quadragesimæ, vel quatuor Temporum eo die occurrant, quo celebrandæ sunt nuptiæ, aut si vices implendæ sint Parochi justa ex causa absentis. *Bis in die Missam nullus celebrare præsumat, nisi in diebus Nativitatis & Resurrectionis dominica, & quando corpus in propria Ecclesia fuerit dumtaxat tumulandum. Qui contra fecerit, ab officio se noverit suspensum, nisi fortè Canonica necessitate sit compulsus, quam sic duximus declarandam & limitandam, si in festis novem lectionum, vel in Quadragesima, vel in quatuor Temporibus, vel sponsalia fieri oporteat, vel subveniendo socio infirmo, vel pro Ecclesia suę negotio, vel propria necessitate, manifestè absente. Can.3.*

Verùm in Concilio Parisiensi anno 1212. qui præerat Legatus Pontificius, longè diversos turpesque explosit errores. Legati sibi extundebant à morientibus annalia Missarum, quandoque tria, immo & septem, vi etiam & pactione quadam adhibita. Cumque his desungendis tot Missis pares non essent, alios sibi subsidiarios asciscebant Presbyteros; aut Missæ siccæ pro mortuis recitabantur, Canone prætermisso: quasi eo fidem liberare possent. Ea omnia proscripsit hoc Concilium, inusta & damnata qualicumque rerum sacrarum & Sacramentorum venditione. *Probibemus, ne pro annualibus, vel triennalibus, vel septennalibus Missarum faciendis, laici, vel alii dare aliquid, vel legare in testamento cogantur; & ne super his aliqua pactio, vel actio vera, vel sub aliqua alia specie palliata, à Sacerdotibus, vel aliis mediatoribus fiat; Et ne superflua multitudine talium annalium se onerent Sacerdotes, ad quæ explenda honestè sufficere non possint, & propter quæ ipsos oporteat habere conductitios Sacerdotes, vel ea vendere aliis facienda, ut se exonerent, sicut Missas faciant pro defunctis. Sub eadem districtione probibemus, ne Sacramenta Ecclesiastica, vel sacramentalia ullo modo vendantur, sicut in Concilio Lateranensi est institutum. Can.11.* De Concilio Lateranensi III. hic verba fiunt. Eo enim prohibitum est, non recipi, sed exigi quidquam pro funeribus, pro conjugiis, pro Sacramentis aliis, quò enim id quidem vitium pervagatius esset, eò esse & exitialius. *Nec pro personis Ecclesiasticis deducen-*

cendis ad sedem, vel Sacerdotibus instituendis, aut mortuis sepeliendis, seu etiam nubentibus benedicendis, seu etiam aliis Sacramentis aliquid exigatur, districtius inhibemus, &c. Putant plures hoc sibi licere, quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine arbitrantur: Non satis, quia cupiditate cæcati sunt, attendentes quod tantò graviora sunt crimina, quantò diutius animam infelicem tenuerint alligatam. Can.7.

Exscriptus est autem hic à me Canon 17. Concilii Parisiensis, non ut habetur in Conciliorum editionibus proprio suo loco, sed ut multò & emendatior describitur, & explanatior in Constitutionibus Synodalibus Episcopi Sarumensis anno 1217. Articulus prior harum Constitutionum damnatis exactionibus præcipiebat servari laudabiles & pias consuetudines. *Sicut præcipimus pravas exactiones super his non fieri, ita pias & laudabiles consuetudines præcipimus observari, Can.14.* Ibidem denuo fit geminæ celebrandæ Missæ copia die Natalis & Paschæ, cum humo mandandum est corpus, & gravis necessitas ubi id extorquet. *Can.38.* Idem concessit Synodus Oxfordiensis anno 1222. præcipiens ut in exequiis prima Missa sit de die, altera pro mortuis. *Can.6.* In Constitutionibus B. Edmundi Cantuariensis Archiepiscopi anno 1236. innovatur Canon Concilii Parisiensis anno 1212. iisdem prorsus verbis contextus, quibus & in Constitutionibus Synodalibus Episcopi Sarumensis anno 1217. *Can.8.* Innovatur & illud ibidem Caput Constitutionum earundem Synodalium, ubi vetantur Clerici exigere, jubentur Laici accuratè persolvere laudabiles consuetudines. Concilio Turonensi anno 1236. placuit, *Can.7.*, non omnino rem permittere arbitrio Laicorum; sed ita lubricum cum primis negotium temperari: Antè ne quidquam exigeretur; post sacramentum acceptum concederetur exigi laudabiles consuetudines. Si contumacius recusaret quis, Minister Sacramenti continere se jussus est, & quiescere, sed Prælato mandatum, ut censurarum Canonicarum jacula distringeret. *Innovamus ut sacramenta Ecclesiastica gratis exhibeantur: inhibentes ne pro eis antequam fiant, aliquid petatur, seu etiam exigatur. Quibus gratis exhibitis, poterit peti, quod de pia consuetudine exigi consuevit; subditos ad hoc per Prælatos censura Ecclesiastica compellendo. Can.4.* Eo Canone confirmabatur Decretum Concilii IV. Lateranensis, quod mox referemus.

Ita concordant Canones, usuſque specie tenus pugnantes, ubi exigi plerumque prohibetur, permittitur nonnunquam, post collatum sacramentum, & ubi de laudabili consuetudine tuenda agebatur. Qui exigi quidvis unquam prohibuere Canones, si puduri & verecundiæ consuluere Parochorum, qui vix à plerisque crederentur, non cupiditatis privatæ, sed justitiæ & charitatis instinctu agi, si Canonum pœna iis intorquerent, à quibus juribus suis fraudantur. Qui verò Canones exigi patiuntur, non jura nova, sed antiquas & laudabiles consuetudines, ii ad Prælatos superiores pertinent, qui ex officio tenentur suo, providere, ut & fideles munere fungantur in Pastores, utque Pastores ne necessaria frustrentur sustentatione.

Ad institutam redeo seriem Conciliorum sæculi decimi-tertii. Anno 1248. editæ Constitutiones Pontificii Legati in Insula Cypro, sive Nicosiæ, vetabant quidvis exigi pro baptismo, conjugio, & sepulturis; sed Prælatos urgebant, ut operam impenderent tuendis laudabilibus consuetudinibus. Synodus Coloniensis anno 1280. concedit, *Cap.1.*, ut duæ celebrentur Missæ, si causæ id postulant suprapositæ, maximè si altera sit pro mortuis celebranda. Anno 1284. Synodus Nemausensis majoribus Festis omnibus duas permittit celebrari Missas, si priori plebs omnis interesse non potuisset. In Concilio Virtsburgensi anno 1287. acerbioribus pœnis plectendi visi sunt, qui bis uno die celebrarent. *Nulla necessitate, sed solum quæstum. Tit. de celebr. Miss. Can.15.* In Synodo Bajocensi permissæ sunt duæ Missæ urgente necessitate, vel ad funus, vel in quadragesima, incidente Festo solemniori, vel die Paschæ.

VIII. Constitutiones Archiepiscopi Cantuariensis anno 1281. duo quædam præcipiebant de Eucharistia, & Missarum celebratione. In eorum altero illud observandum venit, minoribus in Ecclesiis jam soli celebranti fas fuisse sub utraque specie communicare; *Solis enim celebrantibus sanguinem sub specie vini consecrati sumere in hujusmodi minoribus Ecclesiis est concessum.* In altero verò vetitum est, ne plura annalia recipiant, quàm quot habent Presbyteros iis exolvendis, nisi consentiat testator, ut Annale suum cum cujuspiam alterius annali copuletur. *Nullus plura recipiat annalia celebranda, quàm habet socios celebrantes, illo casu excepto, in quo procurans suffragia fieri pro defuncto, consentit expressè defuncti memoriam alii, vel aliis copulari. Can.1. 2.* Nec enim potest Presbyter, qui binas pollicitus est Missas, una satisfacere: *Ne credat celebrans se dicendo Missam unam posse satisfacere pro duobus, pro quo utroque promisit specialiter & in solidum celebrare.* Mille utputa hominibus non tantundem infundit gratiarum una Missa pro iis celebrata, quantum si mille celebrarentur. *Absit enim, ne à quoquam Catholico credatur tantam intentione prodesse Missam unam devotè celebratam pro mille hominibus, pro quibus forsan dicitur, quantum si mille Missæ pro eis devotione simili canerentur.* Quanquam enim & meriti & pretii sit prorsus infiniti cœlestis hæc & divina hostia, non explicat illa hic tamen infinitam illa vim suam & beneficentiam; aliàs enim uni mortuo una tantùm celebranda foret Missa. *Licèt ipsum sacrificium quod est Christus, sit infinitæ virtutis, non tamen in sacrificio sua immensitatis summam plenitudinem operatur. Alioquin pro uno mortuo nunquam oporteret, nisi unam Missam dicere. Operatur enim in hujusmodi Mysteriis distributione certa suæ plenitudinis, quam ipse eisdem lege infallibili illigavit.* Objicit sibi Præsul hic doctissimus Caput *Non mediocriter*, quod Gratianus, *De consecr. d.5.*, Hieronymo tribuit, & quo affirmatur: Multitudini hominum fructuosam non minus esse hanc hostiam divinam, quàm si pro singulis offerretur. *Dum igitur pro cunctis animabus Psalmus vel Missa dicitur, nihil minus, quàm si pro uno quolibet ipsorum diceretur, accipitur.* Non satis compertum habeo, cujus sit hic contextus. Sed illud apertum est, ea verba tam psalmodiæ Ecclesiasticæ & ejusmodi precibus aliis coaptari, quàm Missæ, cum illarum in confesso sit finitam esse vim. Sensus ergo est tam latè patere posse viscera charitatis, qua preces omnes velut animantur, ut tam amplecti, & tam juvare possit multitudinem, quàm singulos homines. Sed nihilo tamen minus, & singulis, & multis longè fructuosius est, ut celebretur, & oretur, pro ipsis sæpius, quam rarius, aut semel. Id verò ne in controversiam quidem trahi potest, & id unum tamen est, quod permagni interest, & quod Concilia laborarunt constituere in usu Sacramentorum. Nec enim quæritur, an qui celebrat, & celebrare tenetur pro unoquolibet, teneatur alios excludere quoslibet à fructu sacrificii sui, ne qua hostiæ suæ parte fraudet eum, qui obtulit; contra enim æquum est latitudine charitatis omnes prorsus homines constringi & in unum conglutinari. Sed illud inquiritur, an qui pollicitus est toties celebrare, teneatur, non semel, sed verè toties ce-

le-

lebrare; & certissimum est teneri; quod vel multitudini nominum, vel singulis fructuosius certissimè sit pro ipsis sæpiùs, quàm semel, & orari, & sacra fieri.

IX. In decimum-tertium sæculum conferendæ fuerant Decretales Gregorii IX. sed cum earum pleraſque jam delibaverimus suo quasque tempore, paucis hic alias subtexemus. Vetuit Alexander III. ne ab Episcopo pro Chrismate quid exigeretur, etsi suæ ille huic exactioni fucum appingeret Cathedratici, & laudabilis consuetudinis, vel consuetudinis Episcopalis. *Audivimus quod nummos pro Chrismate ab Ecclesiis extorqueatis, quos nunc Cathedraticum, aliquando præstationem Paschalem, interdum Episcopalem consuetudinem appellatis. Quia verò hoc simoniacum esse cognoscitur, mandamus quatenus prætexta alicujus consuetudinis vel prælationis præscriptos denarios nullatenus exigatis. Extra. De Simon. c.16. 21. 29.* Vetuit Innocentius III. quidquam exigi pro sepulturis & conjugiis. *Pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium minus licitè pecuniam ab eis exigit & extorquet Capellanus. Can.36. 41.* Ab eodem ipso denudata & damnata est Episcoporum Angliæ astuta simonia, qui cum jam non possent pro Chrismate Denarios Paschales exigere, *Denarios Chrismales, vel Paschales:* eandem pecuniam exigebant media quadragesima, eamque appellitabant *consuetudinem mediæ quadragesimæ.* Vetuit & nequid emungeretur ab illis, qui in Cœnobiorum Ecclesiis sepeliri se curabant. Sed nihilominus ab hoc eodem Pontifice publicatum est celebratissimum illud Concilii Lateranensis IV. Decretum, cujus summa in Decretalibus duo continet illa, in quibus totius hujus controversiæ cardo vertitur: *Sacramenta sunt liberè conferenda, cogit tamen Ordinarius laicos observare laudabiles consuetudines.* En ipsa jam Decreti verba, prohibitis priùs exactionibus in sepultura & conjugio. *Quapropter super his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari: statuentes ut liberè conferantur Ecclesiastica sacramenta, sed per Episcopum loci veritate cognita compescantur, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immutare. Ibid. c.42.* Malui huic Decreto locum dare inter eas Decretales, ex quibus hodiernum compingitur Jus Canonicum Ecclesiæ, quàm in Conciliorum cujusque sæculi contextione; ut magis magisque commendetur hæc esse duo summa Capita Ecclesiasticæ nunc in his Disciplinæ.

CAPUT LXXIII. *P4.l.3.c.6.*

De iisdem laudabilibus consuetudinibus post annum Christi millesimum quadringentesimum.

I. Statuta sæculi decimi quarti, de pluralitate Missarum, & de oblationibus, vel eleemosynis ad celebrandum erogatis. Aliæ aliis sæculis causæ & rationes, frequentiùs, vel infrequentius celebrandi.

II. Sequentium statuta sæculorum, usque ad Concilium Tridentinum, ad tuendas laudabiles consuetudines, ad quantitates pecuniæ definiendas, ad Episcopalem authoritatem interponendam pro earum exactione, ad alias interim tentandas rationes sustentandorum urbis Parochorum.

III. Statuta Concilii Tridentini de pactionibus Missarum, de Collectis, de Fundationibus accumulatis. Potestas in his concessa Prælatis.

IV. Statuta B. Caroli, Conciliorum Mediolanensium, Cameracensis, & Mechliniensis, de laudabilibus consuetudinibus, de definiendo salario Missarum, de numero earum minuendo, de fundationibus moderandis.

V. Statuta Conciliorum Galliæ novissimorum de iisdem.

VI. Responsa Congregationis Concilii.

VII. Gersonii de his sententia.

VIII. Cur in hoc argumento versando longiores fuerimus.

I. IN sæculum decimum-quartum aditum pandet nobis Concilium Toletanum anni 1324. cui dolori erat & pudori nundinatio veluti quædam Missarum, exigentibus Presbyteris certas pecunias, quasi immortalis jam & in summum cœlestis gloriæ verticem subvectus Christus Optimus Maximus, corruptibili adhuc pretio quopiam æstimari, & venire posset. *Æstimantes ipsum Deum, qui nobis sub specie dicti sacramenti se exhibet, pecunia posse vendi. Can.67.* Prohibetur hîc ergo quidquam exigi, etsi spontaneas fas sit recipi oblationes fidelium. *Ne Presbyter pro Missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem, sed gratè accipiat, si aliquid per facientem Missas celebrari oblatum sibi charitativè fuerit, absque pacto, vel conventione quacumque.* Legis hujus transgressores suspenduntur, & arbitrio præterea mulctantur Episcoporum. Canone sequenti vetantur Presbyteri sæpius celebrare, quàm semel die quolibet, excepto Natalis Dominici die, & si qua ingruat necessitas ineluctabilis. Jubentur iidem Presbyteri quater saltem anno quolibet sacra facere, & quo facilior eis copia fiat confitendi, *Si non possint commodè copiam sui Curati habere*, permittuntur pro arbitrio suo alium quemvis sibi Confessarium deligere. Clerici reliqui jubentur anno quovis ter saltem ad Eucharistiam accedere, ut eo impensiori pietatis obsequio, laicis præcellant. Quæ postrema decreta eo consilio hic deprompsi, ut hinc pateat, quàm defervuisset pristinæ charitatis & religionis ardor: nec jam miremur, si tam segnes & pigritantes Presbyteri, Missarum solemnia celebrare cunctarentur, & refugerent, nisi oblata à laicis mercede allicerentur. Nec enim jam primæva illa verecundia & religio hos retardabat à frequenti vel communione, vel celebratione Missarum; sed segnitia illos & stupor ab Altaribus abducebat, admovebat pecuniæ cupiditas. Ita alio & alio tempore infrequens & communio, & sacri celebratio, adscribenda fuit causis longè diversissimis, & adversa fronte pugnantibus, charitati & cupiditati. Uti & frequentior sacrificii celebratio eodem tempore, nunc ab horum æstuante charitate profecta est, nunc ab aliorum insatiata cupiditate. Rariùs ineuntis Ecclesiæ temporibus celebrabant, & in unam hostiam omnes sacrifici conspirabant, religioso horrore terrifici sacrificii. Postea teneritudo quædam charitatis eò pervasit, ut singoli singulis diebus sæpius Mysteria celebrarent. Tertia denique ætate horrori fuere Presbyteri avaritiæ facibus ardentes, quia pluries celebrandi libertate abuterentur, ut thesauros iniquitatis sibi aggerarent. Quibus ea successere tempora tristissima, ubi extincta charitatis flamma, abstinuerunt se longè plurimi à celebratione sacrificii, nisi eò illicerentur, vel mercede proposita, vel fundationum necessitate.

Non quò implendæ non sint fundationum conditiones. Eo munere olim strenuè fungebantur in Majore Monasterio, ubi authore Glabro à diluculo ad medium usque diem continuabantur Missæ, eoque præsentissimo adminiculo expiatoriis flammis multæ eximebantur defunctorum animæ, & in Beatas sedes maturius devolabant. *Erat siquidem, ut ipsi perspeximus, mos illius Cœnobii à prima*

ma diei aurora usque in horam prandii propter fratrum copiam continua Missarum celebratio. L.1.c.1. Ex adverso autem cum Benedictus XII. Constitutiones conderet Canonicis Regularibus Sancti Augustini anno 1339. Presbyteros Conventualium Cœnobiorum non cogebat, nisi ad binas qualibet hebdomada celebrationes incruenti sacrificii; semel tantùm fungi eo religionis officio cogebat in Cœnobiis non Conventualibus: Abbates verò, Præpositos, & Priores Conventuales, jubebat quotidie sacris operari, vel interesse: nihil hinc imminuendo Missarum numero, qui fundationibus & priscis fœderibus præscriptos fuisset. *Vel sæpius celebrando locorum onera supportare.* Cap.30. Cum liberæ autem & gratuitæ fuissent hæ fundationes, nec onera ea subiissent, nisi volentes, æquissimum erat præstari, quod pepigissent.

II. Decurrenda nunc restant posteriora sæcula, idque paulò festinantiùs, cum prioribus illis statutis, summa & prudentia libratis & charitate temperatis, illud statum semper esset, nihil ut exigeretur, ac ne peteretur quidem antè administrata Sacramenta; post illa verò administrata, peteretur & reciperetur, quod moris esset; exigeretur tamen nihil, sed Prælatis superioribus permitteretur, invigilare, ne vel laici à laudabilibus desciscerent consuetudinibus, quod nisi irreligiosè & sceleste facere possent: vel inferiores Pastores necessariis fraudarentur vitæ adminiculis. Antiquæ Constitutiones Synodales Ecclesiæ Rotomagensis, Parochos cohibebant, ne suæ ipsi injuriæ ultores essent, urgebantque Archiepiscopum, ut instaret servandis laudabilibus consuetudinibus. *Sunt per Archiepiscopum compescendi, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immutare. Et ideo inhibetur ne Sacerdos aliquis in casibus hujusmodi audeat sibi jus dicere, sed apud Superiorem querelam deponat.* Pag. 139. 307.

Synodus Salisburgensis anno 1420. Can.7. duo illa innovavit statuta, quæ eadem confirmavit anno 1524. Campegius Cardinalis in Constitutionibus à se editis ad Cleri Germanici disciplinæ redintegrationem. Illud verò ab eodem additum est, ut frequentibus illis Parochorum & Parochiarum altercationibus dirimendis, circa summas piarum ejusmodi erogationum, Episcopus re multùm diuque consultata cum Principibus & Dominis temporalibus, quorum res ageretur, summas & quantitates definiret, ea ratione inita, ut ne viduæ, orphani, & pauperes gravarentur. *Cum autem in Diœcesibus non sit eadem consuetudo, & inter subditos & Pastores multa & varia emergant dissidia. Pastoribus quibusdam plura exigere propensis, subditis verò ob penuriam & egestatem reclamantibus & recusantibus; ordinamus, quod quilibet Ordinarius infra sex menses post præsentium publicationem, omnibus perpensis, beneque & sufficienter examinatis, super prædictis certam legem ordinationemque unà cum Principum aut sæcularium dominorum consilio, quos ista negotia tangunt, constituat; ne viduæ, pupilli, & alii pauperes nimium ultra vires injustè graventur.* Cap.6. 7.

In Concilio Coloniensi anni 1536. præceptum est, ut in urbe ipsa Coloniensi servarentur laudabiles consuetudines, tamdiu sanè, dum Episcopi adminicula quæpiam alia conquisissent Parochis procurandis. *Laudabilem tamen consuetudinem in civitate nostra Coloniensi erga Sanctam Ecclesiam pia devotione fidelium introductam, per has nostras Synodales Constitutiones nolumus immutare, donec ipsis Parochis intra eandem civitatem de sufficienti victu fuerit provisum.* Part.8. c.7. Non injuria nimirum hujus Concilii Patres odorabantur, etsi summo jure niterentur laudabiles verè consuetudines istæ, invidiosum tamen nescioquid iis inesse, quoties per Prælatos superiores vis ad exigendum quidvis afferenda, fulmen intentandum esset. Ideo ab Episcopis voluere perquiri, & tentari rationes quaspiam & opes alias, ab odio & invidia magis semotas, Parochis civitatum consulendi. Synodus Augustana anno 1548. legibus agi voluit adversùs Laicos pertinacius detrectantes: *Quantum de jure est, astringi volumus, atque compelli.* Cap.22.

In Concilio Moguntino anni 1549. Cap.92. ut frænaretur Presbyterorum avaritia, Sacramenta abnuentium, nisi persoluto salario, vix indultum eis est, ut quod consuetudinis erat exigerent. Eodem anno Concilium Trevirense, Can.14., quantitates ipsas pecuniæ præfiniit, quæ recipi, vel exigi possent pro Baptismo, Pœnitentia, Conjugio, Extrema-unctione, funere. Stephanus Poncherius Parisiensis Ecclesiæ Præsul creatus anno 1503. summas & quantitates descripsit omnium laudabilium consuetudinum, inseruitque Constitutioni suæ Senatusconsultum Parisiense anni 1501. datum in causa civium Abbatisvillæ persimili. Ab Eustachio Bellicensi & Henrico Gondio confirmatæ sunt eædem consuetudines. *Synod. Pari.* pag.85. 86. &c. 355. 372.

III. In Concilio denique Tridentino proscriptæ sunt conventiones, seu pactiones quælibet pro Missis, maximè novis, seu primis; collectæ item importuniores, & omnes prorsus artes sordidissimæ lucri vel simoniacè comparandi. *Cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis novis celebrandis datur, necnon importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quàm postulationes, aliaque hujusmodi, quæ à simoniaca labe, vel certè à turpi quæstu non longè absunt, omnino prohibeant.* Sess.22. At eosdem Tridentinos Patres alia mox se cogitatio & cura incessit, Sess. 25. c.4., de fundationibus in immensum quendam cumulum exaggeratis, & de reditibus contrà earum incredibiliter extenuatis in quibusdam Ecclesiis, de eleemosynis fere jam exarescentibus, de fundis ipsis alicubi dissipatis, vel alienatis, ut nulla jam facultas suppeteret satisfaciendi. Hinc à Concilio copia facta est Episcopis in Synodo quibusque sua, Abbatibus & Generalibus Ordinum in Capitulis generalibus, decreta super his condendi, quæ consentanea maximè & conducibilia viderentur ad Dei laudem, & ad utilitatem Ecclesiæ: ita tamen ut in Missa commemorarentur saltem defuncti, qui piis legatis Ecclesiam ornassent. *Facultatem dat sancta Synodus Episcopis, ut in Synodo Diœcesana, itemque Abbatibus & Generalibus Ordinum, ut in suis Capitulis generalibus, re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia, in prædictis Ecclesiis, quas hac provisione indigere cognoverint, statuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire; ita tamen ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro animarum suarum salute legata ad pios usus reliquerunt.* Ibidem.

IV. Affirmat Giossanus, L.8. c.4., *Vetuisse B. Carolum, ne quis Presbyterorum suorum quidquam acciperet pro Sacramentorum administratione, ne obtentu quidem eleemosynæ, ut avaritiæ suspiciones funditus tolleret, & his Christi verbis obsequentiores faceret, Gratis accepistis, gratis date.* Concilium I. Mediolanense, Cap.15., vestigia premens Tridentinorum Patrum, edixit, ut Episcopi & Presbyteri Dominicis saltem & Festis diebus sacra facerent: Parochi ter saltem hebdomada qualibet, nisi si sæpiùs id factitari usus Ecclesiæ posceret, aut consuetudo. Concilium VI. Mediolanense ubi graviora essent onera Missarum, allevari ea jussit, juxta potestatem & normam Concilii Tridentini. Concilium Mediolanense I. *Ibidem* cum extirpasset radicitus conventiones omnes, vel simoniæ, vel sordium infamia oblitas in funeribus,

hinc

hinc rumor deditus, damnatas quoque fuisse laudabiles consuetudines. Ei rumori nullo capite, nullo certo authore serpenti obviavit Concilium II. Mediolenense, præcepitque Episcopis, ut explanarent ipsimet quæ laudabiles essent consuetudines, easque retineri curarent. *Episcopus habita locorum & personarum ratione in funeribus & exequiis, qua pia instituta & consuetudines laudabiles sibi videbuntur, arbitratu suo servari jubeat. Cap.17.*

Concilium Cameracense anno 1565. idem præcepit Episcopis, sed multa Magistratuum Civilium interventione & ope adjuvandis, ut suprà à nobis est declaratum: Verba autem Cameracensis Concilii hæc sunt. *Tit.16.c.9. In Ecclesiis, in quibus jura Pastoralia, vel conventione, vel authoritate Magistratuum sunt ordinata, ea jura maneant, si aqua fuerint: si minùs vel augeantur, vel minuantur, Episcopi ac Magistratûs judicio. In quibus autem non sunt determinata, ineatur ratio cum eodem Magistratu, ut fiat.*

Stipulari pro annalibus vetuit Concilium Mechliniense, vel pro septem, vel triginta Missis, quibus mos est defunctis opitulari: sed ubi pia hæc officia persoluta sunt, tum verò lege agi potest, ut laudabilibus satisfiat consuetudinibus. *Juridicè exigant, quod ex laudabili consuetudine solvi consuevit.* Vetuit etiam hoc Concilium stipulari quidquam pro Missis, sed recipere quod gratis offertur. *Quod sponte oblatum fuerit, recipiant.* Sed omnino interdicitur, ne plura quis honoraria pro una Missa recipiat. *Caveant ne stipendium plurium Missarum simul veneatur, sed qui ratione beneficii, aut alterius fundationis ad Missam certo die celebrandam obligantur, ab aliis eodem tempore abstineant, nisi subsistente causa, & per alium sibi incumbens onus adimpleant. Qui contra fecerint, severiter puniantur. Tit. de Decanis Christ. c.11. 12.* Eodem in Concilio concessum est Episcopis Missarum multitudinem, cui jam impares erant Ecclesiæ, contrahere, si eæ in titulum Beneficii non excrevissent; contrahere autem ad eum, qui hîc præscribitur pro singulis, pecuniæ modum. *Missas quoque tenuiter fundatas & in Beneficii titulum non erectas, statuit per Episcopos, vocatis quorum interest, ad proportionem quatuor, quinque aut sex grossorum Flandrio, prout attentis circumstantiis judicaverint expedire, sed non ultra in singulas Missas reduci posse. Tit. de Semin. c.2. 3.* Si onus illud Missarum Beneficiario culpam impositum sit, potest etiam tum contrahi earum numerus, si nulli præterea ei reditus suppetant. At si vel ex his Missis, vel aliunde suppetat, quo honestè sustentetur, nefas est eum numerum decurtari. *Si omnibus computatis, honestè vivendi competentiam Rector Beneficii habeat, reductio negetur.* At in posterum nullæ admittentur Missarum fundationes, nisi adsignata in eas singulas quantitate hic definita: *In posterum verò nulla nova fundationes Missarum, infra dictam taxam admittantur.*

V. Concilium Rotomagense anni 1581. Episcopis præcepit, authoritate ut à Tridentinis Patribus sibi concessa uterentur ad Missarum fundationes: statuitque ne posthac admitterentur ullæ, nisi tempori & loco accomodatæ. *In posterum verò non facilè recipiantur fundationes, nisi habita ratione temporum & locorum. Tit. De Curator. offic. c.16. 26.* In eodem Concilio jussi sunt Parochi cum Parochianis in commune consulere, & determinare quantitatem laudabilium consuetudinum; aut si duriusculos eos experiantur, vel obstinatiores in his piis erogationibus ad Sacramentorum administrationem abnuendis, provocare eos ad judicium Episcopi, qui omnibus pro sapientia & æquitate sua moderaretur, in illis maximè civitatibus, ubi Parochorum non alii proventus sunt ulli. *Volumus eos vocari à Curatis coram Episcopis, ut circumspectis omnibus; quod rationi videbitur convenientius, constituatur, præsertim in civitatibus & oppidis, ubi refrigescit charitas & abundat iniquitas, nec Curatis ullo decimo, aut alii suppetunt proventus.* Denique illud testatum faciunt Concilii hujus Præsules, inter laudabiles consuetudines, quarum vinculis expedire se non possunt Laici, numerandas jure merito esse oblationes ad Missam diebus Dominicis & Festis. In Concilio Remensi anno 1583. vetatur quidquam exigi pro Sacramentis & funeribus, nisi quod jure permittitur, & laudabilius consuetudinibus. *Qui pro Sacramentorum administratione, vel sepulturis aliquid exigunt, præter ea, quæ de jure, lege, vel consuetudine laudabili conferuntur, habeantur simoniaci; non autem si sponte oblata recipiunt. Tit. de Simon. c.9.*

In Concilio Turonensi anno 1583. injunctum est Episcopis, ut laudabiles consuetudines Parochis exolvi curarent, juxta Edictum Blesense: utque defigerent convenienter locis & temporibus pias erogationes faciendas ad Parochorum honestam sustentationem. *Sedulò curent Episcopi ut jura eis debita & ab antiqua & laudabili consuetudine solvi consueta, tam pro sepulturis & funeralibus obsequiis, quàm pro aliis etiam officiis in suis Ecclesiis celebrandis, integrè & sine fraude præstentur, juxta Regium Edictum, ad trium Ordinum regni Blesis congregatum supplicationem promulgatum. Atque hoc cujusque loci more, temporum ratione & Rectorum necessitate, talia illis ab Episcopis assignentur, quo illorum victui, cæterisque rebus necessariis satis sint, nec Parochianis gravia debeant esse, vel molesta.*

In Concilio Bituricensi anno 1584. hocce aliud concinnatum est Decretum, in quo longè plurimum esset utilitatis. Concessum est enim Episcopis, ut Missas & Anniversaria contraherent, quorum jam ea esset copia & prolixitas, ut non possent satis decenter Ecclesiasticæ psalmodiæ & cæteri sacri ritus celebrari: ea utique illibata semper cautione, ut defunctorum memoriæ & commendationes fierent iis diebus, in quos conjecta fuissent ea onera. *In quibus Ecclesiis plura & varia Anniversaria constituta sunt; ita ut ad ea celebranda tempus sufficere non possit absque diminutione divini quotidiani officii; statuit hoc Synodus, ut Episcopi authoritate ejusmodi Anniversaria ad certum modum reducantur, & certis diebus celebranda præscribantur; commemoratione tamen semper habita eorum, qui legata & anniversaria reliquerint. Tit. De Cœmet. c.18.*

Concilium Avenionense anno 1594. voluit ut salarium cujusque Missæ, & Annalium commodè sufficeret ad Presbyteri alimenta. *Omnes hortamur, qui Missas votivas celebrari faciunt, ut Sacerdotibus tantùm eleemosynæ nomine impendant, quantum pro victu decenti & honesto illius diei sufficiat. Æquum est enim, ut juxta Apostoli sententiam: Qui altari servit, de altari vivat. Cap.23.* Qua eadem mensura voluit Concilium & præterita onera contrahi.

VI. Non ego hîc immorabor expendendæ ei quæstioni, an satis conveniat his statutis Conciliorum Provincialium cum Declaratione Congregationis Concilii, qua decretum est, potestatem contrahendi Missarum numeri à Tridentino Concilio Episcopis collatam, non spectare nisi ad fundationes Concilio ipso anteriores, non posteriores, ut author est Fagnanus, *In l.3. Decret. Part.1. pag. 98. 99.*, ad quas proinde consuli necesse est Pontificem ipsum. Idem dubitari potest de Missis, quibus obnoxii sunt Beneficiarii ex ipsa Beneficii fundatione. Et has enim respondit sacra Congregatio non posse ab Episcopo arctari ad minorem numerum, quanquam minùs idonei essent reditus.

An-

Anno 1625. complura edita sunt à Congregatione Concilii Decreta, *Num.43.*, quæ Bullis Urbani VIII. intertexta sunt, super numero Missarum celebrandarum, cum oblatio ejus, qui sibi Missam specialiter celebrari avet, impar est Presbytero in eum diem alendo. Definitur autem quantumvis jejunum sit stipendium, tot celebrari Missas debere, quot præscriptæ, quot promissæ; alioqui non satisfieri officio, peccari, restitui debere. *Ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis, celebrandis plura stipendia, quantumcumque incongrua & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in posterum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, &c. Sacra Congregatio sub obtestatione divini judicii mandat ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributę eleemosynę præscripta fuerint; ita ut alioquin iis ad quos pertinet, suę obligationi non satisfaciant, quin imò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur. Num.2.* Tum revocantur à sacra Congregatione quęvis privilegia, sive privatis, sive Congregationibus concessa, ut paucioribus celebratis liberarent fidem, & exolverent obligationem plurium dicendarum. Ea verò revocatio fit authoritate speciali Urbani VIII. à quo peculiari potestate munita fuerat sacra Congregatio, ad hæc decreta condenda. *Authoritate sibi specialiter attributa Sanctissimi Domini nostri Urbani VIII.* Et infrà: *Revocat privilegia & indulta, quibus indulgetur, ut certarum Missarum celebratione, &c. Plurium Missarum oneribus in futurum suspiciendis satisfit. Num.3.* Illud denique à sacra Congregatione declaratur. *Num.4. damnabile lucrum* esse, si quis Missarum lucri partem ipse sibi decerpat, eas aliis decantandas committat.

Ex his responsionibus emerserunt scrupuli, quos eximere curarunt iidem ipsi Cardinales Congregationis Concilii. Ex his secundis responsionibus hęc paucissima delibanda duxi. Celebrari debere numerum Missarum, qui præscriptus fuit, non ab Ordinario, sed ab eo, qui stipendium dedit. *Esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario.* Si qui stipendia Missarum obtulit, numerum earum certum non præstituit, tot celebrari debere, quot decernet Ordinarius, pro Civitatis vel Provinciæ more. *Quot præscripserit Ordinarius secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.* Denique Administratores Ecclesiarum & locorum piorum, quibus onus incumbit reparationum, nihil ex honorariis Missarum stipendiis demetere posse, nisi si nulli ad id aliunde reditus suppetant. 2. Et ne tum quidem ex iis posse delibare, nisi quantum omnino necesse est. 3. Denique ne tum quidem relaxatur inexorabilis ea lex, ut tot celebrentur Missæ, quot expetitæ sunt. *Nisi cum Ecclesię alios non habent reditus, &c. Quam portionem retinebunt, nullatenus excedere debere valorem expensarum, &c. Curandum ut ex pecuniis, quæ supersunt, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptę fuerint ab offerentibus eleemosynas.*

Non nescio quæ contrà objiciantur moles difficultatum, nec eo tamen deterritus sum, quin hęc tanti ponderis decreta proferrem. Afferam plausibiliorem, & à pluribus proinde admittendam responsionem aliam ejusdem Congregationis, ubi ab ea responsum est B. Carolo Archiepiscopo Mediolanensi, non posse ab eo cogi Beneficiarios simplices, ut in Ecclesiis Parochialibus ministerio aliquo fungerentur, per sese, vel per substitutos. Ne cogi quidem illa voluit ab Episcopo Æsculano Beneficiarios simplices, ut singulis hebdomadibus vel celebrarent ipsi, vel celebrari curarent binas saltem Missas in Ecclesia Cathedrali, etsi simillimum esset veri, & ex Capellæ ruderibus conjiceretur, illis Beneficiis ab oxordiis suis aliqua Missarom onera esse imposita.

Scitè à Fagnano animadversum est, famosum illud Alexandri III. decretum, *Significatum, De Præbendis*, ubi pronuntiat Pontifex; cum Beneficiario quotidianæ celebrandæ Missæ munus imponitur, interpretandum id esse, quantum sinit honestas pietasque, quòd eæ incidant temporum rerumque molestiæ, per quas non liceat tum piè celebrare.

Implicatior est ille nodus de pluribus salariis imparibus in unum conjugendis, quò honestè sustentetur Presbyter is, qui pro illis omnibus celebrabit minutiorum stipendiorum largitoribus. Negat Fagnanus id fieri posse, & subreptitiam quoque affirmat Bullam esse Leonis X. qua se id posse Franciscani confidebant. Non facilè his convenit, cum Conciliis suprà laudatis. Sed faciliùs hæc concilientur Concilia cum aliis ejusdem Congregationis responsionibus ab eodem Fagnano alibi relatis. Nimirum decretis Concilii Tridentini adversùs extorsiones violentas & simoniacas in Missis, & in primis maximè Missis, *Ibid.p.267.268*, non prohiberi, quin possint novi Presbyteri qua primùm die Mysteria celebrant, immo & Parochi Dominicis & Festis diebus omnibus accipere spontaneas oblationes, quæ fiunt ad Offertorium, dum novi Presbyteri in decantanda prima Missa ne longiùs ab Altari discedant, Ecclesiamque circumeant, quasi oblationes mendicaturi. Quo tamen non interdicuntur Parochi, quòd eorum juris sint oblationes.

VII. Hac porro tot Conciliorum longa recensione invictissimè astruitur Ecclesiæ constantissima & inconcussa traditio, æquissimum hoc & providum hactenus temperamentum complexa, ut & oblationibus altarium victitent altarium ministri, & obrepentes è latere resecentur corruptelæ, sive Clericorum flagrantiori cupiditate, sive Laicorum inhumanitate in Pastores suos. Anno 1415. plures Viclefi errores inusti sunt à Concilio Constantiensi, *Sess.8.*, & hic in primis, preces specialiùs alicui addictas, nihilo plus ei emolumenti afferre posse, quàm si pro universa in commune fidelium multitudine effunderentur. Denique simoniacum esse, qui se recipiat oraturum pro eo, à quo aliquid eleemosynæ accipiat. *Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos vel Religiosos, non plus prosunt ei, quàm generales, cæteris paribus. Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis eis in temporalibus subvenientibus. Num.19. 25.*

Aderat huic Concilio Gersonius, & ab eo luculentè disceptata est tota hæc quæstio. Illud potissimùm ab eo approbatum est, Qui sibi peculiares Missas fieri deposcerent, eos ne tantillum quidem fraudari, si Sacerdos unà pro pluribus aliis oraret, nec sui immemor, aut incuriosus esset: quin etsi acciperet oblationes omnium eorum, qui sacro interessent; denique etsi copularentur in unum plura stipendia, vel annalia, ob jejunam & nimis exilem fundationem, ut in complusculis factitabatur Cathedralibus & Collegialibus Ecclesiis. Quibus abundant reditus & agri, sive ex patrimonio, sive ex Beneficio, possunt illi nihilominus accipere sponte oblata Missarum stipendia, quòd non præsentibus tantùm, sed & futuris necessitatibus prospiciatur; & sępè à viris piis congeruntur superflua, quæ mox in egenos effundantur. *Recipiuntur aliquando præter vel ultra necessitatem præsentem, aut non pro solo statu recipientis, sed ad aliorum providam piamque relevationem. Tom.2. p.443. 444.* Denique simplices rudesque vulgi hominum animos ut extricet Gersonius à popularibus præjudiciis, monet ipsos durum esse & inhumanum, quin & ipsismet damnosum vehementer fore, si sacris

cris, quæ sibi specialiter fieri curant, cæteros excludant omnes, excludendi mox & ipsi à communione & societate precum, quas pro se fundunt fundique satagunt cæteri per orbem fideles. Consultius ergo & expeditius esse, ut Dei misericordiæ permittat quisque & sapientissimæ providentiæ, quò definiat ipse quantum in alios quosque derivari æquum sit earum precum & Missarum, quas pro se ipso quisque vel celebrat, vel celebrari satagit. *Quid superest igitur nisi referre quantitatem suffragii Deo, quæ & qualis tibi dante debita est? Nolito murmurare, sciet profectò, sciet ille, qui montes ponderat in statera, tua similiter dona ponderare.*

Quanquam certissimè consteot hæc omnia, à Duce tamen Aurelianensi Caroli VI. Francorum Regis fratres præcipi potuit, *Histor. Caroli VI. pag.634.*, ut toties, pro ipso, ubi vivere desisset, centum celebrarentur Missæ, quot ipse vitæ annos implevisset. Præcipere potuit & Vvillelmus Montispessulani dominus anno 1172. ut post obitum suum quinque sibi Missarum millia celebrarentur. His simillima testamenta edita sunt ab aliis complurima. Hęc autem hic à me commemorata sunt, quod vulgatissimum tunc esset id à morientibus præcipi, quod tunc pręcepit Dux Aurelianensis. Eo verò facto domini Montispessulani liquet, quàm vetustum sit plura Missarum millia pro uno quopiam celebrari. Nec antedictis hæc pugnant; quantumvis enim fructus exundet, vel ex nostris in alios, vel ex aliorum precibus, & sacrificiis in nos; indubitatissimum tamen est, fructuosiores cuique fore plures Missas, quàm unam: & quæ pro ipso specialiter, quàm quæ promiscuè pro omnibus celebrantur. Ita necessum semper est, toties pro quovis iterari Mysteriorum celebritatem, quot idonea accepta sunt stipendia; nec ullo colore prætexi potest fraus, & perfidia eorum, qui secus agerent, frustra allegandа infiniti hujus Hostiæ pretii magnitudine, & ejus in fideles omnes effusissima ubertate.

Ex his certè oblationibus ad celebrandas, & ad fundandas, quæ in posterum usque celebrarentur, Missas collatis, scaturiere hauddubio uberrimi quidam divitiarum rivuli, & in ærarium Ecclesiæ influxere; tum utique potissimum, cum ad id adsignati sunt fundi. Ita in pertractandis Ecclesiæ temporalibus bonis, ne oblationes quidem istæ prætereiri potuere; nec verò perfunctiorè de iis dici potuit, cum historica prosequenda fuerit nobis traditio, de qua hæretici controversiam nobis faciunt, & quæ tanta habet ad omnem Ecclesiæ disciplinam momenta. Omnino autem hinc concluditur, consentaneum in primis fuisse, & pietati fidelium, & Ecclesiæ sanctitati, has potissimum increbrescere, & frequentari oblationes, quæ hostiæ sunt sacræ, quibus propitiatur Deus, cum vel maximè ex iis illa conficitur incruenta Hostia, quam immortalis Pontifex Christus Deo & Patri in sempiternum offert.

CAPUT LXXIV. *P.4.l.3.c.7.*

De Oblationibus ad Sacramentum Pœnitentiæ fieri solitis, & redemptionem peccatorum. Pœnitentiæ macerationes eleemosynis & mulctis pecuniariis compensatæ.

I. Quando cœperint macerationes corporis eleemosynis redimi. Cur nihil ejusmodi prisci Canones habeant.

II. Cur indulgentia hæc sit invecta. Exempla eleemosynarum pro jejuniis indictarum.

III. Proderant Confessarito oblationes istæ. Nullæ ad injustas dispensationes admittebantur.

IV. Nec pro tota pœnitentia ingentium criminum. Quanquam & ad id quandoque deventum sit remissionis. Approbata est Petro Damiani hæc peccatorum redemptio per eleemosynas.

V. Qui purgari possit ea pœnitentiarum relaxatio.

VI. Ab undecimo sæculo ad duodecimum delabitur oratio, in eoque & Concilia laudantur, & Scriptores Ecclesiastici, quibus non displiceat is usus pœnitentiarum eleemosynis redimendarum.

VII. Traditio sæculi decimi-tertii ad easdem redemptiones pecuniarias pœnitentiarum. Quàm pios in usus hæ pecuniæ conferentur.

VIII. Rursus de sæculi decimi-tertii disciplina in remittendis pœnitentiis, & condupleandis indulgentiis, augescentibus unà eleemosynis. Qua arte insidianti avaritiæ obviatum sit.

IX. Progressio ad sæculum decimum quartum. Cautiones Episcoporum & Magistratuum, ne pecuniariæ criminum redemptiones, vel avaritiam alerent Clericorum, vel Laicorum in flagitiis impunitatem.

X. Sæculo decimo quinto eadem diligentia adhibenda fuit, ne fucum facerent eadem vitia.

XI. Sæculo decimo-sexto Leo X. Papa Indulgentias promulgat, ut pecunia colligantur ad extremam manum adhibendam Ecclesiæ beati Petri Romę. Rem eam iniquo fert animo Cardinalis Ximenius. Querela ejus expenduntur.

XII. Statuta Conciliorum adversùs avaritiam Confessariorum.

XIII. Cautiones Concilii Tridentini, & Conciliorum Provincialium aliquot.

XIV. Antedictorum summa. Concentus Episcoporum, exigentium has redemptiones pecuniarias, vel ab iis abhorrentium.

XV. In quos usus expendantur pecuniæ ex Dispensationibus Romanis.

I. POstquam de oblationibus diximus, piisque fidelium largitionibus ad sacramenta Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ-unctionis, & Conjugii; restat ut & de iis agamus, quæ ad Sacramenta Pœnitentiæ spectant, Ordinumque. A' Penitentia ordiemur. Doctissimè suo more animadvertit Morinus noster sæculo jam inde nono irrepsisse paulatim in mores Ecclesiæ usum redimendi certa eleemosynarum quantitate cujusque peccati, vel pœnitentiæ ei præscriptæ. In confesso est sacris utriusque Testamenti literis propositos esse hos abluendis scelerum maculis opportunissimos fontes, Eleemosinas, Orationes, Jejunia; & consentaneum omnino esse, ut unius horum fontium copia abundet, ubi cæteri deficiunt & arescunt. Sed non tamen ulli antiquiores Conciliorum Canones pœnitentias scelerum ad solas deduxerant pecuniæ erogationes, nullis additis jejuniis, vigiliisque. Verùm cum in eo tantùm desudarent Canonum conditores Episcopi, ut numerum annorum definirent cujusque flagitii pœnitentiæ indicendorum: facta jam deinceps singulis Episcopis potestate, ut in Pœnitentes excubarent, & eorum macerationes pro fervoris modo contraherent, aut protraherent; non abhorret à verisimili, si quos Episcopi deprehenderent pœnitentes non facilè posse jejuniis, vel aliis macerationibus carnem suam affligere, eos tum eleemosynia largioribus eam labem sarciri præcepisse. Verùm nec in Canonibus pœnitentiæ ea Episcopalis providentiæ diversissima temperamenta exprimi poterant, nec pœnitentium voluntati permitti. Nec valdè abstrusa ejus rei ratio est. Pœnitentiæ enim & macerationes corporis ipsis animæ morbis intestinis medi-

dicantur, eorumque contagia expungunt: at eleemosynæ non propriè nisi avaritiam expugnant, reliqua vitia non attingunt; unde & qui plurima in pauperes effuderunt, possunt & vitiis adhuc scatere compluribus, & satis larga opum copia affluere.

II. Singulari ergo indulgentia factum est, ut post sæculum nonum permitterentur pro arbitrio suo pœnitentes eleemosynis pœnas redimere, quibus non facilè se macerari assentiebantur. *Morin. De Pœn. l.10.c.17.* Anno 923. Episcopi Concilii Suessionensis pœnitentiam præscripsere militaribus ultro & citro copiis, quæ bello inter Robertum & Carolum Reges excitato interfuerant. Pœnitentia in tres annos producta tribus quadragesimis anno quolibet jejunio transigendis, præter ferias sextas anni totius; sed facta cuique venia eorum jejuniorum eleemosynis ex parte redimendorum. *Omnibus his tribus quadragesimis, secunda, quarta & sexta feria, in aqua, pane & sale abstineant, aut redimant. Omni quoque sexta feria per totum annum, nisi redemerit, aut festivitas celebris ipsa die acciderit. Conc. Gall. Tom.3.* Aliquantò antè Isaacus Lingonensis Episcopus in suis Capitularium Excerptis non tacuerat liberam eandem potestatem redimendæ pecuniis ex parte pœnitentiæ. *Nullus Presbyter aut laicus pœnitentem cogat vinum bibere aut carnem manducare, nisi ad præsens pro ipso unum aut duos denarios juxta qualitatem pœnitentiæ dederit. Tit.1.c.5.*

Regino Abbas in Collectione Canonum divitibus jejunia detrectantibus suadet, ut pro septem jejuniorum hebdomadibus solidos viginti largiantur. *Si dives fuerit, pro septem hebdomadibus det solidos viginti. L.2.c.440. & seq.* Si pauperes sint, dimidium ejus pecuniæ sufficit. Vides hic & quantitatem præfiniri pecuniæ, & optionem dari. Jam verò quod ad dispensationem attinet hujus pecuniæ, pœnitenti permittitur, ut eam vel redimendis captivis dedicet, vel Altari offerat, vel Monachis, pauperibusque largiatur. *Sed attendat unusquisque cui dare debeat, sive pro redemptione captivorum, sive supra Sanctum Altare, sive Dei servis, seu pauperibus in eleemosyna.* Quanquam liberum verò esset hanc pecuniam effundere in captivos, pauperes, Monachos, Clericos; longè probabilius tamen est, maximam ejus partem in Presbyterorum manus devenisse. Tum quod pœnitentiæ dies duodecim redimerentur unius Missæ celebratione, & plures plurium eodem modo: *Cantatio unius Missæ potest redimere duodecim dies, decem Missæ quatuor menses, &c.* Tum quod in Presbyterorum potestate esset multa in pœnitentiis moderari. *In arbitrio prudentis Sacerdotis relinquentes, quid salubrius & utilius animæ pœnitentis esse decernat.* Jam inde verò ab anno 895. Concilium Triburiense concesserat redimi aliquot jejuniorum dies in annos plures præscriptorum; sed ea indulgentia ad paucos dies restringebatur, faciliusque ad posteriores, quàm ad priores concedebatur pœnitentiæ annos. *Licitum sit ei tertiam feriam, & quintam, & Sabbatum redimere uno denario, vel pretio denarii, sive tres pauperes pro nomine Dei pascendo. Can.56. 58.*

III. Hæc porro delinimenta prisci rigoris nostri hujus ævi hominibus asperiora forsan adhuc videbuntur. Sed & hic notandum quibus gradibus antiquus rigor lenesceret. Aliquot primum tantummodo dies redimi permittebantur elemosynis, idque circa finem pœnitentiæ, in multos annos plerumque protractæ, & quidem arbitrio & consilio Confessarii; ex quo tandem initio, eò res erupit, ut arbitrio pœnitentis tota redimi pœnitentia annueretur. Non facile est divinare, an orta hinc sit consuetudo oblatione aliqua libera colendi & demerendi Confessarium ipsum. Anno 1031. Concilium Bituricense vetat tantum quidvis accipi, nisi quod pœnitentes suapte sponte Confessario obtulerint. *Nullus pretium pro Baptismo, neque pro pœnitentia danda, neque pro sepultura accipiat, nisi quod fideles sponte dare, vel offerre voluerint. Can.12. 13.* Quanquam autem res Ecclesiæ tum adhuc in commune possiderentur, hæ tamen quibus de hic agimus oblationes, eorum proprii erant peculii Presbyterorum, qui eas suscipiebant. *Ut Presbyteri oblationes, vel luminaria, quæ eis ad manus offeruntur, tanquam propria sua habeant.* Multò æquius utique erat, Confessariis proprias addici suas oblationes, quàm quibus vides hic eas vindicari. Quanquam Confessariis non facile esset, nisi adversùs munera quæcumque septi & incorrupti essent, æqua semper lance omnia ponderare, maximè in causis criminum & dispensationum quarumdam gravissimarum. Disertissimè responsum est ab Alexandro II. ut perhibet Ivo Carnotensis, nec tolerari, nec absolvi posse incestuosum, nec ad conjugem ducendam admitti quantiscumque eleemosynis id flagitium redimendum ostenderetur. Ita enim ille in Rescripto ad Episcopum in Armorica Venetum. *Hujus viri causam, super qua Apostolicam sedem consuluisti, retractantes, si quo modo misericorditer conjunctam sibi illicitè consanguineam retinere possit, & orationibus, jejuniis, ac hæreditatis & eleemosynarum se largitione redimere, nullam authoritatem comperimus, qua sibi concederemus. Ivo Part. 9.c.9.*

IV. Beatus Fulbertus Carnotensis Episcopus urgente Metropolitano Senonensi, ut homicidas aliquos absolveret; quamquam ei, ut parenti pariturum se semper præ se ferret: *Nos in quibus oportet, vobis ut Patri semper obedire parati sumus. Epist.29.* non tamen in hoc negotio obtemperandum sibi esse duxit, ne modica constaret tantum pecunia interfectorum fidelium vita. *Justum non est, commodum non est, ut mors sanctorum vili pretio constet.* Non displicuisset Fulberto aliquam pœnitentiæ canonicæ partem eleemosynis perfici; sed molestissimè ferebat, tantillam indici pecuniam, & non præterea jejunia pœnasque alias accumulari.

Et tamen in hanc quoque incredibilem itum est indulgentiam, ut tota largioribus pecuniæ erogationibus pœnitentia exhauriretur. Quin & in id consensere flagrantiores quandoque sacræ disciplinæ amatores. Narrat ipse Petrus Damiani, cum Mediolanum profectus est, ut eam Ecclesiam Romanæ conciliaret, Legati Pontificii potestate indutus; Archiepiscopum Mediolanensem more antecessorum suorum simoniacis ordinationibus & rerum aliarum sacrarum nundinationibus implicatum, emersisse quidem aliquando tandem ex illo baratro, & ab ipso accepisse pœnitentiam annorum centum eluendis pristinis criminibus, sed unà accepisse & potestatem ejus omnino redimendæ, certa pecunia in annos singulos præfixa. *Centum itaque annorum sibi pœnitentiam indidit, redemptionemque ejus taxatam per unumquemque annum pœnitentiæ quantitate præfixit. Baron. an.1059. n. 55.* Agros quoque datos Ecclesiis redimendis pœnitentiis idem refert Petrus; nec improbat: *Cum à pœnitentibus terras accipimus, juxta mensuram muneris eis de quantitate pœnitentiæ relaxamus. Sicut scriptum est, Divitiæ hominis redemptio ejus. Sicut is qui prædia præbet Ecclesiis pœnitentiæ suæ pondere levigatur, sic ille, &c. L.4. Ep.12.* Alio etiam loco narrat & commendat rationem aliam tunc pervagatissimam expiandi peccata disciplinis & flagellis voluntariis, perinde ut eleemosynis, quamquam prisci Canones nec flagellationum unquàm

quàm

quam harum, nec illarum meminissent eleemosynarum. *Cum Sacerdotes Ecclesiæ annosam indicunt quibusdam peccatoribus pœnitentiam, nunquid non aliquando certam præfigant pro annorum redemptione mensuram; ut nimirum facinora sua eleemosynis redimant, qui longa jejunia perhorrescunt. Sed quia hæc pecuniæ redemptio in antiquis Patrum Canonibus minimè reperitur, absurdum esse & frivolum judicabitur? Quod si hoc laicis indulgetur, ut peccata sua eleemosynis redimant, ut surripiente mortis articulo, in hac vita sine reatus sui, quod absit, absolutione recedant: quid Monacho præcipiendum erit, &c.* L.6. c.20. Et in alia Epistola; L.6. c.20. *Cum Canonica vetet authoritas, ut pœnitenti Sacerdos unius diei jejunium non relaxet, nisi ad præsens digni pretii taxatione pro eleemosynum compenset, &c.*

V. Sunt in his Petri Damiani Epistolis, quæ seriò expendi, & animo commendari operæ pretium sit. 1. Pœnas Canonum antiquas eleemosynis compensari, etsi novum esset, novis tamen Canonibus approbatum fuisse, atque adeo & has Canonicas fuisse pœnitentias. 2. Præter sacros Codices, perçquè eleemosynis, ac jejuniis & orationibus peccata redimi vociferantes: ad hanc per eleemosynas pœnarum redemptionem invitata, & sensim perducta est Ecclesia, eo Canone, qui tunc nescio quo pacto in arcem authoritatis invasit. Peccatum videlicet quodlibet mortiferum septem annorum pœnitentia expiandum esse. Ita computati anni pœnitentiæ, ad centum & ducentos, atque adeo plures quandoque assurgebant, nulla ut his par esse posset vitæ diuturnitas Ingenio tunc miro quodam charitatis, commentati sunt Doctores Ecclesiæ decurtandi ejus temporis artes, ita sanè ut de pœnitentiæ rigore nihil decederet. 3. Illud persuasissimum omnibus erat; esse in primis optabile, ut ne quis antè hoc vitæ mortalis stadio excederet, quàm digna & pari pœnitentia cluisset commissa sua, iis pœnis exanthlatis, quæ divinæ justitiæ cumulatissimè satisfecissent: ea enim fiducia armatos, non illubentes hac vita demigraturos. At ne spes quidem residua tanti boni erat ulla, quando anni pœnitentiæ ex superiore regula subducti excrescerent ultra metas vitæ quamlibet diuturnæ. Excogitanda ergo erat ars aliqua illam pensandi diuturnitatem, vel inusitatis macerationibus, vel peregrinationibus laboriosis, vel largitionibus ingentis pecuniæ, vel agrorum. 4. Fateor, nihil antiqui Canones attigerant de his redemptionibus pœnitentiarum diuturniorum per flagellationes, peregrinationes, eleemosynas: sed ne numerum quidem & iterationem criminum expenderant, diversis tantùm sceleribus diversas admetiri pœnas soliti. Hac quidem parte potest non immeritò medii ævi diligentia ultra superiorum sæculorum laudem commendari. Nec enim ambigi potest, quin in pœnis decernendis ratio habenda sit, non gravitatis tantùm, sed & numeri criminum quorumcumque. 5. Non ergo, ut blandirentur Pœnitentibus excogitatæ sunt hæ artes compensandi pœnas Canonicas; sed ut facultas daretur implendæ suis numeris omnibus antè pœnitentiæ, quàm vitæ; utque lubentius amplexandæ assentirentur pœnitentiæ ii, qui ab ejus asperitate abhorruissent semper, nisi his blandimentis mitigaretur. Eas rationes duas suprà Petrus Damiani perstrinxit. 6. Quidquid largiebantur Pœnitentes, sive pecuniis, sive agris donatis, tam piè & religiosè erogabatur, in Cleri, Monachorum & pauperum sustentationem, in sarta tecta Ecclesiarum, in pontium & viarum restaurationes, ut implacatis etiam censoribus, & eorum forsan Principi Petro Damiani os obstrueretur. 7. Viderit Lector, an & hoc addi possit, ex Nationum Septentrionalium contagio quodam innoxio id profectum esse, penes quas nulla non crimina mulctis pecuniariis abstergebantur. Retulit Ordericus Vitalis ad annum 1080. compendiariam quandam descriptionem Concilii ad Juliobonam habiti, ubi complusculа crimina his pecuniæ mulctis elui præcipiuntur. *Episcopis per pecuniam emendetur.* Antiquiores denique Canonum Compilatores, Librique Pœnitentiales, qui unum jejunii diem certa relaxabant persoluta pecunia, ii non tam jejunium forsan relaxabant, quàm molliebant; cum vino semper & carnibus interdicerentur Pœnitentes. Ita enim Burchardus in Decreto. L.19. c.12. *Pro uno die, quem in pane & aqua jejunare debet, quinquaginta Psalmos in Ecclesia, si fieri potest, decantet, & unum pauperem pascat, & eo die, excepto vino & carne & sanguine, quidquid velit, comedat.*

VI. Ad duodecimum sæculum jam nobis promovendus est gradus; ubi Gelasius II. Papa Archiepiscopo Cæsaraugustano concessit, ut pœnitentias remitteret pro eo modo, quo quisque largius conferret ad alendum ejus Clerum, & ad restaurandam ejus Ecclesiam, quæ funditus jam olim à Sarracenis fuerat eversa. *Qui Ecclesia, unde restituatur, & Clericis, unde pascantur, aliquid donant, vel donaverint, secundùm laborum suorum & beneficiorum Ecclesiæ impensorum quantitatem, secundùm Episcoporum arbitrium, in quorum Parochiis degunt, pœnitentiarum suarum remissionem & indulgentiam consequantur.* Baron. ann.1118. n.18. Eam indulgentiam promulgavit Archiepiscopus, authoritate Papæ, Archiepiscopi Toletani, Pontificiam tunc obeuntis Legationem, & omnium Hispaniæ Episcoporum. Ea enim erant mandati ejus verba.

Concilium Londinense anno 1125. habitum hoc est, sex tantùm aut septem post annis, interdixit nihilominus ne pro ullis Sacramentis, & nominatim pro Pœnitentia quid exigeretur. *Ut pro chrismate, pro pœnitentia, &c. nullum omnino pretium exigatur.* Can.2. Concilium alterum Londinense anni 1138. hunc eundem Canonem innovavit, vibrata in transgressores excommunicatione. Can.1. Longè aliud est exigere, & recipere. Itaque nihil pugnæ suspicandum est inter hos Canones. Ideo & Alexander III. Papa ad Archiepiscopum Cantuariensem rescripsit, ut Archidiaconos suos compesceret, vetaretque eos, ne pœnis pecuniariis in Clericos Laicosque peccantes animadverterent. *Ex parte nostra & tua districtè inhibeas, ne pro excessibus corrigendis, aut criminibus puniendis, à Clericis vel Laicis pœnam pecuniariam amplius exigere audeant.* Appen. Conc. Lat. part.2. c.3. 51. Quàm meritò succensuere Concilia in violentas exactiones, sive Archidiaconorum in jurisdictione sua forensi explicanda, criminumque ultione; sive Parochorum & Confessariorum in cujuslibet administratione Sacramenti, & rerum sacrarum distributione; tam indubitatum habuere invitari posse fideles & pœnitentes ad pias largitiones, adeoque & illici, ostensa spe indulgentiæ, hoc est, relaxandæ ex parte aliqua pœnitentiæ.

Circumferri per omnes Provincias fecit Petrus Abbas Cellensis, L.1. Ep.18. L.4. Ep.5., Reliquias B. Aigulfi, cujus Ecclesia incensa fuerat, ut divus ipse mendicaret quodammodo stipem idoneam, qua Ecclesia instauraretur. Latissimè effusæ huic consuetudini sæculo XI. XII. & XIII. Willelmus Parisiensis calamo suo patrocinatus est adversùs mordaciores aliquos censores, qui causabantur in remittenda, ut tunc fiebat, parte tertia pœnitentiæ iis, qui pecuniæ aliquid in loca sancta conferrent, quamvis non ultra oboli aut ovi pretium conferrent, fraudari Deum media plus parte justi pretii; vendi indulgentias, & quidem vili pretio; denique unius oboli largitores æquari iis, qui gran-

grandibus donis Ecclesiam prosequerentur. *Cum benefactoribus alicujus loci tertia pars injunctarum pœnitentiarum remittitur; benefactores autem sunt, qui nummos singulos, vel obolos, vel etiam ova tribuunt; pro quo tertia pars injunctarum pœnitentiarum, ut dicunt, remittitur; videtur eis defraudari Deus, cum duorum annorum pœnitentialium sacrificium cum unius ovi vel oboli ablatione commutatur. Vvill. Paris. De Sacram. Ord. c.13.* Machinas illas omnes mox infregit doctissimus Antistes. Nec enim aut distrahi indulgentias, aut vili addici, sed pœnitentias eleemosynis redimi, Templaque & Altaria Deo excitari, quorum sacrificiis longo sæculorum decursu frequentandis, pro modo suæ erogationis fruerentur omnes, & ita satisfactionum sibi cumulos acervabunt. Non tepescere autem ex his posse Pœnitentium priscum ardorem, cum certò constare nulli possit, an puram & criminis omnino integram gerat conscientiam, an indulgentiæ fructum sit consecutus: ita post qualescumque indulgentias, esse semper quod nos suspensos & sollicitos habeat, extimuletque ad seriam & diligentiorem in dies pœnitentiam. *Cum certum sit eos solos indulgentias hujusmodi percipere, qui mundi sunt & immunes à mortalibus peccatis; nulli autem certum est, quod immunis sit & mundus ab illis, nulli ergo certum est, quod indulgentias hujusmodi percipiat. Certum est autem unicuique, se esse debitorem injunctæ pœnitentiæ, vel injungendæ: quare certum est neminem debere propter hujusmodi indulgentias cessare ab agenda pœnitentia, ne committat se periculo.* Respondet denique Vvillelmus potestatem clavium Episcopis à Christo concreditam fuisse, ut pœnitentiis vel addant, vel detrahant, prout ut conducibilius existimarint ad Dei gloriam, ad salutem animarum, ad incolumitatem & commodum Ecclesiæ, Civitatis, regionis, Christiani orbis. *Cujus potestas est pœnitentiales satisfactiones injungere, ejusdem est eas augere, minuere & mutare, prout ad Dei honorificentiam, & animorum salutem, & ad publicum & specialem utilitatem viderit expedire. Quare & pœnitentialem afflictionem in eleemosynas, oblationes & orationes, & in omne quod Deo magis acceptum viderit esse, licitum est Prælato, suæque potestatis est & officii, mutare, prout ipsi pœnitenti, aut Ecclesiæ, de qua est, aut Civitati, aut patriæ, aut toti Ecclesiæ viderit expedire.*

VII. Tertio-decimo denique sæculo creditur floruisse Willelmus hic Parisiensis; unde cum eo pene inopini delapsi simus, æquum est hic à nobis pertexi reliqua ejusdem sæculi Traditionis Ecclesiasticæ monumenta. In Concilio Parisiensi anni 1212. prohibitum est, Quæstores admitti, sive Collectores, vel Quæstores simul & Concinnatores, sive Sanctorum aliqua perferrent secum pignora, sive nulla; *Sive Reliquias portent, sive sine his accedant; Part.1. c.8.*, nisi justa niterentur causa, literasque haberent Episcopi Diœcesani; *Nisi ex justa causa, & cum literis Diœcesani.* Ab Honorio III. author est Rainaldus anno 1222. concessas fuisse quadraginta dierum Indulgentias, stipis aliquid offerentibus ad Ecclesiæ Magdeburgensis exædificationem. Eodem referebatur devectio Reliquiarum. In Concilio Turonensi anno 1239. damnati sunt Parochi, qui quidvis exigerent ante administrata Sacramenta, *In quinque solidis convertendis in fabrica Ecclesiæ puniatur.* Constitutionibus Cardinalis Ottoboni in Anglia anno 1248. prohibiti sunt Archidiaconi, ne publicos peccatores sinerent pœnitentiam publicam pecunia redimere. *Archidiaconi pro nullo mortali & notorio crimine, de quo scandalum generatur, pecuniam à delinquente pro ipso recipiant, sed commissum crimen puniant animadversione condigna. Conc. Angl. Tom.2. pag.276. Can.4.*

Synodus Excestrensis anno 1287. indignata licentiam criminum augescere, spe eorum non publicis pœnitentiis, sed pecuniis expiandorum: vetuit ne posthac pecuniis redimerentur canonicæ pœnitentiæ, nisi siquando id fieri posset citra plebis offensionem. *Et quia juxta B. Isidorum nullus reus pertimescit culpam, quam redimere nummis existimat, præcipimus quod si laicus convictus fuerit super crimine, propter quod publica sit ei pœnitentia injungenda, illam non in pecuniariam commutet, nisi scandalum, vel alia honesta causa exegerit aliter ordinare. Cap.31.* Erant ergo quandoque causæ justæ & necessariæ pœnitentias publicas eleemosynis commutandi, quamquam ea nonnunquam libertate Pœnitentes abuterentur. Ideo & permagni intererat, ne arbitrio Pœnitentis, sed Confessarii judicio fierent eæ commutationes lubricæ & versatiles, nunc pernecessariæ, aliàs exitiales.

Quin & Pastorum ac Prælatorum officii erat vigilare & imminere Confessariis atque Archidiaconis, ne pœnæ istæ pecuniariæ, sive in foro interno, sive in externo, emolumento eorum cederent, qui eas decrevissent; ne sæpiùs cupiditas, quàm charitas necessarias judicaret; & tum exitio essent Confessariis, cum vel maximè Pœnitentibus erant necessariæ. Ideo & in hac Synodo Excestrensi vetitum est, pœnis pecuniariis ea emendari crimina, quæ publicis pœnitentiis essent expianda. *Statuimus ut non per pœnas pecuniarias, sicut hactenus fieri consuevit, sed per coercitiones canonicas amodo procedatur. Cap.40.* Si qua verò multa indicatur, ea necessariis Ecclesiæ impensis adjudicabitur, nec ex ea quidquam Archidiaconi delibabunt. *Et si forte contra præsentis statuti decretum fuerit præsumptum, pœna ipsa non ipsis Visitatoribus, sed potius Ecclesiæ visitatæ usibus applicetur.*

Nec eo vitio minus laborabat Galliæ, quàm Angliæ disciplina. Ideo nec minùs validæ objectæ sunt moles, ne latiùs malum serperet. Concilium Provinciæ Turonensis anno 1294. prohibuit ne tam periculosas pœnitentiarum redemptiones adgrederentur Archidiaconi, Archipresbyteri, & Decani Rurales, qui jurisdictionem contentiosam plerumque administrabant; & qui has criminum redemptrices pecunias privatos in usus suos cum detorquerent, populorum sibi subjectorum criminibus quodammodo saginabantur. Eam ergo docet jubetque Concilium potestatem, tam periculosæ plenam aleæ, non penes alios esse, quàm summos Pastores, Episcopos. *Ex cupiditate, quæ omnium malorum radix est, procedit, quod plerique Archidiaconi, Decani & Archipresbyteri Provinciæ Turonensis, Ecclesiastica jurisdictione utentes, & quod est verius, abutentes, pro corrigendis excessibus & criminibus puniendis, videlicet adulterio, fornicatione, incestu, & aliis excessibus in quibus maximè iidem Archidiaconi & alii inferiores dispensare non possunt, à Clericis & Laicis pœnam pecuniariam contra Canonum prohibitionem exigunt & extorquent. Quæ de cætero fieri prohibemus. Can.3.* Hinc facilè olfacimus eam sibi ipsis privatim pecuniam hos vindicasse ministros, qui bifariam utique, graviterque peccabant; cum præter Canones & exigerent pecuniam, & eam in marsupium suum derivarent. Adde quod & inviolare videbantur in jura Episcoporum, quibus Innocentius III. eam potestatem adjudicarat. Ita enim ille in literis anno 1200. ad Archiepiscopos & Episcopos scriptis pro bello sacro: *Concedimus vobis, fratres Archiepiscopi & Episcopi, ut circa eos, qui de bonis suis Terræ Sanctæ voluerint subvenire, de discretorum virorum consilio, qualitate personarum & rerum facultate pensatis, & considerato nihilominus devotionis affectu, opus injunctæ pœnitentiæ commutare possitis in opus faciendæ eleemosynæ.* Vide, si vacat, literas plenas apud Rogerium, ad eundem annum.

VIII.

VIII. Decretalium Gregorianarum Codex sæculo decimo-tertio promulgatus est. In his refertur, Canon Concilii Triburiensis, quo jubetur Presbyteri interemptor compônere cum Episcopo, parte media pecuniæ Ecclesiæ addicenda, altera dispensanda in pauperes, & ad pia opera, quibus levetur anima Presbyteri interfecti. *Presbyteri interfecti compositio Episcopo ad cujus Parœciam pertinet, solvatur, ita ut medietatem utilitatibus Ecclesiæ cui præfuit, tribuat; alteram in ejus eleemosynam justè dispertiat. Extra. De Pœnit. c.2.* Ubi Episcopus indulgentias, & pœnitentiarum canonicarum ex parte remissiones promulgat, ad restaurationem Ecclesiæ, quæ dedicatur, aut ad pontium structuram, ex pecuniis tunc erogandis. Declarat Alexander III. ad solius Episcopi illius subditos eas indulgentias effundi posse. *Quod consuluisti, utrum remissiones, quæ fiunt in dedicationibus Ecclesiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium, aliis prosint, quàm his qui remittentibus subsunt, hoc volumus tuam fraternitatem tenere, quod cum à non suo Judice legari nullus valeat, vel absolvi, remissiones prædictas prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus ut prosint, proprii Judices specialiter indulserant. De Pœnit. & remiss. c.4.* Eò spectabat, ut suspicor, quod supra Cæsaraugustanus Episcopus voluit indulgentias à se ad restaurationem Ecclesiæ suæ publicandas, à Papa confirmari, ab Archiepiscopo Toletano, & à cæteris Episcopis, ut eorum Diœcesani & ad erogationem piam, & ad indulgentiam illicerentur.

Ne verò Episcopi ardore succensi instaurandi Ecclesias, Xenodochia, Pontes, ultra æqui modum eveherentur, in remittendis canonicis Pœnitentiis, vel in Indulgentiis effundendis, ab Innocentio III. Pontifice, *Ibid. c.14.*, & à Concilio Lateranensi IV. promulgatum est Decretum, quo prohibentur Episcopi in Dedicationibus Ecclesiarum, ultra annum Indulgentias suas proferre, hoc est, anno plus uno canonicas decurtare pœnitentias, quanquam plures consuluissent Episcopi: & ne anniversario dedicationis die ultra quadraginta dies de injunctis pœnitentiis relaxarent. Huic Decreto illud præponitur aliud, quo Collectæ generales temperantur: & hinc probabili assequimur conjectura, hanc in Concilio generali coarctationem Episcopalis ad annuendas indulgentias potestatis, non aliò spectasse ferè, quàm ut frænaretur cupiditas accumulandæ pecuniæ, quamvis aliàs piissimè expendendæ, & ne hinc pœnitentiæ canonicæ legibus grave vulnus infligeretur. *Quia per indiscretas & superfluas indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnantur, & pœnitentialis satisfactio enervatur, &c. Ibid. c.15.* Capite proximo declarat Honorius III. in potestate esse Archiepiscopi, ut ejusmodi *literas remissionis generales*, per omnem Provinciam suam dispenset, dum ne præfixum transiliat dierum indulgentiæ numerum. In iis Decretalibus prohibet Alexander III. nequid Parochi pecuniæ accipiant à Peccatoribus publicis, ut nimirum eorum scelera ne Episcopo renuncient, vel socordiam in persungendis pœnitentiæ laboribus. *Nemo Presbyterorum xenium vel emolumentum quodlibet temporale, immo spiritale detrimentum à quocumque publicè peccante accipiat, ut Episcopo vel Ministris ejus peccatum illius celet, &c. Nec quemquam pœnitentem, vel minus dignè pœnitentem gratia & favore ad reconciliationem adducat, & testimonium reconciliationem ferat eidem, quia utrumque simoniacum est. De Simon. c.14. 14.* Damnantur à Lucio III. qui nisi repræsentata sibi pecunia excommunicatos solvere abnuebant.

IX. Venio ad sæculum XIV. quo Eduardus II. Angliæ Rex in Parlamento Lincolniensi anno 1316. satisfaciens postulatis & querelis Cleri, de infracta & debilitata Ecclesiæ libertate, declaravit, Si Episcopus pœna pecuniaria criminoso cuipiam imposita, eam ipsemet vellet exigere, posse Magistratum Civilem intercedere; at si pœnas indicat corporeas, & eas malit pœnitens pecunia exolvere, vetaro non posse Magistratum, quin Episcopus eam exigat. *Si Prælatus imponat pœnam pecuniariam alicui pro peccato, & repetat illam, Regia prohibitio habet locum. Veruntamen si Prælati imponant pœnitentias corporales, & illi sic puniti velint hujusmodi pœnitentias per pecuniam sponte redimere, non habet locum Regia prohibitio, si coram Prælatis pecunia ab eis exigatur. Conc. Angl. tom.2. pag.484.* Nihil præterea expetebant, ut reor, Episcopi; cum tot hactenus Canones vetuerint quidquam exigi pro expiatione criminum, nec eas sive eleemosynas, sive oblationes, nisi spontaneas probaverint. Id verò rursus confirmabit Concilium Londinense anni 1342. quo vetiti sunt Archidiaconi non solùm exigere, sed etiam accipere pecuniarias culparum redemptiones, quando sæpius eodem se crimine quis inquinaverat, quasi empta peccandi licentia. *Statuimus quod pro delicto notorio in recidivo continuato diutius, secunda vice non recipiatur pecunia quovis modo, sub pœna restitutionis dupli. Can.10.* In eodem Concilio illis quoque obviam itum est, qui statutum Eduardi II. supra allatum eludere moliebantur. Corporales infligebantur pœnitentibus pœnitentiæ, sed tam graves, ut eas pecunia redimere cogerentur. Id Concilium damnavit; ut & tertiam hanc corruptelam, quod mulctæ istæ pecuniariæ non in eleemosynas & pia quævis alia opera expenderentur. *Pecuniam recipientes, eam in usus pauperum, vel piæ causæ alias non convertant.* Denique vetat hoc Concilium labores & macerationes corporis pœnis pecuniariis redimi, nisi gravia urgeat necessitas. *Absque magna & urgente necessitate fieri prohibemus.*

Nec ab his dissidebat Ecclesiæ Gallicanæ disciplina. In famosa illa Disceptatione sub Philippo Valesio Rege contestatus est Episcopus Augustodunensis, Posse ab Officialibus pœnas decerni pecuniarias, *Tam de Jure, quàm de Consuetudine.* Confessus est autem, si quorum ea essent flagitia, notoria & enormia, quibus pœnitentia in omnem vitam meritò protrahenda esset, quantumvis ii Clerici essent, permitti eos non debere, pecuniis pœnitentias redimere: quanquam aliàs essent causæ justissimæ, ubi Canonicæ Civilesque leges his redemptionibus locum darent. *Hoc esset irrationale, ubi maleficium esset notorium & manifestum; & tale vel tantum propter quod perpetua pœna ei deberet imponi, si pro pœna pecuniaria tale crimen transiret. Sed nullum est inconveniens, si pro causa justa dicti Officiales pœnam temporalem in pecuniariam convertant, quia hoc etiam volunt jura, tam canonica, quàm civilia. In resp. ad arg.27. 33.*

X. Sæculo XV. Concilium Salisburgense priscam innovavit hanc ad Parochos legem, ne concubinarios tolerarent, ne adulteros, ne peccatores publicos, vel gratia, vel acceptis munusculis. *Ne publicè delinquentes gratia, favore, aut pro aliquo temporali omittat. Can.8.* Et si potestate donati sunt absolvendi à criminibus reservatis, sed ad paucos arctata, ne ea uti differant, dum aliquid accipiant muneris. *Nec obtentam à Superiori in casibus reservatis ad certum personarum numerum licentiam, eam venalem exponant, non nisi ad solventes aliquid ex pacto eadem licentia utendo: sed gratis & liberè, prout expediens fuerit, ad omnes sine personarum acceptione hujusmodi sibi concessa utantur potestate.*

At Concilium Basileense anno 1436. promulgavit, *Sess. 24.*, indulgentiam plenissimam, semel dum vita vigeret, & rursus alteram appetente morte.

consequendam, fidelibus omnibus concessam, qui certam pecuniam ibi præfixam conferrent, valde utique mediocrem, ad expensas necessaria pro Ecclesia Græca Romanæ recolligenda, quod & in Concilio Florentino perfectum est. Inter Epistolas Synodales hujus Concilii, illa eminet, qua huic decreto suo authoritatem conciliat, exemplo maximè duorum persimilium Decretorum, ad extirpandos Viclefitas, aliarumque à Summis Pontificibus concessarum indulgentiarum, ad pontium reparationes, & id genus alias necessitates publicas. Anno 1457. *Raynald. n.72.* Callistus III. Papa belli sacri expeditionem in Regni Granatensis Mauros publicari, classicumque cani jussit, publicatis pariter & indulgentiis, ex quibus Mariana ait collecta fuisse trecenta millia ducatorum, quanquam non in id bellum tota exhausta fuerit ea pecunia. Anno 1440. in Synodo Frisingensi prohibiti sunt, *Can.20.*, Presbyteri, pœnitentiis canonicis eximere peccatores, quantamlibet sibi pecuniam numerassent.

XI. Ineunte sæculo XVI. adgressus Leo X. instare exædificationi augustissimi Beati Petri Templi in urbe Roma, quod præcessor ejus Julius II. inchoaverat, Indulgentias promulgavit omnibus, qui in id æris aliquid obtulissent, profuturas. Bullas eas in Hispaniis promulgari curavere Ferdinandus Rex & Ximenius Cardinalis. At Ximenius tametsi laudibus ornaret eos, qui in opus tam pium erogarent quidvis, minus tamen probabat Indulgentias eo adhiberi: cumque non is esset, qui facilè premeret, quæ volvebat animo, nec Ferdinando Regi, nec Pontifici ipsi siluit, quæ sua esset de eo quidem quæstu sententia. Audi Gomecium in ejus vita. *L.5. Ximenius ut erat priscæ Religionis tenacissimus, laudabat quidem eos, qui in templi Apostolici constructionem suas pecunias largiebantur, sed privilegia ob id dari contra vetustæ Ecclesiæ ritus nunquam probare voluit, & quid de hac re sentiret, ad Pontificem maximum prudentissimè scripsit, & Regi Ferdinando in privatis colloquiis sine ullo fuco declaravit.* Si superiora Ximenius animo revolvebat sæcula nascentis & juvenescentis Ecclesiæ, jure ille meritòque negabat ulla eminere usquam vestigia indulgentiarum extruendis templis servientium. Sed ne ipse quidem obliteratos voluisset usus omnes, qui mediis & posterioribus sæculis emersere. Cum vel maximè eam struendorum templorum, aut restaurandorum rationem ab annis admodum quingentis tot Concilia, tot Pontifices, tot Antistites sanctissimi, tot Theologi commendassent; nec Hispaniensis ipsa Ecclesia potuisset templa sua à Mauris dudum diruta & complanata in integrum restituere, nisi ejusmodi pecuniis, Bullis, Indulgentiis, quibus & Romani Pontifices, & Episcopi Hispaniarum omnes assensum & authoritatem suam accommodassent. Si quis hæc Ximenio reposuisset tum, non jam illi novum & insolens visum esset, quod sibi vetus, quod pridem solemne erat. Verùm si eidem præstantissimo viro in mentem veniebat, verecundiùs hæc olim & moderatiùs usurpata fuisse, cum pœnitentiæ pars tantùm aliqua remittebatur, & austerioris pœnitentiæ legibus nonnihil adhuc loci residuum erat; cum ævo Leonis X. hę leges pœnitentiarum & oblivione & desuetudine jam obrutæ jacerent; minus erit forsan quod de Ximenii querelis conqueramur ipsi. Multò minus autem erit, si nobis ipsis in mentem veniat, minimam, ut ferunt, ejus pecuniæ partem in templi expensas consumptam fuisse; & aliunde abundasse opes reditusque Apostolicæ Cameræ; ut facilè abstineri posset hoc extremo extremæ necessitatis adminiculo.

XII. Cum Legatione Germanica fungeretur Cardinalis Compegius, & statuta conderet repurgando Clero, usum tum frequentem explosit pœnitentes reservatorum criminum reos ex aliis ad alia tribunalia rejiciendi, quòd id quidem tum ad emungendam pecuniam pertineret. *Ne & ipsi videantur pecuniæ aucupium magis, quàm salutis animarum studium amplecti, dum laicos graviora crimina confessos hinc inde remittunt, &c.* Can.9. Voluit autem ille ut Confessariis omnibus copia fieret absolvendi ab occultis omnibus criminibus, exceptis homicidis, hæreticis, & excommunicatis, qui ad Episcopum remittendi essent. *Ordinavimus, ut deinceps quilibet Confessor possit absolvere laicos contritos & confessos à quibuscumque peccatis occultis, quantumcumque gravibus & enormibus, quæ Ordinarii sua authoritati reservaverant, exceptis duntaxat homicidis, hæreticis & excommunicatis, ad Episcopum vel ejus Vicarium remittendis.* Non spectat hoc Decretum nisi ad Laicos. Denique vetitum est à Campegio nequid unquam pecuniæ extundatur ad cujuscumque criminis absolutionem. *Quoad Clericos autem nihil intelligatur innovatum. Pro condonatione autem & remissione peccatorum, quam absolutionem vocant, nihil omnino ab invito exigant.*

In Concilio Coloniensi anno 1536. prohibitum est, ne carnis & lucri affectu tolerarentur peccatores publici, ne pecuniariis pœnis luerentur crimina; & si qua cogeret necessitas pecunias à pœnitentibus exculpi, piis in usus eę jussę sunt expendi. *Nolumus, ut concubinarii, aut alii manifestè criminosi ullo modo pro quæstu, aut pecunia emungenda causa tolerentur. Aut ut pœna pecuniaria pro criminibus passim imponantur: quod res mali exempli sit, crimen pecunia redimere. Quod si interdum vel persona delinquentis, vel delicti qualitas pœnam pecuniariam imponi postulaverit, hæc in pios tantùm usus convertatur, ne magis avaritia, quàm correctionis causa exacta videantur.* Part.53. c.8. In Concilio Coloniensi II. anno 1549. innovatum est hoc Decretum, hac etiam clausula adjecta, ut ne pecuniariæ pœnæ infligerentur, nisi ubi leges, Canonesque concedunt: atque vel tum eæ pecuniæ piis operibus addicerentur. *Nec pœnitentia loco pecuniam emungant, nisi ubi jura permittunt, aut Canones. Verùm multa ex permissione jurium aut Canonum proveniens, secundùm illorum præscriptum convertatur.* Tit. *De Officiorum persunct.* c.4. Jure autem fas est pecuniariam indicere pœnam, cum lex flagitio cuipiam mulctam infligit, & tamen non nescii hujus pœnæ legem contemnunt. *Seu ubi pro transgressione mandati vel inhibitionis certa mulcta, cujus habuerit transgressor cognitionem, & tamen contempserit, decreta sit.*

XIII. In Concilio Mediolanensi I. anno 1565. præceptum est, ut si qua pecunia à Clerico criminoso eliceretur, ea ne Episcopo cederet. *Nullo modo ad Episcopum perveniat, in ejusve commoda ulla ratione convertatur.* Sed ut tertiam ejus partem Episcopus delatori largiretur, reliquam in pia quævis opera converteret. *Sed idem Episcopus parte pecuniæ qua tertiam non superet, assignata delatori, reliquam piis operibus aut locis omnino attribuat.* Cap.15. Emendæ verò illæ, quas è laicis ob Ecclesiastica, vel mixta crimina exprimit Episcopus, dividendæ erunt inter sæculares Principes, delatores, & Xenodochia. *Multas verò qua ob delicta Ecclesiastica, vel mixti fori, laicis à Judicibus Ecclesiasticis irrogantur, ad hunc modum dividi volumus; ut tertia parte piis locis aut operibus addicta, tertia ad fiscum Principum sæcularium pertineat, reliquam accusatori detur.* Si verò Clerici, vel Laici solvendo non sint, tum alias Episcopus temperabit illis pœnas; ejusmodi nimirum, quibus conscientiæ vulnera curentur. *Pecuniam alia salutari pœna commutet, quæ ejus generis sit, ut peccatorum vulnera contrariis remediis curentur.* Anno 1565. Concilium Toletanum constituit, ut mulctæ omnes pecuniariæ piè ex-

expenderentur, eoque concrederentur viro probo & fido, qui earum rationem redderet. *Pœnæ pecuniariæ in pios tantùm usus, & pro executione justitiæ, non pro privata utilitate Episcoporum expendantur. Deputetur ab Episcopo, qui easdem pœnas recipere debeat, earumque rationem reddere teneatur. Can.14.*

Concilii Tridentini Patres cæteris morbis medicinam fecerant, extinctis Quæstoribus, quæstûs quàm pietatis studiosioribus, quorum in publicandis indulgentiis sordidissimæ cupiditates execrationi fuerant fidelibus universis; jussisque Episcopis ipsis Indulgentias promulgare, & eleemosynas colligere, adjunctis sibi Canonicis duobus, quorum una & summa esset piç sollicitudinis merces, quç nobis omnibus cœlitus desponsa est. *Nulla prorsus mercede accepta, ut tandem cælestes hos Ecclesiæ thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri omnes verè intelligant. Sess.21. c.9.* Denique in eodem alibi Concilio sancitum est, *Sess.25. ad calcem.*, ut summa diligentia evellerentur corruptelæ omnes, quç in Indulgentiarum publicationem illapsæ essent.

XIV. Hęc fuit pœnitentiarum canonicarum pecuniariis pœnis commutandarum ratio, hęc series, & compendiaria historia, hęc statuta varia, ut pius ejus rei usus retineretur, nefarius exploderetur. Nec stupeas si qua hìc sibi pugnare quandoque videantur, damnantibus his, quæ alii probari, saltem tolerari posse contendant. In temporum, locorum, hominum varietatem tota illa conferri potest discrepantia & pugna. Eodem tempore, eademque regione Episcopi sanctissimi usum eundem hi laudarunt, illi vituperarunt. Quæ tolerabilia sunt, ejusmodi sunt, ut merito suo his probentur, illis improbentur. Prohibiti omnino sunt Archidiaconi, cæterique jurisdictionis Ecclesiasticæ administri à B. Hugone Episcopo Lincolniensi, pœnas indicere pecuniarias, propterea quod muneribus Judices occæcantur, & ab orbita deflectuntur justitiæ. *Archidiaconos suos cæterosque Prælatos severè compescuit, ne à delinquentibus mulctam exercerent pecuniariam, quòd munera excæcent oculos sapientum, & judicia pervertant justorum. Surius die 17. Novem. c.16.* Cumque Hugoni objectaretur nullas magis pœnas exhorrescere solitos reos, quàm pecuniarias, scitissimè reponebat ille, non aliunde id proficisci, quàm ex Clericorum supinitate in exigendis pœnis aliis, diligentia in pecuniis extorquendis. *Vestræ hoc potius negligentiæ adscribendum est, qui remissiores estis in castigandis vitiis, & severiores in extorquendis pecuniis.* Cum urgerent denique illum martyrii laurea insignitum Thomam Archiepiscopum pœnas istiusmodi quandoque præscripsisse pecuniarias, respondebat Hugo, aliis eum effloruisse virtutibus, quibus martyrio se aptasset. *Credite mihi, non idcirco sanctus fuit; alia enim virtutum merita sanctum exhibuerunt, alio meruit nomine martyrii palmam.* Juris canonici tritum terebat iter Thomas Cantuariensis. Hugo Lincolniensis viam sectabatur tutiorem & perfectiorem; utrique gratiæ, utrique laudes referendæ sunt, nihil alterius gloriæ, alterius splendori decerpitur.

Willelmi sanctissimi Bituricensis Archiepiscopi vitæ Scriptor, illum narrat animi ancipitem aliquando hæsisse, quæ sibi via & ratio tenenda esset in excommunicatos; quòd ille apud Episcopos Gallicanos mos inolevisset, ut præter canonicas pœnas alias, mulctæ etiam indicerentur pecuniariæ: *Ex more totius Ecclesiæ Gallicanæ mulctam pecuniariam irrogare, præter satisfactionem, quam pro qualitate criminum imposuerat. Surius die 10. Januar.* Fluctuabatur animo Præsul sanctissimus, nec sectari, nec aspernari se posse persuasus, quod cęteris Galliarum Episcopis usitatissimum erat. Mediam denique hanc semitam sibi ineundam duxit, ut mulctam indiceret, non exigeret, quamvis comminationibus non abstineret. *Pecuniam postea nullam ab eis accepit, licèt ad incutiendum salubrem timorem sæpiùs se accepturum minaretur.* Ita ille rem sapientia & charitate prælucente & moderante temperavit. *Morem patriæ nec damnare palam voluit, nec approbare. Bolland. Januar. Tom.1. p.631.*

Beato Hugoni Gratianopolitano familiare erat Pœnitentibus eleemosynas præscribere, uti & jejunia, & preces frequentiores. Ita ille Evangelicç legi morem gerebat: *Eleemosynam libenter faciebat, sedulè suadebat, pro satisfactione etiam pœnitentibus injungebat. Hæc namque tria præcipuè culpæ suæ emendare cupientibus, sectanda præcipiebat, orationem, jejunium, & eleemosynam; non humanam in hoc temeritatem, sed Evangelicam sequens veritatem. Date, inquit, eleemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis. Surius die 1. April. c.17.* Sed idem ipse vitæ ejus Scriptor fidem facit, in causis dirimendis impervium illum prorsus & inaccessum fuisse muneribus. De eo disseremus proximo mox capite.

Hic verò illud addam ex Actis B. Joannis Episcopi Teroanensis à coævo Scriptore exaratis, usque adeo alienum eum fuisse à specie quantulacumque avaritiæ, ut nunquam adduci potuerit ad eas mulctas recipiendas, quæ à criminosis tum Episcopo persolvendæ sæpissimè erant. Ecclesiæ suæ jura ab eo vilipendi querebantur non pauci: at cæteri Clerici in ejus exempla ingredientes, maledicentiæ Laicorum in Clericos plerumque bacchanti os obturarunt, ut jam & Episcopus & Clerus omnibus admirationi esset. *Bannos, quibus pro transgressionibus suis & prævaricationibus homines secundùm legem mulctari ab Episcopis debent, etsi ob hoc ipsum à nonnullis reprehenderetur omnino accipere noluit. Unde factum est, ut in Ecclesia Dei honestior & utilior Clericorum existeret congregatio, & Sacerdoti Domini detrahendi nulla malevolis præstaretur occasio.* Hujus contextûs prima vox Germanica est, eaque significantur emendæ pecuniariæ. In Alemanicis & Septentrionalium Nationum legibus frequentissima illa est earum, quæ medio ævo se in Europam infuderunt. Illis legibus pene omnibus certæ definiuntur pecuniæ, quibus pleraque levantur crimina. Nec secus est in criminibus Ecclesiasticis, quorum mulctç ad Episcopum devolvuntur, qui tum erat custos & administrator totius ęrarii Ecclesiastici, seu patrimonii Christi, Ecclesiæ, Cleri, pauperum & miserabilium omnium. De his legibus agit is Scriptor cum dicit *secundùm legem*. Ex harum legum & Canonum, mulctarum & pœnitentiarum publicarum congerie emersit illa disciplina mediæ ætatis, cujus hic effigiem exhibuimus. Illud postremò hic observa, non Canones, non Synodos præisse ad has pecuniarias pœnas indicendas, sed leges, earumque authores, sive populos, sive Principes.

XV. Aptissimè concludet hoc Caput Palavicinus Cardinalis in Historia Concilii Tridentini, *L.23. c.8. n.11.*, ubi ab eo commemoratur, quod ipsius ab ore acceperat Alexandri VII. Papæ. Nempe percunctatum hunc Pontificem, quos in usus effunderetur pecunia, quæ ex dispensationibus conjugiorum affluebat, à ministris ejus rei didicisse in ea diligentissimè servari, quæ ab Innocentio X. mandata fuissent, ne ea pecunia cæteris proventibus permisceretur, sed seponeretur in Monte pietatis, unde non extraheretur, nisi jussu Pontificis, ad pia quædam opera. Si ubique mulctarum & dispensationum pecunia tam sanctè expenderetur, nemo non congratularetur, succurri miseris, pauperes sublevari.

CA-

CAPUT LXXV. P.4. l.3. c.8.

De exactionibus justis & injustis in jurisdictione exequenda, post annum Christi millesimum.

I. Connexio superiorum cum inferioribus.
II. Ne distrahantur, ne conducantur Officialitates.
III. Varii Canones, ut gratis lites dirimantur, utque ne veneant, vel locentur Officia, seu Dignitates, quibus Ecclesiastica affixa est jurisdictio.
IV. Novi Conciliorum Canones ad eandem duo, ut jurisdictio gratis, ut judicandi officium ne vendatur, ne locetur.
V. Quibus Decretalibus indiscriminatim damnentur, & Præsules, qui distrahunt, & Clerici qui emunt Officialitates.
VI. Conciliorum posteriorum Decreta, continendis in officio Advocatis, Procuratoribus, Notariis, utque gratuitò jus dicatur.
VII. Mirum Petri Damiani exemplum.
VIII. Mira & alia exempla, à B. Bernardo memorata.
IX. Exempla alia, maximè Eugenii III.
X. Mira tabella Hugonis Episcopi Gratianopolitani, jus dicentis.
XI. Statuta complura Concilii Tridentini, & Mediolanensium Conciliorum, ne ulla Judicum Officia pecunia distrahantur, utque gratis officia fungantur Judices.
XII. In eandem rem aliorum decreta Conciliorum.
XIII. Decreta Concilii Gallicani in Conventu Melodunensi.
XIV. B. Caroli Mediolanensis Archiepiscopi exempla & statuta.

I. NOn potuere superioribus Capitibus expediri, quæ ad pœnitentiam, & pœnas, seu pœnitentias, mulctasque pecuniarias pertinebant; quin multa aspergerentur de jurisdictionis contentiosæ usu, cujus tam mira & individua pene est societas cum publicæ pœnitentiæ reliquiis. Et necesse tamen est hoc rursum Capite, qua religione & vigilantia incubuerit Ecclesia, ut gratuita essent omnia contentiosæ jurisdictionis officia, pro virili parte nostra explanare. Huic enim jurisdictioni Ecclesiasticæ is semper propositus fuit scopus, is fructus ex ea expressus est, ut salubri pœnitentia expiarentur crimina, animarum vulnera persanarentur. Et hoc ergo Caput ad illa trahi poterit, ubi de Pœnitentia sermo erat.

II. Proscripsit Alexander III. vitiosam illam consuetudinem, quæ inoleverat jam in nonnullis Diœcesibus, quorum Episcopi conductitios habebant Officiales, vel ipsa Officialium munera pretio addicebant; denique à Decanis & Archipresbyteris ruralibus, juri dicendo à se quoque præstitutis, annuam eliciebant pecuniam, eosque omnes pestifero hoc suo imbuebant exemplo, ut & ipsi jus non tam dicerent, quàm venderent; & venderent pene necessario, quod oesariè emissent. *Quoniam in quibusdam partibus Decani quidam & Archipresbyteri ad agendas vices Episcoporum seu Archiepiscoporum, & terminandas causas Ecclesiasticas, sub annuo pretio statuuntur; quod ad Sacerdotum gravamen & ad subversionem judiciorum non est dubium redundare, id ulterius fieri prohibemus. Append. Conc. Later. Par.2. c.1.* Sive ad vitæ tempus vendantur Officialium dignitates, sive sub annuo censu locentur, peræquè venduntur, etsi alia, & alia ratione id fiat, pari semper nequitia; cum potissimùm hinc constringantur fœdissimæ necessitatis vinculo Officiales, ut & ipsi promercalem habeant justitiam. Quin ut onerosius est, ita & exitialius ea Officia semel persoluto pretio vendi. Tantò enim arctior incumbet necessitas præsestinè exigendi, quò ea jactura pecuniæ sarciatur.

III. Vetuit Concilium Eboracense anni 1194. ne quid Ecclesiastici Judices acciperent, ad jus dicendum, ad judicia sive maturanda, sive protrahenda. *Cum Scriptura beatum esse eum testetur, qui manus suas excutit ab omni munere, diligenti studio providendum est, ut gratis exhibeatur justitia, nec pro ea in causis Ecclesiasticis facienda, vel adimenda, sive accelerandа, vel differenda, quidquam pretii præsumant accipere, ut ei fructum justitiæ suo tempore opportuno retribuat justus Judex.*

In Concilio Oxfordiensi anno 1222. prohibiti sunt tum Archidiaconi, tum Decani Rurales, ne suas locarent functiones, cum spirituales eæ sint; quanquam locare possent agros suis his quandoque Dignitatibus adscriptos. *Ut omnis cupiditas & avaritia cultus expellatur ab Ecclesiæ ministris, præsentia præteritis duximus annectenda; statuentes ut Archidiaconatus, Decanatus, vel aliud officium, quod in spiritualibus merè consistat, nulli dentur ad firmam. Si verò reditus huic officio sit annexus, ille de Superioris licentia dari poterit ad firmam. Cap.7.* Itaque hæc Officia, quibus innexæ erant vices jurisdictionis Episcopalis exerendæ, nec ab Episcopo vendi poterant, nec ab his, quos ille instituisset, subdelegatis aliis locari poterant, quòd hoc vel tum quoque esset, jus vendere.

In Concilio Tolosano anno 1219. interdicuntur omnino Ecclesiastici Judices, quidquam exigere à Partibus, nec consuetudinis, ac ne expensarum quidem obtentu. *Nullus omnino Judex occasione expensarum, seu prætextu alicujus consuetudinis, pro justitia exhibenda aliquod à litigantibus exigere, vel extorquere præsumat, sed gratis omnibus justitia exhibeatur, postposita gratia, odio, vel timore. Cap. 43. 44.* Si qui re tam sint tenues, ut Advocatum habere non possint, à Curia illum accipient. *Si autem aliqui pauperes sint, aut pro paupertate Advocatum habere non possint, det ipsis Curia Advocatum, si causa indiguerit Advocato.*

IV. Leges hæ sacræ in id unum omnes colliment, ut judicandi munus & gratis ab Episcopo delegetur, & gratis exerceatur à delegato. Apta hæc duo, & indivulsè quodammodo sibi connexa sunt, & iis continetur summatim, quidquid hic optari potest. Concilium ad Castrum Guntherii anno 1231. constituit, *Can.12.*, ut Archidiaconi, Archipresbyteri, ministrique omnes alii Ecclesiasticæ jurisdictionis, extra civitatem Episcopalem ipsimet jus dicerent, nec alios delegare possent Officiales. Perspicuum est hac inutili Officialium & Ministrorum multitudine plebem gravari. *Ne Archidiaconi, Archipresbyteri, & alii jurisdictionem Ecclesiasticam habentes extra civitatem Officiales habeant; sed extra civitatem in personis propriis officium suum fideliter expleant.* Canone 13. vetantur Judices Ecclesiastici, qui in visitandis districtûs sui Parochiis jus dicebant, procurationes suas pecunia commutare. Scilicet eo colore simoniacæ non paucæ prætexi potuissent exactione. Præter alimenta ergo extundere nihil poterant. *Inhibemus etiam ne Prælati, & alii jurisdictionem habentes, in pecunia numerata procurationes accipiant, contra statuta Concilii generalis.* Alio ejusdem Concilii Canone edicitur, *Can.35.*, ut Ecclesiæ judices juramento se constringant, qualiacumque munera respuere, nec à linea æquitatis vel tantisper unqam deviare. *In ip-*

institutione sua jurent, quod turpia munera non recipiant, & quod causas bona fide audient & defendent. Quod ad Advocatos autem attinet, qui quod jus, & consuetudo permittit, salaria sua accipient, ante institutionem & ipsi suam jurabunt, nullius se unquam minus æquæ causæ patrocinium suscepturos, & alia id genus plura, quæ ipsius Canonis verba declarant. *Item Advocati, qui de consuetudine salarium receperint, nisi jurati de cætero nullatenus admittantur. Forma juramenti talis existat.: Quod non fovebunt injustas causas scienter, neque proponent dilatorias, neque instruent partem suam ad respondendum malitiosè, Partes quàm citius poterunt, expedient bona fide, &c,* Can.36.

Anno 1255. *Du Chesne. Tom.5. pag.362.* in Concilio Bituricensi recitata est Constitutio Sancti Ludovici Galliarum Regis, quæ Magistratus tantùm, Judicesque Civiles complectebatur, sed quæ vel ab ipsis eadem exprimebat juramenta, vel eandem eis à cupiditatibus sordidis alienationem præscribebat, ad quam Ecclesiastici Judices Canonicis legibus constringuntur. Quò hæc specialiter spectent, docebunt verba ipsa Constitutionis. *Jurabunt etiam donum seu munus quodlibet à quacumque persona per se, vel per alium non recipere in pecunia, auro, vel argento, vel rebus aliis quibuscumque mobilibus, vel immobilibus, vel se moventibus, seu beneficiis personalibus, sive perpetuis, præter esculenta, & poculenta, quorum valor in hebdomoda una summam decem solidorum Parisiensium non excedat.* Can.4.

Concilium Londinense anni 1268. confirmatis statutis Ottoboni Legatis Cardinalis, aut vendi prohibuit, aut locari Officia omnia Jurisdictionis Ecclesiasticæ. Ea porro ejus statuti ratio promitur à Concilio, quę jam ad nauseam pene à nobis inculcata est, quòd judicandi functionem qui pretio paraverunt, pretio etiam venalem, & quocumque flexibilem habeant. *Indignum est in spiritualibus pecuniarium inire commercium, dicente Apostolo Petro ad Simonem: Non sit tibi pars neque sors in sermone isto. Avarè enim & facilè spiritualia vendit, qui eorum exercitium pecunia interventione conducit. Providè igitur Constitutionem Legati comperimus inhibentem, ne dignitates, vel officia, putà Decanatus, vel proventus ex Ecclesiastica vel spiritalis jurisdictionis exercitio, seu ex pœnitentia, vel altari vel sacramentis aliis quibuslibet, venientes, nullo modo concedantur ad firmam.* Can.21. Iterum, iterumque monebo, vendi Officialitates individiosius etiam est, quàm exigi ex earum functione annuum reditum. Perinde est enim acsi locaretur illa judicandi facultas, & in antecessum annui reditus exigerentur, cum emptori constare non possit, an per vitæ diuturnitatem possit unquam eam pecuniæ summam recuperare.

V. Antequam venio ad Decreta Concilii Lugdunensis II. obiter hic attingam libros Decretalium, sicubi de proposita nobis quæstione aliquid perstringant. In classem simoniacorum conjicit Innocentius III. & Beneficiis privat eos omnes, qui pretio distrahunt, emuntve Vicedominatus, & quascumque Dignitates alias Ecclesiasticas. *Quicumque Vicedominatum, vel aliam Ecclesiasticarum rerum administrationem per pecuniam obtinere voluerint, tam ementes, quàm vendentes cum Simone percelluntur, & ab illa Ecclesia in cujus contumeliam dare pecuniam, & accipere voluerunt, justè excluduntur. Extra. De Simon. c.38.* Duo sunt quę in hoc Decretum observemus. Primum est, Penes Vicedominum non esse nisi temporalium Ecclesiæ rerum, vel Episcopatus administrationem. Si id ergo muneris emi simoniacum est, quid de Officialium potestate sentiemus, quibus exercenda Jurisdictio Episcopalis committitur? Alterum, ejusdem simoniæ conscios esse, qui emunt, atque qui vendunt. Decretum Alexandri III. *Conc. Later. III. Can.15.* quod supra retulimus, in corpore Decretalium refertur, *Extra. L.5. Tit.4. c.1.*, tanquam ex Concilio Turonensi, illo, opinor, quod sub eodem Pontifice celebratum est. Unde & illi præit Canon Concilii III. Lateranensis sub eodem Pontifice, ubi prohibentur Episcopi vendere, locare, aut ad firmam dare pro certa pecunia Officium quodcumque Judicis Ecclesiastici. *Præterea quoniam quidam in quibusdam partibus suis pretio statuuntur, qui Decani vocantur, & pro certa pecunia quantitate Episcopalem jurisdictionem exercent; præsenti decreto statuimus, ut qui de cætero hoc præsumpserit, officio suo privetur, & Episcopus conferendi hoc officium potestatem amittat.* Hujus certè Rubrica Decreti æquo sævit, tum in vendentes, tum in ementes, judicandi in Ecclesia potestatem: *Qui dat pecuniam, ut Episcopalem, vel spiritualem jurisdictionem exerceat, officio suo privatur, & sic conferens illud, amplius conferre non poterit, & canonicè punietur.*

VI. Venio ad Concilium II. Lugdunense anno 1274. Hoc ibi juramento obligantur Advocati, ut *omni virtute sua omnique ope, id quod verum & justum existimaverint, suis clientulis inferre procurent.* Can.19. Quo primùm puncto temporis intellexerint causam aliquam æquitati repugnare, ea se abstenturos. *In quacumque parte judicii eis innotuerit, improbam fore causam, ampliùs non patrocinabuntur.* Eodem sacramento adigentur & Procuratores, quod & annis singulis hi, illique innovabunt. Vetuit denique hoc Concilium ne Causidicorum salaria ultra viginti libras Turonenses, ne Procuratorum ultra duodecim augerentur; quod enim ulterius exolutum fuerit, id restituendum fore. Anno 1287. in Synodo Excestreosi confirmatum est, *Cap.34.*, hoc Decretum, firmata & illa sacramenti præstandi cautio, antiquis civilibus legibus consentanea, & tandem à Gregorio X. Papa in usum revocata.

In Concilio Vaurensi (De Lavaur.) anni 1368. statutum est, ut Archiepiscopi, Episcopi, Officiales, Ministri denique omnes sacræ Jurisdictionis, gratis jus dicerent, nihil acciperent, nisi si quid pro temporali dominio debeatur. *Statuimus, & ordinamus, atque præcipimus, quod quilibet nostrûm Archiepiscoporum, Episcoporum, atque Officiales nostri & Clerici quicumque ordinariam jurisdictionem habentes, gratis causas examinent, sententias sponte proferant, nullam inde pecuniam recipientes, salvo eo, quod pro justitia ratione dominationis debetur. Notarius autem salarium pro labore percipiat temperatum.* Can.26. Quod de Notariis hic dicitur, in minusculos omnes id valet Ministros, ut salaria eorum non sint nisi valde mediocria. Est tamen nonnihil scrupuli in hac clausula, *Salvo eo, quod pro justitia ratione dominationis debetur.* Nec video tamen quid probabilius dici possit, quàm quod uno verbo insinuatum volui; nempe legibus ipsis indictas quandoque fuisse criminosis mulctas pecuniarias, quæ ex parte saltem Episcopo adjudicabantur illæ quidem, sed & pars earum aliqua Dominis temporalibus cedat.

VII. Antequam gradum proferam ad disciplinam recentiorem in hac parte, lubet exemplum hic mirum proferre Petri Damiani. Quo solet ille styli animique candore ingenuo, narrat ipsemet cum Mediolani Legatum ageret Pontificium, oblatum sibi fuisse ab Abbate vasculum argenteum magni pretii. Exhoruisse se primum, & Abbatem rogasse, num quid rei sibi, aut litis esset? Quod solemne nimirum esset Ministris Ecclesiæ Romanæ, iis saltem qui integritatis studium præ se ferrent, nihil unquam

quam ab iis accipere, quibus aliquid causæ esset in Curia; sed eorum spontanea non abnuere dona, quibus nihil esset jurgii cum quoquam. *Mos quippe est apud nos, Ministros videlicet Apostolica Sedis, ab his quorum negotium pendet, nihil prorsus accipere; ab his autem, qui omnino quieti sunt, si dare voluerint, non abjicere. Et hac regula non omnium nostrûm, sed illorum dumtaxat est, qui meliusculè se ab aviditate custodiunt. Baron. an.1059. n.62.* Cum respondisset Abbas, nihil sibi esse litis, sed hoc munusculo percupere se ejus benevolentiam demereri; perstitit Petrus in sententia; tantò enim sinceriorem fore amicitiam, quantò & gratuita foret. *Amicitiam nostram non more fanulorum mercede redimeret, sed gratuitò possideret.* Non dissimulat Petrus post recusatum semel iterumque munus, hæsisse tamen adhuc in penitiori mentis recessu clandestinum votum, ut cogeretur illud accipere. *Si ille mihi ad ingerendum munus importunus existeret, ejus violentia mihi nullatenus displiceret. Volebam si quidem vim mihi fieri, & velut invitus ad vota compelli.* Damnavit ipsemet fraudem hanc furtivæ cupiditatis, iterumque respuit oblatum donum; at Abbati confessus est, se quidem nunquam assensurum, ut eo donaretur vasculo; sed si eam vellet spontaneam oblationem conferre alteri ex duobus Cœnobiis à se extructis, eo ipsum rem gratam & Deo facturum, & Sanctis ejus. Inexorabili & sui & aliorum censori Petro suboluit mox, qua seipse fraude circumvenisset, uno eodemque facto accipiens quod abnueret, abnuens quod reciperet. *Hoc argumento cupiditatis mea turpitudinem palliavi, & tanquam non accipiens astutus accepi.* Reddidit se tandem sibi, in altiores cordis sui sinus & fallentes latebras subiit, vidit cupiditatis fibras tenuissimas, altissimè infixas, nec funditus unquam excidendas, quandiu mortalis hæc agitabitur vita, etiam à sanctissimis viris. Denique fallax ille donum ad authorem remisit, & compressis avaritiæ præstigiis, compressit & animi sui æstuationes. Luculento hocce documento, suique experimento Ministros Justitiæ omnes vir summus admonet, instruitque ut in seipsos pervigili cura excubent, cum illecebræ donorum tam formidolosæ sint viris etiam sanctissimis. *Deinde auxiliante Deo contra sordes munerum jam cautius vigilabo.*

VIII. Memoratu dignissima sunt, & quæ ad Eugenium III. Papam profert B. Bernardus in eandem rem exempla. Unum eorum est Goffridi Carnotensis Episcopi sanctissimi, qui Legatione Apostolica in Aquitania functus est suis expensis, hoc est, ne legitimis quidem procurationibus acceptis. Quin & munera omnia constantissimè recusavit. Cum piscem insignem Sturgionem Presbyter quidam obtulisset, non recepit, nisi persoluto ante pretio. Cum Matrona nobilis mappam, & patinas binas, ternasve obtulisset, pulcherrimas, sed ligneas, admiratus est illas quidem, se penitus recusavit. *Quando argenteas recepisset, qui ligneas refutavit? Baron. an.1135. n.2. Bernard. De Consid. L.4.* Alterum est exemplum Martini Presbyteri Cardinalis, Daniæ Legatione functi summa cum integritatis laude. Pauperior rediit, quam ierat; pene viaticum defuit quo rediret. Opportunissimè illum Episcopus Florentinus iter agentem equo donavit, ut Pisas se conferret, ubi tum Curia Romana, ubi Bernardus ipse versabatur. Postera die eodem se contulit Episcopus Florentinus, cœpitque patrocina sibi aucupari, ad litis dijudicationem. Haud mora Martinus equum ei remisit. *Decepisti me, inquit, Martinus, nesciebam tibi imminere negotium. Tolle equum tuum, &c.* Bernardus horum testis oculatus, & admiratione correptus, his mox verbis Eugenium compellabat. *Quid dicis, mi Eugeni? Nonne alterius sæculi res est, rediisse Legatum de terra auri sine auro? transisse per terram argenti, & argentum nescisse? Donum insuper, quod poterat esse suspectum illico rejecisse? Baron. an.1134. n.2.* Aurei subjicit sæculi fœlicitatem & innocentiam reviviscere posse, si talibus Ministris uteretur Pontifex; *O' si talium daretur virorum copia, quid te fœlicius? quid illo jucundius sæculo?* Idque in votis esse optimo cuique, ut qui columnæ sunt Ecclesiæ, & cœlestis Sponsæ custodes, eam præstent incorruptam & inconcussam fidem. *O' si viderem in vita mea Ecclesiam Dei talibus innixam columnis! O' si Domini mei Sponsam cernerem tanta commissam fidei, tanta creditam puritati!*

IX. Is erat certè Eugenius ipse III. cui tales adhærescerent Ministri. Eodem enim ipso teste Bernardo, cum Archiepiscopi Moguntinus & Coloniensis Romam profecti essent, ut causæ cuidam suæ adessent, pluresque deduxissent equos, auro argentoque onustos, causam Eugenius diremit, munera respuit; qui vicit, inempta victoria potitus est; qui causa cecidit, innocentia expertus est, non opulentia in judiciis certari debére. Novi res exempli fuit aurum Romam adferri, & Rome referri. Enimvero non ea fuit Romanorum abstinentia pecuniæ, sed intaminata, & invicta Papæ integritas, cui plausit, cui congratulatus est orbis terrarum. *Argentum reputatum est fœnum. Sagmarii non levati sarcinis, onusti nihilominus repatriant, vel inviti. Nova res! Quando hactenus aurum Roma refudit? Et nunc Romanorum consilio id usurpatum non credimus. Baron. an.1152. n.2. 5.*

His ex adverso objicienda est fœdissima Jordanis Legati tabella, ab eodem alibi delineata Bernardo, *Ep.323. 390.*, qua certè constat, non omnes Eugenii Legatos ejus moribus imbutos fuisse. Fidenter Bernardus Pontifici renunciat, quæ tum frequentissimæ erant toto orbe Romanæ Legationes, eas parum persæpè utilitatis, offensionis plurimum attulisse, impressis longè latèque, maximè autem in Hispania, sordidissimæ avaritiæ vestigiis. *Vestri qui terram Austri tam sæpè visitant, quid boni adhuc egerint, nedum audivimus. Et forsitan audissemus, nisi pra auro Hispania salus populi viluisset. Baron. an.1152. n.1. Bernard. L.3. De Consider.* Hinc intelligas, & incorruptissimos esse potuisse Pontifices, & eorum Ministros aliquos ad omne scelus projectissimos.

Non erant Joanni Salisberiensi eadem conjunctionis & necessitudinis vincula cum Eugenio, quæ Bernardo, & ab eo tamen refertur Eugenii factum, quod æternæ hominum memoriæ meritò commendandum sit. *Nullum omnino munus hominis litigantis recipiebat.* Hanc ille mordicus regulam retinebat. Auri marcam illi obtulit Prior quidam, cui lis erat. Abnuit Pontifex, & hominis impudentiam scitissimo hoc responso retulit. *Nondum domum ingressus es, & jam vis corrumpere dominum. Baron. an.1153. n.12.* Congressus est & aliquando Joannes Salisberiensis cum Adriano IV. eique ingenuè confessus est, esse Romæ Cardinales invictissimæ integritatis, & quorum verè Romana, sed Christiana dici posset abstinentia, rerum humanarum despicientia & animi magnitudo. *Unum audacter conscientia teste profiteor, quia nunquam honestiores Clericos vidi, quàm in Ecclesia Romana, aut qui magis avaritiam detestentur. Plurium tanta modestia, tanta gravitas est, ut Fabricio non inveniantur inferiores, quem agnita salutis via moribus omnibus antecedunt. Ibid. an.1156. n.13.* Sed hæc tam honorificè præfatus, mox tamen non celavit iniquissimo se ferre animo venalem Romæ justitiam. *Justitia regina virtutum est, & erubescit pretio permutari. Si gratiosa futura est, sit gratuita. Nequaquam prostituatur ad pretium, qua corrumpi*

qua

non potest. Integra est & semper incorrupta.

Cardinalibus ipsis Romanis persuasissimum erat, nihil Deo gratius se, nihil jucundius facere posse, quàm si quævis io jure dicendo munera ablegarent, quando eum multa alia sibi religiosissimè observanda præscripserunt, tom illud in primis, ubi Hierosolyma ad Infidelibus expugnata, propitiandam sibi divinam iram constituerunt. Rem oarrat Rogerius. *Firmiter etiam inter se promiserunt, quod de cætero nulla munera accipient ab aliquo, qui causam habeat in Curia; sed ea tantùm recipere poterunt, quæ fuerint pro eorum necessitate & sustentatione donata, vel missa. Baron. an.1187. n.19.*

X. Supar B. Hugoni Gratianopolitano Episcopo Scriptor ejus vitæ, illum oobis exhibet munerum delinimentis invium septumque in justitiæ dispensatione. In ejus foro nec obsuit cuiquam paupertas, nec divitiæ profuere. In innocentia etiam pauperibus invictissima fuere præsidia, divitum improbitas explosa & obtrita semper fuit. *Cum frequentissimè suorum & alienorum causas mundanas & Ecclesiasticas audiret, ventilaret, terminaret, cumque in subditis sibi Clericis per tam prolixum vitæ spatium toties consecrationes, degradationes, reconciliationes pro personarum & Ecclesiarum competentibus causis & necessitatibus celebraret, manus tamen suas ab omni excussit munere. Eo judice nulli unquam persona dignitas, nulli pecuniæ profuit quantitas. Nullum paupertas, nullum quantæcumque officiorum sive natalium reum fecit extremitas. Non mitiorem amicus, non duriorem expertus est inimicus. Non deargentatam convictis, vel pœnitentibus imposuit pœnitentiam; non lucrosam in Placitis defendit ediditve sententiam. Quod beati viri eò preclarius illustrat meritum, quò rarius vel in præteritis, vel in præsentibus habet exemplum. Quanta nobis offertur materia in præsentium temporum faces invehendi, in quibus cum dedecore atque eversione honestatis & æquitatis, pecunia templa penetrat, altaria maculat, sacerdotia venundat, innocentiam exterminat, omnia divina profanaque contaminat. Excæcant nunc munera oculos sapientum, omnes diligunt munera. Surius die 1. April. c.18.*

XI. Tempestivum jam erit ad Tridentinum accedere Concilium, & ad ea, quæ illi quasi succinuere Provincialia Concilia. Jurisdictiones Ecclesiasticas, adeoque & Officialitates vendi prohibuit Trideotinum. *Sess.25. c.11. Non liceat jurisdictiones Ecclesiasticas, seu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios in spirituali locare.* In Concilio III. Mediolanensi jussi sunt Episcopi diffinire mercedem, qua contenti esse deberent mioistri & officiales omnes: *Illis omnibus certam taxam præscribat, quam pro sui operis, vel officii, vel laboris mercede, proque causarum & juridicorum ratione exigi ab unoquoque liceat.* At ne Vicarii Generales & Officiales muoera usquam acciperent ulla à Partibus, ne esculenta quidem. *Nullum neque munus, neque donum, neque cujusvis generis xenia, ne esculenta quidem poculentave Vicarii ab iis accipiant, qui coram iis causas vel habent, vel agant. Act. Ecc. Med. p.104. 189.*

In Coocilio V. Mediolanensi confirmatum est hoc Decretum, additumque, ne quid munusculi Judices à Partibus acciperent, ac ne gratuita quidem dona, quovis prætextu. *In ordinariis causis nihil quidquam vel minimum, nec sportularum quidem nomine, nec à sponte etiam dantibus, aut ullo quovis modo à Judice illius fori accipi licere. Cap.11.* Conciliom IV. Mediolanense ad Notarios ipsos & Cancellarios ampliaverat prohibitionem illam cujusvis muneris recipiendi, qua Concilium III. ejusdem Civitatis solos complexum fuerat Vicarios Generales, & Officiales. Qoio & hoc addiderat, ut mulctæ & pœnæ omnes pecuoiariæ pia io opera vel loca impenderetur. *Pœna ac mulcta omnes ac singulæ, cujusque generis sint, sive Clericorum, sive aliorum quorumcumque, etiam quas ex superiorum Conciliorum sanctionibus irrogare contigerit, deinceps piorum locorum operumve usui verè atque omnino attribuantur, nulla prorsus parte reservata, aut alii usui attributa.* Cancellarias Episcopales vendi prohibuerat Concilium I. Mediolanense. *Cancellarias verò deinceps vendi, locari, vel earum nomine, vel occasione, quovis prætextu cujusvis personæ quidquam solvi prohibemus. Act. Ecc. Mediol. p.26. 285. 286.* Novo id quidem Decretum robore muoitum est in Concilio V. Mediolanensi, vetitumque ne lucra Cancellariæ ad Episcopos, vel Vicarios generales, vel ad alios quoscumque, quàm ad Cancellarios & inferiores mioistros redirent; quos & ipsos compescere placuit, ne quid etiam gratuiti muneris à quoquam acciperent. Longa in eo quoque Concilio describitur series Literarum, Actorum, Dispensationum, aliorumque instrumeotorum, quæ gratis danda esseot à Cancellariis. Vetuit denique hoc Concilium, oe qua à Secretariis suis munera acciperent Episcopi.

XII. In Concilio Toletano anni 1465. vetitum est Officia vendi Notariorum, Promotoris fiscalis, & ioferiorum omnium jurisdictionis mioistrorum. *Notariorum Ecclesiasticorum, Promotoris fiscalis, publicè executoris & aliorum officia quorumcumque, qui jurisdictionis Episcopalis & aliorum inferiorum ministerio operam dare tenentur, nullo modo vendantur, nec ob aliud quodcumque lucrum dentur temporale, dentur autem hæc officia gratis, &c. Can.15.* Qui gratis hæc Officia acceperint, nec vendere eis ipsis fas erit, nec aliis concedere. In Concilio Mexicano anno 1585. jussus est Episcopus Officiali suo idonea stipendia suppeditare. *Quem pro Officii sui ratione commodè sustentare debent Episcopi: L.1. Tit.8.* tum verò nihil salarii Officialem à partibus exigere, nisi eis placeret doctissimorum Jurisconsultorum cœtum aggregari, eorumque rogari sententias. *Quia verò Officialis hujusmodi pro videndis actis salarium forsan à Partibus litigantibus recipere volet, statuit hæc Synodus, ne quidquam pro his accipiat, nisi parte aut partibus petentibus jurisperitum unum vel plures sibi adjungi, quos de causa consulat, ac de eorum consilio sententias ferat.* Eodem Concilio vetiti sunt Episcopi vel minima vendere officia fori Ecclesiastici, ne violentis extorsiooibus illi mox laborent mioistri eam pecuniæ suæ labem resarcire. *Maximè oportet justitia officia benemeritis personis conferri gratis, ut cum omni integritate & fidelitate exerceantur. Pretium enim, quo emuntur, in causa esse solet, ut justo stipendio Officiales contenti non sint. Eam ob causam interdicit hæc Synodus, ne Episcopi vendant, aut locent officia Fiscalis, Notarii, Executoris, seu Lictoris suorum Tribunalium, &c. L.3. Tit.1. n.50.*

XIII. In Cleri Gallicani generali Cooventu Melodunensi anno 1579. his quàm simillima promulgata sunt statuta. Ut in eleemosynas expendatur quidquid emendarum instixerit Episcopus, vel Officialis ejus. *In pios usus deputet quidquid mulctæ nomine ipse aut Officialis judicaverit dependendum.* Si quid salarii accipiat Officialis, tam sobriè & abstinenter id faciat, ut conqueri possit nemo. *Quod si sportularum nomine tanquam pro expensis, & ne videatur Officiis suis stipendiis militare, aliquid intra solitum modum recipiatur, tanta sit in hoc moderatio, ut calumniis non præbeatur locus ullus.* Episcopi est, ut Officialis sui sustentatiooi prospiciat; quò gratis ab eo justitia administretur. *Suas interim partes esse perpendat Episcopus, ut Officialis justè non possit conqueri, quod suum sibi damnosum sentiat officium. Ita enim de judicandi munere gra-*

tuito loquitur Episcopis Innocentius III. Ad hoc sunt vobis reditus constituti, ut ex ipsis vos & alii Clerici honestè vivatis. Nec pluribus opus erat, ut voluntas Episcoporum intelligeretur. Jus enim ipsi olim per sese dicebant Episcopi adeoque & gratis prorsus dicebant. Si lapsu temporis necesse habuere ad hanc sollicitudinis suę partem vocare veluti Coadjutorem aliquem, hunc hauddubio statim suis impendiis aluere. Abundabant tunc Episcoporum reditus, idque probabile est voluisse Innocentium III. & Conventum Melodunensem. Nam Concilium Lateranense IV. cui præerat Innocentius III. pręcepit, qui Episcopi ferendo non essent tanto oneri suarum Diœceseon, & tam multiplici, fidos ut sibi adjutores adoptarent, & cooperatores, quos ipsos necessariis etiam sumptibus foverent. *Quibus ipsi cum indiguerint, commodè necessaria subministrent; ne pro necessariorum defectu compellantur desistere ab incepto. Extra. De Offic. Jud. ordin. C. Inter cætera.* Fateor eum locum spectare potissimum ad Concionatores. Sed una & par ratio videbatur esse Officialium. Nam si prędicare muneris est Episcopalis, est & jus dicere. Si ex hoc Canone alendus est ille Prędicator, cui suas delegat vices prędicandi; alendus est & ille Officialis, cui suas committit vices juris dicendi.

XIV. Narrat Giossanus in vita sanctissimi Archiepiscopi Caroli Mediolanensis: *L. 8. c. 24. prohibuisse eum Officialibus, Judicibus, & ministris justitia cæteris, actiones singulas, lucra illicita, munuscula quęcumque, nullius etiam pretii; nec nisi extraneos voluisse à se prefici Judices & Vicarios, ne quo duci possent carnali affectu, vel lucelli spe, vel humano terrore à juris tramite deflecti.* Adnotat mox idem Scriptor, quid distare vellet Carolus inter jurisdictionis contentiosæ ministros & eos, quibus Ecclesiæ disciplinam & regimen demandabat; illos extraneos, hos indigenas enim volebat esse, ut in patria ipsa sua disciplinæ purissimæ vigorem perpetuarent. *Utque prastabilius duxit extraneos admovere ministerio juris dicendi; ita multò illi consultius visum est spiritalis disciplina & animarum regiminis ministros indigenas esse, ejus loci & Ecclesia, ubi munere fungerentur; ut pecuniam ibi sobolem instruerent puriores disciplina, eique magisterio suo ipsimet præessent, sub venturis etiam Archiepiscopis. Itaque summa hinc Clero universo propensio & facultas conciliabantur Canonum observantia accuratissima. Caroli enim & ministrorum ejus exemplo facillimè ratosi omnes pelliciebantur.*

Refert autem idem alibi luculentissimæ author Historiæ, *non solùm voluisse Carolum, ut omnes jurisdictionis administri hospites & extranei essent, ut liberiùs & expeditius jus dicerent, &c. Sed etiam suo ut omnes in Palatio habitarent, suo sumptu alerentur, communibus familia regulis devincti, idoneis instructi stipendiis, ut ne manus ullis donis recipiendis contaminarent. De semetipso id Carolus non dissimulabat, si quo munere à quoquam affectus esset quamvis levissimo, pondere nescio quo ugi se deinceps solitum; eoque constantissimè se à donis quantuliscumque recipiendis abstinere. Ideo & familiaribus omnibus suis interdixit, ne cujus causam Judicibus vel ministris commendarent, vel cujusquam negotio favorem impenderent.* Aliquanto ante B. Carolum tempore Cancellaria Archiepiscopatûs Mediolanensis Laicis commendata fuerat. Carolus priscum & usum & statutum renovavit, ei ut muneri præficeretur Canonicus Ecclesiæ Metropolitanæ. Stipendiis annuis donavit, mensæque suæ adhibuit tam Cancellarium, quàm Notarios. *Volebat enim, ut familia omnes sua inscriberentur, & in habitu essent Clericali; Cancellario salarium definxit, & minimo affixit pretio, plures chartas gratis expediri voluit, maximè qua pertinerent ad res spiritales, & ad Ecclesia disciplinam.*

Finis Libri primi Partis tertia.

PARTIS TERTIÆ
LIBER SECUNDUS,
IN QUA AGITUR
De diſtributione, & partitione rerum Eccleſiæ temporalium.

Poteſtas Epiſcoporum, Oeconomorum, Presbyterorum, Diaconorum in administratione bonorum Eccleſiæ temporalium.

CAPUT PRIMUM. *P.1. l.4. c.12.*

Summa Epiſcoporum poteſtas in diſpenſatione rerum Eccleſiæ temporalium, quanquam Concilio provinciali rationes redderent, per quinque priora Eccleſiæ ſæcula.

I. Summa erat Epiſcopi autboritas in temporalium diſpenſatione, etſi & sum Clero ſuo communirare conſilta, & Concilio Provincia rationes reddere teneretur.

II. Probationec ex Concilio Gaagrenſi, & Antiocheno.

III. Quibuſdam in Eccleſiic Oeconomas creabatur. In aliic Presbyteri & Diacoas in commune conſultabant omnes de temporali adminiſtratione.

IV. Quam hic rationem tenuerit Gregorius Nazianzenus.

V. Contrariam rationem iniit Chyſoſtomus.

VI. Utriuſque rationis & via cauſa erant juſtiſſima.

VII. Par & Eccloſia Latina Diſciplina ex Gelaſio Papa.

VIII. Ex Ambroſio & Hieronymo.

I. EX hactenus diſputatis ſatis ſuperque diluxit, quanquam res Eccleſiæ omnes in commune poſſiderentur, ſummam tamen earum poteſtatem penes Epiſcopum fuiſſe. Declarabimus mox quam in partem ſuæ ſollicitudinis advocaret ille Presbyteros, Diaconoſque, ſive Oeconomos. Veniemus denique ad portiones & diſtributiones Canonicas, cuique Beneficio adſignatas.

II. Aſtruendæ ſummæ Epiſcoporum poteſtati mirificè ſuffragantur Canones Concilii Gangrenſis, qnibus anathema intorquetur iis, qui vel dederint, vel acceperint res Eccleſiæ, præter Epiſcopum, cui eam curam Eccleſia demandavit. *Si quis dat vel accipit fructus oblatos, præter Epiſcopum, vel eum, qui eſt conſtitutus ad beneficentia diſpenſationem, & qui dat & qui accipit, ſit anathema.* Can. 7. 8. Erat ergo Oeconomus, qui reciperet, & diſpenſaret Eccleſiaſticos proventus, ſed ſumma omnium poteſtas uni Epiſcopo tribuebatur.

Maniſeſtius id etiam facit Concilium Antiochenum, cum jubet primum ea fide & religione tractari debere res Eccleſiæ, quæ Deo debetur omnium ſpectatori & judici. *Quę ſunt Eccleſiæ ſerventur, cum omni bona conſcientia & fide in omnium præſidem & judicem Deum.* Can. 24. Epiſcopum mox ei rei ſumma authoritate præeſſe debere ſignificat, cum ipſi populus à Deo concreditus ſit. *Quæ etiam adminiſtrari convenit cum judicio & poteſtate Epiſcopi, cui eſt omnis populus creditus, & eorum anima, qui in Eccleſia conveniunt.* Bonorum Eccleſiæ notitia informandos eſſe Presbyteros & Diaconos, ut ubi Epiſcopus mortali ex hoc curriculo excedet, ne res ejus propriæ rebus Eccleſiæ permiſceantur, & hinc jurgiorum, litiumque ſementes exiſtant. *Sint autem manifeſta, quę ad Eccleſiam pertineant, cum cognitione Presbyterorum & Diaconorum, qui ſunt circa eum, ut ſciant & non ignorent, quę ſunt propria Eccleſię, ut nihil ipſos lateat: ut ſi contingat Epiſcopum è vita migrare, iis manifeſtis exiſtentibus, quę ad Eccleſiam pertineant: nec ea intercidant & pereant: nec quę ſunt propria Epiſcopi, prætexta rerum Eccleſiaſticarum vexentur.*

Nec minus exaggerata proximo Canone authoritas Epiſcopi oſtentatur, quanquam communicato cum Presbyteris & Diaconis conſilio omnia tractare teneatur, & adminiſtrationis ſuæ rationes ad Concilium Provinciale referre. *Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem, ut eas in omnes egentes diſpenſet, cum ſumma reverentia & timore Dei, &c. Quod ſi convertat res Eccleſiæ in ſuos uſus domeſticos, & ejus commoda vel agrorum fructus non cum Presbyterorum conſcientia Diaconorumque pertractet, ſed horum poteſtatem domeſticis ſuis aut propinquis, aut fratribus filiiſque committat, ut per hujuſmodi perſonas occultè lædantur rationes*

Ecclesia, Synodo Provinciæ pœnas iste persolvat. Can.15. Postremò si qua Episcopo, & Presbyteris ejus illinatur suspicio, quasi malè administratæ rei Ecclesiasticæ, frustratorumque pauperum necessariis & usitatis adminiculis, res ad judicium perferretur Concilii Provincialis. *Si autem accusetur Episcopus, aut Presbyteri, qui cum ipso sunt, quod ea quę pertinent ad Ecclesiam, sibimet usurpent, ita ut ex hoc affligantur pauperes, hos oportet corrigi, Sancta Synodo id quod condecet approbante.*

III. Summa ergo illa Episcopi in res temporales potestas gemino hoc fræno coercetur, ut & consilio Cleri sui uti debeat, hoc est Presbyterorum & Diaconorum; & ad Concilii Provincialis examen & judicium vocari possit. Eò autem differunt Gangrenses hi Canones ab Antiochenis, quod Gangrensi Concilio placuit Oeconomum designari, qui rem totam nutu Episcopi administret; at Antiocheno Canone tota dispensatio Episcopo permittitur, cujus est tamen administrationis suæ notitia informare Presbyteros & Diaconos, hoc est, Capitulum Ecclesiæ Cathedralis.

Erant ergo sui nonnullis Ecclesiis Oeconomi. Ut & omnibus essent, cavit Concilium Calchedonense, cujus in eam rem est hoc Decretum. Can.26. *Quoniam in quibusdam Ecclesiis, ut rumore comperimus, præter Oeconomos, Episcopi facultates Ecclesiasticas tractant; placuit omnem Ecclesiam habentem Episcopum habere Oeconomum de Clero proprio, qui dispenset res Ecclesiasticas secundùm sententiam proprii Episcopi, ita ut Ecclesię dispensatio præter testimonium non sit, & ex hoc dispergantur Ecclesiasticę facultates, &c.* Facillimè poterat Episcopus in Oeconomum suum ex omni cura vigilare, & cogere, ut rationes redderet: non ita facilè autem & expeditum erat, ut Presbyteri & Diaconi Episcopum adducerent ad exhibendas sibi administrationis suæ rationes. Sed quanquam hoc Canone ubique instituantur Oeconomi, nihil tamen infringitur de suprema Episcopi potestate, quæ innata insertaque ipsi ejus Sacerdotio summo videtur: cum jubeatur Oeconomus injussu Episcopi nihil moliri. *Oeconomum de proprio Clero, qui dispenset res Ecclesiasticas secundùm sententiam proprii Episcopi:* Id crimini datum Chrysostomo notat Photius, *in Bibl. Cod.59.*, quod inconsulto Clero suo temporalem rem omnem Ecclesiæ administraret. *Quod Ecclesiæ reditus nemo noverit quò abeant. Quod hæreditatem à Thecla relictam per Theodulum vendiderit.* Vel Cleri ergo sui Episcopus, vel Oeconomi consilio utebatur, & ita hac fungebatur invidiosa administratione.

IV. Narrat porro Gregorius Nazianzenus, cum ad Gubernacula sederet Ecclesiæ Constantinopolitanæ, cujus erant innumerabiles opes, à multis jam sæculis congestæ, vasa sacra, reditus immensi; non inventis ratiociniorum libris, nec in tabulario Episcoporum superiorum, nec in Oeconomorum Chartis, maluisse se nihil ultra tentare, quàm impetu & consilio abripi hominum à vi & avaritia minus alienorum, qui rem premi & urgeri volebant, non alio magis fructu, quàm ut Clerus dehonestaretur, & laici offenderentur. *Quid de tot opibus, queis nihil celebrius, dicam, universa maximi terra viri, quas avo ab omni struxerant templis sacris: de totque vasis, totque item proventibus, quorum ipse cum nec calculum nanciscerer in pristinorum Præsulum usquam literis, nec rursus illum noscere ex quæstoribus possem, acquievi: nec, licèt multi viri aliter monerent, exterum in mysteriis probrum vocandum censui ad hos calculos. Addictus opibus quisquis est, hæc improbat: probat ille quisquis liber est harum siti. Nam fœda cum sit rebus in cunctis opum cupido, multo est fœdior tamen in sacris. Si de opibus esset par mea mens omnium, non tanta labes esset in Christi domo. Carm. de vita sua.*

V. Erat illud Nazianzeno compertissimum, non alias veriores Ecclesiæ opes esse, aut chariores, quàm pacem, charitatem, amorem æternorum, temporalium omnium contemptionem: præ his vanum auri, argentique fulgorem esse, etsi eo insania sæcularis præstringatur: unde nec eas in periculum conjiciendas, tot controversiis litibusque ex ratiociniorum scrupuloso examine indubitatissimè emersuris. Auspicatiora fuere Chrysostomi initia, unde & Oeconomos statim ad reddendas rationes compulit, multa recidit ex redundantia priorum expensarum, & hinc multa seposuit ad largius opitulandum orphanis, viduis, egenis, ægrotis, immo & extruendis Xenodochiis, authore Palladio. Cap.5. *Post hæc dispensatoris Ecclesiastici scripta relegens, inutilesque Ecclesiæ sumptus deprehendens, amputari hos protinus jubet. Accessit & ad solemnes Episcopi sumptus inspiciendos, inveniensque immodicam profusionem, transferri hanc magnificentiam ad infirmorum solatiu præcepit. Et cum superessent pecunię, nova quoque infirmorum receptacula construit.*

VI. Longè diversissima erat Nazianzeni & Chrysostomi ratio, & sua tamen cuique sapientia constabat, pietas & religio. Nazianzenus pacis studio ratiocinia anteriora prętèrit. Chrysostomus accuratissimè omnia ad calculos revocat, superfluas expensas resecat, singulas moderatur, & ita infinitum quoddam sibi penu congerit, quo abundantissimè provideat necessitatibus Ecclesiæ longè amplissimæ. Paulò diversa ratione usum esse Gregorium Nazianzenum testatur ejus vitę Scriptor perantiquus. Cum affirmasset enim nihil omnino eum in domum suam derivare voluisse ex omnibus illis opulentissimę Ecclesię thesauris; mox subjicit, nec libros rationum, nec regesta vasorum sacrorum scrutari eum voluisse, quod sęculares Principes magis deceret ea diligentia, quàm Episcopos, quoque perinsigni hoc documento informare cuperet Antistites omnes, ut impensius studerent Clericos suos virtutibus, quàm terrenis opibus locupletare. *Amplissimæ porro Ecclesiæ Præsul institutus, proventusque & infinitum omnis generis supellectilem eximiamque consecutus, ne unica quidem drachma hinc facultates suas auxit, cum tamen maximam talentorum copiam, si ita tulisset ipsius voluntas, colligere potuisset. Ne reditunm quidem & administrationis rationem ab iis, qui Ecclesiæ negotia procurassent, repetivit, nec supellectilis sacræ descriptionem; cauponum verius, quàm Ecclesiasticorum virorum id esse statuens; ac Præfectorum, non Episcoporum: atque his rebus omnes erudiens, ut conscientiæ puritatem potius Deo offerrent, quàm ut rationibus referendis muneris sui administrationem hominibus probare niterentur.* Quàm consentiat veritati hęc narratio, inferius indagabimus.

VII. Nec Episcoporum Ecclesiæ Latinæ authoritas angustioribus circumscripta est terminis. Gelasius Papa eorum potestati subjicit omnes prorsus Ecclesiæ proventus, ut eorum ab ipsis canonica fiat partitio, ac distributio, qua de re prolixiùs suo infrà loco dicemus. *Præsulum authoritas nostrorum emanavit, ut facultates Ecclesiæ Episcopi ad regendum habeant potestatem, ita tamen ut viduarum, pupillorum atque pauperum, necnon & Clericorum stipendia distribuere debeant. Ep.10.* Portio pauperum Episcopo commendabatur, uni Deo quidem rationes redditure, sed operam tamen daturo, ut publico testimonio ejus administratio approbaretur. *Adscriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur, oportet tamen etiam præsenti testificatione prædicari,*

&

& bona fama praconiis non taceri. Epist.9. Et in Decretis. c.27. Quasi dicat oon debere Episcopum latebras captare, & publicam fallere conscieotiam cum eleemosynas effuudit; ut privati factitare solent, & debent. Nec eoim tum Episcopus tam suas largitur res, quàm alienas restituit; non suam dat ille, sed penes se depositam reddit pecuoiam: oec tam virtutis documentum dat, quàm crimiois & publicæ reprehensionis infamiam declioat.

VIII. Monet luculentissimè Ambrosius, esse Episcopi, ut ne Ecclesiæ proventus tam improvidè effundat, ut nunc redundet, quod postea deficiet: ne nimio plus, ne mious æquo largiatur etiam pauperibus, Clericisque, vel templorum sartis tectis. *Maximè Sacerdoti hoc convenit ornare Dei templum decore congruo, quantum oporteat, largiri peregrinis, non superflua, sed competentia; ne restrictiorem ergu Clericos, aut indulgentiorem se prabent. Offic. l.1. c.21.* Hieronymus Episcopo commendat curam deligeodi Oeconomi, qui res Ecclesiæ & pauperum curet. *Sciat Episcopus, cui commissa est Ecclesia, quem dispensationi pauperum curaque praficiat. Epist. ad Nepotian.*

C A P U T. II. *P.1. l.4. c.13.*

De potestate Oeconomorum in Oriente & Occidente prioribus quinque Ecclesiæ sæculis.

I. Oeconomi ex ordine Presbyterorum erant. Plures quandoque in una erant Ecclesia.

II. Qua occasione pracreperint Calchedonenses Patres, ut suus cuique Episcopo esset Oeconomus. Non ex eo decrevit legitima Episcopi authoritas.

III. Oeconomum deligebat Episcopus, nec tamen pro arbitrio poterat illum abdicare.

IV. Quando coeperint singulis Ecclesiis privatis res sua, sui proventus permitti.

V. Oeconomi patres erant & nutritii pauperum.

VI. Alicubi Clerus Oeconomos eligebat.

VII. In Occidente Presbyteri omnes participes fiebant temporalis administrationis.

I. CApite superiori commendati sunt oobis Episcoporum Oeconomi, in Conciliis Gangrensi, Antiocheno & Calchedonensi. Literas dedit Concilium Ephesinum I. generale de depositione Nestorii *Reverendissimis Presbyteris & Oeconomis, caterisque religiosissimis Clericis. Act.1.* Ubi perspicis Presbyteros fuisse hos Oeconomos, pluresque fuisse in Ecclesia Constantinopolitana. Suprà ex Nazianzeno, ex ejus vitæ scriptore, & ex Palladio vitam Chrysostomi exarante liquebat Ecclesiæ Coostantinopolitaoæ immensam fuisse opuleotiam. In causa ergo id esse poterat, ut multi in ea Oeconomi iostituerentur. Frequens etiam in ejus Concilii Actis Charisii Presbyteri & Oeconomi Ecclesiæ Philadelphiensis meotio. *Act.3.* Ischyrion Diacoous in eo libello, quem Calchedonensi Coocilio obtulit adversùs Dioscorum, agit de Proterio, qoi Alexandriæ cum Presbyter antè & Oecooomus fuisset, Episcopus creatus fuerat. *Ibidem.* Concilium ipsum Calchedoneose de depositioue Dioscori scripsit ad Carmosynum Presbyterum & Oeconomum, ad Euthalium Archidiaconum, & ad alios Clericos Alexandrinos, quos universos obtestatur, ut pervigilent ad tuendas res ejus Ecclesiæ temporales, ut qui earum rationes reddituri sint successori. *Custodite igitur res Ecclesiasticas universas, tanquam qui reddituri estis rationem ei qui ordinandus est Episcopus.* Ioscripta est autem Epistola, *Charmosyno Presbytero & Oeconomo, & Euthalio Archidiacono, & caeteris Clericis.*

II. In eodem certè quidem actione ix. refertur, Ibam Edessenum Episcopum compulsum fuisse polliceri, bona ut deinceps Ecclesiæ suæ dispensaret per Oeconomos, quos ipsemet deligeret ex Clero suo; ut eò consentiret consuetudini Ecclesiæ Aotiocheoæ. *De Ecclesiastico verò reditu, & ex quacunque causa acquisitis, sanctissima Ecclesia modis aliquibus, placuit eidem Iba Episcopo ex propria voluntate promittere, quod de caetero secundùm formam Antiochena maxima Civitatis gubernarentur res per Oeconomos ex Clero ordinandos ab ejus religiositate.* Id ergo causæ fuit Calchedonensi Concilio, ut Episcopos juberet Oeconomorum ministerio temporalia Ecclesiæ suæ adgubernare. In crimen enim agebatur Ibas, *act.10.*, quòd grandem pecuniam à populo collatam in captivorum redemptionem suis usibus applicasset, quòd proventus Ecclesiæ sibi vendicaret, quòd vasa sacra ingentis pretii involasset, fratrem & cognatos ditasset his prædiis, quòd Danielem germani sui filium Episcopum Helenopoleos ordinasset, qui mox opes Ecclesia in prostibula effuderat, & testamento suo res Ecclesiæ legaverat concubinæ suæ nepotibus, otiante Iba, nec has vel libidines vel rapinas ab Ecclesia Dei propulsare satagente. Hac necessitate compulsi sunt Patres Calchedonenses statuere, ut oe per se jam Episcopi, sed per Oeconomos Ecclesiæ substantiam regerent, 1. quos ipsimet deligerent ex Cleri sui Collegio. 2. Quibus normam totius regiminis præscriberent. 3. À quibus & rationes omnium exigerent. Tribus his capitibus sarta tecta servata est Episcopis prisca authoritas sua; parta libertas, ut toti deinceps essent in spiritalibus ministerii sui functionibus; abacta, longèque amandata, tum avaritiæ tentatio, tum obtrectatio invidorum.

III. Ut erat Episcopo instituendi, ita & videtur fuisse destituendi Oeconomos suos facultas. In eodem Concilio, *Act.14.*, memoratur Pronto Presbyter & *Exoeconomus.* Sed non mera animi levitate, aut libidine destituebantur Oeconomi. Inde est quod Episcopi, quibus Imperator delegaverat terminandas Ibæ & Cleri ejus lites, juramento Ibam adegerunt, suis ut ordinibus, officiis & dignitatibus frui usque sineret omnes, qui inter accusatores ejus oumerati fuerant, nec ullis posset sævire posthac poenis in quatuor illorum primarios, nisi ejus seoientiam assensu & judicio suo Domnus Archiepiscopus Antiochenus confirmasset. *Exegimus Sacramentum à religiosissimo Episcopo Iba, ut omnibus, qui eum in prasenti negotio contristassent, oblivioni donaret, & nullum penitus contristaret, nec gradu moveret, neque minores majoribus praferret, sed omnibus servaret justitiam in honoribus, & obsequiis & gradibus, &c. Placuit autem ut si aliquando justè visus contristari, voluerit corripere aliquem prafatorum Samuelis, Cyri, Mara, Eulogii, non ex authoritate propria corripiat eos, sed ex sententia Sanctissimi Patris Archiepiscopi Domni hoc faciat, propter pracedentem, qua inter eos accidit, offensionem. Ibid. Act.9.* Quo velnti privilegio Clerici illi immediatè subjiciebantur Exarchi jurisdictiooi. Illud malim hic serio adnotari, quod alibi fusè ostendimus, non potuisse Clericos suis Ordinibus & Officiis amoveri, nisi canonico judicio.

IV. Quàm latè pateret Oeconomorum potestas, pulcherrimè declarat admirandus ille Marcianus, quem ea exornaverat dignitate Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus, & Acacii successor. Ita enim Theodorus Lector. *L.1. Designavit Gennadius Mar-*

Marcianum Oeconomum. Constituit enim ut Ecclesiæ cujusque Clerici & Beneficiarii oblationes ejus reciperent, cum antea deferri solitę fuissent ad Ecclesiam majorem. Insigne fuit hoc & potestatis & integritatis specimen. Hinc autem patet, in Ecclesia Constantinopolitana unum dumtaxat fuisse tunc Oeconomum, ut & in compluribus aliis, cum in nonnullis plures simul essent. Non recedit tamen à verisimili in majoribus Ecclesiis suos fuisse Oeconomo coadjutores, maximè verò in Ecclesia Constantinopolitana. Unde & Palladius in vita Chrysostomi, inter persecutionis ejus socios & exilii comites recenset, *Paulum Diaconum dispensatoris adjutorem. Cap.20.* Eaque forsan etiam de causa, ut supra monuimus, Concilium Calchedonense Oeconomo & Archidiacono Alexandrino commendavit ejus Ecclesię bonorum dispensationem, dum sedes vacaret.

V. Isidorus Pelusiota, *L.1. Epist.269.*, ad Presbyterum Maronem literis datis, sedulò eum commonefaciebat, ipso Oeconomi nomine moneri & excitari ipsum debere, ut quę pauperum patrimonia essent, ea pauperibus erogaret. Primos enim Ecclesiasticorum bonorum Oeconomos, non alios profectò fuisse, quàm Apostolos, ad quorum pedes congerebantur, quę quisque fidelium velle in pauperes dispergi.

VI. Jure Oeconomi eligendi Theophilus Patriarcha Clerum universum donat, cum assensu Episcopi in suo apud Balsamonem Commonitorio. *Cap.9.10. Ut totius Sacerdotalis ordinis sententia alius renuncietur Oeconomus, in quo Episcopus quoque consentit.* Ex eodem Presule doctissimo, Oeconomi partes sunt, ut pauperum omnium provisor sit. *Ut bona Ecclesiæ, ut decet, insumantur. Viduæ & pauperes, & peregrinantes hospites omni quiete fruantur, & nemo ea, quę sunt Ecclesię, ut sua usurpet.*

VII. Cum Ecclesia sua abesset Augustinus, ad Presbyterus suos scripsit, ut ex ærario Ecclesię supplerent, si quid ex propria substantia sua minus esset pecunię, ad exolvenda ejus omnia debita, qui ad Ecclesię tuitionem confugerat. *Scripsi Presbyteris, ut si quid minus fuerit, compleant ex eo, quod habet Ecclesia. Epist.229.* Narrat Optatus, *L.1.*, execrandum & sacrilegum facinus duorum Presbyterorum Carthaginensium, quibus Mensurius morti proximus commendaverat aurea & argentea vasa Ecclesię, quorum breviculum deposuerat in manus religiosissimę viduę, suo illud ut successori porrigeret. In Occidente ergo Oeconomi nulli erant Ecclesiarum. Certè de iis verbum fit nullum in antiquissimis monumentis. Erat enim vetustissimus is usus, & coævus Ecclesiis, ut Clerus omnis notitia aliqua totius regiminis temporalium imbueretur, ut superiori capite patebat. Author est tamen Possidius Augustinum adventante morte bona Ecclesię omnia commisisse, *Fideli Presbytero, qui sub eodem domus Ecclesiæ curam gerebat*. Quo tamen non excludebantur, opinor, cęteri Presbyteri ab ejusdem aliqua sollecitudinis communione.

CAPUT III. *P.1. l.4. c.14.*

De Diaconorum & Archidiaconorum potestate in temporali administratione per eadem quinque priora sæcula.

I. In Ecclesia ipsa Græca Diaconis nonnihil tribuebatur in regenda re temporali Ecclesiæ.

II. Oeconomus Cœnobiorum Diaconus erat, vel eo certè gaudebat nomine.

III. IV. Ex Cassiano demonstratur, & Officia hæc, & jura Diaconatus fuisse cognatissima.

V. In Occidente Diaconi, vel Archidiaconi temporalem Ecclesiæ rem administrarunt. Probationes.

VI. Aliæ probationes. Diacono vigesimum ætatis annum agenti tota demandatur administratio temporalis, etsi non deesset Archidiaconus.

VII. Summa semper Episcopi potestas.

VIII. Plerumque temporale regimen Archidiacono delegabatur.

I. Superioribus jam capitibus observatus est à nobis Diaconus Oeconomi Coadjutor, & Archidiaconus peculialiter designatus, qui cum Oeconomo vacantis Ecclesiæ curam gereret. Ex Antiocheno etiam Concilio patuit res Ecclesiæ ab Episcopo regendas fuisse, consciis & consortibus Presbyteris Diaconisque. Constat ergo in Ecclesia etiam Græca in temporali administratione partes aliquas fuisse Diaconorum, Presbyteris tamen, qui Oeconomi erant, obnoxiorum & Episcopis, qui summa semper potestate utebantur.

II. Meminit Basilius Diaconi, quem ipsemet ordinaverat, ut Parocho ad Altare ministraret, & ejus Ecclesiæ rem curaret temporalem. *Glycerius Venensis Ecclesiæ Diaconus à me ordinatus in eum finem fuerat, ut & Presbytero inserviret, & ad curandam rem Ecclesiasticam admoveretur. Ep.412.* Diaconus etiam Cassiano dicitur, qui in Monasteriis Ægypti eligebatur, ut primitias decimasque fidelium ultro oblatas acciperet, & Monasterii reditus dispensaret. Electione enim piissimus ut prudentissimus quisque Monachus ad id muneris vocabatur. *Venit Theonas ad Abbatem Joannem, qui tunc temporis merito sanctitatis electus Diaconiæ præsidebat. Non enim ad hunc gradum quilibet propria voluntate, aut ambitione provehitur, sed is, quem cunctorum seniorum cœtus, ætatis prærogativa, & fidei atque virtutum testimonio, excellentiorem omnibus sublimioremque censuerint. Ad hunc inquam cum venisset juvenis, deferens religiosa munera inter cæteros possessores, qui certatim decimas vel primitias frugum suarum memorato seni de suis substantiis offerebant. Collat.21. c.1.* Tum verò inducit Cassianus pium hunc Oeconomum, fideles, qui dona hæc conferebant terrena, cœlestibus institutis imbuentem, hortantemque ad supernorum amorem bonorum: *Delector, filii, pia munerum vestrorum largitate, & devotionem hujus oblationis, cujus dispensatio mihi credita est, gratanter amplector; quia fideliter primitias vestras & decimas indigentium usibus profuturas, velut sacrificium Domino bonæ suavitatis offertis. Ibid. c.2.*

III. Theonas nomine erat is juvenis, qui decimas suas Monasterio offerebat, quique hortatu Oeconomi, quasi è somno excitatus, reum se primum quidem professus est, quod solas quotannis decimas obtulisset, de primitiis pari jure offerendis ne cogitasset quidem: *Humiliatus atque compun-*

punctus, quod cum decimas frugum suarum solitus esset Diaconia singulis annis dependere, primitiarum rationem ne audisse quidem se arbitraretur. Ibid. c.8. Mox secum ipse constituit, non plebeja tantum hæc præcepta sectari, sed illa etiam amplexari, perfectionis monita, quæ Occonomus inculcasset. Nuocium ergo remisit conjugi, rebus, sæculo, seque ipse Deo in eo Monasterio coosecraturus mox advolavit, & ad eum tandem virtutum apicem eluctatus est, ut electus & ipse fuerit Diaconus, ac Dispensator. *Universorum praelectus judicio, in Diaconia dispensatione successit. Cap.9.*

IV. A vero non abludit, has Diacooi & Diaconatus voces, quibus hic utitur Cassianus, & quę in usu erant io his Cœnobiis, ad sacram Ordinationem nihil pertinuisse: electione enim creabantur, & virtutibus atque ętate provectiores eo munere donabantur. Erat ergo id Officium Occonomi & Dispensatotis, cujus non absimiles essent in Monasteriis functiones, atque Diacooorum in Ecclesia, juxta primęvam io Actis eorum institutionem. Notat eoim Cassianus hos Diaconos recepisse oblationes ad Altare, eas in egenos disseminasse, & spiritali doctrina eorum animos irrigasse, qui manuum suarum laboribus & terræ fructibus Deum Deique Ministros colerent. Atqui hæc tria sunt Diaconorum munera, mutuò sibi conjugata. Pię enim fidelium erogationes, & hostiæ sunt, quas Deo offerunt: & eleemosynę, quibus paupercs recreantur: & semina quędam temporalia; quæ in ęternas aliquaodo messes efflorescant. Primęva autem ab origine sua Diaconi, & ministerin Altaris dicati sunt, & pascendis pauperibus, & imbuendę fidelium plebi Christianę doctrinę pietatis rudimeotis.

V. In Occideote certè potissima fuit Diaconorum in res temporales potestas. Luculentam Prudentius effigiem exhibuit Archidiaconi Laurentii, Ærario Ecclesiæ præfecti. *L. Peri Stephanon. Hic primus è septem viris, qui stant ad aram proximi, Levita sublimis gradu, & ceteris praestantior, Claustris sacrorum praerat, cœlestis arcanum domus, fidis gubernans clavibus, votasque dispensans opes.* Mox alendos illius curæ committit egenos omnes. *Tales plateis omnibus exquirit, assuetos ali Ecclesia mutis penu, quos ipse primus noverat.* Narrat Severus Sulpitius, *Dial.2.*, egenum oescio quem pene nondum occurrisse Beato Martino, qui Archidiacono statim præcepit, ut eum veste donaret. *Tunc ille accersito Diacono jussit algentem sine dilatione vestiri.* Hac temporali rerum Ecclesiæ administratione intumuere Diaconi, & adversùs ipsum Presbyterorum collegium iosolescentes, de sedis prerogativa aliquando cum eis certarunt. Fuit & ubi victores evaderent. Illo primum fastu testatur Hieronymus Romæ elatos fuisse Diaconos. In conviviis maximè, ad charitatem pauperum ut reor spectantibus, gliscebat hæc Diaconorum arrogantia. *Et in domesticis conviviis benedictiones Presbyteris dare.*

VI. Nec Romæ solum supra Presbyteros eniti & sedere ausi sunt Diaconi, cum tot Concilia, Nicænum, *c.19.*, Laodicenum, *c.20.*, Arelatense, *c.18.*, Carthaginense, *4.c.39.*, & alia ad deprimendos, & subjiciendos Presbyteris Diaconos conspirariot. Non iojuria ergo conjicimus, cum essent Diaconi oculi & manus Episcoporum, cumque Vicarii eorum generales, & Episcopalis administri Imperii haberentur, multò præcellentiore eos Jurisdictione usos fuisse, quàm Presbyteros, tum spiritali, tum temporali. Dilucidè id patet ex vita B. Epiphanii Episcopi Ticinensis, ab Ennodio discipulo & successore ejus exarata. Anno ætatis suę vigesimo Epiphanius Diaconatu initiatus est. Crispinus Episcopus in manus statim ejus deposuit sarcinam regiminis universi temporalis Ecclesiastici, & patrimonii pauperum. Illum jam inde expolire meditabatur, & fingere, & roborare, ut successorem aliquando illum sibi arcesserat: eò pertinebat eminentissima illa dignitas, qua eum Clero populoque voluit commendari. Erat tunc Ecclesię Ticinensi Archidiacoous, erant & Presbyteri, Horum ætas, experientia, spectata probitas officio tanti ponderis magis consentiebant. Et illis tamen ante posuit Episcopus Diaconum juventa vigentem, qui jam tum Antistiti suo ea adminicula præbuit, quæ pes, oculus, manus corpori præstant, & ingravescentem ejus ætatem vigore suo sustentavit. Et denique post octo annos extincto, successor datus, incredibili vitæ sanctimonia, exhaustisque pro Ecclesia laboribus, Crispini judicium approbavit, Ecclesiæ ipsi, quàm Crispino gratius, & compendiosius fuisse. *Brevi post ad Diaconii evectus infulas, vicesimum annum ætatis ascendit, facie necdum bene barbata. Interea Antistes omnem Ecclesiasticæ conversationis substantiam, & divitias pauperum suorum in ejus potestate committit, volens ante Episcopatum cognoscere, qualem futuris temporibus praeparaet Episcopum, &c. Postquam invalida senectus Crispinum occupavit Pontificem, istius sustentabatur manibus, in hujus nitens erigebatur amplexus. Pes illius erat, oculus, dextera, cujus ministerio quidquid optasset fieri, ante jussionem suam videbat impletum. Talis in Diaconatu à vigesimo incipiens, octo annos explevit. Et quidem tunc status Ecclesiæ Ticinensis bona Clericorum fruge pollebat. Erant cœlestes viri, &c. Fuit Sylvester Archidiaconus ea tempestate probatissimus, &c.*

VII. Elegantior est hic Ennodii contextus, quàm ut cuiquam prolixior videri jure possit. Quod hic autem non Archidiacono, non tot Presbyteris demandatur cura rerum Ecclesiæ, inde augurari fas est non præmaturam tantùm in Epiphanio indolem virtutis, sed & ingentem Episcopi potestatem; in deligendis quos sibi collibitum esset, & quos probasset, ad summas has dignitates. Augurari rursum poteris, sicut & ex narratione superiori Cassiani, administrationi etiam temporali præfectos fuisse, qui virtute præstantissimi, & qui Episcopali fastigio propriores essent.

VIII. Nec inficiari tamen possumus, quin aliquibus saltem in Provinciis hanc temporalis administrationis sarcinam gestarit Archidiaconus. Hinc non præfestinè Archidiacooi ad Presbyteratum protrudebantur, ne amplificanda eorum dignitate, potestas deprimeretur. Id affirmat Sidonius de Archidiacono Joanne, qui electus postea fuit Episcopus Cabiloneosis. *Laborum temporumque processu Archidiaconus, in quo seu gradu, seu ministerio multum retentus propter industriam, diu dignitate non potuit augeri, ne potestate posset absolvi. L.4. Epist.25.* Idque rursus docet Leo Papa, cum insidiosu beneficio affectum conqueritur fuisse ab Anatolio Patriarcha Constantinopolitano Ætium ejus Archidiaconum, quem ut Archidiaconatu abdicaret, Presbyteratu auxit. *Dum Ætius ab officio Archidiaconatus per speciem provectionis amovetur. Epist.56.*



CA-

CAPUT IV. *P.1. l.4. c.17.*

In Oeconomos suos pervigil excubabat Episcopus, & in alios rerum Ecclesiæ Dispensatores, per priora quinque sæcula.

I. Laudi fuit Nazianzeno, quod ratiocinia bonorum Ecclesiæ Constantinopolitanæ neglexerit.

II. Laudi id non fuisset, nisi ea sapientia magis ejus fuisset, quàm negligentia. Quam certissimè rationem ille tenuerit.

III. IV. V. Quæ fuerit in re simili ratio, quæ consilia Chrysostomi, Basilii, Theodoreti.

VI. Sententia Cyrilli Alexandrini super ea re.

VII. Mirum Ambrosii consilium, qui totum Ecclesiæ patrimonium Satyro germano suo concredidit. Mira Satyri religio & integritas.

VIII. Quam viam secutus sit Augustinus.

IX. Judicium Symmachi Papæ, de Episcopo dissipatore potiùs, quàm dispensatore.

X. Qui Episcopi Deo uni rationem reddere tenerentur; & ubi tamen notoria erat dilapidatio & infamia, ad Metropolitanum & ad Concilium Provinciale deferebantur. Audacia Judicum Civilium Constantinopoli.

I. NOn pigebit paulò diligentiùs examinasse, quid sapientia & pietate præcellentissimi Episcopi senserint, de Episcopali vigilantia & sollicitudine ad tuitionem rerum Ecclesiæ, & ad Diaconorum vel Oeconomorum administrationem explorandam. Horum plura jam perstrinximus sparsim superiùs; sed ex re tamen visum est omnia sub uno conspectu hic exhiberi, & paulò diligentiùs pertractari. Qui Græco sermone Gregorii Naaianaeoi vitam scripsit Gregorius Presbyter, illum affirmat Ecclesiæ Constantinopolitanæ omnium meritò opulentissimæ, & tum proventibus, tum aurea argenteaque supellectile redundantis, ne libros quidem rationum inspiccre voluisse; eam eoim diligentiam Provinciæ Præsidi magis, quàm Episcopo consentaneam esse. *Ne redituum quidem & administrationis rationem ab iis, qui Ecclesiæ negotia procurassent repetivit, nec supellectilis sacræ descriptionem; cauponam veriùs, quàm Ecclesiasticorum virorum id esse statuens: ut Præfectorum, non Episcoporum; atque his rebus omnes erudiens, ut conscientiæ puritatem potiùs Deo offerant, quàm in rationibus referendis muneris sui administrationem hominibus probare nitenentur.*

II. Vereor ut possit ea laus satis sincera & solida videri iis, qui probè regulas callent abdicationis rerum terrenarum. Nec eoim cupiditas, sed charitas extimulat ad tutandas res temporales pauperum ministrorum Ecclesiæ, & eorum, qui sancta societate devincti in unum aliquod collegium, toti sunt in rerum cælestium contemplatione, vel in animarum salutis æternæ procuratione. Tutius ergo erit Nazianzenum suis ipsius ex scriptis agnoscere & tueri. Eo enim Carmioe quod ille de vita sua lucubravit, & quo posteros informatos voluit de suis & gestis & consiliis, non ait abjecisse se eam curam expendendæ administrationis præteritæ rerum Ecclesiæ. Quin ex adverso laborasse se, ut libros ratiooum superiorum temporum reperiret, nec reperisse: Oeconomos se percootatum, nec expiscari ex iis quidquam potuisse. Unum supererat perfugium ad civiles Magistratus, quo in eos inquireretur, qui pauperum patrimonio clam expilato ditescere visi eraot; sed fatetur maluisse se, ut honori Ecclesiæ consultum esset, quàm rebus; itaque dissimulatum à se malum, quod curaodo ægresceret; nec ullo enim rerum compendio satis pensari posse dedecus rot & tantarum rapinarum in Clericos redundaturum. Verba Nazianzeni supra relata sunt. Hac sapientia & moderatione taotum accedit laudis Naaianaeno, quantum decederet ex illa rerum diligentissimè curandarum negligentia.

III. Chrysostomus cum primùm Ecclesiæ ejusdem Constantioopolitanæ habeoas regere cœpit, libros rationum ab Oeconomo ad se perferri jussit, expensas superfluas circumcidit, Mensæ Episcopalis lautitias & prodigalitatem summovit, & hac parcimonia locupletissimum sibi penu comparavit, unde pauperibus, viduis, Xenodochiis largiùs postea prospiciebatur. Audiendus Palladius in vita Chrysostomi. *c.5. Post hæc dispensatoris Ecclesiastici scripta relegens, inutilesque Ecclesiæ sumptus deprehendens, amputari hos protinus jubet. Accessit & ad solemnes Episcopi sumptus inspiciendos, inveniensque immodicam profusionem, transferri hanc magnificentiam ad infirmorum solatia præcipit: Et cum superessent pecuniæ, nova quoque infirmorum receptacula constituit.* Quod alibi refertur à nobis ex verbis ipsis Chrysostomi, ubi multitudinem eorum commemorat, qui ab Ecclesia alebantur, & quàm his expensis impares essent Ecclesiæ proveotus: ubi & Laicos hortatur, res ot ipsi Ecclesiæ admioistrandas adgrediantur, sufficiantque tum pauperibus, tum Clericis necessaria vitæ adminicula, cibi, vestiumque; hinc manifestissimè patet, oon ita incomparabilem huoc divini Verbi contemplatorem & præconem immersisse se totum in delicias contemplationis & in sacras ministerii sui functiones, ut à cura & sollicitudine temporalium Ecclesiæ cessaret, quanquam ad longè alia & terrenis superiora totus anhelaret.

IV. Purgare se Basilius necesse habuit, *Ep.371.* ad Provinciæ Præsidem, utque ingestas sibi calumnias abstergeret, ostendere quanta exædificasset, Ecclesiam, ædes Episcopales, diversoria ad excipiendos Præsides ipsos, Xenodochia hospitum, Nosocomia ægrorum, in quæ iocredibilis quædam pecuniæ vis exhausta sit. Ex quo abundè liquet à rerum Ecclesiæ temporalium cura & administratione non abhorruisse, non se segregasse sanctissimum doctissimumque Episcopum, tot concionibus celebratum, tot luculentissimis lucubrationibus illustrem, spiritalis vitæ regularum calleotissimum. Est & alia ejus Epistola, qua purgari videtur fama Gregorii Nazianzeni, ubi ait, si ejus temporalem administrationem arrodant obtrectatores, præstò esse Oeconomos, qui omnium rationes referant. *Si de pecuniis quæstio fiat, tanquam ad illum spectare debeant, sacrarum pecuniarum custodes parati sunt ad reddendam rationem cuivis flagitanti; & convincendas illorum calumnias, qui ausi sunt suas aures interturbare. Ep.385.* Hæc ille ad Demosthenem Valentis Imperatoris gratia & ministerio conspicuum. An hinc conjici posset, Imperatorem ipsum consilia agitasse de exigendis rationibus regiminis in temporalibus Episcopalis, malo aliorum sit judicium.

V. Ejusmodi aliquid subveritus est Theodoretus Episcopus Cyri, cum divali, seu breviculo Theodosii Junioris Imperatoris, Episcopali sua civitate egredi prohibitus est. Ut utilitas sibi obliquiores suspiciones elueret, structuras Theodoretus ingentes illas descripsit, ad Reipublicæ commodum à se excitatas, de quibus opportunius infrà à nobis verba fient. Epistolæ Isidori Pelusiotæ infrà suo etiam loco proferentur, quibus Oeconomos & Presbyteros cogebat Episcopo rationes reddere: *Epist.79. 80.* si verò Episcopus officio suo deesset, sive incuria, sive cupiditate nefaria, ne di-

cam rapinarum societate & execranda communione, tum verò ad vigilantiam & integritatem Metropolitani, vel Patriarchæ provocarent. Canone Antiocheno jubebatur Concilium Provinciale cognoscere de dilapidatione rerum Ecclesiæ, si qua ejusmodi infamia conspersi essent Episcopi, vel Presbyteri. Si nec Concilium, nec Metropolitanus, nec Patriarcha canonicam exereret ultionem in has deprædationes, tunc ad Imperatorem ea devolvebatur potestas, ut qui defensor esset, custos & executor Canonum. At ubi Valens in hanc voluit curam incumbere, nec tam pio ille zelo æstuabat: nec Catholicos in Episcopos, quos ille insectabatur, ea cadebat suspicio.

VI. Iniquum esse exclamat Cyrillus in Epistola Canonica, adeoque nec tolerandum, ut Episcopi cogantur rationes reddere redituum Ecclesiæ, cum uni Deo summo Judici obnoxios illos esse oporteat. *Magna mœstitia afficit Episcopos, qui sunt ubique terrarum, quod sumptuum, qui illis eveniunt, dispensationis ratio ab illis exigatur. Unusquisque enim nostrum dabit suorum malorum rationem omnium Judici.* Ubi certè ad rationes reddendas cogebantur Episcopi, suos tum ipsi nimirum urgebant Oeconomos.

VII. Ad Latinos accedo, exordiorque ab Ambrosio. Ille enim exuberante quadam luminis & gratiæ cælestis copia, antè magister, quàm tyro; ille in functionibus Episcopatûs tam invictus & indefessus, ut post ejus obitum vix quinque Episcopi pares essent labori, quo ipse unus superstes fungebatur: ille, inquam, iam inde ab exordio Episcopatûs fratri suo Satyro totam temporalem domûs suæ administrationem commendavit. Erat laicus Satyrus, sed virtutum præstantia Clericos longè plurimus post se relinquebat. Testatur Ambrosius ab eo se foveri & roborari solitum; ei debere se quæ filii parentibus; quanquam ab eo ut juniore fratre coleretur. *Non tam mea virtute habilis, quàm tua patientia tolerabilis; qui pio semper sollicitus affectu latus meum tue latere sapiebas, charitate ut frater, cura ut pater, sollicitudine ut senior, reverentia ut junior. Orat. de obitu Satyri.* Nec domesticis tantùm curis ab eo se exoneratum fatetur, sed & sapientia & consilio ejus in regimine spiritali recreatum fuisse; animos illum sibi addidisse in rebus asperis, & mœstitiam abstersisse. *Tu mihi unus eras domi solatio, foris decori, tu, inquam, in consiliis arbiter, cura particeps, deprecator sollicitudinis, depulsor mœroris. Tu meorum assertor actuum, cogitationumque defensor: tu postremò unus, in quo domestica sollicitudo resideret, publica cura requiesceret. Testor sanctam animam tuam, me in publicis Ecclesia ad sepè veritum esse, ne displicerem tibi. Ita domi forisque eruditor quidam & arbiter Sacerdotis, ut domestica cogitare non sineres, publica curare censeret.* Ambrosium Imperatores & Episcopi reverebantur, ut patrem, ille sibi patrem veluti alterum suspiciebat Satyrum. Antistes suo sæculo numeris omnibus absolutissimus verebatur, ne non satis Satyri votis & consiliis responderet. Vides qui tandem ille frater esset, cui Ambrosius domûs suæ curam delegabat. Erat porrò Satyrus animi vi & robore prorsus incredibili, nec æquitate dispari. Provectione Ambrosii ad Episcopatum, blandiebatur sibi unus debitorum, Prosper nomine, quasi nunquam ad solvendum compellendus esset. Hoc illum errore & inani spe exuit Satyrus, & solvere coegit. *Plaudebat sibi, ut audio, Prosper, quod Sacerdotii mei occasione redditurum se qua abstulerat, non putabat: sed vehementiorem tuam unius efficaciam expertus est, quàm duorum. Itaque solvit omnia, &c.* Ejusmodi erant cognati, vel proximi, quos Episcopi quandoque sanctissimi adsciscebant sibi ad aliquod Episcopalis regiminis consortium.

Satyrum Ambrosius hæredem scripserat, qui præmaturè mortuus hæreditatem Ambrosio transmisit. *Ego te frater haredem feceram, tu me haredem reliquisti.* Conjugium aversatus fuerat, ne à fratre divelleretur. Testamentum condere noluit, ut Ambrosii potiùs arbitrio res omnes suæ dispensarentur. Ambrosii judicio permisit, ut effunderet in pauperes, quantum vellet, quod ita interpretatus est Ambrosius fraternæ conscius voluntatis, acsi totum in pauperes effundere præciperetur. Sed de his alibi superiùs.

VIII. Ab Ambrosii vestigiis non recessit Augustinus. Proventus Ecclesiæ suæ agrosque valentioribus commisit ille Clericis. Eorum prudentissimo & fidissimo Præfecturam mandavit domus suæ. Ejus erat accepta & expensa in librum referre. Eas rationes semel anno quolibet sibi referri ipsi volebat Sanctus Pater. Ejus enim fidei incumbebat, quem sibi expertus esset fidelem: nec clavem enim ipse unquam, nec annulum gerebat. Audi Possidium in ejus vita: *Cap.24. Domûs Ecclesia curam, omnemque substantiam ad vices valentioribus Clericis delegabat & credebat. Nunquam clavem, nunquam annulum in manu habens, sed ab eisdem domûs Prapositis cuncta & accepta & erogata notabantur. Qua anno completo eidem recitabantur, quo sciretur, quantum acceptum, quantumque dispensatum fuisset, vel quidquid indispensatum vel dispensandum remansisset, & in multis titulis magis illius Prapositi domûs fidem sequens, quàm probatum manifestatumque cognosceat.* Sejungi utique necesse est hunc unum & summum Præpositum domûs Episcopalis, *Prapositum domus*, à valentioribus illis Clericis, qui et suberant, & ministrabant *per vices*.

IX. Monitus Simplicius Papa à tribus Episcopis, Gaudentium Episcopum Aufiniensem non partiri reditus Ecclesiæ suæ ea ratione, qua sacri Canones præcipiunt; eam ipse curam demandavit Severo ejusdem Provinciæ vicino Episcopo, *Epist.3.*, & quoad partes illas duas, quæ reparandis Ecclesiis & alendis pauperibus destinabantur, eas concredidit Onagrio Presbytero, ea utique fide administrandas, quam præstat Presbyter, aliàs gradu suo ejiciendus. Hinc patet in Ecclesia Latina, uti & in Græca, Metropolitani fuisse muneris, ut excubias ageret in Episcopos rerum Ecclesiæ administratores, eosque si vel diligentiæ, vel fidei minus adhiberent, quàm res posceret, ea potestate exueret. Ibas in ejusmodi causa reus actus est à suo Clero in Concilio Berythensi, cujus Acta perlecta sunt in Calchedonensi. *Act.10. Et rogamus, ut rationem faciat coram vestra Sanctitate.*

X. Si quid hîc autem pugnæ & conflictationis subesse visum est, ubi reddendis rationibus nunc obnoxii dicuntur, nunc negantur Episcopi fuisse; facilè is scrupulus eximetur. Constitutionibus Apostolicis & priscis Ecclesiæ Canonibus nulla ejusmodi necessitate vinciebantur. Nec certè ad id compulsi unquam fuere, nisi paucissimi, quos manifesta rerum Ecclesiæ expilatio convicit, & ad examen compulit Metropolitani, Concilii Provincialis, vel Imperatoris subeundum. Ex recentissimè publicatis Leonis Papæ Epistolis edocemur Oeconomos Ecclesiæ Constantinopolitanæ coactos ex more fuisse ratiocinia sua ad Civiles referre Magistratus. Molestissimè id tulit Leo, libertatum Ecclesiæ vindex acerrimus, & per Epistolas Imperatorem appellavit, ut fœdissima servitute Ecclesiam absolveret, sineretque antiquum vigere morem, ut Episcopis quisque suis Oeconomi rationes facerent. *Illud etiam rationabiliter huic Epistola credidi copulandum, ut de eo, quod pietatem vestram prioribus petii literis, deprecarer, ut Oeconomos Constantinopolitana Ecclesia novo exemplo, & pracipuè pietatis vestra temporibus à publicis Judicibus non finatis audiri, & hanc que-*

quoque injuriam fuerit removeatis Ordinibus; sed rationes Ecclesiæ secundùm traditum morem sacerdotali examine jubeatis inquiri. Ep. 108.

CAPUT V, P. 2. l. 4. c. 13.

Episcopi rerum Ecclesiæ summi erant administratores in Gallia & Hispania, ab anno Christi quingentesimo ad octingentesimum.

I. II. Quæ hoc Capite excutienda sint nobis.
III. Quæ Galliæ Concilia summam hanc Episcopis authoritatem concilient.
IV. V. Et potestati Concilia ipsa limites designent.
VI. Elucidamenta ex historia Gregorii Turonensis. Potestas Archidiaconorum sub Episcopo.
VII. In Hispania eadem, & proinde summa authoritas in Conciliis astruitur Episcopis in temporalia. At suis tamen illa cancellis circumdatur.
VIII. IX. X. De eodem, maximè de manumissionibus servorum & de alienatione bonorum Ecclesiæ.
XI. Oeconomi sub Episcopo functiones.

I. II. Extra dubium est, 1. Summam penes Episcopos fuisse rerum Ecclesiæ temporalium potestatem, quæ tunc in commune à Clero universo possidebantur. 2. Episcopis subsidio & levamento fuisse Presbyteros, vel Archidiaconos, & Diaconos Ecclesiæ. 3. Presbyteros Diaconosque rationes Episcopis fecisse. 4. Episcopos unius Dei judicio obnoxios fuisse. 5. Quanquam causam dicere in Concilio Provinciæ compulsi quandoque fuerint, ubi obliquis suspicionibus fuerant exagitati. Hæc sunt capita tot hoc nobis capite illustranda in Ecclesia primùm Latina, postea Græca.

III. Concilium Turonense II. Episcopos monebat, qui uxorati erant, & quibus post ordinationem jam sorores erant, quæ fuerant conjuges; ut & Ecclesiasticam, & suam ipsorum peculiarem sanctissimè familiam administrarent. *Episcopus conjugem ut sororem habeat, & ita sancta conversatione gubernet domum omnem, tam Ecclesiasticam, quàm propriam, ut nulla de eo suspicio quaqua ratione consurgat.* Can. 12.

Concilium Agathense Episcopis copiam facit, Can. 22., Presbyteros ut suos, Clericosve donent usufructu alicujus Ecclesiæ prædioli. In Concilio Aurelianensi III. vetatur, Can. 17., ne quas id genus largitiones revocent Episcopi ab Antecessoribus factas; quanquam si qui minùs morigeri Clerici contumacius quidvis agant, eos sinant Episcopi spoliari suismet ipsorum donis. In Concilio Aurelianensi IV. Can. 36. eisdem permittitur, ut alienæ quoque Diœceseos Clericos donent agellis quibusdam, qui post eorum obitum ad eandem revocentur Ecclesiam. Ubi Clericos suos Episcopi vel Parochiæ, vel Abbatiæ regimine exornaverint, liberum eis esse vult Concilium Aurelianense III. Can. 18. ut eos vel exuant, vel uti usque sinant fructibus, vel agris ante concessis.

IV. Cum verò penes Episcopos esset administratio, non proprietas; depositum, non dominium rerum Ecclesiæ, hinc illis omnino interdicitur Concilii Agathensis Canone, ut ne quid vendere ausint, aut alienare. *Casellas, vel mancipiola Ecclesiæ, Episcopi, sicut prisca Canonum præcepit authoritas, vel vasa ministerii, quasi commendata fideli proposito, integro Ecclesiæ jure possideant; ut neque vendere, neque alienare præsumant.* Can. 7. Si cogeret necessitas, aut suaderet Ecclesiæ suæ utilitas vel vendere, vel usufructuario jure utendos dare agros aliquot, ne id quidem poterant, nisi assentientibus duobus, tribusve Episcopis ejusdem Provinciæ, vel vicinæ, iisdemque subscribentibus, ne irritum aliàs haberetur & cassum instrumentum. *Quod si necessitas certa compulerit, ut pro Ecclesiæ aut necessitate, aut utilitate, vel in usufructu, vel in directa venditione aliquid distrahatur, apud duos vel tres Comprovinciales, vel vicinos Episcopos, causa, qua necesse sit vendi, primitus comprobetur; & habita discussione Sacerdotali, eorum subscriptionibus, quæ facta fuerit venditio roboretur. Aliter facta venditio, vel transactio non valebit.* Itaque regebat vel dispensabat Episcopus bona Ecclesiæ, *quasi commendata*; & erat non raro, ubi consilio & assensu Episcoporum Provinciæ muniri deberet. Hinc tamen excepti sunt agelluli, quorum alienatio nil poterat detrimenti, poterat emolumenti quandoque aliquid Ecclesiæ afferre. *Terrulas, aut vineolas exiguas & Ecclesiæ minùs utiles, sine consilio Fratrum, si necessitas fuerit, distrahendi habeat Episcopus potestatem.* Can. 45.

Concilium Epaonense Metropolitani assensum necessarium fore sanxit venditioni, non permutationi. *Nullus Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ sine conscientia Metropolitani sui, vendendi aliquid habeat potestatem, utili tamen omnibus commutatione permissa.* Can. 12. In Concilio Aurelianensi III. firmata sunt hæc statuta, decretumque est, Can. 12., ut legibus ageretur in eos, qui res Ecclesiæ retinerent, sibi obligatas alienationibus præter Canones factis, si necdum tricenaria illis præscriptio suffragaretur. *Intra tricenaria tempora repetitio suppetit, &c. Per publicum aut electorum judicium revocentur. Vide & Aurel. 4. c. 9.* In Concilio Agathensi ea pœna feriuntur Episcopi, qui fundos Ecclesiæ alienarint, non modò ut damnum resarciant, sed & ut restituant duplum. *Convicti in Concilio, & ab honore depositi, de suo aliud tantum restituant, quantum visi sunt præsumpsisse.* Can. 49. Concilio denique Aurelianensi III. prohibentur Abbates, Parochi, cæterique Clerici, ne quid divendant, *absque permissu & subscriptione Episcopi.* Can. 23.

V. Ad Agapetum Papam cum provocasset Contumeliosus Regiensis Episcopus à sententia depositionis, qua dejectus fuerat; rescripsit Pontifex ad B. Cæsarium ejus Metroplitanum, ab administratione temporali eum ut semoveret, eamque transferret in Archidiaconum, qui Episcopum largissimè procuraret. *Reddita sibi propria substantia, suspensum interim volumus ab administratione patrimonii Ecclesiastici, &c. Patrimonia Ecclesiæ in gubernatione Archidiaconi ejusdem Ecclesiæ constituta, ita ut alimonia sufficienter Episcopo non negetur.* Conc. Gall. Tom. 1. pag. 239. Ex quo intelligis Archidiaconos & viventi regentique Episcopo socios affuisse in temporalium regimine; & illud totum gestasse, dum sedes vacaret, vel abesset Episcopus. Conquerabatur Concilium V. Parisiense de Episcopis & Archidiaconis, qui invadebant, & Ecclesiæ Cathedrali adscribebant spolia Abbatum, Parochorum, cæterorumque Beneficiariorum, quo in posterum prohibentur. *Ab Episcopo vel Archidiacono diripi, & quasi sub augmentum Ecclesiæ vel Episcopi, in usum Ecclesiæ revocari, &c. Statuimus, ut nec Episcopus, nec Archidiaconus exinde aliquid auferre præsumat.* Can. 8. Archidiacono tamen custodia committebatur, & res Parochiarum vacantium, ex eodem Concilio: *Ab Archidiacono, vel Clero conserventur.*

VI. Non satis validè concluditur Presbyteros Ecclesiæ Arvernæ ejusdem fuisse Oeconomos, ex narratione Gregorii Turonensis de insolentissima duo-

duorum Presbyterorum protervia, qui rem prorsus inauditam machinati sunt, spoliato Sidonio sanctissimo juxtà & sapientissimo Episcopo suo, ejectoque administratione Ecclesiæ temporali, cujus ei permodicum quid residuum fecere. *Surrexere contra eum duo Presbyteri, & ablata ei omni potestate à rebus Ecclesiæ, arctam ei victum & tenuem relinquentes, &c. L.2. c.25.* Post Sidonii obitum alter eorum omne ejus Ecclesię patrimonium ita invasit, subiecitque sibi, quasi jam Episcopatu potiretur. *Protinus omnem facultatem Ecclesiæ, tanquam si jam Episcopus esset, inhians cupiditate praeoccupat.* Tyrannicam eam fuisse usurpationem res ipsa vociferatur: non juris vel colorem, vel umbram affingi potuisse. Nec secus sentiendum de Presbytero Catone post obitum Sancti Galli ejusdem urbis Episcopi; ab adulatoribus enim effascinatus, Episcopatum insana spe devoravit, remque omnem invasit temporalem, extrusis omnibus administris. *Cato Presbyter continuò à Clericis de Episcopatu laudes accepit, & omnem rem Ecclesiæ, tanquam si jam esset Episcopus, in suam redegit potestatem, ordinatores removet, ministros respuit, cuncta per se ordinat. L.4. c.5.* His intemperiis suis Cato Cautinum Archidiaconum à se abalienavit, qui eo frustrato electus ipse Episcopus est, ejusque statim potestatis compos omnes Catonis gregales spoliavit rebus Ecclesiæ, quas obtinebant. *Tam eos quàm amicis ejus, vel quicumque ei consentiebant, omnes res Ecclesiæ abstulit, reliquitque eos inanes & vacuos.*

Ursicinum Episcopum Cadurcensem functionibus spiritualibus omnibus suspendit, pœnitentięque ad triennium addixit Concilium Matisconense, nec eum tamen temporalium Ecclesiæ bonorum regimine excussit. *Utilitas tamen Ecclesiæ per ejus ordinationem, sicut solita erat, omnino exerceretur. L.8. c.20.* Badegisilus Episcopus Cenomanensis, cum vita hac mortali demigrasset, conjux ejus, quę non conscia tantùm, sed incentrix fuerat omnium, quæ tyrannicè ab eo & rapaciter acta fuerat, diutinis implicata fuit litibus adversùs successorem ejus Bertrandum, Archidiaconum Parisiensem. Contendebat enim illa, quę Ecclesiæ donata fuissent, ea juris fuisse Episcopi conjugis sui: *Dicens, Militia hæc fuit viri mei.* Sed compulsa tamen est tandem, ut omnia restitueret. *L.8. c.39.* Narrat idem Gregorius alibi, *Vita Patr. c.4.*, ut Theodoricus Rex B. Quintianum cum Arverno donaret Episcopatu, temporali regimine eum oneraverit: *Jussit sibi Sanctum Quintianum constitui, & omnem ei potestatem tradi Ecclesiæ.* Spoliavit Quintianum truculentia audacissimi Presbyteri, vix dimissis, quibus utcumque vitam toleraret: *Omnem potestatem illi de rebus Ecclesię auferens, vix ei & satis tenuem quotidianum victam ministrari pręcepit.* Sed probatissimi denique quique cives Presbyteri audaciam compresserunt, Quintiano Episcopo *restituta omni potestate.*

VII. Ita in Galliis eximia quidem erat, & summa Episcoporum potestas in temporali regimine rerum redituumque Cleri communium: sed ita tamen, ut Presbyterorum quandoque temerariæ & pręfractæ paterent audaciæ. Adeunda nunc nobis Hispania. Concilio Toletano III. vetantur Episcopi quidquam alienare, concesso tamen, ut minusculos donent fundos vel Monasteriis, vel Parochiis suæ Diœceseos. *Si quid verò quod utilitatem non gravet Ecclesiæ, pro suffragio Monachorum, vel Ecclesiis ad suam Parochiam pertinentibus dederunt, firmum maneat: Can.3.* ne damnatis quidem largitionibus in extraneos quibusdam, Clericos Laicosve dum modus teneatur. Prisca etiam potestate uti sinuntur Episcopi, in manumittendis Ecclesiæ servis, qui retineantur tamen patrocinio Ecclesię obnoxii, in obsequiis, quibus ipsi cum posteris devincti erant. *Et tamen à patrocinio Ecclesiæ, tam ipsi, quàm ab eis prognati non recedant. Can.6.* Qui Ecclesias fundaverant, vel dotaverant, ægrè nonnunquam assentiebantur ei Episcoporum in temporalia potestati. At eo declarat hęc Synodus, *Can.19.*, violari priscorum Canonum authoritatem, quę totum committit Episcopis. *Omnia secundùm constitutionem antiquam ad Episcopi ordinationem & potestatem pertineant.* A' Concilio Hispalensi in servitutem revocatus est libertus, qui machinatus nescio quid erat adversùs Episcopum & Ecclesiam. *Adversùs quem ingrati actio Canonum ac legum authoritate justè dirigitur; scilicet ut immeritę libertatis damno mulctatus, ad servitii nexum, quo natus est, revocetur. Can.8.*

VIII. In Canone autem sequenti ejusdem Concilii, *Can.9.*, non paulò plus momenti est ad rem hancce nostram. Acerbiùs enim castigantur Episcopi, qui Oeconomos sibi ex Laicis accersiverant, conculcatis non tantùm Calchedonensis Concilii Regulis, & sacris Literis ipsis, quæ diversarum illarum rerum & professionum sibi mutuò quasi pugnantium conjunctionem detestantur. Cum Oeconomus enim Vicarius sit Episcopi, & functionum ejus quasi socius & administer, nefas est Laicis Communicari functionem & vicem Episcopalem. *Indecorum est enim laicum Vicarium esse Episcopi, sæculares in Ecclesia judicare. In uno enim eodemque officio non decet dispar professio: &c. Qui in administrationibus Ecclesiæ Pontificibus sociantur, discrepare non debent, nec professione, nec habitu.* Denique sive Laicos sibi Episcopus asciscat Oeconomos, vel nulla vicaria Oeconomi opera ipsemet temporalia regat Ecclesiæ suæ, non poterit crimen & invidiam effugere violatorum Canonum, & dissipatæ rei Ecclesiasticæ. *Si quis Episcopus posthac Ecclesiasticam rem, aut laicali procuratione administrandam elegerit, aut sine testimonio Oeconomi gubernandam crediderit, ut contemptor Canonum & fraudator Ecclesiasticarum rerum, Concilio manebit obnoxius. Can.48.* Hinc plus satis argumenti est, ut hac in re Hispaniam existimemus Orientali disciplinæ finitimam fuisse, & Oeconomos habuisse suis ex Clericis, sub Episcopi authoritate. Quod luculentius etiam patefacit Canon alius Concilii Toletani IV. *Eos, quos Oeconomos Græci appellant, hoc est, qui vice Episcoporum res Ecclesiasticas tractant, sicut Synodus Calchedonensis instituit, omnes Episcopos de proprio Clero ad regendas Ecclesias habere oportet.*

IX. Qui Ecclesias vel excitassent à fundamentis, vel dote instruxissent, copia facta illis est à Concilio Toletano IX. *Can.1.* ut si fundos à Beneficiariis dilapidari cernerent, ad Episcopum vel ad Judicem referrent: si Episcopi essent, ad Metropolitanum: si Metropolitani, ad Regem. Concessit & hæc Synodus Episcopis, *Can.5.*, ut ex rebus Ecclesiæ, terris, vel reditibus, fundarent & ipsi Ecclesias alias, hoc tamen servato modo, ut ne quinquagesima plus parte decerpere possent, si Monasterium exædificarent, vel centesimam, si Parochiam extruerent, ubi tumulum sibi delegissent.

X. Ne servos quidem ab Episcopis manumitti voluit Concilium Toletanum IV. *Can.68.* nisi vel jus patrocinii retinerent, vel Ecclesiam indemnem præstarent, duobus pro uno subrogatis mancipiis *ejusdem meriti & peculii*, & facta permutatione *coram Concilio Ecclesiæ, cui præeminent.* Et ne tum quidem hic libertus tantis munitus privilegiis, uti poterat *accusandi, vel testificandi licentia*, adversùs Episcopum, & Ecclesiam Servos manumittere fas erit Episcopis, perinde ut ipsi servos alios Ecclesiæ dederint, vel adjecerint, vel fundos; ea cautione, ut hi liberti in patrocinio

semper sint Ecclesiæ, ipsi & eorum liberi, cum rebus suis. *Ita ut eam peculio & posteritate sua. Ingenui sub patrocinio Ecclesię maneant.* Can.69. Liberti Ecclesiæ patrocinio ejus absolventur nunquam, *quia nunquam moritur eorum patrona*: quam illi professionem novis semper Episcopis novam præstabunt. Can.70. Si quod aliud aucupentur patrocinium, concessa revocabitur libertas. Can.71. Innovatur rursus hoc statutum in Concilio Toletano VI. Can.9. ut liberti omnes novis omnibus Episcopis eandem semper professionem præstent, anno Pontificatus eorum primo. Quin & illud additur, ut eorum filii in oculis, in ædibus & cura Episcopi instituantur à teneris, cum vicissim & ipsi nonnihil præstabunt obsequii. *Contemptus quippe est patronorum, si ipsis neglectis, aliis ad educandum detur progenies manumissorum.* Can.10. Utque ne facilè ab obsequio Ecclesiæ resilirent, vetuit Concilium Toletanum IX. Can.13. 14. ne qua inirent conjugia cum nobilibus Romanis, vel Gothis: si qua inirent, eorum nihilominus liberi sub Ecclesiæ patrocinio delitescerent: aut tollebatur eis quidquid ab Ecclesia obtinerent, vel sub ejus patrocinio acquisissent. *Quæcumque ab Ecclesia sunt adepti, vel sub ejus patrocinio visi sunt conquisisse.* Can.15. Denique quæ ab Ecclesia sunt adepti, ea vendere non poterunt, nisi vel Prælato ipsius Ecclesiæ, vel servis & libertis ejus: ut ne immobilia hæc ab Ecclesia propria alienari possint. Statutis his omnibus novum pondus adjecit Concilium Emeritense, Can.20. 21., & ei maximè, quo non sinuntur Episcopi libertate donare servos Ecclesiæ, nisi pro modo, vel copia rerum, quas ipsi Ecclesiæ transcripserint. Quod & ad Presbyteros, sive Parochos ampliatur, qui & ipsi aliquos ea conditione manumittere permittuntur. *Hæc forma & in Presbyteris servanda erit, qui cum voluntate Episcopi sui, juxta Canonicam regulam, de Familia Ecclesiæ suæ liberos facere voluerint.* Jubet Cæsaraugustanum Concilium III. Can.4. ut novus Episcopus libertos omnes cogat libertatis sibi suæ chartas repræsentare.

XI. Asperget lucis non parum Canonibus Toletanorum Conciliorum suprà laudatis Hispalensis Episcopus B. Isidorus, pulcherrima hac Oeconomi functionum descriptione. *Ad Oeconomum pertinet separatio Basilicarum, atque constructio: actiones Ecclesię in judiciis, vel in perferendo, vel in respondendo. Tributi quoque acceptio, & rationes eorum, quę inferuntur. Cura agrorum & cultura vinearum, causę possessionum, & servitialium, stipendia Clericorum, viduarum, & devotarum pauperum. Dispensatio vestimenti, & victus domesticorum Clericorum, servitialium quoque & artificum. Quę omnia cum jussu & arbitrio sui Episcopi ab eo implentur.* Pag.693. Ex quibus dilucidum est Oeconomum jussu & authoritate Episcopi temporalia Ecclesiæ omnia administrasse, cujus etiam domûs specialiter Oeconomus & Præfectus erat.

In Legibus Uvisigothorum prohibet Vamba Rex, ne posthac Episcopi vendicent sibi fundos Parochiarum juris, quasi triginta annorum possessione eo sibi parto jure. *Nulli Pontificum ultra licebit, quidquam ab Ecclesiis Diœcesis suæ auferre, aut ablatum quodcumque per oppositionem tricennii vindicare.* L.4. Tit.5. 6. Erant certissimè pernecessarii Episcopis Oeconomi, in quos refunderent partem aliquam tantæ sollicitudinis, cum VII. adhuc sæculo necdum prorsus desuevissent Episcopi à vindicandis sibi fundis Parochiarum juria.

CAPUT VI. *P.2. l.4. c.14.*

Summa potestas rerum Ecclesiæ penes Episcopos erat in Italia & Oriente ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. Summa eorum, quę hoc Capite demonstranda sint.

II. III. Probatur ex Gregorio in temporalium provisione omnia fuisse in potestate Episcoporum.

IV. V. Suis illi Oeconomis innitebantur, vel Vicedominis.

VI. Plerumque tamen sub Episcoporum Imperio omnia Diaconorum, vel Archidiaconi ministerio gerebantur. Varia de Oeconomis.

VII. Illos observabat Episcopus.

VIII. IX. Eandem ante Gregorium viam inierant Pelagius, & Symmachus Pontifices.

X. Non ita tamen tota temporalium sarcina levabantur Episcopi, ut non plerumque illi ingemiscerent.

XI. XII. In Oriente quoque tota ea potestas Episcopis demandatur, sed suum habituris Oeconomum.

XIII. Ex Cęsareis Legibus, quibus uxores essent, vel liberi, Episcopi esse non poterant. Nec Episcopi post ordinationem quidem suam, nisi Ecclesiæ suę acquirere poterant.

XIV. Rationibus obnoxii erant Oeconomi.

XV. XVI. Ut plurimum Presbyteri erant, quandoque tamen Diaconi.

XVII. In dilapidatores Episcopos lege agebatur.

XVIII. Vicedominus & Oeconomus idem forsan erat.

I. JAM de Romana & Orientali Ecclesia eadem ipsa constabilienda sunt disciplinæ Capita, quæ superiori Capite de Gallia & Hispania. 1. Totum Episcopis tributum fuisse in temporalium Ecclesiæ rerum dispensatione. 2. Illud Episcopos onus in Diaconos rejecisse, & Presbyteros. 3. Quorum ipsi tamen curam agebant, & rationes accipiebant. 4. Cum ipsi uni Deo rationes suas facerent. 5. Nisi eæ raro inciderent causæ, ubi ad Concilium Provinciale referebatur.

II. Cum Episcopum Fundanum Gregorius Magnus ad Ecclesiam Terracinensem transferret, plenissimam ei in temporalia & in spiritalia ejus Ecclesiæ potestatem conferebat. *Quidquid de prædictę rebus Ecclesię, vel ejus patrimonio, seu Cleri ordinatione promotioneve & omnibus generaliter ad eam pertinentibus, solerter atque canonicè ordinare, facereque provideris, liberam habebis, quippe ut Sacerdos proprius, modis omnibus facultatem.* L.2. Ep.13. Conquerebatur idem Gregorius de Calaritani Metropolitani ignavia, incuriaque, qui rationes sibi fieri ab administrationibus Xenodochiorum non satagebat, juxta priscam consuetudinem. *Pervenit ad nos consuetudinem fuisse, ut Xenodochia, quæ sunt in Calaritanis partibus constituta, apud Episcopum Civitatis singulis quibusque temporibus suas subtiliter rationes exponerent, ejus videlicet tuitione atque sollicitudine gubernanda.* L.3. Ep.24. Cum Marinianum Ravennatem Episcopum Romam invitaret, ubi labenti & afflictæ valetudini aptius succurreretur, suadebat ut Ecclesiæ suæ aliquem præficeret, qui temporalia ejus absente se curaret. *Videtur mihi, ut ordinata illic Ecclesia, qui Episcopii curam gerere, hospitalitatemque, & susceptiones possint exhibere, quive Monasteriis custodiendis præesse norint.* L.9. Ep.28. Exauthora-

so

to Episcopo quodam jussit Gregorius, ejus ex ro propria resarciri, quidquid de patrimonio Ecclesiæ abligurisset. *L.10. Ep.34.*

III. Sed lucis plusculum aliquid exculpemus ex Gregorii Epistola ad Episcopum Panormitanum, quòd ea ad minutias etiam rerum comolurium dilabatur. Jubet ut inter Clericos partiatur quartam partem redituum Ecclesiæ & oblationum; reliqua in potestate ipse babeat, ut & fundos Ecclesiæ, quorum reditus augescere curandum est ad Cleri utilitatem; denique ut Seniorum & Cleri assensu Tabularium instituat, qui illi quotaonis publicè rationes omnium faciat. *Reliqua omnia mobilia in tua retineas potestate, immobilia enim Ecclesiasticis reditibus aggregentur, ut multiplicata quantitate, Clericorum tuorum usibus Deo largiente proficiant. Tabularium unà cum consensu Seniorum & Cleri memineris ordinandum, qui annis singulis ad amputandam fraudis suspicionem, solenniter suas debeat rationes exponere. L.12. Ep.51.* Denique fundos Ecclesiæ alienatos revocari præcipit, qua maxima fieri poterit humanitate, sed ut nihil de jure Ecclesiæ deteratur. *Possessiones, vel si qua sunt Ecclesiastico jure competentia, & ab extraneis indebitè detinentur, cum omni studio servata civilitate, in jus Ecclesia tua reparare festina, ut negligens in aliquo videri non debeas.* Ad minutias etiam viliores demittebat se summi viri, summique Pastoris providentia; ut diveodi boves & vaccas præciperet steriles jam inutilesque, quo earum pretio pauperes juvarentur. *Vendi debent, ut saltem eorum pretium ad aliquam utilitatem crescat. L.12. Ep.29.* Minuscula sunt ista, sed vel maxima charitas est, quæ vel minuscula non fastidit. Alio loco cum deessent Cœnobio fundi ad Monachorum sustentationem, nonnullos ei per annos triginta sex fruendns dedit Gregorius. *Quod eis salvo jure Ecclesiæ nostra in XXXVI. annorum spatium concessimus habere. L.10. Ep.1.*

IV. Ad Oeconomos jam deflectenda oratio est. Docet Gregorius, *L.2. Ep.12.*, quo toto temporo Salonensis in Dalmatia Episcopatus vacasset, rerum ejus curam Oeconomum agere debuisse, & rationes denique suas novo Episcopo exponere. *Expensa, quæ necessaria fuerit, per Oeconomum, qui tempore mortis prædicti Episcopi inventus est, erogetur; quatenus rationes suas futuro Episcopo, ipse, ut novit, exponat* Presbyter is fuisse probabiliter creditur. In Gallias certè ablegavit idem Gregorius Candidum Presbyterum, ad regendum Ecclesiæ Romanæ patrimonium; utque res fraude subreptas restitui faceret. *L.5. Ep.5. 10. 55.* Cum jamdiu Sardiniæ Xenodochia, nec perlustraret, nec curaret Januarius Metropolitanus Calaritanus, eo Gregorius Officio Oeconomum & Archipresbyterum ejus Ecclesiæ investivit. *Oeconomum ejus Ecclesiæ, atque Epiphanium Archipresbyterum nostra authoritate commone, ut eadem Xenodochia sine periculo suo sollicitè & utiliter studeant ordinare. L.15. Epist.50.*

V. Qui hic Oeconomi, Vicedomini forsan iidem ipsi sunt, de quibus tam frequens Gregorius agit. *L.5. Ep 55.* Protasius Aquensis tum Episcopus, olim Vicedominus fuerat Archiepiscopi Arelatensis. *L.9. Ep.37. Qui in ipsa Ecclesia tunc temporis curam Vicedomini gerebatis.* Magnatum in domibus, ut apparet, erant Vicedomini, tanquam earum Præfecturam gestantes. Eorum exemplo & suos Episcopi Vicedominos habuere, ad hospites maximè suscipiendos, & ad incidentia quævis inopina negotia. Eò pertinet illud Gregorii ejusdem, ubi præcipit Episcopo muneris sui incurioso, ut Vicedominum sibi adjungat, qui has in posterum sustineat functiones. *Volumus ut frater noster Paschasius & Vicedominum sibi ordinet, & Majorem domus, quatenus possit, vel hospitibus supervenientibus, vel causis, quæ eveniunt, idoneus & paratus existere. L.7. Ep.66.*

VI. Et illud tamen indubitatissimum est, Archidiaconis maximè totam illam incubuisse curam administrandæ rei Ecclesiasticæ temporalis, uti & custodiam sacrorum vasorum. Inde est quod Honoratum Archidiaconum Salonensem admonebat Gregorius, ipsius fidei omnia concredita, ipsius periculo & damno peritura. *Scire te volumus, quod à te omnia districtè quæsituri sumus, si non ea, quæ vel propria Ecclesiæ, vel quæ de diversis Ecclesiæ Cimelia sunt collecta, sub omni nunc sollicitudine & fide serventur. Quod si quid ex eis vel negligentia, vel cujusquam fraude deperierit, tum in hoc reatu constringeris, qui per Archidiaconatus ordinem custodia ejusdem Ecclesiæ urbius impliceris. L.1. Ep.10. 19. L.2. Ep.14. 15. L.7. Ep.130.* Et quanquam omnium Ordinum Clericos Gregorius ad regimen & tutelam patrimonii Ecclesiæ Romanæ delegaret in diversissimas Provincias; eam tamen sæpissimè Diaconis sollicitudinem, vel Subdiaconis demandabat. Innumerabilia ad maoum sunt exempla, unum seligam de Subdiacono in Siciliam misso, quem ea authoritate auxerat ante corpus Sanctissimi Principis Apostolorum Petri, cui & illud etiam atque etiam commendabat, ne vel suis ipsius præceptis morem gereret, si quid sibi obreptum esse intellexisset, quod pauperum utilitatibus adversaretur. Non pigebit ea adnotasse hic obiter, quæ palam faciant, quantum momenti & dignitatis esset in his officiis, & quanti referret, ea non mandari, nisi viris spectatissimæ sapientiæ & integritatis. *Tua experientia Sancta Ecclesiæ utilitatem conspiciat, memor quod antè sacratissimum corpus B. Petri Apostoli, potestatem patrimonii ejus acceperis. Et licet hinc scripta decurrant, quod utilitatem patrimonii impedit, fieri nullo modo permittas: quia nos sine ratione aliquod dedisse reminiscimur, vel dare disponimus. L.1. Epist.70.*

Cum Calaritanum Episcopum deterreret, ne regenda laicis committeret bona Ecclesiæ, spectatæ fidei Clericis eam curam adjici hortabatur. *Cavendum ne secularibus viris, atque non sub regula vestra degentibus, res Ecclesiastica committantur, sed probatis de vestro officio Clericis. L.7. Ep.6.* Cum manassent minores Ordines à Diaconatu, ceu rivuli à quodam fonte suo, hinc & minorum Ordinum Clericis delegabantur, quæ Diaconorum aliàs propria fuissent. Audivimus jam ab hoc Pontifice; *L.7. Ep.130.*, Ecclesias fuisse, ubi eo munere non fungerentur Archidiaconi, nisi per quinquennium; tum enim eis successores dabantur. Designabant & Diaconos Episcopi Ravennates ad sui in Sicilia patrimonii regimen. *L.9. Ep.4.* Denique usque adeo cognatum erat & quodammodo concretum hoc Oeconomi munus cum Diaconatu, ut & *Diaconia* vocaretur ex eodem ipso Gregorio Papa, *L.9. Ep.24.*, ad virum religiosum præscribente, ut pauperum sustentationi operam daret, Deoque ooi rationes faceret, quo liberiori potestate uteretur ad arcanas expensas, miserabilibus quandoque pernecessarias, quos ipse maximè pudor affligit, cruciatque. *Ut Deo nostro, non hominibus, de his, quæ tibi commisimus, rationem te noveris positurum.* Id supra quoque volebat Gregorius, cum Archipresbytero & Oeconomo Calaritano Xenodochiorum curam mandabat *sine periculo suo*. Joannes Diaconus Gregorii styli imitator, *Diaconias* & *Xenodochia* pro una & eadem re habet. *L.2. c.52.*

VII. Insomni tamen vigilantia usum fuisse Gregorium idem Joannes Diaconus testificatur, *L.2. c.55.*, ut exploraret eorum omnium gesta, consilia, mores, quibus orbis pene universi pauperum patrimonii curam mandasset. *Qualiter Gregorius per*

Pro-

Procuratores Ecclesiasticorum patrimoniorum, velut Argus quidam luminosissimus, per totius mundi latitudinem, sua Pastoralis sollicitudinis oculos circumtulerit. Quod approbat ille consertissimis Gregorii Epistolis, quibus perspicuum est, ministros ab eo longè plurimos & diversissimos adhibitos fuisse, sed ipsum unum omnibus pervigilem imminuisse.

VIII. Diu distulit Pelagius Papa confirmationem electi Episcopi Syracusani, quòd electo conjux esset, essent & liberi, atque adeo nec in Episcopum eligi potuerat ex legibus Justiniani ea cautione usi, ut ne res Ecclesiæ dilaberentur, permixtæ videlicet rei familiari Episcopi conjugati. Sed cum propositum suum Syracusani mordicus retinerent, humanissimè & providentissimè tandem assensus est Pelagius electumque ordinavit; cum ab eo prius Regestum accepisset patrimonii sui, sponsionemque expressisset, nihil rerum Ecclesiæ in domum suam privatam derivatum iri, sed ex adverso quidquid post ordinationem suam acquisisset, id Ecclesiæ se transmissurum. *Consultius judicavimus, ut congrua providentia causam, propter quam principalis constitutio habentes filios & uxores ad Episcopatûs prohibet ordinem promovere, salva dispositione Concilii muniremus. Qua de re summo studio ab eodem priusquam à nobis eum contingeret ordinari, hujusmodi exegimus cautionem, per quam & suam fateretur, quamula esset, præsentis temporis habita rerum descriptione, substantiam, & nihil unquam per se, aut per filios, aut uxorem, de rebus usurparet Ecclesiæ, & universa sui Episcopatûs quæsita tempore, Ecclesiæ dominio sociaret: nihil ultra id quod modò descriptum est, filio suo, vel hæredibus relicturus. Collectio Romana p.232.*

IX. In Concilio VI. Romano sub Symmacho Papa præstantissimè constituta fuerat summa potestas Episcopi in temporalia Ecclesię omnia. *Ut oblationes fidelium à nemine præsumantur, absque consensu & voluntate Episcopi, in cujus dignoscuntur esse Parochia & potestate. Collat.7.* Ex Vigilii denique Papæ Literis liquet, adhibitos ab eo Diaconos fuisse in regendo per Provincias Patrimonio Ecclesiæ Romanæ.

X. Sed utcumque conarentur Pontifices hanc suam temporalem sollicitudinem in plures effundere, ea absolvi eos omnino & expediri non sinebat ipsa Pastoralis charitas. Omnium persuasissimus erat Gregorius, non terrenarum rerum cura, sed animarum regimine constare Episcopatum: unde & ad Januarium Calaritanum hæc ejus Epistolæ verba sunt: *Nam non terrenarum rerum curam, sed animarum te ducatum suscepisse cognosce. L.9. Ep.2.* Et ille ipse tamen tanto negotiorum sæcularium pondere premebatur, ut hæreret aliquando dubius, Principis terreni, an Pastoris nomen & officium induisset; *Ita ut sæpè incertum fiat, utrum Pastoris officium, an terreni Proceris agat. L.1. Ep.24.* Tantis occupationum molestiis invitum se ab Amore Dei divelli impatientissimè ferebat: *Ut per Episcopatûs Ordinem pene ab amore Dei me videam esse separatum. L.1. Ep.29.*

XI. In Orientem propero, ubi obviam primò se dat illa Justiniani lex à Pelagio Papa modò hîc laudata, ubi Episcopi eligi prohibentur; quibus superstites sunt conjuges, vel liberi. *Neque uxorem, neque filios aliqui eorum habent, neque concubinam, aut filios naturales cognoscunt eos habuisse. Nov. 123. c.1.* Et alibi: *Et neque uxori copulatus, &c. neque filios aut nepotes habens. Nov.6. c.1.* Ratio in promptu est, alibi à nobis declarata. Nihil istiusmodi sanxerant sacri Canones. Ideo & Pelagius ejus legis veniam fecit, proviso, ut ne quid eorum emergeret malorum, quibus ea lege occurrebatur.

XII. Ut his autem legibus muniebatur summa Episcoporum authoritas ad res Ecclesiæ temporales dispensandas: ita & aliæ complures erant, *Nov.59. c.3. 4*, quibus jubebantur ministerio uti Oeconomorum, à quibus rationes omnium exigebant, & quorum vel contumaciam, vel imprudentiam, vel perfidiam abdicatione puniebant. Itaque vicissim Episcopi & Oeconomi testimonio se mutuo juvabant. Alia lege vetantur Oeconomi quidquam pecuniæ ad Episcopos mittere, etiam ad itineris expensas, si ultra annum ab Ecclesiis suis absint. *Nov.123. c.23.* Poterant Oeconomi Ecclesiarum, vel Xenodochiorum coram Episcopo conveniri, ut rationes facerent administrationis, cum potestate tamen provocandi ab Episcopi sententia ad Metropolitanum vel Patriarcham. *Oeconomos autem & Xenodochos, Nosocomos, Ptochotrophos, & aliorum venerabilium locorum gubernatores, & alios omnes Clericos jubemus pro creditis sibi gubernationibus apud proprium Episcopum, cui subjacent, conveniri, & rationem suæ gubernationis facere & exigi, &c. Nov.131. c.31.* Executio & dispensatio piarum voluntatum & piorum legatorum Episcopo permittitur, ut communi pauperum parenti & Patrono.

XIII. Et prolixissimæ Episcoporum potestati modum & terminum ponebant duæ leges austeriores. 1. Ne simul esse possent mariti, patres, avi; ut ne carnales hi affectus communis pauperum patrimonii dispensatorem in privatas detorquerent cupiditates. 2. Ne quas post ordinationem vel successiones, vel largitiones excipere possent, nisi nomine Ecclesiæ suæ, exceptis proximorum hæreditatibus. *Convenit hujusmodi eligi & ordinari Sacerdotes, quibus nec liberi sint, nec nepotes. Etenim fieri vix potest, ut vacans hujus quotidianæ vitæ curis, quas liberi creant parentibus maximas, omne studium omnemque cogitationem circa divinam liturgiam & res Ecclesiasticas consumat, &c. Oportet Episcopum minimè impeditum affectionibus carnalium liberorum, omnium fidelium spiritalem esse patrem.* Et alibi: *Neque mulieri cohabitet, neque liberorum sit pater: sed loco uxoris, adhæreat quidem & continens sit circa sanctissimam Ecclesiam; loco verò liberorum omnem Christianum & orthodoxum habeat populum. Cod. l.1. De Episc. & Cle. leg.41. 47.* Est omnino Episcopali sanctimoniæ consentaneum, ut ne charitatem suam in tam diversos affectus dispergat.

XIV. Cogit Justinianus Oeconomos, ut quot annis rationes suas Episcopo exhibeant, restituantque vel ipsi, vel hæredes eorum, si quid minui vel deteri rerum Ecclesiæ passi essent. *Et ipsos quidem Oeconomos cum judicio & diligenti discussione cogi præcipimus, scientibus ipsis quod singulis annis rationem referent sanctissimo Episcopo suæ administrationis: & quæcumque in re videbuntur res Ecclesiasticas minuisse, vel læsisse, hoc Ecclesiasticis rebus restituent, &c. Hæredes ipsorum subjicientur tali discussioni, &c. Ibid. leg.41.*

XV. Erant plerumque Oeconomi ex Presbyterorum ordine delecti, non semper. De Joanne Talaja narrat Liberatus in Breviario, ex Oeconomo Presbyterum illum fuisse creatum, & rursus ex Presbytero Oeconomum. Unde illud quoque patet, non perpetuam hanc semper fuisse administrationem. *Joannes ex Oeconomo Presbyter factus Tabennesiotis, &c. Factusque est iterum Oeconomus, causas habens omnium Ecclesiarum.* Meminit mox Diaconi, qui Oeconomum agebat: *Psoius quidam Diaconus, & Oeconomus Ecclesiæ. Cap.16. 23.*

XVI. Illud ex Trullanis constat Canonibus, nonnullis in Ecclesiis ad ejusmodi sive Officia subvectos fuisse Diaconos, sive dignitates, quibus ita assurgebant, & ita intumescebant, ut & supra Presbyteros ipsos sedere auderent. Eam audaciam

dam,

damnat Trullana hæc Synodus, nec Diaconos sinit præsidere aut eminere Presbyteris, nisi ubi vices gerent, & personam sustinebunt Metropolitani, vel Patriarchæ, si quid causæ in alia civitate tractetur. Tantò propiùs autem abest à vero in his Officiis eminentioribus, quibus Diaconi quandoque potiùs exornabantur, quàm Presbyteri, numerandos fuisse Oeconomus; quod eadem ipsa mox Trullana Synodus declarat Diaconos illos septem, qui in Actibus Apostolicis creati leguntur, non hos fuisse, qui Altari nunc & tremendo Agni cælestis sacrificio ministrant; sed eos, quibus mensarum cura, & pauperum sollicitudo mandata erat. *Quibus commissa fuit œconomia & dispensatio.* Can.8. 56. Expendimus alibi, quo jure descenderit hæc Synodus in eam sententiam; & quanti ponderis sit hęc ejus doctrina. Hic unum illud ad rem nostram facit, eminentissimas Dignitates quandoque concreditas fuisse Diaconis, & in his Oeconomi munus.

XVII. Quod Anastasius Sinaita reus actus sit dilapidati patrimonii Ecclesiæ, captabatur tum certè occasio, & calumnia struebatur, ut solio Patriarchatùs exturbaretur. *Quod sacrum thesaurum profuderit.* Similior veri erat altera hujus exauthorationis causa, ab Evagrio narrata, *L.5. c.5.*, quòd pecuniam grandem exigenti Justino Imperatorii propter ejus installationem renisus esset. *Dicitur Justinum Anastasio succensuisse, quod postulanti ei pecuniam, cum Episcopus esset designatus, Anastasius dare noluit.* Non dissipatio ergo illi, sed attentior cura potius & parcimonia patrimonii pauperum crimini data est. Porro hoc exemplo illud quoque, utcumque res habeat, confirmatur, & summos rerum Ecclesiæ moderatores fuisse Episcopos, & si quid esset, in quo eorum fides, vel diligentia titubasset, ultores imminuisse Imperatores, tanquam Canonum vindices & custodes.

XVIII. Joanni Patriarchæ Alexandrino, ab eleemosynis immortale nomen & decus assecuto, princeps Oeconomus fuit Menas Presbyter. *Ipse me fecit Presbyterum & Vicedominum Ecclesiæ suæ &c. Menas, qui erat ordinans dispensationem Sanctissimæ Ecclesię sub Patriarcha.* c.1. Hęc ex vita Sanctissimi Patriarchę, Gręcè scripta, ab Anastasio Bibliothecario Latino sermone donata, à quo & Vicedominus dicitur, qui Gręcis Oeconomus. Itaque unum illi visum est esse utriusque nominis Officium. Agitur ibi post de pluribus dispensatoribus. *Mittens mox Dispensatores, &c.* Cap.2. Hos non immerito suspicamur Diaconos fuisse, qui Oeconomo subessent. Porro Joannis incredibiles & infinitę largitiones in pauperes, & in quosvis abundè produnt, quàm summa ille uteretur potestate in ærario Ecclesiæ dispensando. Quod autem dixi de Vicedomino, ea fuit saltem Anastasii Bibliothecarii sententia. *Cap.2.* Potuit enim aliquibus in Ecclesiis Vicedominus rem & domum Episcopi ipsius, Oeconomus rem Ecclesiæ curare, antequam rerum Ecclesiæ communium partitio institueretur.

CAPUT VII. *P.2. l.4. c.17.*

Per eadem tria sæcula totius Diœceseos Ecclesiastici fundi & reditus omnes in potestate erant Episcopi.

I. Ex Conciliis Galliæ probatur, Episcopus in potestate habuisse fundos & reditus omnes Ecclesiarum suę Diœceseos.

II. Origo ejus juris. Cæteræ omnes Ecclesiæ à Cathedrali scaturierunt.

III. Ei juri limites aliqui designantur.

IV. Multo id certius erat in Parochiis urbanis.

V. Hinc nascebatur spolii jus post obitum Beneficiarii.

VI. In Abbatiis & in Xenodocia idem spolii jus exercebantur.

VII. VIII. Disciplina Italiæ & Hispaniæ.

IX. X. Siciliæ similiter & Orientis.

I. EX Conciliis primò Galliarum hîc demonstrabitur Ecclesiarum & Parochiarum, tum civitatis, tum ruris omnium fundos, reditusque & oblationes in potestate unius fuisse Episcopi. Beneficiariis omnibus à Concilio Agathensi conceditur, ut agros Ecclesiæ non vendant, sed possideant, quos ipsis Episcopus tota Diœcesi largitus fuerit. *Ut Civitatenses, sive Diœcesani Presbyteri, vel Clerici salvo jure Ecclesiæ, rem Ecclesiæ, sicut permiserint Episcopi, teneant; vendere aut donare non præsumant.* Can.22. Posset hunc Canonem quis trahere ad jus Patronatûs, sive Collationis. Sed nihil residere patitur dubitationis Concilium Aurelianense I. ubi fundos prorsus omnes Episcopo subjicit, & tertiam præterea illis vendicat oblationum Parochialium partem. *De his, quæ Parochiis in terris, vineis, mancipiis, atque peculiis, quicumque fideles obtulerint, antiquorum Canonum statuta serventur, ut omnia in Episcopi potestate consistant. De his tamen, quæ in altario accesserint, tertia fideliter Episcopis deferatur.* Can.15.

II. Primævo in Ecclesiarum exortu sola Cathedralis Ecclesia totam Diœcesin in ditione sua habuerat, ut non aliunde, quàm ab ipsa possent vel fideles singuli in Christo gigni, vel Ecclesiæ propagari. Ex quo planum est ad eam pertinuisse quidquid tunc Ecclesiis offerebatur. Cum fidei fundamenta jecisset Episcopus ab Ecclesia sua Cathedrali exorsus, ubi postea permittente ipso novæ condebantur Ecclesiæ, sive Parochiæ, has non poterat ille non in potestate sua retinere, & nutu arbitrioque suo moderari ac præesse oblationibus fidelium, quæ jam in eis, non in sola ut prius Cathedrali frequentabantur. Decerptæ enim quodammodo fuerant Ecclesiæ cæteræ ex Cathedrali earumque oblationes ab hujus oblationibus delibatæ, & aliò traductæ. Itaque & Clericos ipse illis in novis Ecclesiis Episcopus ordinabat, & Beneficiarios instituebat, quibus & quantam sibi lubebat, agrorum & oblationum portionem admetiebatur. Initio totum sibi & communi mensæ Episcopi vendicabant, sportulis ac stipendiis cuique Beneficiario assignatis. Postea fundos sibi solos servatos voluere, cum tertia parte oblationum, ut patet ex hoc Canone. Alicubi hanc ipsam tertiam partem oblationum in Ecclesiarum reparationes spoponderunt se expensuros. Denique fundos ipsos Beneficiariis singulis fruendos permiserunt, ut infrà dicemus. Tempore Concilii Aurelianensis I. Episcopi Gallicani anno 511. fundos adhuc omnes omnium Parochiarum sibi servabant, & tertiam oblationum, partes alias earum duas Parochis dimittebant.

III. Concilium Carpentoractense constituit anno 527. ut si locuples esset Ecclesia Cathedralis, quæ offerebantur Parochiis ruris, ea cederent ipsis Parochiis reparandis & earum Clero alendo. At si laboraret Episcopus rerum penuria necessariarum, & inevitabilibus expensis impar esset, tum ditiores Parochiæ retinerent quod satis esset ad reparationes Ecclesiæ, & ad Cleri stipendia, reliqua Episcopo utenda dimitterent. Infrà referemus verba Canonis hujus.

IV. Concilio III. Aurelianensi anno 538. placuit, ut oblationes Ecclesiarum urbis ad Episcopum perferrentur, qui ex iis decideret pro arbitrio suo, & ad sarta tecta earum & ad Cleri stipendia; sed in-

in Parochiis & Ecclesiis agrestibus, cujusque regionis consuetudines vigerent. Vides ante Parochiis agrestibus, quàm urbanis suos & reditus & fundos ab Episcopis restitutos fuisse. *Si quæ oblationes in quibuslibet rebus atque corporibus collata fuerint Basilicis in Civitatibus constitutis, ad potestatem Episcopi redigantur, & in ejus sit arbitrio, quid ad reparationem Basilica, aut ad observantium ibi substantiam deputetur. De facultatibus verò Parochiarum, vel Basilicarum in pagis civitatum constitutis, singulorum locorum consuetudo servetur.* Can.5. Permissi quoque hic sunt Episcopi Prioribus Beneficiis spoliare Clericos eos, quibus vel Abbatiam conferrent, vel Parochiam, vel Basilicam ruris, hujus proventu toto fruituris. *Quia debet unicuique facultas suscepti Monasterii, Diœcesis, vel Basilica plena ratione sufficere.* Can.18. Concilium V. Parisiense vetuit, Can.6., ne Episcopi, ne Beneficiarii ulli, in suos ipsorum, vel ad alios usus converterent, quæ ad fabricam Ecclesiæ legarentur.

V. Sed cum in hoc ipso mox Concilio prohibeatur, Can.8., ne Episcopus, vel Archidiaconus spolia invadat Abbatum, aut quorumcumque aliorum Beneficiariorum, morientium, hinc perspicuè liquet, id sibi juris arrogasse Episcopos, hac ratione usos, quod primigenio jure spectassent fundi reditusque omnium Parochiarum ad Ecclesias Cathedrales, ut & ad eas revolvi deberent, terris emigrante Beneficiario. Et tamen huic Concilio æquius visum est, cum jure suo Episcopi & Ecclesiæ Cathedrales decessissent, ut fundis & proventibus Ecclesiæ Parochiales & Cœnobia fruerentur, non revocari hoc Beneficium, mortuis etiam Titularibus. *Ab Episcopo, vel Archidiacono diripi, & quasi sub augmentum Ecclesia vel Episcopi, in usum Ecclesia revocari, &c.* Quod & à Concilio rursum Cabilonensi decretum est anno 1650. *Ut defuncto Presbytero vel Abbate, nihil ab Episcopo auferatur, vel Archidiacono vel à quocumque de rebus Parochia, vel Xenodochii, vel Monasterii aliquid debet minuere.*

VI. Ex postremis hujus Canonis verbis illustrari fas est totam hanc, quam impræsentiarum versamus disciplinam. Cum Cœnobiorum & Xenodochiorum Ecclesiæ, non aliter, quàm Parochiarum & Basilicarum, ab Ecclesia Cathedrali, quasi excisæ fuissent & detruncatæ, nec vel fundari potuissent, vel dedicari, nisi permittente Episcopo, penes Episcopos primarium erat jus in omnia, quæ ibi vel fundis darentur, vel oblationibus. Concessis privilegiis eo quidem se jure ipsi exuerunt, at spolia decedentium Abbatum, vel Administratorum servata sibi voluere. Et hac tamen spe hoc Concilium Episcopos dejecit, quòd ea derogaretur privilegiis, quæ ipsi concessissent.

In Concilio Parisiensi V. Can.8. indiscriminatim prohibiti fuerunt Episcopi spolia invadere Cœnobiorum & Parochiarum. *Comperimus deficiente Abbate, Presbytero, vel his, qui titulos deserviunt, &c.* Concilium III. Aurelianense disertis verbis affirmabat, Can.18., Abbatias, æquè ut Parochias & Basilicas ab Episcopis conferri. *De his, qui Monasteria, Diœceses, vel Basilicas suscipiunt ordinandas, &c.* In Concilio Epaonensi rescinduntur, Can.8., venditiones omnes ab Abbatibus factæ, inconsultis Episcopis. *De venditionibus, quas Abbates facere præsumpserint, forma servabitur, ut quidquid sine Episcoporum notitia venditum fuerit, ad potestatem Episcopi revocetur.* Quibus verbis illud innui videtur ab Episcopis fluxisse, quidquid Cœnobia possident, eoque ad Episcopos omnia refluere, & devolvi, si qua tentata sit alienatio nefaria. In Concilio denique Aurelianensi V. expressissimè demonstratur, Can.15., qua libertate, tam Xenodochia, quàm Monasteria donarentur ab Episcopis, nihil ut posthac ex eorum sive agris, sive oblationibus vindicarent. *Ut quidquid præfato Xenodochio per Regum oblationem, aut per quorumcumque fidelium eleemosynam collatum aut conferendum est, nihil exinde Episcopus Ecclesia Lugdunensis ad se revocet, aut ad jus Ecclesia transferat.* Posset & novum his robur adjici ex formulis Privilegiorum apud Marculphum Gregorius Magnus Galliæ Regibus interpellantibus ejusdem generis privilegio exornavit Xenodochium Augustodunense, quod & Cœnobium erat, proprio subjectum Abbati. L.11. Ep.10.

VII. Hæreamus ejusdem Gregorii vestigiis in Italia. Vacante in Episcopatu Importuni Parochiam contulit ipse cui voluit, rescripsitque ad Episcopum, ut novo Parocho restitueret Parochiæ bona omnia, & reditus ejus temporis, quo vacaverat ea Ecclesia. Unde patet Episcopos custodes fuisse vacantium Parochialium Ecclesiarum, earumque reditus futuris Parochis reservasse. *Ecclesiam in tua Parochia positam Presbytero vacare cognovimus. Presbyterum Dominicum præsentium portitorem in eadem Ecclesia, ut præesse debeat, nos scito deputasse. Ideoque fraternitas tua ei emolumenta ejusdem Ecclesia faciat sine cunctatione præstari; & decima fructus indictionis, qui jam percepti sunt, prædicto viro fac sine mora restitui, quatenus ejusdem Ecclesiæ utilitates, cujus emolumenta consequitur, valeat procurare.* L.2. Ep.10. Ulterius progressus est sanctissimus Pontifex. L.11. Ep.9. Quanquam enim Romæ inter Ecclesias S. Petri & Sancti Pauli communia essent omnia: speciales tamen Ecclesiæ Beati Pauli reditus addixit, ad lampades ejus alendas, qui fax ipse splendidissima fuerat orbis universi. Denique ei curæ præfecit Acolythum, ut census colligeret domorum, quæ obnoxiæ erant Ecclesiæ B. Agathæ in Urbe, ut omnia suppeditaret ad reparationes necessaria, & ad lampades Ecclesiæ, de residuis rationes ad se referret. *Quidquid verò exuberare potuerit, fideliter rationibus te Ecclesiasticis inserere præcipimus.* L.3. Ep.19.

VIII. In Hispania Concilium Tarraconense anni 517. docet nos jam inde ab ineunte sæculo sexto, non rediisse ad Episcopos, nisi tertiam partem proventuum Ecclesiarum Parochialium. *Tertia ex omnibus.* Can.8. Quin & in reparationes earum id Episcopi expendere cogebantur: In Concilio Bracearensi II. Can.2. nonnisi eadem tertia parte donantur & Cathedratico. In Concilio Emeritensi, Can.14, tertia tantùm parte oblationum Ecclesiæ donantur, ut jam diximus. *Lege Diœcesana.* Concilium Ilerdense Monasteria omnia absolvit, hoc est, ea lege, qua cogebantur omnes Diœceseos Ecclesiæ tertiam partem oblationum Episcopo servare integram. *Ut quæ jure monasterii de facultatibus offeruntur, in nullo diœcesana lege ab Episcopis contingantur.* Can.3. Ibi, ut videtur, & Cathedratici lege soluta sunt. Nec à verisimili abhorret Episcoporum in Monasteria extorsionibus, & in Parochias, compulsa fuisse Concilia ad hujusmodi regulas constituendas. Concilium Toletanum III. Episcopos objurgat avaritiæ & inhumanitati deditos, jubetque ut ne quid exigant ultra, quam Canones patiebantur. *Cognovimus Episcopos per Parochias suas non sacerdotaliter, sed crudeliter desævire, &c.* Can.20. In Concilio Toletano VII. Can.4. nova rursus statuta condenda fuere, inhibendique Episcopi, ne quid extorquerent ultra duos Cathedratici sui nummos.

IX. Gratianus & Ivo suis in Decretis publicavere Statutum Pelagii II. Papæ ad Episcopos Siciliæ, quos non patitur ex Parochiis exigere, nisi solidos duos jure Cathedratici. *Ne de Parochiis ad se pertinentibus nomine Cathedratici amplius, quàm duos solidos præsumant accipere.* 10. q.3. c. Illud. Illud ipsum forsan Statutum est, quo de agit Gregorius Magnus in Epistola ad Episcopos Siciliæ, ubi

ubi ait à præcessore soo defixum fuisse, quid ex quaque Parochia exigere posset Episcopus, ut nec oneri cuiquam esset. *Relatum est nobis sanctę memorię decessoris mei temporibus fuisse dispositum, ut Sacerdotes per universas Diœcesee vestras constituti, quoties ad consignandos infantes egredimini, ultra modum gravari minimè debuissent. Summa enim prę-fixa fuerat, vobis ut audio consentientibus, quę ab eisdem Sacerdotibus pro labore Clericorum dari debuissent.*

X. Jam supra ex Novellis Justiniani illud animadversum est, omoes Ecclesias Civitatis Constantinopolitanæ in unam Ecclesiam cum Cathedrali quodammodo coaluisse, quod iidem prorsus Clerici, sive Beneficiarii io omnibus per turmas, aut per vices ministrarent. *Quoniam quidem non proprios Clericos, neque una quidem harum trium habeat Basilicarum, sed communes sunt & sanctissimæ majoris Ecclesiæ & earum; & omnes circumeuntes secundùm quendam ordinem & circum ministeria in eis celebrant. Novel. 3. c. 1.* Ea erat Ecclesiarum inter se conditio, ubi primum cœperunt io eadem civitate crebrescere, Clerus Ecclesiæ majoris in omnibus iis sacra ministeria obibat, earumque proventus colligebat omnes; dominabatur tamen in his omnibus Episcopi authoritas. A' Scriptore vitæ Beati Joannis Eleemosynarii Patriarchæ Alexandrini observatum est, annuam pecuniam ad pauperes Clericos ab eo solitam missitari, & ad Episcopos ipsos, quibus necessaria vitæ prædia non suppetebant: *Pauperibus quoque Clericis providebat, & unicuique pecunia præbebantur annua, non eis autem solis, sed etiam Episcopis, quibus sumptus minimè suppetebant ad victum. Baron. an. 601. n. 8.*

CAPUT VIII. *P. 3. l. 4. c. 10.*

Sub Imperio Caroli Magni unus Episcopus summam gerebat rerum Ecclesiæ temporalium administrationem, etsi ea in die magis magisque arctaretur.

I. Cœnobiorum rationes Regi, vel Episcopo reddebantur perinde ut erant Cœnobia, Regalia, vel Episcopalia.

II. Oblationes & Decimæ Ecclesiarum in potestate & arbitrio erant Episcopi.

III. Nec de arario tamen Ecclesiæ decerpere quidquam poterat, nisi Clero assentiente.

IV. Nec Beneficia Ecclesiastica Rex largiebatur, nisi consentiente Episcopo.

V. Nec novæ fundationes ullæ nisi ex authoritate Episcopi.

VI. Fundi & agri Parochiarum ruris erant adhuc alicubi in potestate Episcoporum.

VII. Quando io usus exolevit, & sui Parochis agri dimissi sunt.

VIII. Querela Ratherii de Presbyteris & Diaconis suis, qui Ecclesiæ suæ temporalem rem omnem invaserunt.

IX. Mores Græcorum.

I. QUaoquam fundi & proventus Ecclesiæ jam plura inter Collegia Clericorum, Clericosque sejunctim complures distributi essent, ut infrà uberius commonstrabitur; erant tamen sua Imperio Carolinæ geotis penes Episcopos residuæ pristinæ potestatis suæ insignia complura, tanquam vestigia summæ & universalis olim potestatis io omnia Ecclesiæ temporalia. Concilium Vernum anno 755. Regem Pipinum interpellavit, *Can. 20.*, ut quibus io Monasteriis Regula Beati Benedicti observabatur, si Episcopalia ea essent Cœnobia, rationes Episcopo fierent redituum, quos illis Rex voluisset esse residuos ad eorum sustentatiooem; si Regia autem, Regi ipsi. *Si Regalis erat, exinde ad domnum Regem faciant rationes Abbas, & Abbatissa: & si Episcopalis, ad illum Episcopum.*

II. Voluntati adhuc Episcopi permittebat Concilium Francofordiense oblationes omnes Ecclesiarum, ut per quos vellet ad Canonum præscripta eas dispensaret. *De oblationibus, quæ in Ecclesia, vel in usus pauperum conferuntur, canonica observetur norma, & non ab aliis dispensentur, nisi cui Episcopus ordinaverit. Can. 48.*

Eadem Episcopos Carolus Magnus potestate donavit io Decimis totius Diœceseos. *De Decimis, ut unusquisque suam Decimam donet, atque per jussionem Episcopi dispensentur. Capitul. L. 5. c. 123. 149. Addit. 4. c. 94.* Plures jam protulimus canonicas Constitutiones, quibus jubentur Parochi pauperes fovere ex Decimis suæ Parochiæ, & de his Episcopo rationes facere.

Nullo fine circumscriptam videtur Moguntinum Concilium in res temporales Episcopo authoritatem arrogare. *Ut Episcopi potestatem habeant res Ecclesiasticas providere, regere, gubernare, atque dispensare secundùm Canonum authoritatem, volumus. Can. 8.* Quamquam enim jam complurium partitio facta esset, supererant tameo longè plurima, pauperibus & Clero in commuoe utenda, fruendaque, quibus summus uti dispensator præerat Episcopus.

III. Si urgente tamen ioopinata quapiam necessitate in pauperes, vel io servos Ecclesiæ effundeodum esset, quo ærarium ejus noonihil imminueretur, consciis præsentibusque Presbyteris & Diaconis id præstandum erat. *Licitum sit Episcopis, præsentibus Presbyteris & Diaconis de thesauro Ecclesiæ, familiæ & pauperibus ejus Ecclesiæ, secundùm canonicam institutionem, juxta quod indiguerint, erogare. Can. 11.*

IV. Vel ipsi Reges, ubi laicis fundos Ecclesiæ largiebantur aliquos, ceu fundos, quibus constringerentur ad militiam pro Ecclesiæ & Regni tuitione; intervenire volebant Episcopi assensum, tanquam summi moderatoris patrimonii sacri. *Placuit ut Episcopi rerum Ecclesiasticarum in omnibus juxta sanctorum Canonum sanctiones, plenam semper habeant potestatem: nullus eas dare, vel accipere, absque proprii Episcopi audeat jussione. Cap. l. 7. c. 188.*

V. Nec nova poterat fundari, & dotari Ecclesia, nisi authoritatem suam interponente Episcopo. *Omnia secundùm Constitutionem antiquam ad Episcopi ordinationem & potestatem pertineant. Capitu. l. 7. c. 213.* Et alibi dilucidius: *Placuit, ut omnes Ecclesiæ cum dotibus & omnibus rebus suis, in Episcopi proprii potestate consistant, atque ad ordinationem, vel dispositionem suam semper pertineant. L. 7. c. 268.*

VI. Illud tamen plurimum omnium hîc observari refert, quod habetur in Additiooibus Capitularium. Oblationes cujusque Parochiæ ruris, Parochorum juri & usui cedebant, dum tertia earum pars Episcopo servaretur; at Episcopo adhuc vendicabantur ex antiquo more complurimis in Ecclesiis fundi, agri, vineę, servi, peculia servorum. *De his, quę Parochiis in terris, vineis, mancipiis, atque peculiis, quicumque fideles obtulerint, antiquorum Canonum instituta serventur, & omnia in Episcopi potestate consistant. De his tamen, quę Altario accesserint, tertia fideliter Episcopis deferatur. Addit. 4. c. 38.* Idem ipsum insiouabat Herardus Archiepiscopus Turonensis, ubi non solùm volebat ut Parochi Episcopo rationes redderent de dispensatione annua Decimarum. *Ut decimæ & fideliter à populis dentur, & canonicè à Presbyteris dispensen-*

tur, & annis singulis rationem dispensationis Episcopo, vel suis ministeis reddant. Sed & addebat fundos omnes dotesque Ecclesiarum in potestate Episcopi semper fore. *Et quod omnes dotes Ecclesiarum ad jura pertinent Episcopi. Cap.35. 40.* Excipiendus erat mansus, seu agellus cuique Parocho addictus, juxta leges Capitularium, quo de nos alibi differemus.

VII. Novam porrò & Parochis compendiosiorem disciplinam prodere incipit Concilium Trosleianum anni 909. Ibi enim jam dilucet Parochos fundis & terris omnibus Ecclesiæ suæ potiri solitos, quanquam de orum usu & dispensatione Episcopi judicio & examini subessent. *Ab antiquo tempore à Sanctis Patribus constitutum est, sicut habet Episcopus in sua ordinatione omnem generaliter Parochiam cum omnibus rusticanis Parochiis, quas per triennium inconcussè possedit, ita & unusquisque Presbyter in sua ordinatione ac dispensationis cura habeat Parochiam suam cum dote & decimis Ecclesię; videlicet cum sui Episcopi consilio ac dispositione, secundùm regulas antiquitus & divinitus constitutas. Can.6.* Et interjectis verbis Concilii III. Toletani, mox ibidem subjicitur: *Dotem Ecclesiarum & omnia juxta constitutionem antiquam, ad Episcopi ordinationem & potestatem pertinere.* Addit Synodus eo comprehendi agros omnes fundosque Ecclesiæ Parochialis, à Parochis regendos, sub Episcopi providentia. *Quod si quæritur, quæ dicat omnia, procul dubio decimas, primitias fructuum, & oblationes eorum, & ea, quæ Parochiis in terris, vineis, mancipiis, seu pecuniis, seu quibuslibet rebus, quæcumque fideles obtulerint; quæ omnia sub potestate, ut diximus, & dispositione Episcoporum, ac regimine ac dispensatione Presbyterorum manere debent inconcussa.*

Mira horum & superiorum discrepantia. Ex quo conjicias sæculo nono senescente cœpisse Parochos gaudere non solùm decimis, oblationibus, & manso, sed omnibus prorsus terris ibi Deo oblatis; inspecturo utique Episcopo, ut ea probè & convenienter sacris regulis dispensarentur. Quæ Corbiensi, quæ Sancti Carilephi, quæ tot Abbatiis concessa sunt privilegia, eò maximè illa pertinebant, ut Episcopi ejurarent priscas suas consuetudines & antiqua jura in fundos Cœnobiorum. *Conc. Gall. Tom.3. pag.218. 224.*

VIII. Ex Gallia in Italiam trajicientibus occurret primùm Ratherius Episcopus Veronensis, multa expostulans de Presbyteris & Diaconis Ecclesiæ suæ, qui ita incubabant fundis & redditibus omnibus ejus Ecclesiæ, ut & ipsius Episcopi notitiam defugerent, ne juxta Canones portionem eorum aliquam cogeret inferioribus Clericis decidi. Contestabatur jure merito Ratherius, eum Pastor esset, providentiæ suæ esse ut gregem suum Clerumque temporali etiam cibo alat: quo tamen officio suo fungi non possit, si rerum & redituum Ecclesiæ suæ vel notitia ipsa sibi subtrahatur. *Et cum de oblationibus & decimis fidelium vivere debeant Ecclesiæ Clerici, si nescit Episcopus, quot decimani, quot mansi, quot modia tritici, quot congia vini, tantis, vel tantis sufficiant Clericis, ad victum utique & tegumentum, nonne convincitur, aut non esse Pastor, aut insipiens existere Pastor, qui nescit utique ubi illa sint pascua, ubi pecora, &c. Si ergo ad Episcopum nihil de rebus pertinet, quibus Clerici vivere debent, si non dividuntur singulis ab Episcopo prout cuique opus est, sed ipsi Clerici inter se dividunt, prout quilibet eorum potentior est, & non juxta consuetudinem aliarum Ecclesiarum omnibus Ecclesiæ Clericis, sed juxta propriam voluntatem, solis Diaconibus & Presbyteris debent, quæ Ecclesiæ Veronensi collata sunt, cedere, &c. Spicil. Tom.2. pag.165.* Nullas non machinas admovit Ratherius, ut Presbyteros & Diaconos adduceret, quò fundos omnes Ecclesiæ in commune conferrent, mox à se distribuendos singulis, perinde ut eorum esset vel labor, vel necessitas; cum duplex ea partiendi ratio in Ecclesiis laudatissima fuerit. *Unusquisque illorum mercedem juxta Apostolum in Ecclesia propriam secundùm suum laborem acciperet, aut uti in Actibus legitur Apostolorum, dividerentur Clericis delegata, prout cuique opus esset. Ibid. pag.222. 224. 1. Cor.3. 8. Act.4. 35.* Irriti primùm cecidere conatus ejus omnes, usque adeo invicta & inexpugnabilis fuit ejus Cleri sive avaritia, sive obstinatio animi. Extudit tamen aliquid tandem Episcopi constantia, quod & ab eo statim distributum est iis minoribus ferè Clericis, qui ab eo ita recensentur: *Presbyteris, Capellanis, Subdiaconibus de secretario septem, Cantoribus septem, Acolythis de secretario septem, Ostiariis sex.*

IX. Apud Græcos usu derogatum est legi Justiniani, Episcopalibus infulis arcenti, quibus liberi essent, ex justa etiam conjuge. Rursum abrogata est ea Justiniani Constitutio lege Leonis Philosophi Imperatoris, qui satisfacere conatus est ei rationi, qua excitus maximè videbatur fuisse Justinianus, ne liberos suos Episcopus bonis saginaret, & ditaret Ecclesiæ, quæ in potestate haberet. *Quod istiusmodi affectione erga liberos, sacras facultates ablaturus videatur. Const.2.* Respondet autem Leo, pari jure eliminandos fore omnes, quibus essent cognati, fratres, nepotes; sed ipsos occurrisse Canones ei inutili formidini, cum sinunt Episcopos opem ferre cognatis, si quos premit inopia. *Quin & hoc prævidentes divini Canones, Episcopis potestatem fecere, ut si ipsis pauperes cognati essent, illorum inopiam ex sacris facultatibus sublevarent.* Balsamon assentitur, *In Can. 48. Trul.*, scilicet Novellam Justiniani, tametsi Basilicis intexta esset, non servari, quòd Leonis Constitutio invaluisset.

CAPUT. IX. *P.3. l. 4. c.11.*

De Oeconomis, sive Presbyteris, sive Diaconis, sub Imperio Caroli Magni.

I. Consilio Cleri temporalia Ecclesiæ ab Episcopo dispensanda erant.

II. Erant Oeconomi in Ecclesiis Cathedralibus Galliarum.

III. Vanire non poterat ea dignitas.

IV. Episcopus suum sibi Oeconomum deligebat.

V. Prærogativa sedis supra reliquum Clerum Oeconomus fruebatur post Episcopum.

VI. Vacante Episcopali Sede penes ipsum erat tota temporalium administratio.

VII. Erat tamen vel tum Visitator Episcopus.

VIII. Si fidelis non occurreret Oeconomus, Episcopus solus tota administratione fungebatur.

IX. Erant & in Orientalibus Ecclesiis Oeconomi, quos nefas erat quidquam nisi pauperibus largiri.

X. Cessante Episcopo deligere Oeconomum, deligebat Metropolitanus.

XI. Honorificus Oeconomi consessus.

I. Summa quidem erat Episcopi in dispensandis Ecclesiæ rebus authoritas; sed cum Presbyteris & Diaconis communicari consilia suadebat & ipsa decori lex, & Canonum institutio. Concilium Turonense III. *Can.10. 11.* confirmata hac Episcopi dignitate: *Episcopi res Ecclesiasticas Ecclesiis collatas cauta circumspectione dispensent, quasi Dei ministri, &c.* tum verò jubet, ut nonnisi ex con-

consilio & præsentia fretos Clericorum majorum de thesauro Ecclesiæ Pauperibus Episcopus largiatur. *Licitum sit Episcopis, præsentibus Presbyteris & Diaconibus, ex thesauro Ecclesiæ pauperibus, juxta quod indiguerint, erogare.*

II. Nec tamen ambigi fas est, quin Cathedralibus plerisque Galliarum Ecclesiis sui essent Oeconomi. Capitularibus Caroli Magni intexta est Constitutio Imperatorum Græcorum, qua Oeconomi officio abdicantur, & resarcire coguntur Ecclesiæ damna, si quas ejus res alienari sint passi. *Oeconomum Ecclesiæ præstare omne lucrum, quod, &c. Ita ut in posterum Oeconomus non sit, &c. Non solùm autem ipse, sed etiam successores ejus hac lege teneantur, sive ipse Archiœconomus alienaverit, sive conspiciens alienantem Episcopum, non prohibuerit, &c. Cap. l.2. c.29.* Erat ergo Oeconomi vel Episcopo ipsi obniti, si quando res Ecclesiæ dilapidatum iret.

III. Non facilè est divinare, an qui Archiœconomus hic dicitur, sibi subjectos haberet Oeconomos alios. An gloria tantùm hæc esset nominis & ostentatio dignitatis, omnium post Episcopum principis, & ipso Archipresbytero & Archidiacono superioris. In admonitione Hincmari ad Hedenulphum, quem Episcopum Laudunensem ordinaverat, inter Formulas Promotionom Episcopalium antiquas; illud io primis mandabatur, ne quid pecuniæ acciperet pro Oeconomi Officio conferendo, uti nec pro Archidiaconi, vel Archipresbyteri, ne hi quod emerint, vendant. *Ipse quoque pro constituendis ministerialibus Ecclesiasticis, videlicet Oeconomo, idest, facultatum Ecclesiæ dispensatore, Archipresbyteris & Archidiaconis, in quibus fidei sinceritatem & probos mores, ac religiosam vitam debet eligere, præmia non constituat. Quia Ecclesiasticum obsequium, quod malè comparaverint, accipientes munus à subditis, priùs venumdare curabunt. Conc. Gall. Tom.2. pag.660.*

IV. Oeconomum ergo eligere Episcopus, & arbitrio suo poterat, & officio tenebatur. Fregit Coocilium Meldense anni 845. eorum audaciam, qui dum decumberet ex morbo Episcopus, à Clero & populo eligi posse Oeconomum confidebant, constituitque quandocumque ita obveniret, Metropolitani eas partes fore, ut ipsemet designaret, consentiente Episcopo. *Ut nemo vivente Episcopo Ecclesias illius, aut res ad eam pertinentes invadere, aut dominari præsumat; neque sub voluntaria Cleri ac populi electionis obtentu, præter voluntatem Episcopi quisquam quacumque sæculari potestate præditus, quasi Oeconomum constituat. Sed si Episcopus ministerium Ecclesiasticum propter infirmitatem corpoream exhibere non potuerit, in Archiepiscopi hoc, eam voluntate Episcopi ejusdem Ecclesiæ maneat ordinatione, qualiter debitum officium non remaneat. Can.47.*

V. Concilio Carisiaco anno 848. quo Gottescalchus Monachus proscriptus est, Ecclesiæ Remensis Oeconomus ante Archidiaconum subscripsit, immediatè post Episcopos & Abbates. *Hincmar. Tom.1. pag.21.*

VI. Sed post obitum maximè Episcopi & vacante sede splendebat Oeconomi potestas, dispensandis portionibus canonicis in Clericos, in Beneficiarios, & in pauperes omnes, quas donari moris erat, & in temporali re tota tuenda, ac servanda Episcopo, in eam sedem sublegendo. Erant tamen illi & Eleemosynarii & Officiales alii minores, quorum & testimonio & adminiculo niteretur in muneris sui functione. Ita sanè Coocilium Pontigonense anni 876. *Ut quoties divinum Judicium Ecclesiæ Præsulem à sæculo vocaverit, nullus ad suimet perditionem facultates ejus invadat, diripiat, & ad usus suos transferat; sed erogatariis & eleemosynariis Ecclesiasticis, cum ipsius Ecclesiæ constituto Oeconomo, liberum sit, canonico more, justè rationabiliterque deputata successori reservare, vel quibuscumque, sicut expedit, pro ejus spiritu distribuere. Can.14.* Erat ergo Oeconomus testamenti Episcopi executor, & custos rerum omnium Ecclesiæ viduatæ.

Accuratissimè Hincmarus *T.2.p.178. 759. 408.* res Ecclesiæ Episcopo omnes subjicit, dum vita superat; Oeconomo post ejus obitum, futuro servandas & repræsentandas Episcopo. *Sicut Episcopus & suas & Ecclesiasticas facultates sub debita districtione in vita sua dispensandi habet potestatem; ita facultates Ecclesiæ viduatæ post mortem Episcopi penes Oeconomum integrè conservari jubentur futuro successori ejus Episcopo.* Et alibi: *Hæc de rebus & facultatibus Ecclesiæ viduatæ sub Oeconomo futuro reservandis Episcopo.* Qui tamen alibi illud non tacet, ita administranda omnia ab Episcopo fuisse, ut in consilii & regiminis societatem accerseret, non Oeconomum tantùm, sed & Collegium omne Presbyterorum & Diaconorum suorum. Vide enim ut nepotem suum Laudunensem Episcopum alloquatur: *Sed nec de tua Parochia, nisi de rebus & possessionibus, quas cum notitia Presbyterorum & Diaconorum Ecclesiæ tuæ regere debes, & dispensare, vel commutationibus earum cum cohibentia Clericorum subscribere.* Meminit etiam Oeconomorum Agobardus, *L. de dispens.* & Canonis ejus, quo præcipiebatur, ut de ipsius Ecclesiæ gremio adoptarentur.

VII. In vetusto electionis Episcopalis Decreto monemur, ubi Episcopus mortales has abjecisset exuvias, designandum à Metropolitano fuisse alium quempiam Provinciæ Episcopum, qoi Episcopali præesset funeri, Visitatoris Episcopi nomine uteretur, censum & inventarium faceret rerom Ecclesiæ orbatæ, easque tum deponeret in manus priscorum Oeconomorum. *Perficiatur Ecclesiasticarum inventarium rerum; tunc verò prioribus viduatæ sedis depositis Oeconomis commendetur. Spicil. Tom.8. pag.154.*

VIII. In Italia quoque prisco id usu inoleverat, ut Presbyteros & Diaconos adhiberent Episcopi ad regimen Ecclesiæ temporale, exemplo nimirum informati Apostolorum, qui ejusmodi sarcinam & curam in Diaconos refuderant. At si tam fidos industriosque non reperiret Episcopus, quàm necesse esset, tum subeunda ipsimet erat ea administratio tota, authore Ratherio Episcopo Verooensi. *Per Presbyteros enim & Diaconos, si tamen fideles inveniri poterant, hæc ab Episcopo fieri oportere, non per ipsum Episcopum monstrata sunt. Quanquam & si necessitas hæc eum exequi per se ipsum compelleret, superbia non prohiberet. Spicil. tom.2. pag.167.* Rem firmat exemplo Beati Laurentii, quem sibi Sixtus Papa Oeconomum adjunxerat. Commendaverat illi Sixtus non res suas, sed Ecclesiæ: *Facultates Ecclesiæ.* Eos tanquam Thesauros Pontificios administrabat & dispensabat Laurentius. *Thesauros tuos jam expendi.* Sponsus nempe, & sponsa, Episcopus & Ecclesia, una est persona, unus unius census & fiscus est.

IX. Promit in Nomocanone suo Photius, *Tit.9. c.1.*, Novellas Justiniani, quæ cogebant Oeconomos semel quotannis rationes facere Episcopo; siquid lucrifecissent, id ærario Ecclesiæ refundere: siquid damni culpa sua fecissent, id restituere: denique ab Episcopo ipso Oeconomum designari. His adjicit Balsamoo, *T.10. c.1.*, Novellam aliam in Basilicis radiantem, qua inculcabatur Oeconomis, sanctos ut in usus rem Ecclesiæ omnem expenderent, & levandis iis, qui verè pauperes essent, alioqui culpam illam omnem & damnum Ecclesiæ præstaturos. *Non Ecclesiasticos sumptus hominibus divitibus largiri, & ea ratione pauperes necessariis privari, &c. Sciant Oeconomi, quod si quid præter hæc fece-*

fecerint, ex suis facultatibus Indemnitatem Ecclesiæ præstabunt. Hinc meritissimo à Balsamone concluditur irritas esse Chartas, quibus divites aliqui à Patriarcha donabantur; ut triticum, vel ejusmodi quid aliud ab Ecclesia consequerentur: at quibus donabantur pauperes, eas verò tum æquissimas, tum validas fuisse. *Nota præsentem Justiniani Novellam propter Decreta, quæ fiunt à Patriarchis, de fraternitatibus, & reliquis commeatibus, frumentariisve tesseris, quæ dantur divitibus & valde potentibus; & dic ea quidem non esse valida: esse autem valida, quæ fiunt pauperibus.*

X. Cum tempore Concilii VII. Oecumenici pigritarentur Episcopi, nec superioribus tot Conciliis morem gererent in Oeconomis sibi allegendis, statuit Concilium, *Can.11.*, ut si ab iis instituendis cessarent Metropolitani, in eam curam succederet Patriarcha Constantinopolitanus: si cessatores essent in eodem Episcopi, suppleret Metropolitanus: si Abbates, Episcopus. Cum autem nil statutum esset in hoc rursus Concilio de non eligendis ex classe laicorum Oeconomis, id sibi jam fas esse multi interpretabantur. At contrà luculentè nititur Balsamon, viguisse adhuc prohibitionem Concilii Calchedonensis, nec necesse fuisse eam iterari. Insulsissimum autem fore, si quis sibi persuaserit à Concilio concedi, ut in Cœnobiis etiam laici Oeconomi constituantur.

Hoc Concilii VII. Canone niti visus est Alexis Patriarcha Constantinopolitanus in novella ea Constitutione, qua sanxit: Cum Ecclesiæ Metropolitanæ præstare cogerentur, si quid detrimenti acciperent Ecclesiæ Cathedrales ejusdem Provinciæ; à Metropolita instituendum esse Oeconomum Ecclesiis in omnibus, quarum dispendia in Metropolitanam suam Ecclesiam retorquerentur, donec resarcisset ipsa quidquid detrimenti passa esset earum causa. *Juris Orien. Tom.1. pag.250.*

XI. Quoad Oeconomos autem Cœnobiorum, de quibus hoc eodem Canone agitur, præteriri sine piaculo non potest interrogatio Marci Patriarchæ Alexandrini, & responsio Balsamonis. Quæstio vertebatur de Lectore, qui ad Oeconomi dignitatem protrusus fuerat, & qui non nescius honorifici consessus Oeconomorum in Ecclesiis Cathedralibus, confidebat præire se debere Clericis omnibus aliis, supra Presbyteros ipsos sedere, & in sacris Diptychis post Abbatem priore suum nomen loco recitari. Hanc insanæ spei superbiam damnat Balsamon; quanquam fateatur, si advena in eo Cœnobio fuisset is Lector, & Abbatis sui vices gestaret, tum non absurdè geminam illam honoris prærogativam eum sibi vendicaturum: eum & Diaconum Presbyteris anteponat Trullana Synodus, Metropolitani sui vices gestantem. *Ibid. pag.392.*

CAPUT X. *P.4. l.4. c.20.*

Qua potestate uterentur Episcopi in re Ecclesiæ admoderanda post annum Christi millesimum.

I. Superiorum connexio cum inferius disputandis.

II. Hujus etiam extremæ Ecclesiæ ætatis jure Canonico integra constat Episcopo dignitas universalis rerum Ecclesiæ dispensatoris. Probationes ex Decreto Gratiani.

III. Post rerum Ecclesiæ partitionem, libri Decretalium Parochis vendicant decimas Parochiarum suarum.

IV. Erat olim Episcopus Diœceseos suæ decimarum omnium summus distributor. Ejus potestatis reliquæ vestigia.

V. Rerum malè partarum vel inventarum restitutiones ad judicium & arbitrium Episcopi à Presbyteris rejiciendæ erunt.

VI. Episcopo committebatur, tum ea proventuum Ecclesiæ communium portio, quæ restaurandis Ecclesiis seponebatur, tum quæ sublevandis pauperibus Concilio ab ipso Tridentino mandatur illius executio ultimarum voluntatum, & legatorum piorum.

I. CUm inter initia extremæ hujus ætatis, quam hic enucleandam ordimur, necdum obliterata essent vetustioris vestigia omnia disciplinæ, ab hac etiam initium faciemus quæstione veluti prælusoria, ad reliquas de distributione rerum Canonica disceptatione, qua in his potestate universim freti essent Episcopi & Oeconomi, sive Presbyteris tum hi, sive Diaconis annumerarentur.

Anno 1050. sub Nicolao II. Papa Concilium Romanum summa adhuc Episcopos munivit authoritate in Decimarum, Primitiarum & oblationum dispensatione. *Deinde ut decimæ & primitiæ, seu Oblationes vivorum & mortuorum, Ecclesiis Dei fideliter reddantur à laicis, & ut in dispositione Episcoporum sint.* Can.5. Gratianus banc Episcoporum amplitudinem prolixissimè executus est, dicata ei rei quæstione integra, qua & Canones antiquos compilavit omnes, ex iisque id effecit, Ecclesias omnes, & res earum temporales omnes potestati & regimini subesse Episcopi. *Præmissis authoritatibus Ecclesiæ cum omnibus rebus suis ad Episcopi ordinationem pertinere noscuntur. Et tam Ecclesiæ, quàm oblationes & facultates earum à laicorum dispositione probantur esse immunes.* 10. q.1. 2.

Finitima sunt hæc Gratiani verba Decreto superiori Concilii Romani; & utrimque constat, laicorum sive audaciæ, sive cupiditati, his piis largitionibus obstrepenti, non contra objici, nisi authoritatem Episcoporum. Ex Conciliis enimvero undecimi sæculi plus satis patet, ægrè & vix adduci potuisse laicos, ut huic Conciliorum & Episcoporum authoritati concederent, & hæc Ecclesiæ restituerent Christianæ tributa pietatis. Si Presbyteris & Parochis decimas laici ademptas reddere jussi fuissent, restitissent certissimè, inexpugnabilique contumacia quadam sese obfirmassent. Proxima quæstione huic Episcoporum potestati metas quasdam & modum ponere videtur Gratianus, quæ propius inspicienti, non tam metæ sunt, quàm arces, & præsidia. Ita enim creditam docet esse Episcopo dispensationem, ut prohibita sit dissipatio; nec enim indultum fore, si venditionibus, vel alienationibus præposteris rem Ecclesiæ imminutum eat. *Sed cum in Episcoporum potestate facultates Ecclesiæ constitutæ esse dicantur, potestas dispensandi intelligenda est, non distrahendi, vel dilapidandi.* His attexuntur plura Conciliorum Decreta, quibus alienare quidquam vetantur Episcopi, & Canon ille maximè Antiochenus: *Episcopus habet potestatem in rebus Ecclesiæ, ut dispenset necessitatem habentibus cum omni reverentia.*

III. Sed cum vix dum elapso Gratiani ævo, bene multa in Ecclesiæ Disciplina novari cœperint, ex partitione maximè tum facta fundorum & proventuum Ecclesiæ, hinc discrepantia ingens Decreti Gratiani, & Decretalium Pontificiarum, quarum mox dominari cœpit authoritas. Innocentius III. ordinario jure gaudere vult Parochiales Ecclesias recipiendarum decimarum. *Cum perceptio decimarum ad Parochiales Ecclesias de jure communi pertineat* C. *Cum contingat. Extra. De Decimis.* Et capite sequenti; *Parochialibus Ecclesiis exolvantur decimæ, ad quas de jure communi spectat perceptio decimarum.*

cimarum. C. *Cum in tua Ibid.* In percensendis Honorius III. Episcoporum juribus, ex reditibus Ecclesiæ quarta tantum parte decimarum illos donat; *quartam decimarum*, & paucis aliis. *C. Conquerente. De offic. Jud. Ord.* Alexander III. his anterior, & qui non nesciebat Ecclesias nulla adhuc ejusmodi partitione temporalium sectas, eidem quæstioni finem posuit, facta discretione agrorum duplicis generis, quorum alii certis Parochiis essent addicti, alii nullis dum. In prioribus quarta parte decimarum contemptus sit Episcopus, necesse est, in posterioribus eas omnes sibi vendicat, sive ut egentibus adjudicet Ecclesiis Parochialibus, sive ut mensæ ipse suæ vendicet. *Si terræ, quæ arabiles sunt, intra certam alicujus Ecclesiæ Parochiam fuerint, decimas earum tua parte retenta, eidem Ecclesiæ facias adsignari. Alioquin ipsas secundùm discretionem à Deo tibi datam, alii Ecclesiæ deputare, vel ad opus tuum poteris retinere. C. Quoniam De Decimis.* Hoc decreto constat, partitione facta pertinere decimas ad Ecclesias Parochiales, sive ad alias qualescumque, quibus fuerint adjudicatæ. Sed ante partitionem eas esse in potestate Episcopi, cujus juris & arbitrii est, suis ut eas necessariis usibus servet, aut aliis largiatur Ecclesiis.

IV. Episcopum consultissimè monebat Petrus Damiani, *L.4. Epist.1.*, ne favori, ne cupiditati serviret, ubi inter Ecclesias partiretur, sive decimas, sive oblationes. *Illud sollicitè præcave, diligenter attende, ne cum decimas, vel qualibet oblata fidelium, per Ecclesias dividis, de consacerdotum meorum prosumas aliquid ratione minuere, unde videlicet id, quod mibi comperit, quasi fideliter consulens possis augere.* Solemne ergo adhuc erat, ut Episcopus inter Ecclesias decimas partiretur, & ea quotannis partitio instauraretur. Concilii Tridentini Patres ea cura induerunt adhuc Episcopos, ut Parochis providerent, quibus idonei non suppeterent reditus, & vel primitias assignarent, vel decimas, vel symbola, aut collectas, vel siquid his opportunius occurreret. *Primitiarum, vel decimarum assignatione, aut per Parochianorum symbola, ac collectas. Sess.24. c.13.*

V. In Synodo Frisingensi anni 1440. novum observare est vestigium, universalis Episcoporum potestatis in res temporales omnes Ecclesiarum suæ Diœceseos, ubi Clericos & Monachos vetat, ne se interponant in restitutiones rerum malè partarum, incertarum, vagarum. *Ne quisquam Sacerdotum Religiosus, vel Secularis, non habitu desuper Sedis Apostolicæ, aut nostra, seu Vicarii nostri speciali licentia, se intromittat de distributione rerum male acquisitarum, incertarum & vagarum. Cap.24.* In Constitutionibus Synodalibus Ecclesiarum Trecensis & Senonensis anno 1524. Confessariis copia fit restituendi pauperibus, cum ii, quibus restituendum esset, vel jam interiissent, vel ignoti essent, nec magni momenti essent restitutiones. Si magni enim pretii forent, tum earum dispositio Episcopo, vel Vicario ejus Generali vendicabatur, vel Pœnitentiario. *Tunc de consilio providi Confessoris, si res ipsa sit parvi valoris, scilicet infra summam sexagiata solidorum Turonensium in pios usus exponatur: in cæteris verò ad nos, aut Vicarios nostros, seu Pœnitentiarios remittantur. Bochel Decret. Eccl. Gall. p.231. 232.* Apertissima est ratio. Perplexitas plerumque ingens est in ejusmodi grandibus restituendis summis. *Quia circa restitutiones faciendas, pericula multa latent.* Idem decernebatur in Statutis Synodalibus Ecclesiæ Carnotensis. *Restitutio si sexagiuta solidorum summam non excedant, distribuant Confessores infra mensem in eleemosynas, ubi major erit necessitas. Quod si major sexagiata solidis restitutio sit, deferatur ad nos, aut Officialem nostrum, ac in similes usus convertatur, & non in aliam quampiam causam.* Altiori ab origine manabat hic usus, abjiciendi ad pedes Apostolorum primò, post deponendi in manus Episcoporum, quæ largiri pauperibus effusior suadebat charitas, vel Ecclesiæ: ex constantissimo illo præjudicio, pauperum omnium parentem & provisorem esse Episcopum, viduarum, orphanorum, miserabilium quorumcumque, eòque peritia & experientia uberiore esse, sapientia & charitate longè præstantiore ad opem illis præstandam.

VI. Vicem dolet suorum temporum Concilium Rotomagense anni 1581. propter geminam innovationem non sine gravi Ecclesiæ discrimine factam, quando laici usurpaverant administrationem fabricæ Ecclesiarum, ne non & Nosocomiorum, Xenodochiorumque; ad hospites & leprosos excipiendos; cum gemina ea potestas penes Episcopos olim fuisset, velut parentes & defensores Ecclesiarum, & egenorum. *Ad Episcopos spectat etiam pauperum & miserabilium personarum patronam rerum gerere. Sed sicut fabricarum Ecclesiasticarum regimen ipsis primùm fuit ablatum & ad laicos translatum; ita posterius portio pauperum in Leprosarius & Hospitalia diversi generis divisa de manibus Episcoporum & aliorum Clericorum ad Laicorum administrationem transiit. Sed quanto Ecclesiarum & pauperum bono utraque commutatio contigerit, res ipsa loquitur. A' plerisque laicorum fabricarum dilapidantur possessiones, & in alios usus distrahuntur. Per eosdem Leprosaria sine Leprosis & Hospitalia sine Pauperibus, aut raris admodum gubernantur; & res eorum videntibus nobis, nec valentibus obsistere, alienantur. De Offic. Episc. n.50.*

Nonnulla ex parte redintegrata est à Tridentinis Patribus hæc authoritas Episcoporum, ubi statutum est, ut cognoscerent ipsi de rationibus fabricarum; & Xenodochia omnia visitarent, explorarentque sedulò, an executioni mandarentur, quæ ad pauperum levamentum spectabant. *Ac omnia, quæ ad Dei cultum aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo juxta sacrorum Canonum statuta cognoscant & exequantur, non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemorabili, privilegio aut statuto. Sess.22. c.8. 9.* Denique priscæ disciplinæ novus vigor additur, ubi præcipit Concilium, ut executores fiant Episcopi omnium piarum voluntatum in gratiam pauperum, sive superstites, & integra valetudine, sive morituri eis quidvis legaverint. *Omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quàm inter vivos sint executores.*

CAPUT XI. *P.4. l.4. c.21.*

De Presbyteris & Diaconis Oeconomis Ecclesiarum. De cura Episcoporum in rationibus, vel ab his recipiendis, vel Concilio Provinciali exhibendis, post annum Christi millesimum.

I. Archidiacono commendabatur cura temporalium, ideo & fidei sacramento Ecclesiæ obligabatur.

II. Ne ita Antistites aliena incumbant vel fidei, vel diligentiæ, ut non & ipsi in partem curæ veniant.

III. Temporalium regiminie ne plus æquo se dedant Episcopi. Qualis ab illis deligendus sit Oeconomus.

IV. Ne plus æquo, ne minus æquo his curis vacent; medium teneant.

V. An-

V. Ante partitionem omnia administrabant Archidiaconi. Post partitionem, Oeconomi curam induerunt vacantium Ecclesiarum, tum Episcopalium, tum Parochialium.

VI. Innovantur antiqui Canones, ut rem Ecclesiæ regant Episcopi per Oeconomum, vel Vicedominum, qui Diaconus sit, si qua fieri possit. Ratiocinia Oeconomorum quolibet triennio ad Concilium Provinciæ perferenda erant.

VII. Ut B. Carolus ei Decreto paruerit, & Concilio Provinciali rationem fecerit.

VIII. Mores Ecclesiæ Orientalis.

I. NON successores modò, sed & imitatores Apostolorum fuere Episcopi, unde & in Oeconomorum humeros refudere onus curæ temporalis Ecclesiarum, hoc est, in humeros Diaconorum, Presbyterorum, Archidiaconorum. Leuthericus Senonensis Archiepiscopus, & B. Fulbertus Carnotensis Episcopus Literis conjunctim datis ad Capitulum Parisiense, calcaria subjicere, animosque illi addere conati sunt, adversùs petulantissimos Episcopi sui adversarios, quorum caput & princeps erat Lisiardus Archidiaconus; qui cum Oeconomum & provisorem pauperum officio se suo præstare deberet, persecutorem se & eorum patrimonii dilapidatorem agebat, fundis Ecclesiæ in milites transcribendis, & conculcandis juramentis, quæ Episcopo suo præstitisset. *Lisiardus olim Archidiaconus, qui cum esse deberet oculus Episcopi sui, dispensator pauperum, factus est Episcopo suo quasi clavus in oculum, prædo pauperibus, &c. Decimas & oblationes Altarium, stipem videlicet pauperum suo Episcopo inconsulto secularì militiæ tradit. Quid dicemus de juramento fidelitatis, quod ita contaminat, ut Episcopo non corde, nec verbo, nec ore fidelis existat? Fulbert. Ep. 34.*

II. Delegabat ergo Episcopus Archidiacono immediatam dispensationem patrimonii pauperum, expresso tamen ab eo priùs fidei sacramento. Suadebat Ivo Carnotensis Episcopus Abbati Majoris Monasterii, ut expertissimis quibusdam Monachis suis injiceret sarcinam temporalis regiminis: ipse in orationis & contemplationis interim castissimas & fortissimas delicias altiùs se demergeret. *Ne res Monasterii vestra incuria dilabantur, & solita fratrum subsidia minuantur. Quod si fortè per aliquam corporis imbecillitatem, vel supernæ contemplationis studium ad hoc minùs sufficitis, sint vobiscum viri prudentes, vobiscum uno spiritu gradientes, quibus potestis partem oneris vestri imponere; vos autem liberius & ideo uberius dulcedinem supernæ contemplationis gustare, & in tempore verbi annonam conservis ministrare. Epist. 57.* Sed quantovis arderet hic Abbas amore secessus & otii sacri, non annuit tamen Ivo, nisi ut aliqua se parte levet temporalis sollicitudinis; seque partim orationi, partim actioni applicet & accommodet.

Multò minus fas est Episcopis, suffurari se totos temporali Ecclesiarum suarum providentiæ. Paucissimi è Pontificum choro B. Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum æquasse visi sunt jugi cælestium contemplatione, & perscrutatione arcanorum reconditioris Theologiæ, ut ejus scripta abundè produnt. Inde est, quod & quo primùm puncto temporis publicata fuit ejus electio, sacrilegi prædatores summam sibi & licentiam & impunitatem rapinarum ejusmodi sibi desponderunt. Sed qui ejus animi magnitudinem, & charitatis vim immensam altiùs perspexerat, is datis ad eum literis longè aliter sentiebat, longè diversa animo prospiciebat. *Sunt plures, qui circa destructionem Ecclesiæ semper laboraverunt, qui nunc putant quàm maximè se repugnaturos, dicentes te cum Deo semper acturum, res Ecclesiæ non curaturum, quasi res Ecclesiæ curare, non sit cum Deo agere. L. 3. Ep. 2.*

III. Sapiunt proculdubio hæc postrema verba antiquorum Patrum non degenerem discipulum, maximè verò Gregorii Magni: Rem Dei esse patrimonium pauperum & Ecclesiæ; & qui eo occupatur, Deo occupari. *Quasi res Ecclesiæ curare, non sit cum Deo agere.* Malo longè diversissimo medicabatur B. Bernardus, cum ad Eugenium Papam perscriberet, quid magnopere cuperet ab omnibus Episcopis observari, ut Oeconomos sibi adgregarent prudentes, fideles, fama & authoritate claros. Sed vel infidos experiri mallent, quàm ut ipsi in tricarum & sollicitudinum inexplicabiles se laqueos induerent. *Agenda domûs tuæ per alium facies. At is si fidelis non fuerit, fraudabit: si non fuerit prudens, fraudabitur. Quærendus proinde fidelis & prudens, quem constituas super familiam tuam. Adhuc inutilis est, si tertium deest. Quæris quid hoc? Authoritas. Quid enim prodest ei, velle & scire quoque disponere, prout necesse est, si quod scit & vult, non potest? Danda ergo facultas agendi pro libitu. Si in præjudicium rationis putas hoc fieri, memento fidelem, qui agere nihilominus pro ratione volet: memento prudentem, qui agere nihilominus pro ratione sciat. De Consid. L. 4.* Nec multò post, cum declarasset quanta authoritate necesse sit esse Oeconomum, quippe qui jam ea sit & fide & prudentia, ut nec fallere queat, nec falli: Christi exemplum subjicit oculis, cui Oeconomus fuit, & is quidem infidus, cujus & perfidiæ non nescius, eam perdiu dissimulavit: hoc ut exemplo Apostolos Episcoposque imbueret, ne ejusmodi metu fraudum deterrerentur ab asciscendis sibi Oeconomis, per quos pium sibi otium parerent & facultatem colendi studiosè Numinis, & lucrandarum animarum. *Si quo minus aut fidelis inveniatur aut prudens, fideli potius committendum. Sanè è duobus tutius hoc. Quanquam si idoneus non reperitur, minùs fidelem sustinere potius consulo, quàm te immergere labyrintho huic. Memento Salvatorem Judam Oeconomum habuisse.* Mox ostendit, quàm fœdum, alienumque sit, Episcopos sese dejicere ad minutissimas rei domesticæ quisquilias; sed & quantò alienius fœdiusque sit ante oculos sempiternæ Veritatis, si tam facilè animarum curam, tam ægrè & circumspectè temporalium regimen committant: si tam morosi austerique sint in subducendis calculis temporalium expensarum, tam lenes & indulgentes, ubi rationes excutiuntur salutis animarum Christi sanguine redemptarum. *Quid Episcopo turpius, quàm incumbere supellectili, substantiola sua, scrutari omnia, sciscitari de singulis, mordери suspicionibus, moveri ad quæque perdita, vel neglecta. Ad verecundiam dico quorumdam ejusmodi, scrutantium quotidie omnem substantiam suam, numerantium singula, de minutis & quadrantibus exigentium rationem. Satis superque Episcopi ad manum habent, quibus animas credant; & cui suas committant facultatulas, non inveniunt. Optimi videntur æstimatores rerum, qui magnam de minimis, parvam aut nullam de maximis curam gerant. De pretio escarum & numero panum cum ministris quotidiana discussio est; rara admodum cum Presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum. Nonne ad singulas istas supputationes irascimur, urimur, anxiamur? Quàm tolerabilius rerum, quàm mentium sustineremus jacturam!*

IV. Est ergo modus tenendus, est medius limes terendus inter incuriam & supinitatem gerendi patrimonii Christi, & diligentiam putidam ac morosam rei temporalis. Hac laude pulcherrima germanum suum Sagiensem Episcopum prosequitur Arnulphus Episcopus Lexoviensis, quòd cum pervigili studio curasset temporalia suæ Ecclesiæ, multò plus curæ & operæ posuisset in spiritali administratione; & rem raram ac stupendam perfe-

cis-

cisset, magnificentia sanctitati conjugata. *Hic cum prædictam Ecclesiam suscepisset, magnam temporalibus curam, majorem spiritualibus homo sanctus impendit. Cumque eam in temporalibus nobilem reddidisset, in spiritualibus semper nobiliorem studuit exhibere, vir magnificus & omni sanctitate laudabilis: cui nec sanctitas magnificentiam tolleret, nec magnificentia sanctitatem. Ep.42.*

V. Hactenus de mediocritate laudatissima Episcopi, temporalium Ecclesiæ non anxiè solliciti, nec socorditer incuriosi. Quoad illos autem, quorum fidei & industriæ incumbere necesse habet, ad duas ii classes revocari possunt, pro gemina specie rerum Ecclesiæ, quas illis Episcopus commendaturus est. Nam communis Cleri totius substantiæ summus est administer Episcopus: ac præterea sepositam sibi habet propriam ejus substantię partem, Episcopo pro amplitudine sua largiùs admensam. Adjutores Episcoporum in priori illa administratione erant plerumque Archidiaconi, more antiquo Ecclesiæ primigenię. Unde & Gregorius Papa VII. vacante Firmana Ecclesia, Archidiaconum designavit, qui & temporali & spiritali ejus administratione fungeretur. *Considerantes necessitatem viduatæ Ecclesiæ procurationem totius Episcopatûs interim ei commisimus, &c. Ea, quæ de bonis Ecclesię dispersa & confusa sunt, recuperare & salubriter ordinare, modis omnibus adjuvetis. L.11. Epist.38.*

Portio verò rerum Ecclesiæ Episcopo propriè & peculiariter segregata, ea Oeconomis ab Episcopo designatis committenda erat, à quo & designandi erant Oeconomi, vacantibus in omnibus Parochiis. Anno 1317. in Concilio Ravennate Episcopi jussi sunt Oeconomos instituere in omnibus Parochialibus vacantibus Ecclesiis, qui earum proventus successori reservarent, & Patronorum rapaces manus amoverent. *Duximus statuendum, quod vacanti Ecclesiæ statim per ipsius Episcopum Oeconomus debeat deputari diligens & discretus; qui reditus & proventus ac bona ipsius colligat & conservet, ad ejusdem Ecclesiæ & successores à functi Rectoris ipsius utilitatem & statum.* Idem præcipiebat & Alexander III. in libris Decretalium, ut cum inexorabilis quandoque necessitas cogat, non statim vacantes conferre Parochias, Oeconomos interim constituant Episcopi, qui earum reditus successori servent. *Ponatis Oeconomos, qui debeant fructus percipere, & eos aut in utilitatem Ecclesiarum expendere, aut futuris personis fideliter reservare. De Offic. Jud. ord. c.4.*

Cathedralium Ecclesiarum Capitulis à Concilio Tridentino præceptum est, iis sanè quorum juris est fructus vacantis Episcopatus percipere, ut Oeconomos deligant, qui temporalem universam curent, ejusque rationes futuro faciant Episcopo. Si cesset Capitulum, eo munere fungetur Metropolitanus. *Capitulum sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, Oeconomum unum, vel plures, fideles ac diligentes decernet, qui rerum Ecclesiasticarum & proventuum curam gerant; quorum rationes ei, ad quem pertinebit, sint reddituri. Sess.24. c.16.* Usus is erat vetustissimus Ecclesiæ, ut vacantium Ecclesiarum Cathedralium res Capitulum & Oeconomi administrarent. In Oriente penes unum Metropolitanum erat ea sollicitudo. Concilium Tridentinum solam ejus juris devolutionem Metropolitano vendicatam voluit. *Si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur.*

VI. Sed cum prisca sanxissent Concilia, ut dum vita superaret, Episcopi suos haberent sibi Oeconomos, eam disciplinam restaurare studuit Concilium V. Mediolanense, jussis Episcopis Oeconomos designare, nec nisi ex Clero, immo si fas sit ex Diaconis; sed ne designent ex cognatis, vel amicis: denique in eos refundere temporales sollicitudines, quò his expediti, toti esse possent in spiritali ministerio suo. Non hîc exprimitur, quoties Oeconomus rationes Episcopo suas exhibiturus sit, sed illud disertè sancitur, ut tertio quoque anno Episcopus Concilio Provinciali rationes faciat temporalis suæ administrationis. *Concilii Calchedonensis Canon jubet, ab Episcopo Oeconomum deligi & constitui, qui Ecclesiæ Cathedralis prædia, bona, resque de illius sententia & arbitrio administret, ut non modò illa non dissipentur, sed testis sit rectæ administrationis & dispensationis. Id ut à Provincia nostra singulis Episcopis servetur, hoc decreto statuimus. Nec verò solùm, quò diligentius bonorum Ecclesiæ rectæ administrationi ad illius Concilii perscriptum consulatur; verùm etiam, quò studiosius Episcopus, cum census, supellectilis, bonorumque eorum curatorem administratoremque habuerit, in rerum spiritualium officiis, quæ Episcopalis muneris propria sunt, ipse omni cogitatione, totoque animo incumbat. Eum verò Oeconomum, vel ut alio Canone cavetur, Vicedominum constituat Episcopus, non laicum, neque sibi cognatione affinitateve, aut favore conjunctum, sed Ecclesiasticum hominem, qui & de Clero suo & vero, si talem, qui idoneus sit, habere potest, Diaconatu initiatus sit, quique in eo administrationis genere & rectè & peritè versari possit. Cujus administrationis rationes in codicem certum rectè ordineque relatas, tertio quoque anno ad Concilium Provinciale Episcopus afferat, atque exhibeat, sollicitè pro conscientia sua religione, totius illius dispensationis rationem in eodem Concilio redditurus. Cap.12.*

VII. Qui hic laudantur Canones Concilii Calchedonensis & Concilii Toletani IV. de Oeconomis agebant omnium proventuum Ecclesiæ Episcopalis, antequam partitio facta fuisset ulla in Episcopum & Clerum, in fabricam & pauperes. Concilio Mediolanensi nihilo tamen minus placuit eos Canones aptari Oeconomis unius Episcopi, sua seorsim portione gaudentis. Nimirum Oeconomi quidem ipsi iidem nunc sunt qui olim; sed vigilantiæ & charitati eorum nunc materia subministratur longè angustior, qua sese explicet. Carolus porro ipse Mediolanensis Archiepiscopus, exemplo prævivit Episcopis Provinciæ suæ, temporalis administrationis suæ ratiociniis Concilio Provinciali repræsentatis. Cumque in ejus vestigia ingressi essent cæteri Episcopi, testatum facit Giossanus, *L.2. c.18.*, totam illam provinciam suavissimo odore religionis regiminis, & opinione sanctitatis perfusam fuisse, largam & in pauperes manasse eleemosynarum ubertatem, Giossano ipsi confirmabat aliquando Carolus, *se rerum Ecclesiæ suæ rationes ad teruntium usque exigere: ne si cessasset ipse, non cessaret summus Judex à rationibus suis tantò acerbius exigendis. Ideo tripartito divisos à se esse proventus suos, ut pars prima cederet in expensas familiæ suæ, altera in pauperes & hospites, tertia in progressionem & utilitatem Ecclesiæ. Accepti expensique calculos à se scriptis mandatos retineri, & exhiberi Concilio Provinciali, quod non sua res illæ essent, sed suæ fidei à Deo commendata. L.8. c.23. 25.* Non facilè quidquam vel ipsa Ecclesiæ meliorum sæculorum antiquitas suppeditabit luculentius, & ad accuratissimam sacræ disciplinæ formam ac sanctimoniam elimatius. Oeconomum suum Carolus rei temporali attentiorem, & à cupiditatis suspicione non satis alienum tam acerbè aliquando castigavit, ut morbo correptus non multò post interierit. Porro ex hac beati Caroli portionis suæ propriæ repartitione, apertissimè liquet, Beneficiariis omnibus eandem imminere legem, ut portionis ipsius suæ superflua quæque refundant in pauperes, in hospites, in Ecclesiarum sive ornamenta, sive sarta tecta. Nec enim dubitabat Carolus, quin ex officio ad

hanc

hanc terendam viam teneretur, & in eandem cæteri compellendi etiam essent Episcopi; cum dispensationis hujus suæ rationes faceret in Concilio Provinciali, & ab omnibus Episcopis similiter faciendas decrevisset eo authore Concilium ipsum Provinciale.

VIII. In Ecclesia Orientali eligebantur Oeconomi, sed nonnunquam ex laicis. *Baron. n.5.* Anno 1030. Romanus Imperator octoginta auri pondo Ecclesiæ Constantinopolitanæ annuis reditibus adjecit, expertus scilicet rerum ejus temporalium angustias, dum ejus Oeconomum ageret; teste Curopalate. *Quippe cujus fuisset superiori tempore Oeconomus*. Id quoque sibi arrogaverant Imperatores, ut Patriarchalis Ecclesiæ redituum rationes ab Magistratu laico expenderentur. *Idem. an.1057. n.36.* Isaacus Comnenus pristinæ illam ut jam diximus Ecclesiam reddidit libertati, ut summa sua potestate in his uteretur Patriarcha, & quos liberet adhiberet Ministros. *Magna Ecclesia permisit sacras suas res administrare, interdicta prorsus ejus administratione imperio; ita ut neque ad obeunda sacra munera, neque ad habendam sacri Thesauri rationem, aliquis ab Imperatore delectus præesset: verùm à Patriarcha potestate omnia dependerent, & personarum delectus, & rerum administratio*. Ac Zonaras illud etiam affirmat, ab eo Imperatore redintegratum esse Patriarcham pristino suo juri Oeconomi Ecclesiæ suæ deligendi, cum Imperatores jam pridem eam sibi vendicassent facultatem. *In Patriarcha gratiam etiam Ecclesiasticarum rerum procurationem Ecclesia attribuit. Nam cum ad id usque tempus & Magnus Oeconomus & vasorum Custos ab Imperatore designari soleret, utrumque id munus Patriarchæ potestati subjecit, annota publica authoritate. Zon. Tom.3. p.213.*

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

Distributio rerum Ecclesiæ temporalium, in Episcopos, Clerum, reparationes, pauperes.

CAPUT XII. *P.1. l.4. c.16.*

Altius & à capite repetitur distributio rerum Ecclesiæ jam ab ejus usque exordio ad Imperium Constantini Magni.

I. Quid constitutiones Apostolicæ sanciant. Ex iis in Episcopi arbitrio sunt omnia, ille unius Dei examini obnoxius est, ille omnia per Presbyteros & Diaconos administrat, Clericos & Pauperes pro merito & modo quemque suo ad partes legitimas vocat.

II. Quid Canones Apostolici.

III. Quid Origenes?

IV. Quid Eusebius. Annua pecunia Episcopo collata.

V. Quid Cyprianus? Hospitalitatis cura impendebat Episcopo, sed ad excipiendos pauperes.

VI. Decima. Oblationes. Distributiones & sportulæ Presbyterorum pinguiores, quàm Clericorum. Clerici virtutum documento quopiam singulari illustres, Presbyterorum sportulas assequebantur.

VII. Is erat harum distributionum modus, ut moderata parci essent sustentationi.

VIII. Ita ex hac parsimonia abundabat Ecclesia, quo pauperum omnium necessitatibus succurreret.

IX. Viduarum maximè, & Diaconissarum.

X. Justini Martyris suffragio superiora confirmantur.

I. ID sanciebant Constitutiones Apostolicæ, *L.2. c.28.*, ut quando epulas charitati sacras, Agapas vocabant, laici instaurarent, Episcopo etiam absenti solennem ut servarent portionem, suam quoque Lectoribus, Cantoribus, & Ostiariis seponerent: at Diaconis & Presbyteris qui verbo Dei prædicando strenuè navarent operam, duplices singulis sportulas addicerent. Spectabat illud quidem ad spontaneas laicorum largitiones. Sed nihil tamen vetat inde aliquid augurari de ipsarum Ecclesiæ rerum distributione. Prohibentur ibidem, *c.31. 32.*, Diaconi, nequid pauperibus, vel misellis donent, nisi moneat, nisi jubeat Episcopus, nisi dux ipse & author sit harum omnium erogationum. Nimirum orationi & verbo instabant, & totos se impendebant Episcopi, in Diaconos rejiciebant administrationem temporalem, de omnibus certè ab iis consulendi; denique Diaconi Episcopis, Episcopi Deo rationes omnium faciebant. *Tibi laice convenit, ut largiaris; Episcopo verò tanquam Oeconomo & administratori rerum Ecclesiasticarum, ut dispenset. Cave tamen, ne Episcopum ad rationes voces, neque dispensationem illius observes, quomodo eam gerat, aut quando, aut quibus, aut ubi, utrum bene, an secus. Habet enim ipse ratiocinatorem Deum, qui hanc illi procurationem in manus tradidit, qui ei Sacerdotium tantæ dignitatis mandare voluit. L.8. c.30.* Ita funditus summovebantur laici ab administranda re Ecclesiæ temporali, cui unus præerat summo jure Episcopus.

Alio verò loco earundem Constitutionum Apostolicarum, alendis Episcopis, Presbyteris & Diaconis segregantur Primitiæ: Decimæ Clericis reliquis, & pauperibus. *Omnes Primitiæ offerantur Episcopo & Presbyteris & Diaconis, ad eos alendos. Omnis verò decima offeratur ad alendos reliquos Clericos, & virgines, & viduas & pauperes; primitiæ enim Sacerdotum sunt, & Diaconorum, qui Sacerdotibus ministrant.* Quoad oblationes altaris ad Eucharisticum sacrificium, vide ut peracto sacrificio, quæ supererant, omnia dispensarentur. *Benedictiones, sive Eulogiæ, quæ in mysticis superant, de sententia Episcopi, aut Presbyterorum Diaconi distribuant Clero; Episcopo partes quatuor, Presbytero tres, Diacono duas, reliquis verò hypodiaconis, aut Lectoribus, aut Cantoribus, aut Diaconissis partem unam. Ib. c.31.* Ejusmodi erat æqua partitio rerum Ecclesiæ, seu redituum inter Clericos.

II. His consentiunt Canones Apostolici in summa potestate Episcopo concedenda distribuendarum Ecclesiæ rerum, sed ea lege præstituta, ut nequid convertat in domos cognatorum, nisi si qui eorum egeant; tum enim illos eo, quo pauperes, numeros habebit. *Quod si pauperes sunt, tanquam pauperibus subministret. Can.39.* Si suæ privatim Episcopo res sint & hæreditates, seponendæ eæ sunt, ut intacto Christi patrimonio, eas ut lubebit in proximos transcribat. Minimè mirandum autem, si tam exaggerata sit Episcopi in temporalibus potestas, cum animarum illi salus concredita fuerit. Denique Presbyterorum ac Diaconorum consilio & ministerio ille utetur in invidiosa hac tota rerum administratione. *Si animæ hominum pretiosæ illi sunt creditæ, multo magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita ut potestate ejus omnia indigentibus dispensentur per Presbyteros & Diaconos.* Sustentabitur & Episcopus eodem ex penu rerum Ecclesiæ, si egeat. *Ex iis autem, quibus indiget, ad suas necessitates, & ad peregrinorum fratrum usus ipse percipiat, ut nihil ei possit omnino deesse. Cap.40. 41.* Ex quibus illud existit, tantum ex Ecclesiæ bonis delibandum fuisse Episcopo in privato usus, quan-

tum

tum re propria & familiari destitueretur. Aliàs rebus Ecclesiæ abstinentem, omnia in pauperes effundere debuisse. Perspicis & hic peregrinorum & hospitum curam Episcopo delegari. Paulus quoque hospitalitatis sedulos sectatores esse voluerat Episcopos. Apparet eo consilio sportulas tam uberes Episcopo adjudicatas fuisse. Inter hospites autem specialius Clerici commendabantur, illi potissimum, qui præstantiore vel doctrina essent, vel sanctitatis opinione. *Can.34.37.*

III. Penes Diaconos fuisse curam patrimonii sacri adgubernandi declarat Origenes, cum amarius in eos stomachatur, qui execrabili quadam cupiditatis insania, ex pauperum egestate divitias sibi congerebant. *Divites fiunt de rebus pauperum. In Matt. Tra.15.*

IV. Natalem Confessorem memorat Eusebius, *L.5. c.28.*, ab hæreticis illectum fuisse, & Episcopalibus infulis exornatum, desponsa pecunia menstrua centum quinquaginta nummorum argenti. Hinc patet pecuniarias quoque fuisse quasdam distributiones, easque menstruas, nec mediocris denique pecuniæ.

V. Id jam ex Tertulliano adnotari potuit; ubi ab eo narratum est, in Arcam Ecclesiæ stipem jactare solitos fideles singulis mensibus. Sed expressius aliquid suggerit Cyprianus de quantitate pecuniæ Episcopo solvi solitæ, ad hospitalitatem maximè explicandam. Ita enim ille ad Ecclesiæ suæ Presbyteros & Diaconos. *L.3. Ep.24. Infirmorum & omnium pauperum curam peto diligenter habeatis, sed & peregrinis, si qui indigentes fuerint, sumptus suggeratis de quantitate mea propria, quam apud Rogatianum Compresbyterum nostrum dimisi; quæ quantitatis ne forte jam universa erogata sit, misi eidem per Naricam Acolythum aliam portionem, ut largius & promptius circa laborantes fiat operatio.* Quo manifestum fit hospites quidem ab Episcopo excipi solitos, sed pauperes: *Si qui indigentes fuerint.* Itaque hospitalitas illa, qua Nobiles, divitesque excipiuntur, ab illa non mediocriter discrepat, quam Apostoli & eorum in vicem suffecti Episcopi, professi sunt, & in se receperunt, & io quam effundi voluere res pauperum. Hic rursus ex Cypriano id collige communes tum quidem fuisse & indiscretas res Ecclesiæ omnes, non communi tamen Clericorum vita & societate consumptas fuisse, sed singulis pro cujusque officio & labore admensas.

VI. Id rursus & alibi tradit Cyprianus, ut Sacerdotes & Levitæ Mosayci, decimas ex reliquis Tribubus demetebant, quibus vesci & vestiri possent: *Ad victum atque vestitum ab undecim Tribubus, de fructibus, qui nascebantur, decimas percipere t. L.1. Ep.9.* Ita nunc Clericos aliquas veluti decimas accipere, in ea oblationum, quæ ipsis obtingit parte, ut tota virium contentione in sacrorum ministerium & in animarum procurationem salutis æternæ incumbant. *Quæ nunc ratio & forma tenetur, at qui in Ecclesia Domini ad ordinationem Clericalem promoventur, nullo modo ab administratione divina avocentur, ne molestiis & negotiis sæcularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & sacrificiis non recedant.*

Alibi rursum observat Sanctus Pater, eas singulis mensibus solemnes fuisse distributiones, uberiores fuisse Presbyterorum, quàm cæterorum Clericorum, ex Pauli ipsius institutio, nisi industriam, fidem, religionem suam insignisset quis inferiorum Clericorum; tum enim opimiores illi sportulas fuisse tributas, & Presbyteris æquatas, quanquam Lectorum ipse tum in gradu staret. Id præmii constituit Cyprianus ipse, privilegii Celerino Lectori, cum illustri confessione, ætatis teneritudinem suę, & persecutorum furores superasset. Eadem in causa honore consimili decoratus est Aurelius Lector. *Cęterùm Presbyterii honorem designasse nos illis jam sciatis, ut & sportulis iisdem cum Presbyteris honorentur, & divisiones mensurnas ęquatis quantitatibus partiantur. L.4. Ep.5.* Non immeritò forsan suspicabitur quis, hic disjungendas esse divisiones menstruas pecuniæ, *divisiones mensurnas*, à *sportulis* quæ diebus, vel hebdomadibus singuli præstabantur. Nam mensibus tantùm singulis pecuniæ distribuebantur, ut ex Tertulliano, Eusebio, & Cypriano patuit. At non facilè poterant esculentorum erogationes semel tantùm quovis mense fieri. De pecuniariis distributionibus agit & alibi Cyprianus: *Interim se à divisione mensurna contineant, &c. Ep.28. 66.*

VII. Quantumvis autem abundantiores aliæ aliis essent hæ procurationes, non ultra modum tamen frugalis victus & vestitus eas egressas esse auguramur, etsi dignitate quis sua, vel industria specialiter commendaretur. Est enim frugalitatis modus, non unus semper & idem; sunt fines alii aliis latiores, etsi intra gyrum modestiæ omnes. Id jam suprà indigitavit Cyprianus, idemque rursus inculcabat, ubi Histrionem hortatur ignominiosam ejurare atque expuere artem, atque acquiescere alimentis, quæ offert, quæ ingerit Ecclesia, modicis illis quidem, sed quibus contenta sit & læta natura. *Quod si penuriam talis & necessitatem paupertatis obtendit, potest inter cęteros, qui alimentis Ecclesię sustinentur, hujus quoque necessitas adjuvari, si tamen contentus sit frugalioribus & innocentibus cibis. Sit contentus Ecclesię sumptibus, parcioribus quidem, sed salutaribus. Quo si illic Ecclesia non sufficit, ut laborantibus pręstentur alimenta, poterit se ad nos transferre, & hic quod sibi ad victum atque vestitum necessarium fuerit, accipere. L.1. Epistol.10.*

VIII. Vigente & illibata hac frugalitatis lege, à Paulo præfixa, & his à Cypriano verbis declarata, *Quod sibi ad victum atque vestitum necessarium fuerit:* quo aleret & vestiret Ecclesia pauperes prorsus omnes, semper abundabat. Sigillatim Cyprianus infirmos, pauperes & advenas his verbis commendavit. *L.3. Ep.24. Infirmorum & omnium pauperum curam peto diligenter habeatis, sed & peregrinis, si qui indigentes fuerint, sumptus suggeratis.* Et cum Apostolici ipsi Canones tum Episcopo ipsi annuant, ut rerum Ecclesiæ particeps sit, cum egenus ipse est; hinc manifestissimè intelligitur, Clericis cæteris parcè ut pauperibus erogatum fuisse, ut non egerent, non ut abundarent; atque ita pauperibus omnibus abundaret Ecclesia.

IX. Viduis tamen & Diaconissis prolixior impendebatur providentia, ut pari cum Clericis honore recrearentur & stipendio. Molestius tulit Tertullianus juniorem virgunculam annorum viginti ab Episcopo quodam Viduarum albo inscriptam fuisse, hoc est, Diaconissarum, quæ anno demum ætatis sexagesimo ex Pauli Apostoli præcepto ordinabantur. Ita verò statuit Tertullianus, si ea incidisset Episcopo sententia, ut virginem illam Diaconissarum sportulis honestaret, rationem illi quandam aliam ejus rei ineundam fuisse, quæ minùs à sensu & natura communi abhorreret. *Planè scio alicubi virginem in viduatu ab annis nondum viginti collatam. Cui si quid refrigerii debuerat Episcopus, aliter utique salvo respectu disciplinæ præstare potuisset. L. de Virgin. velandis.*

Apud Eusebium, *L.5. c.43.*, in mille quingentis pauperibus, quos Ecclesiæ stipe Cornelius Papa sustentabat, viduæ præcipuo quodam loco & honore habentur. In Constitutionibus Apostolicis suprà relatis, Diaconissæ iisdem conantur sportulis qui-

quibus Subdiaconi, Lectores & Cantores; & illud pronuntiatur, quæ Clero exolvuntur decimæ, eas minorum Clericorum sustentationi dicatas esse, Virginum, Viduarum, & Pauperum. Ea erat distributio, is usus bonorum Ecclesiæ, id utriusque Testamenti paginis præmonstratum est, id à sanctissimis jam olim Episcopis frequentatum; eò collimabant fidelium largitiones, & ipsæ hæreditatum distractiones.

X. Scitissimè Justinus Martyr, quæ natura, quę partitio rerum esset Ecclesiæ; ubi Clericos ipsos gregi pauperum implicat, ubi ait die Dominico, celebratis Mysteriis, erogasse divites quod suaderet pietas, ea dona penes Episcopum fuisse deposita sublevandis pupillis, viduis, ægris, captivis, hospitibus, egenis denique universis. *Cæterùm qui copiosiores sunt, & volunt, pro arbitrio quisque suo quod visum est contribuunt; & quod ita colligitur apud Præpositum deponitur, atque inde ille opitulatur viduis, pupillis, & his, qui propter morbum, aut aliam quamlibet causam egent, quique in vinculis sunt & peregrè advenientibus hospitibus, & ut simpliciter dicam, indigentium is omnium curator est. Apolog.2.*

CAPUT XIII, *P.1. l.4. c.15.*

Partitio proventuum Ecclesiæ in Episcopos, Clerum, pauperes, sarta tecta Ecclesiarum, prioribus quinque sæculis Ecclesiæ.

I. Quadripartita redituum Ecclesiæ distributio sęculo demum quinto in Ecclesia Latina observatur.

II. Nonnulla adnotantur in Epistolam Simplicii Papę, quæ de his agit.

III. Item in Epistolam Gelasii.

IV. Quarta Episcopo decernitur proventuum pars, quòd ei advenarum hospitum & captivorum mandata sit cura.

V. VI. Per priora quatuor sæcula providentiæ & charitati Antistitis tota hæc committebatur sollicitudo. Probationes ex Ambrosio & aliis.

VII. VIII. Ea in quatuor partes distributio, Orientalibus Ecclesiis nec audita, nec usurpata est.

IX. Ea partitionis norma tum demum invecta, cum novis malis medendum fuit.

X. Et cum remittendum fuit aliquid de primęvo vigore.

XI. Portio Episcopi & Clericorum, utraque sanè pinguior communi subest legi, ut superflua omnia in pauperes refundantur.

XII. XIII. Quando cœperint Episcopi non omnes prorsus fundos Diœceseon in potestate habere.

XIV. Rursus de eodem in Occidente.

XV. De partitione fundorum.

I. NOn facile est diffinire, quo certissimè tempore instituta sit distributio illa canonica & quadripartita redituum Ecclesiæ in Episcopum, in sarta tecta, in pauperes & in Clerum. Etsi enim usus idem esset eorum tribus, vel quatuor etiam prioribus sæculis, nulli tamen adhuc Canones illam aut præceperant, aut commemoraverant in quatuor partes sectionem. Non alius ferè ante Simplicium Papam illam attigit, quanquam de ea ille, ut de re usitatissima verba faciat. Quæ illum causa adduxit, ut de ea aliquid perstringeret; nos ex ea odorabimur forsan, quæ fuerit huius origo institutionis. Gaudentius Aufinii Episcopus non simoniacas modò ordinationes fecerat plures, sed ne præscriptas quidem regulas servaverat in redituum Ecclesiæ communium distributione. Certior factus ejus rei Pontifex, Severum Episcopum delegavit, ut quarta tantùm parte proventuum gaudere fineret Episcopum, quartam partem alteram addiceret Clero, reliquas duas partes consimiles pauperibus & reparationibus desponsas Onagro Presbytero committeret, sub periculo Ordinis sui eas administraturo. *Simul etiam de reditibus Ecclesiæ, vel oblatione fidelium quid decent nescienti, nihil licere permittas, sed sola ei ex his quarta portio remittatur; duę Ecclesiasticis Fabricis, & erogationi peregrinorum & pauperum profuturę, ab Onagro Presbytero sub periculo sui ordinis ministrentur, ultima inter se Clericis pro singulorum meritis dividatur. Epist.3.* Præcipit denique Pontifex à Gaudentio Episcopo restitui tres illas portiones, quas triennio superiori præter fas usurpasset. *Tres illas portiones, quas per triennium dicitur sibi tantummodo vindicasse, restituat.*

II. Hinc dilucet, 1. Ita præfuisse summa cum potestate Episcopum dispensationi rerum Ecclesiæ, ut canonicæ tamen partitionis legi serviendum ei esset. 2. Si ab æquitatis ille orbita, & à Canonum regula deviaret, ad Metropolitanum provocabatur, qui alium quempiam Provinciæ Episcopum ei curæ præficiebat. 3. Quæ pauperibus portio adsignabatur, ea & Cleri portioni æquabatur, & Episcopi. 4. Fidei Episcopi & diligentiæ commendabantur, quæ sepositæ fuerant pauperibus & Fabricis partes duæ. 5. Si depositum interverteret Episcopus, restituere cogebatur. 6. Quæ Cleri erat quarta portio, ea rursus in partes longè plurimas scindebatur, pro cujusque gradu ac merito, & labore.

III. Eam constitutionem quadripartitæ sectionis innovavit Gelasius, *Epist.9.*, ubi Episcopis pręcepit, ut quartam proventuum Clero abjudicarent: *sicut dudum rationabiliter est decretum:* vetitoque Clero, ne quid ultra sibi arrogaret: *sic Clerus ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverit expetendam.* Non reditus tantùm certi, sed & quotidianæ oblationes ita distribuebantur. *Tam de reditu, quàm de oblatione fidelium.* Sed illud hic vel maximè observandum in hac Gelasii Epistola, quòd cum fabricarum & pauperum portiones Episcopo permittantur dispensandæ, arbitro uno Deo & judice; admonetur ille tamen tam conspicuas & omnibus obvias esse debere ejus erogationes in egenos, & Ecclesiarum reparationes, ut & maledicentissimi quique obmutescere cogantur. *Ea verò, quæ Ecclesiasticis ędificiis attributa sunt, huic operi veraciter pręrogata, locorum doceat instauratio manifesta sanctorum, quia nefas est, si sacris ędibus destitutis, in lucrum suum Pręsul impendia hic destinata convertat. Ipsam nihilominus ascriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur, tamen juxta quod scriptum est, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est, oportet etiam pręsenti testificatione prędicari, & bonę famæ præconiis non taceri.*

IV. Hæc eadem Statuta aliis quoque literis confirmat Gelasius, additque ideo uni Episcopo quartam omnium proventuum partem adsignari, quòd hospitibus ille & captivis opitulatorus sit. *Reliquam sibi Episcopi vendicent, ut sicut antè diximus, peregrinorum atque captivorum largitores esse possint. Epist.10.* Hospites & advenas suprà Simplicius ex pauperum, hîc Gelasius ex Episcopi portione sustentari jubet, nec ea quemquam movebit pugna, si hospites recolamus duplicis esse posse generis: nobiliores alios, quos suis ędibus Episcopus exciperet: obscuriores alios, qui ad pauperum diversoria deducerentur. Author est

est Theodorus Lector moris fuisse Ecclesiæ Romanę ut mobilia venderentur, tres portiones ex eorum pretio fierent, in Ecclesiam, Episcopum & Clerum.

V. Simillimum ergo veri est, locum non fuisse quadripartitæ illi distributioni, nisi quinto demum sæculo. In Conciliis & Pontificum prioribus Epistolis de ea verbum fit nullum. Quæ superiùs ex Ambrosio, Hieronymo, Augustino, aliisque Sanctis Patribus congessimus, ea perspicuè demonstrant, Episcopum summo jure sacros reditus dispensasse, nulla certa constrictum lege, nisi justitię & charitatis. Ex Ambrosio ea promsimus, quæ dubitationem omnem expungant. Uni enim Episcopi sapientiæ committit, ut eum teneat modum in decoranda Ecclesia, alendisque pauperibus & Clericis, ut ne vel parcimoniæ studio avaritiæ laqueos, vel suspiciones incurrat: vel dum hanc infamiam extimescit, sacrum Christi patrimonium dilapidet. *Et maximè Sacerdotii hoc convenit, ornare Dei templum decore congruo; quantum oporteat largiri peregrinis, non superflua, sed competentia: non redundantia, sed congrua humanitati: ne restrictionem ergo Clericos, aut indulgentiorem se prabeat. Alterum enim inhumanum, alterum prodigum, si aut sumptus desit necessitati eorum, quos à sordidis negotiationis aucupiis retrahere debeat, aut voluptati superfluat.* Offic. l.2. c.21. Hinc apertissimè proditur nullasdum Ambrosii ævo hujusmodi partitionum leges orbi Christiano illuxisse.

VI. Quatuor priorum sæculorum Episcopi sua ipsi ferè patrimonia pauperibus erogabant, adeo non de Christi & pauperum opibus ditescere amabant ipsi. Reditibus Ecclesiæ eo, quo pauperes modulo utebantur. Aut communis societatis vinculo connexi vitam agebant Clerici, ita nihil opus erat partitione: aut victu & vestitu contenti degebant, unde nec erat quod de justa sua portione litigarent cum Episcopo. Augustinus Possidio teste una gaudebat cum Clericis suis societate vitæ, & omnium rerum communione, cibi, vestis, ædium; pauperes eodem ex penu, quo Clericos suos alebat; cum exaruerat ærarium Ecclesiæ, ad inexaustum filium charitatis censum confugiebat. Nulla hîc usquam litera, nullus apex, unde partitionis auguremur bonorum, aut partitionum leges. Concilii Carthaginensis IV. Canones summa quadam diligentia totam ejus ævi disciplinam Ecclesiæ circumscripsere, nullum tamen ibi usquam hujus distributionis vestigium.

VII. Ecclesiæ Orientalis Concilia & Patres de istiusmodi partitione meminere nusquam; nec ulla ibi Episcopis lex imminere visa, quàm suæ ipsorum abstinentiæ, temporalium contemptionis, sapientiæ & charitatis. Canones Antiocheni Episcopo copiam faciunt, ut de proventibus Ecclesię tantum delibet, quantum sibi opus erit, si verè egeat, non ut quartam eorum partem in suos traducat usus. Unde nec aliam ei delineant regulam, nisi ut de consilio Presbyterorum & Diaconorum omnia temperet. Excandescit Isidorus Pelusiota in Presbyteros, & in Episcopum, avaritię suę sordibus & rapinis infamem, sed nihil hîc sonat de canonica portione, vel pauperum, vel aliorum quorumvis. Egit Palladius non semel in vita Chrysostomi, de coercitis ad eo rerum Ecclesię profusionibus; sed nec Canonicarum usquam meminit portionum, & totum unius Episcopi providentię committit, & sapientię & charitati, ut Cleri, pauperumque necessitatibus prospiciat. Ea Conciliorum Patrumque testimonia, partim congesta superiùs, partim inferiùs congerenda sunt; sicut & illa Chrysostomi, ubi publicam conscientiam informat de legitimo sacrorum proventuum usu, de numero viduarum, virginum, pauperum: ubi dilucidè significat non quarta ex parte, sed totam prorsus Ecclesię substantiam in pauperes effusam, decerptis tantùm quę Episcopi & Cleri necessitatibus sufficerent, ut qui in agmine pauperum primas tenerent.

VIII. Fateri ergo cogimur quinto demum Ecclesię sęculo, & quidem in Ecclesia tantum Latina, hac partitionum legem promulgatam fuisse, ut gliscenti malo occurreretur, non sine nova, sed necessaria Juris antiqui remissione. Quinto non antè sęculo, & in Occidente tantùm eam partitionem inolescere cœpisse, jam satis, ut opinor, superque demonstratum est. Non me contineo tamen, quin addam ex Cyrillo Archiepiscopo Alexandrino, *Tom.5. part.2. pag.212.*, locum hunc expressissimum, quo urget integrum esse debere Episcopo, ut qua pollet sapientia & religione, omnia dispenset, nec nisi Deo rationes faciat; dum diligentissimè curet suos cuique Ecclesiæ fundos, suam sacram supellectilem, vestesque sacras servari. *Multè habet, magnaque tristitia afficit Sanctissimos Episcopos, qui sunt ubique terrarum, quod sumptuum, qui illis eveniunt, dispensationis ratio ab eis exigatur, sive ex Ecclesiasticis reditibus, sive ex fructu aliunde percepto. Unusquisque enim nostrûm dabit suorum malorum rationem omnium Judici. Vasa enim pretiosa & possessiones immobiles oportet servari Ecclesiis. Episcopis autem qui tunc temporis Divinum Sacerdotium administrant, incidentium sumptuum dispensationem securè credi.*

IX. Jam verò quod perstrinximus, hac partitionum lege obviatum esse avaritiæ Episcoporum & Clericorum cupiditati, nova quadam, sed tum necessaria indulgentia, id verò ne in controversiam quidem jam ferè venire potest. Plura enim jam exempla recensuimus, ubi Oeconomorum fidei parum constanti, vel negligentiæ Episcoporum, vel Clericorum rapacitati irascebantur pauperes, pauperumque flagrantissimi defensores. Ea ergo non improbabiliter occasio fuisse conjicitur ejus partitionis sanciendæ.

X. Quòd verò hac partitionum lege non acui, sed hebescere potiùs visa sit prisca disciplinæ pietas in pauperes, hinc patet, quòd ex primævis & antiquissimis Ecclesiæ institutionibus, omnes Ecclesiæ proventus patrimonia sint pauperum; quòd ex iis nihil prorsus attingerent Clerici & Episcopi, nisi pauperes essent; quòd ne tum quidem, nisi qua pauperes sobrietate attingerent: quòd ut patrimonio pauperum parcerent, non pauci eorum manibus operarentur, unde victitarent: quòd complures eorum cum primùm ordinatione Clero initiabantur, suas Ecclesiæ dicarent hęreditates; quòd nonnulli eorum communis vitę societate cum Episcopo vincirentur. Atqui his omnibus evertitur quadripartita illa distributio.

XI. Superest tamen pulcherrima ratio conciliandę hujus partitionis cum primigenia Apostolicorum temporum purissimaque disciplina: si intelligamus illas Episcopi, illas Cleri portiones, portiones semper esse patrimonii pauperum, adeoque ubi Episcopi & Cleri necessitatibus modestè & frugaliter provisum est, reliqua pauperum esse. Una enim constat & eadem natura harum partium, atque totius: utque ante partitionem, ita & postea pauperum est tota ea substantia. Decretis Ecclesię provisum est, ut quarta saltem pars Ecclesię redituum pauperibus erogaretur. Sed non statim absoluti sunt Beneficiarii inconvulsis illis legibus, & Clero ipsi, & Ecclesiæ rei affixis, ut necessario contenti sint, ut residua largiantur egentibus, frugali sustentationi acquiescant, reliqua dispergant in pios usus, luxum & abundantiam defugiant, paupertatem magni faciant; ita fixum animo & persua-

suasum habeant, furti & sacrilegii flagitio implicari, qui de pauperum patrimonio ditescunt. Hæc Ecclesiasticæ disciplinæ constantissima sunt placita, nec ullis temporum vicibus, nec partitionum quibuscumque legibus mutabilia.

XII. Non solius autem Ecclesiæ Cathedralis suæ res & proventus dispensabat Episcopus per Diaconos, vel Oeconomos suos; sed & omnium Parochiarum urbis & ruris totius Diœceseos suæ. Qui etiam suprà laudati sunt Apostolici, Ancyrani & Antiocheni Canones, nullos limites objiciunt potestati Episcopi in dispensandis oblationibus, reditibus & bonis Ecclesiæ, sive ruri, sive in urbibus; totum ei subjiciunt, quidquid illud est rei temporalis, totum ab eo volunt per Presbyteros & Diaconos adgubernari. Video excipi posse, tum editos esse Apostolicos & Ancyranos Canones, cum nullæ dum essent ruris Parochiæ, cum una esset tota Diœcesi Cathedralis Ecclesia. At indubium est Antiocheni Concilii tempore plures jam & Civitatis, & urbium, & ruris Parochias fuisse; cum hujus tamen Concilii Canones omnium prorsus dispensationem uni Episcopo committant.

XIII. Conjici hoc ipsum posset ex Decretis, quibus bonorum partitio præscripta est. Illa enim apertè declarant, Episcopi jam id muneris fore, ut reditus proventusque omnes in quatuor partes scindat omnium prorsus Diœceseos suæ Ecclesiarum. Nec usquam enim mentio fit partitionis specialis Parochiarum agrestium, vel urbis, si quæ in urbe essent à Cathedrali sejunctæ.

XIV. Idem confirmat Canon Concilii Hipponensis à Ferrando Diacono, *Breviar.*, publicatus; eo quippe prohibetur Episcopus quidquam usurpare de rebus Parochiarum ruris. *Ut Episcopus Matricis non usurpet, quidquid fuerit donatum Ecclesiis, quæ in Diœcesi constituta sunt.* Fuerat ergo is usus antiquissimus, ut acciperet Episcopus, quidquid Ecclesiis daretur suæ Diœceseos. Sed abolescere jam ille cœperat tempore Augustini. Verba enim facit Sanctus ille Pater de duobus Clericis suis, qui Ecclesias suæ originis pauperiores agrorum suorum parte aliqua donaverant. *Can.38. De divers. Serm.50.* Ubi verò Africana Concilia prohibent, *Con. Carth. in Cod. Canon. Eccles. Rom. c.33. Collect. Roman. c.120. 115.*, ne Presbyteri Parochiarum ruris quidquam alienent, innuunt utique non obscurè aliquos Ecclesiæ fundos in eorum esse potestate. Gelasius Episcopo concedit fundos, reditusque Ecclesiarum omnium regendos, vasa tantùm sacra, & id genus alia Ecclesiis dimitti vult, quibus oblata fuerint. Cum singularum statim Ecclesiarum conditores essent, & parentes Episcopi, erant & Administratores. Utque languent plerumque initia, & subinde ope & solatio egent, vix potuerant Ecclesiæ nisi ope Episcoporum grandescere. Oblationum cujusque Parochiæ tertia vel quarta pars eis reservata postea fuit; nimirum omnes prorsus eorum juris antè fuerant. Denique hinc causa emersit privilegiorum Cœnobiis dandorum, quòd Episcopi, quidquid offerretur Ecclesiis suæ Diœceseos, tam sui juris id esse interpretarentur, quàm ipsas Ecclesias, quas ipsi condidissent vel expensis, vel auspiciis, & authoritate sua.

XV. Nihil prima hac ætate dixi de fundis ipsis in Clericos distributis, quòd ejus rei levissima tantùm & perobscura observari possint vestigia. Docuit nos modò Augustinus Parochias ruris aliquid agrorum sibi proprium habuisse. Oratoria in villis Magnatum commonstravit nobis Chrysostomus, quibus decimæ circumjacentium agrorum vendicarentur. Sed de his uberiùs infrà altera jam Ecclesiæ ætate.

CAPUT XIV. *P.2.l.4.c.15.*

Distributio proventuum Ecclesiæ in quatuor partes in Ecclesia Romana, sæculo VI. VII. & VIII.

I. In quatuor partes secabantur Ecclesiæ proventus, in Episcopum, Clerum, pauperes, sarta tecta.

II. Munera Episcoporum repudiat Gregorius, ne quid decedat de Cleri portione.

III. Clericis ægrotantibus eadem prohibebantur distributiones.

IV. Tam antiqui, quàm novi reditus in quatuor partes dividebantur.

V. Quarta portio Cleri pro ordine & merito in Clericos dispensabatur.

VI. Alii aliarum Ecclesiarum erant mores, sed ubique torpor Clericorum excitabatur his distributionum aculeis, authore Gregorio Magno.

VII. VIII. Exempla partitionis hujus minutioris inter Clericos & pauperes.

IX. Optatissimum Gregorio fuisset, ut Clerici in commune possiderent omnia cum Episcopo, idque in Anglia ab Augustino institui, servari perviest.

X. Portio Episcopi Visitatoris.

XI. Ne illiterati quidem Clerici distributione sua frustrabantur.

XII. Quæ portio reparandis dicabatur Ecclesiis, eam Episcopus administrabat.

XIII. Polyptichum Gelasii Papæ.

XIV. Gregorius II. eundem distributionis usum sectabatur.

XV. De Cathedratico & Procurationibus.

I. QUanta quanta esset Episcopus potestate in regendis & dispensandis Ecclesiæ rebus, erat tamen non dominus, sed fidus & benevolus dispensator, potestate fretus tantò stabiliori, quantò Legibus & Canonibus magis obnoxia. Viguit hac secunda Ecclesiæ ætate vel maximè in Ecclesia Romana quadripartitæ divisionis consuetudo & lex. Ei ergo & luminis aliquid & firmamenti hic adjiciemus ex Conciliis & Scriptoribus ejus ævi.

II. Certior factus Gregorius Papa Felicem Messanæ in Sicilia Episcopum Romanum iter meditari, & aliqua jam missitare munuscula, quibus illum veneraretur, ut moris erat; occupavit illum per literas avocare & à Romana profectione, & à munerum missitatione; mandavitque ut ea consuetudine obliterata aliam utiliorem & optabiliorem inveheret, ut annuæ in Clerum distributiones fierent, quanta maxima fieri possent fide & diligentia. *Quia charitatem tuam ad nos venire velle cognovimus, admonemus ut ad veniendum non debeat laborem assumere, sed ora pro nobis, &c. Nobis de cætero ne quid transmittere debeas inhibemus, &c. Consuetudines, quæ Ecclesiis gravamen noscuntur inducere, nostra nos decet consideratione remittere, ne illuc aliqua cogantur inferre, unde sibi inferenda debent potius expectare; Clericorum si quidem aliorum consuetudinem te oportet illibatam servare, eisque annis singulis, quæ sunt consueta transmittere. L.1. Ep.64.* Ad Episcopum Urbevetanum scripsit, ut ægrotanti Clerico eadem stipendia suppeditaret, quæ ante integra utenti valetudine, pro more & modo facultatum suæ Ecclesiæ. *Nihil eum ad percipienda, quæ consueta sunt, hæc ægritudo debeat impedire; quia diversis in Ecclesia militantibus, varia sæpenumero contingit infirmitas. Et si hoc fuerint exemplo deterriti, nullus de cætero, qui Eccle-*

sia

sui militet, poterit inveniri, sed secundùm loci ejus ordinem, quaque ei si sanus esset poterant ministrari, de ipsa exiguitate, qua Ecclesia potest accedere, aegrotanti praebere non desistat tua fraternitas. L.2. Epist.5.

III. Ubi perspicis 1. Clericos, vel Beneficiarios, *Ecclesiæ militantes*, sportulas accepisse, tanta varietate, quanta esset vel Ecclesiarum, vel Ordinum varietas. *Secundùm loci ejus Ordinem.* 2. Dum afflicta essent valetudine, tum verò stipendiis suis frustrari multò minùs potuisse, quod & inhumanum id, & iniquum videretur. 3. Ejusmodi inhumanitate deterrendos non fuisse alios, sive Clericos, sive Cleri candidatos.

IV. Cum rescisset autem idem Gregorius Episcopos Siciliæ antiquorum Ecclesiæ redituum quarta parte Clericos suos impertiri, at reditus novos omnino in usus suos convertere: ea de re Episcopum Syracusanæ Ecclesiæ acerbissimè objurgavit. *Quam pravam subintroductamque consuetudinem fraternitas tua vivacitee emendare festinet; at sive de praeteritis reditibus, sive de iis, qua nunc obvenerunt, vel obvenerint, quarta secundùm distributionem canonicam dispensetur. Incongruum namque est, unam eandemque Ecc. substantiam duplici quodammodo jure censeri, id est, usurpationis & Canonum.* L.3. Ep.11. Hæc scilicet erat *Distributio Canonica*, quarta pars antiquorum, novorumque redituum inter Clericos distributa. Sua erat & Episcopis quarta pars, qua nec illi fraudabantur Episcopi Visitatores, quibus Ecclesiæ vacantes interim *commendabantur*. En ipsa Gregorii verba. L.4. Ep.12. *Ut quartam, quam ejusdem Ecclesiæ Episcopum oportebat accipere, à die visitationis tuæ, vel quousque illic eam sollicitudinem gesseris, tibi debeat applicare.*

V. Jam inter Clericos distributio fiebat, pro cujusque ordine, merito, labore. Unde idem Gregorius. L.4. Ep.26. *Juxta antiquam consuetudinem, secundùm personarum qualitatem.* Itaque liberalius donabantur Presbyteri, sed si quo jam gauderent Ecclesiæ fundo, tantundem demetebatur de eorum distributione. *Presbytero possessionem, quam tua fraternitas petiit dari fecimus, ita ut quantum præstat, tantum de solidis, quos accipere consueverat, minus accipiat.* L.7. Ep.2. Sed accuratiorem liber hic attexere descriptionem partitionis hujus minutiarum, pro ordine & labore Clericorum, pro moribus Ecclesiæ, pro arbitrio Episcopi. Gregorio Papæ conquestus est Clerus Catanensis, quòd non satis bona fide, nec satis larga manu sua sibi quarta portio distribueretur. Delegatus in id est à Gregorio Cyprianus Diaconus, Siciliæ Nuntius. Constituit Cyprianus, ut ejus quartæ portionis tertia pars ad Presbyteros & Diaconos rediret, reliquæ partes duæ inter inferiores Clericos dispensarentur. Presbyteri & Diaconi Catanenses ab hoc decreto ad Pontificem appellaverunt, & per Legatos Gregorio contestati sunt, antiqui id moris fuisse, constantissimè semper retenti, ut tertia tantùm pars ad inferiores Clericos perveniret, partes duæ verò in Presbyteros & Diaconos dividerentur. *Conquesti sunt hoc contra antiquam consuetudinem in suo gravamine præjudicialiter statutum, quippe quia de eadem quarta, semper se duas partes, & tertiam Clerum percepisse asserunt.* L.7. Ep.8. Eam litem Episcopo delegavit Gregorius terminandam, mandavitque sta cujusque labori admetiri portiones singulas, ut diligentiores quique suæ jam nunc strenuitatis fructum aliquem caperent, cæteri eo lenocinio temporali allicerentur ad ejusdem zeli & infatigati laboris æmulationem. *Volumus ut quidquid Ecclesia tua ex reditu vel quolibet alio titulo fortassis accesserit, quartam exinde portionem sine diminutione aliqua debeat segregare, atque eam secundùm Dei timorem, Presbyteris, Diaconis, ac Clero, ut tibi visum fuerit, discretè dividere; ita sanè ut unicuique sicut meritum laboris exegerit, libera tibi sit juxta quod prævideris largiendi licentia. Quatenus & hi qui merentur, etiam temporali se sentiant hoc commodo consolari, & alii adjuvante Domino eorum ad melius contendant imitatione proficere.*

VI. Non ultra promovebo gradum, nisi his paucis in eam Gregorii Epistolam animadversis 1. In sacro Ordine non locat nisi Presbyteros & Diaconos. *Sacro loco, sacrato Ordine.* 2. Clerici omnes inferiores Cleri nomine continentur. Itaque nec non potuimus aliquando, quin Clericorum nomine solos inferiores Clericos complecteremur. 3. Partitio quartæ suæ portionis in Clerum, non uno modo in omnibus fiebat Ecclesiis: & apparet in quibusdam tertiam partem, in aliis duas ejus partes tertias Presbyteris & Diaconis obtigisse. 4. Utrum præstabilius sit, id verò Gregorius judicio & prudentiæ committit Episcopi. 5. Sed illud certissimè & constantissimè retinetur, quod Apostolus ipse dictavit, largius remunerari, qui diligentia majore sunt & laboris contentione. *Qui laborant in verbo Presbyteri, duplici honore digni sunt.* 6. Et postremò quanquam Gregorius castissimæ charitatis, & temporalium despicientiæ scientia & persuasione præcelluerit, nihilo tamen minùs vel ipse conducibile id duxit, ut carnalium, vel infirmorum torpor illecebris carnalibus, & temporalibus præmiis excitaretur. Sive diligentiam hanc carnali affectu excitam criminosa socordia duceret præstabiliorem: sive speraret consuetudinem carnalibus cœptam illecebris, paulatim his sordibus abstersis in spiritalem charitatem evadere posse. Ita distributionibus hodie usitatissimis jam tum patrocinium suum Gregorius antecessum accomodabat.

VII. Ad alia gradiamur exempla ejusdem partitionis. Paschasio Neapolitano Episcopo inter primordia Episcopatus sui id oneris impositum erat, ut quadringentos restitueret Clero & Pauperibus nummos, quibus eos præcessor suus frustraverat. *Portio Cleri, vel Pauperum, quam minimè decessor vester præbuerat.* Ut bona fide & impigrè id præstaretur, adjunxerat illi Gregorius Anthimum Subdiaconum Ecclesiæ Romanæ, & Nuntium, justam partitionem facere convenienter his præceptis: *Præbendi sunt Clericis vestes per singulos, sicut prospexeritis, simul omni summa solidi centum; prajacentibus, quos centum viginti sex esse cognovimus, dandi sunt solidi sexaginta tres, id est, medius solidus per singulos; Presbyteris & Diaconis ac Clericis peregrinis, solidi quinquaginta: hominibus honestis ac egenis, quos publicè petere verecundia non permittit, solidi centum quinquaginta; reliquis verò pauperibus, qui eleemosynam petere consueverunt, solidi triginta sex.* L.9. Ep.29. Hæc ejus partitionis series est, ubi vides, 1. Portionem pauperum Clero æquari, cum ut Clericorum, ita & pauperum patrimonium illud sit. 2. Presbyteri, Diaconi, & cæteri Clerici extranei, qui magno semper sunt numero magna in civitate, cujusmodi Neapolis est, suis quoque & ipsi à Clero urbis impertiuntur distributionibus. 3. Qui hic *prajacentes* dicuntur, ii vel ægroti sunt, vel pauperes, viduæ orphani, quorum nomina, ceu Beneficiariorum in matricula Ecclesiæ describebantur. 4. Pauperes, quos non potest non suæ suppudere paupertatis, ii impensiùs curantur, quòd eorum extrema inopia non explorata sit Episcopo, ab eo uno levanda. 5. Vel egenis mendicantibus erogatur aliquid ex hac Canonica distributione. 6. Sed ut æqua sit partitio, tam inæquales sunt partes, quàm necessitates, labores, virtutes. *Sed quia sicut prævidimus, non omnibus æqualiter est præbendum.*

VIII. Id rursum commendabat sanctissimus Pontifex Episcopo Panormitano, ut qua posset æqui-

tate

tate quarta sua parte Clericos muneraretur, pro ordine quemque suo, pro modo laboris & industriæ. *Ut de reditibus Ecclesiæ quartam in integro portionem Ecclesiæ tuæ Clericis secundùm meritum, vel officium, sive laborem suum, ut ipse unicuique dare prospexeris, sine aliqua præbere debeas tarditate. L.11. Ep.51.* Cumque monuisset, ut amplificatis in dies fundis Ecclesiæ amplificaret & reditus: jubet ut vindemiæ tempore justo pretio Clericis vendatur vinum, cum vendatur & laicis. *Vindemiarum autem tempore idem Clerus vinum emendi de possessionibus Ecclesiæ tuæ, ad justa pretia, in quantum vendendum est, remedium consequatur. Nam satis contra rationem est, ut quod potest extraneis venumdari, Clericis dato pretio denegetur.* Necdum usus ibi inoleverat, ut inemptum Clericis vinum distribueretur, aut vilius venderetur.

IX. Longè antiquissimum suavissimumque fuisset Gregorio, ut Clerici communi omnes cum Episcopo suo vitæ societate vincirentur, nec ulla rerum inter eos partitio fieret, sed portio illis una omnibus & amplissima esset Deus. Id ille consilii instillavit Augustino Anglorum Apostolo. Sed cum rarum sit semper, quod perfectum & numeris omnibus absolutum est; fatetur ipsemet Gregorius solemne id fuisse summis Pontificibus, ut ordinationis suæ Episcopis hanc commendarent canonicam in quatuor partes distributionem. *Mos Apostolicæ sedis est, ordinatis Episcopis præceptum tradere, ut de omni stipendio, quod accedit, quatuor fieri debeant portiones. Una videlicet Episcopo, &c. Familiæ ejus propter hospitalitatem, & susceptionem. Alia Clero. Tertia verò Pauperibus. Quarta Ecclesiis reparandis. Sed quia tua Fraternitas Monasterii regulis erudita, seorsum vivere non debet à Clericis suis: in Ecclesia Anglorum hanc debet instituere conversationem, quæ initio nascentis Ecclesiæ fuit Patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. L.2. Ep.31.*

X. Cum Ecclesiæ Ariminensi absente Castorio Episcopo Visitatorem Episcopum præfecisset, hoc illi commendavit, ut ne ejus Ecclesiæ rerum regimen demandaret nisi ejusdem Clericis, aut ejus *hominibus*, hoc est vassallis. *Per proprios ejus homines. L.4. Ep.42.* Quoad proventus autem, post duas quartas partes in Clerum & pauperes segregatas; voluit ut pars altera media in tres secaretur, in Fabricam, in Castorium Titularem Episcopum, & in Episcopum Visitatorem Leontium. Sed præteriri, nefas, consilium, sive mandatum, quo Leontium hortatus abstinere ab eo tritico, quo civitas ipsum munerabatur; quod eo delinimento non possit non aliquantulum molliri, & flaccescere vigor ille infractus animi, quo Ecclesiæ & pauperum causę tuendæ sunt. Denique eo exemplo malè imbui & perverti Clericos, ut & ipsi stipendiis Ecclesiasticis minus contenti, avaritiæ se dedant. *Comperimus præterea aliquid te annonæ de publico consequi, & hac ex re verecundia comprimi; atque in causis Ecclesiæ, vel defensione pauperum, ut congruit, non esse efficacem. Propterea abstinendum est ab hoc, quod verecundiam incutit, & stipendiis, quæ de Ecclesia consequeris, debes esse contentus. Nam si aliter facere post nostram adhortationem volueris, aliam de te æstimationem habebimus. Quippe qui commissos tibi avaritia militare doces, quos sufficientibus stipendiis instituis non esse contentos.*

XI. Si Clerici autem cœlestis suæ militiæ stipendio acquiescere, nec præterea quidquam concupiscere debebant: hoc etiam stipendio nulli prorsus Clerici exuendi erant, quantumvis extranei, vel illiterati. Clericum ingenuè confitentem, se ne didicisse quidem literas, commendatitiis instruxit Epistolis Gregorius ad Episcopum Ephesinum. *Inquisitus utrum, sicut decet Clericum, literas didicisset, eas se ignorare respondit. L.6. Ep.11.* Orabat autem Ephesinum Antistitem Pontifex, ut exemplis & institutionibus suis ad pietatem informaret hunc discipulum novum, & ne eo destitueretur, alere curaret. *Transitoria quoque percipiat, ne si hoc despicitur, desit cui prædicatio ministretur.*

XII. Quoad portionem ad reparationes Ecclesiæ sequestratam, præter ea, quæ raptim dicta sunt, hic addam hoc quoque ævo penes Episcopum eam depositam fuisse. Lucillo Episcopo Insulæ Melitę ob flagitita sua exauthorato, Nuncio in Sicilia suo eam curam delegavit Gregorius, ut restituere eum cogeret, quidquid ab eo de quarta hac reparationum parte compilatum fuisset. *Quippe qui in fabricam vel sarta tecta Ecclesiæ nihil pertulit expendere, sed mente sacrilega suis totum studuit compendiis applicare. L.8. Ep.1.*

XIII. A' Joanne Diacono observatum est, *L.2. c.24. 25.*, à Gregorio Papa quater anno quolibet fieri solitam distributionem pecuniæ & proventuum Ecclesiæ, in omnes, qui eo jure gauderent ex vetusto Polypticho Gelasii Papæ. *Quot solidi singulis quater in anno distribuentur, Pascha scilicet, natalè Apostolorum, natali Sancti Andreæ, natalitioque suo per Polyptichum Gelasianum, quo hactenus erogatur, indixit.* Die Paschæ solidos aureos distribuebat, ut alibi dicemus; primo quoque mensis die largiri solebat pauperibus omnis generis solatia, denique diebus singulis ad ægrotantes, maximè ad verecundiores quosdam mittebat, quo indigerent. Ex quo conjicias Clericos ipsos nulla parte suorum redituum vel distributionum frustratos fuisse quantulacumque, cum ægritudine quavis afflicti decumberent. *Nulli Clericorum pro infirmitate corporis quartarum subsidia Gregorius minuebat. L.4. c.39.*

XIV. Cum Episcopum Clericosque Gregorius II. in Bavariam ablegaret, Evangelicæ ibi sementis satores futuro; hanc illis similiter inculcavit in quatuor partes rerum omnium divisionem: quarum quæ Clericorum erat, partienda rursum erat, *pro suorum officiorum sedulitate. Capitulare Greg.II.*

XV. Capite mox proximo Cathedraticum ostendemus in Conciliis Hispaniæ constitutum. Eidem juri usuique astipulatus est Pelagius II. Papa, siqua fides Ivoni Carnotensi adhibenda hic sit, & Gratiano, à quibus hoc ejus Decretum ad Episcopos Siciliæ depromptum est. *Ne qui Episcoporum Siciliæ de Parochiis ad se pertinentibus, nomine Cathedratici amplius, quàm duos solidos præsumant accipere. Neque compellere Presbyteros, aut Clerum Parochiarum suarum supra vires suas eis convivia præparare. Gratian. 10. q.3. C. Illud. Ivo Par.3. c.136.*

Hoc Edicto distinguitur Cathedraticum, quo jure solidos duos ab unaquaque Pàrochia exigebant Episcopi visitantes, uti censum & honorem Episcopali Cathedræ debitum, à procurationibus, quo rursum jure modico & frugali sumptu alendus erat Episcopus cum comitatu suo. Rescribens ad Episcopos Siciliæ Gregorius querebatur, non observari quod conventum fuisset temporibus Pelagii II. ut visitationum expensis modus poneretur, ne Parochis oneri essent. Jus Procurationum defixum forsan fuerat. *Summa præfixa fuerat, vobis, ut audio, consentientibus, quę ab eisdem Sacerdotibus pro labore Clericorum dari debuissent. L.14. Ep.22.*

C A-

CAPUT XV. *P.2. l.4.c.16.*

De partitione proventuum Ecclesiæ in Francia & Hispania sæculis iisdem VI. VII. & VIII.

I. Clerici, qui Officiis Ecclesiasticis aberant, distributionibus suis spoliabantur, & in ordinem deprimebantur Clericorum extraneorum.

II. Strenujorum copiosiores erant distributiones.

III. Concilium Aurelianense I. vult, ut reditus agrorum Ecclesiæ in quatuor scindantur partes.

IV. At oblationum Altaris media pars Episcopi sit una, altera Clericis pro gradibus suis distribuatur.

V. Fundi Parochiarum totius Diœceseos Episcopi erant, & Ecclesię Cathedralis, cum tertia parte oblationum; utraque pars tertia residua Parochis cedebat.

VI. Temperamenti aliquid invehitur, pro Cathedralis Ecclesiæ & Parochiarum opulentia, vel paupertate.

VII. Summa potestas Episcoporum in immorigeris Clericis portione privandis.

VIII. In Hispania tertia illa pars Parochialium oblationum reparandis Ecclesiis dicata erat, quarum cura Episcopo incumbebat, & quas proinde quotannis visitare tenebatur.

IX. X. De jure procurationis.

XI. Variæ leges de hac tertia reparationum.

XII. XIII. Variæ in Hispania partitiones.

XIV. XI. Variæ & in Anglia, Germania, Gallia.

I. AB Ecclesię Romanæ usu non potest multum deviasse Hispanica, vel Gallicana consuetudo. Clericos immorigeros & Officia Ecclesiastica minùs frequentantes, distributionibus mulctat Concilium Agathense, jubetque è matricula expungi nomina eorum, donec pœnitudine ducti hanc eluant maculam. *Si Ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur, ita ut eum eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula gradum suum dignitatemque recipiant. Can.2.* Extranei Clerici si qui sine formatis Episcopi sui literis accederent, ii solatio forsan aliquo donabantur, ut suprà insinuabat Gregorius; sed non æquabantur utique propriorum loci Clericorum sportulis. Itaque *peregrina communio* hæc nec hospites omnino necessariis fraudabat adminiculis, nec indigenis Clericis æquiparabat, ideoque & his infligebatur ad leviusculas culpas castigandas.

II. Ex adverso autem, qui ministeriis & officiis Ecclesiasticis singularem adhibebant diligentiam & religionem, iis ex eodem Concilio sportulæ pinguiores addicuntur, pro meritorum & laboris modo. *Clerici etiam omnes, qui Ecclesię fideliter vigilanterque deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundùm servitii sui meritum, vel ordinationem Canonum, à Sacerdotibus consequantur. Can. 36.* Erat itaque judicii, arbitriique Episcoporum, ut æstimatione facta diligentiæ, operæ, & pietatis eorum, proventus, seu distributiones quoque amplificarent, vel imminuerent.

III. Concilium Aurelianense I. sanxit, ut quos Clodovæi Regis pietas Ecclesiis agros largita, vel largitura esset, eorum reditus expenderentur in restaurandas Ecclesias, in alendos Clericos, pauperes fovendos, redimendos captivos. Et quanquam unius Dei examini obnoxius esset Episcopus, si generalibus tamen ab his deviaret institutionibus Ecclesiasticis, perinde ut erat ejus culpa, in eum animadvertebat Concilium Provinciale, eumque à cæterorum segregabat communione Episcoporum. *Justissimum definimus, ut in reparationibus Ecclesiarum, alimoniis Sacerdotum & pauperum, vel redemptionibus captivorum, quidquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit, expendatur. Quod si aliquis Sacerdotum ad hanc curam minùs sollicitus ac devotus extiterit, publicè à comprovincialibus Episcopis confundatur. Can.5.*

IV. Id quoque definiit hoc Concilium, ut accommodatè ad antiquos Canones, oblationes omnes in duas portiones secarentur, Episcopi alteram, cui & fundi semper addicebantur, alteram Cleri. *Antiquos Canones relegentes, priora statuta credidimus renovanda, ut de his, quæ in altario fidelium oblatione conferuntur, medietatem sibi Episcopus vendicet, & medietatem dispensandam sibi secundùm gradus Clerus accipiat; prædiis de omni commoditate in Episcoporum potestate durantibus. Can.14.* Canone superiori agebatur de proventibus Ecclesiæ ex agrorum cultu, eosque secari præcipiebatur in quatuor portiones, Episcopi, Cleri, pauperum, reparationum. Hoc verò non attingitur si partitio oblationum Altaris, ad quarum consortium nec fabricæ, nec pauperes admittuntur. Sed præterquam quod Clericis & Episcopis hospitum pauperumque cura demandata specialiùs erat, quibus vix aut nec vix poterant superflua sua non elargiri; ex utroque hoc Canone unum id consequi poterant, ut non deesset quo commodè vitam tolerarent, cæteroqui hi ipsi Canones illud eorum auribus insonabant, quidquid erat fondorum & redituum Ecclesiæ, consumi debere *in alimoniis Sacerdotum & pauperum. Can.5.*

V. Accedat & aliquid roboris ex Canone sequenti. Jubet enim, ut terræ, servi, pecuniæ, quibuscumque Parochiales Ecclesiæ donabantur, ea sint in potestate Episcopi; sed oblationum Altaris tertia tantùm pars Episcopo obveniat. *De his, quę Parochiis, vineis, mancipiis, atque peculiis, quicumque fideles obtulerint, antiquorum Canonum statuta serventur, ut omnia in Episcopi potestate consistant. De his tamen, quę in altario accesserint, tertia fideliter Episcopis deferatur. Can.15.* Ubi duo sunt non perfunctoriè advertenda, etsi & jam sæpiùs inculcata sint. 1. Quidquid dono dabatur vel offerebatur Ecclesiis Parochiisque ruris, vel civitatis, id totum in jus & potestatem Episcopi cessisse, qui earum conditor & parens esset, ut membrorum quorundam Cathedralis Ecclesiæ, quæ primæva ab origine una fuisset totius Diœceseos Ecclesia, reliquasque suo ex sinu effudisset. Cum ergo Conciliis tandem visum est, ut duæ tertiæ partes oblationum singulis in Ecclesia sua Parochis dimitterentur: ea fuit Episcoporum jure suo magna ex parte decedentium munificentia. 2. Si & fundorum autem proventus, & oblationum singularum Parochiarum tertia pars ad unum redibat Episcopum, nemo illius nimis exaggeratas fuisse suspicetur opes; cum omnium prorsus egenorum cura & provisio illi maximè demandetur Canone proximo Concilii ejusdem. *Episcopus pauperibus vel infirmis, qui debilitate facieute non possunt suis manibus laborare, victum & vestitum in quantum possibilitas habuerit, largiatur. Can.16.*

VI. Sed cum essent & Cathedrales & Parochiales Ecclesiæ non unius generis, nec pari rerum copia, aliæ tenues, aliæ abundantes, hinc ex illa æquabili reservatione tertiæ partis oblationum ad Ecclesias Cathedrales, odiosa nascebatur inæqualitas. Erant enim Cathedrales, quibus omnia sic affluebant, ut superflua esset prorsus hæc tertia oblationum. Erant & Parochiæ tam tenues & exangues, ut hac tertia parte fraudari sine gravi dispen-

pendio non possent. Eò adducti Patres Concilii Carpentoractensis, statuerunt, ut si nulla re necessaria destitueretur Ecclesia Cathedralis, suas oblationes integras & illibatas retinerent Parochiæ ad Cleri sustentationem & sarta tecta Ecclesiarum. Ex adverso autem si egeret Ecclesia Cathedralis, ditiores Parochiæ sua illi superflua omnia conferrent, decerpto quantum sibi suisque Clericis satis esset. *Si Ecclesia civitatis, cui Episcopus præest, ita est idonea, ut nihil indigeat, quidquid Parochiis fuerit derelictum, Clericis, qui ipsis Parochiis deserviant, vel reparationibus Ecclesiarum rationabiliter dispensetur. Si verò Episcopum multas expensas & minorem substantiam habere contigerit, Parochiis, quibus largior fuerit collata substantia, hoc tantùm quod Clericis vel sartis tectis rationabiliter sufficiat, reservetur: quod autem amplius fuerit, propter majores expensas Episcopus ad se debeat revocare.*

VII. Eximiæ quidam semper hîc eminet apex authoritatis Episcoporum, cui tamen leges & Canones moderentur. Sed nec latet illa potestas, officii sui immemores Clericos & criminosos suis mulctandi Beneficiis, seu mavis distributionibus. Eam pœnam decernit Aurelianense III. Concilium in Clericos eos, qui contumaciæ suæ patrocinium à viris præpotentibus aucupantur. *Inter reliquos Canonicos Clericos nullatenus habeantur, neque ex rebus Ecclesiasticis cum Canonicis stipendia, aut munera ulla percipiat. Can.11.* Vox porro ista *Canonici*, Clericos tantùm designat, qui *Canoni*, seu *Matriculæ* erant inscripti, & qui proinde participes erant distributionum. Nec Catalogus tantùm Beneficiariorum Matricula dicebatur, sed & ipsa arca sive ærarium Ecclesiæ. *Matricula ipsum votum, aut pauperibus reddat.* Concilium Narbonensi abjudicantur distributiones non contumacibus tantùm Clericis, sed & Presbyteris & Diaconis, ne ad legendum quidem satis exercitatis. *Ad quid est in Ecclesia Dei, si non fuerit ad legendum exercitatus? Can.10.*

VIII. Venio ad Concilia Hispaniæ, quæ tertiam illam ex oblationibus Parochialium Ecclesiarum, earundem sartis tectis consecraverunt. Ita enim Concilium Tarraconense reparandis Ecclesiis eam tertiam dicat, eaque etiam de causa jubetur Episcopus singulis annis Parochias omnes circumlustrare. *Antiquæ consuetudinis ordo servetur, & annuis vicibus ab Episcopo Diœcesano visitentur, & si qua fortè Basilica reperta fuerit destituta, ordinatione ipsius reparetur. Quia tertia ex omnibus per antiquam traditionem, ut accipiatur ab Episcopis, novimus statutam. Can.8.*

Id ipsum ex Concilio Braccharensi confirmatur, ex quo & illud elucescit, præter hanc tertiam oblationum ad reparationes, moris præterea fuisse, ut à singulis Parochiis duos solidos exprimeret Episcopus velut honorem & censum Cathedræ suę. *Placuit ut nullus Episcoporum cum per Diœceses suas ambulant, præter honorem Cathedræ suę, id est, duos solidos aliquid aliud per Ecclesias tollat; neque tertiam partem ex quacumque oblatione populi in Ecclesiis Parochialibus requirat. Sed illa tertia pars pro luminariis Ecclesiæ vel reparatione servetur, & singulis annis Episcopo ratio inde fiat. Can.2.*

Non ergo Episcopo integra servabatur tertia illa pars oblationum, nisi ut daret ipse operam, & instaret, ut in reparationes expenderetur, expensarumque ei rationes fierent. Concilio Toletano IV. idem placuit, ut tertiam illam oblationum & acciperet Episcopus, & in sarta tecta impendi curaret. *Tam de oblationibus, quàm de tributis & frugibus tertiam consequantur. Episcopum per cunctas Diœceses Parochiasque suas per singulos annos ire oportet, ut exquirat, quo unaquaque Basilica in reparatione sui indigeat. Cap.33. 36.* Cum multa ergo essent, quæ Episcopos hortarentur ad annuam Parochiarum suarum visitationem, tum illud non postremum, quo instarent reparationibus Ecclesiarum. Si perlustrare autem eas ipsimet non possent, delegandi ab eis erant Presbyteri, vel Diaconi, qui eo munere fungerentur. *Presbyteros, aut Diaconos mittat, qui & reditus Ecclesiarum, & reparationes & ministrantium vitam inquirant.*

IX. Sed præter hanc oblationum tertiam, quæ oneri magis erat Episcopis, quàm levamento, ex Concilio Braccharensi modò audivimus duos solidos ex unaquaque Parochia ab illis exigi solitos. Ante hoc Concilium consuetudine id magis, quàm lege aliqua invaluerat. Ideo & cum ei Decreto authoritatem astruere molirentur Concilii VII. Toletani Antistites, nullo ab altiori capite originem ejus arcessere potuerunt. Sed confirmando hoc jure novum aliud denudatum est, jus scilicet procurationis, eo certè modulo, ut quinque tantùm equos in comitatu habeant Episcopi, nec ultra unum diem in unaquaque Parochia procurentur. Cum enim studerent Antistites ejus Concilii coercere aviditatem quorundam Gallæciæ Episcoporum, tria hæc illis tantùm jura utenda permisere, Cathedratici, Tertiæ oblationum, & Procurationum. *Non amplius, quàm duos solidos unusquisque Episcoporum præfata Provincia, per singulas Diœcesis suæ Basilicas, juxta Synodum Braccharensem annua illatione sibi expetat inferri, Monasteriorum tamen Basilicis ab hac solutione pensionis sejunctis. Cum verò Episcopus Diœcesin visitat, nulli præ multitudine onerosus existat, nec unquam quinariam numerum evectionis excedat, nec amplius, quàm una die per unamquamque Basilicam remorandi licentiam habeat. Can.4.* Ubi Cœnobia jure Cathedratici absolvuntur.

X. Alia hujus Canonis editione non *quinarium* fateor, sed *quinquagenarium* equorum numerum permittit Episcopo visitanti. Sed immane quantum à verisimili distat, quod frænando Episcoporum fastu, cohibendisque expensis convenerat Concilium, & levandis Parochiis, eo quinquaginta equos permitti? Ea sanè foret non extenuatio, sed incredibilis ferè Episcoporum fastûs exaggeratio: non levatio Provinciarum, sed gravissima depressio. Ne probabile quidem est, ea unquam pompa uti potuisse Gallæciæ Episcopos in obambulandis Diœcesibus suis. At Alexander III. inquies, Archiepiscopis id largitur, ut in comitatu quadraginta, vel quinquaginta habeant equos. Esto, sed Archiepiscopis tantùm permittit, & quidem opulentioribus, *pro diversitate Provinciarum, & facultatibus Ecclesiarum. Append. Conc. Late. Part.1. c.4. Part.2. c.6.* Denique toleratum id fuit quo tempore in immensum quendam cumulum excreverant opes Ecclesiarum, creaverat & supra modum Pręsulum pompa.

XI. Concilium Toletanum XI. *Can.6.* potestatem fecit Episcopis, unius ut Parochiæ tertiam oblationum aliis conferrent, ut quæ maximè egerent reparationibus, cum illa minimè egeret. Concilium Emeritense, *Can.16.*, Parochos ipsos ei curæ præfecit, ut ea tertia in reparationes impendatur, Episcopis id laboraturis, ut eæ reparentur Ecclesiæ, quibus nulli ad id suppetunt proventus. Concilium Toletanum XVI. urgente Egica ipso Rege præcepit, ut Episcopus tertiam illam oblationum perciperet, & sarta tecta templorum curaret; vel eam permitteret Parochis, in quos ipse pervigili cura excubaret, ut reparationibus instarent; si nihil reparationis egerent Ecclesiæ, tertiam nihilominus illam Episcopum sibi vendicaturum in domesticos suos usus; sed quo demum cumque sumptu suo cogeretur Episcopus Regi, vel Regno ministrare, ne quid ipse tamen à Parochiis

exi-

exigeret, & ne quos earum fundos donare iis posset, quos ad obsequium Principis ablegaret. *Si omnes Ecclesiæ aut incolumes fuerint, aut quæ diruta erant, reparata extiterint, secundùm antiquorum Canonum instituta, Tertias sibi debitas unusquisque Episcopus assequi si voluerit, facultas illi erit omnimodo; ita videlicet, ut citra ipsas tertias nullus Episcoporum quidpiam pro regiis inquisitionibus à Parochianis Ecclesiis exigat, nihilque de prædiis ipsarum Ecclesiarum cuiquam aliquid causa stipendii dare præsumat.* Can.5.

XII. Hactenus ferè de Ecclesiis Parochialibus Hispaniæ, & earum oblationibus. Pergo jam ad Ecclesias Cathedrales ejus, & ad earum cujusque proventuum partitionem. Tripartita fiebat distributio omnium, in Episcopum, in Clerum, in reparationes Ecclesiæ. Ex quo illud existit, portionem pauperum Episcopo & Clero concreditam fuisse, ut ad ipsos pertineret eorum providentia, in easque effundere tenerentur, quidquid sibi redundaret. Quoad portionem reparandis templis addictam, eam Archipresbyter, vel Archidiaconus administrabat, ejusque rationes faciebat Episcopo. *Placuit ut de rebus Ecclesiasticis tres æquales fiant portiones: idest, Episcopi una, alia Clericorum, tertia in recuperatione, vel in luminariis Ecclesiæ; de qua parte sive Archipresbyter, sive Archidiaconus illam administraret, Episcopo faciat rationem.* C.7. Ita constituit Concilium Braccarense I. in quo mox decernitur, qui partienda inter Clericos esset ea pecunia, quæ festis Martyrum diebus, vel memoriis mortuorum offerebatur; ea autem distribuenda erat æquo jure inter Clericos, semel, aut bis anno quolibet, ut comprimerentur querelæ de partium inæqualitate ebullientes, quando cujusque hebdomadis ministri ejus oblationes soli ipsi auferebant. *Placuit ut si quid ex collatione fidelium, aut per festivitates Martyrum, aut per commemorationem defunctorum offertur, apud unum Clericorum fideliter colligatur, & constituto tempore, aut semel, aut bis in anno, inter omnes Clericos dividatur. Nam non modica ex ipsa inæqualitate discordia generatur, si unusquisque in sua septimana, quod oblatum fuerit, sibi defendat.* Can.22.

XIII. Quæ hinc mala nascerentur, magistra post docuit experientia, unde & diversa fuere Concilii Emeritensis decreta, maximè de ea pecunia, quæ festis offerebatur diebus inter communicandum. *Diebus festis pro consuetudine & mercede, communicationis tempore à fidelibus pecuniam novimus poni.* Can.14. Sed universim in hoc Concilio præscriptum est, ut quidquid offerretur pecuniæ, in tres portiones æquales divideretur, cederetque earum prima Episcopo, altera Presbyteris & Diaconis, tertia Subdiaconis, & minoribus Clericis aliis: ita ut in ea turba ratio haberetur specialius eorum, qui vel Ordinis gradu antistarent, vel Officii sui functionum strenuitate: & Primicleri judicio de minoribus Clericis omnibus staretur, si quid pullularet jurgii. *Quidquid Episcopo fuerit oblatum, Episcopo præsentetur, exinde tres partes fiant æquales, unam habeat ipse & alteram Presbyteri, Diacones ibi deservientes consequantur, & inter se, ut dignitas & ordo poposcerit, dividant; tertia verò Subdiaconibus & Clericis tribuatur: ut à Primiclero, juxta quod in officio eos præscit esse intentos, ita singulis dispensetur.* Quæ idem lex vigebit in Parochiis, quarum ex hoc Concilio Episcopus tertiam percipit ad sarta tecta.

XIV. Capite superiori Angliæ mores delibavimus in excutiendis Gregorii Magni Epistolis: nec non & Germaniæ in Decreto Gregorii II. ad Bavaricæ novellę Ecclesiæ Pastores. Tribuitur à nonnullis Bonifacio Germaniæ Legato sub eodem Pontifice Concilium Coloniense, cujus Canonem publicavit Ivo Carnotensis, quo Episcopis integra servatur quarta pars decimarum ex omnibus Parochis. *Decima Deo reddenda est, cujus tertia pars secundùm Canonem Toletanum Episcoporum esse debet. Nos hac potestate uti nolumus; sed tantum singulis annis quartam partem juxta usum Romanæ Ecclesiæ habere volumus.* Ivo Part.3. c.202.

XV. Revocanda in Gallias, unde diverterat oratio nostra est. Cum duos Presbyteros discinxisset beatus Perpetuus Turonensis Episcopus, & gradu ejecisset, testamento suo tamen sanxit, ut ne dum vita suppeteret, distributionibus suis carerent. *Sportulam tamen habeant, quamdiu vixerint.* Spicil. T.5. pag.107. Beatus Ansbertus Rotomagensis Archiepiscopus Archidiaconos suos acuebat, ut salutari doctrina irrigarent, & Ecclesias curarent instaurari. *Etiam Archidiaconos convocans, de prædicatione populorum, & Ecclesiarum restauratione & honore maximam gerere curam sedulè commonebat.* Dicatam sibi oblationum portionem Parochis condonabat, ut resarciendis Ecclesiis illam insumerent. *Census etiam qui de vicis publicis Canonico ordine ad partem Pontificis persolvi consueverat, gratuita benignitate in restaurationibus Ecclesiarum benignissimè Presbyteris indulsit earundem Dei ædium.* Surius die 9. Febr. c.27. Inde facilè auguramur eam, quæ ex Parochiarum reditibus Episcopo vendicabatur; portionem in Galliis, ad sarta tecta Ecclesiarum Parochialium Canonum authoritate destinatam non fuisse, uti in Hispania, cum spontanea hic & libera designetur, atque insitata beati Ansberti gratificatio. Nisi ea voce *census* intelligatur Cathedraticum, sive jus Visitationum.

C A P U T XVI. *P.2. l.3. c.19.*

De partitione fundorum Ecclesiæ ipsorum inter Clericos Galliæ, eodem ævo regnantis Clodovæi Magni familiæ.

I. Fundi titulo pensionis dati, sæpius tamen in Titulum Beneficii. De voce Beneficii & Præbendæ.

II. Concessit Concilium Agathense, ut usufructus daretur agellulorum, & viliorum prædiolorum.

III. IV. Prædia dari cœpere Parochis.

V. VI. VII. Erant omnia in potestate & arbitrio Episcopi, ad quem demigrante hinc Beneficiario redibant fundi omnes.

VIII. Revocari ab Episcopo non poterant largitiones præcessorum suorum, poterant sua ipsius.

IX. Interventione Magnatum extorquebantur hi fundi.

X. Præscribi ii non poterant adversùs Ecclesiam, ad quam tandem revocabantur, cum amplificationibus suis.

XI. XII. XIII. VIV. XV. Varia statuta Conciliorum Galliæ in eandem rem.

XVI. Ex Gregorio Turonensi historica nonnulla hujus argumenti.

I. EXplanata hactenus distributione redituum, fructuum, pecuniæ, manualium denique omnium inter Clericos erogationum: tempestivè jam delabemur ad agrorum, fundorumque partitionem. Vidimus ubi ad modum pensionis darentur, multò erat usitatius, ut darentur in Beneficium. *Beneficii* vox ipsa legitur in testamento Cenomanensis Episcopi, ut hoc ipso mox Capite liquebit. *Præbenda* vocabulum frequentabatur in dies magis magisque, & ab usu sæcularis militiæ ad

Ecclesiasticam transferebatur. Eo usus videtur Gregorius Magnus, *L.9. Ep.29.*, cum ad Episcopum scriberet: *Portio Cleri, vel pauperum, quàm minimè decessor vester præbuerat; &c. Præbendi sunt Clericis per singulos solidi seatam, &c.* At ex Cassiodoro, *Variarum L.3. Ep.42.*, manifestum fit à terrenę militiæ usu ad cœlestem hanc nostram Præbendæ vocem manasse. Nam & militibus distribuebantur, ac *præbebantur* esculenta, poculenta vestes, pecuniæ. *Ducibus, ac Præpositis sufficientem transmisimus pecuniæ quantitatem, ut eorum Prębenda, quæ non potuerunt convehi, ibi debuissent sine alicujus dispendio comparari.*

II. Unde messis plerumque copiosior nobis efflorescit, ex Gallicana ordiemur hic Ecclesia. Cum commendasset Episcopis Concilium Agathense anno 506. *Can.7.* ut diligentissime conservarent *sufellas, vel mancipiola Ecclesiæ, & ea quasi commendata haberent, nec alienare præsumerent:* mox tamen indulsit, ut Clericis etiam, vel peregrinis utendos annuerent fundos minusculos, & viliores. *Minusculas verò res, aut Ecclesię minus utiles, peregrinis, vel Clericis, salvo jure Ecclesię, in usum pręstari permittimus.* Hæc rudimenta sunt Beneficiorum, ut nunc quidem habent, hoc est, fundorum Clericis usufructuario jure concessorum, & ad Ecclesiam revocandorum, *salvo jure Ecclesię.*

III. Proclive est tamen conjicere vetustiorem fuisse eum usum, etsi necdum ulli eum Canones commendassent, Alio enim ejusdem Concilii Canone prohibentur Clerici isti fundorum Ecclesiæ usufructuarii, sive ruri, sive in civitate, quidquam horum alienare: irritas enim fore venditiones, & damna, si qua invexerint, Ecclesiis resarcienda, ex eorum patrimoniis. *Ut Civitatenses, sive Diœcesani Presbyteri, vel Clerici, salvo jure Ecclesię rem Ecclesię, sicut permiserint Episcopi teneant: vendere autem aut donare penitus non præsumant. Quod si fecerint &c. Can.22.*

IV. Propè abest à vero, Parochos primom ruris his Episcoporum inusitatis donis affectos fuisse, unde & illi ante alios in hoc ipso Concilio admonentur instantius, ne quid alienent fundorum. Cum enim longinquiores essent hi agri, cogebatur quodammodo Episcopos eos & colendos, & fruendos vicinioribus annuere Parochis, servatis sibi iis de quibus superius diximus juribus censibusque. *Diacones, vel Presbyteri in Parochia constituti, de rebus Ecclesiæ sibi creditis nihil audeant commutare, vendere, &c. Can.49.*

V. Illud in his valde dilucidum est, has concessiones in potestate arbitrioque fuisse unius Episcopi. Necdum ergo fixa & stabilis erat ea institutio, non perpetua ulla, & irrevocabilis concessio; inolescebat consuetudo, necdum convalescere potuerat. Mortales exuvias corporis exeunte Beneficiario, fundos recuperabat Ecclesiæ suæ Episcopus, poteratque usque retinere, nec præterea in successores ullos traducere. Suppetit & aliud argumentum, quo prodatur novitas hujus institutionis. Ubi his agris Clerici per annos triginta potiti fuerant, præscripsisse se eos confidebant adversùs Ecclesiam, & in quos vellent posse transcribere. Concilium Aurelianense I. nugatoriam illam spem exsibilavit, dissuavitque hoc Canone. *Si Episcopus humanitatis intuitu, vineolas, vel terrulas Clericis vel Monachis præstiterit excolendas, vel pro tempore tenendas; etiamsi longa transisse annorum spatia probentur, nullum Ecclesia præjudicium patiatur; nec sęculari lege præscriptio, quę Ecclesię aliquid impediat, opponatur. Can.23.*

VI. Ex hoc ergo Canone largiebantur Episcopi, & usum, & reditus prædiolorum quorumdam, tam Clericis, quàm Monasteriis. Habes hic ergo Præbendas Cœnobiis concessas, immo & ex Concilio Agathensi peregrinis, hoc est, laicis, ut probabilis fert conjectura. Ejus rei posterioribus sæculis & frequentiora enituere exempla, & illustriora. Sed juvabit hic strictim adnotasse ejus usus initia. Interpellavit Cæsarius Arelatensis Symmachum Papam, tanquam morborum in Clero grassantium medicum opportunissimum, ut vehementiori aliquo decreto cohiberet has frequentiores jam in Ecclesiis Gallicanis fundorum concessiones, ut ne eas permitteret nisi in gratiam Cœnobiorum. *Nisi forsan aliquid potestatis intuitu Monasteriis fuerit largiendum.* Pontifex Rescripto suo vetuit eas concessiones, sed excepit tamen non sola Monasteria, verùm etiam Clericos benemeritos, & peregrinos gravi necessitate conflictatos. *Nisi forsitan aut Clericis honoram meritis, aut Monasteriis religionis intuitu, aut certè peregrinis necessitas largiri suaserit. Sic tamen ut hęc ipsa non perpetuò, sed temporaliter, donec vixerint, perfruantur. Symmac. Epist.5.* Gratificari ergo poterant Episcopi vel Clericis singulari meritorum laude commendatis, vel Cœnobiis, vel peregrinis egentibus: sive hi laici fuerint, sive Clerici, sive denique Episcopi, ut in B. Quintiano Episcopo Ruthenensi patuit, cui Arvernus & Lugdunensis Episcopi fruendos dedere agros aliquot, ad sui suorumque in secessu suo sustentationem.

VII. Si cujus Ecclesiæ Beneficiarius alterius Ecclesię suffragiis ad Episcopatum accerseretur, priori Ecclesiæ fundos restituebat, si quos ab ea assecutus erat. Ita sancit Decretum Concilii Epaonensis. *Can.14. Quisquis Clericus de munificentia Ecclesiæ, cui servierat adeptus, ad Summum Sacerdotium alterius est, aut fuerit ordinatus; quod dono accepit, vel acceperit, reddat. Quod usu, vel proprietate secundùm instrumenti seriem probatur emisse possideat.* Si parcimoniæ tamen suæ fructibus aliquid agrorum comparasset, sive usufructu sive proprietate possidendum, integrum ei erat eos retinere. Quo eodem rursus Concilio statutum est, *Can.18.*, ut quantumvis ultra legitimos præscriptionis annos, Episcopi, vel Clerici alii fundos Ecclesię tenuissent, eorum nihilominus morte Ecclesiæ eidem illi incunctanter recuperarentur.

VIII. Quanquam hæc autem Beneficia suis instructa fundis gratuita omnino essent, & nutu Episcoporum conferrentur: non tamen hactenus revocari posse visa sunt, nisi justis & rationabilibus causis. Ea de re promulgatum est solemne Decretum à Concilio Aurelianensi III. ne possit Episcopus Antecessorum suorum largitiones revocare, quamvis cogere possit, ut qui iis donati sunt, assentiantur commutationibus ejusmodi quibusdam, quibus nihil ipsis damni, utilitatis autem non parum Ecclesiæ afferatur. Sed quos quisque fundos Episcopus esset dilargitus, eos tum revocare posset, cum qui honestatos iis fuerat, minùs grati & memoris animi esset, & beneficium contumacia pensaret. *De munificentiis Sacerdotum id observandum, ut si quid præsenti tempore à Clericis de decedentium munificentiis habetur, vel possidetur, deinceps à successoribus nullatenus auferatur, &c. Si pro opportunitate Episcopo placuerit, quod voluerit commutare, sine accipientis dispendio, in locis aliis commutetur. De munificentiis verò præsentibus, quas cuiusquisque Clericis pro sua gratia eorum obsequiis æstimant conferendas, sicut in arbitrio dantis est, ut tribuere, quibus voluerit, debent: ita si inobedientia vel contumacia in aliquo accipientis extiterit, culpa agnita in arbitrio sit præsidentis, utrum vel qualiter debeant revocari. Can.17.* Quasi dicatur potuisse Episcopos in dicta causa agris à se donatis exuere eos, qui immorigeros se & contumaces præstarent: at eorum successores id jam non po-

potuisse nisi canonico judicio. Hoc statutum extorsit, ut opinor, necessitas moderandæ Episcoporum quorundam importunitatis, præfestinè ardentis ad deprimendos, qui ab eorum Majoribus fuissent provecti, & ad novos homines eorum spoliis ornandos. Certè necdum stabiles, necdum fixæ & perennes erant hæ Præbendæ, necdum certis vel Officiis, vel Ordinibus adscriptæ. Gratoita erant & libera Episcoporum beneficia, quæ tamen pro ipsa quorumlibet beneficiorum lege collocanda ooo essent, nisi iis, quorum vel compensanda esset virtus, vel ignavia excitanda.

IX. Concilio Aurelianensi IV. declaratur, eas fundorum concessiones factas fuisse, alias verbo, alias scripto, *Seu verbo, seu per scripturam acceperit aliquid ad utendum*. Can. 18. Quoquo illæ modo fierent, jus Ecclesiæ præscribi non poterat. Episcopus Cænomanensis, cujus testamentum Baronius, *an. 652. n. 14.*, & Brissonius publicavere, Defensori suo legebat usumfructum quorundam agrorum, eo extincto, Ecclesiæ restituendorum. Nee minùs conspicua Concilii verba anno 506. *Clerici quilibet quacumque diuturnitate temporis de Ecclesia remunaeratione possederint, in jus proprium præscriptione temporis non vocentur, dummodo pateat Ecclesia rem fuisse. Ne videantur etiam Episcopi administrationes prolixas, aut precatorius, tum ordinati suas, facere debuisse, aut diu retentas facultates in jus proprietatis sua posse transcribere*. Can. 59. Benemeritis ergo de Ecclesia Clericis binc patet tributos fuisse istiusmodi fundos, vel Episcopi testamento, vel inaugurationis tempore. Concessiones eæ *Precatoria* dicebantor. Hac eadem voce utitur Concilium Epaonense aono 517. admonetque Clericos aliquando ad id non Episcopi, sed Regis diploma impetrasse: nec magnopere laborat hoc Concilium de ea re, dum agri illi aliquando tandem Ecclesiæ redintegrentur. *Clerici quod etiam sine precatoriie qualibet diuturnitate temporis de Ecclesia remuneratione possederint, tum authoritate domui gloriosissimi Principis nostri, in jus proprietarium præscriptione temporis non vocetur, dummodo pateat Ecclesia rem fuisse*. Can. 18. Excriptum est hoc Decretum ex Concilio Agathensi, cum illo tameo additamento de diplomatibus Regum Burgundiæ. Nec ab his abludit Canon Concilii Remensis anni 630. En verba ejus: *De his, quæ per precatoriam impetrantur ab Ecclesia, ne diuturnitate temporis ab aliquo in jus proprium usurpentur*. Can. 1. Operosum non est hæc precaria ab illis dispescere, de quibus & in Formulis sois Marculphus, & nos alibi copiosiùs.

Canooe VII. Concilii V. Parisiensis anni 615. prohibitum est, oe quid deliberetur de rebus Ecclesiæ vacantis, nisi aperto Episcopi testamento. Idque non aliò magis spectare videtur, quàm ad dona frequentissima testantium Episcoporum. Quo Clotarius II. Edicto suo confirmavit Canones hujus Concilii, integram eo sibi servavit facultatem dandorum Brevieulorum, hujusmodi scilicet, ut equidem iotarpretor, diplomatum, de quibus hic agitur à nobis. Noo intercessit, fateor, Concilium Parisiense. Atqui hane illi præformaverat indulgentiæ & sapientię normam Concilium Epaooense. Paulò animosiùs Concilium Aurelianense IV. Clericos damnaverat, Laicosque, qui inconsulto & imprudeote Episcopo à Regibus flagitabant fundos Ecclesiæ. *Si quis Clericus aut laicus sub potentum nomine atque patrocinio, rec ad jus Ecclesia pertinentee, contempto Pontifice petere, seu possidere præsumpserit, primùm admoneatur, quæ abstulit, civiliter reformare, aut certè judicium Episcopi sui operiri, ut poscit sacra Religio*. Can. 25.

X. Sed Clericis, Laicisque, qui ab Episcopo ea impetrassent, illa una incumbebat lex, ot nec alienare, neo cognatis suis legare posseot vel agros ab Ecclesia acceptos, vel si qua eis per eos accessio facta fuisset. *Quisquis agellum Ecclesia in diem vita sua pro quacumque misericordia à Sacerdote, cui potestas est, acceperit possidendum, quæcumque ibi profecerit, alienandi nullam habeat potestatem: nec sibi parentes sui ex ea re aliquid existiment vendicandum*. Ibidem Can. 34. Actio dabatur Ecclesiæ ad has accessiones agris suis in melius factas, juri suo vendicandas; non in ea, quæ alibi parcimoniæ suæ fructibus extruebant, vel comparabant Beneficiarii, ut jam advertimus in Canone suprà laudato.

XI Statuerat idem Concilium Aurelianense IV. si legasset testamento Episcopus prædiolum quodvis Clerico, qui in ejus possessionem ante missus esset, qoàm novus Episcopus ordinaretor; in arbitrio fore novi Episcopi, ut assensu vel dissensu suo rem firmaret vel iofirmaret. *In potestate sit advenientis Episcopi, utrum audere, aut rejicere decessoris sui debeat voluntatem*. Can. 35.

XII. Placuit denique huic Concilio, ut obeunte Clerico alterius Ecclesiæ, qui ab Episcopo fundum aliquem accepisset, idem fundus ei recuperaretur Ecclesiæ, à qua divulsus fuisset, major ei affineret ubertas, ad proprii Cleri necessitates levandas. *Si quis Episcopus alterius Ecclesia Clerico de facultatibus sua Ecclesia aliquid sub titulo quocumque donaverit, post ejus obitum, qui acceperit, ad Ecclesia jus, de cujus facultate discesserat, revertatur. Quia iniquum est, ut sub hac specie damnum Ecclesia, quam multse subveuit, patiatur*. Can 36.

XIII. Pœnas indixit Concilium Arelatense V. Clericis, qui ignavia & torpore suo squallescere & situ obduci sinerent agros, quorum eis Ecclesia usumfructum annuisset, commendasseique depositum; cum homicida ille sit pauperum, qui quo illi victitant, id disperdit. *Ut Clerici non liceat facultatec, quas ab Episcopo in usu accipiunt, deteriorare. Quod si fecerint, si junior fuerit, disciplina corrigatur: si verò senior, ut necator pauperum habeatur*. Can. 5.

XIV. Vetuit denique Concilium Lugdunense II. ne Clericis suis, vel Ministris & Officialibus auferrent Episcopi, quæ illis contulisset Antecessorum munificentia, sive agrorum Ecclesiæ usumfructum, sive portiones aliquas patrimonii demortui Episcopi, qui earum eis proprietatem legasset. *Ut quascumque munificentiae Clericis, aut servientibus, sive de rebus Ecclesia in usum, aut de propriis in proprietatem, præcedentes dederint Sacerdotes, subsequentes Pontificee nullatenus auferre præsumant*. Can. 5. Cumque possent & Beneficiarii provectiores ætate implicari iis ipsi culpis, quæ meliò castigandæ essent, jubet Concilium cautissimè, ut *in persona habeatur, non in facultate districtio*. Ne qua scilicet avaritiæ suspicio Episcopis affricari possit.

XV. Quæ horum & utilitas fuerit Canonum, & necessitas, luculentè prodet Historia Gregorii Turonensis. In beatas hinc sedes evolante Beato Gallo Arvernæ civitatis Episcopo, plebis studia & Cleri in Catonem Presbyterum & Archidiaconum Cantinum scissa fuere. Vicit Cautious, cumque ægrè ferret complures Clericos Catonis studio & artibus à se defecisse, & hunc & illos omoes rebus Ecclesiæ omnibus abdicavit, quos incuoctanter illis refudit, ubi unitati se & officio primùm reddidere. *Cautinus Episcopus videns Catonem nulla ratione posse flecti, ut sui esset subditus, tamei, quàm amicie ejus, & quicumque ei consentiebant, omnes res Ecclesia abstulit, reliquitque eos vacuos & inanes. Quicumque tamen ex ipsis ad eum convertebantur, iterum quod prediderant, recipiebant*. L. 4. c. 7.

Erat illud proculdubiò validissimum vinculum, quo in fide continerentor Præsulis sui, vel ad eam revocarentur actutum Clerici omnes, si ab eo exui, vel

vel restitui possent patrimonio omni Ecclesiastico. Fuit & io Clero Gregorii Turonensis Episcopi, qui Clerum ejus Ecclesiæ omnem in eum concitarit, cum io Palatium Principis profectus esset; rei temporalis potestate sibi vendicata, vineisque vel agris dono datis, ad principes ipsos Cleri sibi conciliandos. *Hic quasi jam esset Episcopus, in domum Ecclesiæ ingreditur impudenter, argentum describit Ecclesiæ, reliquasque res sub suam redigit potestatem, majores Clericos muneribus ditat, largitur vineas, prata distribuit. L.5. c.49.* Terris & vineis Etherius Episcopus Lexoviensis Clericum donavit, cui regendas Scholas, instituendos adolescentulos committebat: *Pontifex ei aliquid terra vinearumque largitus.* Cum B. Quintianus ab Ruthenensi ad Arvernum translatus fuisset Episcopatum, incidit & ipse ibidem in Presbyterorum, non Administratorem ærarii Ecclesiastici, sed expilatorem & incubatorem, à quo eum ne necessarii quidem victûs copia ei fieret: *Presbyter ærario ordinatus, omnem illi potestatem de rebus Ecclesiæ auferens, vix ei & satis tenuem quotidianum victum ministrari præcipit.* Cives tandem ulti sunt contumeliam Episcopi sui, eumque legitimæ reddidere potestati dispensandi proventus fundosque Ecclesiæ suæ, *L.6. cap. 36.*

C A P U T XVII. *P.2. l.4. c.20.*

Partitio fundorum Ecclesiæ in Beneficiarios, in Italia, Hispania & Oriente.

I. II. Usus idem Romæ & Hispaniæ, qui Galliarum.

III. Monasteriis & Parochiis donabantur prædia ab Episcopis, quæ Ecclesiæ Matrici nunquam restituerentur. Donabantur & Clericis, pauperibus & peregrinis, quæ his extinctis ad commune Ecclesiæ ærarium revocabantur.

IV. Si quid in melius adjecissent de suo Clerici, Laicique prædiis beneficii sui, id totum Ecclesiæ tandem vendicabatur.

V. His donis aliorum incitabatur diligentia, aliorum tarditas stimulabatur.

VI. Arbitraria erant hæ largitiones Episcoporum, qui jam hinc edebant veluti præludia quædam amplissimæ postea potestatis suæ in collationibus Beneficiorum. Multa hic notabilia.

VII. Hæc Episcoporum potestas in Parochiis arctari cœpit. Quando.

VIII. Hi fundi ad viduas & filios quandoque trajiciebantur Clericorum conjugatorum; quos mirum non est tum Beneficiariis adscriptos fuisse, cum erant & laici suo modo.

IX. In Oriente etiam agri Ecclesiæ laicis commendabantur. Ecclesiæ semper commodum.

X. Is usus Galliæ, Italiæ, Hispaniæ & Orienti communis, & ubique pervagatissimus, infelicissimè Galliæ cessit, ubi in plerasque Ecclesiarum terras & res laici non absimili beneficii titulo invasere.

I. HActenus de Gallicana tantùm diximus Ecclesia, & insinuatum est tamen à Symmacho Papa ad B. Cæsarium Arelatensem Episcopum perscribente, moris in ipsa Romana Ecclesia fuisse, ut Ecclesiæ agri usufructuario jure non committerentur nisi Clericis, vel captivis, vel peregrinis, ubi gravi quapiam arctarentur necessitate. Quarta in Synodo Romana idem confirmavit Symmachus: *Sed nec in usufructuario jure aliquibus dare liceat, nec data retinere, præter Clericos, & captivos, atque peregrinos. Cap.4.*

II. Usitatissimum & id erat in Hispania. Concilii II. Toletani Patres frui vetant Clericos vel vineis, quas excoluerint, vel quas in solo Ecclesiæ extruxerint, ædibus, nisi dum vita superabit; vetant & ad hæredes traduci, nisi ejus rei copiam facit Episcopus, ut optimè de Ecclesia meritis commodet, & obsequio præstantissimis Clericis. *Si quis Clericorum agellos, vel vineolas, seu alia ædificia in terris Ecclesiæ sibi fecisse probatur, sustentandæ vitæ suæ causa, usque ad obitus sui diem possideat. Post decessum jus suum Ecclesiæ restituat; nec testamentario, aut successorio jure, cuiquam hæredum, aut prohæredum relinquat, nisi forsitan cui Episcopus pro servitiis aut præstatione Ecclesiæ largiri voluerit. Can.4.*

III. Extrema hæc verba, *aut præstatione Ecclesiæ*, posset quis rapere, ad precarias, vel præstarias, de quibus Marculphus in Formulis, de quibus & nos alibi. In Concilio Toletano III. perspicuæ sunt eædem largitiones Episcoporum in Clericos, pauperes, peregrinos, quos usu donabant ad tempus, vel ad vitam prædioli alicujus Ecclesiæ. Perpetua enim erant ea Beneficia, cum iis afficiebantur Cœnobia, vel Parochiæ agrestes. *Si quid verò, quod utilitatem non gravet Ecclesiæ, pro suffragio Monachorum, vel Ecclesiis ad suam Parochiam pertinentibus dederunt Episcopi, firmum maneat. Peregrinorum verò vel Clericorum, & egenorum necessitati, salvo jure Ecclesiæ, præstare permittantur, pro tempore, quo potuerint. Can.3.* Perspicua est hæc discrepantia duplicis generis Præbendarum, quæ & *præstimonia* dicta sunt à voce vetustissima, & in Canonicis institutis tritissima *præstare*. De aliis dicitur *firmum maneat*; de aliis verò *salvo jure Ecclesiæ*. Ad Ecclesiam Matricem illa non revocabantur unquam, hæc semper revocabantur. Egestati enim hæc dabatur. Atqui privatorum egestas morte terminabatur; non Monasteriorum, vel Parochiarum. Nec minùs dilucida res in Canone sequenti. *Can.4.* Conceditur Episcopis, ut in Parochia aliqua sua Monasterium extruant, eique fundos adjiciant, *cum consensu Concilii sui*, sive Capituli: ita sanè ut irrevocabili hac largitione non nimis extenuetur Ecclesia Cathedralis. *Si de rebus Ecclesiæ pro eorum substantia aliquid quod detrimentum Ecclesiæ non exhibet, eidem loco donaverit, sit stabile.*

IV. In Concilio Toletano IV. scripto etiam obligari placuit, tum Clericos, tum Laicos, quibus præstimonia hæc Ecclesiastica conferebantur, ut ea nomine Ecclesiæ tenerent, pro virili sua excolerent, & amplificarent, & Ecclesiæ restituerent cum additamentis omnibus, ubi ex vita migraturi essent. *Decernimus ut quisquis Clericorum vel aliarum quarumlibet personarum stipendium de rebus Ecclesiæ, cujuscumque Episcopi percipit largitate, sub precariæ nomine, debeat professionem scribere, ut nec per detentionem diuturnam præjudicium afferat Ecclesiæ, & quæcumque in usum perceperit, debeat utiliter laborare, nec res divini juris debeat aliqua occasione negligi, & subsidium ab Ecclesia, cui deserviunt, percipere possint Clerici. Quod si quis eorum contempserit facere, ipse se stipendio suo videbitur privare. Can.5.*

V. E re duxit etiam Concilium Emeritense, ut agris quibusdam donarent Episcopi Clericos, quorum esset diligentia & fides illustrior, tum ut hac mercede magis magisque inflammesceret horum strenuitas, tum ut aliorum inertia excitaretur. Si post autem hi Beneficiarii cessent ab excolendis, adeoque ad uberiores fructus promovendis his prædiis sibi commendatis, tum verò iis spoliandos esse. *Quemcumque Episcopus ad bonum profectum viderit crescere,*

fcere, per bonam intentionem venerandi, amandi, & honorandi, atque de rebus Ecclesię, qua voluerit, illi largiendi habeat potestatem. Hac enim causa & majoribus majorem prestat gratiam, & minores excitat, ut ad melius tendant, &c. Rem Deo dicatum, ad melius perducant. Quod si id, quod acceperint, ad profectum minimè produxerint, aut detrimentum patuerit, Episcopus habeat licentiam sine ullo prajudicio in jure Ecclesia revocare rem propriam. Can.13.

VI. Dilucescit in his Hispanicæ statutis Ecclesiæ eadem prorsus, quæ Galliarum Disciplina. 1. Hoc genus Beneficiorum cum fundis quibusdam & agris, erumpebat in lucem, & expoliebatur, nequedum elimatum, aut fixum erat. 2. Libera ea erant Episcopi beneficia, quæ nutu suo conferebat, nec ejusdem post ordinis vel officii successori cooferebat. 3. Easdem & laicis quandoque Præbendas annuebat, vel ut pauperibus, vel ut peregrinis 4. Parochiis quoque & Monasteriis fundos perpetua munificentia adjiciebat. 5. Sed ea universim vigebat lex, ut ne vel ad tempus, vel perpetuò conferret fundos, nisi valde tenues, quorum segregatione nihil admodum præjudicii gigneretur Ecclesiæ Cathedrali. 6. Cum enim & raræ & moderatæ essent hæ largitiones, constabat semper illud, bona Ecclesiæ omnia in commune à Clero possideri, eorumque summum dispensatorem esse Episcopum. 7. Qui fundi Clericis permittebantur, eos post eorum obitum ad se revocabat Ecclesia. Quæ Abbatiis prædia, vel Parochiis addebantur, irrevocabili jure illis accrescebant. 8. Nec necesse habebat Episcopus opperiri mortem, aut spolia Beneficiariorum. Spoliabat ipsemet eos si vel cultus, vel reparationum inopia decrescere cerneret, aut deperire agros Ecclesiæ eis concreditos. Idque indicta etiam causa, pro summa sua potestate præstabat. 9. Laici Beneficiis bis non recreabantur, nisi extrema hortaretur eorum paupertas. 10. Conferebantur eadem Clericis Beneficia, veluti non indebita summæ eorum strenuitatis, diligentiæ, & pietatis prœmia. 11. Proludebant jam tum & in Hispania & in Gallia Episcopi summæ suæ futuræ potestati in conferendis omne genus Beneficiis cum eorum etiam Collatores antè essent, quàm eo, quo nunc sunt sensu, Beneficia essent, aut dicerentur. 12. Quin & hæc amplior superiorque, quam conferendi potestas erat, cum Beneficia nutu & arbitrio suo hæc vel conferrent, vel revocarent.

VII. Diximus potuisse Episcopos adjicere Parochiis, non auferre. Id prolixius declaratur lege Vambæ Regis, qua jubentur Episcopi, quæcumque Parochialibus Ecclesiis abstulerint, ea restituere, nec verò se tueri inani venditatione tricenariæ præscriptionis. *Abrogata ergo totius cupiditatis licentia, nulli Pontificum ultra licebit quidquam ab Ecclesiis Diœcesis suę auferre, aut ablatum quodcumque per oppositionem tricennii vindicare.* Leges Visigoth. l.4. T.5. c.6. Precipitur mox, ut quos Episcopi instituunt Parochos, cæterosque Beneficiarios, notitia instruant & chartis omnium terrarum & immobilium Ecclesię cujusque suæ, Archiva ut authentica in Tabulario serventur Episcopi, apographa singulis Beneficiariis concedantur. *Ut Episcopi omnes, quoscumque per Ecclesias, sive Diœceses Sacerdotes, Rectoresque ordinandos elegerint, cognitores eos efficiant de utilitatibus illius Ecclesia, in quibus fuerint ordinati. Id est, ut quidquid unusquisque Episcoporum de Scripturis Ecclesia Diœcesis sua apud se conservationis causa habere se noverit, mox Rectorem quem ordinaverit Ecclesia, ei utilitates Ecclesia, vel Scripturas in cognitionem deducat, &c. Ut & competentia sibi Rectores Ecclesiarum authentica videant, aut exemplorum, exemplaria, manu sui Episcopi roborata, pro omni firmitate à Pontifice suo accipiant.*

VIII. Id denique Legibus Visigothicis sancitum est, ut Presbyterorum viduę, aliorumque Clericorum, qui prolem suam obsequio & tuitioni Ecclesię mancipassent, agris gauderent iisdem Ecclesię, quibus & antè mariti. *Sed & vidua Sacerdotum, vel aliorum Clericorum, qua filios suos obsequium Ecclesia commendant, pro sola miseratione, de rebus Ecclesiasticis, quas pater tenuit, non efficiantur extorres.* L.5. T.1. c.4.

IX. Pauca suppetunt ex Ecclesia Orientali, quę huc referri possint. Quanquam si res ponderes magis, quàm numeres, plurimum utique momenti sit in lege Leonis & Anthemii, quam & postea suo Codici inseruit Justinianus, *L.1. De sacris Eccl. Leg.14.*, qua Oeconomis Ecclesię concedunt *prastare*, aut ad usumfructum dare fundos Ecclesię ad certum tempus, ea cautione, ut qui eo beneficio usus fuerit dum superstes esset, tantundem redituum ante mortem Ecclesię refundat, & fundum ipsum Ecclesiæ cum immobilibus omnibus. *Non minus, quam alterius tanta quantitatis, quanta acceperit reditus, cum ipsorum prædiorum dominio & rebus immobilibus, eorum colonis & mancipiis Ecclesia derelinquat.*

X. Mirum non est, si suos laicis fundos Ecclesia ad usumfructum præberet, cum ex eorum reciprocis donationibus tantum compendii ad ipsam rediret. Sed Ecclesiæ Gallicanæ non magnopere gratulandum fuit de his patrimonii pauperum innoxiis incrementis; cum ea illecebra inescati laici, fundos ipsimet Ecclesiæ postea pene omnes occupaverint, & nomine Beneficii diutissimè retinuerint. In Oriente ex adverso in potestate Episcoporum fuere Ecclesiarum prædia.

CAPUT XVIII. *P.3. l.4. c.12.*

De partitione rerum Ecclesiarum Parochialium in Episcopum, in Clerum, in Pauperes, in sarta tecta, sub Imperio Caroli Magni & ejus stirpis.

I. Decima Parochiarum agrestium earum Ecclesiis addicebantur.

II. Solvebantur illis decima ex illis ipsis agris, qui juris erant Ecclesia Cathedralis, vel Cœnobii.

III. Ubique fere renunciaverant sua sponte Episcopi quarta parti decimarum, quam illis Canones adjudicarant ex decimis Parochiarum.

IV. Quo jure potissimum hic niterentur Episcopi.

V. Quem in usum consumenda essent decimę.

VI. Quadripartita divisio decimarum cujusque Parochia.

VII. De portione Episcopi & Cleri.

VIII. De portione fabrica & reparationum.

IX. Hujus partitionis rationes faciebant Parochi, Episcopi.

X. Cum testimonio virorum frugi.

XI. Qui usus Italia.

XII. Cur de distributione decimarum rationes Episcopo fierent.

XIII. In Germania Episcopi suam sibi decimarum portionem retinuerant. Quarta ea pars erat.

I. UT dilucidior fiat proventum Ecclesiæ partitio quadripartita, illis medii ævi sæculis quæ complexum est Caroli Magni, ejusque Imperatoriæ stirpis regnum, ab Ecclesiis ordimur Parochiarum ruris, quibus plerumque suæ jam decimæ permissæ erant, & peculiariter dicatæ alendis

dis loci pauperibus, eam curam Parochis commendante peculiariter Episcopo, eosque subinde ad rationes faciendas vocante. Ita enim Caroli Magni Capitularia. *L.5. c.123. Unasquisque suam decimam donet, & per jussionem Episcopi dispensentur.* Primus omnium Episcopus ipse decimas partitus fuerat, & impartitus Ecclesiis Parochialibus & Baptismalibus suæ ditionis, ut ex iisdem Capitularibus patet. *De decimis ubi antiquitus fuerant Ecclesiæ baptismales, & devotio facta fuit, juxta quod Episcopus ipsius Parochia ordinaverit, omnimodis fiant donata. Conc. Gall. Tom.2. pag.252.* Ingentia siqua prædia Reges & Optimates Cathedralibus largirentur Ecclesiis aut Cœnobiis, eorum decimæ nihilo minus Ecclesiæ Parochiali persolvebantur post eam donationem, quàm ante. *Si donatione Regum, &c. Ad Episcopia & Monasteria aliqua res delegata sint, & ex ipsis rebus antiquitus ad ipsas Ecclesias priores decima data fuerint, ipsa donatio permaneat, tamen decimas de ipsis rebus, qui eas possidere videntur, tribuantur. Ibidem.* Quanquam in privatorum hominum fundis novæ extruerentur Ecclesiæ, decimæ non aliter, quàm ante joris erant Ecclesiarum Parochialium. *Semper ad antiquiores Ecclesias, decima persolvantur.* Et alibi: *Ecclesia antiquitus constituta, nec decimis, nec aliis possessionibus privetur, ita ut novis oratoriis tribuantur. Cap. l.2. c.36.* Quod & legere est in Canone Concilii Moguntini. *Conc. Mogunt. c.41.* Accipe denique & Concilii Turonensis III. decretum, *Addit.3. conc. c.51. Turo.3. c.16.*, quo decimæ hæ alendis maximè pauperibus dicantur, provisuro Episcopo, ut fide & diligentia, qua par est, id fiat. *Ut decima quę singulis dabantur Ecclesiis per consulta Episcoporum à Presbyteris ad usum Ecclesię & pauperum summa diligentia dispensentur.*

II. Nec nuper tantum donati Ecclesiis, vel Monasteriis agri, decimas suas Parochiis exolvebant, sed & possessiones vetustissimæ. Quin & coloni, servique & agricolæ cum stirpe sua decimas ei pendere jubebantur Ecclesiæ, in qua toto anni curriculo sacra Mysteria frequentabant. Ita enim statuit Concilium Cabilonense II. *Questi sunt quidam fratres, quod essent quidam Episcopi & Abbates, qui decimas non sinerent dari Ecclesiis, ubi illi coloni Missas audiunt: Proinde decrevit sacer iste Conventus, ut Episcopi & Abbates, de agris & vineis, quæ ad suum vel fratrum stipendium habent, decimas ad Ecclesias deferri faciant; familia verò ibi decimas dant, ubi infantes eorum baptizantur, & ubi per totum anni circulum Missas audiunt. Can.19.*

III. Et prisci quidem Canones quartam partem Episcopo addixerant decimarum & oblationum cujusque Parochiæ. Sed ex hic laudatis Canonibus indubium fit, Gallicanos Episcopos eo se jure ultro exuisse; & decimas omnes oblationesque dimisisse Parochis, quo lubentiùs & liberaliùs pauperibus providerent. Eam in rem apertissima est Constitutio Concilii Parisiensis VI. anno 829. quę non sinit Episcopum quartam illam partem vel summis digitis attingere, nisi ubi summa coget Ecclesiæ suæ necessitas. *Et quanquam authoritas canonica doceat, ut quarta pars decimarum & reditnum ex oblationibus fidelium in usus Episcoporum cedat, absque tamen Episcopus sua habet satis contentus sit: ubi autem nihil rerum Ecclesia suę habet, accipiat de memorata quarta parte sibi suisque, non quod avaritia, quod absit, suaserit, sed potius quod necessitas compulerit: Cęterùm si accipiendi nulla necessitas urserit, nihil de memorata quarta parte accipiat, sed usibus Ecclesiarum, & pauperibus Christi impertiendam, secundùm suam dispositionem relinquat. Can.31.*

IV. Episcopale itaque jus & imperium in decimas & proventus omnium ruris Parochiarum nitebatur, 1. Vetustissimo usu & ab ipsa usque origine Ecclesiarum profecto, quo Episcopus temporales res omnes Ecclesiæ in sua Diœcesi in potestate & ditione habebat; cum Parochias omnes procreasset, instituissetque Episcopus, & parte aliqua donasset Diœceseos sibi à Deo unı creditæ. 2. Concessione spontanea quam fecissent Episcopi quartæ istius portionis, sibi hactenus reservatæ, tanquam canonicæ Episcoporum portionis, ex illa solemni quadripartita omnium distributione.

Missas facio Regias & Ecclesiasticas leges, quæ vetabant, *Capital. l.5. c.145. Theodulph. Capitul. c.14.*, ne Parochi, aut Laici decimas unius Parochiæ in aliam transferrent. Propero enim ad partitionem à singulis Parochia faciendam Ecclesiæ suæ decimarum, oblationum, proventuum denique quorumcumque.

V. Universim edicunt Capitularium libri, ut reditus hi omnes expendantur in alendos pauperes, restaurandas Ecclesias, Clericos fovendos, excipiendos Episcopos, hospites & peregrinos, tecto & mensa. *Unde pauperes recreari, Ecclesia restaurari, Clerici vivere, Episcopi recipi, hospites & peregrini pasci debent.* Sedulitate & labore conspicuos Clericos jubent & impensius coli, & largius donari. *Clerici omnes, qui Ecclesia fideliter vigilant, atque serviunt, stipendia sanctis laboribus debita secundùm servitii sui meritum, vel ordinationem Canonum à Sacerdotibus consequantur. Capital. l.7. c.152. 227.*

VI. Sed alibi præfigunt Capitularia famosam in quatuor partes distributionem, in fabricam Ecclesiæ, in pauperes, in Parochum & Clericos, in Episcopum denique, qui arbitratu suo quartam hanc partem dispensabit. *Instruendi sunt Presbyteri, quatenus noverint, decimas & oblationes pauperum & hospitum & peregrinorum esse stipendia. Qualiter verò dispensari debeant, Canones sacri instituunt. Scilicet ut quatuor partes ex omnibus fiant, una ad fabricam Ecclesiæ relevandam, altera pauperibus distribuenda, tertia Presbytero cum suis Clericis habenda, quarta Episcopo reservanda, & quidquid exinde Pontifex jusserit, prudenti consilio est faciendum. Capitul. l.7. c.290.* Brevius idem alibi præcipitur, cum divisio fieri jubetur *juxta præceptum proprii Episcopi, secundùm canonicas sanctiones, atque decreta beati Gelasii Papæ. Addit. 4. c.94.*

Capitulare Episcoporum anni 801. tripartito distribui jubet decimas in Ecclesiam, in pauperes, & in Clerum. *Sacerdotes decimas secundùm authoritatem Canonicam dividant coram testibus. Et ad ornamentum Ecclesiæ primam eligant partem, secundam autem ad usum pauperum vel peregrinorum; tertiam sibimetipsis soli Sacerdotes dispensent. Baluz. Capitul. Tom.1. pag. 357.*

VII. Quarta hæc portio Episcopo servata, & à Parocho dispensanda ex præscripto Episcopi, expendebatur semper in usus & necessitates Parochię ipsius, nisi Episcopi & Ecclesiæ Cathedralis res in arcto essent. Cum rarissimum id porro esset, hinc est quod alibi tres tantùm commemorantur portiones, non quatuor: *Ad ornamentum Ecclesiæ primam eligant portionem; secundam verò ad usum pauperum, vel peregrinorum: tertiam sibimetipsis soli Sacerdotes reservent. Conc. Gall. Tom.2. pag.259.* Ita Capitulare Episcoporum.

In iisdem Caroli Magni Capitularibus alibi præcipitur, ut opulentioribus in Ecclesiis tripartitæ divisionis partes duæ in pauperes dispergantur, tertia reliqua in Clericos: in minùs locupletibus æquæ partes erunt Cleri & pauperum. *In ditioribus locis duas partes in usus pauperum, tertiam in stipendia tradere Clericorum, aut Monachorum: in minoribus verò locis æquè inter Clerum & pauperes fore dividendum. L.1. c.87.* Dicemus inferiùs cur portio in sarcta tecta quæ destinata erat, silentio hic quandoque prematur.

VIII.

VIII. Nec id prætermisit Jonas Aurelianensis Episcopus, ubi Nobilibus succenset, qui suis in latifundiis Ecclesias exædificabant, atque ita confidebant, in partem se vocari debere aliquam decimarum & oblationoum, vel à Clericis Parochisque obsequia sibi oon mediocria exhibenda fore. Monet porro illos Jonas, *de Instit. laic. l.2. c.19.*, non esse Nobilium, sed Episcoporum decernere, quæ Partitio fieri debeat decimarum & oblationum. *Non enim ad Laicorum sed ad Pontificum ministerium, per quos Basilicæ Deo dedicantur, pertinet, qualiter oblationes & decimæ fidelium Deo oblatæ, dispensentur ordinatè. Pontificum sanè ministerium est, quantum ex eisdem fidelium oblationibus in fabricis applicetur Ecclesiæ, quantum in luminaribus concinnandis, quantum in colligendis hospitibus, & pauperibus recreandis, quantumque in Presbyterorum, eorumque qui secum militiam Christi gerunt, necessitatibus sublevandis, expendetur, disponere; non laicorum, ut in suos suorumque ex his quidquam retorqueatur usus exigere.* Additur verò mox ab eo, eam Laicorum infestationem ab Ecclesiæ cervicibus excussisse Ludovicum Pium Imperatorem.

IX. Universim itaque diffinierant Canones, in quot portiones, & in quos distribuendæ essent opes Ecclesiæ: sed hoc opus, hic labor erat, ut bona fide his legibus obtemperaretur. Ea sanè Episcopis providentia demandata erat. Hinc Heraldus in Capitulari, *Cap.35.*, testatum facit, Parochos quotannis Episcopo rationes exhibuisse, & calculos expensarum suarum. *Annis singulis rationem suæ dispensationis Episcopo, vel suis ministris reddant.* Idem habet & Concilium Pontigonense. *Can.11. Ann.888. Decima qualiter à Presbyteris Canonicè dispensetur, in potestate Episcopi maneat.* Denique Concilium Metense sub Odone Rege. *Can.2. Nemo Seniorum de Ecclesia sua accipiat de decimis aliquam portionem; sed solummodo Sacerdos eas cum integritate accipiat in sui sustentationem, & ad luminaria concinnanda, & Basilica ædificia, vestimenta quoque Sacerdotalia, & cætera utensilia suo ministerio congrua obtinenda. Hæc omnia Episcopi de suis Ecclesiis & cæteri attendere decreverant.*

X. Docet tamen Hincmarus in ea distributione facienda nil debuisse Parochum testimonio duorum triumve civium probatissimorum; ab eodem verò rationes maximè faciendas fuisse Episcopo de portione ea, quam vel pauperibus Canones, vel Episcopis dicassent. *Ut ex decimis quatuor portiones fiant juxta institutionem Canonicam, & ipsæ sub testimonio duorum aut trium fidelium studiosè & diligenter dividantur; & ut de duabus portionibus Ecclesiæ & Episcopi ratio reddatur; per singulos annos, quid inde profecerit in Ecclesia. Tom.2. pag.717.*

XI. Eadem disciplinæ lex in Italia vigebat, una & eadem partitionis ratio, una & eadem necessitas rerum & rationum omnium ad Episcopum referendarum. Sic enim Concilium Papiense IV. sub Leone IV. anno 850. *Secundùm Episcoporum dispositionem, Sacerdotum & reliquorum Clericorum usibus, cæterisque Ecclesiasticis utilitatibus distribuenda sunt decimæ. Can.17.* Et alterum Concilium Papiense anni 855. *In sacris Canonibus præfixum est, ut decimæ juxta Episcopi dispositionem distribuantur. Quidam autem laici, qui in propriis, vel Beneficiis suis habent Basilicas, contempta Episcopi dispositione, non ad Ecclesias, ubi baptismum percipiunt, decimas suas dant, sed vel propriis Basilicis, vel suis Clericis pro suo libitu tribuunt. Quod omnimodis divinæ legi & sacris Canonibus constat esse contrarium.*

XII. Nova hic se aperit ratio moderatores & judices constituendi Episcopos in tota decimarum & oblationum dispensatione. Non enim eò dumtaxat illa Episcoporum pertinebat authoritas, ne pauperum portio aliò derivaretur, aut ne Clerici necessario frustrarentur victu, cultuque; aut ne fabricarum proprii reditus in alios usus defluerent; aut ne quarta portio Episcopis dicata dilapidaretur. Sed etiam ut Laicorum quorundam frangeretur impotentia, qui alicubi se quoque in partem aliquam earum distributionum venire debere sperabant: alibi decimas prædiorum suorum, non in antiquas Parochias, sed in novas comportari debere contendebant Capellas, quas suis ipsi fundis inædificaverant, & quæ speciem quandam jam præ se ferebant simplicium Beneficiorum. Nisi Episcoporum authoritas intervenisset, conclamata erant jura antiquissima Parochorum, & Parochialium Ecclesiarum.

XIII. Episcopos autem Germaniæ nequaquam suæ huic quartæ portionis renuntiasse, author est Aython Basileensis Episcopus in Capitulari. Sed & illud ab eodem ipso insinuatur, quarta parte contentos eos fuisse, cum Concilia Hispaniæ tertiam Episcopis seposuissent. *Decimæ tertia pars secundùm Canonem Toletanum Episcoporum debet esse. Nos verò hac potestate uti nolumus; sed tantùm quartam partem juxta Constitutionem Romanorum Pontificum, & observantiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, de eadem habere volumus.*

CAPUT XIX. *P.3. l.4. c.13.*

Agri Ecclesiæ in beneficium Clericis dati sub Imperio Caroli Magni, & ejus stirpis.

I. Cur proventuum Ecclesiæ sectio in partes quatuor, quæ olim Episcopis, hic Parochis præcipiatur.

II. Jam antè Episcopi Clericis complaribus fundos Ecclesiæ in beneficium dederant. Probatur ex Concilio Aquisgranensi.

III. Cœperant & Abbates Monachis Obedientias & Prioratus conferre. Id hoc Concilio vetitum est.

IV. Cum Episcopi fundis Ecclesiæ laicos etiam donarent non rarò, qui non donassent & Clericos?

V. Conducibile erat Clericis dare ad laicorum ambitum prævertendum.

VI. Varia Beneficia ab Episcopis in pauperes distributa.

VII. Collatis semel Beneficiis exui non poterant laici, nisi justis causis, alioquin ad Regis tuitionem illi adversùs Episcopum confugiebant. Hinc æstimandum de Clericis.

VIII. Ubi Clericus Beneficiarius diem suum obierat, non erat necesse ut Episcopus eodem quempiam alium Beneficio donaret.

IX. Mensam quandoque communem partiti inter se sunt Canonici.

X. Disciplina Orientalium Ecclesiarum.

I. ILlud capite superiori & observare & admirari fas erat, quod famosa illa in quatuor partes distributio superioribus in Conciliis toties Episcopis commendata, hic jam nonnisi Parochis præcipiatur, qui Parochiarum modò suarum reditus colligebant. Ejus novitatis & discrepantiæ rationes hoc aperiemus capite, & duobus sequentibus. Prima autem ea est ratio, quòd plurium jam fundorum usufructu donati essent Clerici ab Episcopo in titulum Beneficii. Altera est, quòd Episcopi complures Canonicorum Congregationibus communem agitantibus vitam bene multa largiti essent Ecclesiæ suæ latifundia. Tertia est quòd & fundi essent jam non pauci in Ecclesiarum reparationes consecrati.

II.

II. Harum rationum prima toto hoc capite paulo latiùs explanabitur. Concilium Aquisgranense anni 816. manifestissimè prodit fuisse jam Canonicis quibusdam agellos Ecclesiæ usufructu datos, ubi jubet, qui his donati fuerint, eos contentos fore præterea mensa & victu communi, abstenturos autem pecuniariis distributionibus. *Qui & suas, & Ecclesiæ res habent*. At qui nec agris ejusmodi Ecclesiæ, nec privato patrimonio gaudebunt ullo, eos hujus pecuniæ participes fore. *Qui nec suis rebus abundant, nec Ecclesiæ habent possessiones*. Cap.120. Denique si qui infucato paupertatis amore, & patrimonio renuntiaverint, & omnem spem abjecerint Beneficiorum: illis longè liberaliùs consulendum esse, ne qua illis re desit Ecclesia: *Porro si tales fuerint, qui nec suas, nec Ecclesiæ velint habere possessiones*. Cap.4. Eadem verò cum hæc verba in Regula quoque legantur Crodogangi, ex qua & huc translata sunt, hinc fateri cogimur jam inde à temporibus Pipini Regis, Canonicis etiam in Congregationes adunatis, sua fuisse Beneficia privatim, hoc est, Ecclesiæ prædia in usumfructum data,

III. In Cœnobia ipsa Monachorum hic usus illapsus fuerat, sed & statim proscriptus fuerat in Aquisgranensi Abbatum Conventu anno 817. Vetantur enim Abbates sæpiùs ipsimet expatiari in obedientias & villas Cœnobiorum suorum, eorumque administrationem Monachis suis commendare, aut permittere, ut in illis diutiùs commorentur. *Ut villas frequenter, & nisi necessitas coegerit, non circumeant Abbates, neque suis illas Monachis custodiendas committant, & si eos ire ad eas necessitas fuerit, expleto necessitatis negotio, ad sua mox Monasteria redeant*. Cap.26. Vides ut jacerentur fundamenta Prioratuum & Obedientiarum, & jam tum illis Concilia refragarentur.

IV. Vix autem, ac ne vix poterant tum quidem Episcopi non eadem Clericos prosequi munificentia, qua Laicos, quibus frequentissimè fundos Ecclesiæ utendos ad tempus, vel ad vitam annuebant in Beneficium. De his alibi jam sæpè & prolixè verba fecimus. Hic obiter refricabo, quod alibi relatum est de Carolo Calvo Rege, qui ab Hincmaro Laudunensi Episcopo petiit & exoravit agrum Ecclesiæ, quem Aulico cuidam suo Normanno nomine in Beneficium conferre avebat. *Ut eam Normanno beneficiaret*. Expostulat Hincmarus Remensis Archiepiscopus, quòd illud Ecclesiæ prædium Regi concessisset Laudunensis Præsul injussu Metropolitani sui, consultis Episcopis Provinciæ, & Clericis Ecclesiæ suæ: quod per Canones haud fas erat. *Quando illam concessionem de rebus Ecclesiæ sua fecit, nec mea conscientia, vel Coepiscoporum Remensis Provinciæ, sed nec cum consensu Presbyterorum ac Diaconorum Laudunensis Ecclesiæ, sicut præcipiunt Canones, fecit*. Ratio illa suberat gravissima, quòd Aulicus prædio Ecclesiæ donaretur, non ab Episcopo, non ab Ecclesia ipsa, sed à Rege, ex quo fiebat, ut nec ad Ecclesiam jam revocari posset. Erat ergo & alienatio, quæ fieri non poterat juxta Canones, nisi ex consensu Metropolitani, Episcoporum Provinciæ, & proprii Cleri. Denique quanta hinc malorum colluvies scatere posset, non tacuit Hincmarus, si cæteris quoque Episcopis deposceret Rex, non ut agrum ipsi Ecclesiæ quempiam commendarent nobili viro, ad Ecclesiam ex extincto revocandum: sed ut agris Ecclesiæ donaretur ipse Rex, qui ubi Nobilibus ab eo collati essent, jam ab Ecclesiæ jure funditus alienarentur. *Conc. Duziac. pag.* 106. 222. 223.

V. Erat ergo in primis necessarium anteveniri ambitiosas sæcularium preces, & Clericis ipsis dari fundos Ecclesiæ, cum ea arte magis magisque Ecclesiæ vindicarentur sui fundi, & ita exoneraretur ærarium commune Ecclesiæ, à qua manualium sportularum nihil jam sibi pollicebantur, semel his agellis, seu beneficiis donati. Ideo notat Agobardus, *De dispensat. Eccles.*, vetuisse Canones, ne nisi Clericis, vel Monachis, vel peregrinis agri Ecclesiæ commendarentur. *Et agros, vineas, atque mancipia ad usum tribui, nonnisi Clericis, Monachis, peregrinisque concedunt Canones*. Quanquam laici erant hi peregrini, non ægrè tamen illis prædia Ecclesiæ utenda committebantur, quòd cum inopes & peregrini essent, nihil erat periculi, ne ex usufructu proprietatem aliquando invaderent agrorum Ecclesiæ sibi commodatorum.

VI. Sæpiculè de his Beneficiis Flodoardus. Jam non semel ea attigi, quæ pauperibus concedebantur, Matriculæ, seu Canoni Ecclesiæ inscriptis, quos & ideo *Matricularios* vocabant. Erant & pauperiores Clerici, qui nec nomen ejusmodi, nec beneficia refugerent. Sed quæ laicis patebant beneficia, iis certè arceri non poterant Clerici. Narrat Flodoardus Ebbonem Archiepiscopum beneficia & domos assignasse opificibus variis, quos ad Ecclesiæ suæ usum adgregaverat. *Artificibus undecumque collectis sedes dedit, & beneficiis muneravit*. L.2. c.19. Archiepiscopum Herveum idem testatur multos recepisse agros, ab ejus Antecessore laicis in Precarias, sive Prestarias datos: *Recepit res diversas & villas Ecclesiæ, quas Antecessor suus per Precarias, sive Prestarias diversis contulerat personis*. L.4. c.11. 13. 18. Ut intelligas autem quam non repulsam paterentur Clerici eorum, qui laicis dabantur agrorum, audi quid ille rursus de eodem Herveo memoret: *Mihi quoque, & cæteris tam Clericis Canonicis, quàm Monachis & Sanctimonialibus, omnibusque pro diversis eum petentibus necessitudinibus, multa largitus est bona*. Herveum excepit Seulphus, & germanum ejus & nepotem agris Ecclesiæ Remensis pridem concessis spoliavit, quòd insimulati fidei violatæ purgare se detrectassent, aut singulari certamine congredi cum accusatoribus. *Sublatis sibi Ecclesiæ possessionibus, quas plures ex hoc retinebant Episcopi*. Cum potestati autem suæ Remensem Ecclesiam subjecisset Heribertus Comes, & Hugonem filium quinquennem adhuc Archiepiscopum eligi coegisset, longè plurima Ecclesiæ prædia illis abstulit, quos insaniæ suæ adversari suspicabatur, contulitque partium suarum studiosis, tum Clericis, tum sæcularibus. Unde Flodoardus. L.4. c.20. *Injustè privavit, tam me, qui non interfueram, præmissæ electioni sua, quàm nonnullos, & Clericos, & Laicos, Beneficiis possessionum Ecclesiasticarum, quibus à præcedentibus Episcopis munerati videbamur, obsecundationis gratia: Quæ pro libitu suæ voluntatis, quibus sibi placuit, impertivit*.

VII. Non immeritò autem memorat Flodoardus se aliosque complures Beneficiis Ecclesiæ præter æquum exutos fuisse Clericos, Laicosque. Jam non semel enim observavimus in potestate Episcopi non fuisse, ut vassallos & clientes Ecclesiæ, eorumve filios fundis suis spoliaret, nisi gravi & justa causa; aliàs ad Regem confugere fas erat, ut ad summum Juris Legumque patronum & vindicem. Multò id porro constantius affirmatur de Clericis: nisi canonico crimine inquinatos depelli suis Beneficiis non potuisse.

VIII. Ex his verò aliisque infrà conglobandis testimoniis apertissimum est, horum Ecclesiæ prædiorum concessiones mera fuisse & libera Episcopi beneficia, quæ etsi nisi justis de causis auferri semel data non possent, gratis tamen omnino data fuerant. Unde ne mortuo quidem, aut exuto Beneficiario eadem prædia aliis dari necesse erat; sed integrum erat Episcopo ea communi Ecclesiæ ærario recolligere: quòd necdum perpetui essent ulli tituli Beneficiorum. Agit & alibi Flodoardus aliis de

de agris in Beoeficium sibi datis, post oblatis. *Ecclesiam Colmisiaci vici mihi abstulit, cum terra Beneficii, quam tunc temporis tenebam. L.4. c.28.*

Narrat rursus idem Flodoardus Comitem Herebertum coocessa Episcopo Aquensi spiritali Administratione Archiepiscopatûs Remensis, ad necessariam sui sustentationem adsignasse ei Abbatiam cum Præbeoda Clerici. *Concessa ei Abbatia, cum unius tantum Prębenda Clerici. L.4. c.22.*

IX. Gratiæ habendæ erant Episcopis, ubi Clericis de Ecclesia benemeritis, *obsecundationis gratia*, & virtute præcellentibus fundi aliqui Ecclesię in Beneficium conferebaotur. At ubi quod sequenti Capite elucidabimus, cœpere Canonicorum Congregationibus accumulari ab Episcopis reditus & agri ingentes, à mensa Episcoporum sepositi, non multò post cœpere audacia, & aviditate pecunię inflammati quidam Canooici agros communes inter se partiri, & in insigne ac titulum Beneficii sibi viodicare. Vuillelmus Aquitanię Dux rescito io Ecclesia Brivateosi id machinatos esse Canonicos: *Quod facultates terrenę, ex quibus Canonici vivere debent communiter, in proprios usus tam Clericorum, quàm laicorum dispersę tenereatur: & Clerici ibidem quotidie Deo famulantes aliquanti pecunia torquerentur.* Ipsos quidem dum vita superaret iis Beneficiis gaudere passus est, at in posterum providit, ut illis hinc demigrantibus Beneficia illa communi rursus mensę concrescereot, nec iode divelli postbac possent. Ita enim ille anno 925. *Decernimus, ut quidquid modò ab illis possidetur, teneant, sed statim ut eorum aliquis spiritum exhalaverit, absque ulla contradictione, omnia quidquid ex communi victu Canonicorum possidebant, ad eundem victum communem revertantur, sive Prępositus sit, sive Decanus, sive Sacerdos, aut Diaconus; aut ullus ex ordine Ecclesiastico, seu ullus laicus, qui aliquid ullo ingenio à communi victu servientium Sancti Juliani subtraxit, nullo unquam modo amplius ad singularitatem redeat, sed mox ut unusquisque obierit, communi integritate ad eorum victum communem revertantur. Spicil. Tom.11. pag.183.* Initio quidem bujus capitis illud ex Concilio Aquisgranensi efficiebamus, ab Episcopo, vel Abbate prędiola aliqua Canonicis indultà fuisse; sed non eo vitæ communis inter Canonicos societas solvebatur, nec communis Capituli dissipabatur substantia, alendæ pernecessaria Congregationi. Adde quod mirum quantum distat, à Præfecto Congregationis prędii aliquid cuipiam dari Clerico, atque inter Dignitates & Canonicos omnia Ecclesię distribui prędia, ut jam nusquam consistere possit Congregatio.

Eadem flamma & Italiam corripuerat, in qua conquerebatur Ratherius Veronensis Episcopus de compilatis Mensæ Capitularis fundis, atque ita distributis, ut plurima aliis redundarent, quum aliis deficereot multa; sed & bi nefariam spem io sinu fovebant, fore cum & ipsis multa superfluerent, ubi in aliorum loca successissent. Eoitente Ratherio ut commuoem in fiscum omnia revocarentur, illi ex adverso tota virium contentione conspirarunt. *Causa illorum cum Deo gratias non mediocris sit, ita per massaritias & alia bujusmodi extat divisa, ut quidam illorum inde valde ditescant, multitudo verò paupertate languescat: Et proh nefas! qui majus Deo in Ecclesia exhibeat servitium, aut modicum accipiant; qui pene nibil de famulitio unquam assitant, domi locupletes de rebus Ecclesiasticis fiant. Spicil. Tom.2. pag.222.*

X. Poterant & io Orieote Episcopi Clericis, vel agricolis dimittere agellos pene ioutiles Ecclesiæ; cum eos tamen viris nobilibus & præpotentibus permittere vetarentur. Ita enim statuerat Concilium VII. geoerale. *Can.12. Quod si excusationem prætenderint, damnum facere, & nihil ad profectum agrum consistere, nec sic Principibus, qui per loca illa sunt, tribuatur ager, vel locus, sed Clericis, vel agricultoribus.* Ratione verò hac nititur Concilium, quod ager ille ita concessus, non alienatur, ut qui revocari semper possit ad Ecclesiæ fiscum: quod difficile factu esset, si eo Optimates aliqui potirentur.

CAPUT XX. *P.3. l.4. c.14.*

Partitio bonorum inter Episcopum & Canonicos, sub Imperio Caroli Magni, & ejus stirpis.

I. Cum primum Monachi & Canonici in vita communis societatem coaluere, eorum alendorum cura & provisio penes Abbates & Episcopos fuit. Probationes.

II. Nova probationes ex Concilio Aquisgranensi.

III. Episcopi quidam bis statim Canonicorum congregationibus fundos, agros, Ecclesiasque & totum earum instrumentum assignaverant.

IV. Ipsa Godegrangi Regula fundis eos suis potiri insinuat.

V. Varia observationes in antedicta.

VI. Novę rursus probationes. Inter Abbates & Canonicos eis subjectos divisa etiam prædia & bona omnia.

VII. Immo & inter Abbates & Monachos.

VIII. Ut perpetuari possent hæ Canonicorum Monachorumque Congregationes, conducere visum est, ut ubertim illis conferrentur omnia ad sui sustentationem necessaria.

IX. Ideo opera dabatur, ut ejusmodi donationes, ab illis Episcopis, à Metropolitano, & à Rege confirmaretur.

X. Novi Episcopi novis semper largitionibus has Congregationes locupletabant.

XI. Varia inter sese Canonicorum & Monachorum partitiones.

I. HAnc alteram attigimus rationem redactæ ad solos jam pene Parocbos famosæ olim io quatuor partes bonorum distributionis, quòd Episcopi jam suis Canonicorum Collegiis exuberantem adjicissent agrorum, & bonorum copiam. Id verò hoc jam nobis capite probandum & illuminandum venit.

Nec tamen inficias ibimos, inter ipsa ejusmodi Collegiorum communis vitæ vinculo adunatorum primordia in Ecclesiarum Cathedralium Claustris, Episcopos tam pręclari instituti duces, curam eorum alendorum pene necessariò in se recepisse. Vide enim ut de his agat Concilium Turonense III. anno 813. *Canonici, & Clerici Civitatum, qui in Episcopiis conversantur, consideravimus, ut in Claustris habitantes, simul omnes in uno dormitorio dormiant, &c. Victum & vestitum juxta facultatem Episcopi accipiant, ne paupertatis occasione compulsi, per diversa vagari cogantur. Can.23.* Nec aliter in Collegiis Canonicorum sub Abbatum imperio; Abbatum erat claustra illis, vestimenta, & victum procurare ex eodem Concilio. *Can.24. Simili modo & Abbates Monasteriorum, in quibus Canonica vita nunc videtur esse, suis provideant Canonicis, ut habeant claustra, victum & vestimenta, &c.*

II. Manifestissimum est nihil bic loci esse potuisse sectioni bonorum in partes quatuor, cum cogebatur Episcopus omnes expensas ipse sustinere, vi-

ctus, vestium, claustrorum, pro modo facultatum Ecclesiæ; ubi jam non laborabatur, quarta, an tertia pars illa foret redituum communium. Nova porro suppetunt ex Concilio Aquisgranensi argumenta. Illud enim ibi commendatur non eadem copia teneri Episcopos Canonicis suppeditare omnia ad sui sustentationem adminicula, qua Abbates Monachis, quòd Canonici abundare possint patrimonio, possint & Beneficio, ac terris Ecclesiæ, atque ita suo ipsi sibi ex peou multa possint sufficere. *Quia nihil sibi proprium Monachi reliquerunt, manifestum est illos copiosioribus Ecclesiæ sumptibus, quàm Canonicos, qui suis & Ecclesiæ licitè utuntur, ecbat indigere. An.816. Can.* 255. Damnatur ibidem quorundam Episcoporum præpostera vel avaritia, vel superbia, qui Congregationes suas Clericales augescere illi quidem cupiebant, sed servis potissimum allectis, quos facilius possent justis stipendiis defraudare. *Si stipendia opportuna subtraxerint. Can.*119. 120. Quibus privatim res, & patrimonia suppetunt Canonici, vel Beneficia, ii invitantur, ut communibus pecuniæ distributionibus abstineant, ut pauperioribus aliis Canonicis hinc aliquid Incelli accedat. Definitur, *Can.*122. 123., quantitas panis, vini & carnis ab Episcopo, vel Abbate cuique Canonico subministranda, pro modulo substantiæ Ecclesiasticæ. Hinc vides quàm multa & quàm valida existant argumenta, quæ evincant illius hic quadripartitæ distributionis rationem habitam esse tum nullam.

III. Cœperant jam tamen Episcopi non pauci agros, prædia, & Ecclesias Parochiales complures addicere suis his Canonicorum Collegiis. Id sanè testatum facit Flodoardus, *L.*2. *c.*11., de Beato Rigoberto Remensi Archiepiscopo. *Sed & Canonicam Clericis religionem restituit, ac sufficientia victualia constituit, & prędia quędam illis contulit, necnon ærarium commune eorum usibus instituit. Ad quod has villas delegavit, Museejam, Bosejam, &c. Ecclesiam quoque Sancti Hilarii, cum suburbio ad eam pertinente; scilicet ut in annua transitus sui die sufficiens eis inde refectio pararetur, qua superessent, ipsis communiter dividenda cederent. Famulos quoque & eorum colonias ad necessaria Canonicorum servitia deputavit; & eosdem Christi pauperes rerum suarum heredes fieri destinavit. Harum verò summa rerum in* xl. *vel amplius mansos colligitur.* Hæc sanè non tam partitio dicenda est rerum inter Episcopum & Canonicos, quàm concessio munificentissima agrorum, Ecclesiarum, vicorum, qua Canonicos Episcopus muneraretur, perduceretque ad communis vitę vinculum, abundè suppeditatis temporalibus omnibus adminiculis. Notat Flodoardus eandem Sancti Hilarii Ecclesiam à Beato Rigoberto Canonicis Remensibus datam fuisse ad eorum sepulturam. *Quam Sanctus Rigobertus antecessoribus nostris Clericis ad sepulturam eorum dedit. L.*4. *c.*48.

IV. Hoc ipsum de Godegrango testificatur Petrus Diaconus, fundos ab eo reditusque Canonicis assignatos fuisse tum, cum in Regulæ suæ observantiam & ad communis vitæ societatem eos conglutinavit. *Hic Clerum adunavit, & instar Cœnobii intra claustrorum septa conversari fecit; Normamque eis instituit, qualiter in Ecclesia militare deberent; quibus annonas vitęque subsidia sufficienter largitus est, ut perituris vacare negotiis non indigentes, divinis solummodo officiis excubarent. Du Chesne tom.*2. *pag.*204. Quin & ex ipsa Godegrangi Regula constat, *Cap.*42. 43., Congregationi Canonicorum fuisse fundorum & proventuum plus satis ad sui sustentationem, quos ipsi administrarent: percepisse ipsosmet oblationes & eleemosynas, quæ offerrentur ad Missas, & ad cętera Officia Ecclesiastica: jubet denique ut decimas redituum & oblationum decerpant, conferantque Xenodochio peregrinorum & pauperum, quorum curam agent, & quorum administrationi præficient unum ex Canonicis. *Aliquod preparent receptaculum, ubi pauperes colligantur; & de rebus Ecclesiæ tantum ibidem deputent, unde sumptus necessarios juxta possibilitatem rerum habere valeant, exceptis decimis, qua de Ecclesię villis, ibidem conferantur. Sed & Canonici, & tam de frugibus, quàm & de omnibus eleemosynarum oblationibus, in usus pauperum decimas libentissimè ad ipsum conferant hospitale. Et boni testimonii frater constituatur, qui hospites & peregrinos mendicantes, utpote Christum in illis suscipiat. Reg. Godeg. c.*45. *Conc. Aquisg. c.*141.

V. In his sunt non pauca, quæ juvet sedulò observasse. 1. Cum primum institutæ sunt Canonicorum Congregationes, quæ communis vitæ lege & societate vincirentur, assignati quoque illis sunt reditus fundique, quos ipsi sibi dispensarent, non jam Episcopo, non jam Clero se ad horum curam interponente. 2. Ipsimet Episcopi authores & architecti fuere harum Congregationum, quibus & ipsimet largissimè assignarunt hæc temporalis vitæ adminicula ex Ecclesiæ suæ fundis. 3. In his enimvero Episcopi eam sectati sunt munificentiam, quæ fundatoribus maximè consentanea & familiaris est, non minutas & accuratas partitionum leges. Itaque in his non magnopere videtur habita ratio Canonum quadripartitam distributionem inculcantium. 4. Cathedralium Ecclesiarum Canonici usitatissimè Sacramenta administrabant omnia, & Parochorum munia obibant. Jam de Confessione & Pœnitentia suprà meminit Regula Godegrangi, præter Missarum solemnia, quæ sibi plebs celebrari deposcebat. Lubet & hunc ex eadem Regula hic contextum attexere, ubi ad Canonicos sermo fit, tanquam procurationem agentes animarum salutis, & administrandorum Sacramentorum, adeoque & concionandi Dominicis & Festis diebus, aut saltem quintodecimo quoque die. *Cavendum nobis est, ne in periculum per nostrum negligentiam, ut ita dixerim, absque baptismo, & confirmatione, & confessione, & prædicatione, in quadam securitate positus incurrat noster populus. Unde constituimus, ut bis in mense per totum annum verbum salutis ei prædicetur, &c. Cap.*44. 5. Ubi suæ Canonicorum Congregationi Cathedralis Ecclesiæ fundos Episcopi magna ex parte adsignabant, conferebant & Ecclesias, eorum sive vicorum, sive opidorum juris, & in his proinde apparet Canonicos cœpisse obire functiones Parochorum principum, quos Primitivos vocant. Ecclesiam Sancti Hilarii, à qua pendebat suburbium Civitatis Remensis, Capitulo suo contulit B. Rigobertus. Simile veri est Canonicos anno toto Parochorum munia defungentes in Ecclesia Cathedrali Remensi, eosdem ipsos solemnioribus Festis in Ecclesia quoque Sancti Hilarii eandem potestatem suam explicuisse. 6. Quæ de Congregationibus Canonicorum dicta sunt in Ecclesiis Cathedralibus, ea planum est & ad Collegia Canonicorum trahi debere sub uno Abbate degentium, in Ecclesiis, quæ exinde Collegiales nuncupatæ sunt. Parochos ibi se Canonici præstabant; in Ecclesiis verò aliis obnoxiis primitivorum Parochorum jura & functiones exercebant. 7. Nec secus de Monachis sentiendum. Uno enim tempore & pari conatu in novam regularis disciplinæ formam coarctati sunt Monachi & Canonici; & tum his, tum illis authoritate Regia freti Episcopi regularis observantiæ vigorem invexere & integritatem, cum largè & uberim utrisque, largiùs tamen Monachis, ob rationes superiùs ex Concilio Aquisgranensi indigitatas, necessaria vitæ temporalis subsidia adsignassent. Itaque

quæ fuere & Monachis ruri Ecclesiæ Patochiales, in quibus primitivos se agerent jure suo Parochos. 8. Congregationibus his Mooachorum & Canonicorum omnibus commendabatur cura paupetum, & peregrinorum, hospitumque, pro modo substantię suæ. Jubet regula., ut ædes extruant excipiendis pauperibus & hospitibus, eisque addicant decimas agrorum, oblationum & elecmosynarunt. *Exceptis decimis, quæ de villis Ecclesiæ ibidem conferuntur, Canonici de frugibus & eleemosynarum oblationibus, in usus pauperum decimas conferant ad ipsum hospitale. Cap.45.* Itaque nulla jam pattium quatuor distributio memorabatur, quarum una pauperum esset: cum Parochis, Caonicis, Monachis affatim agrorum & redituum tributum esset; illis omnibus cura pauperum enixissimè commendabatur. 9. Ergo jam tum Monachi & Canonici optimo jure & ab Episcopis ipsis donatas obtinuere decimas, ab iis denique secernendas, quas postea Laici earum usurpatores, in eos transcripsere.

VI. His observationibus nostris & præsidii & luminis non parum accedet ex iis, quæ toto hoc capite dicenda restant. Cum eura & jussu Ludovici Pii Imperatoris Benedictus Anianæ Abbas celeberrimus in Cœnobiorum Galliæ disciplina restauranda incredibili diligentia desudasset, quæ Cœnobia non potuere Monasticæ B. Beoedicti Regulæ subjugari, ea mancipata sunt Canonicorum cœtui, & Regulę Godegrangi, sive Concilii Aquisgranensis, in iisque voluit Imperator res omnes scindi bifariam in Abbatem & Canonicos, ut sua sibi Abbas: sua sibi Conventus haberet: *His verò Monasteriis, quæ sub Canonicorum relicta sunt potestate, constituit eis segregatim unde vivere regulariter possint. Cætera Abbati concessit.* Hæc ex vita B. Benedicti Anianæ Abbatis. *Sæculi Benedicti Tom.1.p.214.262.* Inter eas Fuldensium Monachorum querelas, quibus ab eis interpellatus est Carolus Magnus, his bonorum divisionibus in Cœnobiis jam locum fuisse perspicuum est, *Divisio possessionum atque agrorum non fiat, &c. Omnes agri atque cella in communi omnium fratrum fiant, &c. Du Chesne Tom.3. pag.393.*

VII. Illud erat maximè consentaneum, ut quanquam in Cœnobiis Canonicorum, sua Canonicis bonorum portio, sua seorsim Abbati segregaretur: at nulla istiusmodi fieret partitio inter Monachos & Abbates. Sub eodem ipso tamen Carolo Magno contrarii osûs exempla enituere. Literis enim ad eundem Imperatorem datis Frotarius Tullensis Episcopus certiorem illum fecit, in Monasterio Mediolacensi (Mitlhach) strictissima religione servatam fuisse Regulam, dum superstes fuisset Fortunatus Abbas, propterea quod Imperatoris jussu Monachis portio fundorum segregata & addicta fuisset, qua necessitatibus ipsi suis consulerent: *Per jussionem vestram Monachis dedit portionem de Abbatia, ut regulariter viverent.* Sed eum post ejus obitum subrogatus ei esset Hismundus, utramque ab eo mensam Monachorum & Abbatis coadunatam fuisse, lactatis hac vana spe Monachis, fore, ut nulla eis re Abbas deesset: quæ illos spes mox fefellisset. *Hismundus recepit illorum portionem, & promisit se eis omnia necessaria regulariter administraturum. Quod postea sæpiùs aliter illis evenisse testantur. Du Chesne. Tom.2. pag.712.* Monachorum expostulationibus lacessitus Frotarius Episcopus, paci & concordiæ resarciendæ studuit, pollicente Abbate, daturum se operam ut nihil posthac loci querelis Monachorum relinqueretur, ita se largè omnia suppeditaturum. At fidei ot hominis, à quo toties lodificati essent, se committerent, Monachi adduci non potuere, nisi suam sibi bonorum propriam partem redintegraret. *Illi timentes, ne sicut sæpiùs evenerat, aut per eum, aut per ejus ministros illius promissio frustraretur, nec ejus promissionem jam amplius credere, nec ejus emendationem se recipere posse dixerunt, nisi illis portio redderetur, sicut dudum illis dare jussistis.* Itaque non potuit non annuere Monachis, ut suum ipsimet libellum supplicem Ludovico Imperatori offerrent.

Nec ab his abluditur, quæ narrat Aimoinus, *L.5. c.34.*, de Abbate Sancti Germani de Pratis apud Luteriam, Irminone, quem ait optimè meritum fuisse de Cœnobio suo, Regestum colligatis in unum agris, villis & bonis ejus omnibus; quanquam optimi consilii exitus exitialis fuerit, Comitibus Parisiensibus propriam illam Abbatum pottionem sibi vendicantibus usque ad tempora Roberti Regis. Rei nefariæ primus author & dux fuit Robertus Comes Patisieosis, & Marchio Franciæ, Odonis Regis germanus. Nec portionem taotùm rerum, sed & nomen Abbatum induerunt sibi Comites, assignatis Monachorum cœtui & Cœnobio Decanis, & sacris illis proventibus posthac expensis in Regiam illam militiam, qua Abbates antè cura & impensa ipsimet sua fungebantur. Audiendus hic Aimoinus: *Quamvis prudentissimus Abbas Irmino omnium redhibitiones villarum Sancti Germani scripto comprehenderit, & quantum Monachi in proprios usus haberent, quantumque Abbas ad exercitum Regis vel in proprium sibi vendicaret, disposuerit; tamen vigore decedente Regum Robertus Comes Parisiorum, qui Marchio Francorum vocabatur, frater videlicet Odonis Regis, nec non Hugo Magnus, quin etiam usque ad tempora Roberti Regis, ea, quæ Abbates accipiebant, sibi addixerunt; & statuentes Decanos Monachis, sibi nomen Abbatis usurpaverunt. Ea verò quæ tunc sibi ex rebus Ecclesiasticis vendicaverunt, propriis militibus distribuerunt, & juri Ecclesiastico subtraxerunt.* Hinc patet jam tum divisas fuisse Abbatis & Monachorum portiones: jam inde à temporibus Odonis Regis Comites invasisse Abbatum portionem, & eo ipso se Abbatum nomine venditasse; id contigisse, ubi Carolinæ prosapiæ extremi Reges lapsare & labefactari cœpere; ad has rerum Cœnobii partitiones compulsos non improbabiliter credi Abbates, necessitate tristissima militiis suppeditandi, & ad Regios exercitus dedocendi: denique illud singularis gloriæ specimen sanctissimo Regi Robetto tribui, quòd primus celeberrimę Abbatiæ & Abbates Regulares restituerit, & proprios fundos.

VIII. Multò maxima autem pats Conciliorum sub Imperio Carolinæ familiæ habitorum, constantissimè hoc ipsum professa est, Regularis disciplinæ vim & integritatem nec restitui posse, nec conservari, sive in Canonicorum utriusque sexûs, sive in Monachorum & Monialium Cœnobiis, nisi singulari providentia & larga manu eorum sustentationi prospiceretur. Crebræ ibi quoque Episcoporum querelæ, vel de Collegiis ipsis suis, vel de Abbatibus, quorum avaritia rapacitasque harum Congregationum oon res tantùm, sed cœtus ipsos dissipasset. Quæ cum ita sint, mirabile jam non erat, si Episcopi luminoso pietatis zelo flagrantes, si Imperatores ipsi omni ope connixi sunt ut fundi redituSque religiosis his omoibus Congregationibus copiosissimi accumularentur, nec ulla residua fieret Episcopis vel Abbatibus facultas quidquam inde decerpendi.

IX. Jonas Aurelianensis Episcopus sub Imperatore Lothario novis Capitulum suum fundis auxit, præter eos, quos antecessorum jam suorum beneficentia contulerat: & pro iis, quos sua longinquitas tantùm non faciebat inutiles, alios adjecit, ut propiores, ita & fructuosiores. *Licèt quædam Ecclesiastica res ad supplementum eorum & victum administrandum à prædecessoribus meis illis collata fuissent, &c. Anno 858. Spicil. tom.8. pag.142.* Eam char-

chartam chirographis munivit complurium Episcoporum, ut sanctum & inviolabile illi pondus adderet authoritatis apud successores suos, vetuitque ne quinquagenarius Canonicorum numerus ulteriùs proveheretur, dum novorum copia afflueret proventuum. *Et quinquagenarius numerus Canonicorum non transgrediatur, donec Deo opitulante prædicta res augmentetur.* *Anno* 918. At multo post tempore Hervæus Augustodunensis Episcopus bona fide confessus est, pia consilia suorum antecessorum ad idoneam dotem Capitulo suo addendam, labefactata semper fuisse: esse autem æquissimum, ut exemplo cæterorum Galliæ Præsulum inflammatus, conaretur & ipse Canonicorum suorum Congregationem novis collocupletare donis & fundis. *Nos igitur altarum Ecclesiarum Congregationes, honorabiliter in canonicis sumptibus subsistere cernentes, & sacris suorum Pontificum incrementis decentor augmentari perspicientes, à sanctis Episcopis, nostris scilicet ordinatoribus moniti, quæ liberè ad præsens fieri posse reperimus, supradictæ Congregationis usibus dedicavimus. Conc. Gall. Tom.3. p.572.* Certatim ergo Episcopi dotandis ditandisque Capitulis suis incumbebant, & novos semper Præsules exotata earum inaugurationis opportunitate hortabantur, ut Capitula augendis eorum temporalibus proventibus studerent, non ditare, sed tantò expeditiora & liberiora habere ad amplexandam fovendamque spiritalis disciplinæ sanctimoniam.

X. Ne migrante hinc Episcopo, quibus ille Capitulum suum donasset, dotassetque, ea revocarentur à successore; istiusmodi donationes à Metropolitano, ab Episcopis Provinciæ, & à Rege ipso confirmabantur. Id liquidò patet in Immonis Episcopi Tornacensis charta dotationis Capituli sui anno 854. quam & à Carolo Calvo Rege confirmari fecit, ingentibus fundis compluribus Capitulo suo transcriptis, constitutoque, ut ne plures, quàm triginta Canonici allegerentur, donec dos ipsa & proventus annuus amplificaretur. *Baluz. Capital. Tom. 2. p.75. 1450.* Id ipsum observare fas est in confirmatione dotis Ecclesiæ Parisiensis anno 850. amplificationi ejus dotis ab Episcopo Parisiensi factæ, multorumque prædiorum accessioni, addita confirmatione ejusdem Caroli Regi. *Cum omni integritate Ecclesiæ, &c.* Id observare est in dote Aurelianensis Capituli anno 851. ab Episcopo ejusdem Civitatis amplificata, & à Rege confirmata. Id observare est in institutione Capituli sexaginta Canonicorum in Ecclesia Nivernensi ab Herimanno Episcopo facta, & confirmata ab eodem Carolo Calvo Rege anno 850. cum prædiis bene multis ad eorum subsidia adsignatis. Id observare est in fundatione Odonis Episcopi Bellovacensis, quam confirmari curavit ab eodem Carolo Calvo Rege, ab Hincmaro Metropolitano, & à cæteris Provinciæ Episcopis cum agrorum eam assignasset copiam, quæ alendis Canonicis quinquaginta par esset. *Conc. Gen. Tom.8. pag.5930. Tom.9. pag.278.* Ex ea copia tot & tam exuberantium fundationum omnes facilè intelligunt, opportunissimum fuisse tum ejus rei tempus & locum. Et ex iisdem tamen ferè Actis patet, non tum primùm excitata fuisse ea Capitula, sed tum necessario novo dotis additamento aucta fuisse.

Pontifex Romanus statim creatus solemni largitate aliqua populum demulcebat, necnon & Clerum. *Rogam omni Clero suo multipliciter ampliavit.* Sic Anastasius Bibliothecarius de Paschali I. *Roga* militiæ sæcularis vox erat, quæ ad sacram quoque militiam traducebatur. Audiendus Hincmarus: *De beneficio militiæ, quasi de stipendiis & roga, quæ antea, sicut hodie quæ fit alibi, dabantur militibus de publico, &c. Conc. Duz. Collo. pag.405.* In vita Benedicti III. Papæ docet Anastasius Bibliothecarius, curatum ab eo esse, ut fieret Romæ distributio, erogatio auri & argenti à Rege Saxonum auro in Episcopos, Clerum & Proceres laicos, argento in populum erogato. *Rogam publicam de pondere auri, vel argenti librarum.* Traducta fuerat ea vox cum pluribus aliis ex Occidente in Orientem, ubi fidem facit Balsamon moris fuisse constantissimi, suo etiam ævo, hoc est, tempore Constantini Ducæ, ut Imperator & Patriarcha quotannis, ille in Palatio, hic in Ecclesia publicas facerent argenti & palmarum erogationes, *Imperatorum & Patriarcharum amplitudinem inter alia reddebant olim angustiorem etiam annua roga ac Bajoram largitiones. Quippe sedebant annis singulis Patriarcha & Imperatores, & per hæc subditos ad benevolentiam invitabant. Juris Orient. Tom.1. pag. 471.* Addit porro Clericis olim Patriarchas aurum erogare solitos, ei suo ævo thus subrogasse. Hæc ex Jure Orientali Leunclavii, in quo & illa radiat Heraclii Imperatoris Constitutio adversùs Clericos extraneos, qui Constantinopoli frequentes erant, & in functiones irrepebant Ecclesiasticas, injussu Patriarchæ, eò denique collimantes, ut eas Clericorum assequerentur statas distributiones, quæ *Diariorum Roga* dicebantur, sive Xenodochii, sive Monasterii, sive Palatii, hoc est Capellæ Palatii Imperatoris. *Quodque longè pessimum est, etiam Diariorum, quas vocant rogas, sive sportulas consequi, aut ex Orphanotrophio, vel Xenodochiis, vel Monasterio, vel ex Augustis ædibus nostris. Ibid. p.84.*

XI. Restat ut paucis stringamus ipsorum inter sese Canonicorum partitiones rerum. 1. Diximus jam ita visum esse Concilii Aquisgranensis Patribus, *Cap.555.*, liberalius consulendum esse Monachorum, quàm Canonicorum necessitatibus, quod his possint aliunde scatere rivuli, quibus suam solentur inopiam. 2. Ex eodem Concilio si quo patrimonio Canonici, si quibus Ecclesiæ agellis ad usumfructum datis gaudeant, iis abstinendum est à pecuniariis distributionibus. *Cap.120.* 3. Qui singulari paupertatis & Evangelicæ perfectionis studio, & patrimonio, & Beneficiis nuncium remiserant, eorum necessitatibus uberius provideri æquum erat. 4. Erant non pauca in quibus horum Præfecti Conventuum & collegiorum illis gratificare impensius possent, qui obsequendi strenuitate, vel sacri cultus diligentia reliquis antistarent. *Quanquam plerique subditorum à Prælatis, rebus quibuslibet aliis, plus cæteris merito soleant honorari. Cap.321.* 5. Panis, vini & omnium denique esculentorum æquales erant distributiones, sicut & pecuniæ. 6. Eædem pro suo modo inter Canonicas vigebant regulæ. *Cap.52. 13.* 7. Abbates Monachorum nullo præcipuo vel alimentorum solatio, vel levamento laboris blandiri sibi poterant, ut ipsimet constituerunt in Conventu suo Generali ad Aquisgranum, anno 857. *Ut ea, quam Monachi sui habent, mensura sint Abbates contenti, in manducando, in bibendo, in dormiendo, in vestiendo, in operando, si in aliis utilitatibus non sint occupati. Cap.25.*

Eadem ciborum æqualitas in Regula Godegrangi inter Canonicos sancitur; *Cap.7. 41.* at vestes jubet ille laneas, cappasque novas senibus statim recentes anno primo altero jam detritas junioribus præberi, partito æquali seniorum & juniorum agmine. Contra autem Ratherius Veronensis Episcopus, cum ejectis Monachis Cœnobio quodam Clericos subrogasset, sanxit ut Presbytero cuique modii tritici decem, totidem leguminum, totidemque vini distribuerentur, ejus quantitatis dimidium Diaconis, rursus hujus dimidii dimidium Subdiaconis. *Spicil. Tom.2. pag.237.*

C A-

CAPUT XXI. *P.3.l.3.c.15.*

Decimæ, & Ecclesiæ Parochiales Capitulis & Cœnobiis Canonicorum, Monachorumque concessæ, cum regimine animarum, per eadem Carolinæ stirpis sæcula.

I. Compluribus Canonicorum & Monachorum Congregationibus jam inde ab exortu suo Decima & Ecclesię Parochiales fuere.

II. Fuere & Capellis Regiis.

III. Nova probationes de Monasteriis.

IV. Probationes alię de Germanicis Congregationibus.

V. Probationes de Congregatione Cluniacensi.

VI. Quas Monasteria possident decimas, non ex iis omnes profectę sunt restitutiones, ubi qua in Parochias compilaverant, ea viri Nobiles Cœnobiis restituebant.

I. ANtequam ad tertiam progrediamur rationem, propter quam jam nihil pene ad Episcopos spectabat quatuor illa partium Canonica divisio, hoc intertexemus caput ad majus superioris capitis elucidamentum, & ad firmandas observationes aliquas magni omnino ponderis, quas obiter & perfunctoriè tantùm suprà attigimus.

Jam illud pronum fuit advertere, Congregationibus omnibus, sive Clericalibus, sive Monasticis, jam inde ab incunabulis, ut ita dicam, suis, suas fuisse Ecclesias Parochiales, suas decimas, suam etiam animarum procurationem. Canonicis Ecclesiarum Cathedralium conjunctim cum Episcopo curam animarum incubuisse suprà jam adnotatum est. Regula ipsa Crodogangi id apertè significat. *Cavendum nobis est, ne absque Baptismo & Confessione noster incarrat populus. Cap.44.*

II. Cum Arvernæ Civitatis Archidiaconus fundasset dotassetque Capellam nomine B. Juliani: Episcopus Arvernus à quo dedicata est, ei assignavit in dotem complurium locorum *omnem decimam, medietatem decima, duas partes decimarum. An. 924. Spicil. Tom.12. pag.284.*

Concilii Meldensis Episcopi apud Regem Carolum Calvum conquesti fuerant, quod Capellas Regiæ fundationis suæ laicis daret, qui mox recipiebant terrarum domanii Regii, *Decimas Dominicas:* interpellaveruntque ut iis Presbyteros, vel Clericos donaret, qui eas decimas ex parte impenderent in reparandas Ecclesias, at Parochis dimitterent fruendas *Parochianas decimas.* Ita liquet decimarum portiones aliquas non mediocres Capellis Regiis dicatas fuisse.

III. In pecuniariis illis exactionibus, quas Carolus Calvus fieri jussit ad pacem Normannorum redimendam, præter pecuniam iis emunctam Episcopis, Abbatibus & Comitibus, quibus aliquæ erant Abbatiæ, extortum est & aliquid à Presbyteris, vel Ecclesiis, quæ in eorum potestate erant, sicut & ab illis Ecclesiis & Presbyteris, qui sub ditione erant Imperatricis. Abbates & Episcopi præfecti fuerant his exactionibus in viros præpotentes. *De omnibus verò Ecclesiis, unusquisque Episcopus vel Abbas, de sua solummodo potestate accipiant, de Presbyteris, à quocumque plurimum, solidos quinque, à quo minimum quatuor denarios. Capital. Car. Calv. pag.422.* Fateri ergo necesse est fuisse jam tum in potestate Abbatum Ecclesias & Presbyteros, Parochias & Parochos. Quanquam enim Episcopi eam pecuniam colligerent ex Ecclesiis & Presbyteris, tum Imperatricis, tum Comitum, soli tamen Abbates eam colligebant ex Parochiis & Parochis, qui in ditione erant & jure Cœnobiorum.

IV. Monasterio à se constructo B. Meinvercus Paterbornensis Episcopus, suis inædificatam fundis Parochiam, *proprietario jure possidendam delegavit;* servatis sibi juribus Episcopalibus. *Surius die 5. Junii. c.48. 113.* Contulit & alia complura prædia eidem Cœnobio cum Ecclesiis suis, dedit & decimas domorum & terrarum Episcopalibus ædibus adjacentium. Contulit & alteri Canonicorum Congregationi decimas complurium Episcoporum prædiorum. *Quia verò de prædiis in confinio tantum non habebat, ut sufficere posset ad usus Ecclesia, & Dei servitium in ea, consilio fidelium suorum accepto, omnes decimas subterscriptas de dominicalibus curtibus ad Episcopatum pertinentibus eidem Ecclesiæ dedit. Cap.122.* Memorabile hoc ibidem subjicit idem Scriptor ejus vitæ, non dissipasse, non extenuasse sanctissimum Præsulem Ecclesiæ Episcopalis censum, quod centies plura adjecisset de patrimonio suo & acquisitis rebus quamplurimis, quàm per pias hujusmodi largitates decerpsisset. *Ne alicui videatur Episcopas mensa sua stipendia diminuisse, sciat eum has decimas, & de hereditariis, & acquisitis bonis centies restituisse.*

V. Confirmanda Cluniacensi fundatione Ludovicus IV. Galliæ Rex, confirmavit & jus à Papa & Episcopis jam concessum, expendendi decimas suorum agrorum alendis hospitibus, pro antiqua consuetudine & possidendi Ecclesias omnes; quæ sibi datæ fuissent cum decimis suis. *Decimas suas indominicatas ad hospitale habeant: Ecclesias verò suas cum omnibus suis decimis, sicut per privilegium Romanum & per scripta Episcoporum adquisierunt, teneant & possideant. An.939. Bibl. Clun. pag.265.*

VI. His si adjicias quæ capite maximè superiori dicta sunt, facilè intelliges longè à scopo, & vero aberasse, qui decimas omnes Cœnobiorum priscorum, sive ex Canonicis, sive ex Monachis, opinati sunt fluxisse ab illorum sive largitate, sive restitutione Nobilium, qui quæ in Ecclesias Parochiales involaverant, ea Monasteriis restituebant. Satis, ut opinor, superque evicimus, complura fuisse tum Capitula, tum Cœnobia, quibus decimæ ex parte saltem tributæ fuerant jam inde ab ipsis suæ fundationis exordiis, tum fundatorum largitate, tum authoritate & benevolentia Episcoporum.

CAPUT XXII. *P.3. l.4. c.16.*

Reparationes Ecclesiarum ex fundis, sive feudis Ecclesiæ cujusque. Obiter de origine decimarum infeodatarum. Alii fundi Xenodochiis assignati. Rursus universim de canonica in quatuor partes distributione, temporibus Carolinæ Gentis.

I. Laici quibus Beneficiario jure collati fuerunt fundi Ecclesiæ majoribus & minoribus obnoxii erant reparationibus,

II. Hæc forsan origo nonnullarum ex decimis infeodatis. Quando laici illi cœperint decimas abnuere, reparationes solas præstare.

III.

III. Pro modo sui cujusque feudi Episcopus sartorum tectorum expensas exigebat.

IV. Seniores laicè detrectarunt non rarò, & decimas, & nonas exolvere.

V. Detrectassent & reparationes, nisi Regia intervenisset authoritas.

VI. Xenodochiis quoque assignati sunt fundi, ad hospitalitis expensas.

VII. Ita factum, ut minus jam ad Episcopos pertineret canonica in quatuor portiones partitio. Alia quędam observantur in has sanctorum Ecclesiæ partitiones.

VIII. Ea partitione utcumque semel facta, inconvulsa semper lege obligantur Beneficiarii, in pauperes effundere superflua omnia.

I. TErtia hac ratione diximus in desuetudinem abuisse sectionem illam olim celebratissimam bonorum Ecclesię in partes quatuor, quòd ad farta tecta Templorum fundi fuerint designati, & in id unum sepositi. Ecclesię Beneficiis sive feudis qui donabantur, illis id oneris imponebatur, ut Ecclesias repararent, & restaurarent etiam collapsas. *Ut si quis Beneficium de rebus Ecclesię habet, ad tecta ejusdem Ecclesiæ restauranda, vel ad ipsas Ecclesias ædificandas omnino adjuvet.* Ita decrevit Concilium Arelatense VI. anno 813. *Can.25.* Idem constituit & Concilium Moguntinum ejusdem anni, quo illud significatur, eò pertinere, quod ab his Ecclesiasticis feudis, non decimę tantùm, sed & nonę exigantur. *Quicumque Beneficium Ecclesiasticum habent, ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas omnino adjuvent, & nonam, & decimam reddant. Can.41. Capit. l.5.c.02.* Idem apertè insinuat Concilium Turonense III. *Can.46.*

II. Sed cum vehementer doleat huius Concilii Patribus, quod nec decimę jam, nec nonę ab his solvantur Ecclesię clientibus, ideoque collabascant Ecclesię, unde necesse sit Caroli Magni opem & providentiam compellari: *Nonas & decimas, quas qui res Ecclesiasticas tenent, solvere Rectoribus Ecclesiarum ordinati sunt, multis in locis abstractas esse vidimas, &c. Non tantum domus Monasteriorum, sed & ipsa Ecclesia propter tectorum inopiam ruinas minantur.* Hinc non abs re forsan augurabimur, quo ex capite manaverint decimæ quædam ex iis, quę infeodatæ dicuntur. Eæ sunt enim forsan nonę decimæque terrarum, quas in feudum laicis Ecclesia concesserat, quo regiis in Exercitibus ea fungerentur militia, quam suæ regnique tuitioni Ecclesia impendebant. Longa enim & contumaci cessatione solvendarum ejusmodi decimarum factum est, ut jam ne exigerentur quidem, atque ita adversùs Ecclesiam, quæ & ipsa exigere cessabat, præscriberetur.

III. Aliquantò manifestius id ipsum fit ex Capitulari Ludovici Pii, quo edicitur, ut Episcopus, vel Abbas, & Comes inspiciant, quæ potissimum reparationes necessariæ fiant, easque indicant curandas iis, qui Beneficiis & feudis gaudent Ecclesiæ, pro modulo cujusque feudi; si malint tamen illi pecuniam exolvere, eam accipiet Episcopus, & reparationibus promovendis curam ipse & diligentiam exhibebit. *Quicumque de rebus Ecclesiarum, quas in beneficium habent, restaurationes earum facere neglexerint, juxta Capitularem anteriorem, in quo de operibus, ac nonis & decimis constitutum est, sic de illis adimpleatur; id est libro V. capite XXXVIII. De opere & restauratione Ecclesiarum Episcopus & Abbas atque Comes, unà cum Misso nostro, quem ipsi sibi ad hoc elegerint, considerationem faciant, ut unusquisque eorum tantum inde accipiat, ad operandum & restaurandum, quantum ipse de rebus Ecclesiarum habere cognoscitur. Aut si inter eos convenerit, ut pro opere faciendo argentum donent, juxta æstimationem operis in argento persolvant. Cum quo pretio Rector Ecclesiæ ad praedictam operationem operarios conducere, & materiam emere possit. Et qui nonas & decimas dare neglexerit, primùm quidem illas cum lege sua restituat, insuper & bannum nostrum solvat, ita ut castigatus caveat, ne sapiùs iterando beneficium amittat. Conc. Gall. Tom.2. pag.468. Capitul. l.5. c.546. c.40.*

IV. His profectò Laicis Beneficia, sive feuda Ecclesiæ obtinentibus, triplex illud onus incumbebat, ut fungerentur *operibus, nonis, decimis*, & ubi sartis tectis operam adhibuerant, decimæ pręterea & nonę reposcebantur: denique quanquam copia fiat, ut reparationibus sese eximant persoluta pecunia, non idem tamen de decimis & nonis pecunia redimendis conceditur. Sed cum ne jam tum quidem illorum pertinaciam frangeret authoritas Regia, vel creberrima Conciliorum ira & interminatio: cumque eos jam pridem cernamus reparationibus solis obligatos, decimis suo quasi jure potiri; à verisimilitudine propè abest cadente Caroli Magni Imperio & Imperatoria prosapia, in tanta illa & Ecclesię & Regni perturbatione, Nobiles illos longam assecutos esse & pręscripsisse harum decimarum possessionem, uno ipsis vicissim onere reparationum impendente.

V. Quin ne ipsa quidem sarta tecta Ecclesiarum curassent, nisi ab Episcopis interpellata esset summorum Principum authoritas. Id liquet ex modò laudato Concilio Moguntino. Id probant innumeris locis Capitularia. Hinc inolevit forsan ille usus, ut sua ipsi sponte incitarentur Reges, ad urgendas Templorum reparationes, & Episcopos ad id inflammandos. Mirabilem ea in re Caroli Magni sedulitatem non tacuit Eginhardus: *Ædes sacras ubicumque in toto Regno suo vetustate collapsas comperit, Pontificibus & Patribus, ad quorum curam pertinebant, ut restaurarentur, imperavit, adhibens curam, ut imperata perficerent. Du Chesne Tom.2. p.100. 119.* Suggerit & illud idem Sangallensis Monachus, curę in primis fuisse Carolo, ut Ecclesiæ Regales instaurarentur, sumptusque in id facerent omnes, quibus Imperii feuda obtigerant. *Si esset Ecclesia ad jus proprium pertinentes, &c. Si nova fuisset instituenda, omnes Episcopi, Duces & Comites, Abbates etiam, vel quicumque Regalibus Ecclesiis præsidentes, cum universis, qui publica consecuti sunt beneficia, à fundamentis usque ad culmen instantissimo labore perducerent.* Ut quibus Regum feuda collata fuerant, iis Regalium Ecclesiarum sarta tecta curanda erant; ita & cęterarum Ecclesiarum qui agris, fundisque gaudebant, illi eis reparandis operam navare, & sumptum facere cogebantur.

VI. Potuisset & quarta hic accumulari ratio obliterandæ apud Episcopos distributionis illius quadripartitæ bonorum Ecclesiæ: nimirum ipsi quoque hospitalitati, & pauperum alendorum curę fundos aliquos certos addictos & segregatos fuisse. Plura ejus rei exempla superiùs indigitata sunt, & ubi potissimùm de Xenodochiis sermonem instituimus, vel pauperes illos perstrinximus, qui Matricularii dicebantur. Unum hic illud denuo adjiciam, quod memorat Flodoardus, *L.3. c.10.*, de Xenodochio, quod Hincmarus Archiepiscopus à fundamentis excitavit, quod lauta dote, quod fundis instruxit, totumque fecit ab Episcopis Provinciæ & ab ipso Rege confirmari, ut ne revocari unquam hæc dona, vel ad alios usus detorqueri possent, vel novis opprimi oneribus, vel obsequiis. *Canonicis hujus Remensis Ecclesiæ hospitale constituit, ad susceptionem peregrinorum vel pauperum, congruis ad id rebus deputatis, cum consensu Coepiscoporum Remensis Diœceseos atque subscriptionibus eorumdem: ea*

con-

conditione, ut nullo unquam tempore quilibet Episcopus, vel quælibet persona easdem res cuiquam in beneficium dare vel in alios usus quocumque modo abstrahere præsumat: neque aliquem censum vel redhibitionem exinde accipiat: sed totum quidquid ex ipsis rebus justè acquiri potuerit, in usum pauperum atque Canonicorum, secundùm modum descriptum in privilegio à se & cæteris Episcopis confirmato expendatur. Super hoc quoque constituto Regiæ authoritatis præceptum à Carolo Rege fieri atque firmari præcepit.

VII. Hîc verò animadvertes, 1. Religiosissimos Præsules hos, ne piæ donationes suæ à successoribus revocari possent, eas assensu & chirographo muniri voluisse Episcoporum ejusdem Provinciæ & Regum. 2. Expeditius & illud visum est, fundos semel & agros, ædesque & reditus & ministros assignare excipiendis alendisque tum pauperibus, tum advenis, hospitibusque, ne quorundam locus unquam esset Præsulum inhumanitati & avaritiæ. 3. Interponebatur etiam Principum majestas, non tantùm ut hoc ineluctabili obice reprimeretur levitas & aviditas futurorum Præsulum; sed ut Principes ipsi suis quodammodo chartis vincirentur, ne semel assignatas alimentis pauperum res vel ipsimet darent exercituum suorum Præfectis, vel ab Episcopis dari cogerent. 4. Et ea non temerè causa creditur Episcopos adduxisse, ut tantam fundorum agrorumque copiam & multitudinem conferrent, vel pauperum, vel Canonicorum, vel Monachorum Congregationibus, ut eos audacissimæ laicorum subducerent rapacitati, qui illos vel involabant ipsi, vel Regibus extorquebant, importunitate tandem sua scilicet fatigatis. Eò fiebat, ut ne fidem præstareot Reges toties desponsam, ne in terrenam militiam absumerentur, quas pietas fidelium sacras esse hostias voluerat suæ in Deum religionis. 5. Hinc intelligitur tum religiosissimè observari, & constantissimè coli cœptam distributionem illam in quatuor partes canonicam, cum abolescere in speciem visa est. Nec enim fructus reditusque antè distribui desiere, quàm ubi fundi ipsi & agri dispertiti sunt in illos ipsos, in quos proventus canonica lege partiendi fuissent. 6. Hæc porro fundorum ipsorum partitio, & Ecclesiastici sectio ærarii id præstitit, ut ejus deinceps administratio & tutior esset, & expeditior. Non jam præstingebantur oculi sæcularium, Principumque ipsorum, splendore, & copia, ac congerie mirabili opum Ecclesiæ, quæ in tot jam minutissimas partes dissectæ fallebant pene oculos, nec apparebant: cum longè proclivius esset jam singulis suæ portioni curam impendere.

VIII. Sed ita distributis Ecclesiæ prædiis & fundis omnibus, & sua pauperibus seposita portione in Xenodochiorum constructionem & dotationem: ne se tamen Episcopi, Abbates, & Beneficiarii prorsos omnes absolutos putent à pauperum cura gerenda, quasi jam superfluentes opes fas sibi sit in luxum & vanas sæculi delicias abligurire. Non eò facta est illa fundorum Ecclesiæ distributio, ut ne jam ditiores Beneficiarii cogerentur superfluos proventus suos in pauperes dilargiri: sed ne pauperes ea saltem portione orbarentur, quam eis Canones expressiùs dicaverunt. 2. Ea est quasi natura, id jus, ea conditio totius Ecclesiarum substantiæ, ut Christi, ut pauperum sit patrimonium. Quantulascumque in portiones hoc dissecueris, particola hæc erat semper patrimonii pauperum, nec eam usquam poteris abstergere conditionem. 3. Minutissimæ etiam particulæ rerum Ecclesiæ, hostiæ nihilominus sunt sacræ religionis & pietatis fidelium: ut sacrilegè & impiè faciat, quisquis eas voluptati aut pompæ sæculi impenderit. 4. Usque adeo verò bona Ecclesiæ pauperum res sunt & patrimonia, ut iis nec Episcopi, nec Abbates, nec ceteri Beneficiarii uti possint, nisi more & modo pauperum, nec suis inde cognatis quidquam decerpere, nisi ut pauperibus. Itaque qua demumcumque facta rerum Ecclesiæ distributione; res Ecclesiæ res semper erunt pauperum, & seposito Beneficiarii frugali & modico victu cultuque, residua omnia in pauperes necessariò spargenda erunt.

CAPUT XXIII. *P.4. l.4.c.22.*

Partitio rerum Ecclesiæ in Episcopum, Clerum, pauperes, reparationes, post annum Christi millesimum.

I. Quàm meritò ingemiscendum sit de partitione rerum Ecclesiæ temporalium, quæ olim communes erant. Et tamen gratulandum, quòd primæ rerum partitiones inter Episcopos & Capitula eò spectarent, ut Canonici in communis vitæ societatem constringerentur.

II. Duobus diversis temporibus ea Canonicorum Collegia instituta fuisse. Possideri omnia in commune, quàm id Evangelicæ perfectioni finitimum sit & conjunctum.

III. Quàm dolenda meritò fuerit divisio rerum Capituli in Canonicos ipses.

IV. Cur non his se Collegiis communem agitantibus vitam incluserint Episcopi. Temporalem eorum substantiam ipsimet amplificaverint, ut tutior esset disciplina regularis.

V. Cur Canonicatus & Prabendæ nunc ab Episcopo, nunc à Capitulo, nunc ab utroque conferrantur.

VI. Exempla partitionis, ubi Episcopus Capitulis arbitratu suo res & fundos adsignat, sibi jus servat conferendi Prabendas.

VII. Non raro Episcopi Capitulis concessere, & temporalis & spiritalis jurisdictionis suæ partem non mediocrem, servata sibi appellatione.

VIII. Varia temporalium portiones inter Episcopos & Capitula. Harum portionum minutia.

IX. Partitiones aliæ, in quas nonnulla observantur. Portio pauperum permixta cum Episcopi & Cleri portionibus.

X. Ex hac partitionum diversitate diversæ etiam emersere rationes Prabendarum & Parochiarum conferendarum.

XI. Peculiares aliæ partitiones.

XII. Nova statuta de distributione in partes quatuor. De portione pauperum.

XIII. XIV. Alia exempla partitionum, anteriorum & novissimarum, in quas & aliqua observantur.

I. ET si non satis explorata nobis, aut verò memoriæ prodita sit historia harum partitionum: est tamen plus satis quòd doleamus & nostram & superiorum temporum vicem, & disciplinæ sacræ labem eam, qua patrimonium Christi divisum est, quod lætiùs olim & religiosiùs possidebatur, cum unitas illud & charitas possideret. Quanquam enim temporales hæ sint res, cum sint tamen fructus charitatis & beneficientiæ fidelium in pauperes, hostiæque pietatis & religionis in Deum, digniùs utique & naturæ suæ convenientiùs in commune possidebantur. Nec tamen inficiari possumus, quæ antiquissimæ fuerunt inter Episcopos & Capitula partitiones, eas non alio ex fonte manasse, quàm charitatis, & studii ad communem vitam instituendam anhelantis. Mirabile forsan primò videbitur, cum charitas omnia recolligat, ab ea profectam esse banc divisionem: amore vitæ communis labefactatam esse rerum om-

nium

nium in commune priorem possessionem. Sed nihil residere poterit dubitationis, si vel superiùs dicta animo revocentur, vel promendis hîc argumentis adjiciatur animus, quibus scilicet invictissimè id perficiemus, hac demum perfecta divisione fundorum Ecclesiæ, tum cœpisse omnia verissimè in commuoe possideri. Quæ antem divisiones non debeant, non possint oon doleri & [illegible]io esse, postea declarabimus.

II. Diximus jam alibi temporibus maximè Pipini, Caroli Magni, & Ludovici Pii, cæpisse tum Clericos omnes, tum ipsa maximè & Cathedralium & Collegialium Ecclesiarum Capitula compelli, ut in aliquam vitæ communis societatem in Congregatione ducendam coalescerent. Reges, Imperatores, Episcopi nulla re defuere, non autboritate, non largitionibus, non cura & sollicitudine, ut tam præclarum institutum ad exitum optatum perduceretur. Primordia hæc ferè fuere partitionum Mensæ communis Ecclesiarum, cum ut his novellis Congregationibus accederet robur, vigor & stabilitas, congesserunt illis Episcopi decimas, fundos, Parochias & Cœnobia, ex quibus omnibus idonei illis proventus suppeditarentur. Sæculo decimo tota funditus corruisse videbatur Ecclesiæ disciplina, usque adeo exundaverat infinita quædam vitiorum colluvies. At cum médio jam undecimo sæculo respirare inciperet Ecclesia, & densissimæ illæ paulatim tenebræ difflarentur, disciolina ipsa quoque purior Canonum reflorescere visa est, his maximè instituendis Congregationibus Clericorum, communis vitæ studiosorum, Cathedralibus ipsis in Ecclesiis.

Anno 1042. Cæsenas Episcopus in Italia, impetrato assensu Metropolitani, Episcoporum Provinciæ & Abbatum, Canonicos suos communis vitæ societate & vinculo constrinxit, ut uno postbac reficerentur & dormirent omnes loco secessuque gauderent, in commune demum uno orationis suavissimo pabulo saginarentur. *Communiter in uno loco conveniant, ubi communiter vescantur & dormiant, & ad serviendum Domino sine intermissione consistant, & ut solummodo divino cultui mancipentur, à populari conversatione removeantur.* Mox ei Congregationi idoneam dotem assignavit idem Episcopus: *Trado, ordino, & in perpetuum dispono vobis plebem unam integram cum omnibus sibi pertinentibus, cui vocabulum est Sancti Victoris in Valle, Monasterium unum, integrum, &c. Cum Consilio Senioris & Magistri nostri Ravennatis Sedis Archiepiscopi, aliorumque confratrum nostrorum, tam Episcoporum, quàm Abbatum, &c.* Præstat sanè multis nominibus hæc omnium in commune possessio posterior, illi antiquissimæ, cum res ipsæ indiscretæ eraot, at Clerici ipsi separatim omnes & habitarent, & vesceereotur. Unitas, æqualitas, charitasque multò major & præclarior in hominum & rerum conjunctione, quàm in sola communione rerum. Quin & ipsa rerum communio non paulò & laudabilior erat, & dulcior in Congregationibus his Clericalibus, ubi nemini privatim quidquam erat proprium, sed omnibus unum in commune, & promiscuum penu, unde vesceereotur, unde vestirentur: quàm ubi sua quisque privatim parte gaudet & luxuriat.

Anno 1090. Geraldus Cadurcensis Episcopus Regulares Canonicos suam in Ecclesiam Cathedralem invexit, utque eorum Collegio & vitæ communi suppeterent idonei proventus, illis concessit dimidium ejus monetæ suæ, tertiam procurationum partem & Cathedratici, & fundorum: quodque ad Dignitates & Præbendas Capituli pertinet, earum collatio Episcopo reservata est, re tamen cum Canonicis deliberata. *Pro nostro decreto per consilia Canonicorum ordinanda fiat in posterum. Spicil. tom. 8. pag. 162.*

Cathedrales suos in Ecclesia Cantuariensi Monachos B. Anselmus amplissimis prosecutus est donis. Reparationibus dicavit pecuniarias oblationes diei Paschæ, ut ne posthac ea pecunia cum spolio morientium Episcoporum à Regiis ministris compilaretur. Ita enim Eadmerus in Historia nova. *L. 5. Æquius judicavit eos denarios ab Ecclesia, cui pro signo debitæ subjectionis conferuntur, possideri, quàm à sæculari potestate auferri obeunte Episcopo.*

III. Sed quantùm merito suo commendata est hæc partitionis ratio: tantùm vitio vertendæ divisiones illæ rursus aliæ, quibus res ipsæ Capituli divisæ sunt postea, ab bominibus malè feriatis, & inconsideratissimè suavius sibi fore fingentibus, si modica parte soli & propriè, quàm si immensa quadam opulentia cum dulcissimis sociis in commune fruerentur. Hujus certè partitionis origines non facile est umbra aliqua & specie pietatis obducere. Præfuit his divisionibus persæpè ambitio, avaritia, simonia. Monuit per literas Gregorius VII. Capitulum Lugdunensis Ecclesiæ, resignasse in manus suas Decanum Lugdunensem Obedientias & alia Beneficia, quæ citra consensum Capituli invaserat: *Prudenti & salubri consilio ductus obedientias Ecclesiæ cæteraque Beneficia, quæ sine communi consensu fratrum acquisierat, in manus nostras sponte renunciavit, & se ulterius non intromissurum promisit. L. 6. Ep. 36.* Ad bæc præcedit Pontifex, tum Abbatibus, tum Clericis omnibus, qui sive Obedientias, sive alia ejus Ecclesiæ Beneficia pretio comparaverant, ea ut resignent in manus Gebuini Archiepiscopi Lugdunensis. *Ad cujus formam tam his, qui furtim se subduxerunt, quàm etiam Abbatibus, vel cujuscumque Clericalis Ordinis omnibus Ecclesiæ vestræ quicumque obedientias, vel Ecclesiæ dispensationes, pretii pactione, vel contra excommunicationem Landerici Matisconensis Episcopi, quam in Capitulo vestro fecit, adepti sunt, Apostolica authoritate præcipimus, ut in manus fratris nostri Gebuini Archiepiscopi vestri refutare sine dilatione procurent.* Splendebat tum Lugdunensis Ecclesia multò etiam magis regularis disciplinæ laude, quàm nobilitatis Canonicorum suorum insignibus. Itaque regularis & communis vitæ ibi vinculo omnes constringebantur, ut idem declarat his verbis Gregorius: *Volumus siquidem, ut nobilitatem, qua inter omnes Gallicanas Ecclesias vestra hucusque resplenduit, in Religionis exemplis nunc quoque vigilanter custodiat; & ut gloriam, quam hactenus præ cæteris illis habuit in dignitate, nunc augere incipiat in forma Religionis.* Communis vitæ societatem prodit vox ipsa Obedientiarum. Eo enim nomine donabantur, vel Prioratus ruris, vel Firmæ, seu Grangiæ Cœnobiorum, quandoquidem eo voces usu molliendæ sunt, vel ipsa Claustri Officia, quæ ab Abbate & committebantur ad outum, & revocari poterant. Cum ergo tunc emollesceret vigor ille antiquus disciplinæ in Ecclesia Lugdunensi, privati quique grassari cœpere, simoniacis etiam artibus adhibitis ad Officia Claustri, ad Obedientias, ad Beneficia quæque invadenda.

IV. Duas binc longè diversissimas exemplorum classes explanavimus, ex quibus clarescit, primam quidem bonorum partitionem inter Canonicos & Episcopos duce & auspice charitate factam esse, & alteri inter Canonicos ipsos divisioni præfuisse cupiditatem. Unus est scrupulus, qui nos remoretur, quid causæ sit, quamobrem non se Episcopi in bas cum Clero suo sanctissimas societates incluserint, communem cum iis vitam tradcturi. Responderi autem non injuria potest, sæcolis XI. XII. & XIII. tot fuisse Episcopos profectionibus in Aulam regiam obnoxios, tot militaribus expeditionibus, quum ad Regis castra petenda cogebantur cum agmine suorum militum, tot molestissimis & tumultuo-

tuosis aliis occupationibus distentos, ut vix se possent in hos sanctissimos secessus altius inserere, quin eorum silentio, otioque sacro vehementer obstreperent. Sed sin minus unà habitarent & convescerentur, erant tamen illis divinctissimi, eoque divertebant quoties otii, vel laxamenti aliquid nacti erant, quod in res spiritales conferrent.

Anno 1096. conquesti sunt Sancti Saturnini Canonici Tolosates in Concilio Nemausensi, cui tunc præerat Urbanus II. Papa, de Tolosano Episcopo Isnardo, qui quartam sibi vendicabat oblationum altaris Sancti Saturnini; Pontificemque interpellarunt, ut ei exactioni cogeret Episcopum renunciare. Contra Episcopus vociferabatur, eo se ad summas angustias & mendicitatem redactum iri. Pontificis tamen authoritas pervicit tandem, ut assentiretur, sed ea cautione, ut Episcopo & cognatis ejus facultas esset vescendi cum Canonicis Ecclesiæ Sancti Saturnini. *Mandavit tamen Papa, ut Isnardus Episcopus de Ecclesia Beati Saturnini semper cum suis victum haberet; quod & dum vixit, habuit.*

Concessit quoque Eugenius III. Capitulo Sancti Petri Romæ quartam oblationum ejusdem Ecclesiæ Sancti Petri, quæ antea Pontifici ipsi servabatur, usitatissimo jure & more Episcoporum, de quo jamdiu tam multa, & rursum non pauca inferius. *Quartam partem omnium oblationum, quæ de altari Beati Petri Apostoli, & tam de arca, quàm de omnibus ministeriis ipsius Ecclesiæ, præterquam de ministerio Beati Leonis proveniunt, vobis ex consensu fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium, Sedis Apostolicæ authoritate concedimus. Epist.9.*

Canonicis Regularibus Sancti Augustini in Ecclesia Sancti Joannis Lateranensis in Urbe indulsit Anastasius IV. Papa dimidiam partem oblationum majoris Altaris ejusdem Ecclesiæ, præter agros complures eidem Ecclesiæ olim à superioribus Pontificibus concesso. *Medietatem omnium oblationum principalis altaris in integrum sine dispendio aliquo, præterea quascumque possessiones, concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium poterit adipisci, &c. Epist.11.* Hæc porro largitio, hæc partitio non aliò pertinebat, quàm ut huic Ecclesiæ, toto orbe Christiano omnium principi, sarta tecta servaretur regularis disciplina Canonicorum Sancti Augustini. *In primis statuentes, ut Ordo Canonicorum, qui secundùm Deum & Beati Augustini regulam illic noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter conservetur.*

Anno 1189. confirmavit Capitulo suo Archiepiscopus Coloniensis concessionem Antecessorum suorum, qui oblationes altaris trium Sanctorum Regum contulerant, adjecitque donum quartæ partis, quod hactenus Archiepiscopo servatum fuerat. *Conc. tom.10. p.1187.* Interpellatus Alexander III. Papa ab Episcopo & Capitulo Alexandriæ de Palea, confirmavit institutas ab eis dignitates Capituli, scilicet Præpositi, Archipresbyteri, Cantoris, confirmavit & plurium Ecclesiarum Canonicis donatarum collationem. *Præterea Ecclesias usibus vestris deputatas, scilicet Sanctæ Mariæ de Gamunclio, &c. Epist.54. Append.2.* Has concessiones à Pontifice confirmari volebant Episcopi, ne à suis in Episcopali sede successoribus infirmari, ac revocari possent. Illud hic autem observandum est, non alio ferè has, non alio complures alias constare Capitulares mensas, quàm Ecclesiis Parochialibus, quas Episcopi Canonicis transcripsissent. Nondum hic liquet an hujus Capituli distinctæ essent Præbendæ, & an ab Episcopo conferrentur. At in Epistola ab eodem Pontifice ad Episcopum Suessionensem data, perspicuum est jam distinctas fuisse Præbendas Suessionensis Ecclesiæ, easque omnes ab Episcopo solitas conferri. *Tu vel successores tui Præbendam ipsam facultatem habeatis, tanquam unam de cæteris Præbendis, cui volueritis, assignare. Epist.25.*

V. Cum ne in controversiam quidem trahi possit quin & Capitula & Parochias instituerint Episcopi, & quin ante Capitulorum & Parochiarum institutionem temporalia omnia Ecclesiæ & Cleri bona in jure & potestate fuerint Episcopi: hinc planum est, necesse fuisse ut ab Episcopo bonis & proventibus Ecclesiasticis & Capitula & Parochiæ impertirentur eo modo, quem sapientia & optimi parentis charitas dictasset. Canones profectò tertiam, quartamve Clero adscribebant partem communium Ecclesiæ bonorum; at cum summa omnium administratio & dispensandi potestas penes Episcopum esset; hinc manifestissimum est, Canonicorum Collegia ab Episcoporum largitionibus sua omnia esse consecuta, & multò etiam magis Ecclesias Parochiales, quæ specialius in Episcoporum potestate sunt. Hinc probabiliter manavit earum mos Ecclesiarum, ubi Præbendas omnes confert Episcopus. Alibi Capitula eligunt, vel per vices Præbendas conferunt. Potuit ea varietas proficisci ab ipsorum consuetudine Capitulorum, cum primum instituta est bonorum partitio. Quandiu enim Capitula more Canonicorum Regularium, & communem degebant vitam, & in commune possidebant omnia, tunc sanè ab ipso Capitulo, & admittebantur novi Canonici, & Canonicatus conferebantur. Ubi postea primævus ille ardor pietatis deferbuit, & mensa communis frustillatim discissa est, tunc suam sibi quisque Præbendam arripuit, quas ita conferre cœperunt, ut ante has partitiones conferebant Canonicatus. Ex adverso autem ubi nullam in Congregationem coaluerat Clerus, & ubi conjunctim cum Episcopo omnia possidebat prisco more, donec duplex instituta est, Episcopi altera, altera Capituli mensa: ibi Episcopus Ecclesias, terrasque complurimas Capitulo assignavit, ex quibus certo numero Præbendæ instituerentur, ad quas ita Episcopus, uti collator, admittebat, ut priùs ejus unius maximè erat novos admittere Canonicos. Summa enim illa Episcopi potestas est, ut Clero suo adjungat, quos dignos probarit.

Quod autem tum præfixus fuerit Præbendarum numerus, cum facta est & bonorum partitio, de eo vix ambigi fas est. Plurimum enim intererat Episcopi, ut ne ultra modum cresceret Præbendarum & Canonicorum numerus. Si quæ sit autem Ecclesiæ, ubi conjunctim Episcopus & Capitulum Præbendas conferant: sunt autem complures: id inde fluxisse videtur, quod in Congregationibus etiam Clericalibus summam hanc sibi Episcopi sumpserant quandoque potestatem, ut novos ipsimet Canonicos admitterent. In iis verò Capitulis, ubi nullæ fuere unquam Congregationes, ut Clerus ab exordio & spiritalia & temporalia omnia cum Episcopo administraverat ante partitiones bonorum; ita & ejus potestatis partem aliquam sibi retinuit partitione bonorum facta, in electione, vel nominatione Canonicorum. Capite hoc toto prodibunt exempla complusculа, quibus fides his astruatur. Attigeramus jam quidem superius hanc ipsam quæstionem, sed abstinere calamum non potuimus, quin & hic rursus perstringeretur, tum quod momenti plurimum habeat, tum quod conjunctissima sit, & implicata rei, quam hic versamus.

Apud Alexandrum III. Papam querelas effudere Canonici Aurelianenses de Episcopo suo, qui inconsultis ipsis omnia novabat, indignis Præbendas

conferebat, nutu suo adimebat, unam secabat in duas. *Omnia disponit ad libitum, distribuit honores immeritis, ab Ecclesia removet innocentes, Præbendas dimidiat contra morem, &c. Append.2. Epist.103.* Conferebantur ab hoc Præsule Præbendæ, idque quamvis languidè contendebant Canonici, nisi suo consilio fieri non debere. Denique ex ejusdem Papæ Epistolis patet Canonicos Parochiis sibi assignatis Parochos adsignasse. Conquerente enim Capitulo Cabilonensi, rejici ab Episcopo, nec institui Parochos, quos ipsi ad Ecclesias sui juris præsentarent; annuit Pontifex, ut eo abnuente, illos Episcopo Augustodunensi præsentarent, à quo regimini & curæ præficerentur animarum, si pares tanto muneri, dignique essent. *Si præfatus Episcopus post trinam commonitionem personis idoneis ad præsentationem vestram vel majoris partis, per congrua intervalla temporum facta curam animarum in Ecclesiis, quæ ad vos pertinere noscuntur, committere fortè noluerit: liceat vobis illas venerabili fratri nostro Eduensi Episcopo præsentare: qui nullius temeraria contradictione obstante eisdem animarum curam Apostolica authoritate committat. Append.3. Epist.7.*

VI. Prisca ergo jura sua retinebat Episcopus in eas Parochias, quas Capitulis concesserat: quanquam Canonici impatientius ferentes eos, quos ipsi præsentarent, ab Episcopis repudiari, connixi sæpiusculè sint, ut ne posthac nisi Romano Pontifici, vel Metropolitano subessent, vel Episcopo viciniori, vel primati inter Episcopos Provinciæ; sive eam Primatis dignitatem afferret ætas & ordinationis antiquitas, sive civitatis ipsius prærogativa, qua de re prolixiùs suprà, ubi de Protothronis disputatum est. Nam Cabilonensis Episcopus & Lugdunensi Ecclesiæ proximus est, & Ecclesiæ, atque civitatis ipsius suæ privilegio reliquis ejus Provinciæ antistat Præsulibus.

Sed non sola adsignatione & concessione Parochialium Ecclesiarum benemerebatur Episcopus de Capitulis, & jus sibi conciliabat conferendi Præbendas aut Canonicatus. Anno 1045. Adelfretus Archiepiscopus Ravennas exuberantem Canonicorum suorum numerum repressit, ad quinquaginta illum redegit, videlicet Archipresbyterum. Presbyteros duodecim alios, Archidiaconum & duodecim Diaconos alios, Subdiaconos tredecim, undecim Clericos; ut eorum precibus post mortem juvaretur, concessit tres quartas partes decimarum, primitias omnes, oblationes Ecclesiæ Cathedralis, tum eas, quæ Altari imponerentur, tum quæ pavimento. *Pro salute animæ meæ, quatenus ipsi & successores eorum pro me Deum exorent, concedo & firmiter annuo tres partes decimarum totius istius plebis, scilicet sancti Petri Episcopatus, cum omnibus primitiis, & offensionibus pro oblationibus vivorum & mortuorum, & quidquid in sancta Episcopali Ecclesia offertur, seu in altari ponitur, vel in pavimento locatur. Italia sacra Tom.2. p.15. 16.* Tum verò id sibi juris intactum servari volebat, ut Dignitates & Canonicatus Capituli ipse conferret, cum consilio Archipresbyteri, Archidiaconi & Canonicorum. *Insuper hoc meæ potestati, & meorum successorum reservo, ut si de supradicto numero Clericorum aliquis obierit, ego vel successores mei alium instituant, cum consilio Archipresbyteri, Archidiaconi, aliorumque fratrum cum laudatione.* Vides quàm non multùm laboretur de quarta illa, vel tertia bonorum Ecclesiæ parte, quam Canones Capitulo adscribebant; sed voluntate & beneficentia Episcopi figatur Canonicorum numerus, eisque assignetur quantum satis est decimarum, primitiarum & oblationum; collatio denique Præbendarum Episcopo reservetur, non sine consilio Capituli. Sed habita tamen est ratio quartæ partis, cum Hugo & Lotharius Reges anno 934. Congregationi Canonicorum Mutinensium confirmaverunt quidquid ei fundorum omnis generis concessum fuerat ab Episcopis ejus urbis, quæ quarta erat portio bonorum ejus Ecclesiæ. *Canonicæ Congregationi Episcopi concessere quartam partem de omnibus rebus ad supradictam sedem pertinentibus, id est tam de domibus, quàm de cæteris ædificiis, terris cultis & incultis, agris, vineis, pascuis, sylvis glandiferis, vel etiam cæteris sylvis, aquis, aquarum decursibus, mobilibus & immobilibus, &c. Ibid. pag.123.*

VII. Partitionibus in his omnibus nulla usquam sublucet concessio jurium Episcopalium, in quorum societatem vocarentur Capitula. At anno 1274. concessa est ab Episcopo Cæsenate Capitulo ejus urbis permagna pars jurisdictionis Episcopalis, ejusque potestatis, quæ maximè propria videtur esse Episcoporum. Parochia illi & regio concessa est Sancti Mauri cum decimis omnibus aliisque juribus, cum domanio, jurisdictione, & consuetudinibus, cum plenissima potestate instituendi, & destituendi, visitandi & corripiendi, suspendendi & excommunicandi, tum Beneficiarios alios, tum Parochos ipsos; denique exercendæ totius Episcopalis jurisdictionis, incolumi & illibato quidem jure provocationis ad Episcopum. Cessit & Capitulo Episcopus portionem canonicam testamentorum & omnium legatorum piorum, in favorem Capituli factorum. Cessit denique Cathedraticum, sive duos solidos, quos Episcopo solvebant Parochi & Capellani omnes ejus regiunculæ. *Do & trado plebem sancti Mauri cum titulis & capellis suis & decimationibus omnibus, & cum recepto frumenti, annonæ, carnium & pullorum, & quocumque alio censu seu reditu, consuetis etiam debitis Episcopatui à plebe prædicta. Et insuper omne dominium, omnem jurisdictionem, usum seu consuetudinem, ut liberè & pleno jure possitis vos & vestri successores nomine Canonicæ Cæsenatis dictam plebem ejusque Capellas, earumque Rectores & Clericos instituere & destituere, visitare, corrigere, suspendere, interdicere, excommunicare, deponere, privare & absolvere, ac in eis plenam jurisdictionem, tam in causis civilibus, quàm etiam in criminalibus, sicut ego cum meis successoribus nomine Episcopatûs facere possem, &c. Et exercere generaliter & specialiter, quæ ad jus & jurisdictionem Episcopalem pertinere noscuntur: salvo quod Rectores & Clerici dictarum plebis & Capellarum possint ad me & meos successores appellare, quando ipsos indebitè gravaretis, &c. Concedo canonicam portionem testamentorum, & aliarum ultimarum voluntatum, de jure spectantium mihi, meisque successoribus, id est, quartam testamentorum, &c. Trado id omne, quod ratione Cathedratici mihi, meisque successoribus de jure pertinet, videlicet duos solidos Ravennates pro unaquaque ipsarum plebium & Capellarum annuatim exigere, &c. Concedo canonicam portionem, quæ mihi competit in omnibus & singulis Legatis, quæ per testamentum vel quamcumque ultimam aliam voluntatem relicta sunt seu relinquentur Canonicæ Cæsenatensis Ecclesiæ. Ibid. pag. 466.* Jura hæc Episcopalia paulò uberiùs infrà elucidabuntur, hîc illud unum observari velim, si qua his fruantur Capitula, uti & jure Beneficiorum pleno jure conferendorum, suspendendi, excommunicandi, explicandæ utcumque jurisdictionis Episcopalis, id totum à munificentia derivatum fuisse Episcoporum, quibus unum appellationum jus totam plus satis videbatur Episcopatûs majestatem tueri.

VIII. Rara erat illa Episcopalis jurisdictionis derivatio in Capitulum, sed longè frequentissima erat temporalium Ecclesiæ rerum impartitio largissima. Confessus est Stephanus Tornacensis Episcopus

pus literis datis ad Decanum Remensem, generalem hanc vigere consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ, & ab Apostolica Sede tolerari, ut inter Canonicos rerum partitio fieret. *Cum generalis Ecclesiæ Gallicanæ consuetudo portiones Canonicis suis distribuendas concedat & approbet, & summi Pontificis authoritas non reclamet. Epist.160.* Sed committendum non esse, ut singulari laude & prærogativa gloriæ excuteretur Ecclesia Remensis, regularis observantiæ hactenus tenacissima, clarissimam facem cæteris Ecclesiis regni in eam rem præferre solita, hactenus denique Canonicos suos omnes eadem simul vescendi, simul dormiendi, simul habitandi lege devinctos complexa. Ad mensæ Capitularis partitionem id spectat, à qua omnium diutissimè abstinuit sese Ecclesia Remensis.

Confirmata est ab Innocentio III. partitio bonorum facta inter Archiepiscopum & Capitulum Thebanæ civitatis, cui à Præsule assignata erat pars dimidia redituum Ecclesiæ. *Archiepiscopus considerato reditibus ejusdem Ecclesiæ ac facultatibus universis, medietatem eorum Canonicis contulit liberaliter. Regest.13. Epist.14. 15. 44. 186.* Cum postea verò Archiepiscopus sæpiùs prosiliret ad Canonicos suos excommunicatione innodandos, rescripsit ad eum Pontifex, ne tam facilè atrocissima illa censurarum tela jacularetur, neu tam crebrò suos compelleret ad iter Romanum Canonicos, iis vinculis absolvendos. Ex aliis ejusdem Innocentii Epistolis constat, in Ecclesia Constantinopolitana ita res partitas fuisse, ut *Decima & Quintadecima* inter Canonicos dividerentur, nec Patriarchæ cederet, nisi quarta pars decimarum. Facilè conjicies illam tum consuetudinem ab Ecclesia Latina in Græcam migrasse, & in eas Orientis Provincias omnes, in quibus Latini rerum potiri cœperant.

Idque aliis quoque ex conjecturis eliciemus. Suam Archiepiscopus Patrensis Ecclesiam à propriis Canonicis destitutam dolens, utpote sæcularibus, Pontificem interpellavit, per eum ut sibi fas esset Regulares illis subrogandi Sancti Ruffi Canonicos. Annuit Pontifex, ea lege, ut novo huic Collegio terrarum & vinearum, frumenti & vini tantum darent, quantum alendis satis esset quinquaginta aut sexaginta Canonicis: daret & pisces, ac sal, oleumque quantum satis esset; & complura alia, quæ sigillatim attinguntur in eadem Epistola. *Cæterùm pro recipiendis pauperibus & hospitibus dabis eis quinquaginta carrucatas bonæ terræ, quadraginta boves, & totidem vaccas, bubulosque triginta, & tantum vineæ, de qua vinum pro decem personis proveniat annuatim, assignans nihilominus eis rusticos, qui sine mercede, vel expensis eorum, in domo sua labores exerceant universos, omnium proventuum Episcopatûs in decimis, mortuariis & eleemosynis eisdem medietate concessa. Ibidem. Ep.159.*

Ejusmodi tunc erant partitiones rerum inter Episcopos & Canonicos. Addit tamen Pontifex, si et partitioni minùs acquiescant novi Canonici, ipse eis ut concedat Archiepiscopus dimidiam partem rerum Ecclesiæ, cogatque eos annuam Principi temporali pensitationem solvere jam dudum usitatissimam. *Quod si hæc omnia non duxerint acceptanda, dimidiabis cum eis cunctas possessiones Ecclesiæ Patracensis; sic tamen quod illi persolvant creditam annuatim, quam Principi terræ ipsa Ecclesia solvere consuevit.* Addit denique Pontifex ad hoc Patrensis Ecclesiæ exemplum effingere se & formare posse reliquas Ecclesias, quæ non ita pridem ritum Latinum amplexatæ sunt; ubi à Canonicis eligetur Prior, ab Archiepiscopo confirmandus, cujusmodi confirmatione nihil opus erit in aliis Canonicis admittendis.

IX. Antè autem quàm ultrà progrediamur, illud hic animadvertendum non perfunctoriè est: in hac Ecclesiæ Patrensis rerum distributione, agrorum complurimum, & jumentorum, & servorum, & proventuum Canonicis accumulari, ut largiùs & ipsi possint hospitibus adesse & egenis. Hinc enim confirmatur, quod ad fastidium usque à nobis inculcatum est, post rerum partitionem inter Episcopos & Capitula, utrisque illam indeclinabilem incumbere sarcinam alendorum pauperum, & hospitum excipiendorum, & sanè pro quatuor illis partibus apud Concilia decantatissimis, duæ hîc tantùm commemorantur, propterea quod & reparationibus, & pauperibus addici jussæ partes duæ, Episcopi & Cleri portionibus hîc implicentur. Confirmata est ab hoc eodem Pontifice, *Innocent. III. Reg.14. Epist.112.*, partitio inter Archiepiscopum & Capitulum Athenarum. Patrensi finitimum fuisse facilè suspicamur. Gratianus utpote antiquorum Conciliorum consarcinator, non aliam, quàm quadripartitam illam rerum distributionem proponit, ut eam scilicet Episcopi præ oculis haberent legem, eamque pro rerum, locorum & temporum opportunitate sectarentur in dispensatione Ecclesiasticę substantiæ. Necdum enim res ipsæ sectæ fuerant in portiones, aut rariusculæ adhuc erant hæ sectiones. *Gratian.12. q.2. 23. & seqq.* At ævo Innocentii III. jam illud pervagatissimum erat, ut partitis rebus & fundis Ecclesiæ, pauperum, hospitumque & reparationum portiones, ab Episcopi & Cleri portionibus non sejungerentur; quo fiebat, ut in eos eæ curæ rejicerentur, & expensæ.

X. Ex hac multiplici ratione & diversitate partitionum jam diximus emersisse discrepantiam illam mirabilem, Canonicatus & Parochiales Ecclesias conferendi. In Concilio Lateranensi III. sub Alexandro III. anno 1179. illud videtur innui, *Can.8. Extra. De Conc. Præbend. c.2. 10. 35.*, sejunctas jam alias ab aliis fuisse Præbendas, & earum provisionem alibi ad Episcopos, alibi ad Capitula spectasse, cum reciprocæ devolutionis jure, si ultra sex menses Præbendæ vacare sinerentur. Fatetur Innocentius III. *Extra De his quæ fiunt à Prælat. sine consensu Capitu. cap.9. Et de donat. c.9.* Ecclesias esse, ubi Episcopus & Canonici conjunctim eligant ad Præbendas, idque bifariam fieri: Episcopo nonnunquam Canonicis aggregato, tanquam Canonico; nonnunquam præsidente, ut Episcopo; quo postremo casu nulla fiebat devolutio. Denique facta etiam illa partitione, Episcopo tamen integrum non est Monasteriis Ecclesias largiri Parochiales, nisi consentiente Capitulo: nec quinquagesimam, vel centesimam decerpere, ad Monasterii fundationem, & ad sepulcrum sibi parandum, si ejusmodi donatione non mediocre detrimentum capiat Ecclesia. Ratio ejus rei in aperto est, quòd temporalium partitione, non prorsus Episcopi & Cleri consensio abrupta est; & neutri fas est quidquam moliri, quod Ecclesię & successorum commodis vehementer officiat.

XI. Anno 1186. *Baron. an.1186. n.16.* Archiepiscopum Cantuariensem Urbanus II. per literas commonuit, ut oblationes tam frequentissimas ad tumulum B. Thomæ Martyris & Archiepiscopi ejusdem Ecclesiæ in quatuor scinderet portiones, quæ Monachis cederent Ecclesiæ Cathedralis, reparationibus, pauperibus, & Archiepiscopo. *Matth. Paris.* Jamdiu antè fundi, agrique Ecclesiæ partiti fuerant, suos enim sibi sepositos habebat fundos Congregatio Monachorum, qua una constabat Capitulum Cantuariense: erant & Xenodochia suis instructa dotibus; & tamen vocabantur adhuc pauperes ad participandas Altaris oblationes, ubi potissimùm pinguiores eæ erant. Ita refert pervetustus Angliæ Historicus, à B. Lanfranco Cado-

mensi Abbate, post Archiepiscopo Cantuariensi, partitionem factam esse rerum ejus Ecclesiæ inter Archipresbyteros & Monachos, idque eo consilio factum, ut certior & diuturnior inter eos concordia coalesceret. *Ut pacis & concordiæ vinculum partis utriusque, capitis videlicet & corporis futuris temporibus inviolabiliter servaretur, Monachis suis in novam ordinis formam reductis, Priori & Conventui omnimodam rerum suarum concessit administrationem. Scrip. antiq. Angl. Tom.2. p.1311.* Portio Archiepiscopi complectebatur Comitatus, Baronias, & feuda, ex quibus militum cohortes colligebantur illæ, quas Regiis castris & exercitibus Ecclesia soppeditabat; Monachis cedebant prędia & agricolæ. *Sibi reservaverunt Comites, Barones & Milites; Monachis verò assignaverunt rusticos & agricultores. Dicunt autem quidam Lanfrancum id fecisse. Hæc ideo facta sunt, non ut unitas scinderetur Ecclesiæ, sed ut perpetuò utrobique servaretur utilitas, dum rerum suarum plenam utrique haberent libertatem.* Nec multò post commemorat idem Scriptor, evolante bine in Beatas Sedes Lanfranco, Vvillelmum II. Regem Angliæ suo Regio fisco inferri jussisse reditus omnes Archiepiscopatûs per annos quinque. *Post cujus obitum per quinquennium confiscata sunt Episcopalia sub novo Rege Guillelmo secundo.* Non facilè id usu venisset, quo tempore Episcoporum & Capitulorum res indiscretæ & communes erant, earumque administrationem in se totam extincto Episcopo Capitula ipsa recipiebant. Fuere & Episcopi, qui nervos omnes contenderent, ne qua sectio fieret mensæ Capitolaris, & ne Prębendę distinguerentur ullę. Ea de causa hoc statutum edidit Atto Trecensis Episcopus anno 1145. & Legati Pontificii authoritate muniri curavit. *Prohibuimus, ne unquam ulterius, quacumque occasione, vel pro qualibet persona de communitate fratrum singularis fieret, vel daretur alicui Præbenda. Bibl. Clun. Nona p.105.*

XII. Ratam habuere, quandoque & præscripsere Concilia illam in quatuor partes distributionem, inter Episcopum & Clerum, inter sarta tecta & pauperes; at rerum Capituli sectionem inter Canonicos jam pati magis visa sunt, quàm probare. Anno 1199. Concilium Dalmatiæ novum vigorem adjecit ei partitionem legi, edocuitque cui committeretur dispensanda pauperum portio & fabricarum. *Decernimus, ut decima, seu oblationes fidelium, tam pro vivis, quàm pro defunctis, in quatuor partes dividantur, quarum una sit Episcopi, alia Ecclesiarum, tertia pauperum, quarta Clericorum. Portionem quidem pauperum Episcopus administret, portionem verò Ecclesiarum Archypresbyter conservet, & eu mandato Episcopi in usibus Ecclesiæ fideliter expendat. Quicumque verò Clericus contra hoc venire præsumpserit, sua portione privetur. Can.3.* Portio pauperum suprà Capitulo commendabatur; hic Episcopo concreditur; at portio reparationum Archipresbytero. Non est ergo quod quisquam sibi persuadeat, omnibus in Ecclesiis facta partitione rerum, secretam fuisse pauperum portionem, & in Xenodochia expensam, in Nosocomia, & alia id genus pauperum diversoria. Monasteria Monachis exædificata fuerant, vel Canonicis Regularibus: eisque tanta erat cum Capitulis affinitas, ut ex Congregationibus ipsis Monasticis frequentissima coaluerint Capitula. Atqui Monasteriorum proventus non modica ex parte insumebantur semper in ægrorum, in hospitum, in pauperum levamentum; quibus decerpi, aut deteri vel tantillum prohibuit Concilium Parisiense anni 1212. *Reditus assignati eleemosynæ nullo modo imminuantur, vel aliis usibus deputentur, & subtracti restituantur.*

XIII. Cum anno 1233. Juhellus Toronensis Archiepiscopus Provinciam suam solemni perlustraret visitatione, in Civitate Briocensi partitionem inter Episcopum & Clerum constituit, & ratam haberi jussit. Cum magna tunc esset Præbendarum inęqualitas, voluit, ut cum fato suo excessissent quinque ditiores Canonici, æquarentur tunc Præbendæ omnes, singulisque viginti librarum annui reditûs assignarentur. Ad numerum Canonicorum amplificandum, Capitulo adjecit Episcopus Ecclesiam Parochialem Ploidranensem: ut constituto ibi Vicario & Capellano, reliquis ex proventibus Præbendæ crearentur duæ novæ, quas conferret Episcopus iis certè, qui se sacramento obligarent, ut intra annum Presbyteratu initiarentur, jugique & fida residentia Ecclesiam frequentarent. Ita penes Episcopos jus erat Præbendarum conferendarum, quas ipsimet creassent, nisi ei juri suo renuntiarent. Summa erat & in Ecclesia Lugdunensi inæqualitas jam inde ab anno 1251. Erant in ea Capellani, Præbendarii & Canonici. Ex Canonis infimo gradu erant Vavassores, superiore Castellani, summo filii Baronum, Comitum & Ducum. *Conc. Genev. Tom.11. p.2334.* His annui reditus erant ad summum librarum triginta, reliquis pro suo quibusque gradu. Haud facilè est tantæ hujus varietatis origines indigitare. Sed non potest justissima laude fraudari statutum illud Ecclesię Aurelianensis, ubi Prębenda una eleemosynis pauperum consecrata fuerat. Eam restitui curavit Gregorius VII. datis literis ad Ecclesiam Aurelianensem. *Præcipimus etiam ut Canonicam conversam alimonia pauperum, quam ab eo usu subtractam diceris vendidisse, ad eundem usum restituas. Leg.3. Ep.17.*

XIV. Universim apparet legem illam quadripartitę distributionis honori semper fuisse, & religiosissimè observatam, quanquam modo aliàs & aliàs diversissimo. Duo restant, quę promam exempla, vetustius alterum, alterum recentissimum. Primum est Ecclesię Metropolitanę Aquisextiensis, ubi anno 1103. ab Archiepiscopo Petro impetravit Capitulum plures Ecclesias Parochiales, cum juribus suis omnibus, *excepto Synodali censu*, & cum quarta parte decimarum, aliorumque proventuum earundem Ecclesiarum. *Super hæc etiam firmavit per hanc præsentem paginam quartam partem decimarum & redituum, quæ sui juris erat, omnium Ecclesiarum illarum, quas ab antecessore ejus acquisierant, & illarum, quas per hanc chartam firmavit & donavit.* Ea decimarum quarta, illa nimirum portio est, quam Canones Episcopo servatam volebant, quamque Episcopus cessit Capitulo, ut & tertiam funerum, *Donavit etiam tertiam partem mortalitatis hujus Episcopatûs.* Non exprimitur ea charta, an Canonici Aquenses communis tunc vitæ societate vincirentur. *Gall. Christ. Tom.1. p.8.9.* At ex doctissimo viro Camuzatio, ejusque *Promptuario Antiquitatum Tricassinarum*, constat Capitulum Trecense toto pene undecimo sæculo ea laude floruisse, nec ab ea regularis vitæ disciplina defluxisse, nisi anno 1082. Tum enim decimas cum Episcopo partiti sunt, quas antè in commune cum eo possidebant Canonici: idque placuit insigne retineri monumentum pristinæ societatis in vitam communem, ut quatuor anni Festis majoribus Canonicos Episcopus omnes mensæ adhiberet: quod postea pecuniæ largitione Episcopali mutatum est.

Alterum exemplum, quantò recentius, tantò & mirabilius est. In erectione Ecclesiæ Mexicanæ, authoritate Papæ, Regis & Archiepiscopi sancitum est, omnes ut decimæ & proventus Ecclesiarum urbis & Diœceseos, quatuor in portiones scinderentur, quarum una esset Episcopi, altera Capituli: tam Episcopo, quàm Capitulo condonante Rege tertiam suam in eorum portiones. *In nostra & nostræ Ecclesia quarta decimarum parte liberos & exemptos*

esse

esse voluit. *Ann.*1585. *Concil. Mex. num.*24. 25. 31. Reliquæ portiones duæ in novem rursus partes secandæ erant; ut earum duæ Regi cederent, ut Summo Principi, Patrono, & defensori Ecclesiarum. Ex septem aliis partibus mensæ Capitulari quatuor adsignatæ sunt ad expensas Ecclesiæ & Sacristiæ, sed ex decimis solùm & proventibus propriæ Parochiæ, in qua ædificata fuerat Ecclesia Cathedralis. Quatuor illæ partes decimarum cujusque Parochiæ in ejusdem Beneficiarios dispensandę erant. Quæ supererant ex septem partes tres, partiendæ erant inter reparationes Parochiarum & Xenodochiorum. Hactenus ex Concilio Mexicano anni 1585. Non temerè conjicies Orbis novi cæteras Ecclesias ejusmodi partitionem sortitas esse. *Conc. Gener. Tom.*15. *p.*923. Hic verò passim obviam sunt vestigia vetustissimæ in his Ecclesiarum Disciplinæ. Dominatur enim Episcopi authoritas in temporales res omnes totius Diœceseos. Lex quadripartitæ distributionis in honore est. Portio pauperum, hoc est, eorum quarta manifestè alligatur portionibus Episcopi & Cleri.

Ex eo autem quod toties inculcamus & exemplis approbamus, portionem pauperum Episcopi & Cleri portionibus illigatam fuisse, arctior existit necessitas, superflua omnia in pauperes effundendi, non charitati modò ut fiat satis, sed etiam justitię: quo legis ejus transgressores restituere teneantur, juxta definitiones Sancti Thomæ & Concilii Mediolanensis I. sub B. Carolo, de quo alibi.

CAPUT XXIV. *P.*4. *l.*4. *c.*23.

De partitione substantiæ temporalis Parochiarum, & de Portionibus congruis post annum Christi millesimum.

I. Parochorum juris erant primitię, oblationes, decimæ.
II. Universim eorum sunt omnes decimæ, sed vel leges, vel consuetudines peculiares ei juri derogarunt.
III. Quid causę sit, quamobrem toties decimæ ad alios, quàm ad Parochos pervenerint.
IV. Quî potuerit æquitati consentire ea attributio.
V. Cur quarumdam Diœceseon Episcopi decimas prorsus omnes sibi vendicent?
VI. De sectione unius Parochiæ in plures, & quę tum fiat partitio proventuum.
VII. Exemplum Archiepiscopi Diœceseos suæ summi Decimatoris.
VIII. Portio Parochi congrua ea erat, qua & se sustentaret ipse, & hospites exciperet.
IX. Aliæ portionum congruarum elucidamenta.
X. Quæ portio Beneficiorum Patronis debeatur.
XI. Statuta Concilii Tridentini de portionibus congruis.
XII. Qui usus in Gallia vigeat.

I. Dictum est Capite superiori de partitione bonorum totius Diœceseos Episcopalis, nunc de Parochiæ proventuum distributione verba faciemus. Et hic suo quodam modo eam vigebat lex quadripartitæ distributionis. In Concilio Tolosano anni 1119. prohibita est deprædatio primitiarum, decimarum, oblationum, aliorumque Ecclesiæ proventuum in ædibus Episcopi, vel cujuscumque demum Beneficiarii congestorum, quo tempore illi hąc vita mortali demigrant. In his aliis Beneficiariis primi omnium occurrunt Parochi, quorum potissimum est secundum Episcopos, ut decimas, primitias & oblationes colligant. Huic autem deprædationi prætexebatur illa persuasio vulgatissima, quod res illæ omnes Ecclesiæ ad solatia Clericorum & pauperum omnium reconderentur. *Primitias, decimas & oblationes, & cœmeteria, domos etiam & bona cætera deficientis Episcopi & Clericorum à Principibus & quibuslibet laicis diripi & teneri penitus interdicimus*. *Can.* 4. 7. Canone sequenti Episcopo reservatur portio ex oblationibus omnium prorsus Ecclesiarum. *Oblationum partem ad Episcopum pertinentem nullus auferre præsumat.* In Concilio Abrincatensi tertia saltem pars servata est Parochis decimarum Parochiæ suæ. *De tertia parte decimarum nihil Presbytero, qui servit Ecclesia, auferatur*. *Can.*8. Eo Canone arctari videbatur potestas Episcopi, dandarum vel Capitulis, vel Cœnobiis Ecclesiarum Parochialium. Simul enim dabantur cum Parochiis decimæ ipsarum. At Concilio hoc edici videtur, ut tertia saltem decimarum pars Parocho illibata constet. Nec tamen ei decreto universim obtemperatum est, nam Innocentius III. unum id decrevit, dari posse Monasteriis Ecclesias Parochiales ab Episcopo, *sustentatione Vicarii reservata*, etiam sine consensu Capituli. *Extra. De his quę fiunt sine conf. Capitul. c.* 9.

II. Alii erant aliarum Ecclesiarum usus, sed ita certè ut jure Decretalium, quod nonnisi partitione bonorum facta promulgatum est; decimæ Parochiarum juris sint Parochorum, excepta quarta illa parte, quæ Episcopis tributa est. Si quæ consuetudines sunt ab his dissentientes, eæ sunt generalis hujus Regulæ exceptiones. Capite *Cum contingat, de Decimis*, confirmat Innocentius II. & generalem illam Regulam, & quæ eam circumscribunt exceptiones. Regula generali Parocho addicuntur decimæ totius Parochiæ, & ipsæ Novalium etiam decimæ. Exceptionibus verò eæ decimæ, maximè antiquiores aliis adjudicatæ fuere, sive Clericis, sive Ecclesiis. *Cum in quibusdam Parochiis ad quasdam Ecclesiasticas personas ab antiquo pertineat perceptio decimarum, & de novo fiant novalia in eisdem; quæris à nobis ad quam ejusmodi novalium decima incipiat pertinere? Respondemus, quod cum perceptio decimarum ad Parochiales Ecclesias de jure communi pertineat, decimę Novalium, quę fiunt de Parochiis earundem, ad ipsas procul dubio pertinere noscantur, nisi ab his, qui alias percipiant decimas rationabilis causa ostendatur, per quam appareat novalium ad eos decimas pertinere*. C. *Quoniam De Decimis*. Quo declaratur tam inconcussis fundamentis niti jus Parochorum in decimas Parochiæ suæ, ut cum canonicis quibusdam exceptionibus, antiquæ decimæ ad alios sunt devolutæ, novæ saltem non possint non spectare ad Parochos, nisi peculiaribus titulis justisque hinc excludantur.

III. Non una autem ratione fieri potuit, ut decimis suis Parochi exuerentur. Frequentissimum illud fuit, ut Episcopi Parochiales Ecclesias addicerent Capitulis, vel Monasteriis, ut horum proventibus alerentur, congrua portione servata Vicario, vel Parocho, quem Canonici, vel Monachi Episcopo præsentarent, à quo animarum curam & regimen acciperent. Qui decimas laici aliquandiu obtinuerant, cum ad eas restituendas urgerentur, quanquam Parochis ipsis restituendas esse sedulò admonerentur, obstinatius tamen persæpè aliis eas Ecclesiis, ac potissimum Cœnobiis restituerunt. Censuit Innocentius III. ei malo cedendum esse, ne qua gravior labes inveheretur, dum ne quid fieret nisi Episcopo permittente. *Monendus est laicus, qui decimam detinet, ut eam restituat Ecclesię, ad quam spectat. Qui si fortè induci nequiverit,*

git, & eam cum Diœcesani consensu alteri Ecclesiæ adsignaverit, præsertim Religioso Conventui, constabit ipsa donatio, perpetua firmitate subnixa. Extra. De his quæ fiunt à Prel. &c. c.7. Contendebat Innocentius id emergere ex Canone Concilii III. Lateranensis sub Alexandro III. *Ne qualibet religiosa persona Ecclesias vel decimas de manibus laicorum sine consensu Episcoporum recipiat.* Unum desideratur hoc Canone, quo legitima fit ea decimarum restitutio, nimirum ut assentiente Episcopo Clerico cuipiam, vel Monacho restituantur; non præscribitur, ut proprio Parocho. Quin imo ea & Concilii generalis, & Episcopi permissio specialis, non aliò pertinere videtur, quàm ut fas sit quod nefas erat, & restituatur, non ei ipsi, qui injuriam passus erat.

IV. Si qui autem ægrè acquiescunt ei dispensationi Concilii Lateranensis III. Innocentii III. & Episcoporum: is ex eo capite emergit error, quod non satis ad ipsas antiquioris Disciplinæ origines enituntur. Ab ipsa enim usque Ecclesiarum origine rerum omnium Ecclesiæ temporalium dispensatio penes Episcopos erat; & Ecclesiæ rerum ea natura, ea lex & conditio est universim, ut Beneficiario ipso commodè & parcè sustentato, reliqui reditus omnes in alendos pauperes, in redimendos captivos, in opera pia expendantur. His duobus præstructis, jam mirabile non videbitur, si ut decimæ sacræ laicorum manibus utcumque extorquerentur, permissi illi sunt à Conciliis & Episcopis eas non Parochiis ipsis restituere, sed Clericis aliis, vel Monasteriis.

V. Si qui nunc Episcopi magni sunt decimatores, ut loquuntur, suarum Diœceseon, decimasque omnium prorsus Parochiarum jure sibi suo, vel usu certè receptissimo vendicant, congruis portionibus in Parochos vel Vicarios omnes constitutis; si Episcopi, inquam, isti hinc sibi patrocinium parent, quod ex Conciliis, ex Decretis exemplisque innumeris constet Episcopos decimas innumerabilium Parochiarum largitos esse Capitulis, Cœnobiis, aliisque Ecclesiis; contendantque peræquè potuisse illos has decimas mensæ sui Episcopali reservare; non video quid contra illis satis solidè objici possit. Si dono enim Episcoporum, si consuetudine, si præscriptione potuere illæ Parochiarum decimæ canonicè transferri ad alias Ecclesias, quàm ad Parochias; qui non potuerint eodem ipso multiplici jure ad Episcopos ipsos transferri, quorum juris ab exordio fuere omnes decimæ, omnesque Ecclesiæ, & quorum munificentia ad ipsas erant Parochias derivatæ?

Inde est quod Concilium Tridentinum jubet illud quidem, ut Episcopus Parochias instituat in urbibus, ubi nullæ sunt; easque discernat, ubi indiscretæ sunt; quo casu fatetur Fagnanus, *In l.3. Decret. part.1. pag.396.*, decimas omnes unius Episcopi esse, sicuti ejus erant, antequam ullæ essent Parochiæ: *Et eo casu Episcopus deberet percipere omnes decimas prædiales, quemadmodum olim percipiebat ante distinctionem Parochiarum.* Sed nequaquam præcipit Tridentinum, ut decimas inter Parochos Episcopus partiatur. Accipe verba ipsa Concilii. *Seß. 24. c.13. In iis Civitatibus ac locis, abi Parochiales Ecclesiæ certoe non habent fines, nec earum Rectorec proprium populum, quem regant, sed promiscuè petentibus sacramenta administrant, mandat Sancta Synodus Episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo incertas propriasque Parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent. Idem in iis Civitatibus ac locis, ubi nulla sunt Parochiales, quam primum fieri curent.*

VI. Præcipit idem Concilium ab Episcopis novas erigi Parochias, ubi viderint necessarias, & novis his Parochis tribui portionem justam & congruam proventuum Parochiæ antiquioris. *Competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus. Seß.21. c.4.* Decimas sui territorii novis his Parochis dari non præcepit Concilium; nec vetuit etiam decerpi de decimis prioris Parochi, & novo adjici. Sed cum omnia providentiæ permittat Episcopi, hinc vehementer confirmatur nostra illa sententia, Episcopi esse, non ut ipse sibi omnes vendicet res temporales Ecclesiarum suæ Diœceseos, sed ut omnes dispenset, distribuat, adgubernet summa potestate, dum & pari sapientia & charitate. In Decretali Alexandri III. *Ad Audientiam, De Ecclesiis ædificandis*, edicitur illud quidem, ut proventus loci, in quo constructa est nova Parochia, novo Parocho adjudicentur; sed & illud additur, ut & matrici Ecclesiæ competens inde honor, accensus pensitetur. *Sacerdotem instituat ejusdem villæ obventiones Ecclesiasticas percepturum, provideat tamen, ut competens eis ea honor pro facultate loci Ecclesiæ matrici servetur.*

In Synodo Excestrensi anno 1287. jubetur, *Cap. 9. 54.*, ut oblationes Capellarum permissione Episcopi extructarum, revocentur prorsus omnes ad Ecclesiam matricem, si ea non sit Monachis tradita. Si enim Monachis tradita sit, jubet Synodus, ut oblationum & aliorum proventuum unus sit compos Vicarius. Atqui Capellæ istæ suo quodam modo Parochiæ erant, cum eo etiam nomine donentur, & cum jubeantur earum Parochiani oblationibus suis Ecclesiam venerari, majoribus saltem Festis. *Omnis adultus videlicet quatuordecim annorum, quater in anno Ecclesiam suam Parochialem suis oblationibus veneretur; nisi fuerit Parochianus alicujus Capellæ à matrice Ecclesia dependentis, cui Capellæ à suis Parochianis similem statuimus impendi honorem. Conc. Angl. Tom.2. pag.393.* Hinc perspicis matrices Ecclesias, sive Episcopales, sive Parochiales, ingentibus gaudere prærogativis in Ecclesias à se derivatas, etiam in temporalibus. Unde & voluit eadem Synodus oblationes totius Diœcoseos Ecclesiarum die Pentecostes Ecclesiæ Cathedrali integras servari. *Quia Ecclesia Exonii mater est omnium Ecclesiarum Diœcesis.*

VII. Quibus adhuc id juris est & moris Præsulibus, ut decimas prorsus omnes suæ Diœceseos sibi vendicent. Illis non parum inde quoque potest accedere præsidii, quod jam ex Lamberto suprà retulimus de Archiepiscopo Moguntino sub Alexandro II. Papa anno 1073. Regis enim Henrici patrocinio & armis id tandem perfecit Moguntinus, ut à Thuringis omnibus decimæ sibi solverentur. Fuldensis & Herveldensis Abbates, quorum maximè intererat, ne ea res ex animi sententia procederet Archiepiscopo, illum tandem enixissimè obtestati sunt, ut quarta decimarum parte contentus discederet, cum ita Canonica regula, ita usus ferret: *Saltem decimarum eam ipse partitionem fieri sineret, quam & Canonum scita æquam judicassent, & cætera per orbem terrarum Ecclesiæ usitatam haberent; scilicet ut quarta parte ipse pro suo suorumque Missorum servitio contentus, tres reliquas portiones Ecclesiis, quibus attitulata fuissent permitteret.* Abruptè respondit Archiepiscopus, suis per decennium laboribus & defatigationi non satis respondere tantillam mercedem. Denique ita convenit Archiepiscopo & Abbatibus, ut Ecclesiarum his Abbatibus obnoxiarum decimæ inter ipsos & Archiepiscopum æquatis partibus dividerentur; reliquarum Ecclesiarum decimas, unus, ut apparet, acciperet Archiepiscopus. Exacerbato animo, ut videtur, calamoque Lambertus hanc historiam executus est. Æquissimum enim certè erat contumaces populos legi decimarum toto Christiano

no orbe receptissimæ subjici, nec novum erat ad officium armis adigi; nec iniquum illud videri poterat, ut Archiepiscopus exhaustos in eo labores, Ecclesiæque tandem victoriam, expensas denique ingentes à se factas, pari aliqua sibi mercede pensari flagitaret.

VIII. Ex hac autem narratione, non illud tantum enitescit, & Moguntinum, & alios ejus simillimos Præsules eo jure usos esse vetustissimo, ut decimas omnes Ecclesiarum sibi subditarum retinerent: sed & Ecclesiarum Parochialium jus ad vendicandas sibi decimas sui territorii, Canonicis legibus astructum, & longè pervagatissimum fuisse: cum hic Moguntinus admoneatur, si Jure Canonico stare velit, quarta parte decimarum contentum esse debere. Fateor hac concordia Abbatibus his duobus confirmatas esse decimas ex media parte, quas probabiliter antea universas collegisse creduntur. Sed illud non perfunctoriè perpendi par est, eas illis Ecclesias, decimasque dum fundarentur concessas fuisse, ea cautione ut Parochis superesset, quo & honestè ipsi sustentarentur, & hospites exciperent. Usu enim vulgatissimo Canonum & Decretalium commoda Parochi sustentatio & portio congrua eam proventuum copiam exprimit, quæ recipiendis etiam hospitibus sufficiat. Nec alio id necesse est argumento declarare, quàm quod canonicæ Constitutiones Parochis præcipiant hospitalitatem sectari. Sed & expressissimum suppetit Alexandri III. decretum, quo sugillantur Abbates, qui tam jejuna & parca manu donabant Parochos sibi obnoxios, ut nec honestè ibi degere, nec hospites excipere possent. *De Monachis, qui Vicarios Parochialium Ecclesiarum in tantum gravant, ut hospitalitatem tenere non possint, nec honestam sustentationem habere. Conc. Later. Par.30. c. 1.* Jubet mox Pontifex tam largè in posterum donari Parochos, ut sit & quo vescantur ipsi, & quo pauperes pascant. Damnatæ sunt in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. eorum sordes, qui Parochis non dabant nisi quartam quartæ decimarum, seu sextam-decimam; sufficienti ergo posthac portione donandos esse definitur. *Non obtinent nisi quartam quarta, id est, sextam decimam decimarum, &c. Statuimus ut consuetudine qualibet Episcopi, vel Patroni, vel cujuscumque alterius non obstante, portio Presbyteris sufficiens assignetur. Can.32.* Episcopi de quibus hic agitur, non multùm à nostris dissidebant, qui Magni Decimatores dicuntur, cum Parochis non concederent nisi sextam-decimam decimarum partem, qua ne congrua quidem portio conflari poterat. Portio sufficiens hìc dari præcipitur. An ex decimis, & quæ ejus quantitas, prorsus siletur. Ne Moguntinum quidem Concilium anni 1549. gravissimæ etsi tunc ingeminatæ essent querelæ, expressius quidquam definiit. *Sufficienter, & honestum victum deputent. Can.70.* In Concilio IV. Mediolanensi anni 1576. statutum est, *Cap.15.*, oblationes Ecclesiarum Parochialium juris esse Parochorum, præterquam certorum dierum, quæ Episcopo, vel reparationibus adjudicantur. Concilium Turonense anni 1583. tertiam saltem oblationum partem Parochis addixit, *Cap.14.*, nisi consuetudo eis amplius aliquid largiretur. Jussit etiam ut die Paschæ Parochiani quilibet pecuniæ aliquid argenteæ offerrent.

IX. Omnium difficillimè diffiniri potest portionis congruæ quantitas. In Concilio Juliobonensi anno 1080. statutum est, liberum fore Parocho à Monachis præsentato, ut aut cum Monachis vesceretur, aut ab eis acciperet, quo & se & Ecclesiam honestè procuraret. *Unde & benè vivere, & Ecclesia servitium convenienter valeat adimplere.* Idem confirmat Matthæus Paris in compendio libertatum opulentissimi in Anglia Cœnobii Sancti Albani; *Quibus Presbyteris eam tantùm adsignaveritis, unde victûs & vestitûs necessaria possint honestè percipere, quidquid residuum fuerit, liceat vobis in usus proprios convertere.* Narrat idem ipse Matthæus anno 1252. Episcopum Lincolniensem, non tam Parochorum studio, quàm odio Monachorum, facultatem à Papa impetrasse augendæ portionis congruæ. *Prout juxta consuetudinem patria secundùm Deum videris expedire.*

Anno 1125. Reginaldus Archiepiscopus Remensis Ecclesiam Parochialem nobili abstulit viro, qui ex ejus decimis, oblationibus, aliisque reditibus mulieres virginesque dotabat, eamque Cœnobio contulit Cluniacensi, voto satisfaciens ejusdem Nobilis, ut jam Parocho non superesset nisi feudus Presbyteralis. *Salvo jure suo in iis, quæ ad feodum Presbyteri pertinere noscuntur.* Non facile est diffinire quid feudus ille complecteretur. Superest & ejusdem Archiepiscopi conventio alia cum Cluniacensibus, qui concessa illis Parochia quapiam, residuam Parocho non fecit nisi partem oblationum, eleemosynarum, & legatorum piorum. Anno 1159. Prior aquensis Insulæ Ordinis Cluniacensis, & Capellanus, vel Parochus Rupellæ, & sequestre Santonensi Episcopo, concordiam inierunt, qua oblationes Ecclesiæ Rupellensis, legata pia, & dona alia complura in duas æquales partes dividebantur. *Bibl. Clun. pag.13.* 1391. 1450. 1530.

Hactenus ex Bibliotheca Cluniacensi. Ex historia Sancti Martini de Campis apud Lutetiam, *pag.* 374. 397. 411. 477. 405. 514. 520. 522., multa in eadem rem excerpere daretur, de concessis per Episcopos Capellis, Parochiisque eidem prioratui Sancti Martini, ubi decimæ Monachis omnes prorsus cedunt, oblationes verò pene æquatis partibus inter ipsos & Parochos dividuntur. Ubi propè à vero abest, eas Ecclesias Parochiales Monachis concessas fuisse ab Episcopis, eadem conditione & lege partitionum, qua vel Episcopi eas, vel Nobiles antè obtinuissent. Nam & hi decimas, atque oblationum partem usurpaverant.

X. Decretali *Præterea quoniam.*, *De jure Patronatûs*, Lucius III. Pontifex Laicis annuebat, qui Patroni, Advocati & Custodes essent Ecclesiarum, ut redituum temporalium partem aliquam sibi servarent, de qua pepigisset cum ipsis Episcopus, cum prima eius Ecclesiæ fundamenta ponerentur. *Præsenti decreto statuimus, eos sive Advocati, sive Patroni, sive Vicedomini, sive Custodes, vel gardias habentes, seu quocumque alio nomine censeantur, à gravaminibus Ecclesiarum cessare, nihilque in ipsis præter antiquos & moderatos reditus à locorum Episcopis institutos exigere.* Itaque hoc Canonum recentiores interpretes dictare voluere Clericos à Laicis, hoc eminere, quòd possint Clerici praescribere adversùs Parochos, tum decimas, tum proventus alios Parochiarum, congrua illis portione reservata: at non possint unquam Laici sibi polliceri nisi minuscula hæc jura, quibus inter ipsa fundationis primordia assensus est Episcopus. Id quoque emendatum est à Tridentino, cujus decreto prohibentur Patroni, qualescumque tandem, delibare quidpiam de proventibus Beneficiorum, intentato anathematis mucrone. *Patroni Beneficiorum cujuscumque ordinis & dignitatis, etiamsi Communitates, Universitates, Collegia quacumque Clericorum & Laicorum existant, in perceptione fructuum, proventuum, obventionum, quorumcumque Beneficiorum, etiamsi verè de jure Patronatûs eorum ex fundatione & donatione essent, nullatenus nullave causa vel occasione se ingerant: sed illas liberè Rectori, seu Beneficiato, non obstante etiam quacumque consuetudine distribuendos dimittant, &c. Si secus fecerint, excommunicationis & interdicti pœnis subjiciantur, & dicto jure Patronatûs ipso jure*

ve privati existant. *Sess.25. c.9.* Porro ex Concilii decreto declaratum est à sacra Congregatione, *Fagnan. in L.3. Decret. Part.1. pag.152.*, ne posse quidem Patronos conductores esse Beneficiorum.

XI. Portio autem congrua Parochorum à Tridentinis Patribus exprimitur iisdem pene verbis atque à Conciliis superioribus. *Quod pro Rectoris & Parochiæ necessitate decenter sufficiat.* At ibidem innuere videtur Concilium, portionem congruam & rationabilem Parochorum centum esse ducatorum; ubi præcipitur, ne pensionibus onerentur ullis; vel Episcopatus, quibus mille; vel Parochiæ, quibus centum sunt non amplius reditus ducatorum. *Cathedrales Ecclesiæ, quarum reditus ducatorum mille, & Parochiales, quæ summam ducatorum centum, secundùm verum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur.* *Sess.24. c.13.* Alibi tamen præcipit Tridentinum, ut Episcopi Vicariis Parochiarum Capitulis vel Cœnobiis unitarum, assignari faciant tertiam partem fructuum, ut plus, minusve, ut ratio & sapientia dictarit. *Cum tertia partis fructuum, aut majori, vel minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum, portione, etiam super certa re assignanda.* *Sess.7. c.7.* Ea quoque potestate Viennense Concilium Episcopos instruxerat, portionibus ut congruis moderarentur. *In Clement. De jure Patron. c.1.* Complexi sunt autem mordicus Episcopi decretum Sessionis XXIV. Concilii Tridentini, & pingues adeo atque copiosas mox assignarunt portiones Parochis seu Vicariis unitarum Parochiarum, ut jam emolumenti perparum ad Capitula ipsa, vel Monasteria rediret. Hinc querelæ cum increbuissent apud Pium V. Papam, ille promulgata Bulla *Ad exequendum* anno 1567. pronuntiavit factas fuisse eas uniones Parochiarum cum Capitulis & Monasteriis, ut ab his divina celebari officia decentiùs, & hospites excipi liberaliùs possent; sanxitque ut Episcopi istiusmodi Vicariis, vel Parochis ne ultra centum ducatos, vel infra quinquaginta, portiones congruas assignarent; ita sanè, ut ubi moris esset copiosiores Vicariis assignari, priscus usus retineretur: & ubi annui reditus non ultra quinquaginta ducatos consurgunt, totum Vicariis dimittatur.

XII. Hæc porro Decretorum fluctuatio in portionibus congruis, id certè perficiet, ut ne jam stupeamus Gallicanæ quoque Jurisprudentiæ alternationem in eo negotio. Edicto Caroli IX. Regis anno 1571. portiones congruas statutum est centum viginti librarum fore. Edicto Ludovici XIII. anno 1629. trecentarum librarum. Ejusdem Edicto anni 1632. trecentarum librarum cis Ligerim, ducentarum ultra Ligerim, & in Britannia Armorica; ea addita cautione, ut ubi decimarum partitio facta fuerat, sua parte contenti quiescerent Parochi. Edicto anni 1634. etiam cis Ligerim portiones congruę ad ducentas libras redactæ sunt, ubi nulli sunt Parochis Vicarii; trecentis libris usque adsignandis, ubi Parochis sunt sui, & ubi Episcoporum judicio esse debent Vicarii. *Le Pretre. Cent.1. c.14.* Edicto anni 1666. confirmata est Constitutio anni 1634. illud verò purè & simpliciter registratum & publicatum fuit in Majore Consilio, ad Parlamentum perlatum non fuit, cujus ideo Senatusconsultis illæ sive pensiones, sive portiones trecentarum semper esse librarum jubentur, præter oblationes & fundationes. *Memoires du Clergé Edit. ult. Tom. 2. Tit.12. pag.313.*

CAPUT XXV. *P.4. l.4. c.24.*

De Præbendis Ecclesiarum Cathedralium, Collegialium, quæ Monachis sunt concessæ, aut Canonicis Regularibus. De Monachis laicis, sive Oblatis Monasteriorum, post annum Christi millesimum.

I. Orbis quidam, & quasi circuitio bonorum & largitionum inter Episcopos, Capitula, Monasteria, Laicos.

II. Exempla Pręhendę Cathedralis Monasteriis concessę. Designabatur à Monasterio Vicarius, qui Officiis interesset, prior verò una hebdomada vice sua in Cathedrali Ecclesia Mysteria celebrabat.

III. Has quandoque Prabendas secularibus Clericis donabant Abbates.

IV. Cœnobiis non aliter dabantur & ab Ecclesiis Collegialibus Pręhendę, ut in precum communionem consociarentur.

V. Quę his Pręhendis servitutes inhęrerent.

VI. VII. Alia exempla concessarum Cenobiis Prabendarum, quanta in his diversitas.

VIII. De Vicario, qui harum Pręhendarum ministeria sacra obibat.

IX. Alia exempla Prabendarum ejusmodi, in Cœnobiis maximè, & Ecclesiis Parisiensibus.

X. Hic Prabendarum largitione constringebatur vinculum sanctissimæ necessitudinis omnium inter se Ecclesiarum, maximè autem cum Cathedrali, quæ omnium parens est cæterarum. Mirum Ecclesiæ Bellovacensis exemplum.

XI. XII. De Pręhendis in Monasterio datis emerito cuique & mutilo militi. Origo ejus usus.

XIII. Alia ejus rei exempla.

XIV. Constitutiones Galliæ Regum de ejusmodi Pręhendis.

I. EA Episcopi & veneratione & beneficentia prosecuti sunt Regulares Congregationes, vel inter primordia sanctissimæ earum institutionis, vel ubi subinde ad novam quandam primigeniæ sanctimoniæ suæ formam reflorescere visæ sunt, ut Parochias illis & decimas darent, vel à Laicis datas confirmarent; quin etiam ut Cathedralium Ecclesiarum suarum Præbendas aliquas eis conferrent. Sed si certatim Episcopi ac Laici collocupletandis Cœnobiis insudarunt, vicissim Monasteriorum opes in Laicos effluxere, & in Clericos, admissis Laicis in Cœnobia iis, qui Oblati, sive Monachi laici dicti sunt: Clericis autem vocatis ad innumerabiles Obedientias & Prioratus Regulares, in Monachorum vicem. In eo versabitur Caput istud argumento, forsan & alia mox inferiùs.

II. Rorico Ambianensis Episcopus instituta Ambiani Congregatione Canonicorum Regularium in Ecclesia Sancti Firmini, non hujus tantùm illis Ecclesiæ oblationes & proventus largitus est, *Altaris bona, atrii & Ecclesię totius reditus universos, & fidelium devotio quidquid eis contulerit;* Præbendam etiam eis contulit anno 1085. in Ecclesia Cathedrali: *Prabendam concessimus fratribus ibi deputatis;* ea profectò conditione, ut de consensu Capituli Cathedralis Vicarium deligerent, qui horis Canonicis Officiisque interesset, & Prior ipse Sancti Firmini anno quolibet hebdomada una in Cathedrali sacris operaretur. *Providrant autem ar-*

bi-

bitrio Capitali nostri, quatenus Vicarius eorum de hac Prebenda in Canonicis horis canendis nobiscum canonicè assistat. Qui autem Ecclesiæ illius Prioratum habuerit, una integra hebdomada sicut Ecclesiæ nostræ Sacerdotes Missarum solemnia concelebret. Spicil. Tom. 2. p. 901.

Jam inde ab incunabulis suis tanta virtutum & religionis fragrantia Ecclesias omnes persuaderat Cœnobium Cluniacense, ut in Ecclesiis Carnotensi, Aurelianensi & Trecensi Præbendis singulis donatum sit. Araldus Episcopus Carnotensis ab ipso Rege, & à Richerio Metropolitano suo confirmari curavit donationem Præbendæ, quam Ecclesiæ Cluniacensi contulerat, nulla addita necessitate desungendi unius hebdomadis Officii: *Nullumque hebdomadale servitium in nostra Ecclesia pro eadem Prebenda faciant. Spicil. Tom. 6. p. 351.* Isembardus Aurelianensis Episcopus simillima concessione Cluniacenses demeruit, precum etiam societate hinc firmata, & spondentibus Cluniacensibus suo se cœtui adgregaturos Aurelianenses Canonicos, quibus propositum esset illis sociari, nec ea de causa quidquam exacturos. *Si verò alicui Canonicorum nostrorum placeret Monachum fieri, si nihil dare vellet, vel posset, gratis reciperent.*

Anno 1090. Philippus Trecensis Episcopus Monasterio Canonicorum Regularium Præbendam concessit Cathedralis Ecclesiæ suæ, dum una quolibet anno hebdomada Mysteria ibi celebrarent. *Spicil. Tom. 11. p. 303. 314.* Anno 1103. Adela Comitissa Veromanduorum Canonicis Regularibus Sancti Quintini Bellovacensis Præbendam contulit suam Ecclesiæ Sancti Quintini Veromandui. *Comitissa concessit Prebendam, quam habebat in Ecclesia Sancti Quintini Virmandensis. Promptuar. Antiq. Tric. pag. 118.* Prolixius de his egimus Principum Prebendis, ubi de Canonicis Laicis suprà disseruimus.

Matthæum Cardinalem Albanensem Episcopum per literas certiorem fecit Petrus Cluniacensis Abbas, Episcopum Tricassinum ita secum statuisse, ut Ecclesiæ suæ Præbendam Cluniacensibus conferret; patrocinio ejus rem promoveri posse, quæ Cluniacensi Cœnobio compendiosa foret, & peropportuna, ut quod egestate premeretur. *Domnus Trecensis Episcopus, paratus est, ut dicit, dare nobis in Ecclesia sua unam Prebendam, sicut Carnoti & Aureliani antiquitus datę sunt; ut reditu illius multa, quam non ignoratis, Cluniacensium fratrum indigentia relevetur. Hoc si secundùm Deum fieri potest, rogo, ut per vos fiat. L. 1. Ep. 2.* Intervenit & ipse Pontifex, precesque & præcepta addidit, ut Cluniacensibus ea Præbenda daretur. De eo enim ita ad Attonem Episcopum Trecensem, à quo Præbenda data est, perscribebat. *Prebenda, quæ Cluniaco ipsius Domini Papa precibus, vel precepto data priùs fuerat. L. 2. Ep. 33.* Scripserat ad Attonem Innocentius II. ut liquet ex charta ipsa donationis, quæ superstes est in Bibliotheca Cluniacensi. *p. 1407. Et in Notit. 140. 105. Dedimus etiam Ecclesiæ Cluniacensi laudantibus & concedentibus Clericis nostris, petente hoc atque exigente Papa Innocentio unam Prebendam in Ecclesia Beati Petri Trecensis in perpetuum possidendam.* Anno 1145. Constitutionem edidit Atto ad Canonicos suos arctiori residentiæ astringendos, sed Cluniacenses ab eo excepti sont. *Exceptis dumtaxat Cluniacensibus, quibus ad prefati Legati petitionem in Ecclesia nostra Prebendam concessimus.* Quod mox autem ibidem subjungitur, ejusmodi est, ut facilè intelligatur, quàm alieno esset ille animo à Præbendis Ecclesiæ suæ ita quodammodo detruncandis. Jubet enim ut posthac nemini sejunctim Præbenda conferatur, sed in commune fruantur Canonici omnes fundis & proventibus suarum in commune Præbendarum, nulla earum divisione facta. *Praterea adjicientes prohibemus, ne unquam alterius cujuscunque occasione, vel pro qualibet persona, de communitate fratrum, singularis fieret, vel daretur alicui Prebenda.* Verebatur non injuria Atto, ne Cluniacensium exemplo alii illecti, potentum & ipsi patrocinio abuterentur, ut darentur si Prebendę propriæ, atque ita ac prebendarum partitione dissiparentur fundi Mensæ Capitularis. Certè anno 1164. Henricus Comes Palatinus Trecensium dedit Cœnobio Cluniacensi proventum annuum duodecim librarum pecunię Provinensis, & vicissim Cœnobium Cluniacense Episcopo & Capitulo Trecensi suam illam Prebendam restituit. *Ibidem pag. 105. 106.*

III. Nec tamen hæ prebendę Cathedralium ita cum Abbatiis coalescebant, ut non aliquando ab Abbatibus ipsis conferrentur secularibus Clericis. Ut ei audacię occurrerent Abbas & Conventus Cluniacensis, suam in Ecclesia Carnotensi Prebendam dicaverunt alendis luminaribus B. Apostolorum Petri & Pauli, quod statutum suum ab Alexandro IV. inconvulsa firmitate confirmari curavere. *Ut reditus & proventus Prebenda, quam habetis in Ecclesia Carnotensi deputatos in Monasterio vestro, ad luminare B. Apostolorum Petri & Pauli, quos quidam Abbates aliquibus secularibus Clericis, de facto aliquoties concesserunt, de catero nemini concedantur, sed sint ad luminare hujusmodi perpetuo deputati. Ibidem.*

IV. Nec Cathedrales tantùm, sed & Collegiales Ecclesię, Cœnobia fama sanctitatis celeberrima, hoc eodem vinculo conciliare sibi studebant, & concessâ ex suis Prebendis unâ, eorum orationum consortium aliquod adipisci. Anno 1193. Abbas Sanctę Genovefę Prebendam, quam Monachi Sancti Martini de Campis obtinebant in Ecclesia sua Nemptodorensi (Nanterre.) ubi & fundi assignati erant, Anetum transtulit, ubi & alios assignavit fundos; eadem semper precum utriusque Congregationis communione reciproca permansura pro defunctis. *Prebendam, quam Monachi Sancti Martini de Campis habent in Ecclesia nostra, quam accipere solebant apud Nanetodorum, consensu & voluntate ipsorum assignavimus apud Anetum. Preterea sciendum quod nullatenus ab eis de catero poterimus exigere, ut pro Prebenda illa aliquod divinum in Ecclesia nostra persolvant officium, salva spirituali societate inter pradictas Ecclesias, ita scilicet quod quandocunque contigerit alterutrius Ecclesia quemquam fratrum decedere, sibi invicem nunciabunt, & officium tale facient. Histor. B. Mart. de Campis p. 293. 294.*

V. Ex his liquidò constat, ante hanc transactionem Monachos Sancti Martini de Campis utcumque interesse debuisse divinis Officiis Ecclesię sanctę Genovefæ, eodem aut non multùm dissimili modo, atque suprà vidimus, Canonicos Regulares Sancti Firmini apud Ambianum Roriconi Ambianensi Episcopo recepisse, ejus se Cathedralis Ecclesiæ Officiis interfuturos. Sed suppetunt & alia documenta, quibus spirituales hæ servitutes illustrentur. A' Clarambaldo Episcopo Sylvanectensi (Senlis.) concessa est Præbenda una Cathedralis ejus Ecclesiæ, Monachis Prioratus Sancti Nicolai Aciensis, qui obnoxius erat Prioratui Sancti Martini de Campis apud Lutetiam. Petrus ejus successor donationem eam confirmavit anno 1138. concessis eidem Prioratui altaribus & decimis compluribus. Anno 1205. Goffridus Sylvanectensis Episcopus Monachos hujus Prioratus levavit maxima parte onerum, quibus ut plurimum Præbendæ hoc genus gravabantur; absolvit eos illa necessitate instituendi Vicarii, aut per sese defungendi ministerio sacro ejus Præbendæ in Ecclesia Cathedrali; eo denique uno teneri voluit, ut septimana sua solemnia Missarum celebrarent, & interessent sacræ Psalmodiæ hora-rum

rum canonicarum, atque ut majoribus Festis invitatorium decantarent. *Concessit Capitulum prædictis Monachis, ne unquam possit eos compellere, ut habeant Vicarium in Ecclesia Beatæ Mariæ, qui Præbendam ipsorum, quam in eadem Ecclesia habent, deserviat: vel ut ipsi mansionem ibi facere teneantur; nec pro eadem Præbenda aliud servitium facient, quam facere solent septimanam suam tam in Missa, quàm in Horis, custodiam Chori in Ordine suo, & in majoribus Festis Invitatorium cantabunt, in illis scilicet in quibus quatuor cantant illud. Ibidem.* Ea Præbenda non confertur jus, ut intersint Capitulo, nisi eò vocentur: unus eorum poterat per Quadragesimam communi cum Canonicis mensæ accumbere: Procurationibus Archiepiscopo, vel Legato solvendis pro sua parte tenebantur.

VI. Prioratui quoque Sancti Dionysii de Carceribus Lutetiæ Præbendam majoris Ecclesiæ Parisiensis concesserat Stephanus Episcopus Parisiensis & Capitulum, ea lege, ut per Vicarium sacro ministerio fungerentur. Vide quid ea de re memoretur in Martyrologio Sancti Martini de Campis. *Ibid. p.* 332. 342. 343. *Sciendum quod Ecclesia B. Dionysii de Carcere habet unam Præbendam in Ecclesia Beatæ Mariæ Parisiensis de veteribus Præbendis, & unum Vicarium in dicta Ecclesia ad Dei servitium deputatum, de dono & concessione Stephani Parisiensis Episcopi.* Confirmata est à Lucio Papa III. anno 1184. donatio, qua Radulphus Comes Veromanduorum Præbenda Sancti Fursei Peronensis donabat Prioratum Sancti Medardi de Capy, Ordinis Cluniacensis; ac declaratum est, si cui privato vellet Prior eam Præbendam conferre, fore ut is fructus omnes perciperet. *Statuimus etiam, ut si Prior qui pro tempore fuerit, Præbendam, quam in Ecclesia Sancti Fursei de Perona debetis habere, alicui personæ idoneæ, quæ assiduè deserviat, ad tempus duxerit committendam, integritatem fructuum, sicut alii, qui assidui fuerint, consequatur.* Integrum erat ergo Prioribus his Præbendas ita concessa, aut Vicariis, qui in iis ministrarent, delegare: aut privatis quibusdam conferre, qui earum titulo gauderent. Eo enim sensu pollet vox *Personæ*, quando opponitur *Vicario*. Vicarii fructus non percipiebant, nisi quo residebant tempore: at Personæ, seu Titulares, non aliter iis fruebantur, quàm cæteri Canonici.

VII. Succurrunt jam & Præbendæ aliæ paulo diversæ. Capitulum instituit Ansellus Meldensis Episcopus in Capella Dominæ nostræ de Creciaco, permittente Priore Sancti Martini de Campis, quod ea Capella juris esset Prioratus Sancti Martini Creciacensis, qui Prioratui Sancti Martini de Campis obnoxius erat. Ideo & in erigendo hoc Capitulo, servavit Episcopus Capellam unam novi hujus Capituli Priori Sancti Martini Creciacensis, qui per hebdomadam adesse & ministrare tenebatur, ac præterea jure præsentandi Parochi gaudebat, cum Præbendas cæteras Episcopus conferret. *Præbendam ibi habeat integram & perpetuam, quam sua septimana deserviat, tantummodo Missam celebrando per se, vel per alium deprecando. Ibid. pag.* 381. Exempla hic habes longè alia ab aliis diversissima. Vidimus enim Præbendas, quas in Cathedralibus Canonici Regulares obtinerent; vidimus & quas Monachi obtinerent ibidem; vidimus & quas Monachi in Collegialibus: vidimus alias mera Episcoporum & Capitulorum largitate concessas: vidimus & quas Monachi sibi reservassent in illis Ecclesiis, quæ eorum olim fuissent juris; vidimus ubi ministrarent Vicarii; vidimus, ubi Monachi ipsi; vidimus quibus onus incumberet Officiorum divinorum, vidimus & ubi id oneris esset excussum.

VIII. Quem suo loco Monachi Vicarium subrogabant, Clericus is erat Capituli correctioni obnoxius; certa quadam pecuniæ parte & distributionum contentus erat; reliquæ autem & distributiones & pecuniæ Monasterio cedebant. Ejus rei probationes non paucæ occurrent in Historia Sancti Martini de Campis, ubi contentiones referuntur super ea re inter Priorem & Vicarios, & quo illæ judicio sint terminatæ. *Ibidem pag.* 425. *&c.* 441. 443.

IX. Sed & ibidem obvia erit donatio Præbendæ B. Mariæ Stampensis, quam Cantor Ecclesiæ Parisiensis, qui eam obtinebat, resignavit Henrico fratri Ludovici VII. Gallorum Regis & Abbati ejusdem Ecclesiæ Stampensis, à quo & statim ea donata est Prioratui B. Martini de Campis, ut ei jure perpetuo uniretur, nec ullo ministerio, vel per sese, vel per Vicarium teneretur. Eam donationem confirmavit Ludovicus VII. Rex Junior dictus. *Quoniam Monachis de Campis maxima astringebatur amicitia, eam in manibus meis per panem & librum reddidit, & ego consequenter similiter per panem & librum in manibus Prioris de Campis eam sposui, & per illum Ecclesia cui præerat in perpetuum possidendam contradidi.*

Non paulò munificentiùs Stephanus Parisiensis Episcopus de Abbatia Sancti Victoris apud Parisios benemereri studuit, concessis anno 1123. Præbendis in Ecclesiis Sanctæ Mariæ, Sancti Marcelli, Sancti Germani Altisiodorensis, Sancti Martini de Campellis; hoc est omnibus in Ecclesiis, in quibus tunc essent Præbendæ. Unde in Necrologio Sancti Victoris hæc habentur. *In omnibus Ecclesiis in quibus Præbendæ sunt, nobis in singulis singulas Præbendas dedit, &c.* De Campeaux. *Hist. Univ. Par. Tom.*1. *pag.*180. 227. 287. Henricus de quo suprà, frater Ludovici VII. seu Junioris, Abbas cum esset Sancti Exuperii (S. Spire.) apud Corbolium, Præbendam hujus Abbatiæ suæ unam contulit anno 1146. Abbatiæ Sancti Victoris. Anno 1159. Ludovicus VII. Rex confirmavit Præbendas quatuor à prædecessoribus concessas Abbatiæ Sancti Maglorii, velut Capellæ Regiæ. Cum enim Hugo Capetius reliquias Beatorum Pontificum Samsonis & Maglorii excepisset in Capella sua Regia Sancti Bartholomæi, & Monachos ibi constituisset, exinde semper Ecclesia Sancti Maglorii Capella fuit Regia, ejusque Abbas Regum Capellanus. Ita testatum facit Ludovicus ipse VII. Rex in Charta ipsa suæ concessionis. *Etenim Prior Ecclesiæ Sancti Bartholomæi atque Maglorii antiquitus Capellanus Regum constitutus est, & ad hoc quatuor Præbendæ ei sunt attributæ; volumus ut in horreo & Cellario Beatæ Mariæ Parisiensis, ubi est illi una designata, similiter in horreo & Cellario Sancti Germani, ubi alia constituta est, frumentum & vinum pro reditu illarum habeat & sine molestia recipiat. Ubicumque autem extra Parisius fuerimus, si illis Abbas advenerit, de nostro ut mos est, plenam procurationem habebit.* Hac charta non exprimuntur nisi Præbendæ duæ. Reliquæ duæ erant in Ecclesia Sylvanectensi, & in Melodunensi. Erat & Ecclesiæ Sanctæ Genovefæ Præbenda in Ecclesia Sanctæ Mariæ Parisiensis. Odo Parisiensis Episcopus anno 1204. eam ad se revocavit, fœdere quodam inito cum Abbate & Capitulo Sanctæ Genovefæ; at eam mox Præbendam contulit, ejusque Vicariatum Capitulo suæ Cathedralis, ea conditione, ut annui aliquid reditus assignarent Presbyteris Matriculariis, non ita pridem ab ipso institutis. *Tam Præbendam, quàm Vicariam Decano & Capitulo Parisiensi concessimus, ita tamen quod Capitulum Matricularis Sacerdotibus, in Ecclesia nostra à nobis noviter institutis, septem libras solvere tenebuntur, &c. Ibid. Tom.*2. *pag.*26.

X. Non potest non videri pulcherrima hæc con-

cor-

cordiæ & charitatis propagatio in tam multas reciprocè Ecclesias, Cathedrales, Collegiales, Monasticas. Ecclesiæ Cathedralis ærarium inexhaustum quoddam veluti flumen erat largitionum, quo abundè irrigabantur Congregationes omnes regulares sanctioris disciplinæ. Chorus Ecclesiæ Cathedralis Collegium erat sanctissimum amplissimumque Cleri totius sæcularis, & regularis. Ecclesia ipsa Cathedralis primævam suam quodammodo amplitudinem recuperabat, cum jam una & universalis esset totius Diœceseos Ecclesia. Omnia Ecclesiæ membra suo se corpori & capiti recolligebant; & hac communione temporali & spiritali nemo non sentit inter has Ecclesias strictissimam necessitudinem & dulcissimam societatem conglutinatam fuisse.

Hæc porro societatis & charitatis vincula aliquanto etiam splendidiora, & mirabiliora fuisse videntur in concessione Petri Episcopi Bellovacensis, qui anno 1126. Præbendam unam Ecclesię suę Cathedralis Abbati & Canonicis contulit Regularibus Sancti Quintini apud Bellovacum. Circumfluebat tum illud Cœnobium & opibus, & sanctimoniæ gloria; hac porro donatione Episcopus & Capitulum Cathedrale ei se specialiùs conjungi & consociari ambiebant. Contulit illis Episcopus Bellovacensis omnium Canonicatuum Ecclesiæ suæ vacantium Annatas, ut precibus suis defunctos Canonicos foverent. De his Annatis infrà agemus. Canonici Sancti Quintini polliciti sunt se daturos Canonicum Presbyterum sui Collegii Ecclesiæ Sancti Petri Bellovacensis, ut officiis omnibus adesset more aliorum Canonicorum, quem tamen arbitratu suo revocare, & alium subrogare possent. *Canoniti Saucti Quintini promiserant se dataros unum de Canonicis & Compresbyteris suis Ecclesia Beati Petri, qui in ea intersit & subveniat divinis, & officiis diurnis & nocturnis, juxta consuetudinem Canonicorum nostrorum bis habitantium. Abbas quotiescumque voluerit, revocet eam, & alium in ejus loco substituat, qui vices ejus fideliter exequatur.* Denique Abbas & Capitulum Sancti Quintini *ad augmentum & firmamentum fratrum charitatis*, spoponderunt suo se cœtui adgregaturos Canonicos omnes Bellovacenses, qui suo cœtui copulari secuperent, ad cujuscumque sive temporalis, sive spiritalis necessitatis levationem. *Canonicis Beati Petri ab eodem Abbate concessum est, quod si quis ex eis nimia paupertate compulsus, ad eorum Ecclesiam & religionem venire voluerit, ut in Ecclesia Beati Quintini recipiatur, & ibidem temporalibus & spiritualibus tanquam ejusdem frater deinceps fideliter sustineatur beneficiis.*

Anno 1111. Valterus Episcopus Cabilonensis non dissimilem initt communionem precum cum Ecclesia & Abbatia Sancti Benigni Divionensis, concessa tum Ecclesiæ suæ Cathedralis Præbenda Abbatiæ Sancti Benigni, quam illico Abbas Monacho contulit, qui propria hebdomada ejus officio fungeretur. Ejusmodi exemplorum plenæ sunt novæ Historicorum, aliorumque Scriptorum Compilationes. *Recueil pour l'histoire de Bourgogne. p.211. Brodeau sur Louet. Tom.1. pag.61. 62. 63.*

Propria hæc autem & peculiaris fuit Ecclesiarum Gallicanarum consuetudo, ut Abbatias donaverint Præbendis quibusdam Ecclesiarum Cathedralium & Collegialium; vix enim quidquam ejusmodi alibi gentium reperire est. Longè his frequentior fuit Ecclesiarum Parochialium unio ad Monasteria, ad Capitula & Xenodochia, & purgatior, & ejusmodi tamen in posterum quidquam tentari à Concilio Tridentino prohibitum est. *In unionibus verò Ecclesia Parochiales Monasteriis quibuscumque aut Abbatiis seu dignitatibus, sive Præbendis Ecclesię Cathedralis vel Collegiata, sive aliis Beneficiis simplicibus, aut hospitalibus, militiisve non uniantur. Sess.7. c.6. Sess.24. c.13.*

XI. Postquam de Prębendis diximus, quas in Ecclesiis Cathedralibus Monachi obtinuere, vel vicissim Canonicis suis ipsi concessere in Ecclesiis; peropportunè hîc pauca attingemus de Prębendis iis; quas Monachis Laicis concessere, pauperibus nimirum, vel emeritis militibus, parte aliqua corporis truncatis. Non facile est indagare originem ejus juris usufque Regum Angliæ, qui oblatos, vel Monachos laicos, ita enim vocant, seu milites mutilos nominant, in Cœnobiis Regni ditioribus alendos, dum vita superabit, vel pensione donandos, qua alimenta ipsi sibi comparent. Visum est nonnullis arcessi debere ejus rei originem jam à temporibus usque Carolinæ stirpis, cum Cœnobia Nobiles militesque invasere, adeoque & Principes ipsi, qui & Abbates tum se diei gestiebant. Fateor nonnullos tum Regum & Abbatias obtinuisse, & Abbatum non repudiasse nomen. Sed paucissimi ii fuere, nec ulla tunc usquam apparebant hujus usus nostri vestigia. Suspicati sunt ergo alii, hunc morem tum inolevisse, cum Cœnobia militem alerent, & ad Regios exercitus pro Ecclesiæ Regnique defensione mittitarent. Verùm longè maxima pars Cœnobiorum non milite, sed precibus solis, vel donis & precibus Regibus aderat, ut suprà à nobis memoratum est. Tradit verò Chopinus, *De Domanio Franciæ L.3. Tit.18.*, jam inde ab anno 1273. fuisse Senatusconsulta Parisiensia, quibus hoc jus Regium confirmaretur. Cumque eodem ipso tempore destiterint Episcopi & Milites à milite Regibus suppeditando; fieri omnino potuit, ut tum fundamenta jacta sint hujus usus posterioris. Aliis placuit ex jure fundationis & patrocinii hunc morem manasse. Jure enim Canonico cautum est, ut Fundatoribus & Patronis suis, ubi urget necessitas, justis obsequiis adsit Ecclesia. *Fundatori si ad inopiam vergat, ab Ecclesia modestè succuritur, sicut in sacris est Canonibus constitutum.*

XII. Proximè à vero, aut à verisimili certè abest hæc postrema ratio, si vel maximè propiùs inspiciantur antiquissima Senatusconsulta, ubi affirmatur id usu receptum fuisse, ut mox Regio diademate revincti Reges, in omnibus Monachorum Cœnobiis Monachum præsentarent. *Cum dominus Rex atendo suo jure Regio in principio sui regiminis post suam coronationem in Abbatia Regni sui de guardia sua existente, possit ponere videlicet in Monasteriis Monachorum Monachum unum: Carol. Molina. Tom.2. pag.7. c.26. pag.1331.* Hinc simillimum veri est, hoc quidquid est consuetudinis pullulasse, sed longo sæculorum lapsu, multa, ut solet, novata, multa esse mutata. Nominant hic enim Reges Monachum, in Abbatiis fundationis & tuitionis suæ, & donec ille veste Monastica induatur, procuratur in Monasterio. Ab his non omnino abhorret usus recentior. Si verò non in aliquibus tantùm Cœnobiis, sed in omnibus nominent, saltem ditioribus; si quovis tempore nominent, non in Regni tantùm auspiciis; si mutilos tantùm nominent milites, si laici semper hi sunt, nec veste donentur Monastica, eæ sunt alternantium temporum vices & mutationes. Erat ergo ea veluti Beneficii cujusdam collatio Regia in omnibus Cœnobiis, ac veluti primariæ preces Regum in omnibus Regni Cœnobiis; eum jam ne controversi quidem possit, quin Beneficiorum speciem præ se ferant sedes Monachorum.

XIII. His adde plerisque Abbatiis & Prioratibus Præbendas fuisse, pauperi cuipiam dicatas; quo proclivius fuit pauperibus ignavis & otio languentibus substituere milites, qui sanguine fuso & vulnerum cicatricibus, istiusmodi Beneficiis præmiandos se facilè persuaderent. Anno 1179. Henricus Comes Palatinus Trecarum fœdus init cum Abbate Sancti Benigni, quo declaratum est, Prio-

ratum quendam ei Abbati obnoxium, non potuisse cujusquam subjici custodiæ, nisi Comitum Campaniæ, & in eo semper Prioratu ali solitum paoperem, veluti *Peçbendarium* Prioratûs. *Conquerebantur quòd tradiderim Prioratûs Sancti Benigni Bertiniaca Curtis custodiam fideli meo Viardo, dicentes quod in charta Hugonis Comitis antecessoris mei plenius continebatur, quod ipse vel ejus haredes nullo modo ipsam custodiam in alia manu, quàm in propria possent tradere, vel ponere. Qua ibidem diligenter inspecta, de supradictis mihi plenariè constitit; & quod in Prioratu peçdicto pauper Prabendarius continuè debebat sustentari.* Recueil pour l' histoire de Bourgogne pag.254.

Nemo jam ambigit, quin Duces & Comites summum sibi, & tantumnon Regium jus arrogaverint concedentibus Imperatoribus & Regibus Carolinæ familiæ, quorum jussu antè Provinciis præficiebantur, & summovebantur. Hinc illis accrevere Palatia, Aulæ, ministri, jura, leges & consuetudines, insignia denique omnia ejus amplitudinis, quæ ad Regiam proximè accederet. Hic obvius est ejus agminis non postremus Campaniæ Comes, Regiæ amplitudinis gloria perfusus, defensor & custos Prioratûs, ita ut ei uni ea possit custodia vendicari. Id sibi juris esse præ se fert ipse, & ibidem profitetur Præbendam esse, quæ non possit nisi pauperi conferri. Quo illud etiam innuitur non obscurè, jure custodiæ facultatem sibi esse Præbeodarii ejus pauperis semper nominandi.

Monasteriis Cluniacensibus etiam Conversæ mulieres affixæ erant, quę Grangiis, seu Obedientiis eorum obsequii aliquid præstabant, veluti Præbendariæ. In Statutis sub Abbato Hugone V. consarcinatis, jubetur, ut ne posthac ejusmodi admittantur Præbendariæ, nisi aniculæ, & ad loca foris posita. *Decernimus, ut nunquam in aliquo loco mulier qualibet in Monachum, vel Conversam, seu Peçbendaeiam recipiatur, nisi ad succurrendum, &c. Bibl. Clun.* p.1460. 1469. Si suæ erant & mulierculis quibusdam Præbendæ, qoæ foris ministerii aliquid exhibebant: quin viris suæ essent, qui & operosius aliquid & decentius præstare poterant obsequii. De iis agitur in his ipsis Statutis, unumque id caveri præcipitur; ne ad vitam dentur hæ Præbendæ, quanquam & id, sicubi cogat necessitas, Abbatis arbitrio permittatur. *Prabendas etiam obtentu pecunia, vel cujusquam servitii cuilibet ad vitam dari, cum hoc ad damnum vertatur domorum, districtè vetamus. Si quando autem necessitas vel evidens utilitas id poposcerit faciendum, fiat de consilio domni Abbatis.* Huic denique Oblatorum militum origini plusculum probabilitatis adjicit Constitutio Ludovici XIII. Regis anno 1629. quę Oblatis militibus pensionem centum librarum solvi tum demum saocit, *Art.*229., cum nolent ipsi in Monasterio ali, cui interim pro virium suarum modo ministrent.

XIV. Eam pensionem centum librarum ad sexaginta revocari, ut omnibus antè Regis diplomatibus ferebatur, petiit Clerus Gallicanus, nec postulatis ejus assensus est Rex, *Memoires du Clergè Tom.2. pag.*201. Illa verò Declaratione, sicut & illa anni 1624. omnes prorsus Regni Abbatiæ eo vinculo coustringebantur. Quæ immunes antè fuerint, earum nomina exhibebit nuperrima Editio Actorum & Monumentorum ejusdem Cleri, *Tom.3. pag.*477. *& seq.* Ludovici XIII. Edicto eidem legi subjiciuntur Prioratus omnes, quibus duo amplius suppetunt librarum millia annui reditûs. Edicto ejusdem Regis aono 1636. eo onere levati sunt Prioratus omnes, levatæ sunt & Abbatiæ, quarum annui reditus non superant mille & quingentas argenti libras. Declaratione Regia anni 1670. annua pensio Oblatis solvenda militibus, ad centum quinquaginta libras adaucta est. Cæterùm reditus omnes illi Oblatorum totius Regni oniti addictique fuere longè magnificentissimo Xenodochio Invalidorum militum juxta Lutetiam, Arresto Consilii Statûs, quo eodem Prioratus Conventuales Electivi nominationis Regiæ eidem oneri subjecti fuere cum Abbatiis.

XV. In Anglia Eduardus I. Rex vetulos milites, quos sua vel ætas, vel infirmitas subducebat militiæ, ad Abbatias vel Prioratus ablegabat, Breviculo precum, vel Litteris instructos commendatitiis, quo in reliquum vitę tempus alerentur. Ita enim habetur in non ita pridem editis Regum Angliæ antiquis Constitutionibus. *P.*1011. 1012. *Quia nobis non sufficit amplius famulari, ipsum ad vos duximus destinandum, affectuosè rogantes, ut ei in vita necessariis juxta status sui exigentiam, quoad vixerit, exhibere velitis.* Orabat quandoque Rex, ut milites, vel Officiales in Monasterio sustentarentur cum duobus equis, & duobus servis. *Cum vos rogaverimus, quatenus cum duobus equis & duobus garcionibus in victu & vestitu, & aliis vita necessariis, quoad vixerit, exhibendo, &c.*

Cum Abbas Sancti Edmundi, cui inscriptum erat hoc diploma, onus id detrectaret, quod jam unum ejusmodi militem, vel Officialem aleret Rex preces iteravit, uno equo, & uno servo cootentum jubens esse militem. Preces tantùm interponebat Rex, nec molestè ferebat, si egestatem quandoque suam Cœnobia excusarent. Ex his Abbatiis una perspectæ egestatis Regem datis ad eum Litteris admonuit, non solitos Reges nisi ad opulentiores fundationis suæ Abbatias ejusmodi preces allegare. *Attendat magnificentia vestra, quod in vestris hujusmodi provisionibus servientium, domibus pinguibus de magnis & superabundantibus maneriis, & aliis possessionibus magnificorum Principum, progenitorum vestrorum Regum Anglia vestra semper Curia scribere consuevit: non exilibus & exiguis Cellulis fratrum, qua ex simplicium virorum parvulis portionibus sunt fundata. Ibid. p.*1045.

Cum misisset idem Rex Eduardus I. Thomam quendam ad Monasterium sanctæ Trinitatis Londini, ut Conversus admitteretur, is ad Novitiatum admissus est, nec antè extrusus, quàm deprehensus in gravissimis flagitiis, nec ali tamen destitit, donec novis facinoribus omnino semetipse ejecisse visus est. *Ibid. pag.* 812.

In Conventione Archiepiscopi Cantuariensis, & Abbatis Sancti Augustini ejusdem Civitatis, anno 1299. qui vigesimus-nonus erat Regni Eduardi ejusdem I. hoc memorabile visum nobis est, nec prætermittendum hoc loco Caput, quo statuitur ne posthac Anachoretas faciat Archiepiscopus in Ecclesiis huic Abbatiæ obnoxiis, nisi Abbatum consensu. *Archiepiscopus Anachoretas non faciet de catero in Ecclesiis dictorum Religiosorum nisi de consensu Abbatis. Ibid. pag.*841. Simillimum veri est hos Anachoretas sumptibus Monasterii susteotatos fuisse.

C A P U T XXVI. *P.4. l.4.c.25.*

Partitio rerum Monasteriorum inter Monachos ipsos post annum Christi millesimum.

I. Varii gradus collabentis Monasteriorum disciplina, & partitionis bonorum.

II. Tempore Concilii Lateranensis III. jam qui Claustralibus Officiis prafecti erant partem aliquam se-

sejunctim administrabant communium redituum & fundorum, sed ad communes tantùm usus, & ad nutum revocandi.

III. Administrationis quoque sua rationes facere cogebantur.

IV. Anno 1200. Abbatibus jam non paucis sua erat seposita bonorum portio, & mensa sejuncta.

V. Contextio Canonum, quibus vetantur Monachi quidvis possidere, etiam cum licentia Abbatum: vetantur & Officia Claustri ad vitam dari; jubentur denique rationes reddere uti & Abbates, quibus nondum disjuncta fuerat sua & propria mensa.

VI. Exemplum partitionis inter Abbatem Westmonasteriensem & Monachos. Observationes in eam partitionem qua graviora forsan occupari damna spes erat. Genus verò ipsum ejusmodi partitionum non probatur.

VII. Proprietatis contagio latius in dies serpebat inter Monachos.

VIII. Exemplum partitionis inter Abbates, & officia Claustralia, ubi de faciendis rationibus verbum fit nullum, uti neque de facultate revocandi temporarios hos Administratores. Idque ante annum millesimum tercentesimum.

IX. Statuta Joannis Borbonii Abbatis Cluniacensis sæculo decimo-quinto, quibus exulare jubetur proprietas, & partitio. Officiales Claustri & Abbates ipsi ad rationes vocantur.

X. Statuta Concilii Tridentini in eam rem.

I. HOc rerum continuatio ipsa & series flagitaret, ut expenderemus qua demum ratione Prioratus, Obedientiæ, & alia complusculа Regularium Beneficia ad Clericos sæculares pervenerint: quasi parem Beneficii vicem Clero rependerent Monasteria, tandiu & tantopere de se benemerito. Sed ei quæstioni hæc præire debere videtur, qui partitio facta sit rerum temporalium inter Monachos ipsos. Ante enim expendenda est illa mensæ Monachalis partitio in plures portiones, quàm minutias hujus aliquas ad Clericos devolutas persequamur.

Atqui plures spectari necesse est partitiones in Monasteriis. Sua enim tandem separatim portio Abbatibus, sua assignata est mensa. Officiis Claustralibus Præfecti partem sibi quisque suam communium proventuum & ipsi impetrarunt, vel abstulerunt. Priores administrationem suam protraxerunt, perpetuarunt, atque ita jam Obedientiarii, & revocabiles nutu Superiorum non amplius fuere. Denique lapsu temporum, & graviore disciplinæ ruina, Monachi ipsi singuli proprietarii evasere, & suum sibi seposuere peculium. Hæ gradatim labes fuere labantis disciplinæ regularis.

II. His ingravescentibus malis medicari cœpit Concilium Lateranense III. anni 1179. Prohibitum ibi est enim, *Can.* 10., ne pretio admitterentur Monachi, ne peculio frui sinerentur, ne soli essent in Parochiis, in Prioratibus, in Grangiis. Quæ hic exibilantur omnia, ea erant proprietatis inter Monachos irrepentis prælodia, & veluti rudimenta. Cum exigebatur aliquid à profitentibus, pene copia fiebat, ut & aliquid privatim possiderent. Ideo & explosa illa exactione, statim proscribebatur peculium. Denique cum in una aliqua soli & sine socio sedebant Ecclesia, ejus reditus privatim potius, quàm in communi obtinere videbantur. Mox ibidem peculium permittitur Officialibus Claustri, sed ea cautione, ut in expensas concreditæ sibi administrationis effundatur, nec sine permissione Abbatis. *Si verò peculium habuerit, nisi ei ab Abbate pro injuncta fuerit administratione permissum, à communione removeatur altaris, &c.*

Habes hic haud dubio Officia Claustri, iisque Præfectos Monachos, cum aliqua portione fundorum, aut redituum Cœnobii sibi commendata; sed his legibus præstitutis. 1. Ut jussu & providentia Abbatis id fiat. 2. Ut omnes ii reditus in Cœnobii communes utilitates expendantur. *Pro injuncta administratione.* 3. Ut hi Officiales amoveantur jussu, nutuque Abbatis & Conventus. Id mox ibidem profectò significatur; ubi edicitur, ut ne loco moveantur suo Priores Conventuales, nec Officiis priventur, nisi justis & evidentibus causis, verbi gratia, ob gravius flagitium: vel ex adverso, ut à Conventu ad excelsiora quædam officia promoveantur. *Priores cum in Conventualibus Ecclesiis fuerint constituti, nisi pro manifesta causa & rationabili non mutentur; videlicet si fuerint dilapidatores, nec continenter vixerint, aut aliquid tale egerint pro quo amovendi meritò videantur; aut si etiam pro necessitate majoris officii de consilio fratrum fuerint transferendi.* Conventualibus Prioribus & Abbatibus hoc videtur specialiter tributum esse, ut ne grado dejici possint, nisi judicio Canonico; ex quo fit, ut indicta causa, etsi non sine causa Priores non Conventuales, & Claustrales Officiales revocati possent omnes.

III. Est & quarta lex hic addenda Officiis Claustralibus, quæ & ipsa eadem æquè imminebat Prioribus Conventualibus, & Abbatibus, ut rationes omnium exhibere tenerentur, vel Conventui ipsi, vel Superioribus saltem, idque saltem bis anno quolibet. Id enimvero præcepit Concilium Oxfordiense anni 1222. *Ut melius gerantur omnia, & exterior administratio Claustralium respondeat rectè quieti, statuimus ut tam Obedientiales eorum Monasterii, vel Prælati majores, quatenus vel bis ad minus in anno coram fratribus à Conventu ad hoc deputatis, vel coram Superioribus juxta Monasterii consuetudinem reddant de receptis & expensis rationem.* *Can.* 37. Contextum Canonis exscripsi, ut in editionibus Conciliorum circumfertur; sed non possum non monere Lectores, valde probabiliter vocem illam *quatenus* adventitiam esse, & pro hac *quater* irrepsisse: ut quater quotannis, saltem bis rationes de receptis & expensis redderentur. His legibus si locus fuisset, si honos illibatus servatus, videri poterat nullas adhuc temporalis Cœnobiorum substantiæ partitiones factas fuisse; aut certè innoxias eas fuisse & inculpatas; si vel maximè constaret nullam disjunctam à Monachis fuisse Abbatibus mensam.

IV. Sed vel istius jam ætate Concilii Abbates erant, suis sensim à Conventu proventibus instructi, ideoque nec rationes Conventui facere jubebantur, ut vel ex hoc ipso Canone liquidum fit, ubi disertis verbis id exprimitur, ut ea sit decreti superioris exceptio. *Ad hoc enim Prælatos illos ex ista consuetudine nolumus obligari, qui possessiones habent à Monachis, vel Canonicis Regularibus separatas. Ibidem.* Erant ergo jam & Monachorum aliqui, & Canonicorum Regularium Abbates, quibus sui sejunctim fundi, sui reditus, à Cœnobii substantia discreti erant, nec id in vitio ponitur hoc Canone; quin ex adverso suum illis confirmatur jus prius, ut ne ad rationes referendas vocari possint. Sed cum ea sit hic tantum regulæ generalis exceptio, facilè conjicitur, non admodum magno eos numero fuisse. Nec aliter sentiendum de Decretali *Edoceri*, *De rescriptis*, ubi persimili utitur Innocentius III. exceptione locorum, ubi Abbates suam sibi propriam bonorum portionem erant assecuti. *Nisi fortè Abbatis & Conventus negotia essent omnino discreta.*

V. Prima ergo ea fuit partitio, Canonicis Regulis approbata, saltem tolerata in Cœnobiis, Abbatialis mensæ & Conventualis. Cum Officiales Claustrales meri essent administratores alicujus par-

tis

tis communium fundorum, ac redituum, ad communes tantùm necessitates, & quidem rationibus publicè reddendis obnoxii, non poterat ea jure dici bonorum partitio. Jam quidem Monachi privatim quædam sibi fortiva corradebant peculia, sed hæc peculia diro mucrone confixit hoc idem Concilium Lateranense III. Confixit & illud idem Innocentius III. *Extra. De statu Monach. c.16.* qui ut proprietatis radices evelleret, prohibuit, ne ad vitam Officia Claustri, vel Obedientiæ commendarentur, & declaravit nihil posse Monachos propriè & separatim possidere, quantumvis de Abbatis se sui licentia jactarent. *Nec alieni committatur aliqua obedientia perpetuo possidenda, tanquam in sua sibi vita locetur; sed cum oportuerit amoveri, sine contradictione aliqua revocetur, &c. Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare; quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex valeat dispensare.* Ex quo id emergit, quando tunc temporis Prioratus non conventuales, & Officia Claustri ad nutum Superiorum revocari poterant, ea propriè Beneficia non fuisse; ut quæ perpetua esse necesse sit.

Concilium Provinciæ Turonensis anno 1231. habitum ad Castrum Guntherii, idem statutum confirmavit, ne possent Abbates Monachis suis indulgere, ut rem quantulamcumque possiderent. Eo enim nugatorio prætexto licentiæ Abbatum abutebantur, & avaritiam suam tueri se posse confidebant Monachi proprietarii. *Inhibemus ne Monachi, nisi sint in administratione constituti, habeant sub alio colore aliquam possessionem, vel aliquam proprietatem, etiam de licentia Abbatum; cum licentia Abbatis in hoc eis non valeat suffragari. Can.16.* Ei Canoni novum robur accumulatum est in alio ejusdem Provinciæ Concilio apud Salmurium habito, anno 1253. Toties iterati, innovatique hi Canones apertè produnt, Abbates cum ipsi privatum mensa gauderent, licentius etiam bas Monachis suis indulsisse licentias, ut & ipsi portiones quasdam decerperent bonorum Monasterii, & propriè possiderent. Sed quoties de eo usu actum est in Conciliis, toties is abusus damnatus est. Quin & damnati ibi sunt Abbates & Priores locorum, obi nullæ adhuc partitioes factæ fuerant, nisi semel saltem quotannis rationes publicè præstarent suæ administrationis. Illos enimvero suspendit ab Officio Concilium Londinense anno 1268. nisi rationes facerent, ne scilicet in tot partes scinderetur substantia Monasterii, quot Officiales essent & Monachi. *De pietatis autem & Ministratoribus atque Officialibus illud statuimus, ut Abbates & Priores Abbates proprios non habentes, saltem semel in anno præsente toto Conventu, aut aliquibus de Senioribus & prudentioribus ad hoc à Capitulo deputatis, reddant de statu Monasterii & administratione sua pleuariè rationem. Si quis verò Abbas vel Prior statutam hujusmodi neglexerit observare, ipso facto, donec id satisfecerint, à suis administrationibus sint suspensi. Can.51.* Nullo se limite, nulla exceptione Canon iste coarctari finit, & hinc rursus confirmatur nostra illa persuasio, paucos tum fuisse adhuc Abbates, in Anglia saltem, quibus sejuncta privatim sua esset mensa, & portio.

VI. Ea porro sententia validius etiam roborabitur, ex Matthæo Paris deprompto exemplo Abbatis West-Monasteriensis apud Londinum, qui anno 1251. nullum non lapidem movit, ut à Papa rescinderetur transactio inter Abbatem prædecessorem suum & Conventum facta ad bonorum partitionem. Subveriti Monachi, ne deteriore conditione essent, si rursus Abbates bona omnia Cœnobii in jus & potestatem suam revocarent, Regem Henricum III. interpellarunt, qui spopondit se partitionem semel factam authoritate Regia tuiturum. Hinc perspicuum est 1. raras etiam tum, hoc est sæculo decimo-tertio fuisse adhuc illas in Cœnobiis partitiones. 2. Cupidiores partitionis fuisse nonnunquam Monachos, quàm Abbates, cum penes Abbates esset summa rerum omnium administratio, & operosum non esset extricare se à necessitate faciendi dati & accepti rationes, aut declinandi. 3. Hinc apparet potuisse sæpiusculè fieri bas partitiones pro bono pacis, & dissensionum vel terminandarum, vel prævertendarum studio. *Conabatur Abbas factum Antecessoris sui authoritate Apostolica irritare, qui bona Ecclesiæ in usus suos, & usus Conventus, ut majori pace gauderent, separaverat. Et summo conamine nitebatur divisa solidare, & omnia nutibus suis inclinare.* Ita enim Monachis ferè præjudicatum erat, dispendio sibi fore utriusque mensæ conjunctionem. *Conventus cœpit formidare ne eorum conditio deterioraretur.* Abbas Roma rediit Pontificis Rescriptis instructus, quantis & qualibus voluerat, sed ita contumeliosè à Rege exceptus est, ut sui ipsum aliquando tandem instituti pœnituerit, assensusque sit, ut arbitrio duorum Procerum res definiretur, à quibus, quod Rex avebat, partitio jam facta confirmata est, tribus etiam prædiis, quæ sibi Abbas retinuerat, exercendæ hospitalitati addictis. *Assignatis tribus maneriis, ut de reditibus eorum hospitalitas & charitas domus Westmonasteriensis amplietur.* 4. Tum verò Henricus Rex Abbatiæ concessit diploma, quo illam confirmabat bonorum partitionem, Conventuique permittebat liberam suæ portionis administrationem, dum vacaret Abbatia. Ejusmodi enim diplomate opus erat post partitionem factam. Quippe vacante Abbatia Rex portionem Abbatis omnem suæ potestati vindicabat. *Cum bona Abbatis Westmonasteriensis; & ejusdem loci Prioris & Conventus discreta sint ab invicem & separata, volentes indemnitati & tranquillitati eorumdem Prioris & Conventus providere, concedimus eis pro nobis & hæredibus nostris, quod quotiescumque contigerit Abbatiam vacare per cessionem, vel decessum Abbatum suorum, habeant ipsi Prior & Conventus liberam administrationem de bonis suis separatis; salva nobis & hæredibus nostris tempore vacationis prædictæ domus custodia de bonis ad prædictos Abbates pertinentibus.*

Hactenus ex sententia Matthæi Paris, qui eam narrationem literis mandavit. An rationi & æquitati ubique consentiat hæc illius sententia, id verò non immerito in dubium vacari potest. Ejusmodi enim partitionibus non satis convenit cum Regula B. Benedicti, cum religiosa paupertate, cum proprietatis abdicatione, & cum antiquiore, eaque castiore disciplina. Poterat oovus Abbas Westmonasteriensis, non aliò collineare, quàm ad restituendam priscam paupertatem, & communionem religiosam rerum omnium. Huic sententiæ favet diploma illud Pontificium, quod Abbas elicuerat. Sed potuerant & superiores Abbates ita res dilapidasse Conventus, ita Monachos frustrasse necessariis vitæ præsidiis, ut jam necessariæ essent partitiones, sicut minoribus plerumque malis majora præcecantur.

Libet hæc & firmare, & illustrare luculento Canone Concilii Auscienss, anno 1308. Eo prohibetur qualiscumque partitio bonorum inter Monachos & Abbates: *Edicto perpetuo inhibemus, ut Abbates Regulares bona eis & suis Monachis Conventualibus communia nullatenus dividant, irritum decernentes, si contra hæc fuerit aliquid effectualiter attentatum. Can.4.* Extremis ejus Canonis verbis, vis ejus & potestas decreti ad superiora retro trahitur tempora: *Præsentem Constitutionem non tantum ad futura exten-*

extendi volumus, sed etiam ad praterita & prasentia. Ubi hic Canon Regulares commemorat Abbates, à Commendatariis illos sejungit, ut opinor, qui tum crebrescere incipiebant. Hinc autem planum est, partitiones bonorum in Cœnobiis inter Abbates & Monachos, oecdum tunc toleratas fuisse in Provincia quidem Ausciensi. Ex qno illud rursus subodorari datur, ejusmodi partitiones in reliquo Galliæ regno, oe toleratas quidem, aut certè raras fuisse.

VII. Eodem ipso mox Canone vetantur Abbates, Monachis singulis dare fundos, vel pensiones in fundos Monasteriorum, ut ne & Monachi ipsi proprietarii evadant, & res ipsæ Cœnobii dissipentur. Edicitur denique, ut nisi intra anni spatium Abbates repetant, restituantque mensæ communi pensiones ejusmodi omnes, eas sibi possint Episcopi vendicare. *Paci prohibitione atiliter statuentes, ne Abbates Regulares Monachis simplicibus aliqnas pensiones assignent stantes in pecuniis, bladis & aliis quibuscumqae, &c. Pensiones infra annum repetant Abbates, &c. Ex tunc Episcoporum qnilibet pensiones pradictas possit & valeat mensa propria applicare. Ibidem.*

Cum pensionibus his pecuniæ, tritici, & id genus arcentur *simplices Monachi*, ad Officiales Claustri alluditur, quibus ritè fundi illi, vel pensiones adsignabantur, ad expensas suæ Administrationis. Nihil hîc verò de Officiis Claustralibus sancitur, propterea quod cum vel Abbates hic prohibeantur quidquam sibi propriè arrogare rerum communium, nihil erat de Officialibus Claustri extimescendum. Canone ibidem proximo, *Can.5.*, multò vehementiùs his pensionibus interdicuntur Monachi Mendicantes, qui in Claustra non Mendicantium desluxerint, nec eò probabiliter adducti fint, nisi hoc lenocinio temporaliom commodorum. Denique non hic damnaretur partitio bonorum inter simplices ipsos Monachos, nisi jam & ioter eos cœpisset crebriùs usurpari.

Sed multò frequentior ea videtur fuisse lues in Germania, ubi Concilium Coloniense anni 1310. non aliud, quàm pluralitatem prohibuit Beneficiorum Monachis & Monialibus, statuto, ut ne Personatus, Officia & Prębendas in diversis consequerentur Munasteriis. *Nec nllns Monachus seu Monialis in pluribus Monasteriis, quàm in uno Dignitates, Personatus, seu Officia & Prabendam obtineant; sed recepta secnnda Dignitate, Personatn, Officio, seu Prabenda, Collator prima Dignitatis, Personatus, Officii & Prabenda prioris, eam seu eas alii conferant intra tempus juris; nec Monachis vel Monialibus pradictis tempore absentię sua fructus cedant suarum Prabendarum; quia sic viderentur aliquid proprii possidere.*

Perspicuum est ex hoc Canone in Germania ita partitas fuisse inter Monachos res Cœnobiorum, sicut & inter Caoonicos Cathedralium. Hic verò distinguuntor tres, quatuorve Beneficiorum classes in Monasteriis. Dignitates, putà Abbatum & Priorum Conventualium Personatus, scilicet Præpositorum, & Priorum non Conventualium. Officia Claustri, nimirum Infirmarius, Hospitalarius, Eleemosynarius, & Sacrista. Præbendæ deoique simplicium erant monachorum. Pluralitas prohibetur; & consereoda bæc sunt omnia tempore, quod Canones omnibus præscribunt Beneficiis. Denique Germanis his Præsulibus fuit superque discriminis interesse visum est sæculares inter Beneficiatios & Monachos, si hi fructibus Beneficiornm frui non sinerentur absentes: *Quia sic viderentur aliquid proprii possidere.* Non fallebat hos Præsules, dum residerent hi Monachi, & sui qoique Beneficii proventu fruerentur, tam proprietarios ferè eos esse, quàm sæculares Beneficiatios quoslibet. Sed cum desperarent posse illos à se adduci, ut Præbendis propriis renuntiarent, nec nisi in commune omnia possiderent: hoc saltem monumento voluere illis commendare, ut aliquandu resipiscerent, quòd absentes omnioo fructibus Præbendæ privarentur, ut intelligereot, suos propriè non esse fructus eos, nec propriè & privatim à se totos possideri posse, etiam dum præsentes essent.

VIII. Sed & in Anglia compulsi tandem aliquando fuere Præsules subscribere bis partitioonibus rerum, non inter Abbates tantùm & Conventus, sed etiam inter Officia Claustri. Perillustre est anni 1181. exemplum, cum confirmavit Eduardus Rex, & ab Episcopis confirmari fecit partitiones Abbatiæ Sancti Edmundi. Ibi primùm bipartita fit rerum divisio inter Abbatem & Conventum. Portio Conventus tursus portiones in multas sciodilur ad singula Claustri Officia. Pernumerantur autem agri, fundique complures, qui adsignantur, bi quidem Cellerario *ad victum Conventûs, hospitumque susceptionem, nec non ad quasdam pitantias annuas, servientium etiam liberationes, & alia Conventui facienda. Mona. Ang. p.2.* Alii Sacristæ ad lampadas, ad cereos, ad panes Eucharisticos, ad farta tecta Ecclesiæ, ad ornatus sacros, & ad ministros inferiores. Alii Camerario ad vestes Monachis suppeditandas, & ligna. Alii Eleemosynario, ad pauperum sustentationem. Alii Pitantiario, *ad certas pitantias per annum faciendas.* Alii Infirmario, ad solatia ægroturum. Alii Hospitalario, ad expensas Xenodochii. Alii denique Cantori, ad expensas chartæ & atrameoti Antiquariis & Scriptoribus sufficieodi. Custodiæ etiam Conventûs commendabantur pleraque foris Xenodochia, quorum in nonnullis erat aggregata Fratrum & Sororum societas, cui præerat Monachus, Custodis & Superioris cura, cui tamen nefas erat Fratres aut Sorores admittere, nisi loci domino assentiente. *Hospitale Sancti Salvatoris cum omnibus suis temporalibus & spiritualibus ad sustentationem quorundam Capellanorum, fratrum & sororum, & egenorum ibidem degentium & Deo famnlantium dignoscitur esse deputatum. Hujus Hospitalis custodiam Monachus per Abbatem in pleno Capitulo constitutus habere debet, sicut hacteans fieri consuevit. Ita quod nec dictus Monachus Custos, nec aliqua secularis Ecclesiastica ve persona fratrem vel sororem in dicta Hospitali inconsulto domino recipiat, vel admittat; nulla tamen pecunia ratione receptionis cujuscumque personę interveniente.* Si & Abbas hic autem & Officiales Claustri omnes commendatos sibi fundos, vel eorum proventus expendissent in eos usus, quibus dedicati erant; si rationes etiam Conventui fecissent illibata fide & religione quates, aut bis saltem quotannis; non esset forsan, quòd ei partitioni magnopere irasceremur. Sed in ea concordia nec de reddendis rationibus, nec de abdicandis Officialibus Claustri litera est ulla; unde facilè auguramur, eos omnes ad perpetua sibi & Titularia vendicanda hæc Beneficia aspirasse.

Fateri ergo cogimur jam ante annum millesimum trecentesimum cœpisse Officiales Claustri ingredi in vestigia Abbatum, qui suas jam sibi sepositas habebant mensas; & perpetuas vendicare administrationes fundorum sibi creditorum, reditumque suis Officiis adsignatorum: denique nec ad reddendas adduci potuisse rationes; atque ita Beneficiariis perpetuis jam tum adscriptos fuisse. Eo Monachi ipsi singuli accensi sunt, ut non fundos tantummodo, vel reditus cum licentia speciali Abbatis retinerent: sed ut certos & perpetuos proventus ac Præbendas ex Monasterii fundis invaderent. Hæc fuit mensæ Abbatiarum communis per gradus facta partitio. In Ordine Præmonstratensi pau-

paulò ante annum 1300. concessum est Abbatibus ac Præpositis, qui se dignitate abdicarent, ut dum superstites agerent, fruerentur annuo reditu centum librarum ex iis fundis, quos de novo comparassent, & adjecissent Cœnobio, tempore administrationis suæ. *Bibl. Pramonst. p.*800.

IX. Non ea tamen in omnibus grassata est Cœnobiis corruptela; fuere etiam unde ea pestis semel afflata exsufflaretur. Anno 1458. Joannes de Borbonio Episcopus Aniciensis & Cluniacensis Abbas Statutorum ejus Ordinis compilationem promulgavit, in eaque contemperationem quandam Regularis disciplinæ, tanta & sapientia conditam, & charitate, ut meritissimò posterioribus sæculis admirationi fuerit. Multa emollita sunt, quæ ad sanctimoniam ipsam Monasticæ perfectionis minùs pertineant; sed restituta sunt & confirmata longè plurima, quæ ad eam conducunt mirum in modum, maximè quoad proprietatis qualiscumque abdicationem. Pronuntiatum est nihil Officiales Claustri retinere posse propriè & privatim, cum & ipsi Monachi sint; nec expendere commendatos sibi reditus posse, nisi ad communes Conventûs & pauperum usus. *Cum substantia Regulæ & professionis Monachalis in Monacho pati proprium non possit, Administratoris, seu Officialis pecunia propria non erit; sed propriam pecuniam aliosque reditus Officiis & Administrationibus annexis, propter Administratores & Officiales, ad usum & fructum Officiorum & Administrationum tenetur discretè & fideliter dispensare serandùm statuta Ordinis ad literam.* Statutum est, ut perinde ut abundarent facultates, Monachi vestes & alimenta perciperent: at ne cuiquam pecuniam assignaretur, nec pensio, neo Præbenda, qua sese ipsi sustentarent. *Pro victualibus & vestiario fratrum pecunia simul aut per vices nullatenus singularibus personis detur, vel pensio, seu reditus quomodolibet assignetur, & nullo modo sint apprebendati.* Edicitur, ut & Cluniacensis Abbas, & Abbates Prioresque alii totius Ordinis quater anno quolibet rationes reddant Capitulo, præsentibus Visitatoribus. Officiales verò Claustri altero quoque mense rationes faciant Abbati, aut Priori, & Senioribus cujusque Cœnobii. *Dominus Abbas Cluniacensis & Priores quater in anno statum suæ domûs in suo Capitulo & coram visitatoribus, cum venerint, plenè declarent. Item singuli Officiarii coram Abbate, vel Priore, si non est ibi Abbas, & coram Senioribus, singulis duobus mensibus de suis Officiis rationem, & de omnibus receptis & expensis computationem fideliter faciant.* Sancitur gratis dari administrationes; si quis autem gravioribus exagitetur suspicionibus persolutæ ad eas consequendas pecuniæ, jam tum penes Visitatores aut Definitores potestas erit ejus abdicandi. *Administrationes omnes gratis conferantur, & absque venalitate aut aliqua pactione. Et si adversùs aliquem super hoc habeatur vehemens præsumptio apud Visitatores, vel Definitores, ipse poterit amoveri à Prioratu, vel administratione sic obtenta, ut latiùs continetur in Statutis supradictis. Bibl. Clun. p.*1602. 1604. 1607.

Ex his ergo Statutis liquet exulasse proprietatem à Claustris; Monachis nec pensiones jam, nec Præbendas fuisse, nec Beneficia: Officiales Claustri tam alienos fuisse à proprio quovis peculio, quàm cæteros Monachos: cum & per proventus sibi creditos in publicos effunderent usus, & rationes expensarum sæpiùs facerent quotannis, & ad nutum Superiorum revocari possent. Denique Abbates & Priores Ordinis, immo & Cluniacensis ipsi Cœnobii Abbates rationes & ipsi facere tenebantur, vel Conventui ipsi, vel Superioribus. His ita constitutis jam videri poterat, nulla bonorum partitio, nulla scissio facta esse, cum omnia jam omnino in commune possiderentur.

X. Optatissimum sibi fore contestati sunt Tridentini Patres, ut eo loco, eademque conditione essent omnia Monasteria, cum Monachos vetuit & Sanctimoniales quidquam propriè possidere, non mobilia, non immobilia, non acquisita, non alia quævis, non suo, non Conventûs nomine. *Nemini Regularium, tam virorum, quàm mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, & cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventûs possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventui incorporentur. Sess.*25. *c.*2.

Jam non possunt Superiores Regulares permittere Monachis singulis, bona ut ulla stabilia habeant, sive ad usum, sive ad usumfructum, sive Commendæ, sive Administrationis nomine. Hac enim immoderatiore Abbatum indulgentia & licentia, proprietatis cupiditas in Monasteria irruperat, bona diviserat & dissipaverat. *Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, commendam.* Res Cœnobiorum administrabunt Officiales Claustrales, sed nutu & imperio Abbatis loco dejicientur. *Administratio verò bonorum Monasteriorum seu Conventuum ad solos Officiales eorundem, ad nutum Superiorum amovibiles, pertineat.*

Ea sententia imbutus Fagnanus docet, *in l.*1. *Decr. pag.*245., sejunctionem mensæ Abbatis & Conventûs vehementissimè adversari Regulę Sancti Benedicti, & Juri Canonico, in Monasteriis, quę non sunt commendata: eaque de causa Congregationem Romanam Cardinalium negotiis Consistorialibus præfectorum, ejusmodi partitionibus enixissimè semper adversari, & nuperrimè etiam intercessisse anno 1652. in Abbatia Cracoviensi.

CAPUT XXVII. *P.*4. *l.*4. *c.*26.

Ut Prioratus & alia Beneficia minora Regularia evaserint sæcularia.

I. Jam inde sæculo decimo-tertio senescente, Officiales Claustrales & Priores non Conventuales Romana expugnarant Rescripta, ut perpetuarentur.

II. Hæc proprietas fundorum & redituum, ejusque perpetuatio ab ipsis Monachis cœpta, sæculares Clericos illexit, ut ea sibi Beneficia peterent commendari. At verò sola redituum penuria compulit Clericos Monachis subrogari in Prioratibus simplicibus, in quibus jam non poterat nisi unus ali Monachus.

III. Suis ipsi quandoque Abbates in Cœnobiis Clericis sæcularibus Prębendas dabant.

IV. Dabant & iisdem Clericis Prioratus, Præposituras, aliasque Claustrales Administrationes, quod nec à Clemente V. improbatum est.

V. Clemens ad Administrationes Claustrales ampliavit Devolutiones Concilii Lateranensis III. ubi nihil ejusmodi statutum erat. Ratio ejus innovationis. Jam Beneficiis sæcularibus finitima simillimaque erant administrationes Claustrales.

VI. Regulares ipsi percupiebant Prioratus minusculos suos Clericis conferre.

VII. Rursum sæculo decimo-quarto à Papa deposcuntur collationes Officiorum Claustralium, ut perpetuo retineri possint.

VIII. Quibus gradibus eò defluxerint Monachi. Quàm enixè intercesserit Ordo Cluniacensis.

IX. Laudatissima institutio Eleemosynarii, & aliarum id genus Claustralium administrationum. Ea

ta-

earum tamen parum auspicati fuere exitus, quod & perpetua fuerint, & à lege reddendarum rationum absoluta.

X. Suppressiones Officiorum Claustro à Papa impetrata.

XI. Bulla Pii V. qua demonstratur hac Obedientiarum revocabilium mutatione in Beneficia perpetua, pessumdatam esse regularem disciplinam: & qua ratione Sedes Apostolica, cui aliquando obreptum est, possit ei malo mederi.

XII. Partitione temporalium, cessatione faciendarum rationum, & perpetuatione Officiorum Claustralium funditus concidit Claustrorum propria disciplina, & Beneficia Regularia peperit secularibus simillima.

XIII. Postrema hac atate convaluit lex triennalium administrationum, quanta ejus laus & utilitas, quibus ad eam gradibus ventum sit.

I. SI abstinuissent se Regulares à communibus fundis & proventibus inter Abbates & Conventus partiendis: si & hæc Conventuum portio partita rursus & ipsa non fuisset inter Officia Claustralia & Monachos: nec Regularia unquam Beneficia sæcularibus commendata fuissent, nec ex Regularibus sæcularia evasissent unquam. De Abbatiarum & Prioratuum Commendis alibi sermonem habuimus. Hic jam de minusculis Prioratibus, de Præposituris, aliisque Monasticis Obedientiis investiganda est ratio, qua desciverint in sæcularia Beneficia. Querebatur Innocentius III. de scelerosis Monachis, qui ex Obedientiarum suarum proventibus recondebant sibi, non tam thesauros, quàm instrumenta nequitiæ, ut his pecuniis freti discursarent per orbem, & Romanam adornarent sibi profectionem. *De obedientiis & reditibus, quorum curam gesserunt, pecunia congregata, claustrum abhorrentes per Curias Principum & Potentum discurrere non verentur. Extra. De Offic. Jud. Ord. c.7.* Sed multò æquius idem alibi expostulabat de Canonicis Nemausensibus, qui obrepserant sibi, extorserantque Rescripta, quibus Dignitatibus suis toto vitæ tempore frui sinebantur, quod in libello supplici reticuissent se Canonicos esse Regulares. *Quidam Canonici Nemosensis Ecclesia à nobis literas confirmationis super administrationibus suis obtinere laborant, Religionis sua conditione suppressa. Cum igitur Regularibus personis non consueverit Apostolica sedes aliqua personaliter confirmare, mandamus, quatenus confirmationes, quas ab ipsis Canonicis cum Regulares existant, noveritis taliter impetratas, denuncietis irritas & inanes. Extra. De Confir. utili, vel inutili. c.5.* 6. Egimus alibi de Canonicis Regularibus Cathedralia Capitula obtinentibus. Ejusmodi erat Ecclesia Nemausensis. Hoc verò Decreto patet omnes eos Canonicos ad nutum amoveri potuisse. Erant ex iis socordes & malè feriati, qui se Romanis Rescriptis perpetuari ambirent; at ea subreptitia & irrita fuisse declarat Innocentius III. quòd ea non sit Apostolicæ Sedis voluntas, nervos incidi claustralis disciplinę, quæ hac potissimùm continetur inferiorum constantia in despiciendis temporalibus rebus omnibus, & superiorum potestate in illis ab officio & gradu quolibet depellendis.

Aliquanto etiam acerbius stomachatur Pontifex capite inferiori in Monachos illos, qui Rescripta venditabant Romana; quibus fulti Prioratus suos & Claustrales administrationes in omne vitæ tempus retinere sinerentur. *Plures ex Religiosis, qui Prioratibus & aliis administrationibus prasunt, à nobis super ipsis quoad vixerint possidendis confirmationis literas se asserunt impetrasse.* Testatur autem Pontifex, nulla esse ea Rescripta, si eorum Monachorum Religio non sit expressa; si expressa sit, falsa esse Rescripta, falsarios Monachos, quod ab Apostolica Sede nulla proficiscantur Rescripta ejusmodi. Priores de quibus hic agitur, & Abbatibus suberant, & simplices erant, atque revocabiles Administratores. Id rursus alibi admonet idem Pontifex, ubi prohibet Obedientias ad vitam dari, in quibus & hujusmodi Prioratus complectitur: *Nec alicui committatur aliqua Obedientia perpetuo possidenda, tanquam in sua sibi vita locetur; sed cum oportuerit amoveri, sine contradictione quolibet revocetur. Prior autem pra cateris post Abbatem potens sit in opere & sermone, &c. Extra. Monach. c.6.*

II. Monachi ergo ipsi perpetuari se voluere in Prioratibus, Præposituris, Decanatibus, aliisque Obedientiis & Administrationibus, aliàs temporariis, & arbitrio Superiorum revocabilibus; & quò eam perennitatem consequerentur, subreptitiis, aut commentitiis grassati sunt Pontificum Rescriptis. Et importunitate quidem ipsi sua potuere ejusmodi aliqua extundere Rescripta; sed cum ei perpetuitati Beneficiorum non bene conveniret cum Monastica professione; hinc vel ipsi ansam dedere Clericis sæcularibus, ut ab Apostolica Sede impetrarent ea Beneficia, quorum perpetuitas non satis consentiret Monasticæ paupertati, & professioni. De simplicibus hic sermo est Monachis, quia Abbates & Priores Conventuales, primario ex instituto suo perpetui semper fuere, nec nisi Canonico dejici potuere judicio. Expeditissima est autem ratio. Insitum enim & medullitus infixum quid est religioso statui obedientia. At unum necesse est præesse, cui cæteri morigerentur. Itaque ut jure reliquæ obedientiæ dicantur, necesse est perpetuam & constantem esse Abbatum dignitatem. Ea est vetustissima Ecclesiæ & Monasteriorum Disciplina.

Sed si commendari cœpere Clericis, tum Abbatiæ, postquam seposuerant sibi Abbates fundos reditusque à mensa communi discretos; tum Officia quoque ab eis usurpata Claustralia, postquam ea Monachi ipsi perpetuo jure, non jam revocabili, possidere voluerant; quod ea & propriorum sejunctim redituum possessio, & perpetuitas, Clericis magis consentiret, quàm Monachis; nihil ejusmodi tamen de simplicibus Prioratibus æstimandum est. Certissima enim illa ratio & Romanos compulit Pontifices, & Concilia, ut hos Clericis mallent sæcularibus, quàm Monachis commendari, quòd non tanta illis suppeteret copia proventuum, quanta duobus saltem, vel tribus Monachis alendis satis esset: vetuerunt autem Monachis Concilia, ne Solitarii usquam degerent. Ita enim decrevit, aut ejusmodi decretum confirmavit Synodus Lateranensis III. sub Alexandro III. *Can.10. Monachi ne singuli per villas & oppida; seu ad quascumque Parochiales ponantur Ecclesias; sed in majori Conventu, aut cum aliquibus fratribus maneant; nec soli inter saculares homines spiritalium hostium conflictionem expectent; Salomone dicente, Vę soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem.* Observat autem Innocentius III. in Decreto quodam suo, hoc Canone contineri Monachos tantùm, non Canonicos Regulares, quos tamen hortatur, ut socium Regularem secum habeant, *si commodè fieri poterit*, in Ecclesiis, quarum Parochias administrant: ut mutuo se confoveant solatio. *Unum Canonicum Regularem secum habeant ad cautelam, cujus in his, qua Dei sunt & regularis observantia tam consortio, quàm solatio perfruantur. Extra. De Statu Monach. c.5.* Ejus autem discriminis ratio ex Innocentio inde expeditur, quod Canonici Regulares, non ita solitudini & silentio devoventur, ut Monachi, sed *Regula serviunt laxiori*. De Prioratibus ergo Monachorum explanandæ sunt duæ Honorii III. De-

cretales, quarum una refellit Privilegium fictitium Abbatiæ in Episcopato Venetensi (De Rieux.) Armoricæ, ut sibi fas esset in Prioratibus sui juris unum dumtaxat collocare Monachum. *Occasione literarum Apostolicarum asserunt sibi esse concessam, ut in singulis ipsorum Prioratibus singuli Monachi commorentur, si placitus non suppetunt facultates eorundem. Extra, De Capellis Monach. c.3. 4.* Respondet Pontifex irritum esse id privilegium, cum Canoni inimicum sit Concilii Lateranensis, nec ejus meminerit. Altera ejusdem Pontificis Decretalis est Epistola ad Burdegalensem data Episcopum, qua jubet, ut Monachos suos cogat, vel Prioratus suos minusculos Clericis commendare sæcularibus, vel Monacho, cui eos conferent, addere socium semper Monachum. *In quibusdam Prioratibus habitant solitarii. Ideoque mandamus quatenus ipsorum Abbates, seu Priores, ut vel ipsos ad Claustrum revocent, facientes in ipsis Ecclesiis deserviri per Clericos sæculares; vel alios Monachos eisdem adsocient, cum quibus vitam possint ducere Regularem, monitione præmissa per censuram Ecclesiasticam compellas.*

III. Hinc probabilis admodum existit conjectura, cœpisse tam Abbates ipsos Clericis sæcularibus commendare Prioratus illos tenuiores, & alendis duobus saltem Monachis impares. Id ipsum elucescet ex alio ejusdem Pontificis Decreto. *Extra, De Statu Monach. c.8.* Admittebant sua sponte in suis Cœnobiis Abbates Clericos, qui Præbendarii sibi fierent, & adeo penitissimè admitterentur in arcana administrationis totius consilia, ut ei rei modum aliquem imponere coactus fuerit Pontifex, jusseritque hos Clericos suis Præbendis contentos esse, obsequia præstare, quæ in se recepissent; de cætero ne ejusmodi Præbendæ in Cœnobii Clerico cuiquam annuerentur. *Præcipimus quoque, ut in nullo Monasterio ad Præbendas recipiant de cætero Abbates & Monachi Clericos sæculares. Nec hi, qui jam recepti sunt, vocem, vel locum in Capitulo, Dormitorio, vel Refectorio seu Claustro sibi vendicare contendant, seu Monachorum cœtibus importunè se præsumant miscere; sed Beneficiis sibi contenti concessis, convenientur honestè opportuna obsequia in Monasteriis fideliter impendentes, nihilque altra in temporalibus aut spiritualibus exigant in ipsis Monasteriis, vel usurpent.* Non ita alienum erat agrestes Prioratus simplices Clericis concedi, quàm Præbendas in ipsis Cœnobiis, ubi Monachorum interioribus secessibus & congressibus parum tempestivi interveniebant. Monachi utrumque factitabant, Pontifex alterum confirmat, alterum prohibet.

IV. Decretalia alia in Clementinis, jam tum tempore Concilii Viennensis docet Clemens V, complures fuisse Prioratus, Administrationes, & alia Beneficia origine Regularia, quæ solerent Abbates Clericis sæcularibus conferre, cum alia conferrent Regularibus. Edicit porro Clemens, nisi ea conferant Abbates, ubi vacaverint, tempore præfixo in Concilio Lateranensi III. Episcopos eorum supinitati obviaturos, & Priora Clericis, posteriora Beneficia Regularibus collaturos. *Negligentiam super hoc suppleant eorundem; Prioratus, Ecclesias, Administrationes & Beneficia hujusmodi, illa videlicet, quæ consueverant per sæculares Clericos gubernari, sæcularibus Clericis; alia verò quæ Religiosis dumtaxat committi sunt solita, vel conferri, Religiosis Monasteriorum, quorum Prælati hujusmodi negligentes fuerint, conferendo. In Clement. De Supplem. neg. Prælat. c.5.* Si dederant olim Abbates Clericis, & Præbendas in Monasteriis, & Prioratus ruri, poterant & Præpositutras eisdem contulisse, & Decanatus, & alia Claustri Officia, Clemens V. adeo non prohibet, vel coarctat eas concessiones, ut fecerat Honorius III. ut illas confirmet, quòd & increbuissent jam Commendæ, & in dies singulos invalescerent.

V. Sed illud mirabile non injuria videbitur, quod id Pontifex legibus Concilii III. Lateranensis super Beneficiis Ecclesiæ omnibus, subjiciat Administrationes Claustrales, quæ Beneficia non erant, sed arbitrariæ & revocabiles Obedientiæ. Valde perspicuum est enim Lateranensi Canone, *Can. 8.*, non constringi nisi Beneficia sæcularia Cathedralium maximè Ecclesiarum, in quibus devolutio fit ab Episcopo ad Capitulum, à Capitulo ad Episcopum, ab utroque ad Metropolitanum, ita ut de Administrationibus Claustralibus litera sit nulla. Et hujus tamen necessariæ innovationis in aperto est causa. Tempore enim Concilii Lateranensis & Alexandri III. in Abbatiis aut nulla prorsus, aut rarissima erant partitionis bonorum, & Beneficiorum vestigia. Temporalia omnia potestati & arbitrio suberant Abbatis juxta Regulam, Officiales omnes ab eo ad rationes faciendas vocabantur, ab eo amovebantur, nihil propriè à quoquam, omnia in commune possidebantur ab omnibus. Itaque Regulæ omnia & vetustissimarum consuetudinum paci permittebantur. At ævo Concilii Viennensis plerisque in Monasteriis partitio facta fuerat rerum; erant Abbatibus, erant Claustralibus Officiis, erant & non rarò Monachis suæ separatim portiones fundorum, aut proventuum; in hæc omnia alicubi Monachis successerant Clerici. Itaque finitima hæc erant cæteris Beneficia, suoque jure utraque Pontifex permiscuit, & iisdem legibus regi voluit. Id enimverò extimescendum est congregationibus novis omnibus, tam regularibus, quàm sæcularibus, ne diuturna non sit illa suavitas pacis, tranquillitasque, qua gaudent inter sui fervoris primordia, & purioris disciplinę, nullis obnoxię legibus illis, & tricis, litibusque, quibus Beneficia reguntur. Tandiu ea gaudebunt nimirum, quandiu temporalia omnia in commune obtinebunt, insument usibus Sanctissimis, charitati, & religionis, quibus institutione ipsa sua consecrata sunt. Contextio hujus Decreti manifestissimè declarat, una ex temporalium partitione scaturisse sollicitudines illas & judiciorum litiumque tempestates, quibus Beneficia vexantur. Jubentur enim Episcopi prohibere, ne Abbates post eas procrastrinationes mensę suę uniant Prioratus, Parochias, Administrationes & Officia, ubi jam inveteravit mos statuendi peculiares administratores. *Ne applicent mensis suis, &c.* Administrationes istę separantur ab iis, quæ jam unitæ sunt mensæ Abbatum; *Quæ non sunt de mensa Prælatorum.* Denique ita sancit Pontifex, ut hi Administratores revocari semper possint à Prælatis Regularibus. *Liberè possint ad Claustrum cum oportuerit revocari.* Quo planum est ubi regulares Conventus remiserant de disciplinæ primævæ sanctimonia, ex parte aliqua toleratum id fuisse; at ubi sibi indeflexa Regulæ observantia constabant, nihil illis molestiæ, nihil negotii facessitum esse.

VI. Cardinalis Ottoboni Legatum in Anglia agentis anno 1248. Constitutiones eodem nitebantur, objectis ob oculos periculis, quibus patent Monachi, cum soli habitant, ut semper Monacho socius adderetur; aut ea Ecclesia, quæ duobus alendis Monachis impar esset, Clericis sæcularibus dimitteretur. *Quod si fortè pauperes habeant Ecclesias, quæ duobus non sufficiant exhibendis, faciant illic per sæculares Clericos deserviri, ut sic nec debitis Ecclesia fraudentur obsequiis, nec Regularis frangatur integritas disciplinæ. Conc. Angl. Tom.2. pag.286.* Erant in Gallus Provinciæ, ubi

ni-

nihil opus erat Conciliorum, Pontificum, aut Legatorum decretis urgeri Monachos, qui sua ipsi sponte plus satis propendebant ad Beneficia sua Clericis commendaoda. Quin & Conciliorum ex adverso authoritate coercendi eraot, ne Clericos iis Ecclesiis suis præficerent, in quibus satis commodè duo Mooachi substeotari possent.

Anno 1276. Concilium Salmuriense hunc edidit Canonem, quo Concilii anterioris decretum confirmatur, ne Clericos subrogarent Monachi in Ecclesiis, ubi Monachi institui, alique poterant. *Præterea licet in predecessorum nostrorum Conciliis fuerit alids ordinatum, de supplendo in Prioratibus Clericis sæcularibus concessis debito numero Monachorum; quia tamen nullum inde fructum invenimus subsecutum; ne fandi locus de cętero, in talibus relinquatur, probibemus, ne quis Abbas, vel alius Prioratum quemlibet in Turonensi Provincia situm, in quo possint* ▪ *minus duo Monachi commodè sustentari, vel consueverint morari, cuiquam sæculari conferre pręsumat. Si secus actum fuerit, id irritum decernentes.* Can.10.

Hæ scilicet erant parvorum Conventuum ruinæ; experti Monachi quanta inde ordiois labes serperet, iis expediri se avebant, illos conferebant Clericis, largiebantur & Laicis, cui malo intercessit Concilium Salmuriense anni 125. *Statuimus, ne Abbates Religiosa loca, etiamsi solitaria fuerint, ad tempus, aut quoad vixeriat, laicis concedant, sed talibus conferant, quòd prædictu locu debito servitio non fraudeatar.* Can.18. Quo videtur copia fieri Monachis, ut ea loca Monachis vel Clericis concredant, dum ne Laicis. Gregorius IX. in Bulla Reformationis Cluniacensium anno 1233. voluit ut in Prioratibus, ubi duo saltem Monachi victitare non possent, alii eorum loco substituerentur. *Ut qui solus est, unus vel plures Monachi socii adjungantur, si loci suppetunt facultates, alioqui revocetur ad Claustrum; proviso quod in eodem loco divina celebrentur honestè.* Bullar. To.1. Nicolaus IV. idem constituit anno 1289. Benedictus XII. anno 1336. in Bulla Reformationis Canonicorum Regularium Sancti Augustini vetuit, ne hi Canonici soli habitarent in Beneficiis, vel Prioratibus simplicibus, quibus nulla imminet animarum salutis procuratio: si duobus saltem alendis Canonicis reditus non suppeterent, jussit eos habitare in Conventibus, quibus suberant ii Prioratus, si modica esset distantia. Si esset immodica, ipsi quidem habitarent, ubi juberet Capitulum, Beneficium alii cuipiam commendareot, qui Clericus utique sæcularis intelligitur.

Hinc summatim illud existit, Beneficia hæc ab ortu suo Regularia, in sæcularia descivisse, volentibus primò, & ita conducere existimantibus Abbatibus, aliisque Superioribus Regularibus, suapte sponte, quibus assensi suot tandem Episcopi, cum aliquando abnuissent. In causa verò fuisse ioopiam & angustias loci, qui Clericum posset unum, non posset duos Monachos sustentare. Fuisse & mandata Conciliorum, Pontificum & Episcoporum, quibus satius visum est ea Beneficia qualibuscumque committi Clericis, quàm in Laicos profanari, vel Monachis offensioni esse, quorum ibi vigor & pietas magoopere periclitaretur.

VII. Idem verò ipse Benedictus XII. anno 1336. Bullam promulgavit Reformationis omnium Beati Benedicti Regulæ sectatorum, qua declaravit, quibuscumque ejus Ordinis Beneficia collata fuerant sive ab Apostolica Sede, sive à Legatis, sive Rescriptis ejus, aut quibus in posterum conferrentur, eos omnes tam posse his spoliari Prioratibus, Administrationibus, Officiis & Beneficiis, quàm si ea illis Superiores Claustrales contulissent. *Prioratibus, Administrationibus, Officiis, seu quibuscumque Beneficiis privari valeant, & ab illis etiam amoveri ex causis rationalibus, ac si per Superiores suos de suis Beneficiis eis foret provisum.* Cap.32. Centum ante annis per cuniculos nescio quos adrepebant Monachi, ut suis in Administrationibus à Sede Apostolica confirmarentur, ne his depelli & revocari possent. Obsurduere Pontifices ad ejusmodi postulationes. Sæculo XIII. magis magisque labefactata disciplina, impetrari à Pontifice & à Legatis ejus cœpere Beneficia & Officia Claustri. Id tamen, ut vides, retentum est, quantumvis à Pontifice ad ea Officia provecti, à Superioribus Regularibus amoveri possent. Sed difficillimum erat eam clausulam ac moderationem diu vigere. Ambitiosior enim Monachus, qui Pontifici obrepserat, exculpseratque Provisionem Statutis Monasticis adversantem, facilè eadem authoritate, quod semel extorserat, vindicabat.

VIII. Nihil in præteritis reliquere Abbates Cluniacenses, quo has Monachorum cupiditates & præstigias præverterent. Anno 1200. Hugo V. Abbas Statuta compilari fecit, quibus juniores Mooachi Prioratibus arcentur, donec diutina ponant tyrocinia: qui obedientias vel Beneficia flagitabant, eos bæc ipsa prehensatio summovebat; quin & acerbioribus poenis subjiciebantur, si ineptas ejusmodi preces iterarent. *Ut suis desideriis satisfaciant, Obedientias petunt vel sibi reditus assignari. Statuimus, ut ipsis in hujusmodi petitionibus nullus præbeatur assensus; immo si commoniti non destiterint graviori disciplina subdantur; & qui habuerint, amittant taliter acquisitus.* Bibl. Clun. pag.1460. 1465. 1466. Statutum est, ut qui Magnatum sęculi favorem & preces interponerent, ad eblandiendas qualescumque Obedientias, ii nec his, nec ullis aliis eoaono dooari possent. *Interventu sæcularium committi sibi Obedientias vel Prioratus exposcunt. Statuimus ne ullus taliter quemlibet petens honorem, unquam illum obtineat, vel alium infra unaum.* Placuit ut Prioratus, Decanatus, aliæque Administrationes gratis & uni pietati ac virtuti donarentur; ne nisi rationabilibus causis abdicarentur, qui donati illis fuissent; nec ullius unquam momenti habendas confirmationis qualescumque literas, ne unquam amoverentur. *Literis eos non oportet iuniti, quamvis de non removendo litteras habeant confirmationis.* Statutum est, ne Prioratus darentur, maximè Conventuales, nisi Presbyteris, vel iis, qui intra annum eo Ordine initiarentur, alioqui exauthoratum iri. Voluntati & arbitrio Priorum subjectæ sunt Obedientiæ prorsus omnes. *Ut omnes Obedientia sint in manu & dispositione Priorum, qui adjunctis sibi quos voluerint adjutoribus, faciant sicut viderint expedire.* Vetitum ne quis fundus ad vitam Monacho daretur. *Nec nostris ullum monasterium ad hæreditatem vel vitam committatur.* Ibid. pag.1468. 1469. In aliis infrà ibidem statutis observare est, quibus paulatim gradibus in preceps rueret & pessumdaretur disciplina. Beneficia condebantur, perpetuitas illis accedebat, & ea denique rerum copia, quæ sęculares Clericos inescaret. Peti primò cœpere Prioratus & obedientiæ, aut certi quidam reditus. Dum interponi Optimates, ad hęc obtinenda. His accessere chartę confirmationis, ne revocari possent. Et hę primum chartæ à Superioribus Regularibus, mox & à Pontifice expetitę sunt.

IX. Ex aliis statutis, quę idem abscribuntur Hugoni V. aperitur nobis origo eleemosynatii, quæ toto ad sanctimoniam spectare videbatur. Proscindebantur passim Cęnobia, quod reditus pauperibus fovendis dicati aliò detorquerentur. Commen-

dati ergo ii sunt pio & religioso Monacho, qui Deo inspectore & judice eos dispensaret. *Multum vobis à plerisque detrahitur, & utinam immerito, quod res ad eleemosynas pauperum deputatas, in alios usus quàm deberimus, convertimus, &c. Eleemosyna fratris Deum timenti custodienda tradatur, qui omnes reditus in usus pauperum fideliter convertat; qui una ad plus sit equitatura contentus, paucis servientibus, modicis sumptibus: quia quidquid uni ex minimis subtrahitur, Deo aufertur. Nos in hoc animas liberamus, ipsis quibus est hæc cura commissa, de sua administratione Judici omnium Deo, in districto examine responsuris. Delinquentes autem cum compertum fuerit, cæteris acrius puniantur. Ibid. p.* 2474. 2475.

His subjicitur institutio Hospitalarii, cui hospitum cura delegatur. Porro simile veri est ab his non discrepasse institutionem cęterorum Officiorum. Namque, 1. ęquitati & pietati adprimè concinebat delegatio Eleemosynarii pauperum necessitatibus consulturi. 2. Jubetur Eleemosynarius commendatas sibi pecunias omnes in pauperes penitus effundere. *Omnes reditus & proventus in usus pauperum & peregrinorum fideliter convertat.* 3. Impensæ ab ipso Eleemosynario faciendæ præscribuntur, & modico contentus esse ipse quidem jubetur. *Modicis sumptibus;* quod enim nimio plus ille sibi indulget, *Deo aufertur.* 4. Oneratur conscientia Eleemosynarii, ut qui Christo summo Judici rationes facturus sit: *Judici omnium Deo de administratione sua responsurus.* 5. Tum interceditur Superioribus Regularibus, qui Prioratus, Administrationes & Beneficia Ordinis vel Clericis conferebant, vel aliis, quàm ejusdem Ordinis Monachis. Ex quibus efficitur, non successisse tantùm Clericos Monachis alicubi in has Administrationes, sed & in onera earum successisse, & eisdem sanctissimæ administrationis legibus mancipatos fuisse. Unde & parvo sui cultu victuque seposito, reliqua omnia jubentur expendere in pauperes, in hospites, in misellos quosque. Multò posteriora fuere Statuta Henrici I. Abbatis: anno enim 1308. ille creatus est Abbas, & monentur tamen Administratores & Beneficiarii omnes Ordinis non aliud, quàm patrimonium pauperum penes illos esse depositum. *Exhortamur Abbates, Priores & cæteros Administratores Ordinis nostri, quibus sicut & aliis Ecclesiæ Prælatis concessa est potestas facultates Ecclesiæ sanctæ Dei dispensandi, non distrahendi, vel dilapidandi, quatenus rebus & bonis hujusmodi, tanquam commendatis, non propriis utendo, res ipsas & dicta bona fideliter dispenset; expendantque in usus pios, licitos & honestos; nihil de rebus & bonis, dictis, quæ sunt ministrorum & pauperum Christi bona dilapidando, &c. Ibid. pag.* 1478. 1479. 1564.

Salubesrima hæc erant monita, sed ex iis tamen elucet, jam ita collapsam fuisse disciplinam, ut Abbates, cæterique Administratores, fidei suę & conscientiæ dimitterentur, nullis cuiquam redditis rationibus; non aliter, quàm jam inde ab anno 1200. cum Eleemosynario dispensatum fuerat. Sed Eleemosynarii & aliorum Administratorum diversissima longè ratio erat. Cum enim de Conventibus ipsis expostulatum fuisset, eisque passim obtrectaretur, quod pauperum portionem suos ipsi privatos in usus deflecterent, ea portio pauperum sejungenda penitus fuit. Adde quod quàm pauperum ipsæ necessitates, tam & eleemosynæ latere plerumque debeant. Hinc adductus est Joannes de Borbonio in Statutis suis Reformationis anno 1458. ut Abbates omnes, exceptione nulla, ne Abbatis quidem Cluniacensis, juberet ut sæpius anno quolibet dati & accepti rationes exhiberent, ut suprà jam attigimus. Iisdem Statutis sancitur, ut reditibus Sacristiæ & sacris Ecclesię vestibus dicatis, quarta pars ipsi Sacristiæ condonetur, tres reliquę portiones reparandis & ornandis Templis impendantur. Non temerè conjiceret quis, reliquis Administratoribus hunc eundem modum tenendum fuisse in dispensatione commendatorum suę fidei proventuum. Denique his Statutis concerpitur nova illa consuetudo, & in dies singulos magis magisque invalescens, Clericis dandi, vel Laicis eas Administrationes, quæ Monachis mandari tutò possent. *Inhibemus districtè, ne de cætero personis sæcularibus, Clericis, vel laicis dentur aut tradantur aliquatenus Prioratus, vel alia loca, ubi Monachus seu Monachi consueverunt morari. Ibid. pag.* 5604. 5608. 1612. Si excipias autem vetuisse Concilia, ne Monachi soli quovis in Beneficii domicilio habitarent; reponam & ego jam in his statutis obviatum fuisse ei discrimini. Jussum enim fuerat, ut ubi duo saltem Monachi vitam tolerare non possent, ea loca superioribus Conventibus unirentur, sacra autem ibi ministeria obirentur per Vicarios. *Et ubi non possunt esse duo Monachi, sed solùm unus, quia facultates non suppetant, talia loca, si fieri possit sine scandalo, sunt revocanda ad manus Superiorum, proviso nihilominus in hoc casu, quod in locis talibus more solito celebrentur divina.*

X. Extinguendis funditusque subruendis Administrationibus minùs utilibus, aut periculosis, Sedis ipsius Apostolicæ authoritatem interposuere Abbates & Priores; bellè omnino si non interposuissent & ad ea, quæ Regulari disciplinæ subinfesta erant. Anno 1362. Prior Sancti Martini de Campis in Prioratu Sancti Dionysii de Carceribus in Civitate Parisiensi, Officium Sacristæ extinxit, ejusque reditus ei Prioratui adjunxit, quod Officium id toleratum dumtaxat fuisset citra necessitatem. *Cum in veritate nunquam fuerit ibi tale Officium intitulatum, nec per nos statutum, seu ordinatum, sed solùm toleratum temporaliter de munificentia & permissione Prioris dicti loci sub certis oneribus & servitiis, &c.* Anno 1388. impetratum est Rescriptum Clementis VII. ad Officium Sacristæ expungendum, quanquam nunquam ulla stata & certa fuisset ejus Officii institutio: *Et nihilominus declaraverunt nunquam, Officium Sacristiæ fuisse in eodem Prioratu intitulatum, seu per eos statutum, vel etiam ordinatum. Hist. Sancti Martini de Camp. pag.* 333. 373. Ubi perspicis, ut Monachorum aviditate, & privatis atque inconsideratis Superiorum affectibus instituerentur quandoque Administrationes istæ, nulla satis gravi necessitate, & sensim sine sensu in Officia, in Beneficia convalescerent, & ingenti annuorum proventuum copia affluerent. Anno 1410. Abbas Cluniacensis Sacristiam Invillanam univit Prioratui ejusdem loci; sed multò frequentius creata ejusmodi sunt officia, nec sine Pontificum interventu.

XI. Plurimum & lucis & præsidii his omnibus conciliari potest, prolata Pii V. Bulla, qua anno 1568. Cruciferorum Ordini arctiorem disciplinæ formam indixit. Fatetur enim Pontifex ejus cœtûs Prioratus, Hospitalarias, cæteraque Officia nonnunquam ab Apostolica Sede collata iis fuisse, quibus in eodem Ordine plura adessent virtutum & meritorum suffragia, ad ipsius Ordinis compendium & dignitatem; postea Regulares ipsos incredibili aviditate omnia prorsus divisisse, & possedisse, in Titulum, vel in Commendam. *Ubi verò primùm Prioratuum, Hospitalium, & locorum prædictorum cura perpetuò certis quibusdam ed fortè promeritis aut Religioni maximè utilibus, de benignitate seu providentia Sedis Apostolicæ demandata est, ea tunc demum cupido tam multorum animos incessit, ut illa ferè omnia aut in Titulum, aut in Commendam perpetuam variis prætextis causis sibi paulatim usurparint; & qui illa sic postea possederunt, minùs*

mo-

morigerè atque obedientes suis Superioribus effecti, fructus, qui priùs ad publicam utilitatem commoditatemque Religionis, & in alendis pauperibus dispensabantur, proprios sibi fecerant, profanis etiam usibus applicantes. Bullar. tom. 2. pag. 59.

Certissima ea est descreptio ruentis disciplinæ Regularium Ordinum, temporalium partitione, Officiorum Claustralium emersione, & erectione in Beneficia, vel in Commendas. Addit Pontifex, ab Innocentio VIII. & Clemente VII. ei Ordini assertam fuisse bonorum temporalium communionem, & Regularem observantiam, rescissis Titulis omnibus peculiaribus & Commendis, congestis in unum penu bonis omnibus, jussisque posthac Prioribus & Officialibus omnibus triennali tantùm administratione defungi. At cum ea disciplinæ ratio in mores invecta non fuisset, innovari à se omnia eorum Pontificum Decreta, revocari provisiones omnes, si quæ datæ essent Beneficiorum Ordinis, temporalia omnia in unam communem redigi mensam, constituitque, ut à Capitulo Generali tertio quoque anno habendo eligeretur Præpositus Ordinis Generalis, cujus administratio non ultra triennium protraheretur: eligerentur & tres Priores cuique Prioratui, quorum primus primo, secundus altero, postremus tertio anno Prioratûs munere fungeretur. Difficile erat majori vel sapientia, vel pietate obviare morbis omnibus, qui ex temporalium divisione, & Beneficiorum in Monasteriis creatione inoleverant, latiùsque in dies serpserant.

XII. Illud certè non opis est nostræ divinare, an recentiores ab annis centum vel ducentis Congregationes, quæ hanc eandem triennii legem Dignitatibus & Officiis suis circumscripsere, constantia & strenuitate majore futuræ sint, quàm antiquæ, ad propulsandas illecebras partitionis bonorum, & inde scaturientis Beneficiorum institutionis. Longo sæculorum decursu usuveniunt, quæ ne in suspicionem, aut ne in cogitationem quidem venire potuissent. Sed quandiu tamen pendet eventus, & res in ancipiti est, æquius est bene ominari. Quin & hoc constat, ipsa maximè Officiorum Claustralium perpetuatione perfectam & absolutam fuisse Regularium Beneficiorum institutionem. Perpetuationem dixi, quod quanquam revocari possent, nec Administratores, Priores Officiales ulli essent, qui non possent reapse amoveri, erant illi tamen suo quodam modo perpetui, quòd nullum iis certum tempus præfixum esset, & rarò ea committerent, quibus meritò depelli Officio deberent: vel rarò certè in eos tam scrupulosè inquirebatur. Guimierium in Glossa Pragmaticæ hæc non fefellit ratio perpetuitatis Officiorum & Beneficiorum Regularium. *Dicitur perpetuum, quod rerum tempore non limitatur, etiam si detur ad beneplacitum Superioris. De Collat. §. Item quod ad dictar.* Dixi autem hac perpetuatione quasi ultimam manum adhibitam esse constitutioni Beneficiorum Regularium. Fundamenta enim eorum jam inde jacta fuerant, cum divisio facta fuerat rerum Ecclesiæ, ac distributio in Officia Claustri: progressio verò illa eorum fuerat, ubi destitum fuerat rationes reddi. Nihil erit quod meritò reformident Congregationes novæ, quandiu velis remisque ab his tribus scopolis declinabunt; à partitione rerum inter Officiales, cessatione exigendarum & reddendarum rationum coram Conventu, vel Officialibus, & à perpetuitate Officiarium.

XIII. Reconditioris certè prudentiæ fuit illa, quæ non ita dudum convaluit & latè pervagata est Triennii lex. Prioribus Ecclesiæ sæculis, ad unitatem, & ad Monarchiam vergebant omnia, quòd adventasset è cœlis allapsus ipse cœlorum Rex, cœlestem Monarchiam in terris instituturus: & in gloriæ suæ supernam revolaturus sedem, Ecclesiam suam universam uni Apostolorum Principi commisisset, & ejus successoribus, Ecclesias singulas singulis Apostolis, & successoribus eorum. Ejus Monarchiæ cum lex & ingenium esset suavitas, charitas, humilitas, moderatio, nihil hic erat quod civium libertatem terreret. Itaque hujus ministri omnes, Parochi, Archipresbyteri, Archidiaconi, Abbates, Beneficiarii denique omnes priorum & meliorum Ecclesiæ sæculorum perennes fuere. Temporum intercapedine illapsæ in mores hominum pestes coegerunt remedia alia & alia conquirere. Itaque in Congregatione primùm Cluniacensi, quæ omnium sanè prima fuit plurium Cœnobiorum in unum corpus sub uno Abbate summo coagmentatrix, plures postea sui similes & imitatrices habitura: in ea inquam, primùm Congregatione constitutum est, ut Administratores & Officiales omnes ad nutum revocari possent. Conciliorum Canones & Constitutiones Monasticæ in hoc veluti temperamentum conspiravere, ut Administratores hi omnes amoveri possent, nec amoverentur tamen, nisi vel gravior culpa aliqua vendicanda esset, vel præcellentior quædam illis dignitas adscribenda. Cum ergo etsi revocari possent, rarissimè tamen revocarentur, eòque quomodocumque perpetui essent, hinc illis exitialis occasio, ut reditus Officii sui sibi vindicarent ipsis, & à reddendis rationibus se tandem subducerent. Consultissimè ergo Triennii lege propulsata sunt mala, quæ perpetuitas importaverat: nec immeritò videri potest medii ævi perpetuitas perfunctoria, quasi medium quendam locum tenuisse, inter verissimam priorum sæculorum perpetuitatem, & posterioris hujus ævi regulam nunc Triennii pervagatissimam.

Omnium primus & princeps videri potest Innocentius VIII. hanc triennii regulam promulgasse in Cruciferorum expurganda à compluribus nævis Congregatione, ut modò à nobis narratum est. Certè testatum facit Pontifex innovari tantùm à se primævum in eo ejus Ordinis institutum. *Non ad vitam, sed ad triennium dumtaxat, juxta primævam institutionem.* Sed addubitare posset aliquis, annon à Pontifice primæva dicatur institutio, ne ad vitam darentur Officia: ipse verò triennalitatem definierit. Clemens VII. ulterius aliquid molitus est. Voluit enim tres Priores cuique Cœnobio deligi in Capitulo generali, quorum singuli singulis mox annis præessent, dum sequens coiret Capitulum. Idem & à Pio V. confirmatum est. Pleræquæ Congregationes post Tridentinum eidem inhæsere trienii regulæ. Non multò post finem ejus Concilii Franciscani in Capitulo suo Generali multa commentati sunt Capita reformationis, quæ Pius V. confirmavit anno 1565. In illis unum est, quo Abbatissæ triennales jubentur esse. *Sed neque Abbatissa aliqua perseveret ultra triennium, nisi pro reformatione aut aliqua maxima Monasterii utilitate, sed expleto termino triennali ad nova Abbatissa electionem procedatur, nulla consuetudine in contrarium faciente Pii IV. Constit. 103.* Bullam aliam publicavit Gregorius XIII. anno 1583. ubi cum enarrasset, quantum dispendii emergat ex perpetuitate Abbatissarum, quantum compendii & ornamenti efflorescat ex earum triennalitate: *Perpendentes varia & multiplicia damna quibus plerumque afficiuntur Monasteria Monialium, quæ per Abbatissas vel alias Præfectas perpetuas reguntur; è contra verò Abbatissas, & alias Præfectas triennales, scientes se lapso termino administrationis suæ rationem esse reddituras, majori studio regimen Monasteriorum gerere:* constituit tandem Pontifex, ut in omnibus Monasteriis Ordinis Sancti Benedicti, Cisterciensium, Chartusianorum, omnium denique Italiæ & Si-

Siciliæ Ordinum, jam non eligerentur Abbatissæ, vel Præpositæ quævis, oisi ad triannium, cum potestate alias post triennium eligeodi. *Qua elapso triennio praesse desinant.*

CAPUT XXVIII. *P.4. l.4. c.27.*

De partitione bonorum & terrarum Ecclesiæ, inter privatos Beneficiarios, post annum Christi millesimum.

I. Samma partitionum hactenus descriptarum.

II. Episcopi fundis Ecclesia laicos sapè donabant. Concilia illum interdum tenebant modam, at jaberent taatùm, nonnisi Clericis posthac dari.

III. Sed & ipsi Clerici ia fandos Ecclesia quandoque invasere.

IV. Capitalorum Digaitates probabiliter priores aliquid sibi fundoram arripueruat.

V. Qui fandos dederaat, ia modum precarii eos retiaaeruat.

I. PLuribus supersedere poteramus. Unde nec nisi paucissima hìc, quasi ad cumulum addemus. Primis enim inter Episcopos & Capitula partitionibus, fundi ipsi, & agri inter eos divisi sunt. Et ubi rursùm Capitula inter Caoonicos alias aliasque distribuerunt Præbendas, fundi quoque ipsi Capitularis mensæ distributi suot. Sui quoque Parochiis & Xenodochiis assigoati sunt agri. Nec verò potuere Abbates à Conventus mensa suam divellere, nisi suis utrique fundis attributis. Et ubi rursum Conventualis ipsa mensa repartita fuit inter Officia Claustri, unde ranta Regularium, tanta & sæcularium Beoeficiorum copia propagata est, ostensum est suprà factum id esse, adsignatis, cuique Officio, Prioribus, Decaois, Præpositis, Eleemosynariis, Sacristis, & aliis quibuscumque, fundis, decimis, Ecclesiis Parochialibus. Ne Capellas quidem erigi concessum est, aut in Viearias cum regimine aoimarum evehi, vel in Parochias, nisi idouea fundorum dote assignata. De his bactenus.

II. Pauca admodum supersunt. Hinc ordiar porro, quod probabile in primis sit, sæculo x. & xi. bene multos Ecclesiæ agros ab Episcopis assignatos fuisse Clericis, cum tam largè iis laicos ipsos munerarentur. Eo malo exulceratus Otto III. edictum promulgavit, ubi illud statim præfatur, binc Episcopos excusationes nescio quas aucupari, quod prædecessores sui tantam agrorum Ecclesiæ copiam dilargiti essent, ut jam sibi non suppeteret, quo oneribus & expensis satisfacereot, pro Ecclesiæ & Imperii defensione defungendis. *Dum pro domorum Dei restaaratione, & pro Reipublica officio, nostroque officio commonentar, saarum Ecclesiaram pradia ab aliis detineri caasantur; seque imperata non posse perficere revera demonstrant. Collect. Rom. Holste.* Jubet autem Imperator, ut iis concessionibus locus non sit, nisi dum Episcopus superstes est, nec iis teneatur successor. Eos autem Episcopi Ecclesiæ agros largiebantur favori, cognatiooi, pecuniæ. *Non ad atilitatem Ecclesiarum, sed pecania, & affiaitatis, & amicitia causa.* His stimulis agebantur Episcopi, ut etiam lubentius Clericis darent, quibus cognatione, vel amicitia ionexi essenr, & quorum ipsa professio eas largitiones ab iovidia & obtrectatione purgaret.

Voluit quidem Concilium Bituricense anni 1031. ut Parochiæ suę fuudos, seu feudum Presbyteralem Parochi obtinerent; sed molestissimè tulit hos feudos vel ab Episcopo dominis vicorum conferri, vel ab his in Parochos usurpari. *Ut sacalares viri Ecclesiastica Beneficia, quos fevos Presbyterales vocant, noa babeant super Presbyteros.* Concilium Turonense anni 1060. luculentius declarat, hęc eadem Beneficia priùs ab Episcopis vario quęsito colore laicis concessa fuisse, quę nisi Clericis posthac largiri à Conciliis probibiti sunt. Nulla & irrita hic fore decernitur concessio, quæ pecunia facta fuerit, aut illicitis conveotionibus. *Pecaaia, aut aliqua inconveaiente conventione, aat quolibet modo contra Canonicam censuram. Can.21.* Cum obtineri oequeant ex Canonicis Constitutionibus Beneficia, nisi à Clericis. *Aut ministeriam vel Beneficium, quod aonnisi Clericos habere Sanctorum Patram sancivit aathoritas. Can.1. 2. 3.* Satis innuitur, eo peccatum esse, quòd Beneficia Clericis solis addicta, aliis, quàm Clericis conferrentur. Ex Canone sequeoti uberior etiam infunditur lux. Edicitur enim, ut si Prælatus præter Canones, aut Beneficium conferret, aut Prębendam, aut Canonicatum, intercedant Clerici, & ab eo appellent ad Pontificem, vel ad viciuos Episcopos, *Si Episcopus aat Pręlatas qailibet contra præfixam regalam aliquod Ecclesiasticum Miaisterium, vel etiam ipsam Prabendam, qua Canonica dicitar, ordinare aut dare voluerit, liberè liceat Clericis contradicere.* Cauone denique proximo probibentur Prælati vendere, aut dare oova Ecclesię Beneficia, hoc est alienare, quod id tentari vetent Cauones. *Nallas Episcoporam vel Pralatoram aliquod aovum Beneficiam de rebus ad jas Ecclesia pertinentibas ulterias prasamat contra Canones alicai vendere, aut dare. Qaicamque hactenus alienare prasumpsit, &c.* Atqui non vetabant Canones aliquo Ecclesiæ agello pręmiari Clericos; nec quod dabatur Clericis, id alienabatur, cum post eorum obitum Ecclesiæ redintegraretur. Non aliò ergo hæc vergunt, quàm ut ne laicis dentur Beneficia, quæ non cadunt oisi in Clericos; vel deoique ur in dispensandis Beneficiis Episcopi Clericos laicis præponant.

III. Occupabant & ipsi aliquando Clerici largitionem Episcoporum, uti & laici, & fundos Ecclesiæ involabant: quo nunquam tamen legitimus Beneficii Titulus conflabatur, nisi illum Episcopus coofirmasset. In Concilio Uxellodunensi anno 1081. contulit Archiepiscopus Bituricensis Monasterio, quidquid rerum Ecclesiæ laicis extorserat, & quidquid vel laici posthac, vel Clerici essent restituturi. *Quoram partem ipse per authoritatem officii nostri laicis, qui ea rapiaa longo tempore detinaeraut, eripai; de aliis omnibas, qua adbuc laicali, vel Clericali etiam violentia aafiruntur, quando restitaeatar, taudem pradicto Moaasterio concessionem faciat.*

IV. Dignitatibus primò Capitulorum assignatum est fundorum & agrorum aliquid, antequam tota Capitularis mensa in partes dissiliret. Confirmavit Alexander III. Capituli Cathedralis erectionem ab Episcopo Alexandrino factam in propria ejus Ecclesia. Dignirates ab eo institutas firmavit, Præpositi, Archipresbyteri, Cantoris: *Siagulis pradictas dignitates Apostolica aathoritate confirmamus. Epist.54.* Denique confirmavir & Canonicis complurcs Parochias illis assignatas. *Praterea Ecclesias usibus vestris Canonicis depatatas; scilicet Sancta Maria, &c. Vobis nihilominas daximus confirmandas.* Ut in Monasteriis cœperant Abbates separare suam sibi mensam; tum ejus exempli contagione afflari Officiales Claustri fundos inter se partiti fuerant: extremi omnium Monachi fundos, vel reditus haud sanè magnas assecuti erant. Ita oon distat à veri similitudine, in Ecclesiis Cathedralibus initium ab Episcopis fa-

ctum

dum esse, tum Dignitates suam sibi quoque fundorum vendicasse partem, & denique singulos Canonicos in partem ipsos quoque venisse communium antea Præbendarum.

V. Nec abhorret à verisimili, qui se Ecclesiæ cum patrimonii sui parte addicebant, eos in titulum Beneficii accepisse hos ipsos fundos suos, vel alios quosvis etiam in morem præcarii. Jussit Alexander III. ab Episcopo Verulorum auferri Officium & Beneficium Subdiacono, qui impos sui & continentiæ, impatiens habebatur, ea lege, ut si quid agri Ecclesiæ attulisset, dum ad eam accederet, illi totum refunderetur. *Sanè si Ecclesiis quibus attitulati fuerant, de possessionibus, aut aliis bonis suis aliqua contulisse noscuntur, cum ab earum Ecclesiarum Ministerio fuerint & Beneficia sequestrati, ad ipsos rectu via dominium & proprietas illico debet absque ulla contradictione redire. Append. Conc. Late.3. part. alt. c.7.* Anno 1233. in Concilio Biterrensi vetitum est, ne cum sese quis addiceret Monasteriis, adjiceret & temporalia bona, spe Beneficii Ecclesiastici consequendi. Eam enim esse simoniacam corruptelam. *Quidam, ut intelleximus, se & sua conferunt Monasteriis, sub spe ut ipsis post modum Ecclesiastica Beneficia conferuntur, quod omnino damnabile est propter maculam simoniæ. Canon.22.* Potest se quis cum rebus suis Ecclesiæ dedere, pia enim illa & religiosa est liberalitas. Possunt ab Ecclesia Beneficia accipi vicissim gratuita, cum grati animi eximia cum primis sit laus. Sed nefas est temporalia Ecclesiæ dari spe spiritalis compensationis Beneficiorum. Ita enim pretio emuntur, quæ nullo prorsus æstimari possunt pretio. Anno 1161. Bernardus Episcopus Tolosanus domioum & dominam d'Escalquens in Canonicum & Canonicam admisit Ecclesiæ Sancti Stephani Tolosæ, ut suprà jam diximus. In classem citra dubium Canonicorum laicorum hic Canonicus, & hæc Canonica referebantur; sed quæ hic ratio describitur accipiendi ab eis dominium proprium prædii alicujus, & restituendi mox ejusdem in usumfructum eadem ipsa est, qua & cum veris Canonicis res transigebatur. Laici enim Canonici ad normam Clericorum regebantur. *Commendamus vobis in obedientia sicut ani de Canonicis nostris commendare solemus, totum illam honorem d'Escalquens, quem tu de proprio honore nobis dedisti. Catel. Memoires du Languedoc. pag.884.* Expressissima res est, & hinc lucis non parum ad Bullam Benedicti XII. pro reformatione Canonicorum Regularium Sancti Augustini anno 1339. cum agit de recipiendis Clericis & Laicis, qui cum Clerici & Laici permaneant, in Canonicos tameo admittuntur in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegialibus Canonicorum Regularium, quibus se suaque daot & devovent. *Prohibemus insuper ae in Ecclesia Cathedrali, seu Monasterio, vel loco alio Religionis ejusdem, quivis Clericus secularis, vel laicus, recipiatur in Præbendam, seu etiam portionem, nisi eidem Ecclesiæ seu Monasterio, vel loco dederit primitus se & sua.* Est quod meritò stupeamus in his, quæ sequuntur. Vetat enim Pontifex dari hanc Præbendam ad vitam, aut ad certum tempus: *Nec hujusmodi Præbenda seu portio ad vitam, vel ad tempus vendatur, detur, seu alias concedatur eidem.* Eius oodi solutio non magnopere forsan abstrusa est. Dabat enim Tolosanus Episcopus Præbendam ad vitam Nobilibus illis, de quibus suprà, quod eos etiam Canonici io societatem suam allegerent ad omne vitæ tempus. At Canonici Regulares nihil concedere poterant, nisi ad quantum tempus Superioribus liberet, quod omnia apud eos nutantia & revocabilia sint. Profitebatur Tolosanus non aliter se habere laicos hos Canonicos, quàm eos qui Clerici & veri Canonici erant. Diximus autem jam quamquam revocabiles esseot ad nutum has Præbendæ regulares, fuisse tamen verò perpetuas, eo sensu, qui suprà explanatus est. Sive Clerici autem sive Laici essent hi Canonici, illud utrisque commune erat, ut ea ipsa prædia ususfructuario jure possiderent, & in Beneficium, quorum proprietatem Ecclesiæ concessissent.



De Pensionibus.

CAPUT XXIX. P.2. l.4. c.18.

De Pensionibus in Oriente, in Italia, in Gallia, in Hispania usque ad annum octingentesimum.

I. Pensiones aliæ fundorum, aliæ redituum.

II. Exemplum pensionis constituta in Concilio Calchedonensi.

III. In eam pensionem varia observationes. A Concilio, à Papa, à Magistratibus instituitur. Non datur nisi quo honestè sustentari quis possit.

IV. V. Alia exempla ejusdem Concilii Calchedonensis.

VI. Pensiones ab Agapeto Papa assignata.

VII. VIII. Assignata & à Gregorio Papa I.

IX. X. Quo tum sensu diceretur Beneficia dividi non debere. De spiritali authoritate id affirmabatur.

XI. XII. XIII. XIV. XV. Alia exempla pensionum, à B. Gregorio assignaturum Episcopis, quos Barbari sais ab Ecclesiis abegissent, vel Beneficiariis desperata valetudinis, eoque functionum suarum jam impatientibus.

XVI. Cur non haberetur tunc ratio, vel annorum, quibus Ecclesia quis ministrasset, vel proventuum Ecclesia, vel tertia redituum portionis.

XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. Ad Ecclesias Gallicanas venitur. Pensiones ex fundis assignata. Abdicatis etiam concessa Beneficiariis.

XXII. XXIII. In Hispania Parochi in Clerum transferuntur Ecclesia Cathedralis, permanentque Parochi primitivi cum pensione.

XXIV. An possint hac conciliari cum Conciliis Calchedonensi & Aurelianensi.

I. Pensiones hìc restant expendendæ, ut quæ & ipsæ pertineant ad rerum Ecclesiæ canonicam distributionem. Erant autem duplicis generis pensiones, aliæ fundis & agris, aliæ proventibus annuis constabant. Priscis enim Beneficiariis concedebantur nunc agri, quorum usufructu sustentarentur, quo & peregrini afficiebantur persæpe Beneficio: utplurimum tamen fructibus tantùm Beneficii ex parte aliqua donabaotur, quos eo solatio foveodos censebat Ecclesia.

II. Exauthorato Domno Episcopo Antiocheno, Maximus ipse, qui subrogatus ei fuerat, à Calchedonensis Concilii Patribus copiam sibi fieri petiit, ut ad ejus sustentationem impartiretur eum portione aliqua proventuum Ecclesiæ Antiochenæ. Compellati sunt autem ab eo Imperatorii Judices, & ipsius Concilii Patres. *Deprecor gloriosissimos Judices & Sanctam Synodum, ut humanitatem in Domnum exercere, qui fuit Antiochia Episcopus, dignemini, & statuere ei certos sumptus de Ecclesia, qua sub me est. Act.10. Con. Calch.* Congratulati sunt Maximo Legati Pontificii, & vehemeoter commenda-

darunt decerpi aliquid ab eo redituum Ecclesiæ suę, quo Domnum deliniret, & quiescere suaderet. *Ut sumptus ei de sua Ecclesia, miserationis intuitu, prout æstimaverit, largiatur; ut contentus alimoniis quiescat in posterum.* Assensi sunt & Patriarchæ cæteri, Episcopique omnes, ac denique Judices ipsi applausere. *Amplectente Sancta Synodo arbitrium Maximi, & nos eidem consentimus, ejus arbitrio derelinquentes, quæ sunt de Domni honorificentia.*

III. Cum hoc primum obvium se dederit pensionum exemplum, & quidem perillustre, æquum est in illud pauca hæc observari. 1. Maximum & Domnom pacisci ea de re non potuisse, nisi interveniente Concilii authoritate. 2. Qui eo onere gravandus erat Maximus, ipsemet ultro prosilit; & rem à se expeti profitetur. 3. Ali se & sustentari poscebat Domnus, nihil præterea. *Contentus alimoniis, quiescat in posterum, &c. præter hoc prædicto Domno nihil requirente.* 4. Alendæ pacis & concordiæ causâ anouitur ea censio. *Ut contentus alimoniis, quiescat in posterum.* 5. Prima intervenit Papæ authoritas. 6. Accedit & consensus Concilii. 7. Necessaria videbatur & Regiorum assensio Magistratuum. 8. Quæ priori Patriarchæ de opulentissimæ Ecclesiæ reditibus pensio deciditur, ea necessariis alimoniis terminatur. Id verò minùs stupebunt, qui perspectum id habuerint, & altius infixum menti, ne Beneficiariis quidem ipsis & Titularibus delibandum fuisse de patrimonio pauperum, nisi quo honestè sustentarentur, pro suæ & Ecclesiæ, tum dignitatis, tum sanctitatis modo.

IV. In eodem Concilio Calchedonensi discinctis ejectisque duobus Episcopis Ephesinis, aut ea se nominis gloria jactantibus permissa est tamen Episcopalis dignitas, & ad sui sustentationem portio redituum amplissimæ & locupletissimæ Ecclesiæ; ita sanè ut eorum unicuique ducenti non amplius solidi aurei assignarentur: *Memoratis scilicet dignitatem tantummodo Episcopatus habentibus, decensque solatium.* Et inferiùs; *Ab Ecclesia esse pascendos, &c. Habeant dignitatem Episcopi, & ex reditibus memoratæ Ecclesiæ, nutrimenti gratia & consolationis annis singulis solidos aureos ducentos accipiant.* *Act.* 11. 12. Consensione totius similiter Concilii assignata est hæc pensio, qui autem præsentes aderant Regii Magistratus, non assensi sunt dumtaxat, sed summam ipsam defixere pecuniæ, quę mox & Concilio probata est. Hæ verò pensiones, perspicis quàm non consentiant ambitiosæ nostrorum hodie Beneficiariorum opinioni, aut expectationi. Sed illud iterum iterumque inculcabo, cum persuasum tunc & præjudicatum omnibus esset, ultra necessariæ sustentationis modum ne titulares quidem Beneficiarios quidquam posse sibi vendicare ex sacro Christi & pauperum fisco, ulteriores nec optari potuisse pensiones, nec concedi. Ac rursus cum disciplina tunc & frugalitas vigeret Canonibus commendata, vel principum orbis Episcoporum expensæ intra eam pecuniæ quantitatem cohibitæ fuisse non immeritò creduntur. Quanquam ea res tota metienda quoque sit ex rerum venalium pretio, & auri, argentique ac pecuniæ quantitate, ubi perinde ut sæcula sunt & loca, infinita quædam intervenit discrepantia.

V. In eodem denique Calchedonensi Concilio diffinita est causa alia duorum Episcoporum. Episcopatu ei adjudicato, cui videbatur jus suffragari, alteri annuo pensionis proventu, delegata Antiocheno Episcopo potestate, ut ei moderaretur, perinde ut essent reditus Ecclesiæ. *Dignitatem Episcopatus habeat, & pascatur, sicut Maximus Episcopus Antiochenorum, secundùm facultatem Perrhenorum Sanctissima Ecclesię disposuerit. Act.* 24.

VI. Haud satis scio, an pensionibus annuo erari debeant stipendia ea, quibus levabantur Clerici illi, de quibus Agapetus Papa in Epistola ad Episcopos Africanos, qui ejurata Ariana hæresi, Ecclesiæ recolligebantur illi quidem, sed austeriori ea conditione, ut nihil nunquam attingerent Ecclesiæ functionum, nec ad altiores unquam gradus aspirarent. Sportulis certè iisdem, quibus & Catholici Clerici fruebantur. Probavit Pontifex id decretum, ut humanitati & largitati Ecclesiæ adprimè consentaneum. *Canonum vos reverentiam judiceat omnes appetere potiùs, quàm gerere cupiditatis ardorem. Venientes igitur ad fidem sincerissimam, nutriat humanitas, consoletur, prompta sit omnibus misericordia, &c. Ep.* 2.

VII. Ablegabat Gregorius Magnus in Monasteria pœnitentiæ peragendæ causa Presbyteros, Diaconos, cæterosque Clericos incontinentiæ convictos: ita quidem, ut Monasteriis ne oneri essent, quibus æqua pensio in eam rem refunderetur. *Ad usum tamen suum accipiant, unde ad pœnitentiam subsistant; ne si nudentur, locis in quibus dati fuerint, onerosi sint. L.* 5. *Ep.* 42. Agit quidem ibi Pontifex de iis, qui ex servitutis fæcibus ad Ecclesiasticos Ordines asciti fuerant, sed & de cæteris par militat ratio.

VIII. Sed multò luculentiùs ex hujus Pontificis Epistola ad Episcopos Illyrici, elucescet, quæ tunc fuerit pensionum lex. Per Provinciæ Præsidem mandaverat illis Imperator, ut tecto mensaque exciperent eos Episcopos, non belli & hostium furor suis exturbarat Ecclesiis. Rescripsit porro illis Gregorius, æquissimum omnino esse tam pio morigerari præcepto Imperatoris; sed longè gravius effusiusque præceptum cælestis & immortalis Regis eorum auribus insonuisse, necessaria quævis subsidia suppeditandi, non Collegis tantùm, seu Episcopis, sed ipsis etiam hostibus, si qui in eorum manus inciderent, & quovis egerent. Necesse ergo esse, ut Præsules eos in societatem sibi adjungant fruendorum omnium Ecclesiæ proventuum, nulla tamen spiritalis jurisdictionis, aut Episcopalis dignitatis parte ad eos derivata. Nec enim dividi posse ulla Beneficia, nedum Episcopatus: at eos minimè tum dividi, cum eorum beneficentiæ rivuli longè latèque sparguntur. *Dignoscitur sacris apicibus destinatis jussum fuisse, Episcopos, quos à propriis locis hostilitatis furor expulerat, ad eos Episcopos, qui nunc usque in locis propriis degunt, pro sustentatione & stipendiis præsentis vitæ esse jungendos, &c. Habemus majus his mandatum æterni Principis, quo ad hæc terribiliùs peragenda compellimur, ut non dico fratres & Coepiscopos nostros, sed ipsos etiam quos nobis contrarios patimur, cum opportunitas postulat, in conferendis subsidiis necessitatum carnalium diligamus. Oportet ergo vos ad hanc rem & cælesti primitus Principi obedientes existere, & Imperialibus etiam jussionibus consentire. L.* 5. *Ep.* 43.

IX. Hoc uno peregregio contextu mirum in modum roborantur, quæ suprà de pensionibus observata sunt; iis non donari nisi Clericos, & tum sanè cum penuria conflictantur; necessitati & inopiæ accommodandas eas esse; Imperatoribus & summis Principibus familiare fuisse, ut iis decernendis intervenirent, quando urgens necessitas declarabat à Deo ipso eas decerni. Sed unum superest, quod magni intersit hic præterea observari. Postrema Ecclesiæ hac ætate nostra sexcentis ab hinc annis pervagatissima illa fuit Juris Canonici Regula, Beneficia dividi non debere, nullam in ea cadere divisionem. Ita factum est, ut pensiones juri communi adversariæ essent, cum dividantur Beneficii fructus, iisque potiantur jam, tum qui titulo gaudent; tum qui pensione. Summam ergo authoritatem necesse fuit interponi, qua Juris commu-

munis vinculum relaxaretur. Nec facilè tamen assentiar primæva illa Ecclesiæ ætate, eo sensu illam juris regulam donatam fuisse. Cum enim reditus omnes Ecclesiæ tum in commune ab omni Clero possiderentur, cum in eorum participationem extranei quoque Clerici vocarentur, cum egenis prorsus omnibus portiones hinc suæ deciderentur: ne simile quidem veri est, id placuisse tum, ut ne temporales Beneficii res dividerentur.

X. Referendum ergn illud est ad potestatem spiritalem, ad unitatem Pastoris, & Pastoralis officii, cujus portio semper aliqua Beneficiis omnibus annexa est, ad jurisdictionem & thronum, quem hic Gregorius definiebat, cum duobus communicari non posse; qui ex adverso in votis habuit, quod & pio cuicumque optabile semper fuit, ut res temporales Beneficii in tot possent scindi portiones, quot sunt egeni. Ea manifestissimè Gregorii sententia est in Epistola suprà laudata, ubi Episcopos cohortatus, ut non in Collegas solùm Episcopales reditus suos dividerent, sed & in pauperes & ærumnosos omnes; mox faces illis admovet sanctissimæ æmulationis, ut unitatem jurisdictionis suæ indivisam & illibatam sacerdotalis regni majestatem tueantur. *Non quidem ut per communienein Episcopalis throni dignitas dividatur, sed ut ab Ecclesia juxta possibilitatem sufficientia debeant alimenta percipere. Sic enim & proximum in Deo & Deum in proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis nos in vestris Ecclesiis authoritatem tribuimus, sed tamen eos vestris solatiis contineri summopere hortamur. Ibidem.*

XI. Redeo ad exemplum aliud propius Concilio Calchedonensi. Cum sede sua canonico judicio depulsus fuisset Agathon Episcopus Liparitanus, Gregorio visum est, Ecclesiæ pietatis & officii esse, ut ejus consuleret sustentationi. *Necesse est humanitatis intuitu, quemadmodum sustentari possit, disponere, &c. Nam nimis est impium, si alimentorum necessitati post vindictam subjaceat. L. 2. Ep. 53.* Itaque ex reditibus Ecclesiæ Liparitanæ addixit illi *quinquaginta solidos.*

XII. Non in hæresin, sed in schisma Istrinorum abreptus fuerat Felix Diaconus, *pravis suspicionibus*, adversùs quintam Synodum Oecumenicam, & quasi studio defensandæ Calchedonensis Synodi non illaudato, *quasi recta studio intentionis*. Cum ejus suspiciones Gregorius & allucinationes diluisset, atque ita illum Catholicæ reddidisset communioni, Episcopum Syracusanum per literas hortatus est, ut in Ecclesia Syracusana sedem ei conferret Diaconi & functiones, aut saltem emolumenta: *Sive ut officium Diaconatus expleat, seu certè ut sola ejusdem officii pro sustentanda paupertate sua commoda consequatur. L. 3. Ep. 4.* Ut ejus oneris parte aliqua levaretur Syracusana Ecclesia, utque hujus piæ largitatis laudem ad se quoque traheret Gregorius, modica & ipse pensione Diaconum munerabatur. Duplici ergo pensione, ex Romana & Syracusana Ecclesia fovebatur Diaconus, sed ut utriusque præsidio frugalem dumtaxat victum consequeretur. *Quia & nos ei annuum quid de nostra Ecclesia dari fecimus, ut ejusdem operis, quod te hortamur exhibere, participes esse possemus.*

Ablata est ab eodem Pontifice ignavis & muneris sui incuriosis Presbyteris Ecclesia Sancti Pancratii, & Monachis commendata, qui & jussi sunt Presbyterum eligere, qui sibi Sacramenta & Mysteria celebraret, habitaret, & aleretur in Monasterio. Ea erat quasi pensio congrua, quam Abbas Presbytero illi pendebat, ut Parocho hujus Ecclesiæ, ad quam rustici convolabant circumpositi, ut Mysteriorum participes fierent. *Præcipimus ut peregrinum illic debeas adhibere Presbyterum, qui sacra missarum possit solemnia celebrare. Quem tamen & in Monasterio tuo habitare, & exinde vitæ subsidia habere necesse est. L. 3. Ep. 18.*

XIII. Cum Isauriæ Episcopus compulsus esset unà cum Clero suo, & corpore B. Donati Martyris, secedere in Ecclesia Episcopi Corcyræ Insulæ; placuit Gregorio, ut dum detumesceret ejus belli procella, sineret Episcopus Corcyrensis Collegam suum ejus Ecclesiæ oblationibus frui, antea pollicitatione hac constrictum, ut restituta pace, suæ se redderet Ecclesiæ, nec mutuatæ hujus Ecclesiæ esset unquam *proprius, principalis, Cardinalis Episcopus*. Verba hæc sunt autem, quæ ad pensionem mihi visa sunt magis alludere; *Ut excessu benignitas non vincatur, nec illud, quod extraneis debetur, fratribus etiam necessitatem patientibus denegetur. Ne nihil charitas agere in Episcoporum mentibus judicetur, si sine consolationis remedio, his, quibus magna habenda est compassio, relinquatur. L. 12. Ep. 2. 3. 8.*

XIV. Expressius est hoc rursus exemplum. Cum Episcopus Galliarum dolore capitis acerbissimo torqueretur, ut ministerii sui munia fungi omnino non posset: voluit Gregorius, ut dum mitiora aliqua ei arriderent intervalla, suaderetur ei, sponte ut se Episcopatu exueret, sineretque Episcopum sublegi alium, pensione sibi idonea retenta de proventibus ejus Ecclesiæ. *Sic tamen ut quousque eundem Episcopum in hoc sæculo vita tenuerit, sumptus ei debiti de eadem Ecclesia ministrentur. L. 11. Epist. 7.*

XV. Duas has observavit Joannes Diaconus causas, temporumque & locorum vices, ubi Gregorius Episcopis pensiones decerni assentiretur, cum bellicæ tempestates suis illos ejiciebant Ecclesiis, aut ubi conclamata valetudine jam nihil spei suberat, ad functiones suæ Ecclesiæ redintegrari eos posse: quo & successorem petere cogerentur. *Expulsos Episcopos aliis Episcopis interim pro sustentatione ac stipendiis præsentis vitæ jungebat, &c. Pontificibus voluntariè renunciantibus, successores nullo modo denegabat, eosque postmodum de reditibus relictæ Ecclesiæ sufficienter nutriendos esse censebat. L. 3. c. 16. L. 4. c. 30.*

XVI. Illud quoque juvabit hic advertisse, in decernendis his tot pensionibus, non multum laboratum esse de numero annorum, quibus in Ecclesiæ ministerio quis versatus esset; vel de proventibus Ecclesiæ, quæ pensionibus onerabatur. Unum illud maximè cordi erat, quantum egeret is, cui pensio addicebatur; nulla re ei deerat Ecclesia; nihil illi, quod redundaret, dabat. *Sufficienter nutriendos.* Cum ergo nonnisi modica decernerentur alimenta ex patrimonio pauperum, 1. non his frustrabantur, quicumque egebant, quanquam non sanè diu in Ecclesiæ ministerio fuissent. 2. Nec nisi pauperibus ea coocedebantur, non divitibus, quantocumque temporis spatio ministrassent. 3. Revocabantur, cum primùm egere quis desiisset. 4. Utcumque locupletè quis ab Ecclesia recederet, pensio ei adsignabatur, quæ non tertiæ, non quartæ redituum parti admensa esset, sed ejus egestati. Pauperes, quippe omnes Ecclesiæ pensionibus alebantur; nec nisi necessario his vitæ adminiculo subducto, de Ecclesiæ patrimonio saginari quisquam potuisset.

XVII. Eadem porro sapientiæ & charitatis lex in Gallicanis quoque dominabatur Ecclesiis, ex Gregorio Turonensi. Cum ex animo faveret Francis, utpote Catholicis B. Quintianus Ruthenensis Episcopus, nec satis dissimulare posset sub alieno se esse à Gothis animo, qui in ea Civitate rerum potiebantur; hinc Gothorum in eum odia, maledicta, insidiæ. His ille declinandis Arvernum se subduxit, ubi Euphrasius illi Episcopus ex Ecclesiæ suæ fundis prædiisque largitus est, unde ali posset. *Lar-*

gitis ol tam domibus, quàm agris & vineis secum eum retinuit, dicens. Sufficit huius facultas Ecclesiæ, ut utrumque sustineat: tantum charitas, quam Beatus Apostolus prędicat, permaneat inter Sacerdotes Dei. L.2. c.36. Largitus est & illud Lugdunensis Archiepiscopus aliquid agrorum suæ juxta Arvernum ditionis. *Sed & Lugdunensis Episcopus largitus est ei aliqua possessionis Ecclesię sua, quam in Arverno habebat.* Ea erat Quintianus sanctimonia ut vel hinc auguremur, nihil illi hac duplici pensione adjici potuisse, quod redundaret. Sed idem Gregorius novo id alibi argumento confirmat, cum alibi docet eundem Antistitem Arvernum petiisse, eum Cleri sui parte, *Cum fidelissimis Ministris suis. Vita Patr.* c.4.

XVIII. Eonium Venetorum in Armorica Episcopum narrat idem Gregorius in Gallia retentum fuisse à Rege, cuius jussu Andegavensibus commendatus est, ut ab eis publico sumptu pasceretur. *Ad civitatem suam redire non permissus, ut Andegavis pasceretur de publico, à Rege preceptum est.* L.5. c.29. 40. Non est Ecclesiæ indicta pensio, quòd non ejus causa Episcopum retinuisset Rex. Narrat denique idem Scriptor, cum Faustinianus Aquensis Episcopus in Matisconensi Concilio depositus fuisset, Bertramnum, Oresten, & Palladium, à quibus ordinatus fuerat, jussos esse reliquo vitæ tempore illum ut pascerent, & centenos quotannis aureos suppeditarent. *Ea conditione removetur, ut eum Bertramnus, Orestesque, sive Palladius, qui eum benedixerant, vicibus pascerent, centenosque ei aureos annis singulis ministrarent.* L.8. c.20.

XIX. Non multùm ab hoc abludit illud Contumeliosi Regiensis Episcopi exemplum, cui ex Ecclesiæ suæ reditibus idoneam decrevit Agapetus Papa pensionem, postquam in Concilio Provinciali exauthoratus ad Sedem Apostolicam provocavit. *Patrimonio Ecclesia in gubernatione Archidiaconi constituto, ita ut alimonia Episcopo sufficienter non negetur.* Ep.7.

XX. Posset & pensionibus adjungi portio illa redituum Ecclesiæ Cathedralis, qua sinebat Episcopus Canonicos suos usque frui, ubi illos in Ecclesiam transtulerat Parochialem, vel Abbatia donaverat, vel Beneficio quovis alio, quod non immerito forsan quis simplex Beneficium dixerit. Quanquam enim in Concilio Aurelianensi, cuius est hoc statutum, præstabilius videatur, ut novi hi Beneficiarii stipendiis contenti sint novi Beneficii sui, Episcopi tamen prudentiæ committitur, an Cathedralis eos Ecclesiæ distributionibus spoliari conducat. *In potestate sit Episcopi, si de eo quod ante de Ecclesiastico munere habebant, eos aliquid, aut nihil exinde habere voluerit; quia unicuique facultas suscepti Monasterii, Diœcesis, vel Basilica, debet plena ratione sufficere.* Can.18.

XXI. Non soli autem Episcopi, quos facinus aliquod suum sede excusserat Pontificia, Ecclesiæ impendiis alii nihilominus solebant: sed & Presbyteri eodem honore habebantur, postquam gradu suo fuerant depulsi. Unde & de Clericis aliis pronum est idem suspicari. Cum in his enim Ecclesia non Clericorum merita ponderaret, sed penuriam & calamitatem, utpote pauperum omnium & calamitosorum parens, atque altrix, multò ei commendatiores erant, qui in ejus ministerio aliquando versati fuerant. Beatus Perpetuus Turonensis Episcopus vetabat restitui unquam gradui suo Parochos duos, quos ipse dejecerat: sed stipendiis Ecclesiæ ali volebat, dum adviverent. *Nunquam restitue, sportulam tamen habeant, quandiu vixerint.* Spicil. Tom.5. p.107.

XXII. Ad Hispaniam venio, ubi Emeritense Concilium suprà laudatum, facta Episcopis potestate transferendi in Cathedrales Ecclesias suas Parochos agrestes, si quos ei honori pares sentiant; non tamen sinit eos ut spolient Parochiæ suæ proventibus, quamvis illos stipendiis impertiantur Ecclesiæ Cathedralis. Cura Parochię committenda erat Pastori novo, cui prior Parochus pensionem congruam adsignabat, sicut & reliquis Parochiæ Clericis, quos pro suo quemque gradu alendos & vestiendos in se recipiebat. *Et quamvis ab Episcopo suo stipendii causa, per bonam obedientiam aliquid accipiant, ab Ecclesiis tamen in quibus consecrati sunt, vel à rebus earum extranei non maneant, sed Pontificali electione, Presbyteri ipsius ordinatione, Presbyter alius instituatur, qui sanctum officium peragat, & discretione prioris Presbyteri, victus & vestitus rationabiliter illi ministretur, ut non egeat; aut si quæsierit, qui ordinatur, stipendium à suo Presbytero accipiat, quantum dignitas officii eum habere expetit. Clericis verò, vel quos ad serviendum ei dederit, per discretionis modum, qua necessaria sunt, ministret.* Can.12. Prior Parochus, qui & Primitivus jam dici potest, titulo semper gaudet, & proventibus Parochiæ omnibus, & novo Parocho, qui Vicarius potius ejus est perpetuus, vel honestam suppeditat sustentationem, vel pensionem congruam, pro ipsius Vicarii arbitrio. Primitivo Parocho solvuntur & suæ ex Ecclesia Cathedrali distributiones, quæ jam pensio dici poterit, ne plura unus & idem Beneficia habuisse dicatur. Æquum porro erat hac assignata pensione ex Ecclesia Cathedrali, repensari Parocho priori pensiones eas, quas ipse novo Parocho & Clericis ejus cogitur suppeditare.

XXIII. Est autem hic præ cæteris illud memorabile, quod cum prior Parochus titulum semper retineat suæ Parochiæ, venia illi fit residentiæ in eadem, ut cum Episcopo in Cathedrali sedem possit defigere. Sed perspicuum est ad inusitatam quandam indulgentiam hic omnia temperari, ut adducantur divites Parochi, ad demigrandum suis ex Parochiis ad Ecclesiam Cathedralem, ubi & honoris augmentum, & utilitatis jactura fit. Si quis verò malit, ut ei labi occurratur, Cardinalem & principem Parochum dicere eum, quem nos Vicarium diximus; & quem nos primitivum diximus Parochum, eum Pensionariis illis accensere, qui retentis fructibus Titulum resignant, & pensione contentum jubent esse Titularem; per me licet, ut suo quisque utatur judicio, & suo, quod ajunt, abundet sensu.

XXIV. Sed nemo facilè inficiabitur, Emeritensem hunc Canonem Calchedonensi pugnare, quo vetatur Clericus duabus Ecclesiis adscribi; qui immoderata cupiditate, ab Ecclesia minori ad majorem migrarit, eum ad priorem revocandum esse; si translatio jam perfecta sit, eum stipendiis secundæ Ecclesiæ contentum esse debere, nec delibare quidquam ex primæ emolumentis, vel Xenodochiis eius, vel Capellis. *Si verò jam quis translatus est ex alia in aliam Ecclesiam, prioris Ecclesia, vel Martyriorum, qua sub ea sunt, aut Ptochodochiorum, aut Xenodochiorum rebus in nullo participet.* Can.10. Certè Canone hoc perstringuntur ii, qui has translationes cupidè ambiunt, cum Emeritensis de iis agat, qui pene inviti transferuntur & inopini, cum aliquo etiam rei suæ detrimento; atque ita non omnino confligantur inter se hi Canones. Sed quod spectat ad pluralitatem vel Beneficiorum, vel Pensionum non valde Beneficiis absimilium, pugnant illi omnino inter se. Nec magnopere laboro, an Calchedonensi Canone sola excludatur Beneficiorum pluralitas, an etiam pensionum. Sanè cum solis tunc distributionibus constarent Beneficia, non ita scrupulosè à pensionibus separabantur. Sed cum eo Concilio medicina fieret avaritiæ Clericorum, mol-

tò

tò probabilius dicetur æquè & pensionum prohiberi pluralitatem, prohiberi & pensiones ipsas, nisi ubi eas extorquet necessitas, uti exemplis supra patuit ex hoc ipso Concilio petitis. Hinc verò rursus parari potest concordia hujus Hispanensis Canonis cum Canone superius laudato Concilii Aurelianensis I.

CAPUT XXX. *P.3. l.4.c.18.*

De Pensionibus sub Imperio Caroli Magni, & ejus regiæ familiæ.

I. Papa, Imperator, Episcopi pensiones decernunt Episcopis exauthoratis.

II. Quæ tunc frequens erat Beneficiorum divisio in gratiam laicorum poterat & in Clericorum favorem usurpari.

III. Quo tunc sensu dictitaretur dividi non posse Beneficia.

IV. Cur tam rara tunc essent pensiones.

V. Abbatum hostili incursione ab Cœnobio suo ejectum, Rex ad aliud ablegat opulentius Cœnobium, ubi ejus cura agatur.

VI. In Oriente Episcopi. In partibus *sinebantur prioribus suis gaudere Beneficiis.*

VII. Poterat Patriarcha Cœnobiis nutriendos commendare, vel pauperes, vel secessus & otii religiosi viros amantiores, vel Episcopos sedibus suis extrusos Barbarorum irruptionibus.

VIII. Pensiones ab Imperatoribus Orientis constituta.

IX. De Monachis laicis.

I. COnnixus est Carolus Calvus Imperator cum Joanne VIII. Papa, & cum Episcopis Gallicanis, ad firmandum Hedenulphum in Episcopatu Laudunensi, concesso ut Hincmarus, qui eò ejiciebatur, idoneam ex ea Ecclesia sustentationem acciperet. Audiendus hic Aimoinus, ubi Concilii Tricassini texit historiam, quo ea res tota disceptata fuit. *Vim facientibus quibusdam Episcopis, & consentiente Rege, dixit Joannes Papa, ut Hedenulphus sua authoritate Episcopus ordinatus sedem suam teneret, & Episcopale ministerium ageret, & Hincmarus cæcus, si vellet, Missam cantaret, & partem de rebus Episcopi Laudunensis haberet.* L.5. c.37.

Non solùm Laudunensem Episcopum Hincmarum Hincmarus Remensis sede movit: unde & nec ei soli ejusmodi pensiones fecit assignari. Cum eodem infortunio perculsus fuisset Rothadus Suessionensis Episcopus, non opimam tantum illi conferri curavit Abbatiam, sed & omnes impulit Provinciæ Episcopos; non tantùm ut necessariæ vitæ subsidia, sed & ut copiam illi infunderent omnium commodorum, quòd devexa jam esset Rothadus ætate, & deliciis cum fuisset innutritus, his delinimentis demulcendus erat, quò facilius suæ acquiesceret ruinæ. Ita enim de his idem Hincmarus ad Nicolaum Papam I. *Post depositionem autem illius, obtinui, ut unam Abbatiam valde bonam ei domnus Rex & Episcopi consentirent, & omnes nos illi, sicut Patri, de nostris impendiis serviremus: quatenus qui in deliciis vitam semper perduxerat, non frangeretur: tantum ut seditiosius & molestius Ecclesia, cui præfuerat, esse non decertaret. Quod primum quidem acquievit; sed &c.* Tom.2. pag.249.

II. Nihil opus est nos immorari in eorum Episcoporum causa penitius excutienda, quorum tuitionem Pontifices Romani, ad quos illi provocaverant, in se receperunt. Utcumque se res habuerit, erat omnino æquitati consentaneum, ut dum vita superaret, sumptu alerentur earum Ecclesiarum, quibus exuti fuerant. Eæ pensiones à Papa, à Rege, ab Episcopis, à Conciliis statutæ & confirmatæ sunt. Sed illud hic necessariò addendum, quæ tunc fiebant fundorum & redituum Ecclesiæ divisiones, his assignandis pensionibus, eas multò tolerabiliores fuisse, quàm vel antè fuissent, vel postea fuerint. Nempe id sibi tum Reges sumpserant, ut terras Ecclesiæ in feudum darent; & ubi puduit postea & pœnituit illos sui hujus consilii, ubi publicas ingemuere calamitates, quibus eò impulsi fuerant, non tamen omnino abstinuere se, quin rursus etsi rarius id ipsimet facerent, & Episcopos exorarent, quo in laicorum gratiam has ipsimet facerent divisiones. Cessit tandem monitis Leonis III. Carolus Magnus, publicavitque diploma illud, quod in ejus Capitularibus legitur, & quod ab Hincmaro refertur, *Tom.2. pag.765.* quo nimirum interdicit & sibi ipse & successoribus suis, ne cui unquam vel pensiones, vel fundos laicis adsignent in res Ecclesiarum. *Ad consultam Leonis Papæ aliud edictum de non dividendis rebus Ecclesiasticis edidit, & Apostolicæ sedis atque sua authoritate firmavit, & per omnes Metropolitanas Ecclesias Imperii sui perpetuo servanda direxit.* Jam ipsa Edicti vel Capitularium verba ejusmodi sunt. *l.1.c.83.* *Ut ab Ecclesia de non dividendis rebus illius suspicionem dudum conceptam penitus amoveremus, statuimus ut neque nostris, neque filiorum & successorum nostrorum temporibus, qui nostram, vel progenitorum nostrorum voluntatem, vel exemplum imitari voluerint, ullam penitus divisionem aut jacturam patiatur.*

III. Eo tunc sensu circumferebatur lex illa Ecclesiastica, & Imperialis *de non dividendis rebus Ecclesiasticis.* Eò tum collimabatur, ut ne Laicis pensiones, ut ne terræ etiam Ecclesiarum addicerentur. Nihil id ad Clericos pertinebat, quibus integrum semper erat, ut ab Episcopo darentur fundi Ecclesiæ ad usumfructum, ut suprà ostensum est. Præter Episcopatus, Parochias, Capellas, nulla adhuc Beneficia certis & perpetuis fundis gaudebant. Canonicis, Archidiaconis, Archipresbyteris sportulę & distributiones suę exolvebantur, & hi demum erant eorum Beneficii reditus, nisi Episcopo adlubesceret gratis illis concedere prædii cujuspiam usumfructum, quod ad successores neutiquam devolveretur. Non eò dividi dicebantur Ecclesiæ res, quòd penes Clericos semper essent, quòd eorum obitu ad Ecclesiam revocarentur, quòd dum superstites etiam essent, distributionem loco esset hic ususfructus. Dum ejusmodi vigeret Ecclesiæ disciplina, facillimè annuebatur Episcopis sede sua detrusis, vel pecuniaria pensio, vel fundus Ecclesiæ, quo pascerentur.

IV. Mirum est ergo tam raras tunc fuisse pensiones, tanta cum erat earum facilitas. Si frequentiora enim obviam fuissent exempla, plura etiam hic accumulata à nobis fuissent. Sed rariores forsan eas tunc faciebat ipsa conditio Beneficiorum, quæ solis ex distributionibus existebant, distributiones verò parco victu vestituque constabant. Qui his alicubi abundabant, ne poterant quidem alibi his iisdem donari se velle.

V. Præter duo hæc genera pensionum, quarum illa Hincmari Laudunensis prædiolo constabat aliquo, illa verò Rothadi solatio aliquo benevolo, quo Provinciæ illum Episcopi recreabant: tertiam hic depromo speciem, quæ temporaria erat, & quę ad hospitalitatem ferè spectabat. Zacharias Abbas à Carolo Rege ad Lupum missus est Abbatem Ferrariensem, ut sumptu Cœnobii ipse cum suis ale-

retur. Eo se onere absolvi non multò post Lupus expetiit, gravioribus his expensis exhaustus, cum jam non facilè posset hospitalitati satisfacere communi, cui tunc Abbatiæ omnes vehementissimè studebant. *Vel ad locum unde ad nos venit, vel ad alium quemlibet jam dirigatur. Non mediocriter nos gravant expensa, qua illius hominibus tribuuntur. Unde subtevari deposcimus, ut sit unde aliis ad nos confluentibus hospitalitatis gratiam impendere valeamus. Ep.23.*

VI. Si æquum erat autem Abbates Barbarica infestatione sedibus suis effugatos, in aliorum Abbatum charitate conquiescere, eorumque largitionibus sustentari: erat procuIdubio æquissimum Episcopos qui Constantinopoli electi fuerant ad Orientales regendas Ecclesias, quique ne adire quidem ad eas poterant, quòd Infidelium Principum barbarico jugo prçmerentur, Commendæ vel pensionis nomine retinere Abbatias, Officia, Administrationes & Distributiones manuales, quibus ante electionem suam fruebantur. Eam in rem Alexis Comnenus Imperator Constitutionem edidit, quæ à Balsamone refertur. *In Can.37. Conc. Trull.*

Usque adeo verò præjudicatum tunc erat, nefariam esse pluralitatem, non Beneficiorum tantùm, sed & pensionum ac distributionum manualium cum Beneficiis, ut Oeconomi, Officiales, Administratores cujuscumque Ecclesiæ, denique Monachi ipsi vehementer detrectarent Episcopatus illos invios & inaccessos, ubi ad eos eligebantur: *Etiam Monachi existentes, &c. Quòd priventur Præfecturis & Oeconomiis, qua sibi adsunt, & aliis muneribus, & iis, qua simpliciter dicuntur adelphata, & Officiis, & aliis quibusdam ministeriis.* Eò compulsus est Imperator generalem illam promulgare dispensationem, *dispensatoria ratione disponens*, qua Episcopis his titularibus servaret possessionem Beneficiorum, Officiorum, distributionum & pensionum, quibus hactenus gaudebant.

VII. Potest & ad pensiones referri, quod idem Balsamon testificatur, penes Patriarcham esse potestatem collocandi in Monasteriis Laicos suæ çternç salutis ardore flagrantes, vel summa quadam conflictatos inopia, vel Episcopos, sedibus suis Infidelium furore extrusos, dum his tamen abundè supersit Monasteriis, quo Monachi proprii foveantur, extraneis utique omnibus anteponendi. *Non solùm cura animarum Monachorum, sed ipsorum etiam sæcularium incumbit sanctissimo Patriarcha. Et quando viderit aliquem sæcularium sitientem propriam salutem, quomodo continget prohiberi Patriarcham, quominus in Monasterio eum collocet, ad salutem anima ejus, qui accedit? &c. Si autem accedit Laicorum quispiam, qui est omnino pauper & inops, vel ex Antistitibus, qui suos thronos perdiderunt, & sunt inopes, & voluerit statuere Patriarcha, ut ie victum capiat è ditiori aliquo Monasterio, hoc rectè faciet: non supra facultates numeri eorum, qui sunt ordinati. Monachi enim qui sunt intus, debent præferri cçteris omnibus ad ea, qua sunt sibi necessaria capienda. In Can.17. Synodi VII.*

Quæ hic à Balsamone *adelphata* vocantur, ejusmodi pensiones erant, quibus extranei arcebantur, ut vox ipsa declarat. Qui autem ab illo appellantur *charisticharioi*, vel illi ipsi erant his donati pensionibus, vel Laici, quibus Abbatiæ erant commendatæ. Eodem vocantur etiam nomine in Bulla Alexis Patriarchæ, ubi air jure sperari, nec à Metropolitanis eos, nec ab Episcopis extrusum iri his Monasteriis, nisi graves & justæ intercedebant causæ: *Juris Orient. tom.1. pag.254.*

VIII. Santabarenum Episcopum Leo Philosophus Imperator cum exauthorari curasset, referente Cedreno; *pag.595. 741. Alimenta ei ex nova Ecclesia decrevit.* Narrat autem idem Cedrenus Michaelem Paphlagonem Imperatorem querelis fatigatum Clericorum Ecclesiæ Thessalonicensis adversùs Metropolitanum suum, à quo solemnibus distributionibus frustrabantur, cum ei persuadere non potuisset, ut tam pio & tam necessario munere fungeretur, Episcopatu tandem illum abegisse, sacrum ærarium arripuisse, persolvisse Clericis, quidquid pensionum hactenus persolutum non fuisset, reliqua in pauperes effudisse, Prometheum subrogasse in eam sedem, eique Theophanem, depositum scilicet Episcopum commendasse, ut ne qoa re illum defieri sineret, ad victum & cultum opportunum necessaria. *Episcopatum Prometheo committit, mandatque ut Theophani alimenta præbeat, iisque privatus vivat.* Pensiones hujusmodi solis constabant alimentis & distributionibus. Non facilè his abuti poterant, qui donabantur; ægrè his fraudari poterant, quicumque egerent, cum egenorum omnium perfugium sit Ecclesia. Hinc nec molestè ferebant eas pensiones ab Imperatore assignari. Cum enim ærarium & penu Ecclesiæ omnibus indigentibus pateret, non poterat non multò magis iis pandi qui ab Imperatore commendabantur.

IX. Patriarchis quidem vendicatum est à Balsamone jus, quo jamdiu utebantur, constituendi in Cœnobiis pçnitentes, vel pauperes, qui in eis alerentur, quadam fructuum communium pensione illis indulta: cujusmodi fuere in Gallia, qui Monachi laici, vel Oblati dicti sunt; sed non eandem ille Imperatori potestatem adseruit. Quæ enim enumeratæ sunt à nobis pensiones ex Imperatorum rescriptis, ex Clericis addicebantur, nec nisi urgentibus & justis de causis; unde nec in his erat quod Canonibus obstrepere meritò videretur. Sed à similitudine veri non omnino recedit, in utroque Orientis & Occidentis Imperio, cum Laici tandiu potiti essent Monasteriis, & modica portione Monachis attributa, residuos reditus in domos suas convertissent; ubi postea redigi se in ordinem assensi sunt, eos tum veluti Monachos quosdam laicos evasisse, pensione sibi annua ad tolerandam vitam à Monachis assignata.

CAPUT XXXI. *P.4. l.4.c.37.*

De pensionibus & divisione Beneficii unius in plures Beneficiarios, post annum Christi millesimum.

I. Pensiones invidiosa, quas tempore Avenionensi schismatis Cardinales exigebant.

II. Exempla canonicarum pensionum circa annum Christi 1200. à Pontificibus assignatarum.

III. Non pensio en præbenda, sed duobus ipsa dabatur Præbenda, quod Concilia & Pontifices prohibuere. Cur?

IV. Causa alia justa & injusta pensionum. An possint Beneficii, quod resignant, fructus retineri omnes. An pensio possit exigi ab Ecclesia, cui nihil quis obsequii præstitit. An possit ex modico Beneficio pensionem decerpere, cui aliunde superest, quo se transigat.

V. Ut ad solum ferè Romanum Pontificem devoluta sit facultas constituendarum pensionum. Ut possint Judices pensiones decernere, ubi litibus septa & implicata sunt Beneficia.

VI. Varia omnis generis exempla, & qui inde fructus existere possint.

VII. Ad sæculum tertium decimum accedimus. Multa in ea pensionum genera, artes & præstigia ad eas dissimulandas. Beneficia conducta, suscepti eorum-

rum Vicariatus. Plures unius Ecclesiæ Parochi. Numerus Canonicorum incertus. Proscribuntur flagitia hæc omnia.

VIII. Alia ejusdem sæculi Concilia & Statuta. De pensionibus, quæ Prælatis pendebant Ecclesiæ. De Ecclesiis, quæ Prælatis addicebantur pensione Beneficiariis servata. Facultas instituendi pensiones Pontifici reservata. Ne pensiones fiat ulla, nisi ut summum tertiæ fructuum partis.

IX. De sæculo quarto-decimo, & ejus Conciliis ac Statutis Pontificum de pensionibus.

X. Sæculum decimum-quintum. Avenionensis schismatis flagitia. Pensiones immoderatissimæ. Beneficia Regularia & Officia Claustrorum Cardinales sibi vendicarunt. Reges Angliæ non sine Præsulum consensu pensiones & Beneficia dispensabant.

XI. Quàm alieno à pensionibus animo fuerint Carolus V. Imperator, Carolus IV. Rex, Cardinalis Ximenius. Quæ medicina ei malo fieri possit.

XII. Statuta novissimorum Conciliorum, ad reservandam Papæ facultatem statuendarum pensionum.

XIII. Quæ laicis pensiones assignatæ sint. De pensionibus in Parochias & Canonicatus. Declaratio Regis Ludovici.

XIV. Quàm finitima sint Beneficiis pensiones bodierna.

XV. De Resignationibus retentis fructibus.

I. QUÆ in Spolia, quæ in Annatas, de quibus infrà, eadem & in pensiones quandoque exarsit invidia & obtrectatio hominum Romanæ Curiæ infestorum. Ab anno jam inde 1385. cum his innovationibus occurrere meditaretur Carolus VI. Rex, uno & eodem Edicto Pensiones complexus est, cum cæteris Aulæ Romanæ exactionibus. Cardinales enim ibi commemorat triginta-sex, nec nisi paucis Beneficiis perfruentes, in Gallia accumulari sibi fecisse Abbatias, Prioratus, Xenodochia, Officia Claustralia Monasteriorum, Dignitates in Capitulis; horum reditus omnes percepisse; aut ne invidiosa esset hæc tot Beneficiorum coacervatio, ipsa quidem transcripsisse in alios, at pensiones sibi reservasse, quæ ipsos plerumque annuos superarent reditus Beneficiorum. *Cardinales credentes ostendere, quod Beneficia obtineant in minori numero, cum aliquem Prioratum vel Beneficiorum aliud acceptarunt, illud ad pensionem annuam, quæ frequentiùs ad valorem redituum dicti Beneficii ascendit, alicui conferri seu dimitti procurant. Preuves des Libert. Gall. c.22. n.8.* Tum jussit Rex eas pensiones occupari, & suæ potestati subjici: *Pensiones annuas, quas dicti Cardinales, aut alii super Beneficiis Regni nostri percipiunt, ad manum nostram realiter ponant.* Manaverant hæ quidem pensiones eodem ex fonte, quo & Annatæ, polia, Procurationes Visitationum; de quibus omnibus infrà; manaverant, inquam, ex egestate & angustiis Curiæ hinc & hinc Romanæ, dum importunissimum illud schisma ferveret. Nec de bis tamen solis dicemus pensionibus. Aliæ quoque incident, de quibus controversia fieri possit nulla, canonicis nixæ institutionibus, & necessitati Ecclesiarum donatæ.

II. Ubi Gratianus Presbyter, ille toties à nobis celebratus, tres Pontificiæ Romanæ Sedis incubatores adduxit, ut digniori Apostolorum Principis successori decederent: non tam pensiones illæ fuere, quàm partitiones bonorum Ecclesiæ Romanæ, quibus illos demulsit. Sed illa probabilis est pensio, quam Gregorius VII. Presbytero assignavit homicidæ, quem Romam amandarat Episcopus Lincolniensis. Vetuit illum Pontifex Ecclesiæ unquam suæ restitui, ac ejus sumptibus ali voluit. *Ne stipendiis Ecclesiasticis careat, &c. Dignum est consequi eum ab Apostolica Sede aliquod Beneficium. L.1. c.34.* Cum idem Pontifex sententiam damnationis à Legato suo latam confirmasset in Manassem Archiepiscopum Remensem, & provocantem audire, tamen rursum non gravaretur, jussit, ut Cluniacum secederet, vel ad Casam Dei, & Legato se sacramento astringeret, non accepturum se de rebus Ecclesiæ Remensis, nisi parchos & necessarios sumptus, tum suos, tum Clerici, quem comitem assumeret & duorum non amplius servorum, qui eum commitarentur. *Sacramento confirmes, de rebus prædictæ Ecclesiæ te nihil distracturum, nisi quantum tibi & prædictis sociis competenter suffecerit. L.7. c.20.*

Interpellavit B. Bernardus Eugenium III. Papam, ut Episcopi Aurelianensis, qui nuperrimè exauthoratus fuerat, debita omnia exsolverentur, ex Episcopalis Ecclesiæ reditibus. *Angitur debitis multis, cum sit pauper & inops. Jubeat authoritas vestra, de rebus Episcopalibus ea solvi. Ep.245.* Alexander III. rescito Abbatiam Trenorchiensem (Tournus.) ære alieno oppressam funditus & exhaustam esse, enixissimè obtestatus est Ludovicum VII. Regem, ut eam Abbatiam *sub regia custodia & protectione susciperet*, & Monachos ejus in alia & alia Galliæ Cœnobia spargeret, interim ibi sustentandos, dum æs alienum Cœnobii proprii expungeretur. *Fratres prænominatæ Ecclesiæ, per Regni tui Monasteria facias recipi, & ad tempus eis necessaria provideri. Append.2. Ep.89.*

Illud onus alendorum Monachorum alterius Monasterii, à pensionis imagine non abludebat. Et tamen Pontifex ipse Regem interpellat summa contentione, ut ei beneficentiæ assentiatur. Incidunt & alia id genus nonnunquam, ubi vel necessitas, vel utilitas Ecclesiæ perspicua est, ut jura nova invehantur, quæ adolescunt lapsu temporis, & corroborantur, sed & quandoque postea ultra lineas evehuntur. Cum Cisterciensem Abbatem Urbanus IV. Cardinalitia exornasset purpura, ad Capitulum Ordinis generale rescripsit, non posse ab eis Apostolica detrectari mandata, etiam ad extraneos levandos, quò largius æquum esset, eos Abbatem suum pinguissima pensione demereri. *Præcipiendo mandantes, quatenus hilariter & unanimiter disponatis, quod idem Cardinalis talem à vobis annuam provisionem habeat, de qua sicut decus requirit Romana Ecclesia, & vestri decet honestatem Ordinis, possit honestè sustentari. Italia sacra Tom.2. p.306.*

III. Non satis intelligo, an pari jure potuerit aliquando Præbenda una duobus conferri, qui eam inter se partirentur. Impetitus est à Clero suo Aurelianensis Episcopus, quod unam & eandem Præbendam cum titulo suo duobus concederet. *Præbendas dimidiat contra morem.* Concilium Turonense cui præfuit Alexander III. anno 1163. eam corruptelam explosit, edixitque ut quemadmodum Episcopatus, Abbatiæ, & aliæ Prælaturæ uni conferebantur in Titulum, idipsum & in Beneficiis inferioribus retineretur. *Majoribus Ecclesiæ Beneficiis in sua integritate manentibus, indecorum nimis videtur, ut minores Clericorum Præbendæ recipiant sectiones. Ideirco ut in magnis, ita quoque in minimis suis membris firmam habeant Ecclesiæ unitatem, divisionem Præbendarum aut dignitatum fieri prohibemus. Append.2. Ep. Alex.3. Ep.105.* Docuit Innocentius *III. Extra De Præb. c.8.* ut unius Præbendæ Titulus in duos scinderetur: Competitores scilicet eo erant quandoque numero, & tam impotenti ambitione, ut duo ad unam Præbendam eligerentur. Electiones ejusmodi irritas decernit Innocentius, quod prohibeat Turonense Concilium unam duobus assignari Præbendam, Expectativas autem proscripserit Synodus Lateranensis. *Cum sæpè contingat, quod ad unam Præbendam duo Clerici pro-*

propter importunitatem petentium eligatur. Nos attendentes, quod si duo unam Prabendam tenerent, esset illud contra Concilium Turonense, quod Prabendarum probibet sectionem: & si unus illorum ipsam obtineret Prabendam, sub expectatione alius contra Lateranensis Concilii statuta remaneret; respondemus quod talis electio de juris rigore esset cassanda.

Rescidit & idem Pontifex partitionem consimilem in Ecclesia Trecensi à Legato Apostolico factam & confirmatam. *Ambobus stallum in Choro & locum in Capitulo, & Prębendę fructus dividendos communiter assignarunt. Extra. De Prabendis c.20. 25.* Ratio bujus disciplinæ sacræ ea est, quod in Ecclesiis, ubi Canonicorum numerus defixus non est, possit quidem unus eligi supra numerum usitatissimum, quod penes Capitulum jus sit ejus numeri augendi: cumque ibi distinctæ non sint Præbendę, non potest una videri, vel dici Præbenda in duas secari. At in Ecclesiis, ubi determinatus est numerus Canonicorum, non facilè is augendus est, ut hominum cupiditatibus serviatur; dividi nefas est jus spiritale: duobus assignanda non est Præbenda, quæ uni tantùm alendo par est; nec dissensionibus ex hac partitione emergentibus dandus est aditus. *In Ecclesia, qua determinatum habet numerum Prabendarum, uno individuo jure vacante duo simul eligi non possunt ad illud, eo quod hujusmodi spirituale jus dividi, seu communicari nequeant inter illos, &c.* Ea est sententia, ea ratio Canonis Concilii Turonensis, *Can.1.*, ex quo postea & adversùs pensiones tela deprompta sunt, nec immerito. Quanquam enim spiritalis Beneficiis Titulus cum Pensionario non communicetur, atque ita indivisus consistat; scinditur res temporalis Beneficiorum, & nisi id fiat contemplatione utilitatis Ecclesiarum, hinc ionumera rursum mala scaturiunt, quæ mox perstringentur in historica ulterius pensionum serie describenda.

IV. Uni Ecclesiæ utilitati obsequebatur Lucius III. cum jubebat Parocho, quem lepra corripuerat, Coadjutorem dari, cum portione fructuum Parochiæ. *Dandus est Coadjutor, qui curam habeat animarum, & de facultatibus Ecclesia ad sustentationem suam congruam recipiat portionem. Extra. De Cler. agrot. c.3. 4.* Idem super eodem decrevit Clemens III. *Ab administrationis debet officio removeri, ita quod juxta facultates Ecclesia sibi necessaria, quandiu vixerit, ministrentur.* At ad perniciem potius vergebat Ecclesiæ, cum Clericus à Parocho viginti nummorum pensionem exigeret, qui vix tolerare vitam poterat toto Ecclesiæ proventu, cum ex adverso Clericus aliis Beneficiis abundaret. *Si tibi constiterit quod dictus Gabriel babeat Ecclesiastica Beneficia sibi sufficentia, vel quod eidem Ecclesia non deserviat, sibi super prascripto Beneficio silentium imponas. Quoniam indecens est & non consentaneum rationi, ut cum alia Ecclesiastica Beneficia sibi sufficientia babeat, & possideat, ab Ecclesia cui non deservit, Beneficia quarat. Extra. De Cler. non resid. c.6.* Ita statutebat Alexander III. Ad perniciem quoque pertinebat Ecclesiæ, quod Beneficium quis suum alteri resigoasset Clerico, & fructos retinuisset, nulla justa, nulla necessaria causa. Ideo & bas sordes damnavit Innocentius III. *Credimus distinguendum, utrum ante donationem constituat, ut ipsi proventus retineantur ad tempus pro causa justa & necessaria; aut convenit cum eo, qui accepit Beneficium, seu cum mediatore quocumque, ut officio illo concesso retineat ipse proventus. Primum enim membrum credimus esse licitum; secundum autem dicimus non licere, ne viam aperiamus bis, qui pravitatem suam satagunt palliare. Extra. Ut Eccl. Benef. sine divis. conferantur.*

Multò manifestiùs ab eo Pontifice damnantur, qui Beneficia, ubi unqnam ministravere, resignant, retenta pensione; disertèque pronunciat post Concilium III. Lateranense, jam nefas esse, conferri, aut resignari Beneficium retenta fructuum parte. *Non licuit ex pactione, vel conventione quacumque concedere unum officium, & tibi retinere proventus; cum in Lateranensi Concilio probibitum sit, ne quis conferendo Ecclesiasticum Beneficium, partem proventuum suis usibus retinere prasumat.* De solis agit Lateranense Concilium Beneficiorum Collatoribus. *Can.7. Probibemus ne novi census ab Episcopis, vel Abbatibus, aliisve Pralatis imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur, nec partem redituum suis usibus appropriare prasumant.* Verùm Innocentius meritissimò eandem trahit regulam ad resignationes, quòd quisquis Beneficium resignat, ejus quodammodo Collator fiat. Si autem Episcopi, Abbates, Prælatique, & alii Collatores, iidemque persæpè fundatores Beneficiorum, Custodesque, nec conferre sibi ea possunt, nec aliis conferendo fructus eorum sibi saltem ex parte aliqua retinere: qui Clerici quilibet majori potestate uti sinentur? Æquius esset, ut Cooventus Regulares mensis suis unirent vacantia sui juris Beneficia, quàm ut novos Beneficiarios nominarent. Et id tamen ipsum damnat, prohibetque Clemens III. *De suppl. negl. Prala. c.2. Monachi quidam & Canonici Regulares, Ecclesias, qua ad prasentationem eorum pertinent, in tuo Episcopatu babentes, propriis usibus deputare nituntur, nec volunt ad eas cum vacaverint, vocare personas, &c. nisi personas idoneas prasentaverint, tibi liceat ordinare Rectores.* De quibus hic agit Innocentius III. uti & Monachi, de quibus Clemens III. ii & in resignando fructus sibi omnes retinere oitebantur, & titulos ipsos Beneficiorum supprimere. Sub eodem Clemente III. anno 1189. habitum est Concilium Provinciale Rotomagense, ubi anathema iis illisum est, qui litibus Beneficiarios vexabant, ut pensiones ab eis extorquerent. *Ne litibus vexare prasumat, ut sic pensionem ab eo extorqueat. Synod. Rotom. p.675.*

V. Nec facilis erat ille delectus temporum, locorum & hominum, quando pensionum causæ essent justitiæ & rationi consentientes. Collatoribus sæpè fucum faciebant, aut intestinæ ipsorum cupiditates, aut ambitiosorum bominum fraudes. Ipsa Religiosorum Collegia, ubi res sua agebatur, plus æquo non semel blandiebantur sibi. Et tamen urgebat observantia Conciliorum Generalium Lateranensis & Turonensis sub Alexandro III. Tutius ergo & consultius visum est ipsam Apostolicam Sedem consuli ad decernendas pensiones, ex quo id tandem perfectum est, ut ad eam tota illa potestas revocaretur. Ex ante disputatis enim, & ex infrà dicendis plus satis liquet, eam hactenus facultatem cum omnibus Episcopis communicatam fuisse, nisi aptius dicere malimus innatam quodammodo illis eam esse. Exemplum promo, ubi pensio adjudicata est pro bono pacis à judicibus Beneficii inter plures controversi; sed ita ut eorum sententia fuerit ab Apostolica Sede expensa, confirmata, emendata. *Extra. De Pręb. c.21.* Post diuturnæ litis fastidia, Prioratum tandem judices alteri electorum addixere; decreveruntque alteri viginti libras annui reditus dari ex proventibus Capituli, & quadraginta ex Prioratûs. Confirmata est autem à Pontifice ea sententia, 1. Quia pensio per dispensationem pro bono pacis adjudicata fuerat. *Secundùm providentiam, pro bono pacis, & utilitatis.* 2. Quod non à Partibus, sed à Judicibus pensio fuerat constituta. *Non ex pactione partium, sed ex jussione Judicum.* 3. Quod non Prioris dignitas, sed persona hac pensione oneraretur; ita Prioratus ipse indivisus perstabat, convenienter Concilio Turonensi; & extincto Priore, extinguebatur & pensio.

Nos

Nos provisionem hujusmodi hoc adhibito moderamine toleramus, ut ad præstationem quadraginta librarum non dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat onerata; ne fortè circa proventus aliqua videatur facta sectio Prioratus; ita quod Priore defuncto successor ipsius ad præstationem quadraginta librarum minimè teneatur.

Hæ universim causæ fuere duæ, referendæ ad sedem Apostolicam totius ferè authoritatis creandarum pensionum. Vel necessitas consulendi inopiæ virorum supra omnem admirationis aleam positorum, ut cum Alexander III. B. Thomam Archiepiscopum & Martyrem Cantuariæ commendavit honestè & frugaliter sustentandum Abbati Pontiniacensi. *Pauperibus Christi te duximus commendandum, huic Abbati Pontiniacensi, non educandum splendidè, sed simpliciter, ut decet exulem & Christi Athletam. Baron. an.1164. n.41.* Vel necessitas observandorum Canonum in dispensatione temporalium Ecclesiæ bonorum, ut suprà, ut infrà positis exemplis declaratur.

VI. Cum *persona*, hoc est titularis Parochus, Parochiam suam Vicario ad septem annos sub annuo censu locasset: *Ad annuum censum per septennium tenendam Ecclesiam suscepit*; & altero ineunte anno eam repeteret; censuit Alexander III. *Append. Conc. Later. part.28. c.1.* eam conventionem, sive locationem ratam esse debere. Is tum erat usus satis pervagatus, ut Vicariis Parochiæ locarentur ad annuum censum, sive ad firmam darentur. Propè id quidem aberat à nostris nunc reservata pensione resignationibus. Cum plurimæ autem Parochiæ annuum penderent censum, vel Cathedralibus Ecclesiis, vel Cœnobiis; ubi primum animam efflaverat Parochus quispiam, advolabant Competitores, qui certatim censum sponderent majorem, quibus aliquando etiam ex animi sententia res procedebat. Detestabilem illam nundinationem proscribi mandavit idem Pontifex ad Archiepiscopum Cantuariensem. *Cum Clerici decedentibus Ecclesiarum personis, pacisçantur ipsis Ecclesiis majores solito solvere pensiones, ut facilius easdem Ecclesias possint adipisci, &c.* Eandem suprà idem Pontifex explodebat perversitatem, cum Canone Lateranensi prohibebat, ne Episcopi, & Abbates, novos census imponerent, vel antiquos augerent. *Ne novi census ab Episcopis vel Abbatibus imponantur Ecclesiis, aut veteres augeantur. Ibid. c.8. 9. 10. 13.* Presbyteri & Clerici furtivis indulgentes cupiditatibus Ecclesias suas injussu Episcopi novis subjiciebant pensionibus; quod hic declarat Pontifex fieri neutiquam posse. *Non enim simplices Sacerdotes, vel Clerici possunt Ecclesias, quibus præsunt, authoritate propria post decessum suum censuales efficere.* Judices litium alteri quandoque Partium pensionem addicebat, ex alterius Beneficio demetendam; decernebat autem Papa, si ea pensio Canonibus non adversaretur, ab Episcopo tolerari eam debere; sed cum sine interventu Episcopi decreta fuisset, cum persona, quæ obnoxia ei erat, eam extinctum iri. *Si compositio non est juri contraria, non est aliquatenus à loci Episcopo reprobanda. Sed census absque Episcopali authoritate & Ecclesia, cui præest, sub hoc prætextu solutus, vitam ejus, qui solverit non excedit.* Abbatibus nonnunquam controversia fiebat de pensionibus, quas pendebant eis Parochi, ditioni & juri eorum subjecti. Ut convalescerent, & perpetuarentur hæ pensiones, duo erant, quæ Pontifex hic necessaria statuerat, ne novæ essent, utque ab Episcopo adjudicata essent. Itaque constabit pensio: *Si præscriptum Canonem de authoritate Præsulis, non de novo impositum fuisse constiterit.* Abolescet autem: *Si census fuerit de novo impositus, sive de Episcopali authoritate factum fuerit, sive non.* Ab eodem denique Pontifice ad Episcopum datæ sunt literæ, quibus monetur, eum, qui jamdiu non residebat Canonicum, dum causa ejus ventilaretur apud Judices, cogi debere, ut Vicarium sibi substituat, qui obeat functiones ejus, & congrua donetur pensione. *Interim vices ejus in Ecclesia alicui honestæ personæ exequendas committas, & tantum ei de Beneficiis illius assignes, unde possit congruè sustentari. Ibid. part. ult. c.11.*

Commemorat Rogerius anno 1182. Legatos, sive Nuntios Pontificios in Scotia de concordia egisse Episcopi Sant Andreani cum Rege, qui ab eo alienato erat omnino animo. Infeliciter cecidit res tota, sed illud propositum fuerat, ut Præsuli renuncianti pensio marcarum quadraginta servaretur. Eodem ipso ex authore anno 1194. Archiepiscopo Eboracensi complures, gravissimæque illisæ sunt accusationes, ac præ cæteris, quòd vacare diutius Beneficia, *ut eorum fructus ipsius usibus applicarentur*: aut quòd unum duobus Beneficium conferret, vel ex iis pensiones sibi aliquas servaret. *Aut Ecclesiam scindit per partes, contra statuta Ecclesiæ Canonica, aut in ea novam & indebitam retinet pensionem.*

Ex hac autem prolixiore exemplorum congerie colligitur, 1. Pensiones fuisse perpetuas, quas Ecclesiis Cathedralibus & Cœnobiis Parochiæ solverent. 2. Legitimas eas fuisse, si antiquæ essent: nec enim toleratas esse Concilio III. Lateranensi recentiores. 3. Tolerabantur, quas Parochiæ pendebant Abbatibus, si antiquæ essent, & Episcoporum authoritate institutæ fuissent. 4. Ad terminandas lites à Judicibus indicebantur pensiones, easque tolerabat Episcopus, si judicium illud Canonis institutis inimicum non fuisset. 5. Sed pensiones istæ ad successores Beneficii non manabant, quanquam superstes esset cui eæ fuerant assignatæ, si eæ nulla interveniente Episcopi authoritate constitutæ fuissent. 6. In Concilio Lateranensi III. excidere Episcopi jure creandi pensiones novas perpetuas, vel veteres augendi. Potestas intacta & sospes constitit semper Episcopis & Judicibus, imponendi personales pensiones & temporarias. Ea est certè disciplina hodierna Juris Canonici, quanquam ea potestate ultro abstineant Episcopi Gallicani, & ad Pontificem semper recurratur, ad lites Beneficiorum pensionibus componendas. 7. Fuere Vicarii, qui personæ, sive Titulari pensiones solverent, reliquis Beneficii proventibus fruerentur: fuere & Vicarii, quibus pensionis aliquid ex fructibus Beneficii addiceretur. Priores illi conductores erant Beneficii ad certum tempus. Posteriores verè pensione sua congrua donandi erant, qua & honestè ipsi vitam & dignitatem tueri possent, & Episcopalia, & atque Cathedratici jura pendere, ex eodem Alexandro III. *Ad præsentationem Monachorum nullum recipias, nisi tantum de Beneficiis Ecclesiæ fuerit ei assignatum, unde jura Episcopalia possit solvere, & congruam sustentationem habere. Ibidem Part.39. c.1.* 8. Id quoque sibi laici quidam licere voluerant, ut pensiones adsignarent, sed ea pestis statim oppressa est.

VII. Concilium Parisiense anno 1212. *Part.5. c.13.* Canonem innovavit Concilii Turonensis adversus divisiones Beneficiorum. In Concilio Lateranensi IV. anno 1215. graviter objurgati sunt Patroni, qui Parochis suæ præsentationis non tantum dimitterent, quantum honestæ sufficeret sustentationi. Vetitum ibidem est ne Parochi Ecclesiam suam per Vicarium administrarent, nisi defungenda ipsis præterea incumberet Præbenda aliqua, vel Dignitas. Tum enim permittuntur Parochiæ suæ Vicarium præficere perpetuum cum pensione congrua. Sed eodem ipso Canone expressissimè prohibetur, ne simplici Vicario pensione idonea instru-

structo demandentur eæ Ecclesiæ, quas juris morisque est proprium babere sibi Parochum. *Illud autem penitus interdicimus, ne quis in fraudem, de proventibus Ecclesiæ, quæ Curam proprii Sacerdotis debet habere, pensionem alii quasi pro Beneficio conferre præsumat.* Can.32. In Concilio Oxfordiensi anno 1222. luculentè inculcatur inferiores etiam Beneficiarios ipsos, maximè autem Parochos, sponsos esse Ecclesiarum suarum; ex quo id scilicet existit, uni sponsæ, uni Ecclesiæ, unum esse posse sponsum, unum Pastorem. *Quia juxta Canonicas sanctiones inter carnale & spiritale matrimonium optima est comparatio; & cum unam sponsam inter duos sponsos dividi naturalis ratio minimè patiatur: inhonestum est plurimum, quod Ecclesia Dei, quæ unica debet esse una, multorum amplexibus frequenter ancilletur.* Can.12. Jubetur mox ibidem, ne possit eadem Parochia duobus committi Rectoribus, seu diatibus personis; sicubi duo sint, ejus qui prior vita abierit, & rem temporalem, & dignitatem superstiti accessuram; ne unquam denique ejusdem sint Ecclesiæ duo Vicarii, quod de perpetuis Vicariis interpretandum, & titulo ipso insignibus. *Inhibemus, ne de novo aliqua Ecclesia pluribus Rectoribus, quorum uterque sit persona, committatur regenda. In Ecclesiis autem ubi nunc plures personæ existunt, statuimus, ut singulis decedentibus, accrescat viventibus portio decedentium, donec ad unum solum illius Ecclesiæ perveniat personatus; Nec de cætero plures Vicarii in eadem constituantur.* Excipiuntur hic tamen, & vetustissimæ consuetudini suæ permittuntur Ecclesiæ, ubi solemne erat plures esse Parochos: *Illis Ecclesiis ab hoc statuto damtaxat exceptis, quæ ex antiquis divisæ fuerunt.* Remittere mox tamen nonnibil videtur Concilium, ubi permittit Episcopis, ut conduci & locari sinant Ecclesias Parochiales, dummodo ii, quibus ad firmam dantur, ita spectatæ sint pietatis, ut meritò sperari debeat, eos proventibus Ecclesiæ, ea, qua par est frugalitate & sanctimonia usuros. *Cum nonnisi in vinea laboranti retributionis denarius sit porrigendus, nec nisi qui altari deservit, de altari vivere debeat; statuimus ut Ecclesiæ certis personis deputata nulli dentur ad firmam, nisi fortè justa causa fuerit, & à suo Episcopo approbata, & ita ut de ejus consensu alicui personæ & ordinata dentur ad firmam, de qua verisimiliter præsumi debeat, quod fructus Ecclesiæ in bonos usus convertat.* Can.40. Dilucidum hic est, conductores istos Ecclesiarum, earum proventus in potestate sua habuisse, pensione tantum aliqua Titulari, seu personæ decerpta. Inde est autem quod eæ firmæ toties & tamdiu proscriptæ fuere.

Aliquantò plus constantiæ & vigoris enituit in Canone proximo ejusdem Concilii; ubi pronunciavit ad amoliendas præstigias inextinctæ hominum cupiditatis, cum prohibitum esset à Concilio, ne plura simul retinerentur Beneficia, quibus animarum mandata esset procuratio: prohibitum æquè fuisse, ne nova quis in se suscipienda Parochia, partem retineret, ac veluti pensionem ex proventibus prioris Parochiæ. *Ut versutiis & calliditatibus aliquorum obviemus, qui in fraudem Constitutionis generalis Concilii novas quasdam adinventiones fingere moliantur; statuimus, ut non liceat alicui aliquid assignare in Ecclesia quidquam nomine Beneficii, quasi hoc ei liceat obtinere cum alio Beneficio, cui animarum cura fuerit annexa.* Can.41. Vetustissima ergo illa fraudulentia est, Beneficiorum pluralitatem, maximè incompatibilium, pensionibus obumbrari, & fructibus eorum retentis, quibus quis simulatè renuntiat; Calliditates istiusmodi ubi primùm erupere, proscriptæ sunt. In Concilio ad Castrum Guntherii manifestè patet, etsi Beneficiarius titulum Beneficii retineret, ubi tamen illud ad firmam dederat, jam pensione magis, quàm Beneficio illum potitum esse. *Si aliqua necessitate contingat, quod aliqua Ecclesia alicui tradatur ad firmam, talis portio fructuum Ecclesiæ reservetur Capellano, quod ex ea valeat sustentari.* Can.5. Illud quoque placuit huic Concilio, ut ubi nondum definitus fuerat numerus Canonicorum, definiretur in posterum, ne in duos Præbenda quævis divideretur. *Statuimus, quod ubi non est certus numerus Canonicorum, statuatur; ne fiat Ecclesiarum sectio vel Præbendarum, sed cum integritate conferantur.* Can.6. In Constitutionibus Beati Edmundi Eboracensis Archiepiscopi decernitur anno 1236. ut Patronus & præsentatus jurent, nulla nova pensione onerari Ecclesiam, & ne qui Parochus fuit, ejusdem Ecclesiæ Vicarius mox evadat. *Ne quis, qui priùs Ecclesiæ fuit persona, in eadem Ecclesia fiat Vicarius.* Cap.28. Nova hæc erat versutia, ad retinendos ex parte fructus resignati Beneficii, cum Vicarius quis ejus jam designabatur, & Vicariorum pensione gaudebat. In Concilio Londinensi anni 1237. vetitum est dari Beneficia ad firmam perpetuam, ne Clericis quidem. Ne Prioribus enim spoliarentur Beneficiis, alia ad firmam perpetuam accipiebant, ea spe adducti, fore ut ipsi quidem proventus eorum perciperent, Titularis pensione contentus esset. *Ne aliis ipso jure Beneficiis, quæ obtinuit privaretur, callidè procuravit, ut Ecclesia illa pinguis perpetuò sibi ad firmam traderetur, & quod modicum quid inde solveret alius nomine personatus, sibique totum reliquum retineret.* Can.9.

VIII. Anno 1253. Concilium Campiniacense, *Cogaac.*, Canonem innovavit Concilii III. Lateranensis adversùs gravissimas quasdam pensiones, quibus Prælati inferiores Parochos fatigabant. Erant enim duplicis generis Parochi. Alii congrua pensione donabantur à Prælatis, penes quos erant omnes fundi & agri Parochiæ. Alii fundos ipsi Parochiæ obtinebant, Prælatis certas solvebant pensiones. Hujus Concilii decreto, *Can.13.*, jussi sunt Episcopi his pensionibus modum adbibere, & cogere Prælatos, ut relaxarent sacramentum, quod à Parochis expresserant, de solvendis pensionibus immodicis. In alio ejusdem urbis Concilio anno 1260. vetitum est, ne novæ pensiones imponerentur Ecclesiis, vel augerentur antiquæ, nisi earum proventus multum amplificati fuissent. *Nisi fortè postea adeo Ecclesiarum hujusmodi excreverint, vel decreverint facultates, quod debuerint vel debeant merito pensiones minui vel augeri.* Can.14.

Anno 1268. in Concilio Londinensi enarratis priùs earum calamitatibus Ecclesiarum, quibus multi simul incubant, vel Titulares, vel Vicarii; gravissimæ constitutæ sunt pœnæ in eos Patronos, qui plures simul præsentarent ad unum Beneficium, & in Prælatos, qui eos admitterent; denique in eos Prælatos, qui Beneficia non conferrent, nisi reservata sibi parte fructuum, vel aliis assignata. *Quod detestabilius est, in tantum in quibusdam Prælatis ardor cupiditatis & avaritiæ exardescit, ut præsentatos ad Ecclesiastica Beneficia non admittant, nec ea aliter conferant, nisi certa proventuum & redituum Beneficiorum ipsorum portione retenta, quam suis usibus applicant, vel aliis eam ad tempus, vel simpliciter conferunt pro sua libito voluntatis.* Can.12. Irritæ posthac decernuntur omnes hæ unius Beneficii in plures Collationes; si quæ id genus factæ essent, eas revocari placuit, nisi antiquissimæ forent. *Ut merito possit antiquitatis jure censeri;* denique rescissæ sunt pensiones, si quas in posterum Patroni Beneficiis imponerent. *Si qua verò de cætero fiat divisio, sive alicujus portionis retentio, vel assignatio, hanc nullam ipso jure decernimus.* Hic postremò prohibiti sunt Episco-

scopi, ne Episcopis aliis, vel Abbatiis, vel Prioratibus Ecclesias suæ ditionis addicerent, nisi qui hoc dono afficiuntur, gravi urgeantur paupertate, cut merito suadeat charitas opem ferri. *Episcopis inhibemus, ne quis eorum Ecclesiam sibi subjectam alteri Episcopo, vel Monasterio, seu Prioratui appropriationis jure conferat vel assignet; nisi is cui appropriare voluerit, adeo manifestè paupertatis prematur onere, vel alia legitima causa subsit, quod talis appropriatio, non tam juri contraria, quàm pietati consona merito censeatur.* Can.23. Illud verò apptopriationis jus dicebatur, ubi Episcopo, vel Abbati ita Ecclesiæ quævis donabantur, ut eas mensæ suæ conjungerent, regerentque deinceps per Vicarios congrua pensione sustentandos. Quin & ibidem expostulat Synodus de Cœnobiis, ubi ne Vicarios quidem designabant Ecclesiis, quas ita proprio jure sibi adglutinassent. *Ut totum quod ex appropriata sibi Ecclesia provenit, inhianter absorbeant.*

Duplex hic Episcopis amputatur potestas. Ne aliis Episcopis, Abbatibus, Prioribus Ecclesias dent in proprium. Et ne in conferendis Beneficiis pensiones decerpant, vel sibi ipsis, vel aliis profuturas. Cum ex ea duplici potestate tantom querelarum emergeret, æquum visum est Prætulibus hujus Concilii, ut semetipsos ea exuerent. Non injura ergo diceotur Episcopi, utroque eo jure ipsi sese abdicasse, & usum invexisse, interpellandæ Sedis Apostolicæ ad pensiones indicendas. Vetuerat Concilium Lateranense III. novos census imponi Ecclesiis Parochialibus. Sed alienum id prorsus erat ab ea potestate gemina, qua de hic agimus.

Refertur à Matthæo Paris ad annum 1251. renunciatio Episcopatus Nicolai Episcopi Dunelmensis in gratiam novi Episcopi Valteri, retenta sibi tertia admodum Episcopatus parte. Querelas clam ea de re insusurravit in aures Papæ Valterus cum Capituli sui Cathedralis Monachis, à quo responsum est, de ea re convenisse partes, doctorum virorum ad hoc adhibitorum diutina consultatione præmissa, & tum Pontificis & Regis accessisse confirmationem: *Papam adierunt dicentes, quod iterationibiliter facta fuit portio Episcopatus Dunelmensis Episcopo Nicolao cedenti; & quod ipse Nicolaus ferè tertiam partem Episcopatus habuerat, unde petiecunt Episcopatum vel eedintegraei, vel minus damnificari. Quibus Papa, Miramur super his, Nonne facta fuit distributio illa, & partitio per magnam deliberationem, & considerationem virorum peritorum, & consensum partium, & res jam confirmata est per nos, & Regem Angliæ, & per Provisores.* Ita confirmata est pensio, & hoc illustre exemplum fuit pensionum ad terriam omnium seu fundorum, seu redituum partem revocandarum. Accessit consensio Regis & Papæ, quòd Episcopatus res a geretur.

Synodus Excestrensis anno 1287. statuit, *Cap.*28., ut pensio Vicarii perpetui in Ecclesiis marcarum quadraginta annui reditus, quinque esset marcarum, ut suppeteret ei unde foverentur hospites, & ipse sibi adesset, si quando afflicta esset valetudine, aut ubi cœpisset ætas ingravescete. Si opimiores autem essent Ecclesiæ proventus, tunc arbitrio suo Episcopus pensioni moderaretur Vicarii, ea ratione servata. Hæc certè portio ad tertiam partem ne accedebat quidem; sed illud observari par est, congruam & pene jam redundantem fuisse quinque Marcarum eo ævo pensionem: porro hatum plerumque Ecclesiarum proventus adscripti jam erant mensæ Episcopi, Capituli, vel Abbatis. In Collectione Conciliorum Provinciæ Rotomagensis edita est Epistola Alexandri IV. Papæ ad Archiepiscopum Rotomagensem, ubi præcipitur, ut Abbatiæ Sancti Audoeni, non adjudicetur nisi tertia pars redituum Parochiæ ei unitæ, reliquæ autem duæ partes vendicentur ei Ecclesiæ, quæ latissimè se porrigebat, nec complurium poterat carere Presbyterorum ministerio. Idem pene decretum est in Concilio Cicestrensi. Nec ab his abhorrebat Concilium Eboracense anni 1367. *Cap.*13. Anno 1439. Archiepiscopus Cantuariensis statuit, *Can.*3., ut pensiones Vicariorum, duodecim essent Marcarum. In antecessum id præmisi, jam enim revocandus est gradus ad Concilia sæculi XIV. ubi perlustraverimus sæculum XIII.

IX. Improbata est in Concilio Palentino, *Can.*9., anno 1322. divisio unius Parochiæ in plures Parochos, maximè propter redituum tenuitatem; statutumque ut cum primum vacarent ea Beneficia, Parocho primario unirentur, donec proventuum illi copia idonea suppeteret. Concilium Parisiense anni 1346. vetuit ne Prælati Regulares mensæ suæ adjungereot Prioratus, Parochias, Administrationes, Beneficia, quæ necdum adjuncta fuissent, aut novas illis adderent pensiones, vel antiquas angerent. *Can.*11. De Episcopis hic siletur, quod ea, ut opinor, illi re se jamdiu abstinuissent in Ecclesiis suæ ditionis. Sed cum eæ consuetudines, & diutius, & latius inter Regulares serpsissent, operosius etiam fuit eas inde stirpitus excidi.

X. Multa novata, multa turbata sunt in Ecclesia ex occasione traductæ Avenionem Romani Pontificis sedis, reversionis Pontificum in urbem, & schismatis hinc conflati. In Conciliis deinceps altum fuit de his pene omnibus silentium, quibus edisserendis, hactenus operam dedimus; causæ & quæstiones aliæ ebulliere. Tempore Concilii Constantiensis pleraque Beneficia obtinebant eadem alii & alii diversæ Obedientiæ sectatores, dum grassaretur adhuc schismatis flamma. Quin & illis ibi despondebatur ita temperatum iri consilia & decreta omnia, ut omnibus ultro citroque satisfieret. *Cum debita mansuetudine & rationabili æquitate, ita quod una pars alia deceriat non tractabitur.* *Sess.*24. Duo erant Bajocensis civitatis Episcopi; jussit Concilium, *Sess.*31., ut qui superstes fuisset ambo rum, solus deinceps eam Ecclesiam regeret, nequem Capitulum sublegeret, ne temerè electum Metropolitanus confirmaret. Hæc adversùs divisionem Beneficiorum.

Verùm quod ad pensiones attinet, fœdissimam certè earum historiam contexuit is, qui gesta Caroli VI. Francorum Regis literis commendavit Monachos Sandionysianos: sic enim ille de Cardinalibus Pontificis Avenione sedentis. *Cum corrasissent, obtinerentque hi Cardinales opima quæque Regni Beneficia, tituli omnes Ecclesiastici in paucissima capita coaluerant, nec eorum functiones erant ullæ, donec ut invidiam inde redundantem abstergerent, hoc velati ludibrio fucum facere voluerunt. Nempe ad dissimulanda quæ magno numero obtinebant Beneficia, illa resignabant retenta pensione: quæ firma tamen aptius, quàm pensio diceretur, cum plerumque pensio fructuum modum superaret: ita ut nequissimi & ignavissimi coadactores cogerentur sæpissimè Beneficio & Officio divino sese subtrahere, & aufugere, ut quæstu copiam alio, etiam sæculari vitam tolerarent.* L.1. n.11. Nec me præterit hæc exaggeratius & aculeatius dici potuisse. Audivimus suprà Carolum ipsum VI. Regem de his conquerentem. Itaque ex schismatis contagio, & ex utriusque obedientiæ Cardinalium egestate, multiplex hæc illabi potuit labes. 1. Ut cœperint Beneficiariorum hinc emigrantium spolia Papæ vendicari. 2. Ut Annatæ Beneficiis Consistorialibus imponerentur. 3. Ut Cardinales Beneficia sibi cujusvis generis coacervarent. 4. Etiam Beneficia Regularia, ex quo acerbius se dolere testabatur Carolus VI. ipse Rex an-

anno 1385. *Abbatias, Prioratus Conventuales & alios Orphanotrophia, seu Hospitalia domus Dei, in Abbatiis etiam & Prioratibus officia Claustralia & alia, ac dignitates majores in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis acceptant & obtinent. Preuves des Lib. del' Eg. Gal. c.22. n.8. 5.* Denique si quæ pinguiora Beneficia Cardinales aut nollent, aut pudore obruti non auderent retinere, ea pensionibus gravissimis exugebant.

Clericos quoque Capellæ suæ Regiæ donaverant Angliæ Reges pensionibus in Patronos Beneficiorum fundationis Regiæ, donec illis Patroni idonea Beneficia adsignassent. Ita declarat Constitutio Archiepiscopi Cantuariensis anno 1417. qua illud laborabatur, ut Graduatis Academiarum Oxfordiensis & Cambridgiensis Beneficia conferrentur, *Salvo eo, quod Patroni de fundatione Regia existentes, qui ratione vacationum dignitatum, locorum Monasteriorum suorum, diversis Clericis domini Regis in certis pensionibus annuis sunt astricti, quousque ipsi aliqua Beneficia competentia eisdem Clericis obtulerint & ipsa acceptaverint. Conc. Angl. Tom.2. pag.617.* Alibi quoque meminit idem Archiepiscopus, consuetudinis hujus Regiæ in Anglia, ut pensiones assignarentur à Regibus, & Patronis solvendæ, donec Beneficiis ipsimet eosdem Clericos ornassent. *Per hanc provisionem præjudicare non intendimus Patronis prædictis, quo minus ipsi & eorum singuli, de Beneficiis prædictis, personis quibus in certis pensionibus annuis authoritate Regia onerantur, quousque de Beneficiis Ecclesiasticis per eos congruè sit provisum; sed quod ipsi talibus personis ante omnia, de Beneficiis hujusmodi providere possint; ita quod deinde quoad alia Beneficia postea vacatura præsentem ordinationem observent in omnibus, sicut decet.* Velut Indulta ea erant Regum Angliæ ad Patronos Ecclesiasticos Regiæ fundationis; & Indultarii hi Graduatis anteponebantur, quin & pensione fruebantur annua, donec Beneficia assignarentur idonea. Et recentes erant, & nonnihil sibi affines pensiones istæ, quas vel Cardinalibus suis Pontifices, vel Reges Angliæ Clericis suis addicebant. Peccabant tamen in Canones, *Can.20. 51. 52.*, tum Angliæ Reges, & rem tentabant sæpius in Conciliis explosam, & quæ rursus proscripta est in Concilio Salisburgensi anno 1420. ne Patroni sibi quidquam retinerent de proventibus Beneficiorum suæ præsentationis. Sed ex iis quæ modò memorabat in sua Constitutione Archiepiscopus Cantuariensis, facilè auguramur Episcopos Anglicanos ei consuetudini Regiæ acquievisse, eique assensu suo authoritatem conciliasse. Cum verba faceremus de Collationibus, illud à nobis ex Carolo Molinæo adnotatum est, quo primum tempore Reges suas condidere Regias, seu Sanctas Capellas, non statim ea verissima fuisse Beneficia, sed sedes honorificas, quas arbitrio suo annuerent, regerentque summa quadam authoritate. Exolescente paulatim memoria hujus originis, hinc conflata sunt Beneficia, quæ deinceps ex regulis Juris Canonici administrarentur.

XI. Sed multò vehementior exarsit flamma invidiæ in pensiones, quæ in Curia Romana adjudicabantur, maximè Cardinalibus. Anno 1522. cum Carolus V. Imperator Adriano VI. Papæ vota & postulata Germanorum explanaret: etiam atque etiam obtestatus est, ut in Germania ad ejusdem adversùs Turcos tuitionem retinerent, non solùm annatæ, sed etiam pensiones, quas Romana Curia ex Germaniæ Beneficiis decerpebat: *Præterea cuperent, nostraque intercessione à S. V. obtinere posse sperant imprimis, ut pensiones, quæ ex Sacerdotiis Germanicis Curiæ S. V. & Romanæ urbis hominibus persolvuntur, posthac in Germania detineantur.* Anno 1563. aliquantò præclariores, & à privato compendio alieniores ad Concilium Tridentinum allegavere preces Legati Caroli IX. Galliorum Regis, ut revocarentur pensiones omnes in Beneficia, & ne posthac ullæ adjudicarentur, quò proventus Ecclesiæ in opera expenderentur pia & religiosa. *Pensiones super Beneficiis non constituantur, & quæ sunt constitutæ tollantur, quò reditus Ecclesiastici in alimenta pastorum & pauperum aliosque usus pios transferantur, Memoires pour le Concile de Trente. pag. 374. 372.*

Ex Franciscanorum claustris extrahi ad Archiepiscopatum Toletanum non potuerat Ximenius, sex mensibus cum Ferdinando Rege & Isabella Regina ante conflictatus, nisi abrupto Papæ imperio, & annuentibus vicissim Regibus, ut nihil unquam illi pensionis imponeretur. *Illud semper excipiens, si nullis conditionibus ullave pensione prægravatum eum dignitatem darent.* Ita ferè sibi omnes persuaserant, suo ex ingenio soliti de aliis æstimare, Franciscanum Monachum vel tenuissima portione contentum fore Archiepiscopatûs omnium toto orbe opulentissimi, & in Regum arbitrio fore, ut reliquos proventus amplissimos converterent in ea, quæ ipsimet jamdiu meditabantur Reipublicæ Christianæ fructuosissima. Hac animi magnitudine Ximenius Reges ipsos in admirationem & amorem sui rapuit ampliorem, & Hispanicæ genti, atque Ecclesiæ Christi plus laudis, plus veri gaudii conciliavit, quàm ex qualicumque alio fœnore parari potuisset. *Tanta est virtutis vis, & tam potens verus potentiæ honorumque contemptus.* Hæc Gomecius in Ximenii vita. *L.5.*

Nec minùs alienus erat B. Carolus Mediolanensis Archiepiscopus à Pensionibus. Inter exordia Episcopus quidam pensionem ei annuam solvebat, quàm & sibi remitti flagitavit ad sarta tecta cujusdam Ecclesiæ. Objurgavit illum Carolus, quod Episcopatum vel cum onere pensionis exambisset; nec postulatis ejus annuit, sed pensionis omnem pecuniam in Ecclesiæ reparationes & ornamenta expendi fecit. Porro ubi Carolus ad Ecclesiæ Mediolanensis clavum tractandum accessit, ita pensionibus gravabantur Beneficiarii omnes, ut nemo jam cordatus, & qualiscumque meriti, assentiri posset subeundæ sarcinæ Ecclesiæ Parochialis. Carolus posthac ullas concedi passus non est, & tota virium contemptione istiusmodi Rescriptis Romanis, vel ea impetrantibus reluctatus est. Audiendus ejus vitæ Scriptor Novariensis Episcopus. *L.7. c.35. Fructus suos unicuique Ecclesiæ Presbyterisque singulis integros relinqui curavit vehementer, & effecit. Eo namque primum Ecclesiam capessente, vel magna ex parte, vel toti alienis hominibus erant reservati. Ex quo fiebat, ut qui essent aliquo numero Presbyteri, sacerdotia recusarent, quorum facultatibus pro dignitate vitæ cultum minimè possent conservare; qui verò accipiebant, pravi pretii homines, neque doctrina, neque authoritate, satis muneri suo facere valebant. Itaque neque pensionis onus vel minimum, cuiquam Ecclesiæ imposuit unquam; & si quis fortè per authoritatem superiorem obtinere vellet, contra totis viribus pugnavit.* Unus tantummodo fuit Parochus, cui pensionem indulserit, eamque permodicam ex Parochia, qua abibat, postquam in ea diutissimè ministraverat ut jam valetudine uteretur infirmissima. A' Philippo II. Hispaniæ Rege narrat Glossanus, *L.5. c.8. L.2. c.2. L.8. c.7. 11. 28.*, Carolo concessam esse pensionem novem millium Philippeorum ex Archiepiscopatu Toletano. Tum verò Carolum abdicasse se duodecim Abbatiis, pluribusque pensionibus, nec retinuisse nisi Archiepiscopatum Mediolanensem, & pensionem Toletanam. Benemeritis de Ecclesia Clericis assignavit pensiones suo ex patrimonio, non ex Beneficiis colligendas. Numquam

ip-

ipsum pœnituit hujus Beneficiorum & pensionum voluntariæ abdicationis, quanquam ad graves nonnumqoam angustias adactus sit, cum tempore pestis Mediolanensis, alenda curandaque in se recepit sexaginta, vel septuaginta pauperum millia. Abhorruit autem maximopere ad adsignandis pensionibus, præsertim in Ecclesias Parochiales, nisi si fors Parochis vetulis, infirmis, egenis adjudicandæ essent.

In eo obsequebatur B. Carolus, sin minus decretis, certè consiliis & votis Tridentini Concilii. Eam luem enim tam latè propagatam, tam altè irradicatam invenere Tridentini Patres, ut desperatione medicinæ plenioris, vim mali temperare dumtaxat curaverint. Vetuere, ne pensionibus gravari possent vel Cathedrales, quæ mille Philippeos, vel Parochiales Ecclesiæ, quæ centum annuis suis fructibus non superarent. *In posterum omnes hæ Cathedrales Ecclesię, quarum reditus summam Ducatorum centum secundùm verum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur. Sess. 24. c. 13.* Concessum ab iisdem est ordinari Clericos, sub titulo vel Beneficii, vel patrimonii, vel pensionis, quæ pensio tunc fixa & perpetua instar Beneficii esse incipit. *Sess. 21. c. 2.* Cautissimè & providentissimè factum, cum extingui non possent pensiones, ut ad Beneficiorum ingenium & leges refingerentur, & iisdem pene functionibus dicarentur, de quo mox.

Memorabiles in primis hæ fuere pensionum vices & mutationes, ut ex historica superius earum enarratione colligi potuit. Usque ad Avenionense Schisma summa semper vigore & invicto robore pensionibus repugnaverat sedes Apostolica, & corruptelis inde pullulantibus. Ea fuit eorum schismatis temporum importunitas, ut plerique Cardinales pensionibus longè plurimorum Beneficiorum suam inopiam levari cuperent. Hinc pensionum effrenata licentia Christianum orbem invasit. Ei malo ex parte obviatum est Bulla Pii V. qua jussi sunt qui pensionibus gaudent, officium Beatę Marię quotidie recitare, vestem & tonsuram Clericalem gestare: ita enim illi in Beneficiarios minorum, ut ita dicam, gentium transcripti sunt. Bulla Pauli IV. declaratum jam fuerat pensiones à solo Papa decerni posse. Sed quę de Beato Carolo dicta sunt, ex iis plus satis liquet, non eam esse metam nostrorum votorum debere, etsi forsan in præsentiarum esse debeat spei.

XII. In Concilio Toletano anni 1566. simonię suspicione conspersi sunt ii, qui Beneficiis regnandis pensiones sibi injussu Papę reservarent. *Suspecti de simoniaca pactione tacita, vel expressa censeantur. Can. 31.* Non perfunctoriè prętereonda est ea loquendi accuratio & diligentia. Nec enim rectè & propriè dicitur simoniam à Papa purgari, effecique ut pensiones non sint simoniacæ. Possunt enim simoniacæ esse, etsi à Papa concedantur, si Papę obreptum sit. Et ex adverso possunt non esse simoniacæ, si supra expositis Regulis juris Canonici, & Decretalibus consentiant; quanquam vel tunc qui eas impetrant, simoniæ suspicione inquinentur, nisi assensio Papæ intervenıat, propterea quod jure novo sanciatur, ut à Pontifice examinentur & probentur. Ratio ejus rei perfacilis est, etsi enim aliquæ pensiones Pontifici surripiantur, longè rarius illud tamen & infrequentius malum est, quàm si suo nutu etiam nunc Episcopi omnes ea facultate concedendarum pensionum uterentur. Anno 1581. in Concilio Rotomagensi simoniacæ declaratæ sunt pensiones nulla Pontificis interventione concessæ. *Omnes pensiones & pactiones super Beneficiis, in quibus non intervenit sedis Apostolicæ approbatio, illicitas & simoniacas declaramus. Tit. De Episcop. Offic. c. 20.* Concilium Bituricense anni 1584. simoniacos pronunciavit, qui pensiones non interpellato Pontifice annuerent, aut de iis paciscerentur. *Accipientes quacumque Beneficiu custodia aut fiducię nomine, vel ex eisdem pensiones sine Summi Pontificis authoritate paciscentes, aut percipientes, se simoniacos esse intelligant. Tit. 41. c. 1.* Anno 1590. in Concilio Tolosano diffinitum est pensiones novas Ecclesiis imponi jam à Patronis posse nullas, nisi permittente Papa. *Quæ post fundationem Ecclesiæ non impetrata sedis Apostolicę licentia, pensiones, quæ onera ab iis imposita fuerint, ea omnia penitus uti inania & nulla tollant. Cap. 9. n. 5.* Concilium Aquilejense anno 1596. decrevit, *Can. 11.*, Constitutiones duas Sixti V. anno 1588. editas iis recitari, qui Beneficia cum habeant, vel pensiones, ultra sexaginta Ducatus annui reditus, in habitu & tonsura esse Clericali aspernantur. *Si pensionem ultra ducatos sexaginta possident, tonsuram verò, & habitum clericalem deferre contemnunt, amantes lucrum, insigne verò sua professione abhorrentes.*

XIII. In Comitiis Cleri Gallicani anno 1598. detonuere Præsules in eas, quæ jam laicis adsignabantur pensiones; ubi & illud testatum fecere, per mores Ecclesiæ Gallicanæ, & per regulas juris Canonici, eas non concedi omnino nisi trifariam. 1. Ad terminandam litem inter ejusdem Beneficii competitores. 2. Ad æquanda Beneficia, quæ permutantur. 3. Et ad assignandam necessariam sustentationem iis, qui Beneficia resignare compelluntur ætate jam affecta, vel infirmitate corporis gravi, vel justis aliis causis. Extra has species rescindi pensiones à Magistratu Civili, nec ullas admitti in Episcopatus, Parochias, & Beneficia quęvis animarum regimen invehentia. Hinc concludebatur à Præsulibus multò minùs tolerandas esse pensiones laicis assignatas. *Conc. Noviss. Gall. pag. 563. 117.*

Conventus Melodunensis Cleri Gallicani anno 1579. excanduerat in pensiones laicis indultas, impetrata à Rege licentia non admittendi in Congregationes Religiosas, in Comitia Cleri, & in Ecclesiam, eos omnes, qui ejusmodi pensiones solverent. Edicto Ludovici XIII. Regis anno 1629. illud sancitur, *Art. 15.*, ut *Archiepiscopatus, Episcopatus, Xenodochia, Parochia, nullis posthac graventur pensionibus; Abbatia verò, & alia Beneficia Regiæ nominationis ne aliis item onerentur, nisi gravi de causa, & ad Clericorum tantùm sustentationem.* Denique Ludovici XIV. Edicto anno 1671. statutum est, ne pensiones accipere possint ex Parochiis, vel Canonicatibus, sive Cathedralium, sive Collegialium Ecclesiarum, nisi qui spatio annorum quindecim in illis ministraverint; *nisi ex causa ægritudinis, & infirmitatis Episcopo perspecta*, & qua fiat, ut ministrare jam non amplius possint; utque vel tunc eæ pensiones ne tertiam partem superent, & titulari semper supersint, trecentarum saltem librarum reditus, præter oblationes Parochiarum, & Canonicorum distributiones. Hoc porro Edictum, alia Declaratione registrata & promulgata in Parlamento, & Majore Consilio, ampliatum est ad Dignitates omnes, Personatus, Officia, Capellas, aliaque Beneficia, quæ residentiam personalem desiderant in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegialibus.

XIV. Tempestivum jam est aliqoid affundere luminis ei sententiæ, suprà obiter & strictim libatę pensiones posteriori hoc ævo jam pro Beneficiis quodammodo haberi posse. Ante non pauca retro sæcula Vicarii revocabiles & non revocabiles Parochiarum, & Parochi ipsi, qui Capitulis & Abbatiis obnoxii erant, utplurimum pensionibus, vel por-

portionibus tantùm congruis fruebantur, fundis ipsis horum Beneficiorum adjunctis & concretis cum Mensa Capituli, Abbatis, vel etiam Episcopi. Si ulterius antiquitatis memoriam revolvamus, Beneficiorum proventus solis distributionibus constabant, quæ perparum à pensionibus distant, vel plusculum etiam distant à Beneficiis. Sed ut intra limites posterioris hujus ævi nosmet coerceamos, cum Concilium Tridentinum permittat quemvis ordinari tam sub titulo pensionis, quàm sub Beneficiis & jam tone stabilitatem quandam inusitatam ei pensioni conciliet, nonne videtur eam gloria & dote Beneficiorum exornare? At Sixtus V. Bulla *Cum sacrosanctam* jubet omnes pensione gaudentes, tonsora & veste Clericali insigniri, aliàs pensione privandos, & pensiones ipsas extinguendas: quin & prohibet posthac pensiones adjudicari, nisi iis, qui jam Clerici sint, & habitu ac tonsura Clericos se profiteantur, si pensio excedat sexaginta Ducatos; sed quantumvis tenujores sint pensiones, qui iis donantur, eos Clericos esse necesse esse, quamvis non cogantur in veste & tonsura esse Clericorum. Pius V. Bulla *Et proximo* pensione quavis insignitos vult quotidianis desungi Beatæ Mariæ horis Canonicis. Itaque ex doctrina recentiorum Canonistarum hæ pensiones propter Officium dantur, sicut & Beneficia, & ex iis spiritalis quidam exurgit Titulus; unde nec emi, nec redimi, nec divendi possunt citra simoniam; inito quoque matrimonio, ut amittuntur Beneficia, ita extinguuntur pensiones. Anno denique 1576. audita relatione Congregationis Concilii, declaravit Pontifex privilegium fori ita pensione, ut Beneficio conferri, si vestis & tonsura Clericalis gestaretur, quamvis nihil Beneficii quis adeptus esset, nec à proprio Episcopo quiquam esset affixos Ecclesiæ. Horum sanè complura carpsimus ex Fagnano *in L.s. Decret. part 1. pag.239.*

Quas verò conditiones & leges præscripsere Pontifices pensionibus, eæ tantò arctioris videri possunt obligationis, quòd illi, & quidem soli, interpellantibus Regibus pensiones annuant. Ex eo enim facilè conjicimus, non concedi ab illis pensiones, nisi servatis legibus à se antè præstitutis. Si Judices terreni non eo semper juris vigore judicant, Judex cœlestis & interior justitias ipsas judicabit, nec indulgebit forsan, quibus hic indultum fuerit. Extimescendum omnino est, ne damnet Veritas sempiterna & incorruptibilis, qood inultum abire patitur homo, cui sibi potius ipsi pœnas dare temporales conduceret, quàm dare æterno Judici sempiternas.

Non possum autem non hic saltem illud assuere, quod pene me effugerat: cum olim omnes pene Lutetiæ Studiis celeberrimis operam dantes, emolumentis quibusdam recrearentur, quibus addicta erat species & imago quædam Beneficii & pensionis: ideo & in solemni Reformatione Universitatis facta anno 1542. jussi sunt omnes quotidie sacro interesse, & horas canonicas exolvere beatę Marię: *In primis discipuli sacrificio adesse cogantur, simul ad horas Christipara Virginis dicendas; nec minus ad Psalmos pœnitentiales, cum Sanctorum Litania. Hist. Univ. Paris. Tom.6. pag.377.*

XV. Articulo supra s. & x. hujus Capitis pensiones offendimus immoderatiores, quæ Beneficiorum reditus æquarent; easdem videmus articulo xv. proscribi. Permagni interest operosiùs eam rem expendi, cum frequens etiamnunc sit, & tantò luctuosius, resignari Beneficia retentis omnibus fructibus. Ea re usque adeo evertuntur fundamenta omnia sacrę & canonicę disciplinæ, ut merito persuadeamur, nunquam hæc Romę nisi obreptitiè impetrari. Ipsę per sese pensiones odio sunt; at invidiosissimum est nihil prorsus Ecclesię Titulari Beneficiario relinqui; sponsam illi conjungi, & auferri dotem: juberi ut serviat altari, nec de altari vivat; temporalia omnia uni, alteri spiritalia conferri, cum illa horum consectaria sint & necessaria additamenta. Quid residentię, quid eleemosynarum, quid hospitalitatis ab eo expectes, qui proventuum Beneficii sui attingat prorsus nihil? Invidiosum est in Beneficia semel resignata regredi; at non paulò insolentius & damnabilius est resignare & retinere unom & idem Beneficium. Hęc ferè decerpta sunt ex Responsione novem Consultorum, quos Paulus III. Papa percontatus est de refingenda in meliorem formam Ecclesię disciplina. *Alius abusus irrepsit, cum Beneficia cedunrur Laicis, in custodiendis pensionibus, super eorum fructibus. Immo quandoque cedens Beneficio omnes sibi fructus reservat. Qua in re animadvertendum est nulla alia de causa, nulloque alio jure pensiones constitui posse, nisi ut quasdam eleemosynas, quæ in pios usus, & indigentibus concedi debent. Nam reditus sunt annexi Beneficio, ut corpus animæ. Ideo sua natura pertinet ad eum, qui Beneficium habet: ut possit ex eo vivere honestè pro suo ordine, simulque queat sustinere impensas, pro divino cultu & templo, sacrarumque earum reparatione, ut quod reliquum est, impendat in pios usus. Hæc est natura eorum redituum, &c. Ideo omnes fructus reservari, adimique id omne, quod divino cultui, sustentationique habentis Beneficium tribui debet, magnus est abusus. Itemque pensiones dari Clericis divitibus, qui commodè & honestè vivere queunt ex reditibus, quos habent, magnus certè abusus. Tollendus uterque.*

Non video quid aptius & quid vehementius dici possit. Affirmat Fagnanus *in l.3. Decret. Part.1. pag.131.*, in pensionibus assignandis non reservari plerumque à Papa nisi dimidium, aut tertiam partem fructuum. *Nec Papa solet reservare pensiones ultra tertiam vel dimidiam partem fructuum, ut attestantur Domini de Rota.* Atque ita facilè conjectura assequimur, si quę graviores his fiot pensiones, eas obreptisias esse. Aono 1403. Senatus Tolosanus, & rursus anno 1406. Senatus Parisiensis inusitatis illis omnium fructuum reservationibus intercessere. In registrandis facultatibus Legatorum Pontificiorum annis 1414. 1542. 1555. 1565. cum modus illis plurimis in rebus imponeretur, id semper additum est, ut pensiones addicere non possent, quę fructus omnes complecterentur, immo quæ tertiam amplius partem proventuum decerperent. *Preuves des Libert. de l' Eg. Gall. c.36. n.25. 26. c.23. n.16. 52. 54. c.24. n.9.* Tradit Rebuffus, *de Reservat. n.53. 14. 55. 17.*, tolerari pensiones eas insolentiores in patria obedientiæ; at ubi jus consuetudinarium viget, ad tertiam partem revocari.

Jura Archiepiscoporum, Episcoporum & Archidiaconorum, dum Parochias visitant.

CAPUT XXXII. *P.3. l.4. c.17.*

Jura Episcopi visitantis Exactiones in Clericos, in Oriente & Occidente sub Imperio Caroli Magni, & ejus familiæ.

I. II. Decreta Concilii Cabilonensis II. de exactio-

Gionibus justis & injustis Episcopi & Archidiaconi visitantes. Varia in hac observationes.

III. Statuta Ludovici Pii Imperatoris in eandem rem.

IV. Decreta Concilii Parisiensis VI. adversus avaritiam Archidiaconorum.

V. De quarta parte decimarum & oblationum Episcopo addicta.

VI. Decreta Concilii Aquisgranensis adversus exactiones Chorepiscoporum, Archipresbyterorum & Archidiaconorum.

VII. Commonitorium Hincmari ad Episcopum nuper ordinatum, quo hac omnia decreta inculcantur.

VIII. Aliud Hincmari Commonitorium ad Archidiaconos suos.

IX. Archidiaconi tunc munia obibant nostrorum nunc Officialium.

X. Edictum Caroli Calvi super exactionibus Episcoporum in Parochos.

XI. Canones Conciliorum in eandem rem.

XII. Statuta Conciliorum Graecorum.

XIII. Statuta Imperatorum & Patriarcharum Orientis.

I. PErpendemus hoc Capite, quid jure suo exigere possint Episcopi, tum ex Parochis, tum ex Laicis suæ ditionis, in perlustrandis maximè Parochiis. Multa in hanc rem decrevit Concilium Cabilonense II. anno 813. Namque primò proscripsit censum duodecim vel quatuordecim denariorum, quos Episcopi nonnulli Parochis suis extundebant. *Inventum est, quod in quibusdam locis Episcopis Presbyteri duodenos, vel quaterdenos in censum annis singulis darent. Quod penitus abolendum esse decernimus. Can.17.* Secundò statutum est, *Can.16.*, ut ne quid amplius ab iisdem exprimerent Episcopi ad chrisma & ad lampadas Ecclesiæ suæ; quantumvis antiqua venditaretur consuetudo in eam rem duos vel quatuor denarios exigendi. Tertiò invitati sunt Episcopi, ut posthac in visitandis Parochiis, nec Parochis, hoc est, fratribus suis oneri essent; nec Parochianis, utpote filiis. *Ne cum Episcopi Parochias suas peragrant, quandam non solùm erga subditos, sed erga socios tyrannidem exerceant; nec, quod absit, tum charitate sed quadam judiciaria invectione stipendia ab eis exigant. Can.14.* Si quid exigi necesse est vel à Parochis, vel à Laicis, ea ineatur ratio, qua nemo gravetur, offendatur nemo. *Si quando eis ad peragendum ministerium suum à fratribus, aut à subditis aliquid accipiendum est, hoc summopere observare debent, ne quem scandalizent, aut gravent.* Denique si Episcopi ipsi inopia rerum necessariarum urgeantur, & necesse sit aliquid à Parochis elici, id tam verecundè faciant, & tam sobriè, ut molestiam non facessant, oculosque & animos semper ad Apostolum Paulum convertant, qui arte & manu victum parabat sibi suisque, ne cui gravis esset. *Tanta ergo in hac re discretio tenenda est, ut & Verbi Dei Prædicator, sumptus ubi proprii desunt, recipiat, & iidem fratres illius potentia non graventur: exemplo Apostoli Pauli, qui ne quem gravaret, arte & manibus vitam quærebat. Can.15.* Quartò acerbissimè objurgati sunt in hoc Concilio Archidiaconi, qui tyrannico fastu quodam Parochis dominabantur, & censum nescio quem ab illis exigebant. *Dictum est etiam quod in plerisque locis Archidiaconi super Presbyteros Parochianos quandam exerceant dominationem, & ab eis censum exigant, quod magis ad tyrannidem, quàm ad rectitudinis ordinem pertinet.* Jubentur denique Archidiaconi, modestiæ & abstinentiæ finibus se continere, & in Parochiis Episcoporum decreta promulgare, nihil ipsi privatæ opum vel honorum siti indulgere. *Contenti sint regularibus disciplinis, & teneant propriam mensuram; & quod eis ab Episcopis injungitur, hoc per Parochias suas exercere studeant, nihil per cupiditatem & avaritiam præsumentes.*

II. Ex his Synodalibus decretis facilè intelligitur, 1. Procurationum Episcopalium in visitandis Parochiis jura necdum certa aut definita fuisse. 2. Invitatos fuisse Episcopos, ut ne quid exigerent, immo ut ne quid acciperent sponte oblatum, nisi necessitate arctarentur. Et ubi coget necessitas aliquid accipere, meminisse Pauli, cujus non successione tantùm se jactare, sed & imitatione clarere debent Episcopi; Pauli, inquam, qui manibus operari, quàm Ecclesias gravare malebat. 3. Ubi urgebat inopia, tum accipiebant aliquid Episcopi visitantes, non à Parochis tantùm, sed & à Parochianis. *A fratribus aut à subditis.* 4. Multò minùs stata erant aut determinata visitantium Archidiaconorum jura. 5. Quin ne ordinariæ quidem fuisse videntur tunc eorum Visitationes, sed delegatos tantùm fuisse illos, ubi placita Episcoporum executioni mandanda erant. *Quod eis ab Episcopis injungitur, hoc per Parochias suas exercere studeant.*

III. Hac pollicitatione Ludovicus Pius constrinxit omnes Episcopos, ut ea & temperantia & tempestate Parochias visitarent, qua Parochis graves non essent. Ita enim ille in Capitulari anni 816. *Ne verò Episcopi occasione prædicandi, aut confirmandi oneri essent populis, à nobis admoniti, polliciti sunt hoc deinceps se cavere velle, & eo tempore suum ministerium, in quantum facultas dabitur, exequi, quo eorum profectio, quantum in illis erit, his quibus prodesse possunt & debent, non sit importuna vel onerosa. Conc. Gall. Tom.2. pag.452. 452. Capitul. l.1. c.100.* His certè verbis, *Ne oneri essent populis*, in Parochianos videntur refundi aliqua saltem ex parte expensæ visitationum. Sed & alibi hortabatur Episcopos, ne quid acciperent de Manso Parochiæ, vel ipsi, vel Archidiaconi. *Sicut alios prohibetis, ne de Mansis ad Ecclesias luminaria datis aliquid accipiant, sic & vos & vestri Archidiaconi de eisdem mansis nihil accipiendo aliis exemplum præbeatis. L.2. c.5.* Iisdem Capitularibus excitantur Episcopi, ut pervigili cura Archidiaconos suos observent, ne impunè peccandi licentiam Parochis divendant. *Ut provideant Episcopi, ne cupiditas Archidiaconorum culpas nutriat Sacerdotum; quia multis modis mentitur iniquitas sibi. Addit.4. c.95.*

Sed & in id quoque incubuit horum cura & providentia Imperatorum, ut pio fervore certatim convolarent populi in ea loca, ubi visitationis munere fungens Episcopus Neophytos confirmabat, quò & ipsi vicissim largèque conferrent, si quo egeret. *Præcipimus, ut ad accipiendum, per manus Pontificis impositionem, Spiritus Sancti donum sollicitè & devotè omnes concurrant, & Episcopo suo, ea quæ necessaria sunt, fideliter ministrent, eique ab omnibus per omnia obediatur. L.7. c.299.*

IV. Exarsit vehementissimè Concilium Parisiense VI. *Can.25. 31.* anno 829. adversùs *Ministros Episcoporum*, hoc est Archidiaconos, quorum infinita quædam opum esuries, & Parochos, & Parochianos vexabat. *Non solùm in Presbyteris, sed etiam in plebibus Parochiæ suæ avaritiam exercere quosdam Episcoporum Ministros.* Erant haud dubiè non tolerandæ extorsiones eæ, quæ Concilii Patribus has voces expresserunt. *Propter eorum avaritiam & morum improbitatem multi scandalizantur, & ministerium Sacerdotale vituperantur, & in Ecclesiis à Sacerdotibus multa propter eos negliguntur.* Nec pepercit hoc Concilium Episcopis ipsis, qui hujusmodi rapinarum affines & ipsi essent, & usque adeo non in eorum gratiam quidquam remi-

sit

sit de Canonum austeritate, ot edixerit, si oulla premerentur egestate, nequid acciperent quartæ ejus partis decimarum & oblationum, quas Canones Episcopis tribuunt; sed eam dimitterent io pauperes erogandum. *Et quanquam authoritas Canonica doceat, ut quarta pars decimarum & reditituum ex oblationibus fidelium in usus Episcoporum cedat, ubicumque tamen Episcopus sua habet, suis contentus sit.*

V. Non ergo Gallicanis Episcopis inexplorata erat quarta hæc portio proventuum Parochiarum, non fallebat eos hanc sibi Canonicis iostitutis adjudicatam fuisse; sed eum aliunde suppeteret, unde & dignitatem suam tuerentur, & necessitatibus satisfacereot, & omnes implerent Officii sui partes: præclarum hoc ab illis est initom consilium, ut eam pauperum cujusque parochiæ levandis necessitatibus dicarent. At ubi ex Ecclesia Cathedrali non suppeditabatur Episcopo, quo honestè sustentaretur, non displicet Concilio huie Parisiensi, jure ut suo utatur, & ex illa omnium Parochiarum quarta tantum sibi vendicet, quantum satis, non cupiditati, sed necessitati suæ. *Ubi nihil rerum Ecclesia sua habet Episcopus accipiat de memorata quarta parte, sibi suisque, non quod avaritia suaserit, sed quod necessitas compulerit. Ibidem.*

VI. Eadem penitus censoria virga Episcoporum alios Ministros, hoc est Chorepiscopos, Archipresbyteros, & Archidiaconos castigavit Concilium II. Aquisgranense anno 836. scilicet avaritiæ ejusdem sordibus immersos. *Episcoporum Ministros, idest, Chorepiscopos, Archipresbyteros, Archidiaconos. Can.4. Can.2.* Ea certè verborum, varietas in his duobus Conciliis proficisci omnino videtur ex eo, quod essent Provinciæ, ubi solis Archidiaconis impeoderet ministerium totum Episcopalis sollicitudinis, cujus ipsi veluti Generales erant Vicarii, tum in urbe, tom ruri: alibi ea cura per Chorepiscopos, per Archipresbyteros, & Archidiaconos explicaretur.

VII. Hæc & alia non pauca illigavit Hincmarus Remensis ei præceptionum chartæ, qua informabat Hedenulphum Episcopum, quem Laudunensi inaugurabat Episcopato. Commendabat enim. 1. Ne gravaret Parochias, quas obambularet, ultra modum à Canonibus delineatum, vel ultra morem Majorum suorum. *Ultra modum gravare minimè debeat nec summam collationis, qua sui prædecessores, qui hoc bene misericorditer ac rationabiliter atque sacris Constitutionibus executi sunt convenienter, contenti fuerunt, excedat. Conc. Gall. Tom.2. pag.660.* 2. Ne tantumdem ex Capellis, quantum ex Parochiis exprimeret, sed ex his, illisque conjunctim id acciperet, quod olim conferri moris esset jurisque. *Et de Capellis antiquitus subjectis Ecclesiis, non æqualem, sicut de principalibus Ecclesiis Collationem exigat, sed principalis Ecclesia cum sibi subjectis Capellis debitam & antiquitus consuctam collationem conferat.* 3. Nec amicos, vassallosque suos in Parochorum ædibus hospitari vellet. *Ne mansionaticos suos amicis suis, aut suis hominibus parari faciat.* 4. Nequid à Parochis extunderet ad expensas sibi faciendas in excipiendo Rege, vel Misso quovis Dominico, vel ornanda Ecclesia sua. *Ne etiam quasi ad receptionem Regis vel Legatorum, aut ad ornatus suæ Ecclesiæ faciendos, adjutoria quasi petendo, magis autem exigendo, danarios vel caballos, aut verres, seu frischingas, aut ad iter aliquod paraveredos, aut alia quælibet accipiat, id est, rapiat.* 5. Nec uteretur jure exigendæ quartæ partis proventus Parochiarum, sicut eo utuntur Episcopi non pauci extra Gallias. *Regulam siquidem, quæ de quarta parte redituum Ecclesiæ, juxta consuetudinem aliarum regionum, ita ut est scripta, intelligat, & non pravè illam interpretans, perinde in his regionibus, quæ sunt Presbyterorum, contra regulas sacras deripiat.* 6. Ne eos cooptaret sibi vel Archipresbyteros, vel Archidiaconos, qui io reconciliandis pœnitentibus, aut io ordinandis Clericis, munusculis accipiendis, vel exactionibus faciendis ministerium suum dehonestarent. *Ministros, id est, Archipresbyteros & Archidiaconos tales constituat qui oderint avaritiam, &c. Presbyteros in paratis & exeniis indebitis non affligant.*

VIII. Sed audiendus jam nobis est Hincmarus ipse, in Capitulari, sive in Præceptionibus ad Archidiaconos suos, ex quo non pauca jam excerpsimus suprà, ubi de Archidiaconis agebamus. Illud ergo præcipit, *Tom.2. pag.738.* 1. Ne Parochiis graves sint, quas visitabunt, vel secum, vel soli: ne amicos secum, vel cognatos circumducant, ut eos Parochiani procurent, & eorum equos alant; ne diutios moras trahant io ulla Parochia: ubi demorandi necessitas fuerit, tum ex Parochis vicinis aliqoid etiam ad necessarias expensas eliciant. *Quando rusticanas Parochias vobis commissas, vel mecum, vel per vos circuitis, sicut & ego, non graves sitis Presbyteris in paratis quærendis, nec ducatis superfluè vobiscum homines, vel propinquos, per quos illos gravetis in cibo, & potu, & fodro ad caballos, &c.* 2. Ne perlustrare Parochias ament, quò à Parochis procurentur, & privatis interim parcant proventibus. *Ut non occasione victus Parochias circumeatis, quatenus de aliorum stipendiis viventes, vestra stipendia conservetis.* Nequid exigant, nequid etiam accipiant à Parochis, inobeundis visitationibus suis, ne pecuniam, ne quidvis aliud. Quibus Hincmari monitis jam pene insinuantur statæ & ordinariæ fuisse Archidiaconorum visitationes. 4. Ne quid emungant ab eisdem Parochis, sive dum ad Synodum confluunt, sive dum ad faciendas regiminis sui rationes, sive dum ad Chrisma petendum. Quanquam possit accipi, si quid ultro offeraot. *Nolite quasi pro aliquo adjutorio, denarios ad quamcumque rem apud Presbyteros postuletis, neque quando ad Synodum, vel pro inquisitione ministerii sui, seu pro Chrisma accipiendo venerint, Eulogias exigatis: sed si cui fortè commodum fuerit pro sua voluntate & commoditate aliquid gratis offerre, cum gratiarum actione accipite.* Sileo cætera Capita harum Præceptionum, ubi Archidiaconis omoi exactione interdicitur, insinuaturque ab Hincmaro, ideo à se largissimè donari Archidiaconos, ut ne ipsi oneri sint Parochis. *Ideo vobis de facultatibus Ecclesiasticis, juxta quod Apostolus de lege dicit, Non obligabis os bovi trituranti, solatium præbeo, ut Presbyteros non gravetis.*

IX. Hic verò perspicis Archidiaconos eorum munia obire, quos familiare jam nobis est Officiales appellare. Monet enim illos ibidem Hincmarus, ne molliri, vel deflecti se sinant à tuendorum Canonum constantia, vel publicorum peccatorum muoeribus, vel pœnitentium, vel eorum, qui pœnitentia publica semel defuncti, in eadem rursus flagitia revolvuntur. Concilia superius laudata Archidiaconos eadem induunt potestate, iisdem imbuunt & præceptis. Finitima his est formula præceptionis Hincmari ad Hedenulfum Episcopum superius memorata. Itaque per Canonicam disciplinam non licebat tum vel Officialibus, vel Pœnitentiariis quidquam exigere. Officialibus dixi & Pœnitentiariis, quòd minùs separata tunc ea essent Officia, & ubi de pœnitentia publica vertebatur quæstio, difficillimum esset ea separare. Qui Archidiaconi tunc Presbyteratu necdum initiati erant, proclivius apertiusque Officiales, quàm Pœnitentiarii dici potuissent. Sed cum Vicarii essent Generales & Ministri Episcoporum, & eorum partes

tes implerent, qui postea & Officiales dicti sunt & Pœnitentiarii, nihil utique poteraot in obeuodo ministerio suo exigere nisi honestas visitationis procurationes: hoc universim fixo & inconcusso, vel Beneficii reditibus, vel Episcopis sportulis & distributionibus, ita consultum illis fuisse, ut munia sua gratis obire possent.

X. Retorquenda est jam ad Episcopos oratio, de quibus Carolus Calvus, cum multi multa quererentur Parochi Occitaniæ, Capitulare edidit, quo eorum jura complexus est, anoo 843. 1. Quantitatem diffiniit frumenti, hordei, vini, aliorumque id genus, quam Episcopis Parochi singulis annis exolverent, aut certè duos solidos aureos, ex præscripto Concilii Bracharensis, & Toletani. *Et sic hac non accipiant, accipiant si volunt pro his omnibus duos solidos in denariis, sicut in Toletano & Braccharensi, &c. Conc. Gall. Tom.3. p.2.3.* 2. Ne in visitationibus Episcopus mioorbus io Ecclesiis moraretur, sed ditiores eligeret, & ad easque quatuor viciniores Parochi gregem suum deducerent, conferreotque ad sumptus Episcopi, & comitum ejus eo, quo præscribitur modulo. 3. Semel possent Episcopi anno quolibet Parochias suas perlustrare, io iisque procurari; sed nihil à Parochis exigerent, quorum Ecclesias oon visitarent; & suo sumptu se transigerent, si visitationes uno & eodem anno iterarent. 4. Vetaqtur hic denique Episcopi ultra duas Synodos quolibet anoo exigere. *Ut Episcopi Synodos à Presbyteris, nisi sicut docet authoritas Canonum, duas scilicet, & per tempora constituta, non exigant.* Non satis video, an hac voce *Synodi* Syoodaticum hic intelligatur, quod jus exigebat Episcopus in Synodo. Vox illa *exigendi* ita persuadet. Sed summa hic non exprimitur. Aliàs autem Synodaticum videtur idem & unum esse cum Cathedratico, quod duorum erat ex eodem Capitulari aureorum solidorum. Nec desunt tamen argumenta, quibus Cathedraticum à Synodatico sejungatur, & hic semel tantùm anno quovis sioatur exigi Synodaticum, quamvis duæ Synodi habeantur. Cæterùm obtrectatorum maledicentiæ occurrit Rex, ubi in his de sacra disciplina Constitutionibus Regiis id præ se fert, & profitetur, se authoritate tantùm Regia priscorum Canonum executionem munire. *Sicut docet authoritas Canonum. &c.*

XI. Hortabatur potiùs, quam urgebat Parochos Concilium Meldeose anno 845. ut dum Episcopum inviserent, aliquo illum munere venerarentur. *Decet Presbyteros cum voluntariis Eulogiis, tempore congruo visitare & venerari suos Episcopos. Can.45.* Concilium Valentinum anni 855. illud rursum prohibuit, *Can.22.*, ne visitationis jura extorquerentur, si nulla Parochiis eo anno impenderetur visitatio. In Concilio Ticinensi ejusdem anni 855. præscripta est ratio & quantitas panis, vini, carnis, & equorum pabuli, quam ab Archipresbyteris exigere posset Episcopus, in visitandis Parochiis. Nisi hic Amanuensium errore Archipresbyteri legantur pro Presbyteris, ita statuendum erit, designatas esse à Concilio Archipresbyterorum Ecclesias & ædes, in quibus diversarentur, & commorarentur Episcopi, qui & ibi ejus Decanatus Parochos congregarent, expensatum & ipsos parte aliqua gravandos.

Hinc autem facilè colligas hoc certè ævo visitationibus Provinciæ supersedisse Metropolitanos, cum de illis Concilia verbum faciant nullum, nec eorum expensis moderari satagant. Nec illud hic prætereundum, cum Joannes VIII. Papa in Gallias profectus esset, jussu Caroli Calvi Regis ab Episcopis Regni procuratum illum fuisse. *Ipsi ab Episcopis Regni istiat stipendia dari fecit. Du Chesne. Tom.3. pag.254.*

XII. Vetuit & Synodus VII. Oecumenica, nequid Prælati exigerent ab Episcopis, Clericis, Monachis, potestati suæ obnoxiis. *Expetere aurum vel argentum, aut aliam speciem, ab Episcopis, vel Clericis, vel Monachis qui sub ipso sunt. An 878. Can.4.* Quo eodem Concilio primævo vigori restituitur Canon Trullanus, quo Provincialia Concilia quotannis cogi præcipiebatur, & ibi ne quid ab Episcopis exigerent Metropolitani, pœna quadrupli constituta in contumaces. *Porro non habeat Metropolitanus licentiam ex his, quæ defert Episcopus secum, sive jumentum, sive aliam speciem expetendi. Quod si hoc egisse convictus fuerit, solvat quadruplum. Can.6.*

XIII. Refertur à Balsamone, *In Nomoc. Phot. Tit.1. c.34.*, Constitutio Imperialis Isaaci Comneni, ubi præfigit quantum auri, argenti, tritici, vini, & esculentorum prorsus omnium exigere possint Episcopi à quibuslibet vicis suæ Diœceseos, periode ut est numerus domorum cujuslibet. Nicolaus Patriarcha Constatinopolitanus Imperatorium hoc Edictum Bulla sua confirmavit. *Juris Orien. Tom.1. p.121.* Balsamon autem fidem facit suo ævo complures Laicos eam legem ludibrio habuisse, & causari solitos, tam gratis omnia ab Episcopis danda, quàm gratis accepissent. Insulsissimam porro eam tergiversationem, quòd non emaniur cælestes thesauri, etsi eorum alantur dispensatores. *Notandum propter canonicas pensiones, quæ à Pontificibus exiguntur, neque fortasse penduntur. Plerique namque laici prompta voluntate non largiuntur Pontificibus suis canonica, Evangelicum illud verbum usurpantes, Gratis accepistis, gratis date: quod non est admittendum. Neque enim merces est, quod alimentorum gratia Pontifici datur.*

Eam Constitutionem Isaaci Comneni confirmavit Edicto suo Alexis Comnenus, *Ibid. p.123.*, à quo & confirmata est Declaratio Constantioi Monomachi, qua fas erat Episcopo à novis omnibus maritis exigere nummum aureum, ab eorum autem uxoribus duodecim ulnarum linteum. Jacent hæc omnia in Jure Orientali cum Bulla Patriarchæ Nicolai, ex qua & illud docemur, hoc onus excutere Laicos voluisse, & Synodo Episcopali Constantinopoli coactæ allegasse, has exactiones novellas vel ipso damnari priorum Conciliorum Canonumque silentio. Sed repositum est illis, Non damnare Canones ea, de quibus verba non faciant; sed hæc Imperatorum Constitutionibus sanciri, convenienter divinis legibus, quæ Ministros Altaris de Altari vivere jubent.

Non dissimulabat ergo Patriarcha novas esse has exactiones, oec initium illis factum, nisi ex Edictis Imperatorum. Sed illud non obscurè idem ipse innuebat, cum sensim infringeretur, & debilitaretur in dies Imperii majestas, hioc Episcopos ita extenuatos fuisse, & in eas adactos angustias, ut jam oisi his exactionibus vitam tolerare non possent. Unde nec Patriarcha, nec Balsamon huic disciplioæ aliunde patrocinium accersunt, quàm quod necesse sit, ut principes Christi & Altaris Mioistri, Episcopi victitent de Altari.



CAPUT XXXIII. *P.4.l.4.c.30.*

De Procurationibus Archiepiscoporum, Episcoporum, Archidiaconorum, Decanorum Ruralium, Parochias visitantium, post annum Christi millesimum.

I. Series & continuatio rerum hic explanandarum.

II. Statuta Conciliorum de Procurationibus, maximè Archidiaconi.

III. Canon memorandus Concilii Lateranensis III. Prælatis visitantibus, de comitibus & expensis eorum.

IV. Prolixior commentatio in eundem Canonem. Cur ea Prælatis hominum & equorum pompa indulgeatur.

V. Canoni illi novum robur addiderunt Concilia posteriora, etiam quo ad hominum & equorum multitudinem.

VI. Archiepiscopi Provinciam visitantes jus habent procurationis. Nec præscribi potest jus visitationis & procurationis, ut horum alteri se quis subducat, etsi Prælati alii in alios utrumque id jus possint præscribere.

VII. Prohibetur ne pecunia exigatur pro procurationibus, & ne vel hæ exigantur, ubi non visitantur Ecclesiæ. Jura Archidiaconorum prænumerantur.

VIII. Rursus nova Statuta Conciliorum ad sumptus procurationum moderandos, ad prohibendas procurationes pecuniarias, ad minuendum numerum equorum, à Concilio Lateranensi toleratum.

IX. Rursus de iisdem Conciliorum temperamentis. Tunc & opulentia & jurisdictio erat multò amplior Prælatorum, unde comitatu & pompa opus erat majori.

X. De Archidiaconis, qui permittente Papa, per delegatos visitabant. De Ruralium Decanorum visitationibus. De horum illorumque Cathedratico.

XI. Concilii Tridentini decreta super eadem re. De Procurationibus.

XII. Statuta Conciliorum Mediolanensium sub B. Carolo. Aliorum item Conciliorum, & Conventûs Meloduniensis, cui placuit in locis egentioribus gratuitas esse Visitationes.

XIII. Responsa Congregationis Concilii.

I. EXpensis partitionibus generalibus rerum Ecclesiæ temporalium in Episcopos, Clerum, pauperes & Templorum sarta tecta; id superest, ut agamus de exactionibus justis & canonicis Episcoporum & aliorum Beneficiariorum in Clericos quosvis alios. Ejusmodi fuere jura Procurationum, Cathedratici, Synodatici, Subsidii charitativi, Spolii, Deportûs & Annatæ. Ab illis ordimur prioribus, quæ in superstites valent Beneficiarios, progressuri mox ad ea, quæ post mortem locum habent. Cumque jus Procurationis & latissimè susum sit, & ei etiamnum intaminata constet religio & observantia, illi etiam elucidando primùm operam dedimus capite superiore, & hoc ipso rursus.

II. Quibuscumque munus imminebat visitandi, illis procurationum jus affixum erat. Itaque cum secundùm Episcopos Archidiaconis visitandi onus incumberet, sua illis quoque jura Episcopales Synodi vindicare studiosissimè laboraverunt. In Concilio Juliobonensi anno 1080. præceptum est, ut Archidiaconi singulis annis Regiunculam suam visitarent, tribus diversis locis Parochos viciniores aggregarent, ut vestes ibi sacras eorum, librosque visitarent & calices, possentque singulis in locis illis triduum commorari, ibique à Parochis ejus tractûs procurari cum quatuor comitibus. *Quò enim Archidiaconus ad hæc videnda venerit, à Presbyteris convenientibus triduò si expetit, victum sibi habeat quietè. Can.6.* Vetitum est eo Concilio, ne Episcopi & eorum ministri quidquam à Parochis exigerent, præter jura legitima. *Presbyteri ab Episcopis, vel ab eorum ministris præter justos reditus Episcopi, vi vel minis dare nihil cogantur. Can. 5.* Sed non his semper Canonum limitibus circumscribi se passi sunt Archidiaconi, quod illustri sed tristi probatur B. Thomæ Martyris, & Prioris Sancti Victoris exemplo, cui cruentas attulere manus infandi nepotes Archidiaconi Parisiensis, quòd quàm justè, tam intrepidè resisteretur exactionibus Archidiaconi in Parocho sui tractûs. Ejus facinoris historiam perscripsit B. Bernardus literis datis ad Innocentium II. quem & stimulare conabatur ad infandæ cædis ultionem. *Ob illicitas exactiones, quas sibi occasione Archidiaconatûs in Presbyteros minimè jam ut consueverat usurpare liceret, Beati utique Thomæ obviante zelo atque industria, utpote justitiæ amatoris ac defensoris, & mortem illi jam ipso odio homicida minitari solebat. Ep.158.*

III. In Concilio Lateranensi III. anno 1179. editus est Canon ille famosus de visitationibus & procurationibus earum. Statim enim ibi oculis objicitur Paulus Apostolus, qui ut se à Pseudo-Apostolis separaret, se suosque labore & opere manuum sustentabat: ut jam nemo satis mirari possit Episcopos Pauli successores, in visitandis Parochiis eos facere sumptus, quibus impares Parochi cogantur vestes & vasa Ecclesiæ divendere, & longa inedia luere delicias Episcoporum & epulas unius horæ. *Cum Apostolus se & suos propriis manibus decreverit exhibendos, ut locum prædicandi auferret Pseudo-Apostolis, & illis, quibus prædicabat non existeret onerosus; grave nimis & emendatione fore dignum dignoscitur, quod quidam fratrum & Coepiscoporum nostrorum ita graves in procurationibus suis subditis existunt, ut pro hujusmodi causa interdum ornamenta Ecclesiastica subditi compellantur exponere & longi temporis victum brevis hora consumat. Can.4.* Hęc præfati Concilii Patres, numerum definiunt equorum Prælati cujusque Parochias suas visitantis; ut concedantur nimirum Archiepiscopis quadraginta, vel quinquaginta & cęteris pro suo cuique modo, ut mox audies. *Quocirca statuimus, quod Archiepiscopi Parochias visitantes, pro diversitate Provinciarum & facultatibus Ecclesiarum, quadraginta vel quinquaginta evectionis numerum non excedant: Cardinales verò viginti quinque non excedant; Episcopi viginti, vel triginta non excedant; Archidiaconi quinque aut septem; Decani constituti sub ipsis duobus equis contenti existant.* His omnibus jus erat visitationis & procurationis. Circumcidendis rursus sumptibus mox ibidem hæc decernuntur: *Nec cum canibus venatoriis & avibus proficiscantur, sed ita procedant, ut non quæ sunt sua, sed quæ Jesu Christi quærere videantur: nec sumptuosas epulas quærant, sed cum gratiarum actione recipiant, quod honestè & competenter fuerit illis ministratum.* Denique his ita observatis, jam nefas erit quidquam ab Archidiaconis & Decanis in Clericos, vel Parochos exigi suæ regiunculæ. *Archidiaconi vero, sive Decani nullas exactiones, vel tallias in Presbyteros, sive Clericos exercere præsumant.*

IV. Exordio hujus Canonis illud constat, temperatum illum fuisse, eo Concilio, ut modus imponeretur immoderatioribus hactenus expensis epulisque. Quo stupenda magis jure videri possit illius ævi modestia & sobrietas, quæ nobis intemperantię visi-

cujusdam & prodigalitatis speciem præ se ferre videtur. Certè tunc opulentiores erant Ecclesiæ, Præsulesque, suppellectili & pompa abundantiore utebantur, quàm vulgò impræsentiarum. Id Canone ipso innuitur his verbis; *Pro diversitate Provinciarum & facultatibus Ecclesiarum.* Cum Episcopi tunc enim tristitia quadam temporum cogerentur in Aula Regum & in Castris plerumque versari, per se, vel per substitutos, cum ingenti Equitum peditumque caterva: hinc mos, & pene necessitas inoleverat ne nisi ferè cum expeditis copiis progrederentur. Accedit quod cum sæviret tunc bellorum privatorum furor, vix tutum esset Episcopis paulò longius proficisci, nisi numeroso satellitio cingerentur. Cum enim Ducum, Comitum, Baronum dignitate & insignibus circumfulgerent, creberrimæ illis etiam incedebant simultates, mineque & insidiæ hostiles.

Subjicitur tamen hoc eodem Canone, quò immoderatior illa moderatio nonnihil cohibeatur adhuc nempe dum pronunciatur hoc statutum non pertinere, nisi ad eas Ecclesias, ubi ejusmodi vigent usus, & opes immensæ: ediciturque, ut Prælati, qui parcioribus hactenus expensis, paucioribusque equis & comitibus Ecclesias visitarunt, pristinam retineant abstinentiam suam: quod studeant omnino Concilia, non amplificandæ, sed moderandæ Præsulum pompæ; studeant populorum & pauperum levationi. *Sanè quod de prædicto evectionis numero secundùm tolerantiam dictum est, in illis locis poterit observari, in quibus sunt ampliores reditus & Ecclesiæ facultates. In pauperioribus autem locis tantam volumus teneri mensuram, ut ex accessu majorum minores non debeant gravari: ne sub tali indulgentia illi, qui paucioribus equis uti solebant hactenus, plurimam sibi credant potestatem indultam.*

V. Insidiati sunt aliqui verbis & numeris hujus Canonis, ne quis error obrepsisset Exscriptorum. Sed constant sibi Exemplaria prorsus omnia, omnes editiones consentiunt, ut nihil sit loci suspicionibus, mendisque. Epitomen Canonum hujus Concilii historiæ suæ intexuit Matthæus Paris; ibi incorrupti radiant hi numeri ipsi. Concilium Londinense anni 1200. *Can.* 5. hunc Lateranensem Canonem innovavit, & hos eosdem retinuit numeros, nisi quod Cardinales prætermisit, ut qui nihil ad se pertinerent. Concilium IV. Lateranense anno 1215. *Can.* 12. ubi jubet ut Abbates & Priores Capitula sua triennio quolibet celebrent, præfigit illis etiam certum numerum equorum comitumque, & eum præfigit, ex quo lux etiam amplior probabilitatis affulgeat Canoni Lateranensis III. Concilii de Episcopis, Archidiaconis & Decanis Ruralibus. Si enim tum Abbatibus, tum Prioribus nulli obnoxiis Abbati, fas est sex equos, octo homines in comitatu habere, quid de Episcopis & Archiepiscopis æstimabimus? *Fiat de triennio in triennium commune Capitulum Abbatum atque Priorum, Abbates proprios non habentium, &c. Hoc adhibito moderamine, ut nullus eorum plusquam sex evectiones & octo personas adducat.* Agens illud ipsum alibi Lateranense IV. de visitationibus Episcoporum, & Prælatorum minorum: prohibensque procurationes exigi, ubi visitatione abstinetur: vetat superari numerum equorum hominumque à Lateranensi III. designatum. *Procurationes quæ visitationis ratione debentur Episcopis, Archidiaconis, vel quibuslibet aliis, etiam Apostolicæ sedis Legatis aut Nunciis, absque manifesta & necessaria causa nullatenus exigantur, nisi quando præsentialiter officium visitationis impendunt, & tunc evectionum & personarum mediocritatem observent in Lateranensi Concilio definitam.* *Can.* 33. Additur mox ibidem, si Legati, vel Nuntii Papæ alicubi diutius morari cogantur, Ecclesias viciniores collato ære sumptum simul omnes facturas. *Can.* 77. Constitutiones Synodicæ Richardi Episcopi Sarumensis in Anglia anno 1217. vetant ne Archidiaconi procurari se faciant, nisi reapse Parochias visitent: neu secum plures habeant, quàm equos septem septemque comites. Non est ergo jam quod quisquam miretur, Canonem Lateranensis Concilii III. libris Decretalium Gregorianis illigatum fuisse, quibus hodiernum Jus Canonicum constat.

VI. In his porro diffinit Gregorius IX. si Archiepiscopus perlustret Provinciæ suæ Ecclesias, vel Pontificius Legatus suæ Legationis; posse ab eis excommunicatione innodari eos qui abnuerint jura procurationum exolvere, quanquam pro modo proventuum Ecclesiæ temperandæ sint procurationes. *Cum Archiepiscopum, sive authoritate propria, sive nostra, Beneventanam Provinciam contigerit visitare, procurationes ratione visitationis debitas juxta facultates Ecclesiarum vestrarum exhibeatis eidem, Alioquin, &c. Extra. De Censib. c.* 25. Cum verò Prælati inferiores ab Ecclesiis sibi subditis importunius ea extorquerent, quibus ipsi Prælatos superiores colere & procurare possent, id verò vehementer prohibuit Concilium Lateranense IV. *Quia Prælati plerique ut procurationem aut servitium aliquod impendant Legato, vel aliis, plus extorquent à subditis, quàm solvunt, & in eorum damnis lucra sectantes, quærunt prædam potius, quàm subsidium in subjectis, id de cætero fieri prohibemus.* *Can.* 34.

Inter Epistolas Stephani Abbatis Sanctæ Genovefæ, Episcopi postea Tornacensis, duæ occurrunt, quarum altera est ad Papam pro Abbatiis Sancti Evortii, Sancti Petri, Sancti Petri Puellaris, & Sancti Aviti apud Aurelianensem civitatem, ut earum immunitati suffragaretur, qua absolutos se confidebant à visitatione & procuratione Archiepiscopi Senonensis: aut ut id quidquid erat oneris in Aurelianensem potius Episcopum refunderetur, cujus ad mensam illa Cœnobia pertinebant. *Si qua enim sunt onera, quæ in exigendis procurationibus suis Senonensis Archiepiscopus prædictis tribus Abbatiis velit imponere, Aurelianensis Episcopus de consuetudine multis temporibus approbata, quoniam de mensa ipsius esse dicuntur, debet suscipere & implere.* *Ep.* 77. Altera Epistola exarata erat tuendæ consimili immunitati Cœnobii Sancti Germani de Pratis apud Lutetiam, Liberum se contendentis ab ejusdem Senonensis Archiepiscopi visitatione & procurationibus. Quanquam controversia videatur potius facta de equorum & hominum Archiepiscopi numero, quàm de ipsa visitatione. Sanè is numerus à Papa definitus est, atque ita lis sopita est. *De procurationibus agitur corporum, non de salute animarum, de numero quadrupedum & hominum, non de merito virtutum aut de victoria vitiorum. In hoc tamen conflictu summi Pontifices Alexander, Lucius, Urbanus, Clemens & qui hodie sedet Cœlestinus injecerunt, & divinis privilegiis taxantes evectionis numerum, jurgio super procuratione moto, finem imposuisse creduntur.* *Epist.* 190.

Ab aliis jam animadversum est cum frequentissimæ essent Episcoporum visitationes, nihil admodum litium aut jurgiorum in eas exarsisse. At cum Archiepiscoporum longè infrequentior esset visitatio, multò plures sperasse, adversùs eam se posse præscribere. Nec tamen adversùs eam possunt inferiores præscribere, quamvis possit Prælatus alius adversùs Archiepiscopum illam præscribere, uti & procurationes, quæ ab ea sejungi non unquam possunt. Inde est quod Innocentius III. rescribebat, à Parochis omnibus Provinciæ Bituricensis procurationes persolvendas esse, quanquam confiderent illi, nec persolutas unquam fuisse eas, nec expetitas. *Cum contra procurationem, quæ ratione visi-*

tationis debetur, præscribi non valeat, quemadmodum nec contra visitationem ipsam potest aliquo modo præscribi, etsi alius contra eum præscribere possit utramque. *Regest.* 15. *Epist.* 85. Nec aliter rescripsit idem Pontifex, quando Abbas Sancti Maglorii, Prior de Carceribus, & nonnulli alii pernegarunt Senonensem Archiepiscopum in perlustratione Provinciæ à se procurari debere. *Extra. De præscript. c.* 16.

In antiquis Constitutionibus Regum Angliæ Eduardus I. Rex intercessisse perhibetur Episcopo Herefordiensi, à quo immoderatiores procurationes extundebantur Ecclesiis, quas visitabat Parochialibus, cum is in Anglia jam olim increbuisset usus, ut solæ Cathedrales, Abbatiales & Collegiales Ecclesiæ visitantem Episcopum procurarent. *Licet alii Episcopi regni nostri, suas Diœceses, & etiam Archiepiscopi suas Provincias visitantes, à Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis & Religiosis domibus dumtaxat, non autem à Parochialibus Ecclesiis procurationem exigere consueverint, à tempore, cujus non extat memoria, prout ex relatu didicimus plurimorum.* *Pag.* 988.

VII. In Concilio Parisiensi anno 1212. novo vigore donatus est priscus Canon Concilii cujusdam Toletani, ne Archidiaconi ab Ecclesiis, quas non visitarent, pecuniariam emungerent procurationem. *Ne quis Archidiaconus exigat procurationem aut pretium, pro redemptione procurationum ab Ecclesiis, quas personaliter non visitat.* *Can.* 55. Quod idem statutum plura deinceps alia roboraverunt Concilia. In Concilio Oxfordiensi anni 1222. vetiti sunt, *Can.* 27., Archidiaconi, Decani, & eorum Officiales, ne qua exactione ministerium suum infamarent. In Concilio ad Castrum Guntherii habito anno 1231. prohibitum est, ne Prælati, qui Jurisdictione sacra gauderent, pecunia numerata procurarentur, quod jam in Concilio Generali explosum fuerat. *Inhibemus, ne Prælati & alii jurisdictionem habentes, in pecunia numerata procurationes accipiant, contra statuta Concilii Generalis.* *Can.* 13. In Concilio Salmuriensi anno 1253. proscripta est Prælatorum eorum rapacitas, qui & pecunia, & cibo procurari se volebant. *Procurationem, aut aliquid nomine procurationis recipiunt in pecunia numerata, & nihilominus subditos ad eos in iisdem locis procurandos compellunt, sic ab eis procurationem duplicem exigentes. Quod fieri districtius prohibemus.* *Can.* 9.

Erant indubitatissimè Archidiaconi, qui jure & potestate sua intemperantius abuterentur. Sed erant & populi, qui ad omnem pietatis & justitiæ sensum occallescerent. Vicem suam doluit Petrus Blesensis, postquam Londinensi Archidiaconatu auctus est. Cum enim essent eius tum urbis cives ad quadraginta millia, Ecclesiæ centum viginti, ex iis extundere nec decimas poterat, nec primitias, nec oblationes, nec Synodicum, nec Cathedraticum, nec Subsidium, nec Procurationes, nec Hospitium, nec ullum prorsus jus ejusmodi, quod passim Archidiaconis partum erat. *Archidiaconatus iste durus est, non habens unde possit vivere, nisi vento. Nam cum sint in illa civitate quadraginta millia hominum, atque centum & viginti Ecclesiæ; nec à Laicis decimas, vel primitias, vel oblationes, quamvis Sacerdotio fungar, accipio, nec ab aliqua Ecclesiarum Synodalia, vel Cathedraticum, vel procurationes, vel auxilia, seu hospitia, nec aliquas consuetudines debitas Archidiaconis possum elicere è subjectis.* *Epist.* 151. Nec tamen ille otiabatur, aut cessabat ab excolendo agro, qui sibi commendatus esset, & vitiorum sentibus expurgando. *Ego tamen supra vires meas correctioni & doctrinam tam Cleri, quàm populi anxia & indefessa sollicitudine me impendo.* Tum opem ille Innocentii II. interpellat, ut Episcopos Eliensem & Vintoniensem deleget, qui jura constituant Archidiaconatûs Londinensis, accomodentque consuetudini viciniorum Ecclesiarum.

VIII. In Concilio Albigensi anno 1254. innovatus est Canon Concilii III. Lateranensis de visitationibus Episcopalibus, & equorum numero. *Non excedant evectionum numerum in Concilio Lateranensi constitutum.* Quod tamen declaratur *secundum tolerantiam esse dictum*: nec verò ubi minor numerus usitatissimus fuisset, eum augeri fas esse. *Nec sub tali indulgentia illi, qui hactenus paucioribus equis uti solebant, indultam potestatem plurium sibi credant.* *Can.* 58. 59. 60. Denique idem Concilium decrevit, ne Episcopus in visitandis Parochiis uno plus die moraretur in una Ecclesia, nisi gravissima cogeret necessitas. *Adjicientes, ut in una eademque Ecclesia, nisi una die, absque legitima causa & necessaria, non morentur ad expensas Capellani Ecclesiæ, vel Rectoris.* *Can.* 5. Si ultra unum diem moras trahat, jubet Canon in duplum restitui. Concilio Nannetensi anno 1264. placuit, ut ad epulas Prælatis visitantis *duo tantùm fercula præpararentur*, nisi si quid opimus Prælatus superior indulsisset. *Can.* 19. Concilium Londinense anni 1268. superfluam omnem damnavit redundantiam convenienter Constitutioni Innocentii IV. Papæ, vetuit à Prælato non visitante exigi procurationes visitationum & transiliri numerum hominum, & equorum, quem Concilium Lateranense fixerat: *Moderationem sequantur Constitutionis canonicè in Lateranensi Concilio promulgatæ.* *Can.* 24. In Concilio Lugdunensi anno 1274. innovata Constitutio Innocentii IV. vetitumque ne non visitantes Prelati visitationum jura & procurationes deposcerent; aut pro procurationibus ne pecuniam acciperent; ne denique vel ipsi, vel ministri eorum munuscula quævis acciperent in perlustrandis Parochiis dupli pœna indicta, si secus egissent. Prelati certè inferiores Officio & Beneficio suspendebantur, donec duplum restituissent. *Statuentes, ut universi & singuli, qui ob procurationem sibi ratione visitationis debitam exigere pecuniam, vel etiam à volente recipere, aut alias constitutionem ipsam recipiendo munera, sive visitationis officio non impenso procurationem in victualibus, aut aliquid aliud procurationis occasione, violare præsumpserint, duplum ejus, quod receperint infra mensem reddere teneantur.*

Ei verò decreto tam necessario modum aliquem adhiberi posse censuit Concilium Langeacense, ne pecuniaria unquam procuratio admitteretur. Viderint alii me oculatiores, an Ecclesiæ conducibiles fuerint, quę hoc Concilio exceptiones sunt excogitatæ. Permittit enim pecuniam accipi, quando jamdiu est, quod procurationes alicubi pecunia taxatę sunt, & quando tenuior est locus, quàm ut pro dignitate Visitantes procurari possint. *Inhibemus ne pecuniam pro procurationibus, sed expensas tantummodo in victualibus, à locis, quæ visitaverunt, recipiant moderatas; Nisi à locis in quibus taxatæ sunt procurationes ab antiquo in pecuniis, vel quæ inhabilia sunt ad sustentationem Prælati, adeo quod in eis Prælatus honestè procurari non posset. Quæ tamen loca ante procurationis susceptionem Prelatos statuimus visitare teneri.* *Can.* 1.

Postrema verò hæc circumspectissimè adjicitur clausula, ne pecunia redimatur procuratio, nisi post absolutam visitationem; ne accepta pecunia visitatio prætermitteretur. In Synodo Santonensi anno 1282. exciditur funditus illa licentia pecuniæ accipiendæ; jubenturque Archidiaconi & Archipresbyteri duobus ferculis contenti esse; nullibi una plus nocte morari; collectis & exactionibus sese abstinere; denique ne Archidiaconis plures sint, quàm & equi, homines quatuor, cum & Epi-

scopi

scopi ipsi tantundem pro suo modo detraxerint pompæ suæ & comitatui. *Archidiaconi quatuor personis, dum visitant, sint contenti; cum & nos secundùm hujusmodi formam evectionum nostrarum numeram moderemur.* Can.4.

IX. Erant præter Visitationes expensæ quædam inopinæ & rariores, ad quas Ecclesiæ conferre plures simul præcipiebantur. Legati Pontificii magnis sumptibus ab Episcopis procurabantur, quos Avenionense Concilium anni 1270. permittit in annua Synodo à Clero totius Diœceseos repeti. *Si Episcopus vel aliquis Rector alicujus Ecclesiæ de Diœcesi expensas necessarias fecerit, in Legatis & Nuntiis Sedis Apostolicæ, expensæ illæ solvantur de communi contributione Ecclesiarum totius Diœcesis; & istæ expensæ semel anno in una Synodo colligantur.* Can.5. Idem decrevit Concilium Avenionense anni 1326. At anno 1317. observatum est à Concilio Ravennate, cum Episcopi Provinciæ Ravennatis juberentur frequentius invisere Ecclesiam Ravennatem, ad celebrandam festivitatem Sancti Apollinaris, Sancti Vitalis aliorumque, necnon & ad alias quasdam Ecclesiasticas necessitates. *Cum sæpè contingat suffraganeos Ecclesiæ Ravennatis debere Ecclesiam Ravennatem pro festivitatibus Sanctorum Martyrum Apollinaris, Vitalis, vel aliis ex causis in Provincia emergentibus à nobis invitari.* Can.56. Censum edi debere bonorum & redituum omnium Ecclesiarum Diœceseos, ut conferri ab omnibus possit ad expensas indeclinabiles omnes, ea lege religiosè servanda posthac, ut ne Episcopi in negotiis Ecclesiasticis plures, quàm quindecim equos habeant. *Quod si quando eos laborare contingat pro factis Ecclesiæ Ravennatis, quindecim equitaturis seu evectionibus ad plus sint contenti.* Abbatibus & prælatis inferioribus quatuor annuuntur equi, tres Canonicis, unus Clericis, si eorum in his opera desideretur. Tum Concilium definit quanta pecunia in singulos equos sit expendenda. Ita paulatim gliscebat usus procurationum pecunia redimendarum.

Cujus rei ad manum sunt & exempla alia. Anno 1326. Concilium Provinciæ Ausciensis vetuit, ne Archidiaconi in visitationibus suis defungendis plures adhiberent, quàm homines quinque, equus quinque; ne pecuniam remissis procurationibus exigerent; ne qua acciperent munera; ne quas non visitarent Ecclesias, ab iis procurationes acciperent quantulascumque; denique ne antè conferre quidvis eas cogerent cum aliis Ecclesiis, quàm visitatæ fuissent. Atqui hoc eodem Canone triginta solidorum Turonensium placuit esse die quolibet Archidiaconi procurationem. *Quam pecuniam pro una procuratione integra triginta solidos Turonenses taxamus, una die recipiat.* Can.38. Communem edidit Benedictus XII. Constitutionem ad omnes Ecclesiæ provincias, & ad omnes Prælatos sæculares, & Regulares, ut illis omnibus præfigeret summam procurationis diurnæ, pro Prælatorum gradu & ordine diversissimo, pro regionum opulentia, vel mediocritate. In Concilio Londinensi anno 1342. prohibitum est, ne Archidiaconi, qui plures uno & eodem die Ecclesias visitarent, ex illis Ecclesiis omnibus plures una procurationes acciperent, sive pecuniariam, sive qualemcumque aliam acciperent; interdicto etiam aditu Ecclesiæ, si quid amplius accepissent, donec id restituerent; denique ne equorum, hominumque numero superbirent, Can.7., placuit Ecclesiis liberum esse, ut procurationes pecunia exolverent, vel alimentis, pro modulo antè constituto.

Anno 1351. Episcopos suæ Provinciæ invitavit Narbonensis Archiepiscopus ad Concilium suum, Provinciale, præscripsitque ne secum deducerent, nisi ut summum equos decem, & jumenta duo ad onera comportanda, Abbates ejus numeri dimidio & pompæ contenti essent. *Ut autem superfluitatem & pomparum inanium jactantiam præcludamus, inhibemus sub virtute sanctæ obedientiæ, ut ultra decem equitaturas & duos saumerios, sive operulos pro vobis & vestra familia adducatis, cum ad Provinciale Concilium venietis.* Concilium Narbonense anni 1374. idem decretum iteravit. Quamvis eo autem Canone non agitur nisi de Visitationibus, in aperto tamen est, unam aut non admodum dissimilem Episcoporum & Abbatum fuisse pompam, sive Ecclesias suas obambulantium, sive proficientium ad Concilia. Non me contineo, quin hic rursus illud admoneam, locupletiores olim fuisse, quàm nunc sint, Ecclesias, eoque fieri non potuisse, quin & sumptus majores fierent. Idque rursus perspicuum fit ex Canone 8. Concilii Londinensis anno 1321. ubi incredibilis quædam opprimitur & insolentissima Archidiaconorum consuetudo, quibus Apparitores erant, & ministri complures, equites, peditesque, in omnibus sui Archidiaconatûs Decanatibus, ad eorum jussa executioni mandanda, à Parochis procurandi, cum potestate collectarum indicendarum. In eo Concilio is modus visus est adhibendus, ut Episcopo duo tantùm essent Apparitores, quorum alter equo, alter pedibus ingrederetur; Archidiaconi unum haberent peditem. Quam Nicolaus IV. edidit Bullam, *superfluitatem amputare volens*, ea sexdecim equis contentum esse sanxit Abbatem Cluniacensem, octo Abbates alios, & Priorem Charitatis, sex Priorem Sancti Martini de Campis, quatuor Priores Conventuales, duobus alios. Statuta Ordinis Præmonstratensis, à Gregorio IX. & à Gregorio X. approbata, Abbati Præmonstratensi permittebant octo equos, quinque aut sex tribus prioribus Abbatibus, quatuor Abbatibus aliis. *Bibl. Præmonst. p.*800. *c.*8. Concilium Salisburgense anni 1281. octo equos permittit Abbati ad visitanda Cœnobia, vel ad Capitulum pergenti.

Illud quoque juvat observare ad illustrandum eundem Canonem; Jurisdictionem tum Episcoporum, tum Archidiaconorum olim & ampliorem fuisse, & vegetiorem, præpotentioremque, quàm nunc sit. Porro non aliàs splendidiùs explicabatur jurisdictio, quàm dum Ecclesiæ visitabantur. In breve tamen temporis spatium contrahenda erat visitatio. Ex his illud ultro patet, necessariam tunc cum primis fuisse illam hominum equorumque multitudinem, ad extricandas brevissimo tempore tot lites, ad terminandas tot causas. Postea verò, quàm Magistratus Civiles aut invaserunt, aut recuperarunt in Judices Ecclesiasticos, quæ civilis erant jurisdictionis, quin & summæ etiam ac spiritalis partem non mediocrem ad se traduxerunt; exinde sanè expeditiores fuere Visitationes, fuere & modestiores visitantium Prælatorum comitatus.

X. In Concilio Rotomagensi anni 1445. sancitum est, ut Archidiaconi in visitandis Parochiis concionarentur, ubi saltem frequentiores esset Ecclesiæ, & ubi Apostolicæ Sedis concessione alios sibi subdelegarent Visitatores, eos deligerent, qui numeros omnes ejus functionis implere possent. *Et si fortè de licentia Sedis Apostolicæ per Procuratorem visitare possint, pro suis visitationibus faciendis tales deputent personas*, &c. Cap.19. Anno 1446. Episcopus Leodiensis consentiente Clero suo aliqua publicavit capita revocandæ in meliorem formam disciplinæ, in primis autem, ne per procuratores amplius quisquam visitet Ecclesias sui juris, nisi quas in eam rem Apostolicæ Sedis charitas elicuit, ab Episcopo, vel à Capitulo fuerint examinatæ. Vetantur & Decani Rurales procurari, nisi verè visitent, & pro jure suo omni ne plus exigant, quàm

quàm quartam partem jurium solennium Archidiaconi. *Et tunc stent contenti quarta parte illius, quod Archidiaconis pro integra Ecclesia visitatione debetur.* Eadem ratio, idemque modus retineri debet in alimentis, & in Cathedratico, quod Archidiaconis & Decanis visitantibus dependitur. *Et idem volumus observari in solutione obsonii, & Cathedratici ipsarum quartarum Capellarum dictis Decanis facienda.* Hinc ediscimus Archidiaconis & Decanis Ruralibus, præter procurationes fuisse duo alia jura, videlicet *Obsonii* & *Cathedratici*. Jam ea indigitaverat Petrus Blesensis, Epistola superiùs memorata.

XI. In Concilio Provinciali Andegavensi anno 1448. proscriptæ sunt, *Can.9.*, sordes avaritiæ quorundam Prælatorum, Archidiaconorum, Archipresbyterorum, Decanorum, & aliorum, jure vel consuetudine munitorum ad visitandas Ecclesias, & qui pecuniarias accipiebant procurationes, vel plures capiebant una & eadem die, quòd plures visitassent Ecclesias, nulla ad id dispensatione impetrata. *Prohibemus, ne de cætero dispensatione legitima super hoc cessante, Archidiaconi, Archipresbyteri, Decani ultra unam procurationem recipere una die, sive unum locum visitatum, sive plura etiam loca visitare sufficeret, ad procurationem integram persolvendam, quoque modo præsumant; nec etiam si non debitè visitabunt, quidquam percipiant.*

Una porro capite III. Sessionis suæ XXIV. complexi sunt Tridentini Patres, quidquid tot retro sæculis consultissimè & sapientissimè Concilia decreverant. Jubentur enim quibuscumque jus est visitationis, ea mediocri copia uti hominum & equorum, ut quamcelerrimè, & tamen accuratione & diligentia summa visitationem expleant. *Modesto contenti equitatu famulatuque, studeant quamcelerrimè debita tamen cum diligentia visitationem ipsam absolvere.* Vetantur munera attingere quantulacumque, ipsi, ministrique, præter alimenta, præter cibum frugalem, & canonicam legatorum piorum portionem. *Interim caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosique sint. Neve ipsi, aut quisquam suorum, quidquam procurationis causa pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, præter id, quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili: exceptis tantùm victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter moderatèque pro temporis tantùm necessitate, & non ultra, erunt ministranda.* Optioni tamen & voluntati permittitur eorum, qui visitantur, alere malint visitatores, an pecuniam solvere ad id præstitutam: *Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi certa pecunia taxata consuetum; an verò prædicta victualia subministrare.* Nec tamen eo prohibetur observari conventiones, si quæ initæ sint de jure Visitationum, cum Monasteriis, aliisque piis locis, ubi nullæ sunt Parochiæ. Quibus verò in locis mos invaluit nullas visitantibus procurationes solvi, aut accipi, laudabilis illa usque retinebitur consuetudo. *Salvo tamen jure conventionum antiquarum cum Monasteriis, aliisve piis locis, aut Ecclesiis non Parochialibus inito, quod illæsum permaneat. In iis verò locis seu Provinciis ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur.* Qui has sanctissimas leges infregerint, iis intra mensem duplum restituent, suberuntque præterea pœnis omnibus supra laudati Concilii II. Lugdunensis.

XII. Concilio Narbonensi anni 1551. placuit procurationes accipi juxta Bullam Urbani V. ad Archiepiscopum Narbonensem datam, qua dimidium tantùm concedebatur ejus summæ, quam antea præscripserat Benedictus XII. *Nempe mediam partem taxationis præscripta in Constitutione Benedicti XII. cujus initium est, Vas electionis.* Concilium I. Mediolanense anni 1565. vetuit ne Episcopi visitandis Ecclesiis plures adhiberent, quàm equos quindecim, homines duodecim; ulteriores suo ipsi sumptu alerent. Ne plura, quàm duo fercula mensæ inferri sinerent. Prælati inferiores, ne secum haberent ad summum nisi octo homines, sex equos; siquid præterea caperent, duplo restituere cogerentur. *Comitatum non habeant nisi necessarium; in quo plures omnino ne sint quindecim hominibus, & jumentis duodecim. Si plures duxerint, alant suis sumptibus. In mensa duo tantùm fercula afferre liceat. Si visitator gradu inferior sit Episcopo, in comitatu octo hominibus ad summum & sex jumentis contentus sit.* Cap.30. Denique summa & celeritas sit, & diligentia Prælati visitantis. *Dent operam ut non solùm quàm diligentissimè, sed etiam quàm celerrimè visitationem conficiant.* Cum ergo ab annis quadringentis, vel quingentis Concilia comitatui visitantium Episcoporum homines & equos viginti, vel triginta numero passa essent; cumque ea de re nihil prorsus Tridentinum Concilium decrevisset: illud memoria & admiratione dignissimum est, eum numerum media sui parte à Beato Carolo & Conciliis ejus Mediolanensibus decurtatum fuisse. Sed & illud aliquantò etiam memorabilius, quod Concilii IV. Mediolanensis Patres anno 1576. illum ipsum numerum ita dimidiatum, rursus dimidia sui parte minuerint. Statuunt enim, ut ne Episcopo visitanti plures sint, quàm equi septem, homines decem, in quibus numeretur & ipse, & Clericus anteambulo, qui viam illi adventanti complanat. Unde necesse multò minorem esse numerum hominum & equorum Prælatis inferioribus; *Ne deinceps plures, quàm homines decem & jumenta septem ad summum secum ad visitandum ducant, supputata hoc numero Episcopi etiam persona, ut illius Ecclesiastici viri, quem ex hujus Concilii decreto Episcopus quisque aliquando præmittet. Suis tamen propriis sumptibus licebit ei plus conducere. At verò qui Episcopis gradu inferiores sunt, in visitatione longè pauciores homines & jumenta adhibeant. Constit. Part.3. t.3.*

Ita verò derogabatur Concilio I. Mediolanensi: *Hocque decreto derogatum sit alteri, in Concilio I. Provinciali edito.* Sed conformabant se Synodi hujus Patres ad voluntatem Concilii Tridentini, cui non aliæ placuerant, à quo non aliæ propositæ erant leges, quàm modestiæ & necessitatis. Atqui quod modestiam uno tempore sapit, alio non sapit; quod necessitatis nunc est, aliàs non erit. Hic & impræsentiarum Parochiani ferendo sunt oneri, qui alibi & aliàs non erunt.

Rursus hoc eodem Concilio Mediolanensi IV. decretum est, ut ne quid omnino acciperent Notarius & Secretarius, sive Cancellarius Episcopi, ne ad Chartas quidem, quæ expedirentur tempore visitationis. Concilium verò Toletanum anno 1565. *Can.7.* ne Episcopi, aliive Prælati tempore visitationis munera ulla acciperent, ac ne esculenta quidem, ultra jus ipsum visitationis. Concilium Mechliniense anno 1570. promulgavit decreta Tridentina super visitationibus, edixitque, ut Decani Rurales, qui jamdiu cessabant, desueverantque à visitandis Ecclesiis, rursus eidem muneri suo instarent, provideretque Episcopus, unde procurarentur. Conventus denique Cleri Gallicani apud Melodunum, anno 1579. sensit jus procurationum Scripturis niti divinis & Conciliis; sed hoc ævo cavendum magnopere esse, ne offendiculum inde plebi, & onus minimè tolerandum exurgeret: ideo necesse esse, ut Prælati visitantes modico pa-

ra-

rabilique cibo contenti essent, & ubi Parochiæ tenuiores essent, gratis visitarentur.

XIII. Observatum illud quidem est à Fagnano, *In l.3. Decret. part.2. pag.276.282.*, probatam fuisse Congregationi Concilii concordiam initam inter Episcopum & Clerum, qua Episcopo ipsi visitanti Clerus centum viginti quinque nummos, visitanti per procuratorem nonaginta sex tantùm persolvebat. Sed cum petiisset Episcopus, ut sibi jam grandævo fas esset & per Vicarios visitare, & procurationes tamen easdem percipere, quas si ipsemet visitaret: Passum illum esse repulsam à Congregatione anno *1613.* quòd procurationes jus Canonicum non addicat, nisi illis, qui ipsimet visitant, nisi si privilegia consecuti sint Apostolica, vel peculiaribus muniti sint transactionibus. Notat ille Jure Decretalium potuisse Episcopum jure suo suas sibi vendicare procurationes, etiam in Civitate & in Ecclesia Cathedrali visitanda; sed eum usum à Concilio Tridentino abolitum fuisse, & ita declaratum esse à Congregatione Concilii. Cum essent opiniones de jure Episcopi ad confirmandos Neophytos proficiscentis, an procuratio illi debeatur: respondit sacra Congregatio non deberi. Jure communi Canonico, quod superius, tam non potuerat adversùs procurationes præscribi, quàm adversùs visitationes. At secus statuit Tridentinum ubi voluit, visitationes in posterum gratuitas fore iis locis, quibus hactenus fuissent. Convenit omnibus, ubi inopes sunt Ecclesiæ, gratis illas ab Episcopo visitandas esse. Sed anno 1623. quæsitum est, an Xenodochia Episcopum visitantem procurare teneantur. In diversas iere sententias super ea quæstione Cardinales Congregationis, placuitque eam rursum proponi. Verùm ab eadem Congregatione declaratum est, sublatum non esse à Tridentino Cathedraticum; uti nec jus Canonicæ portionis Legatorum piorum; quanquam ab eo confirmatæ sint laudabiles eorum locorum consuetudines, ubi visitantibus Prælatis inolitum est, nullas exolvi procurationes. Ad hæc porro jam pergendum nobis est Episcopalia jura.

CAPUT XXXIV. *P.4. l.4. c.31.*

De Cathedratico, Synodatico, quarta Legatorum piorum & funerum, de emendis, de subsidio charitativo, post annum Christi millesimum.

I. Varia ex Conciliis enumerantur Episcoporum jura.

II. De tertia, vel quarta parte decimarum, Episcopo debita.

III. De emendis criminum. De censu imposito Parochis.

IV. Enumeratio jurium Episcopalium ex Libris Decretalium.

V. De Cathedratico, vel Synodatico.

VI. Rursum Decreta Conciliorum. De Cathedratico. De pensionibus in Parochias. De jure Bissexti, seu de jure decimarum quarta. De Cathedratico Decanorum Ruralium, & Archidiaconorum.

VII. Prisca hæc omnia jura Episcopis à Tridentino & posterioribus Conciliis confirmata sunt.

VIII. De subsidio Charitativo. Varia de eo decreta Pontificum & Conciliorum.

IX. De tertia, quartave portione Legatorum piorum & funerum.

X. De emendis & earum usu post Tridentinum.

XI. De commutationibus funerum & legatorum piorum.

I. JUra in Clerum Episcopalia ita alia aliis permixta sunt, & promiscuè involuta in Conciliis, & aliis Ecclesiasticis monumentis, ut difficillimè evolvi possint, nisi ut multa turbentur aliquando, & iidem Canones iterum iterumque & pene ad nauseam ingeminentur. In Concilio Tolosano anno 1056. expressa sunt non mediocri ex parte Episcopalia jura, & uni Canoni illigata. *Statuimus, ut Ecclesiæ ad Sedem pertinentes, quæ solvant tertium, aut paratam, vel Synodum, solito more persolvant Episcopis, vel Clericis. De iis verò Ecclesiis, quæ non dant tertium, vel paratam; tertia pars decimarum cum primitiis & oblationibus, quæ de cœmeteriis consequuntur, Episcopo & Clericis assignetur. Simili quoque modo statuimus de Ecclesiis ad Monasteria pertinentibus.* Can.10. Qui tunc Episcopi hunc Canonem commentati sunt, dilucidè perspiciebant quid eo significaretur, sed parum rem explanabant iis, qui aliquantis post sæculis & inducta tanta morum decretorumque varietate, eum excussuri essent. Sed in ea tamen rerum temporumque caligine & perplexitate, utcumque dilucet, stata Episcoporum & rata fuisse hæc jura, tertiam partem decimarum, primitiarum, oblationum: *Tertium* Jus hospitii, sive gistii, *Parata*, quæ eadem mihi, ac procuratio videtur esse. Synodaticum, *Synodus*. Tertia pars funerum, & legatorum piorum. *Tertia pars, &c. quæ de Cœmeteriis, & defunctis consequuntur.* Erant Ecclesiæ, quæ sedulò fungebantur officio in his exhibendis, & hæ ad constantiam excitantur. Alio officio jamdiu deerant, desciverantque à laudabili consuetudine, & hæ ad resipiscentiam revocantur. Et hæc quidem ad Ecclesias, mensæ Capituli, vel Episcopi addictas. *Ecclesiæ ad Sedem pertinentes.* Fuerant & Ecclesiæ quædam Monasteriis addictæ, utque eas contulerat Episcopus mensæ Abbatiali, concesserat & eidem sua in illas jura. *Similì modo &c.* Denique hic nondum videtur à Capitulo disjuncta mensa Episcopi *Episcopis, vel Clericis persolvant.*

II. Subolfacio & ego quæ possint aliæ huic Canoni interpretationes aptari. Sed utcumque juvabit hic adnotasse varia hæc Episcoporum jura, tertiam decimarum, & oblationum, etiam funerum, procurationes & Synodaticum. Quarta certè plerumque Episcopis, non tertia seponebatur pars: sed erant tamen Ecclesiæ, ubi tertia illis addicebatur; cujus rei probationes alibi suprà attulimus. Cum hic verò Episcopus Clero adunetur, ne miraremur quidem, si pars illi addiceretur dimidia. In Concilio Ausciensi anno 1068. statutum est omnes ut Ecclesiæ quartam conferrent decimarum Episcopo, exceptis iis, quæ obnoxiæ erant Abbatiæ Sancti Orientii, cujus immunitas in hoc ipso Concilio confirmata est. In Concilio Erfordiensi anno 1073. interpellatus est Archiepiscopus Moguntinus, ut mori aliarum Ecclesiarum acquiesceret, & quarta decimarum contentus esset.

III. In Concilio Juliobonensi anno 1080. jura Episcopalia complura designata sunt. *Can.8.* Parochi omnes quotanni ad Ecclesiam Cathedralem cum grege procedere jubebantur, & ceræ aliquantulum, vel ejus pretium ad Ecclesiæ luminaria suppeditare, circa Pentecostem. *Can.10.* Criminum quæ in Cœmeteriis patrabantur Ecclesiarum urbis, oppidorum & castrorum, emendæ ad Episcopi fiscum vendicabantur. Idem ferè juris erat illi in Ecclesiis vicorum. Si quæ Cœnobiis donatæ erant Ecclesiæ, Parochi ab illis præsentati jura legitima Episcopo pendebant. Sive à Clericis, sive à Laicis in loco sacro innumera quædam crimina admi-

mitterentur, non aliter ea eluebantur, quàm mulctis pecuniis, quæ juris erant Episcopi: quanquam mulctæ immunes essent, qui se sponte pœnitentiæ publicæ jugo subjiciebant. *Qui in prædictas culpas inciderit, si sponte ad pœnitentiam venerit, pœnitentia ei pro qualitate criminis injungatur, & pecunia nullatenus exigatur.* Can. 11. 52.

Confirmatus est in Concilio Claromontano anno 1095. census annuus, quem Episcopo pendebant Parochi à Cœnobiis præsentati. *Salvo utique Episcoporum censu annuo, quem ex eisdem altaribus habere soliti sunt.* Can. 12. In Concilio Juliobonensi is census simpliciter reditus Episcopalis dicebatur. *Episcopales reditus persolvat.* Confirmata est ab Alexandro III. transactio inter Archiepiscopum Remensem, & Abbatem Sancti Remigii, qua pro duabus procurationibus annuis Archiepiscopo ab Abbate persolvendis, scilicet die festo Beati Remigii, & ejus Translationis; his iisdem diebus *quinquaginta solidos Remensis monetæ*, Abbas Archiepiscopo numerare tenebatur. *Append. 5. Epistol. 29.*

Anno 1179. vetitum est à Concilio Lateranensi III. ne Episcopi, Abbates, Prælati quivis novos Ecclesiis census imponerent, aut antiquos augerent. *Prohibemus, ne novi census ab Episcopis vel Abbatibus aliisve Prælatis imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur; nec partem redituum suis usibus appropriare; sed libertates, quas sibi majores desiderant conservari, minoribus quoque suis bona voluntate conservent.* Can. 7. Solvebant ergo Ecclesiæ Parochiales, sive Episcopis, sive Abbatibus, sive Prælatis quibuscumque annuum censum, unumque id requirebatur, ne is augeretur. In Concilio Lateranensi IV. anno 1215. damnatæ sunt pecuniariæ exactiones Episcoporum in novos Parochos Ecclesiæ suæ clavum capessentes, in Nobiles item, vel Clericos Religionem profitentes, vel sepulturam in Cœnobio eligentes, quanquam nihil legarent. *Cum miles, aut Clericus domum Religionis ingreditur, vel apud Religiosos eligit sepulturam, etiamsi nihil loco Religioso reliquerit, difficultates ingerunt & malitias, donec aliquid muneris manus contingat eorum.* Can. 65. Siquid legatum fuisset Ecclesiæ, non displicuisset Pontifici, vel Concilio, quartam ejus partem Episcopo reservari.

IV. Attigimus tempora, quibus promulgati sunt libri Decretalium Pontificiarum à Gregorio IX. In his ab Honorio III. recensentur jura Episcoporum omnia in Ecclesias Parochiales, Synodaticum, Cathedraticum, quarta Decimarum & funerum, Procurationes visitationum, subsidium charitativum, ubi gravior aliqua incubuit necessitas. *Synodum, & Synodatici, seu Cathedratici nomine duos solidos, quartam decimationum & mortuariorum, visitationem quoque annuam, &c.* Extra. De Offic. Jud. ord. c. 18. In alia Decretali meminit idem Pontifex litis cujusdam inter Archiepiscopum Rotomagensem & Abbatem quendam, quòd contenderet Abbas adjudicandam sibi tertiam partem emendarum ex Parochiis quinque, cum ex adverso Archiepiscopus communi & receptissima ubique consuetudine omnes sibi prorsus vindicaret. *Abbas Monasterii Rothomagensis nobis exposuit, quod tertia pars emendarum, quas homines quinque Parochiarum pro suis excessibus solvere compelluntur, ad suum spectant Monasterium ab antiquo.* Diximus jam quæ essent hæ emendæ, cum suprà Concilii Juliobonensis Canones exequeremur.

Alio loco posse ab Ecclesia declarat idem Alexander III. quadraginta annorum spatio præscribi quartam partem decimarum, & oblationum pro mortuis, si eo tempore non vacarit Sedes Episcopalis. *De quarta decima & oblationis defunctorum Clericus ab impetitione Episcopi quadragenali præscriptione temporis se posse tueri videtur.* Extra. De Præscri. c. 4. Missas facio & alias complures Tituli *De Præscriptionibus* decretales, *Ibid. c. 11. 15. 16.*, ubi illud observatur procurationes, visitationes, & alia id genus Episcopalia jura ab inferioribus adversùs Episcopos præscribi non posse, quanquam præscribere ea sibi possint Prælati inferiores adversùs Episcopos. Alibi rursum non sinit idem Alexander III. ut ubi Episcopi Ecclesias Parochiales Laicis extorquent, alia illis infligant onera, quàm Cathedraticum, & si qua alia solemne & usitatissimum est ab Episcopis exigi. *Ecclesiis, quas de novo Episcopi de manibus Laicorum eripiunt, præter Cathedraticum & jura omnia, quæ ab Ecclesiis imponuntur, exactionem prohibemus imponi.* Extra. De Censib. c. 9.

V. Venio ad antiquissimos antiquioris hujus ævi Scriptores Ecclesiasticos, in quibus agmen ducet B. Fulbertus Carnotensis Episcopus, cujus sunt literæ ad Episcopum Lexoviensem exaratæ, à quo interdicti fuerant Parochi, Capitulo Carnotensi obnoxii, quòd Synodaticum illi non detulissent. *Ideo quòd de ipsis Ecclesiis non fecerunt nobis Synodum.* Epist. 58. Cathedraticum videtur hoc fuisse, quod in ipsa pendebatur Synodo, & cui inde id nominis accedebat. Fatetur Fulbertus eo jure fraudari nunquam debere Episcopos. *Et nos vobis eam solvendam esse non ignoramus.* Sed Parochos, qui in potestate erant Capituli Carnotensis, Carnotensibus Episcopis nihil ejusmodi solvere, quòd eo onere levati essent à superioribus Episcopis: *Quòd nulla Ecclesiarum, quas nostri Canonici possideant in Episcopatu nostro, obligata est hujusmodi debito, remittente videlicet antecessorum meorum pissima liberalitate.* Spem fuisse Canonicis Carnotensibus Episcopos Lexovienses idem sibi gratificaturos; nec sanè ipsos abnuere, quin ea jura à Parochis suis exolvantur, si Episcopus Lexoviensis à sententia abduci se non sinat, nec jus illud remittat. Cum Romanæ verò se peregrinationi commisisset B. Fulbertus, literis suis Canonicis Carnotenses eundem Episcopum Lexoviensem rursum adiere, ut id beneficii ab eo exorarent, testatumque fecere ab Episcopis Carnotensibus absolutos semper fuisse Procurationum jure Parochos Capituli potestate mancipatos. *Jubes, inclyte Præsul, nos dare tibi circadas de Ecclesiis nostris quæ sunt in Episcopio tuo. At nos Serenitati tuæ intimare volumus, quod Episcopi B. Mariæ, in quorum Diœcesi possidemus Ecclesias, hunc semper amoris & reverentiæ cultum exhibuerunt sanctæ sanctarum Dominæ nostræ, ut à nobis licèt indignis ejus famulis nequaquam exigerent id obsequii, quod requiris.* Epist. 120.

Non aliud ferè Episcopale jus Cathedratico antiquius, cui & suus semper constitit, & constat etiamnunc vigor. Cum anno 1090. Geraldus Cadurcensis Episcopus Canonicorum Regularium Collegium institueret, tum aliis eos donavit juribus, tum Cathedratici & Hospitii parte tertia. *Tertiam partem paratarum, & quod in Synodis exierit, ipsorum usui deputavi tertiam partem.* Spicil. Tom. 8. pag. 162. In Concilio Ravennate anno 997. constitutum est, ut quotannis die sacro Sancti Apollinaris Archipresbyteri omnes censum penderent duorum solidorum. *Statuimus, ut annualiter in festo Sancti Vitalis omnes Archipresbyteri ad nos persurrentes, pro respectu sedis, Subdiaconis nostris annualem censum persolvant solidos duos.* Can. 1. Perspicuè de Cathedratico hic agitur, ut ex his verbis patet *respectu sedis*; & ex duobus solidis, quam jam olim pecuniam præfinierant Concilia Bracchara, & Toleti habita. Quòd autem soli Archipresbyteri hic memorentur, ea causa potuit esse, quòd illi ad Synodum confluentes, reliquorum sui quisque

que tractûs Parochorum Cathedraticum perferrent. Cum denique Cathedraticum hic *census annuus* dicatur, *Annualem censum persolvant solidos duos*; hinc non immeritò conjicitur, cum ipsum fuisse censum, quem coacervata superiùs tot Concilia sinebant Episcopos exigere ex Parochiis omnibus, ne iis quidem exceptis, quæ Monasteriis adjudicatæ fuissent. Hi sunt Concilii Juliobonensis *Episcopales reditus*. Intertexuit Gratianus 10. q.3. Decreto suo Canones Conciliorum Braccharensis & Toletani de duobus Cathedratici solidis, ut qui sua adhuc ætate in usu essent. Cum eam quæ inter Uxamensem Episcopum & Equites Templi exarserat litem consopire studeret Innocentius III. Equites jussit Episcopo exolvere quartam partem decimarum, & duos solidos pro Cathedratico Parochiarum sui juris. *Ut vos pro singulis Ecclesiis supradictis unum quartum grani, & unum annona, pro decimationis quarta, & duos solidos casualis moneta annis singulis eidem Episcopo pro Cathedratico persolvatis.* *Regest.* 14. *Epist.* 20. Eandem pecuniam definivit Honorius III. sive Synodatici, sive Cathedratici nomine, quod perspicuè hic docet unum & idem fuisse. *Synodum & Synodatici, seu Cathedratici nomine duos solidos. Extra. De Offic. Judic. ordin. c.15.*

VI. Vetuit Concilium Salmuriense anno 1253. ne Episcopi Ecclesias Parochiales mensæ suæ adgregarent, quò ab eis Pensiones exculperent prioribus graviores. *Ecclesias Parochiales in reditibus abundantes, qua plures possunt habere servitores, diminuto, vel arctato numero servitorum, appropriant mensa suę, licèt sufficiens sit, vel debeat sufficiens reputari: sic temporale spirituali pręferendo. Quod fieri de cętero prohibemus, nisi cum consilio Metropolitani, & assensu Capituli proprii. Et ne in ipsa collatione Parochialium Ecclesiarum novas sibi retinerant pensiones, vel antiquas augmentare pręsumant.* Can.29. Pensiones illæ veteres in Parochias unum idemque sunt cum Cathedratico, quod nec ipsum augeri potest ab Episcopo, & quo contenti sint, necesse est, nec sibi licere velint ditiores Parochias mensæ suæ unire. Poterat tamen Episcopus Parochias illas opulentiores Capitulo suo, vel Monasteriis adgregare, & unire. Quòd quanquam eo minueretur Cleri numerus in Parochiis, augeretur in Cœnobiis, & in Capitulo. At coalescere si juberet eas Parochias cum Episcopali mensa, inde unus capiebatur fructus, ut Parochiarum spiritalia adjumenta decrescerent, crescerent temporalia Episcoporum. Qua potissimùm in re cupiditatum præstigiæ Episcopo pertimescendæ erant. Ideoque nec eas moliri permittitur uniones, nisi Metropolitano & Capitulo consentientibus, nec utique assensuris, nisi ubi Episcopales proventus oneribus impares erant.

In Concilio Pictaviensi anno 1280. Episcopus ejus urbis non minimam partem sui juris edisseruit his verbis: *Monemus in generali, quod de Bissexto & aliis juribus Episcopalibus reddant nobis, vel mandato nostro; item de Synodo, parata, & aliis juribus Archidiaconorum. Cap.11.* Hic Synodaticum haudubio idem est, atque Cathedraticum. At *Bissextus* rarus occurrit in Conciliis, nisi hæc eadem sit quarta decimarum & oblationum. Non quadripartita illa proventium Ecclesiæ distributio partitione dierum nonnunquam fiebat. Exempla ejus rei superiùs allata sunt. Oblationes decimę cujusque diei decimam faciebant oblationum. Ita & poterant decimæ quarti cujusque anni Episcopo adjudicari, ut hæc esset ejus canonica portio, seu pars quarta decimarum.

Quæ ad Episcopatûs Leodiensis expoliandam disciplinam disceptata fuerant decreta, & quæ à Nicolao V. Pontifice confirmata sunt, ea Cathedratici unius meminere, quod à regiunculæ suæ Parochiis accipiebant Decani Rurales, quod & jubetur quartę parti Cathedratici Archidiaconi æquari. *Sicut contenti quarta parte illius quod Archidiaconi pro integra Ecclesia visitatione debetur. Et idem volumus observari in solutione obsonii & Cathedratici ipsarum quartarum Capellarum dictis Decanis facienda.* Cathedraticum suprà commemoravit Petrus Blesensis inter jura Archidiaconorum.

VII. Novis quidem exactionibus interdicitur Episcopis in Concilio Tridentino, sed illis confirmatur quidquid est legatorum piorum, & legitimi juris. *Pręter id quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine. Sess.24. c.3.* Atqui jure maximè inculcatur Cathedraticum. Ideo & Congregatio Concilii respondit expunctum non fuisse à Tridentino Cathedraticum, & in Synodo pendendum illud esse, non in visitatione, ubi quidvis exigi vetat Concilium. *Fagnan. in l.3. Decret. Part.2. pag.282. Et in L.1. Part.2. pag.46.* De hac Tridentinorum Patrum voluntate nihil addubitabant Concilii Bituricensis Præsules anno 1584. cum exertè statuerunt sub anathematis interminatione, solvi omnino debere Synodaticum, Chathedraticum, aliaque jura Episcopalia, nec non & aliis dignitatibus pendi solita. *Jura Synodalia, Cathedratica, Episcopalia, & quavis alia antiqua, aut consueta Ecclesiasticis cujuscumque dignitatis ordinis, gradus & conditionis existant, integrè persolvantur, sub pœna excommunicationis; quam si neglexerint, extraordinariè puniantur. Tit.36. c.7.* Synodaticum hic à Cathedratico separatur, quod quibusdam in locis, in visitatione Parochiarum pendebatur, cum Synodaticum in Synodo exolvebatur. Beatus Carolus Mediolanensis Episcopus in Synodo sua II. legem innovavit Cathedratici. *Illud sacris Canonibus constitutum est, ut à singulis Parochis Diœcesana Synodo Cathedratici nomine solidi duo exigantur; idque argumento honoris, qui Cathedrali Ecclesia tanquam matri à cateris Parochialibus Ecclesiis tribui debet. Acta Eccles. Med. p.346.* Quibus paucissimis verbis constringitur ferè, quidquid de Cathedratico aptissimè dici poterat. Tum Carolus remittit quidquid ejus juris minus hactenus persolutum fuerat, præfatus utique id exigi à se potuisse, quòd ejusmodi jus præscribi non possit.

VIII. Accedo ad Subsidium Charitativum, cujus exigendi copiam habent Episcopi, ubi gravi quapiam & arcta necessitate urgentur. Difficile dictu est, & pene incredibile, quantas se in angustias adduci passi sint Episcopi sanctissimi, ne qua ejusmodi exactione quantumvis legitima plebibus suis molesti essent. In eam rem mirum aliquid narrant qui B. Anselmi & B. Lanfranci gesta literis mandavere. Anselmus qui Beccensi tunc præerat Abbatiæ, in Angliam trajecit, ut Lanfrancum inviseret Archiepiscopum Cantuariensem. Dum verba miscerent aliquando, incidit illis sermo de Beato Elphego Angliæ Martyre, & Archiepiscopo olim Cantuariensi, quem non alia de causa Barbari excarnificatum neci tradidere, quàm quod pati nollet se pecunia redimi & eorum manibus extrahi. Illum ea de causa Martyrum honoribus in Anglia celebrari, molestissimè ferebat Lanfrancus, quod nec Anselmo dissimulavit. Illi Anselmus hunc exemit vel scrupulum, vel errorem, paucissimis his verbis. Multò illum sanè constantiùs pro Christo mortem oppetiturum, cum nec sanguinem fundere detrectarit, ne vel tantillum gravaret gregem suum, exigendo redemptionis suæ pretio.

Inter Epistolas Joannis Salisberiensis, illa radiat Archiepiscopi Cantuariensis, qui ex morbo acerbissimo recreatus, Deo spoponderat, pravas omnes se consuetudines oblitteraturum, hoc est, exactiones, quæ Pontificatum se ejus Ecclesiæ gerente in-

te inserpere cœpissent, potissimum verò illam subsidii charitativi. *Cum in extremis ageremus, Domino vovimus inter cætera, quod consuetudinem de secundis auxiliis, quam frater noster Archidiaconus imposuit, destrueremus, ab ea relaxantes, liberantes Ecclesias, sub anathemate prohibuimus, ne ulterius ab aliquo exigantur. Epist.49.*

Concilium Lateranense III. anno 1179. pronuntiavit hoc publicæ charitatis subsidium non posse Episcopos flagitare, nisi justa gravis, evidensque necessitas eos arctaret. *Prohibemus ne subditos suos talliis vel exactionibus Episcopi gravare præsumant. Sustinemus pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt, ut si manifesta & rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium postulare. Can.4.* Ponderanda hic omnia prorsus verba sunt; mediocre ut petatur subsidium; ut petatur, non exigatur; ut amanter, non imperiosè agatur; justa sit causa & evidens. Iisdem verbis renovari confirmarique placuit eum Canonem in Concilio Londinensi anno 1200. *Can.5.* Postquam Episcopum Assisinatem addocuit Honorius III. Papa, quæ Episcopi jure exigere possint; jubet his ut contentus sit, nisi gravissima aliqua necessitas cogat, hocce charitatis præterea subsidium ebblandiri. *Tu autem his juribus contentus existens, non amplius ab eis exigas præter moderatum auxilium, quod juxta formam Lateranensis Concilii, si manifesta & rationabilis causa extiterit, cum charitate postulandum, sicut ab aliis Ecclesiis ejusdem Diœcesis pro necessitate temporis sustinemus. Extra. De Offic. Jud. ordin. c.16.*

Huc verò referri potest, quod in Sexto habetur ex Concilio Lugdunensi I. ne posset vi & imperio uti Remensis Archiepiscopus, sed blandè & suaviter moneret Episcopos suæ Provinciæ, eorumque subditos, Fabricæ ut Remensis Ecclesiæ opis quid & stipis conferrent. *Super benigna Quæstorum receptione, subventione ipsi fabricæ facienda possunt suffraganeos & alios Christi fideles Remensis Provinciæ charitativè monere.* Ex Concilio Provinciæ Turonensis Salmurii congregato, dilucidum est, charitativo subsidio locum fuisse in Ecclesia Gallicana. *Statuimus; ne Prælatus aliquis à subditis subsidium exigat, nisi necessitas ex causa manifesta & rationabili hoc exposcat; & tunc cum charitate recipiat moderatum. Can.22.* Cum expensas designasset Benedictus XII. Papa Prælatorum omnium, quibus visitationis & procurationis partum est jus toto orbe Christiano: definit etiam, quò excrescere usque possit subsidium Charitativum, quod Papæ concessione, consuetudine, jure exigi permittitur à Monasteriis, Ecclesiis, Capitulis, locis piis, Beneficiisque peculiaribus. *Si Prælati ex Apostolica indulgentia, vel consuetudine, seu de jure, petant sibi ab Ecclesiis, Monasteriis sive locis aliis Ecclesiasticis eorumve Capitulis, Collegiis, vel Conventibus, Rectoribus seu personis moderatum, seu charitativum obsequium exhiberi. Tit.3. n.13.* Summa autem à Pontifice præfinitur tanta, quanta est procuratio una, cum Ecclesias lustrat Episcopus per Vicarium. Concilio Mediolanensi II. anno 1569. placuit, ut Episcopus Capitulo suo proponeret causas flagitandi hujus subsidii, & hortaretur ad opem ferendam; jussit etiam ne summam excederet à Benedicto XII. constitutam, nisi obstreperet consuetudo: *Idque nisi consuetudinis ratione aliud observatur.* Si quid amplius exigatur, & restitui necesse est, & alias adiri penas arbitrio Superioris.

IX. Magni interest non perfunctoriè attingi, quod ad quartam attinet portionem funerum, vel legatorum piorum. In Decretali Honorius III. rem ita exprimit: *Quartam decimationum & mortuariorum. Extra. De Offic. Ordin. c.16.* Nec pluribus opus erat, ut odoraremur, ecquid hoc esset juris & quo solido niteretur fundamento. Universalis enim illa lex & usu receptissima partitionis rerum Ecclesiæ, quartam Episcopo omnium addicit, atque adeo & quartam decimarum oblationum & funerum. Nam suus est & Legatis piis locus inter oblationes, quas pietas fidelium Deo consecrat per manus ministrorum ejus, hoc quoque subsidio sustentandorum. Ideo & Innocentius III. de hoc jure, utpute antiquissimo & inconvulso certissimus pronunciavit, quanquam Testator propriè & nominatim aliquid Episcopo legasset, posse ab eo tamen præterea canonicam requiri portionem suam reliquis ex legatis piis. Portio verò Canonica ex eodem Pontifice alicubi tertia, alibi verò quarta pars erat. *Episcopus debet de iis secundùm diversas consuetudines, tertiam vel quartam portionem habere. Extra. De Testament. c.14. 15. alt.* Nec multum abstrusa est ejus discrepantiæ ratio. Ostensum quippe superius est, non unam ubique obtinuisse legem canonicæ partitionis rerum, sed alibi tres alibi quatuor in partes primò sectam fuisse rerum Ecclesiæ totam substantiam.

Anno 1103. cessit Archiepiscopus Aquensis Capitulo suo quartam decimarum, aliorumque proventuum sibi debitam ex Ecclesiis Capitulo obnoxiis, nec non & tertiam funerum totius Episcopatus. *Donavit etiam tertiam partem mortalitatis totius Episcopatus. Gall. Christ. tom.1. pag.8. 9.* A' Gregorio IX. constitutum est, quidquid legaretur pro sacris vestibus Ecclesiæ, pro luminaribus, pro reparationibus, pro anniversario septimo, vigesimo & trigesimo die, nequaquam minui id debere detruncatione portionis Canonicæ Episcopi. *De his, quæ in ornamentis, vel pro eis, seu fabrica, luminariis, anniversario, septimo, vigesimo trigesimove die, sive aliis ad perpetuum cultum divinum legantur Ecclesiis, vel reliquis piis locis; Canonica portio, dummodo in fraudem non fiat, ut ea Episcopus seu Parochialis Ecclesia debeat fraudari, deduci non debet. Extra. De Test. c.15. & alt.* Nihil tam facilè expeditur, quàm hujus rei ratio. Hæc enim legata sunt onerosa, & ad opus quidem perpetuum dicata. *Ad perpetuum cultum divinum.* Ita æquum est legatum ab onere non divelli.

Ei quoque juri patrocinati sunt Tridentini Patres his verbis. *Præter id quod ex relictis piis jure debetur. Sess.24. c.3* Tanquam consultò verba quæsita essent, quæ latiùs paterent quàm legata pia. Etenim referente Fagnano, *in l.1. Decr. par.2. pag.464.* Episcopo Fundano sacram Concilii Congregationem percontanti; an ubi ex asse hæreditas Ecclesiæ esset transmissa, portio hinc canonica Episcopo decerpenda esset, responsum est esse decerpendam. Anno 1594. Concilium Avenionense executioni mandari jussit, *Can.47.*, decretum Tridentinum, ut quarta pars funerum Ecclesiæ persolvatur Cathedrali, vel Parochiali, si ita ferret antiqua consuetudo, quanquam postea Cœnobiis vel Xenodochiis concessa fuissent his adversaria quæpiam privilegia. Adjicienda hic jam sunt verba, quæ pertinent, non ad legatorum piorum, sed ad funerum jura. *Decernit Sancta Synodus, ut quibuscumque in locis jam ante annos quadraginta, quarta quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita esset persolvi, ac postea fuerit, ex quocumque privilegio, aliis Monasteriis, Hospitalibus, aut quibuscumque locis piis concessa, eadem posthac integro jure & eadem portione quæ antea solebat, Cathedrali seu Parochiali Ecclesiæ persolvatur, non obstantibus privilegiis, &c. Sess.25. c.13.*

X. Cum autem Concilium Tridentinum, *Sess. 23. c.1. Sess.25. c.3. & 14.*, emendas, seu pœnas aliquoties indixerit pecuniarias, quæsitum est, an

an Episcopi eas in suam possent utilitatem convertere, si vel maximè rerum penuria premerentur. Plura jam superius Concilia perstrinximus, quibus jus istud constituitur, vel retinetur, Juris enim erat, morisque pervetusti, ut mulctæ criminum, vel in negotio Ecclesiastico, vel in loco sacro, vel à Clericis admissorum, ad Ecclesiam pertinerent. Fateor equidem Honorio III. in Decretali *Conquerente, De Officio Judicis Ordinarii* jura omnia Episcopalia percensenti, non venisse in mentem, ut hujus meminisset. Sed in causa esse potest, quod non ubique utantur Episcopi eo jure. Cæterùm eodem Titulo, Capite, *dilectus*, idem Pontifex testatum facit eundem usum in Galliis convaluisse, & eo postbac jure uti debere, qui hactenus essent usi. Re tamen diligentius pensiculata, duplicis, ut videtur, illæ erant generis emendæ. Quæ enim in Gallia usitatissimæ erant ex contentiosa Episcoporum jurisdictione nascebantur, & juris erant illis jam olim parti, sicut & emendæ civiles temporalium dominorum & principum proprii juris erant. Sed emendæ, à Concilio Tridentino quæ indicuntur, eæ partim à Concilio ipso destinantur ad certos usus, partim arbitrio Episcoporum permittuntur.

Sed quod ad destinationem & usum attinet emendarum, sacra Congregatio sæpius declaravit. *Fagnan. In l.1. Decret. part.2. pag.476.* 1. Emendas à Concilio Tridentino indictas Clericis non residentibus, Concubinariis, aliisque id genus, locis semper piis largiendas esse. 2. Quas Episcopus ipse decernit, cum nulla certa lege edicerentur, eas non posse nisi in opera pia expendi. 3. Quas denique designant Canones, vel Synodicæ Constitutiones, eas servari posse integras egenti Episcopo, si verè egeat. In Ecclesia certè Gallicana nunquam egere Episcopos præjudicatum est; unde & inutilis ibi jacet ea clausula.

XI. Capiti huic finem faciet transactio Episcopi Andegavensis & Cleri ejus Provinciæ hinc, illinc autem laicorum ejusdem anni 1300. celebrata, à Ludovico Andium Duce, post Rege Siciliæ, & à Carolo VI. Francorum Rege confirmata; quam sacræ Politiæ suæ Chopinus illigavit. *L.2. Tit.7. c.10.* Flagitabant Parochi ab hæredibus defuncti cujuslibet, vel ab Executoribus testamentorum *tertiam partem mobilium vel compositionem arbitrariam: Illud enim jure deberi pro sepulturis loco decimarum personalium, & minutiorum realium, ut pomorum, pyrorum, fœni, caulium, & aliorum id genus ex quibus nihil prorsus solvebatur.* Statutum est autem, ut Capita familiarum quolibet Dominico die offerrent Parochis denarium Turonensem ad altare, præter pauperes ostiatim mendicantes; ita verò jam fore, ut nihil possent amplius exigere Parochi ex funeribus, vel personalibus decimis, vel denique minutioribus ex decimis realibus. Ideoque nec cessaturos laicos à solvendis die Paschæ quinque denariis Turonensibus Paschalibus. Anno rursum 1396. convenit, ut pro oblatione denarii quolibet die Dominico, solidum Turonensem solverent Parochiani omnes, alterum die Paschæ, alterum in celebritate Sanctorum omnium; nihil hinc tamen detrimenti passuris priscis oblationibus, quas Parochiani jam exolvebant diebus sacris Paschæ, Trinitatis, omnium Sanctorum, & Natalis Christi. Hinc porro intelligis, quam defervescente fidelium charitate, sensim abolescerent oblationes, & solemnes olim pietatis hostiæ; ut decimæ personales in desuetudinem abierint minutioresque reales, commutationibus factis parum diuturnis. Denique ut funerum jura, seu mortuaria paulatim dilapsa sint.

Adnotatum est à Covarruvia, quartam legatorum piorum Episcopo deberi, non ab hæredibus Testatoris, sed ab Ecclesia, cui legatum est. Sed nihilo tamen minus plerisque in Diœcesibus illam adhuc retineri consuetudinem, ut Episcopo, vel Parocho melior vestis, vel vas aliquod argenteum seponatur ex mobilibus defuncti, ad Episcopi, vel Parochi votum; & hunc usum à Rota confirmatum fuisse. *Hæc verò quarta portio, quæ Episcopo ex legatis loco pio factis competit, ab ipsa Ecclesia, seu ipso pio loco, non ab herede testantis debetur. Solet tamen in plerisque Diœcesibus ex antiqua consuetudine ex bonis ac rebus à defuncto relictis dari Episcopo, vel Parochiali Presbytero melior vestis, aut vas aliquod argenteum, seu alia res, quam ipse Episcopus, vel Presbyter legerit. Quam consuetudinem propria sententia & judicio, comprobavit Rota Prætorium. De Testam. c.14. n.1.* De hac nos diximus alibi prolixius consuetudine antiquissima, dimittendi Parocho pulcherrimi cujusque mobilis in successione defuncti.

❧ ❧ ❧ ❧ ❧ ❧

De Distributionibus, de Reparationibus, & de Deportibus.

CAPUT XXXV. *P.4. l.4. c.28.*

De Distributionibus.

I. Reditus priscorum Beneficiorum distributionibus constabant.

II. Tria tempora, & tria discrimina, Canonicorum & distributionum, sub Carolo Magno, sæculo undecimo, hac ætate. Probatio ex Petro Damiani.

III. Explanatur Decretum Alexandri III. de distributionibus, quæ non dabantur nisi præsentibus. Ivo Carnotensis primus author distributionum hodiernarum.

IV. Decretales Innocentii III. & Honorii III. in eandem rem.

V. Varia Conciliorum Decreta ante annum millesimum trecentesimum. Eo propemodum tunc erant loco distributiones, quo nunc sunt, nulla certa lege, solo usu firmata.

VI. Sæculo decimo quarto Concilia legem edidere de distributionibus, & indigitavere, qui absentes illis nihilominus donandi essent.

VII. Sæculo decimo quinto Concilium Basilieense & alia posteriora Canones edidere de distributionibus novos, antiquos confirmavere.

VIII. Varii abusus à Concilio Tridentino damnati.

IX. Canones Concilii Tridentini de distributionibus.

X. Gradus varii institutarum distributionum.

XI. Quando absentibus debeantur distributiones.

XII. Distributiones pecuniariæ specialibus de causis. Cautiones adversùs simoniam. Zelus Ximenii Cardinalis.

I. NEminem jam reor præterit, reditus primævæ Ecclesiæ Beneficiorum, opesque omnes in solis sportulis & distributionibus fuisse; quin & ubi medii ævi decursu cœpere decerpi agri quidam, & Clericis assignari, longè plurimis tamen in Beneficiis pristinum usum servatum: & tum tempore Caroli Magni, tum senescente sæculo XI. & XII. ineunte, cum reflorescere visa est Ecclesiæ disciplina, & Clerus propemodum omnis in Congregationes vitæ communis societate devinctus fuit, eundem usum necessario viguisse, ut solis distributionibus constarent singulorum proventus.

Vetustissimus Scriptor Historiæ Normannorum de Duce Richardo I. agens, & de templo magnificentissimo, quod suis ille sumptibus excitavit, Clerum docet unoquoque die distributiones suas accepisse. *Clerum numerosa multitudinis propensa, diaria quotidie recipientem*, pag. 153. Si de Monachis hic agebat, nonnisi certè de antiquioribus Monachis, qui ritu & more Canonicorum degebant, & quidem antiquorum.

II. Nonnihil enim discriminis observandum est inter triplicis ætatis Canonicos, quorum priores effloruere sub Carolo Magno & Ludovico Pio; medii sæculo undecimo & duodecimo; postremi hac postrema ætate; nonnihil rursum similiter discriminis inter distributiones tribus his temporibus usurpatas. Tempore enim Caroli Magni Canonicorum non alii erant proventus, quàm ex distributionibus manualibus. Canonici sæculi XI. & XII. à Conciliis & Pontificibus invitabantur ad patrimonii etiam abdicationem, nequid propriè & separatim bonorum Ecclesiæ acciperent, sed communis vitæ contubernio devincti, victu vestitu parco contenti, nihil præterea concupiscerent. Canonici verò postremæ hujus ætatis, & patrimonio abundant complures, & fundos obtinent mensæ Capitularis, ac præterea distributionibus donantur ex Capituli reditibus communibus, sed non donantur, nisi qui reapse divinis intersunt Officiis.

Destomachatur Petrus Damiani in Regulam Canonicorum sub Ludovico Pio concinnatam, & ævi illius accomodatam Canonicis, expostulatque nominatim de distributionibus tam opimis tum & redundantibus, ut usu consumi non possent. *Cum à maximo usque ad minimum, id est, etiamsi duorum vel trium sit annorum in Clero puerulus, quinque libras vini & quatuor panes, ut non ad vomitum, sed ad exenterationem repleatur, accumulas.* Abstersimus jam alibi invidiam & obtrectationes aspersas ei Regulæ, cuius Petro quidem Damiani inexplorati erant authores. Nec illa enim tantùm Canonicis largiebatur, unde ipsi vitam tolerarent, sed & unde largiùs erogarent in pauperes, & eam esculentorum ingerebat copiam, quæ recondi omnino diutiùs non possent, sed statim necessariò in pauperes effundi pene necesse esset.

Hæc præfatus Petrus Damiani, ad Canonicos suæ ætatis orationem traducit, nihilque intentatum relinquit, nullas non adhibet artes & machinas, ut ad vitam illos communem amplectendum compellat, & ad professionem Canonicorum Regularium, ubi nihil proprii attingant, sed de communi penu idonea donentur esca & veste. Etenim superflua & propria ex rebus Ecclesiæ in futurum reconditis possidere, ea verò nundinatio quædam Clericatus est, ad cujus amorem & professionem illexerit nos potiùs terrenarum opum cupiditas, quàm cælestium charitas & pulcritudo virtutum. *Sin autem Ecclesiastica tibi liceat bona recondere, videris auxisse divitias, non sprevisse; ut magis pecunia quæstum, quàm Religionis ambias institutum; & non tam sanctitatis culmen voluisse conscendere, quàm acervos pecuniæ accumulare.*

III. Earumdem quæ nunc usitatissimæ sunt distributionum, meminit Alexander III. ubi constituit, ut Canonicis, qui sunt in obsequio Episcopi, proventibus gaudeant Beneficiorum omnibus, exceptis fortè distributionibus panis & vini, quæ absentibus dari non solent. *Statuimus, ut Canonicis, donec in servitio tuo fuerint, quidquam subtrahi debeat, vel auferri, quod de communitatis sibi beneficio debetur; nisi fortè sint victualia quæ non consueverunt absentibus exhiberi.* Extra. *De Cler. non resid.* c. 7. Hæ sunt certè nostrates distributiones, sed inter initia sua. Nec enim de iis legem sancit Pontifex. Unum id obiter affirmat, moris non esse, ut absentibus serventur quòd victualia tantummodo sint. *Nisi fortè victualia, quæ non consueverunt absentibus exhiberi.* Itaque probabile est pane tantùm & vino privatos fuisse absentes; & consuetudini tantùm id datum, non legi; denique non tam pœnam esse, quàm necessitatem, ne diutiùs servata putrescerent, quæ ad præsentium modò alimenta dabantur, & copiosiùs dabantur, ut ea copia in pauperes afflueret; denique quæ absentes reposcere non ferè possent, cum simul atque præstò erant, affatim suppeditaretur panis & vini, quo & ipsi vescerentur, & pauperes recrearent.

Videtur autem Ivo Carnotensis Episcopus eas præformasse & quasi tentasse distributiones, quarum postea frequentissimus fuit usus. Narrat ipsemet in literis ad Paschalem Papam datis, cum in potestate haberet vacantem Præposituram, ejus se reditus dedicasse distributionibus panis, quibus Canonici munerarentur, qui horis Canonicis affuissent; frustrarentur qui abfuissent; ut carnali hac illecebra invitarentur, quos non satis alliciebat Panis cælestis suavitas. *Cum in quampluribus Canonicorum Carnotensium desuevisset disciplina Regularis observantia, ut de negligentibus facerem diligentes, de tardis assiduos ad frequentandas horas Canonicas, deliberavi apud me, ut darem eis dimidiam Præposituram ut inde fieret quotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent tardi; ut ad quod eos panis interni dulcedo non movebat, panis corporei refectio provocaret, quamvis eorum annua Præbenda eis ad hoc sufficiens esse deberet.* Ep. 219. Edit. Paris. anni 1610.

Pissimi consilii & conatûs is non fuit exitus, qui esse debuerat, vixdum effluxerant tres menses, cum ea panis distributione supersedendum fuit, usque adeo illa Canonici abutebantur. Periculum ergo tum fecit Ivo, nec res cecidit ex animi ejus sententia. Sed idem rursus postea passim experiri placuit, tam auspicato eventu, ut usus tandem increbuerit earum distributionum, & ferè vertente eodem sæculo sub Alexandro III. jam receptissimus fuerit. Gosselinus Episcopus Carnotensis anno 1150. Præposituram à Mensa Episcopali decerpsit, ut ejus proventus in distributiones secarentur, quò matutinæ Psalmodiæ strenuiùs omnes adessent. *Præposituram de Uno-gradu ex Episcopali jure, in usum fratrum, qui Matutinis interfuerint, munifica largitione perpetò transfudit.* Mabillonii *Anal.* Tom. 2. pag. 566.

IV. Elimata perpolitaque postea in dies fuit hæc distributionum disciplina, jamque ejus perfectioni & absolutioni gratulandum erat sub Honorio III. Papa; cum Decretali *Licet*, *De Præbendis*, ab illo præcipiatur, ut Archidiaconus, dum studiis operam dat Theologicis, fructus Beneficii percipiat, præter distributiones, quæ præsentibus tantùm dantur, & sacræ Psalmodiæ præsentibus. *Nolumus tamen ut quotidianas distributiones, quæ tantùm residentibus in Ecclesiis, & his qui intersunt Horis Canonicis, exhibentur, et tribui facias.* Pressiùs, ut vides, & accuratiùs, quàm Alexander III. Simillimum enim veri est distributionum legem, & præsentium ad eas percipiendas prærogativam toto tunc orbe pervagatissimam fuisse. Quin & supererant, uti & supersunt etiamnunc Ecclesiæ, quæ proventus non suppeditent alios, quàm uberiores distributiones, præsentibus tantùm dicatas, uti planum est ex Decretali *Olim*, *De verborum significatione*, cujus author fuit Innocentius III.

V. Anno 1279. Concilium Budense in Hungaria, jussis Archidiaconis totum triennium ediscendo Juri Canonico impendere, statuit ut proventibus interim gaudeant Beneficiorum, exceptis panis

nis & vioi distributionibus, nisi malitiosè quæ numerari solet pecunia, io erogationes panis & vini converteretur. *Fructus & proventus percipiant, quotidianis distributionibus, quæ in pane & vino singulis vel certis diebus exhibentur, dumtaxat exceptis; nisi in fraudem præsentis Constitutionis, reditus qui consueverunt in pecunia percipi, ordinaretur pro distributionibus panis & vini.* Can.38. 45.

Id jam observavimus, esculentorum, panis & vini fuisse plerumque distributiones, quas quantumvis justis de causis, noo deceret tamen ab absentibus reposci. Alio mox Canone in eo Concilio rursus sancitnm est; ut qui matutinis & vespertinis Officiis, itemque Mysteriorum se celebrationi subducerent, ii distributionibus exciderent ejusdem diei. Quo factum est, ut Capitulis Cathedralibus & Collegialibus præciperetur, designari, qui observarent adnotarentque absentes.

In Concilio Ravennate aoni 1286. declaratum est, *Can.5.*, Ecclesias esse, io quibus proveotus essent duplicis generis, alii residentibus persolvendi, alii præsentibus quotidianæ Chori Psalmodiæ; esse verò desidiosos, & astutos tamen Canonicos, qui posteriores hós reditus sibi arrogarent, etsi rarò & brevissimo tempore divinis se sisterent Officiis. Ne quid ergo loci huie posthac relinquatur ludificationi, jam constitui, ut ne horum posterioris generis redituum, *sive sit bladum, seu vinum, sive sint pecunia, sive aliu bona*, participes fierent, nisi qui Canonicis Horis omnibus iotereſsent; partiendas ideo esse has distributiones in omnes Horas Canonicas pro earum modo & ratione; denique cæteris ut in Ecclesiis, ubi duplex ea redituum ratio usitata non erat, commentaretur Episcopus, qua arte & industria Canoniei Horas Canonicas frequentare compellerentur. Illud deoiqoe in eo Concilio constitutum est, ut ne frustrarentur his distributionibus, qui ex morbo decumberent, vel qoi mittendo sanguini biduum, triduumve pharmaco hauriendo feriarentur. Hinc faeilè intelligitur, nulla adhuc tum universali lege constabilitas fuisse distributiones, sed specialibus quorundam Capitulorum Statutis; & iam cœpisse non panem modò & vinum, sed & peeuniam, & aliud genus contioers nomine distributionnm.

VI. In Concilio alio Ravennate anoo 1317. firmari placuit & renovari statutum priori Concilii Provinciæ ejusdem habiti apud Forum Julii, *Forli.*, ubi decretum fuerat, ut Episcopi omoes Provinciæ Ravennatis in Diœcesana Synodo definireot distributiones omnium Ecclesiarum Cathedralium & Collegialium, quò frequeotior esset ad horas Canonicas conventus. *Can.50.* In Concilio Avenionensi anno 1337. vana irritaque jussa sunt, *Can.30.*, esse privilegia, sive privilegiorum ludibria, quibus distributiones absentibus concederentur; nisi illo ipso tempore oceuparentur officii sui functione quapiam, vel obsequii, quod Capitulo præstarent. *Aut occasione dicti Officii pro negotiis Capituli utilibus, omni fraude cessante fuerit personaliter occupatus.*

Anno 1365. Concilium Provinciæ Turonensis Andegavi habitum, fidem facere videtur legi & usui distributionum universaa sese taodem Ecclesias aecomodasse. *Licèt quotidiana distributiones & anniversaria in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus & Collegiatis pro interessentibus personaliter Horis ipsis & anniversariis sint laudabiliter ordinata; ita quod qui non laborat, non manducet.* Can.18. Mox studet Concilium irreligiosis & avaris mederi Canonieis, qui sacra ad Officia vel tardiùs accurrebant, vel ante finem discedebant, eoque satis prodebant, non alio se quàm avaritiæ impulsu agi. Præfigitur hìc tempus quo sistere se necesse sit cuique Horæ Canonicæ.

VII. Designata sunt etiam tempora, & defixa pene momeota à Concilio Basileensi anno 1435. quibus quemque necesse foret præstò esse, ut cuique Horæ canonicæ præsens æstimaretur, pereiperetque distributiones. Jussi sunt ibidem designari, qui observareot, deseribereotque, qui absuissent siogulis Horis, qui affuissent: denique siquibus hactenus in Ecclesiis nullæ singulis Horis canonicis adjudieatæ essent distributiones, eæ quamprimùm decernerentur, decerperenturque ex communibus fructibus. *Jubet etiam hac sancta Synodus, quod in illis Ecclesiis in quibus singulis Horis certæ distributiones statutæ non sunt, omnino etiam de grossis fructibus, si opus sit, deputentur, ut juxta mensuram laboris plus minusve quisque capiat emolumenti.* Sess.21. Duplici denique corruptelæ obviatum est in hoc Cooeilio: tum earum seilicet Ecclesiarum, ubi uoius Horæ præsentia ceterarum omnium distributiones lucrabantur: tum aliarum, ubi Dignitates & Officia gerentibus distributiones etiam absentibus addicebantur; enm eo privilegio gaudere oon debeant, nisi qui eo ipso tempore negotiis vel ministeriis Ecclesiæ distriogontur. *Tollens prorsus illum abusum, quo in una dumtaxat Hora præsens, totius diei usurpat distributiones; & illum quo Præpositi, vel Decani, aut alii Officiales, ex hoc solùm quod Officiales sunt, licèt actualiter pro utilitate Ecclesiæ non absint, quotidianas distributiones percipiunt.*

Anno 1448. Concilio Andegavensi prohibitum est, *Can.4.*, ne quis unius Horæ distributionem pluribus in Eeclesiis consequeretur. Quæ eadem perversissima aviditas explosa est in Concilio Senonensi anno 1485. ubi novo pondere auctoritatis firmatum est, quod modò protulimus, Basileense Decretum, ut eui Conventus Bituricensis Præsulum Gallicanorum subscripsisset. *Facientes circa hanc distributionum materiam observari, decretum circa in sacro Basileensi Concilio constitutum, & per Ecclesiam Regni & Delphinatûs Bituris acceptatum.* Art.1. c.4.

VIII. In Concilio Senonensi anoi 1528. damnata est quarundam Ecclesiarum illaudata consuetudo, ubi distributiones non adæquabant saltem tertiam partem fructuum eorum, quos grossos vocant; & ubi Canonicis absentibus hi fructus grossi intacti & incolumes servabantur, dum unius diei Officiis eo anno interfuissent. *Nulla sunt, aut usque adeo tenues quotidiana distributiones, ut vix tertiam partem grossorum fructuum ascendant. In quibus hactenus invaluit consuetudo, quòd illarum Ecclesiarum Canonici absentes per interessentiam unius diei grossos fructus totius anni percipiant. Ex quibus vagandi materia oritur, &c.* Can.30. Consuetudines hæ proscribuntur, præcipiunturque hoc eodem Concilio Episcopi, ut vagos & errones hos Canonicos residere cogant, reditus majori ex parte in distributiooes dispensent, & ipsarum distributionum illum velint esse modum, qui est Horarum Canonicarum. *Dictos grossos fructus pro majori parte in quotidianas distributiones convertant, & residentes, & Divino Officio interessentes secundùm mensuram laborum plus minusve capiant emolumenti.* Can.20. Alio Canone ibidem statuitur, singulis ut canonieis Horis suæ dicatæ sint distributiones; neve ad distributiones diei totius admittantur, qui uni intersunt Horæ, quique Dignitates & Offieia etsi gerant Capituli, non tamen tunc negotiis ejus oeeupati & distenti absuot.

In Concilio Coloniensi anni 1536. adjudicati sunt Canonicis in generali studio rei literariæ operam dantibus fructus Præbendarum suarum, *exceptis tantùm quotidianis distributionibus.* Part.3. c.21. Famosa Honorii III. Decretalis *Super specula, De Magistris*, studentibus Canonicis fructus addixerat

Præbendarum suarum, nulla exceptione distributionum, ut quæ tum necdum in omnibus Ecclesiis invaluissent. In Concilio verò Coloniensi anni 1549. meritissimò sugillata & damnata est sordidissima & perridicula eorum avaritia Canonicorum, qui exordiis Horarum Canonicarum intererant, mox ad alias defluebant Ecclesias, in quibus etiam Præbendas obtinebant, unius ut Horæ geminam sortirentur distributionem. Qua una in re triplici se implicare flagitio hic ostenduntur, avaritiæ, irreligionis, & offensionis publicæ. *Ut ter peccent, primùm cupiditate, deinde cultûs divini negligentia, tertiò exemplo pravo, quo populum scandalizant.* *Can.24.* Additur & illud ibidem, gravissimè committi in Canones Concilii Calchedonensis, ubi duabus quis in Ecclesiis unus Præbendas assequitur. Concilium denique Moguntinum anno 1549. vehementissimè exarsit in eos Cathedralium vel Collegialium Canonicos, qui licèt abessent, capiebant tamen fructus Præbendarum suarum, & Vicarios sibi sufficiebant, quibus jejunas & omnino dispares adsignabant pensiones. Tum denique sancitum est, ne cujusque Horæ Canonicæ sportulas auferret, nisi qui ab exordio ad calcem usque affuisset. *Can.70.72.*

IX. In Concilio Tridentino statutum est, in omnibus Cathedralibus & Collegialibus Ecclesiis tertiam saltem partem proventuum in distributiones dividi, provida dispensatione Episcopi & earum partitione in Horas singulas. *Tertiam partem fructuum, & quorumque proventuum separari debere & in distributiones quotidianas converti, quæ inter dignitates obtinentes, & cæteros divinis interessentes proportionabiliter ab Episcopo dividantur, &c.* *Seff.21. c.3.* Placuit & eidem Concilio inæqualibus etiam distributionibus donari Dignitates & Canonicos, ea tamen ratione mordicus observata, ut earum horumque reditus tertia ex parte in distributiones absumatur; quàm inæquales sunt proventus, tam erunt & distributiones: & ex æquo tamen tertia redituum pars in distributiones ibit.

Nec tamen præjudicatum voluere Tridentini Patres illis Ecclesiarum quarundam consuetudinibus, ubi absentibus nihil prorsus, aut non tertia saltem pars adsignatur. *Salvis Consuetudinibus earum Ecclesiarum, in quibus non residentes, seu non servientes, nihil, aut minus tertia parte recipiunt.* *Seff.22. c.3.* Alia Sessione plenissima potestate Episcopos armat Concilium, ut tertiam illam redituum partem in distributiones dispensent; ita sanè ut absentium distributiones accrescant Fabricæ Ecclesiæ, vel operi cuipiam pio addicantur, arbitrio Episcopi. *Fabricæ Ecclesiæ quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicetur.* *Seff. 24. c.12.* Innovatur denique & novo cumulatur vigore in hoc Concilio illa Bonifacii VIII. Decretalis, C. *Consuetudinem. De Cler. non resi.*, qua earum repudiabatur consuetudo Ecclesiarum, ubi non solùm qui Choro intererant, sed & qui in Civitate residebant, præsentium distributionibus fruebantur. *Distributiones quotidianas, quæ aliàs manualia beneficia, seu victualia nuncupantur, & tantùm residentibus tribuuntur.* *Seff.24. c.12.*

X. Erat is, ut apparet, usus Ecclesiarum vetustissimus, ut quicumque in urbe habitarent, panis & vini distributionum consortes essent, tum quod solis tum distributionibus constarent proventus omnes Beneficiariorum, tum quod majores Clericos omnes occupatos haberent munia quædam alia gravissima, non sola Horarum Canonicarum decantatio. Tempore maximè Caroli Magni increbuere sacra illa Canonicorum numerosa Collegia, quorum potissimæ partes essent & functiones, quæ Angelorum, Beatorumque Cœlitum, ut Cantica divina interdiu noctuque celebrarent; nec tunc necesse fuit separari fructus grossos à distributionibus, residentiam in urbe, & præsentiam in Choro. Propterea nimirum quòd illi nunc Canonici communis vitæ compede constricti, unoque abditi Claustro, residerent utique omnes, & Choro Officiisque interessent ea diligentia & frequentia, qua qui nunc Regularibus, vel sæcularibus Congregationibus sunt inscripti. Sæculo undecimo strictiorem in observantiam Canonici bi omnes compulsi sunt, ut ne propriè quid possidere sinerentur. Ita ne in mentem quidem tunc cadebant distributiones, aut discrimina residentium, vel Officiis etiam sacris se sistentium Canonicorum. Duodecimo fermè sæculo pleræque illæ Canonicorum Congregationes à primævo & puriori illo suo deflexere proposito; tum denique divisio facta est terrarum & fundorum; non inter Episcopos tantùm & Canonicos, sed & inter Canonicos ipsos. Tum verò maximè Canonici à residentia & frequentia Chori Psalmodiæque divinæ refrixerunt. Cum enim fundorum Ecclesiæ jam consecuti essent usumfructum, torpor illis facilè & incuria obrepsit divini Ministerii & Officii. Novo morbo nova & medicina temperanda fuit. Cœpere in Ecclesiis nonnullis reditus bifariam dividi, alii ut omnium essent, alii divina Officia frequentantium. In aliis Ecclesiis panis & vini distributiones nulli priùs inconcessæ, cœpere non concedi iis, qui Sacris Officiis abfuissent. Alibi nummorum aliquid exculentis distributionibus aditum, quo absentes fraudarentur. Denique Ecclesiarum, & Constitutionum hujusmodi omnium conspiratio in unum jus commune coaluit, quod universim convaluisse jam videbatur circa annum 1300. sub Bonifacii VIII. Pontificatu, & cui postremò tandem ingentes factæ sunt accessiones roboris & firmitatis in Conciliis Basileensi & Tridentino.

XI. Illa porro Bonifacii VIII. Decretalis, ita semel constituto Jure canonico, ut nonnisi & residentes, & Horis canonicis præsentes, consequi possint distributiones; ideoque restituere teneantur, qui eas aliter perceperint; mox eos excipit, quos vel ægritudo excusat, vel ipsum Ecclesiæ obsequium, alibi exhibendum. *Exceptis illis, quos infirmitas, seu justa & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret.*

In Concilio I. Mediolanensi anno 1565. promulgatum est, *Cap.36.*, Decretum Concilii Tridentini, & Bonifacii VIII. In Concilio verò IV. Mediolanensi anni 1576. *Part.2. c.13.* multa præclarissimè de Distributionibus instituta sunt, quæ brevitatis studio prætereo. Missa facio & alia complora Provincialia, & quæ hac eadem de re conscripsit ex Responsionibus sacræ Congregationis Fagnanus, variis locis suæ operosissimæ lucubrationis.

XII. Unum restat, quod exciderat nobis, hic inserendum, rivulis complurimis, sive Consuetudinum, sive Constitutionum particularium, ex quibus omnibus conflata est hæc tota tandem distributionum disciplina, adjungi debere Constitutionem Odonis Episcopi Parisiensis anno 1179. cui facilè intelligitur complures alias finitimas accessisse. Providus enim hic Præsul cum oblitterare & extinguere satageret insanias nescio quas & intemperias Lutetiæ inveteratas diei Circumcisionis sacræ & Festi Sancti Stephani; constituit ut solemnius & magnificentiùs dies illis Festi celebrarentur, utque frequentiores advolarent Canonici ad horas Officii diurnas, nocturnasque, pinguiores Horis canonicis singulis adsignavit distributiones pecuniarias. *Hist. Univ. Par. Tom.2. p.541.* Distabant hæ distributiones ab aliis, quod aliæ ex communi ærario Capituli effundebantur; has nova præsta-

bat

bat largitio. His adde quod Stephanus Poncherius Episcopus & ipse Parisiensis in Præceptionibus suis Synodicis Canonicos monet, ut à simonia mentali sibi caveant, si stimulo distributionum Horis & Officiis divinis intersint. *Prohibemus vobis omnibus, ne committatis simoniam, etiam mentalem, adeundo ad divinum Servitium sub spe materialium distributionum. Synod. Pari. p.144.*

His adde postremò quod narratur in vita Ximenii Cardinalis à Gomecio, *L.5.*, rescito impetratum esse è Canonico Abulensi in Hispania Breve subreptitium, quo permittebatur distributiones etiam absens percipere: Regiam authoritatem à Ximenio interpositam fuisse, ad deterrendum Canonicum, ne Rescripta id genus aut impetraret unquam, aut in usum vocaret, atque juberentur urbium Præfecti, quò ejusmodi Romana Brevia ad Cognitores semper Regios perferrentur.

Quod de Poncherio Parisiensi Episcopo suprà retuli, id ipsum olim Petrus Cantor Ecclesiæ Parisiensis admonuerat, muniendos diligentissimè esse Canonicorum animos adversùs furtivæ simoniæ fraudes in negotio sacrarum distributionum. En Ipsissima ejus verba. *Exemplum Prælati petentis in Ecclesia à Choro festum Sancti Stephani duplex fieri in servitiis & Canticis Ecclesiasticis, sed non impetrantis, nisi cum pastum & refectionem annuam Clericis promitteret, insuper nummos matutinales illius noctis duplicandos, ut sic celebrarent potiùs Festum nummi duplicati, quàm Festum S. Stephani, &c. O' nummi! nummi! vobis hunc præstant honorem. Quibus pecunia disciplina est, nummus Decanus, & etiam Deus. Can.26.* Pactiones exactionesque sordidas damnabat hic Scriptor opusculo luculentissimo de Verbo abbreviato.

CAPUT XXXVI. *P.4. l.4. c.29.*

De Reparationibus & sartis tectis templorum, post annum Christi millesimum.

I. Quarta pars Ecclesiæ proventuum reparationibus dicata. Quid reparationum nomine contineatur.

II. Ubi intermissæ fuerant reparationes, quid consilii initur.

III. Quando laicis mandari cœpit cura fabricæ, & reparationum. Varia de reparationibus. De matricularis laicis, vel Clericis.

IV. Varia statuta Conciliorum Galliæ sæculo decimo quarto in hanc rem.

V. Statuta alia Conciliorum. Exactiones novæ & inusitatæ ad sarta tecta.

VI. De laicis fabricæ Administratoribus. Variæ cautiones in exigendis & custodiendis pecuniis, & in rationibus reddendis.

VII. Itaque cum tam aliena semper fuerit Ecclesia ab Oeconomis laicis, passa est tandem sarta tecta templorum laicis commendari.

VIII. Concilii Tridentini statutum de fabricis.

IX. Statuta posteriorum Conciliorum. De tertiis & reparationibus in Hispania.

X. Statuta Regum Francorum de Templorum reparationibus, & de foro competenti ejusmodi causarum.

I. ET si de quarta jam disputatum sit parte, vel tertia bonorum Ecclesiæ, templorum ipsorum sartis tectis dicata: aliqua tamen supersunt ea de re hic edisserenda, ex quibus & tædii, ut spero, nihil, & utilitatis nonnihil emergat. Ingens sanè erat pecunia, quæ quarta dicebatur rerum Ecclesiæ portio: cum & quarta persimilis universo Clero sustentando par esset. Et fuit tamen ubi eidem rei opes aliæ corradendæ & impendendæ fuerint longè plurimæ. Leo IX. sartis tectis & ornamentis Ecclesiæ Sancti Petri Romæ dicavit decimam partem oblationum earum, quas suis ipsorum usibus superiores Pontifices integras sibi servaverant. *Decimam partem donamus atque confirmamus ad constructionem & resarcitionem ipsius tui sacri templi, in ædificandis parietibus, picturis, tignis, tectis, imbricibus, & præterea luminariorum concinnationibus assiduis olei & ceræ, nec non lampadibus vitreis & acindulis atque thymiamate, cæterisque omnibus utensilibus, quæ ad usum, necessitatem, atque decorem ipsius Ecclesiæ pertinent. Baron. an.1049. n.30.* Ad sarta tecta, sive ad reparationes ea hauddubio pertinebant omnia, & in hæc nemo non sentit, quam infiniti quidam sumptus fieri possint. Eodem hoc voto suo edocet Pontifex, ut expeditissimè oblationum decima pars à cæteris sejungeretur, seposita decimæ cujusque diei oblationibus. *Decimam verò ipsam semper volumus esse decimam diem, ut oblatio quæ tibi debetur, separata sit à cæteris oblationibus, & nullum aliqua confusione patiatur errorem.* Alexander III. in Decretali *De his qui, Extra, De Ecclesiis ædificandis*, Parochos monet, conferre ipsosmet debere ad sarta tecta Ecclesiarum Parochialium, si qua sibi ex rebus Ecclesiæ superflua abundant, quò suo reliquos acuant exemplo. *Cogi debent, cum opus fuerit, de bonis, quæ sunt ipsius Ecclesiæ, si eis supersint, conferre, ut eorum exemplo cæteri invitentur.*

II. Concilium Dalmatiæ anno 1199. portionem sartis tectis destinatam, seu quartam decimarum, & oblationum, Archipresbytero administrandam mandavit, ut eam ipse sollicitudinem sustineret, Episcopi mandatis obsecuturus. *Portionem Ecclesiarum Archipresbyter conservet, & ex mandato Episcopi in usibus Ecclesiæ fideliter expendat. Can.3.* Consentaneum est ad Ecclesiam Cathedralem id spectasse. Anno enim 1153. Willelmus Eboracensis Archiepiscopus Constitutionem edidit, qua sanciebat, si Canonicus, vel Parochus extremum diem antè obirent, quàm vel necessarias perfecissent reparationes, vel ornatus sacros suppeditassent Ecclesiis, æstimaretur, quanta ad id requireretur pecunia; tum ea exigeretur, & duobus vel tribus fide & pietate spectabilibus viris committeretur, in reparationes expendenda, ejus consilio. & consensu, qui in Beneficium successisset. *Tota pecunia ex præmissa causa levata, ad manus duarum vel trium personarum in locis singulis ad hoc specialiter electarum absque omni diminutione perveniat. Quæ pecuniam sic receptam in reparationes convertere non omittant, Canonici vel Rectoris requisito consensu.* Statuti sui Archiepiscopus causam rejiciebat in eorum, qui in Beneficia succederent, rapacitatem, & versutiam, qui reparationes intermissas ultra modum exaggerabant, & pecunias ad id acceptas, in alia quævis potius dilapidabant. Ea primum occasione laici ad fabricas Ecclesiarum vocati sunt.

Hoc porro Archiepiscopi Eboracensis decreto, non satis expressè significatur, quibus ex rebus, vel quibus ex hominibus extundenda sit hæc pecunia, in reparationes necessaria. Sperat Spelmanus in hæredes, & cognatos Beneficiarii defuncti id oneris incumbere. Ei enim statuto hanc ille summulam adscripsit: *Pecunia à decessorum hæredibus soluta.* Necdum jus erat Beneficiariis satis certum ad testandum, ut suprà demonstravimus, vel ad heredes designatos. Ideo forsan ergo nihil ejusmodi hic indicatur. Jubent Constitutiones Synodales Richardi

di Episcopi Sarumensis in Anglia anno 1217. eas exactiones fieri ex bonis Ecclesiasticis defuncti. *De bonis ejus Ecclesiasticis tanta portio deducatur, qua sufficiat ad reparandum hoc & ad defectus Ecclesia supplendos.* Cap.42. Idem sanciunt Constitutiones Sancti Edmundi Cantuariensis Archiepiscopi anno 1236. & iisdem prorsus verbis. *Can.*26. Id denique ipsum præcepti Synodus Vorcestrensis anno 1240. *Cap.*35.

III. At Synodus Execestrensis anno 1287. laicis videtur, *Cap.*121., permittere illam sartorum tectorum curam, quanquam rationes illi quotannis facere teneantur Parocho, & primoribus Parochianis, denique labes reparationum interruptarum omnes suis impendiis sarcire. *Præcipimus insuper quod de Ecclesiarum instauro, ipsius Custodes coram Rectoribus, vel Vicariis Ecclesiarum, seu saltem Capellanum Parochialium, & quinque, vel sex Parochianis fide dignis, quos ipsi Rectores, Vicarii, vel Capellani ad hoc duxerint eligendos, quolibet anno computum fideliter reddant, & redigatur in scriptis. Quam Scripturam præcipimus loci Archidiacono, cum visitat, præsentari, nec ipsum instaurum in alios usus, quàm Ecclesiæ ullatenus convertatur. Unde si Parochium, pro defectibus Ecclesiæ, seu pro aliis demeritis amerciari contigerit, de proprio satisfaciant, instauro Ecclesiæ integrè remanente.* Itaque tum portio rerum Ecclesię, templorum sartis tectis dicata, laicis dispensanda commendabatur, qui rationes suas facerent Parochis, primariis Parochianis, & Archidiaconis.

Erat is tum usus hauddubio familiarissimus, cum in Concilio Virsburgensi anno 1287. exhauthorati tantùm, & Officio dejecti sint laici, qui in hæc se Officia intrusissent, citra Prælatorum, vel Capitulorum consensum. *Laicos in nonnullis partibus prætextu fabricæ Ecclesiæ reparandæ, per Laicos sine consensu Prælatorum, seu Capitulorum Ecclesiarum hujusmodi, ad recipiendum oblationes, seu alios proventus concessos fabricæ, deputatos, præsentis constitutionis tenore, hujusmodi officio ex nunc volumus esse privatos. Et alios Laicos, vel Clericos sine Prælati, seu Capituli Ecclesiarum reparandarum assensu prohibemus in posterum ordinari; cum ex privilegia, vel ex longinqua consuetudine approbata vituperosum existit, ut Laici Prælatis & Capitulis Ecclesiarum bona Ecclesiæ administrent.* Can.35. Ex hoc Canone promiscuè liberum erat fabricas Clericis laicisve mandari dum Prælati, vel Capituli consensu accederet. Cathedralium etiam & Collegialium Ecclesiarum fabricæ laicis committebantur. Denique vel oblationes ipsæ, aliique proventus ad fabricam pertinentes à laicis colligebantur. Frequens sanè fuit mentio Matriculariorum in priscis monumentis Ecclesiasticis particularium Ecclesiarum. Sed minusculi tunc illi adbuc habebantur laici ministri, & quanquam etiam ex Clericis quandoque, adeoque & ex Presbyteris essent, non tamen apparet ad ullam eos vocatos esse partem rerum Ecclesiæ temporalium.

Commemorantur Matricularii laici, eorumque functiones & Beneficia, in Transactione Viscardi Episcopi Tricassini cum Capitulo suo anno 1304. Quatuor erant, in Ecclesia noctem traducebant per vices hebdomadæ quisque sua, & quatuor simul eas agebant excubias in Anniversariis Episcoporum, quando sanctorum pignora, & opes Ecclesiæ palam prostabant; eorum sollicitudinem & curam in se recipit Episcopus, si qua fuerint aliquando in culpa, pœnas perinde, ut res fuerit, de iis sumpturus. Ita enim apud doctissimum Camusatium, in Promptuario Antiquitatum Tricassinarum. *Pag.*195. *Quatuor Matricularii nostri Laici in Ecclesia, quilibet & omnes quatuor in simul in anniversariis Episcoporum, in quibus donaria extenduntur, & in Festis duplicibus, & annualibus, &c. Si negligentes in hoc fuerint, per privationem sui Beneficii, vel alias puniemus.* Erant in eadem Ecclesia Matricularii Presbyteri, anno 1395. ut liquet ex Charta ibidem allata. *pag.*325. 276. 418. *Matriculariis Presbyteris.* Anno 1284. cum Cardinalis S. Praxedis extremam admoveret manum jaciendis fundamentis Ecclesiæ Sancti Urbani apud Trecas, cujus exordia olim fecerat Urbanus IV. Matricularius ibi laicus ab eo est institutus *Matricularius, qui pro tempore fuerit, quem Laicum futurum statuimus, &c.* Suæ illi à Decano & Capitulo functiones designandæ erant.

Quo verò tempore, & quo progressu Matricularii hi laici in eos evaserint, quorum impræsentiarum tam latè patet potestas in compluribus Ecclesiis Gallicanis, id verò cupidissimè equidem enucleantes & edisserentes audierim alios me doctiores. Matricularii de quibus hic dixi, otcumque alludunt ad illos superiorum ætatum. Sed tum hi, tum illi profectò procul sunt ab hodiernis nostratibus. Multa bis mirabiliora affert innovatque temporis diuturnitas.

E' diverticulo in viam me refero. Synodus Coloniensis anno 1300. voluit, ut laici fabricis Ecclesiasticis præfecti in Parochiis, bis anno quolibet rationes dati & expensi Parocho referrent. *Laici provisores Ecclesiarum Parochialium, qui pro conservatione structurarum, luminarium & comparatione ornamentorum instituuntur, &c. Bis in anno Plebanis teneantur reddere rationem.* Cap.16. 55. 7. Ab hac Synodo Indulgentiæ viginti dierum datæ sunt eis, qui quidvis legassent Ecclesię Sancti Petri Coloniæ, vel Ecclesiæ suæ Parochiali. Intentata sunt denique tela Ecclesiastica Parochis iis, qui Majoris Ecclesiæ Coloniensis fabricam non commendassent in hortandis ad pietatem fidelibus, in excipiendis Confessionibus, denique in Testamentis. *Negotium fabricæ diligenter promoveant in Ecclesiis, testamentis & confessionibus.* Quanquam autem alicubi hactenus ornamenta & vestes Ecclesiarum reparationibus implicata fuisse videantur, erant tamen aliæ in his aliorum locorum, suique dissimiles consuetudines. Circa annum 1300. Rubertus de Vinchelsey Archiepiscopus Cantuariensis, cum Provinciam suam omnem perlustrasset, litem diremit Parochos inter & Parochianos frequentissimam, circa libros, ornamenta, calices, cruces, thuribula, vexilla sacra, tympana, & id genus alia, quę à Parochianis suppeditanda erant, cum non pauca superessent alia, quę Parochus ipse subministraret.

IV. In Gallia Concilium ad Pontem-Audemari habitum anno 1279. sanxit, ut Abbates, Priores, Clericique omnes, qui decimas percipiunt Parochiarum majores, pari modo conferrent ad sarta tecta ad fabricam, ad libros & ornamenta. *Statuimus etiam, ut Abbates, Priores & alia Ecclesiastica persona, qua percipiunt majores decimas in Ecclesiis Parochialibus, compellantur ad restaurandum fabricam, libros & ornamenta, pro rata, quam percipiunt in eisdem.* Can.8. Concilium Parisiense anni 1346. Abbatibus, Prioribus, Parochis, Beneficiariis omnibus inculcavit, ut ne Ecclesias sinerent labem facere, domosve & agros Beneficiorum suorum pessum ire: sin minus possent ruinas omnes sarcire, & agros omnes excolere, quotannis saltem in id expenderent eam proventus annui partem, quam Episcopus statuisset, nisi specialiter ipsi ad reparationum onera obligarentur. *Et si non possunt in totum reficere, vel colere, statuimus & etiam ordinamus, quod saltem quolibet anno ponant in refectiones & culturas hujusmodi aliquam quotam, puctem Diœcesani arbitrio limitandam; qua pec deputandos à Diœcesano in refectiones & culturas hujus-*

ejusmodi convertatur, nisi ad reparationes, vel refectiones prædictas alias teneatur. Can.10. Vigetur hic Episcopus excubare debere, & curam sustinere reparationis templorum omnium suæ Diœceseos. Quod rursum elucet ex Concilio Provinciæ Aosciensis anno 1326. apud Marcianum, quo jussi sunt Abbates, Parochique & Monachi, ad hortandos fideles, quò largius conferrent ad reparationes Ecclesiarum complurium collapsarum; Episcopis potissimum ea sollicitudine demandata, ut pro potestate Parochos cogant officio fungi, nec non & Parochianos. *Ordinarii locorum provideant quod Ecclesiæ rurales, quæ sibi subsunt, taliter reparentur, &c. Rectores, Parochianos & subditos Ecclesiarum earundem ad præmissa omnia, si necesse fuerit, compellendo*. Can.43.

Hinc affinis est Canon Concilii Lavaurensis anni 1368. paulò tamen dilucidior & explanatior. Utroque autem hoc Canone jubentur Parochi ex Parochianis suis deligere, qui Fabricæ præficiantur: *Constituentes nihilominus dicti Rectores aliquos Parochianos, illarum collectarum operarios & executores, qui ad præmissa complenda sint fideles, solliciti & attenti*. Can.91. Utrique denique Concilio huic placuit Indulgentiarum aliquid erogare iis omnibus, qui stipem conferrent ad sarta tecta Ecclesiarum, ejusque rei pulcherrima hæc ratio prompta est. Terrena hæc Templa cœlestis Christi Templi & Imperii simulacra quædam esse, cum diebus hic ipse singulis fundat sanguinem, effundat & incorruptibiles gratiæ suæ & charitatis opes; esse denique sedem propriam & peculiarem Dei, ubi nostræ ad illum preces ingeminantur, ejus in nos irrigantur dona; æquumque adeo esse, ut omnia hic pietatem spirent, religionem redoleant, sin minùs magnificentia & splendore, at munditie & decore consentaneo. *Cum præsens & visibilis Ecclesia militans triumphanti cælesti civitati Hierusalem non immeritò comparetur, & locum ubi sacratissimum corpus Domini nostri Jesu Christi conficitur & servatur, & nostræ conciliationis ad Dominum instrumenta, videlicet Sacramenta Ecclesiastica ministrantur, pro offensis & peccatis populi inter cætera firmo fundamento ac expletis ædificiis communiri deceat, ut Deo gratus existat, inspicientibus & ingredientibus sit devotus, &c.*

V. Non ergo cupiditati terrenæ serviebant Concilia, Synodique, non pompæ profanæ, & inani oculorum oblectationi, cum Indulgentias concessere, & fideles incendi voluere, ut in Ecclesiarum restaurationes, in earundem elegantiam nummorum aliquid erogarent. Non stimulabat sanctissimos hos Præsules, nisi religio in ejus venerationem pronissima, qui nostris his templis specialiùs inhospitari dignatur. Anno 1310. Archiepiscopus Nicosiensis promulgatis Mandatis suis fideles omnes concitavit, ut legarent aliquid in condendis testamentis suis ad Fabricam majoris Ecclesiæ Nicosiensis, Parochosque animavit, ut fidelibus in id instarent. *Concilia Generalia*. Cap.9. His finitima manarunt Episcopi Parisiensis Willelmi Mandata. Cap.12. Ulteriùs progressa est Synodus Eboracensis anni 1466. ita enim affirmavit, non ad Capellarum tantùm suarum, ubi sacramentis imbuuntur, restaurationes teneri rusticos, sed & ad Ecclesiæ potissimum ipsius Parochialis, quæ Capellarum quodammodo mater est; denique has Capellas interdicto percellendas fore, nisi ad matricis illi Parochiæ curam & reparationem conniterentur.

Quanquam ergo desudatum esset aliquandiu, ut quarta pars proventuum Ecclesiæ sartis tectis Templorum dedicaretur; provisum fortè magis eo fuerat Cathedralibus, quàm Parochialibus Ecclesiis ruris. Extra controversiam saltem illud est, complures harum fuisse, quarum restaurationis expensæ semper novæ in Parochianos refunderentur. Et certè si Cathedrales obviæ fuerint nobis, quæ novis his subsidiis carere non possent: quid ominandum nobis supererat de Parochialibus Ecclesiis, quarum res & opes omnes facilè exarescunt?

VI. Cum ad Fabricas autem Parochiani suo ex peculio non pauca conferrent, hinc forsan eis potissimùm Fabricæ & reparationum curam delegari placuit, ut ad largiùs erogandum illicerentur, & pecuniæ suæ fructus ususque qui esset, addubitare ne possent. Unum desiderabant Episcopi & Capitula, ut ne nisi ex assensu suo in hæc illi se onera atque officia intruderent. *Laici sine assensu Prælatorum & Capitulorum bona Fabricæ Ecclesiæ deputata administrare non possunt*. Can.53. Ita sancitur Canone Salisburgensis Concilii anno 1420. ubi anathema intorquetur in contumaces. Ejusmodi Constitutionem tota Germania pervagatissimam fuisse non nesciebat Cardinalis Campegius, cum Legatione ibi Apostolica defungenda, statuta publicaret restituendæ in meliorem formam disciplinæ sacræ. Constitutum enim ab eo est reditus omnes Fabricæ Ærario sacro includendos, cujus tres sint claves, quarum una penes Parochum sit, reliquæ duæ Administratoribus publicis committantur, à quibus jam nihil in reparationes expendi queat, nisi Parochi accedat assensus. *Non liceat procurationibus, seu vitricis Fabricarum, in singulis Ecclesiis ad Fabricam provenientibus distribuere, aut in ædificiorum, vel alterius rei usum dispensare, sine Rectoris scitu; sed ad armaria Fabricæ reponantur, ut hactenus servatum est, duabus vel tribus clavibus, pro loci consuetudine tenendis: quarum una ipsi Rectori servanda tradatur, observato usu in clavibus & rationibus reddendo, à Principibus & Superioribus hactenus recepto*. Cap.18.

In Concilio Moguntino anni 1549. his finitima constituta sunt quædam, ut ne solis Laicis reditus concederentur Fabricarum, sed eis adjungeretur, adeoque præstitueretur Parochus, tanquam dux & author in omnia futurus. *Cum aliquos Laicis cujusque Rectori, seu Plebano, velut principale, officium Fabricæ, seu procuratio Ecclesiæ committatur*. Cap.90. Sed ne tamen Parochis mandaretur cura hujus exigendæ pecuniæ; *Ita tamen ne ipsi Ecclesiarum Rectores, seu Plebani, officio exactionis censuum, proventuum, sive redituum, seu procurationis labore graventur*. Ex quo rursum augurari datur, ad Fabricæ curam Laicos potissimum admissos esse, quò eis id oneris imponeretur, à quibus & gestari decentiùs posset, & explicari. Hoc denique Decreto edicitur, semel ut saltem quotannis rationes fiant Parocho & primatibus Parochianis; omniaque arcæ immittantur, cujus plures sint & diversæ claves, earumque una Parocho committatur.

VII. Nec otiosum fuit, aut infructuosum, quod hactenus laboravimus in explorandis rationibus & causis rejiciendæ aliquando tandem in Laicos administrationis fundorum & redituum, reparandis decorandisque Templis dicatorum. Nec enim tam alienum quidquam fingi potest ab usitatissimis olim Ecclesiæ legibus, moribus, & Conciliorum statutis, quàm rerum Ecclesiæ temporalium dispensationem Laicis committi. Invaserant aliquando Laici in Oeconomorum Officia, sed statim Calchedonensis, aliorumque Conciliorum authoritas hanc eorum fregit audaciam. Necesse ergo fuit vestigari à nobis, quibus causis, quibus rerum momentis factum sit, ut quarta portio rerum Ecclesiæ Laicis administranda committeretur, ut nec Concilia potuerint ei usui vel inolescenti primùm, vel postea confirmato refragari. Quandiu rerum Ecclesiæ una fuit strues, una substantia indiscreta & communis, ejus curam Oeconomi ex Clero sustinuere, consilio & authoritate freti Episcopi, nec inde sejungi

tum

tum poterat portio reparationibus destinata. Postquam autem tripartita vel quadripartita distributio rerum Ecclesiæ iovaluit, oon facilè potuit una & constantior aliqua invehi ratio regendæ vel pauperum, vel Fabricarum portionis. Ea primùm Episcopis, Abbatibus, Archipresbyteris, Parochis, Beneficiariis commendata est sollicitudo. Eadem etiamnunc imminet Episcopis, Abbatibus & Beneficiariis. Si minùs illi officio functi essent, labes ea sarciebatur olim ex eorum bonis Ecclesiasticis, nune ex eorum hæredibus, vel hæreditatibus. Unum illud optatissimum fuit religiosè servari, quod anno 1524. decrevit Campegius Legatus in repurgandis Cleri Germanici moribus, ut Archidiaconi & Decani superstitibus Beneficiariis cura pervigili imminerent, ad necessarias reparationes; vel si res minus procederet, reditus ipsimet ad se revocarent, ipsi reparationibus instarent, suprema Episcopi adminiculante autboritate. *Domos quoque fundosque dotales Beneficiorum collapsos instaurent possessores, quantum necessitas postulaverit, reparataque in debita structura conservent; & per Archidiaconos & Decanos Rurales, ac alios, ad quos de jure vel consuetudine spectat, si negligentes fuerint, per substractionem proventuum auctoritate nostra arctiùs compellantur.* Cap.38.

Parochialium maximè Ecclesiarum causâ laboratum est, quòd & reparationes & ornamenta sacra earum majores expensas desiderant. Parochis ipsis primùm ea cura mandabatur. Intervenire Parochiani ipsi tandem compulsi sunt, vel in curia Parochi, vel interitu, vel viduitate diutina Ecclesiæ. Toleratum id primùm est, quòd non alia facilè via & ratio expediri posset, vel quòd suo ex marsupio ipsi conferrent, & conferrent liberaliùs, ex honore deliniti: vel quia novæ subinde exactiones in id faciendæ Parochis invidiosæ fuissent: denique quòd harum Collectarum usus approbari Laicis, & suspiciones calumniæque non aliter satis abstergeri possent.

Sed utcumque res habuerit, illud profectò manifestum est, non alias hic Laicos sustinuisse partes, quàm ministrorum & executorum, cum Parochi, Archidiaconi, Episcopi principem semper honoris locum & authoritatis obtinerent, ut injussu eorum nil moliri Laici potuerint, & illis hi semper omnium rationes fecerint. Itaque non longè saltem deviatum est ab ingenio & regulis Ecclesiæ & disciplinæ antiquioris. Chrysostomo olim & Augustino, clarissimi utriusque Ecclesiæ luminibus, in optatis fuit, ut fundorum Ecclesiæ omnium curam in se sciperet plebs, & alendi Cleri, qui liberior hinc assurgeret ad cœlestium amorem & contemplationem, & ad animarum sempiternæ salutis procurationem hinc recalesceret. Quod optabila his Patribus visum est de universis Ecclesiæ agris & proventibus, non facilè nunc improbari potest in aliqua eorum portione.

VIII. Primævæ authoritati suæ in restaurandis Ecclesiis Episcopos restituit Concilium Tridentinum. Constituit enim, ut annis singulis Episcopi Ecclesias Diœceseos suæ omnes, etiam exemptas visitarent, *ut quæ reparatione indigent, reparentur.* Sess.7. c.8. Alibi rursum, Sess.21. c.7., potestatem illis facit transferendi in Ecclesias matrices Beneficia simplicia, quorum usqua adeo labefactatæ sunt Ecclesiæ, ut de earum reparationibus desperandum sit; providendi autem, ut restaurentur Ecclesiæ Parochiales, aut ex ipsis Ecclesiæ cujusque proventibus, aut ex collatione Patronorum, vel quibusdam in Parochianos exactionibus: *Parochiales Ecclesiae restaurari procurent ex fructibus & proventibus quibuscumque ad easdem Ecclesiae quomodocumque pertinentibus; qui si non fuerint sufficientes, omnes Patronos & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant.*

Sine his quidem adminiculis possiot Ecclesiæ reparari, eas Episcopus vicinis conjunget & conglutinabit Parochiis, sinetque in usus communes residua adhiberi ædificia, servatoque utique decore, & præfixa cruce. Alibi denique Tridentini Patres edixare. Sess.22. c.9., ut administratores, tum Clerici, tum Laici Fabricarum, sive Cathedralium, sive Xenodochiorum, & locorum piorum, quotannis rationes exhiberent Episcopo, nisi contrarium aliquid ipsi earum Fabricarum institutioni insertum fuisset. *Postremò* denique Fabricæ adjudicavit Tridentina Synodus reditus Episcoporum non residentium, & Beneficiariorum concubinariorum. Sess.32. c.1.

Synodus quidem ipsa Tridentina proventus caducos Episcoporum non residentium adsignavit Fabricæ Ecclesiæ, vel loco cuipiam alteri pio. Sess. 25. c.74. Sed à Congregatione sacra Concilii declaratum est, eam esse alternationem ordinis, non optionis; ut non possit Episcopus eam pecuniam loco pio cuiquam elargiri, nisi si Fabrica Ecclesiæ nulla prorsus se egeret. *Fagnan.in L.3.part.1.pag.61.*

Anno 1565. in Concilio Cameracensi statutum est, Tit.16. c.8. 9. Chori reparationum onus illis incumbere, qui decimas percipiunt, etsi Patroni non sint. Illæsa tamen eorum consuetudine locorum, ubi vel Chori reparationes populo præscribuntur. In Concilio Toletano anni 1566. statutum est, Can.17., ut Ecclesiæ Parochiales, quæ nullam attingunt portionem decimarum reparationibus addictarum, nec idoneos habent alioqui ad id proventus; repararentur aut ex decimis, quas eis Episcopus assignaret, exemplo viciniorum Ecclesiarum; vel ex collatitio ære omnium decimas accipientium; nisi more id jam usuque obtineret, ut Parochianorum sumptu, vel aliorum quorumcumque fierent reparationes. Diximus jam superius in Hispania tertiam decimarum partem reparationibus Templorum addictam olim fuisse. Rodericus Archiepiscopus Toletanus, L.9. c.2., post obitum Alfonsi Nobilis Regis Castellæ, impubere adbuc filio ejus Henrico Rege, Gundisalvum Ministrum affirmat ejus primarium, & Regni Rectorem, has invasisse Tertias restaurandis Templis sacras. Prosiliit Decanus Toletanus, Archiepiscopi Vicarius Generalis, & vibrata excommunicatione, eo illum adegit, ut & restitueret, & nihil ejusmodi posthac ausurum polliceretur. Declaratione Regia idem confirmavit Henricus Rex. Anno 1275. Alfonsus Castellæ Rex nonnullorum suffragiis ad Germaniæ cum Imperium vocaretur, instare jussi suo voluit, in idque multum æris effudit. Cum denique illum Romani Pontifices anathematum intentato terrore adegissent eo, ut se jure vel juris inani spe exueret; ad leniendam ejus animi ægritudinem, tertias has decimarum Fabricis dedicatarum ei annuerunt, ea cautione, ut his opibus bellum ad Mauros adornaret. Temporariam tantùm eam fuisse concessionem existimat Mariana, L.13. c. ult., quam sibi tamen Reges prorogarint ad compensanda Imperii jura, sibi præter æquum, ut idem jaciat, abrogata. Hanc Tertiarum concessionem confirmaverat Martinus V. Papa, ut ii essent Castellæ Regibus veluti nervi, aut tanquam stimuli ad oppugnandos Mauros & Infideles quosvis, & vigesimo quoque anno illa Tertia divideretur inter Fabricas Ecclesiarum & Camaram Apostolicam. Postea verò certior factus Sixtus IV. ea portione patrimonii Christi abuti Reges Castellæ in quidvis aliud potiùs, quàm in bellum sacrum, hinc pensiones Laicis addici, quasi terrena hæc essent patrimonia, & Regii fisci opes, denique ruinam facere Hispa-

nenses Ecclesias Parochiales, aliò detorta ea tertiarum parte, quæ vigesimo quoque anno reparationibus impendenda fuerat: eam revocavit concessionem. Hanc revocationem retractari postea evicere Reges Hispaniæ, *Rainald. an.1475. n. 19. 20.*, ita ut jam in Hispania reparentur Ecclesiæ non aliter, quàm reliquis in Provinciis, ubi nullæ sartis tectis templorum decimæ segregatæ fuere. Ad ea compelluntur Beneficiarii, vel Parochiani ipsi, compelluntur & Decimatores. Ita scilicet capiendus est Canon Canonis Toletani supra laudati. *Salgado. De regia protect. part.3. c.5.*

X. In his porro omnibus, nusquam se, nusquam authoritatem suam interposuit Magistratus Civilis, nec ad causas decimarum, nec ad reditus fabricarum, nec ad necessarias in sarta tecta exactiones. Eam jurisdictionem soli exeruere Episcopi, Archidiaconi, Archipresbyteri, Parochi tum in laicos, tum in Beneficiarios ipsos. Deseivit nonnihil posterior disciplina, maximè in exactionibus ad reparationes necessariis. Illæ enim Civilis Magistratûs authoritate jam fiunt. Edicto Aurelianensi Judicibus & Procuratoribus Regiis mandatum est, *Art.21., ut reditus Beneficiorum caperent, à quorum se ministerio Beneficiarii subduxissent, crassum agerent ruinarum, & emolitionum, eumque ad Archiepiscopum, vel Episcopum mitterent, quibus Regia authoritate præcipitur, ut provideant ipsi, curentque fundationum jura impleri.* Edicto Blesensi præcipiuntur Episcopi, *Art.52.*, in perlustrandis Parochiis, reparationibus Ecclesiarum Parochialium curam impendere, quodque ipsi sanxerint, id executioni mandari, ut Regii Judices curent, ut exigantur necessarii etiam sumptus, vel ex Parochianis, vel ex Parochis captione etiam temporalium, pro portione expensarum ipsis ab Episcopo indicta. Rursum Constitutione Ludovici XIII. anno 1629. decretum est, *ut fructus Prælaturarum, Abbatiarum & Beneficiorum vacantium, impenderentur in reparationes & sarta tecta Beneficiorum, sepositis tamen fenctibus & reditibus Regaliæ, operam daturis Procuratoribus Regiis, ut hæc religiosè serventur.* Edicto anni 1661. jubentur Episcopi per sese, aut per Vicarios Generales visitare Ecclesias & domos Parochorum, earumque reparationibus prospicere, convocatis locorum Officiariis, jubente Principe, ut nulla vel intercessione, vel appellatione suspendantur eorum sententiæ. *Memoires du Clergé edit. dern. Tom.5. pag.499.* Præceptum fuit & Episcopis, Archidiaconis & Officialibus, Ecclesias visitantibus, ut cognoscant de rationibus & de reditibus fabricarum, prohibitis Judicibus Regiis, ne de his cognoscant, Edicto Caroli IX. anno 1571. Henrici III. anno 1582. Henrici IV. anno 1609. & Ludovici XIII. anno 1619. *Memoires du Clergé edit. prem. Tom. 2. pag. 56. &c.*

CAPUT XXXVII. *P.4.l.4.c.32.*

De Deportibus post annum Christi millesimum.

I. Rudimenta, seu vestigia Deportuum sub Alexandro III. Papa, cum probabantur Parochi, ipso Parochiæ regimine eis ante commendato, quàm daretur in titulum.

II. Vel cum instituebatur temporarius Vicarius, dum Parochus ad manum esset.

III. Cura Parochiarum vacantium Decanis Ruralibus committebatur, earum interim fructus successori servabantur; quanquam non rarò eos Episcopi à Papa impetrarent, quasi Annatarum nomine, idque [illegible]

IV. Erant & Episcopis, Archidiaconis, Archipresbyteris vel Decanis Ruralibus sua quædam jura deportuum, hoc est, in fructus Parochiarum vacantium.

V. Memorabilis Bonifacii VIII. Decretalis de jure Deportuum.

VI. Altera ejusdem Decretalis, qua deportus superstruuntur Consuetudini, vel Privilegio, vel Statuto.

VII. Penes Abbates erant jura deportuum, Annatarum, & spoliorum in Regularibus Beneficiis sibi obnoxiis.

VIII. Joannis XXII. delinimentum, quo Beneficiario, tempore deportus, vel annatæ, relinquitur media pars redituum Beneficii

IX. Alia statuta de deportibus.

X. In Concilio Constantiensi confirmati fuere deportus. Cum Concilium Basileense & Pragmatica Sanctio eos expunxissent, in Concordatis restituti sunt.

XI. Deportibus locus erat & in Germania. Cardinalis Campegius id laboravit, ut onere absolverentur Beneficia quorum tenuissimi sunt reditus, vixque alendo sufficiunt Beneficiario.

XII. Observantur aliqua in deportus, quibus illi attribuantur, quot in usus.

XIII. Qui Beneficiorum, iidem aliquando & deportuum fundamenta jaciebant.

XIV. Origo vocis hujus, deportus. Authoritas illis à Comitiis Blesensibus.

I. Quæ fuerit origo Deportuum, quæ Annatarum, quo utroque jure olim Episcopi & Prælati inferiores frequentissimè utebantur, quo etiamnunc utuntur non rarò, non ita facilè expediri potest. Non immeritò suspicamur laudabilia fuisse ipsa rei utriusque initia, an laudi semper fuerit progressio, docebit historica elucidatio. Illud ex Epistola Alexandri III. constat apud illum conquestum esse Parochum quendam Diœcesis Tornacensis, quod illum exauthorare machinaretur Episcopus non alia de causa, quàm quod ejus extorsionibus renitiretur. Certiorem fecerat Pontificem per literas Episcopus Tornacensis, Presbytero illi eam Parochiam nunquam titulo concessam fuisse, sed ad annuam tantùm commendam, ut interim periculum ejus fieret; eo ipso anno iis illum criminibus irretitum fuisse, quorum convictus, meritò à se abdicatus fuerit, substitutusque Parochus alius, quem Abbas, cujus id juris erat, præsentasset. *Significans quod Prædicto Danieli præscripta Ecclesia non fuerit concessa, sed ad probationem usque ad annum commendata; ita quidem ut si non esset idoneus, & ejus conversationis & vitæ, cujus esse deberet, exinde amoveretur, ut Ecclesia illa liberè posset honestæ personæ concedi. Append.1. Ep.14.* Delegavit Pontifex Episcopum Ambianensem, & Abbatem Sancti Remigii, ut inquirerent, an Ecclesia illa, non titulo, sed ad tempus tantùm commendata fuisset huic Presbytero, & an verè hic conscius esset scelerum, quæ ei impingebantur. *Si constiterit quod Danieli præscripta Ecclesia non fuerit perpetuo concessa, sed ad tempus commendata.*

Apparet ea fuisse jam quædam deportuum rudimenta. Nam ad annum tantùm concreditur ea Ecclesia Presbytero, qui de Episcopi exactionibus graviter expostulat. Non diffidet ergo à verisimilitudine, Episcopum accepisse reditus Parochiæ vacantis, eorumque congrua portione donasse hunc temporarium ejus administratorem, qui titulo Ecclesiæ, totoque adeo ejus proventu gaudere se debere confidebat, uti mos est Ecclesiæ vulgatissimus. Poterant tamen causæ esse justissimæ & canonicæ, ut Parochum futurum probare antè vellet

Episcopus, & in ipsis Parochiæ functionibus ejus periculum faceia. Nec is usus à Pontifice vituperatur. Atqui si animus erat probare eum Presbyterum, antequam titulo insigniretur, nihil interim necesse erat universos ei Ecclesiæ proventus consignari, sed idoneam portionem reliquis ad necessarios, vel Episcopi vel Ecclesiæ usus sequestratis.

At ex adverso facilè omnes intelligunt, quantas in corruptelas is usus detorqueri posset. Stephanus Tornacensis querelis suis Archiepiscopum Remensem interpellabat adversùs Episcopum Suessionensem, qui primi anni fructus retinebat ejus Beneficii, quo Clericum donasset. *Idem Episcopus ex magna parte detruncat, messem hujus anni auferens, ut qui de altario manducare debuerat, juxta altarium mendicare compellatur. Epist.101.* Damnavit Concilium Lateranense IV. anno 1215. extorsiones quorumdam Episcoporum, qui vacantes Ecclesias statim interdicto subjiciebant, nec sinebant Parochum quemquam earum clavum capessere, nisi certa pecunia sibi persoluta. *Audivimus de quibusdam Episcopis, quod decentibus Ecclesiarum Rectoribus ipsas interdicto subjiciunt, nec patiuntur aliquos in eisdem institui, donec ipsis certa summa pecuniæ persolvatur.* Et paulò post: *Exactiones hujusmodi penitus inhibemus. Can. 65.* Non is quidem deportus est, sed corruptela quædam in eius quandam imaginem adumbrata. In exemplo superiori elucebat honestas & utilitas Ecclesiæ. Hic rapacitas truculenta & legum Ecclesiæ tyrannica eversio est.

II. Poterant & aliæ justissimæ esse causæ vacantes Parochias temporario & commendatario interim Presbytero committendi, ubi non poterat proprius institui Parochus, nisi longo interlapso temporis spatio, sive nonnisi valde indigni & dispares præsentarentur, sive litium aliquid effervesceret inter Episcopum & Patronos. In his rerum temporumque commissuris voluit Alexander idem III. datis ad Archiepiscopum Cantuariensem literis, & ad Episcopos ejus Provinciæ, ut Oeconomum interim ipsi instituerent, qui proventus Parochiæ vacantis custodiret servaretque successori, vel in utilitates Ecclesiæ expenderet. *Si quando in vacantibus Ecclesiis, in quibus Ecclesiastica persona præsentationem non habet, vel quia personæ minus idoneæ præsentantur, vel alia de causa de jure personas non potueritis in eis instituere; appellatione remota ponatis Oeconomos, qui debeant fructus percipere, & eos aut in utilitatem Ecclesiarum expendere, aut futuris personis fideliter reservare. Extra de Offic. Jud. Ord. c.4.* Quæ hic *persona* ter quaterve dicitur, proprius & titularis est Parochus, à Vicario sejunctus. Ita non dubitat Papa hoc decreto, quin Episcopus Vicarios jam designarit, spiritali curæ qui præsint. Id enim ejus & potestatis est, & officii. Insanum autem foret temporalium curam gerere, spiritalia aspernari. Quod cum ita sit, finge tibi hos Oeconomos temporales eos proventus *in utilitatem Ecclesiarum* convertisse, jussu Episcopi, vel Archidiaconi, hæc tum effigies erit deportuum non valde absimilis.

III. Mirum est voluisse Pontificem, ut ab Episcopo Oeconomi designarentur, cum eam administrationem Canonea viderentur ipsi Decanis Ruralibus & Archidiaconis delegasse. Inde est quod Vorcestrensis Synodus anno 1240. Decanis Ruralibus id docet impositum fuisse oneris, ut vacantium Parochiarum agros excoli facerent, refundendis utique sibi expensis iis ab illo, ad quem proventus devenirent: vel aliis eam culturæ curam mandarent, quarta fructuum parte iis assignata. *Terræ Ecclesiarum vacantium inculta non jaceant, sed per Decanum loci excolantur ab eo, qui fructus perceperit, sumptibus refundendis, vel pro parte fructuum tradantur aliis excolenda. Decani, qui circa hoc negligentes fuerint puniendi. Can.52.* Non exprimitur hic disertè cui seponantur ii proventus; sed cum Episcopo non vendicentur, perspicuum est, eos successori servari.

Non absurda tamen conjectura est, privilegiis se Apostolicis aliquando muniri voluisse Episcopos, quò caduci illi fructus sibi adscriberentur. Ad annum 1246. memorat Matthæus Paris extuduisse Pontifici Archiepiscopum Cantuariensem privilegium, quo detrimenti plurimum caperent Patroni omnes Beneficiorum suæ Provinciæ, reditus ut omnes videlicet sibi vacantium omnium Beneficiorum vindicaret. *In universorum & singulorum Patronorum Ecclesiarum Angliæ præjudicium non modicum, & gravamen, his diebus domino Cantuariensi concessum est, ut obventiones sive fructus unius anni Beneficiorum, quæ vacare contigerit in Provincia Cantuariensi, eidem domino Cantuariensi conferantur.* Eam deportuum, vel annatarum concessionem simile veri est donasse Pontificem exolvendis debitis Archiepiscopi, vel ejus Ecclesiæ. Sed illud non injuria forsan ambigitur, an non alio studio, stimuloque incitaretur Archiepiscopus, quàm utilitatis, vel necessitatis Ecclesiæ suæ.

In Concilio Londinensi anno 1268. prohibitum est, ne Prælati deportus caperent, unius anni, vel plurium, nisi patrocinaretur eis prisca consuetudo, vel privilegium. *Fructus & proventus Ecclesiarum Prælati per annum, vel aliquanto alio tempore nequaquam percipiant, nisi fortè jus hujusmodi sibi valeant ex speciali privilegio vel consuetudine ab antiquo vindicare. Can.15.* Prolati sunt à nobis alibi Canones Concilii Oxfordiensis, qui gravi cauterio inurebant Episcopos & Prælatos inferiores, qui fructus usurpabant vacantium Parochiarum, & qui ut iis diutius fruerentur, præsentatos à Patrono meditata malitia repudiabant. Literas stomachosiores & aculeatas ad Episcopum Leodiensem dedit Gregorius X. quod cum venia illi facta esset ab Apostolica sede colligendæ vigesimæ unius in Beneficiarios Diœceseos suæ ad Episcopatus debita exolvenda: invaserat præterea dimidium unius Præbendæ redituum in omnibus suæ ditionis Ecclesiis, commentitiis causationibus, quasi fundi Ecclesiæ Leodiensis ære alieno depressi essent. *Porrò cum pro Ecclesiæ debitis, quibus Episcopatum tuum obligatum dicebas, vicesimam Ecclesiasticorum redituum Ecclesiarum tuæ Civitatis & Diœcesis tibi obtinuisses ab Apostolica Sede concedi; tu ipsa vicesima non contentus, in qualibet Ecclesia tuæ Civitatis & Diœcesis fructus dimidiæ Præbendæ prætextu terrarum Ecclesiæ Leodiensis, quas obligatas mendaciter asserebas, percipis annuatim.* Missa facio reliqua ejus Epistolæ convitia, ex quibus liquet, usum harum extorsionum extorsionibus ipsis flagitiosiorem fuisse.

Perdiu antè Honorius III. Tullensem Episcopum persimili Beneficio demeruerat, ut biennii proventus vacantium sui Episcopatus Beneficiorum colligeret, insumeretque debitis suis expungendis. Cumque conciderent aliqui, Præbendas & Beneficia superiora hoc suo privilegio Pontificem non esse complexum: rescripsit iterum Pontifex non tam arctos se fines Beneficio suo circumscripsisse. Hinc non temerè auguraretur quia, non valdè novum, aut inusitatum fuisse, ut Episcopi vacantium Parochiarum proventus ad suas utilitates converterent: cum hic molestè non ferrent id genus privilegia à Pontifice concedi: obstreperentque tantùm cum ea ad Præbendas etiam & superiora Beneficia ampliabantur, quod tam amplo jure raò, aut nunquam tum uterentur Episcopi. Verba porrò ejus decreti sic habent. *Tua nobis fraternitas intimavit, quod*

cum

cum tibi pro relevatione oneris debitorum duxerimus indulgendum, ut fructus Beneficiorum, qua interim in Diœcesi tua vacare contigerit, tibi liceat biennio retinere; quidam Apostolica gratia privilegium sinistra interpretatione restringere molientes, asserunt Prabendas & majora Beneficia nequaquam Beneficiorum nomine contineri. Nos igitur authoritate præsentium declaramus, quod in hoc casu Prabenda ac alia Beneficia generali Beneficiorum nomine continentur. Extra. De Verb. sign. c.32.

IV. Nec à verisimili procul abest, qua necessitate adducti sunt Episcopi, ut Apostolica elicerent hoc genus privilegia, quò æs alienum, aliaque Ecclesiarum onera exolverent; eadem coarctatos fuisse, ut in eundem usum reditus vacantium Parochiarum, vel Annatas saltem converterent. Cum enim impensius Parochiæ, quàm cætera Beneficia Episcoporum potestati obnoxiæ sint, quòd ab illis solis possit animarum regimen commendari, & administratio Sacramentorum: inde est, quòd ex Parochiis potissimum jura hæc sua Episcopi expresserunt. Ex Synodo Pictaviensi anno 1280. manifestum prorsus est pervagatissimos jam fuisse in ea vastissima Diœcesi Deportus. Ibi enim jubentur Archidiaconi & Archipresbyteri, ubi debitam sibi portionem decerpserint ex vacantium fructibus Parochiarum, tum sanè residuos ut in manus Episcopi deponant. *Monemus Archidiaconos & Archipresbyteros, ut quidquid de proventibus Ecclesiarum & aliorum Beneficiorum vacantium, curam habentium animarum annexam, ultra quarentenas suos sede vacante perceperint, & alias qui de prædictis aliquid habuerint, nec non omnes illas, qui de bonis Sacerdotum & Clericorum beneficiatorum intestatorum aliquid habuerint sede vacante, nobis vel mandato nostro restituant infra mensem.* Cap.8.

Multa hic non perfunctoriè observanda veniunt in quæstione Deportuum. 1. Ubi Parochi mortali hac vita migrabant, in vacantis Ecclesiæ proventus certa quædam erant Archidiaconis & Archipresbyteris jura, eaque quadragesimam, puto, partem æquabant, unde & hic *Quarentena* dicuntur. 2. Sed non tam arctis se continebant limitibus, dum vacabat Episcopalis sedes; quanquam id hîc restitui jubeatur. *Ultra quarentenas suas sede vacante perceperint, &c. restituant, &c.* Sed erant & alii præterea, qui aliquid de vacantis his Ecclesiæ fructibus delibarent. *Et alios, qui de prædictis aliquid habuerint.* 3. Cum hic verò Archidiaconi, Archipresbyteri, cæterique præcipiantur Episcopo restituere, si quid præter juris sui modulum defraudarint, hinc planum fit, fructus eos omnes, decerptis his frustulis, Episcoporum juris fuisse. 4. Nec secus erat de spolio Beneficiariorum intestatorum; Episcopi enim juris erat.

Anno vigesimo-nono Eduardi I. Angliæ Regis, sive anno Christi 1299. transegit Cantuariensis Archiepiscopus cum Abbatia Sancti Augustini, tum de pluribus aliis, tum de jure custodiæ & deportûs. Id enim sibi arrogabant juris Monachi in Ecclesias omnes suæ præsentationis. Et custodiam quidem illis concessit Archiepiscopus; at Deportuum partitus est inter ipsos & Archidiaconum, qui in illis Ecclesiis, dum vacarent, jurisdictionem suam explicabat. *Cum personam, vel Vicarium in Ecclesiis dictorum Religiosorum mori contigerit, vel aliter cedere, liceat ipsis Religiosis habere retentionem clavium penes se vacationis tempore, donec ad præsentationem eorum alius instituatur in eisdem; salvo jure Archidiaconi Cantuariæ, qui pro tempore fuerit, quoad jurisdictionem in eisdem medio tempore exercendum, & quoad medietatem fructuum & sequestrorum interim perceptorum; ita quod claves ei, qui vice Archidiaconi præfatos inducet in corporalem possessionem, à dictis Religiosis tradantur.* Const. antiq. Reg. Angl. pag.840.

V. Occurrit hic porrò Bonifacii VIII. Decretalis, qua & antedicta ferè continentur omnia, & Deportus constituuntur juri in primis consentanei, nimirum aut Apostolico fulti privilegio, aut consuetudine, aut statuto, & quod caput est rei, necessitatibus Ecclesiæ accommodati, solvendo æri alieno, instaurandis Ecclesiis, vel ejusmodi utilitatibus publicis. *Si propter tua debita persolvenda fructus Beneficiorum primi anni, qua in tua vacabunt Diœcesi, non obstantibus quibuslibet consuetudinibus, privilegiis, vel statutis, per qua nostra impediri posset concessio, usque ad quinquennium in specialem gratiam concedimus: intentionis nostra nequaquam existit, si fructus hujusmodi Ecclesia tua fabrica, vel alteri usui, seu cuicumque persona singulari, de speciali consuetudine, privilegia, vel statuto forsitan debeantur, quod eis per concessionem ipsam, nisi hoc expressè caveatur in ea, præjudicium aliquod generetur.* In Sexto. L.1. Tit.3. c.10.

Multa verò sunt quæ hic juvet observasse. 1. Episcopis ubi Pontifex annuebat annatas vacantium Beneficiorum, brevi temporis spatio, paucisque annis arctari solitam fuisse eam gratiam, quòd exolvendis omnino debitis plures non essent necessarii. Itaque non id erat perpetuum jus Deportuum. 2. Sed nec ipse Pontifex hic detrectat, quin Annatæ Beneficiorum aliunde etiam, quàm ex Apostolico privilegio proficisci potuerint; nimirum ex consuetudine, vel statuto. *De speciali consuetudine, vel statuto.* At fatetur, tam justa & firma esse hæc jura, ut ne ipse quidem decretis suis derogatum eis velit. 3. Agnoscit etiam seu privilegio, seu statuto, seu consuetudine adjudicari potuisse Deportus, vel fabricæ Ecclesiæ, maximè Cathedralis, vel aliis quibusdam usibus, aut privatis hominibus. *Ecclesia tuę fabricę, vel alteri usui, seu cuicumque singulari personę.* 4. Nec ambigi potest perpetua esse jura deportuum, quæ consuetudine vel statuto conceduntur; perpetua quoque solent esse, quæ fabricis, vel perpetuis aliis necessitatibus adjudicantur. Denique quod privatis personis datur, sive consuetudine, sive statuto, sive etiam privilegio, perpetuum ferè ubique donum censetur. 5. Privati verò illi, quibus Deportus annuebantur, Archidiaconi maximè, vel Episcopi erant, ut quorum maximè opes & dignitatem tueri intersit Ecclesiæ. Cumque his illisque incumbat pondus omnium Diœceseos Ecclesiarum, eoque longè majoribus subinde expensis opus eis sit, facilè in mentem veniebat, nihil tempestivius illis accrescere posse, quàm vagos & incertos hos proventus, necdum ulli partos, sive vacantium Parochiarum, sive spoliorum, sive successionum ab intestatis Beneficiariis obtingentium. Sunt & alia hujus Pontificis decreta, ubi privilegia concedit his non absimilia, solvendo æri alieno. L.3. Tit.4. c.26.

VI. Unum modò adjiciam ex eodem Bonifacio VIII. Decretum, quo patebit Episcopos, Abbates, Prælatos inferiores, tum Regulares, tum sæculares, deportuum jure usos fuisse in Beneficia sibi obnoxia, nihil contrà nitente Pontifice, dum ne id ipsimet novassent, sed vel consuetudine, vel privilegio muniti fuissent aliquo, vel solida & canonica ratione. *Præsenti prohibemus Edicto, ne Episcopi, vel eorum Superiores, aut Abbates, seu quivis alii Regulares, aut sæculares Prælati, aut Ecclesiastica quæcumque persona vacantibus Dignitatibus, Prioratibus, Personatibus, vel Ecclesiis quibuscumque sibi subjectis, seu ad collationem, ordinationem, præsentationem, vel custodiam pertinentibus: eorundem bona, morientibus eorum Rectoribus vel Ministris, in ipsis inventa, sive vacationis ipsorum tempore obvenientia, quę in utilitatem eorum expendi, vel futuris debent successoribus reservari: occupare*

aut in usus suos convertere quoquo modo presumant. Nisi de speciali privilegio, vel consuetudine jam prescripta legitimè, seu alia causa rationabili, hoc eisdem competere dignoscatur. L. 1. Tit. 16. c. 9. Sed eo decreto coercetur hic usus certis quibusdam objectis limitibus, tametsi privilegio, vel consuetudine subnixus, vel statuto: nimirum, ut si quid sit æris alieni, id expungatur; officialibus & servis demortui Beneficiarii fiat satis, denique nova suppeditentur necessaria quoque impendia, ad novos usque fructus. *Porro ubi ex privilegio, vel consuetudine, seu alia de causa rationabili, sibi aliquis prædictorum asserit bona competere supradicta, hoc de illis bonis debet intelligi, quæ solutis debitis, si qua sint, & iis, quæ fuerint necessaria pro servitoribus ac ministris, & incumbentibus oneribus, usque ad novos reditus supportandis congruè reservatis, ex ipsis reperta fuerint superesse.*

Cæterùm hac Decretali nihil detrahitur vigori universalis illius Regulæ, Beneficiorum vacantium proventus vel in Ecclesiæ necessitates effundendos esse, vel successoribus servandos. *Bona vacationis tempore obvenientia in utilitatem eorum expendi, vel futuris debent successoribus fideliter reservari.* Sed exceptiones explanantur, usu jam receptissimæ, & quidem ob multiplices rationes. In his una est, quam nondum perstrinximus. Accipitur deportus ex illis Ecclesiis, quæ custodiæ committuntur ejus, qui hoc utitur jure. *Ad custodiam pertinentibus.* Viderit Lector, an non hujus custodiæ ergo, & propter expensas ad eam necessarias, majorum gentium Beneficiarii sibi arrogarint Deportus & Annatas, & Spolia minosculorum.

VII. Est & aliud quod hic præteriri nefas sit. Abbates quoque & ceteros Prelatos Regulares id sibi sumpsisse modò confirmabat Bonifacius, ut Beneficiariorum sibi obnoxiorum spolia & deportus invaderent, sive proventus primi anni. Concilium Viennense & Clemens V, hinc demigrante Bonifacio ei usui non intercessere; sed virgam censoriam in eo distrinxere Abbates, qui temerè & iniquè Priores & alios sui juris Beneficiarios abdicabant, ut vacantium horum Beneficiorum spolia & deportus, ex privilegio, ut jactabant, sibi debitos mox invaderent. *Preterea intendum injustè Abbates, Priores ac alios Beneficiatos Beneficiis suis privant, ut sic fructus Beneficiorum illorum percipere valeant primo anno, pretextu privilegii quod asserunt se habere, quod usque ad certum tempus fructus Beneficiorum vacantium possint percipere primi anni. Quibus non contenti equos, boves, thesauros, & alia bona Monasteriorum & Beneficiorum vacantium illicitè occupant, que essent futuris successoribus reservanda.* In Clement. l. 5. Tit. 6. c. 5.

VIII. Clementem V. excepit Joannes XXII. cujus Decretali consultissimum deportibus temperamentum adhibetur, & cum primis necessarium. Erant enim quibus hocce jus complecti videretur reditus prorsus omnes Beneficiorum, ne teruntio quidem Beneficiariis dimisso, ad unum, vel plures annos. Jubet verò Pontifex, ne jure deportûs exigatur, nisi illa ipsa quantitas, quæ Decimis præfixa est, si in ea Diœcesi exiguntur Decimæ: vel media decimæ pars, si inde semper Decimæ exularunt. *Cum in nonnullis Ecclesiis observetur, & à multis retro temporibus fuerit observatum, quod fructus primi, vel secundi, aut alterius cujuscumque sequentis anni vacantium Beneficiorum, in eisdem defuncto, aut fabrice, aut Ecclesiis, vel personis habentibus annuali de consuetudine, privilegio, vel statuto applicantur in totum; ita quod illi, qui hujusmodi Beneficia canonicè obtinent, & ad quos aliàs de jure fructus ipsi spectare deberent, nihil inde percipiunt; unde illud inconveniens sequitur, quod commodè nequeunt ad impendendum servitium debitum residere in Ecclesiis, in quibus Beneficiati existunt, &c. Nos de fratrum consilio statuimus, quod illi, qui fructus prædicto sibi hactenus integrè vendicabant ex privilegio, consuetudine vel statuto, nihil exinde ultra summam, pro qua unumquodque Beneficiorum ipsorum consuevit in solutione decima, taxari percipiant.* Extravag. Tit. 1. c. 2. Hæc decimæ quantitas, dimidium reditûs annui fuisse hic declaratur, cum optionem mox faciat Pontifex, accipienti deportum, ut si minus ea contentus sit, eam Beneficiario concedat, ipse reliquos sibi sumat Beneficii proventus: cumque in Beneficiis ubi incompertus sit decimarum usus, velit Beneficii reditus in partes ex æquo duas secari. Anno 1318. ab hoc eodem Pontifice concessa est charta Equitibus Sancti Joannis Hierosolymitani, qua superius Decretum ipsorum Ordini specialiùs confirmatur; aliaque item qua Capitulis addicebat reditus Beneficiariorum, qui facta superiori partitione suis in Ecclesiis non residebant. *Bullarii Tom. 1.* Ferdinandus Arragonum Rex & Magnus Magister Ordinis Calatravæ Equitum anno 1508. à Julio Papa eandem concessionem obtinuit Annatarum in Commendis omnibus Ordinis, ad ærarium publicum Ordinis conferendarum.

IX. At verò Concilium Palentinum in Hispania anno 1322. gravi pœnarum interminatione Prælatis omnibus interdixit, ne in conferendis Beneficiis, eorum sibi fructus retinerent, in totum, vel ex parte. *Occasione collationis facte fructus Beneficiorum, aut aliquam eorum partem, seu summam aliquam pecunia exigere presumant.* Can. 19. Æquissima ea erat sævitia, quod Prælatis illis nec privilegium suffragabatur Apostolicum, nec patrona consuetudo aderat, nec statutum favebat ullum. In Concilio Coloniensi anni 1310. statutum est, si Canonici extremum diem suum obirent eo tempore, quo suspensione irretiti essent, potituram nihilominus Ecclesiam reditibus harum Prebendarum vacantium, ad novos reditus comparandos Collegio universo ejusdem Ecclesiæ. *Statuimus & hoc, ut si qui Canonici suspensi decesserint, quòd propter hoc Ecclesie annis gratia & eorum fructibus non fraudentur: sed ipsis Ecclesiis & non successoribus suspensorum cedant pro reditibus perpetuis comparandis ad communem utilitatem Ecclesiarum.* Can. 14. Et illud omnino mandandum memoriæ, hos reditus reservari vacantium Præbendarum, ad Ecclesiæ publicas utilitates.

Erat hoc deportuum jus Italicis Ecclesiis parum exploratum, ut quod primigeniæ Canonum disciplinæ adversaretur. *Et tamen* in Concilio Ravennate anno 1317. statutum est, cum penes Episcopum deponantur reditus omnes Beneficiorum vacantium in Diœcesi; *Cum Ecclesiarum vacantium proventuum & redituum, ac bonorum ipsorum dispositio ad earum Ordinarios de jure pertineat*, Can. 1., ejus officii esse, ut Oeconomum deligeret, cui ea administratio delegaretur, nec ulli alii in id se interponerent, *Nisi aliter alicui eorum competat de consuetudine approbata, vel privilegio speciali.*

X. Nonnullis visum est Deportus à Concilio Constantiensi, & Martino V. Papa proscriptos fuisse, quos contrà tamen constat ab illis esse confirmatos. Communis enim juris dispositioni, consuetudini, vel privilegio permisit Martinus fructus vacantium Ecclesiarum, ut ne Apostolica quidem sedes illos ad se revocaret. Eo utique firmantur deportus iis, locis ubi legitimè præscripta consuetudine vigent, vel privilegio speciali. *Fructus & proventus Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, vacationis tempore obvenientes, juris & consuetudinis vel privilegii dispositioni relinquimus; illosque nobis vel Apostolica Camera prohibemus applicari.* Seß. 43. Sed indubitatissimum illud est, à Concilio Basileensi & annatas damnari, & deportus, ut nulla ha-

haberi deinceps possit ratio privilegiorum, consuetudinum & statutorum, quibus illud antè jus innitebatur. *Tam in Curia Romana, quàm alibi; de Ecclesiis etiam Cathedralibus & Metropolitanis, Monasteriis, Dignitatibus, Beneficiis, Officiisque Ecclesiasticis quibuscumque, necnon Ordinibus sacris & benedictione, ac Pallio, de cætero nihil penitus ante vel post exigatur ratione literarum, Bullę, sigilli, annatarum communium & minutorum servitiorum, primorum fructuum, deportuum, aut sub quocumque alio titulo, colore vel nomine, pretextu cujusvis consuetudinis, privilegii vel statuti aut alia quavis causa, vel occasione, &c. Sess.21.* Ita vides funditus everti tria deportuum fundamenta, privilegium, consuetudinem, statutum. Porro in Pragmatica Sanctione sua hoc Basileense Decretum amplexata est Ecclesia Gallicana.

Sed cum non ubique recepta in usum fuerint Decreta Basileensis Concilii, cumque Concordatis derogatum sit in hac parte Pragmaticæ Sanctioni, hinc viget etiamnunc deportuum usus, & Lutetię Parisiorum, & in Normannia, & compluribus in locis aliis. A Stephano Poncherio ad Episcopatum Parisiensis Ecclesiæ vocato anno 1519. in Constitutionibus Synodicis declaratum est, privilegio & consuetudine antiqua attribui Episcopo Parisiensi reditus Archidiaconatuum, Personatuum, & Dignitatum, quocumque illæ vacarent anni tempore: cæterorum autem Beneficiorum, cum vacarent à die Cinerum usque ad festum Trinitatis; denique reditus Parochiarum litigiosarum dividi inter Episcopum, & Archidiaconum eum, cujus in districtu illæ sitę essent. *Synod.Paris.pag.87.88. 314.* Quę eadem declaratio innovata est postea ab Eustachio Parisiensi Episcopo.

In Concilio Rotomagensi, *pag.353.*, anno 1552. proposita est abolitio deportuum, utque Episcopis pensio mediocris adsignaretur, ut eo se assentirentur exui jure, aut certè ut adigerentur aliquam redituum portionem Beneficiario residuam facere. Huic postremę clausulæ tandem assensum est. Inter reformationis varia Capita à Nicolao V. confirmata anno 1451. in Episcopatu Leodiensi, vetitum quidem est nequid exigeretur pro institutionibus Beneficiorum, at confirmata tamen est vetus consuetudo aliquorum locorum, ubi octava pars redituum Beneficiorum vacantium Episcopis servabatur. *Per quę tamen non intendimus tollere jus quæsitum per antiquitatem temporis Archidiaconis & Prælatis aliis habentibus compositionem de octava parte fructuum Beneficii, vel Officii, ad quod quis admittitur: neque infringere consuetudinem laudabilem Archidiaconorum, & aliorum Prælatorum minus pro præmissis recipere consuetorum.*

XI. In reliquis Germaniæ Ecclesiis exertior etiam vigebat deportuum lex, & exactio, cum ne iis quidem relaxarentur, quorum Beneficii reditus tolerandæ vix pares erant. At ubi Cardinalis Campegius anno 1524. nova Germaniæ capita invexit reformatæ Disciplinæ, tunc sanè minuscula hæc Beneficia deportibus subduxit, quòd & Romæ immunia essent. *Improbamus, & ut absonum prorsus rejicimus, ab Episcopis medios exigi fructus de Beneficiis, quæ unius sustentationi vix sufficiunt, ut sunt quæ non excedunt valorem triginta duorum Rhenensium, de quibus in Romana Curia medii fructus non exiguntur. Quod etiam ab Ordinariis observandum esse præcipimus; nisi Concordatis aliter cautum esset, vel honesta ratione aliquid sine tam reprehensibili gravamine accipiant. Cap.25.* Ex Concilio quoque Trevirensi anno 1549. perspicuum est deportibus in Germania locum fuisse. Cum enim quæstio efferbuisset de Parochiis, quæ unitę erant Ecclesiis Collegialibus, vel Monasteriis, & quibus ministrabant Vicarii ad nutum revocabiles, quæque proinde nunquam vacarent, placuit Concilio, ut deportui locus esset, isque exolveretur, non obeunte Parocho, aut Vicario, sed Abbate, vel Prælato Collegialium Ecclesiarum. *Insuper statuimus & ordinamus, quod deinceps decedentibus Prælatis Monasteriorum, sive Collegiatarum Ecclesiarum, quibus Parochiales Ecclesiæ unitæ, ac incorporatæ sunt, ita tamen & taliter, quod non per fixos Vicarios, sed duntaxat ad nutum amovibiles Capellanos gubernentur & regantur; quod ex tunc morte Prælatorum intercedente, nobis marca argenti, aliis verò Archidiaconis, sedium Christianitatis Decanis, & Capitulis infra annum juxta alias præscripta persolvantur. Cap.13.*

XII. Ex hoc postremo Decreto Concilii Trevirensis, itemque ex statuto Cardinalis Compegii, nec non & ex Decretali Joannis XXII. aliisque Constitutionibus supra relatis perspicuum est. 1. Quo demum cumque jure confiderent Episcopi, Abbates, Archidiaconi, & alii Prælati inferiores, ad adscribendos sibi deportus, annatasque, seu fructus primi anni Parochiarum, aliorumve Beneficiorum, necesse fuisse, ut reliquum fieret Beneficiario tantum fructuum, vel redituum, quantum opus erat, ut & ipse decenter se sustentaret, & oneribus Beneficii faceret satis. 2. Si tantuli autem essent ejus Beneficii proventus, ut honestè sustentato Beneficiario, & oneribus expletis, nihil redundaret, nihil tunc loci deportibus fuisse, vel annatis, sive Romæ, sive alibi, saltem nihil esse debuisse. 3. Pro vario usu, rituque aliarum & aliarum Provinciarum, jus deportuum fuisse, nunc penes Episcopos, Archidiaconos, Decanos Rurales, nunc fabricæ addictos, nunc Capitulis, nunc ex toto, nunc ex parte tantùm. Sed ea varietate non prohibetur, quin ea servaretur, aut servanda esset lex vetustissima, ut quidquid Beneficiario decerpebatur ex vacantis Ecclesiæ, aut ex primi anni fructibus, id in publicas totum impenderetur Ecclesię utilitates. Statuta, privilegia, consuetudines, quę inconcussa hactenus fuere deportuum munimenta, huic innitebantur certissimæ Regulæ, cæteris Ecclesiæ necessitatibus donari posse, quidquid superfluit & redundat, post necessarias Beneficiarii, & Beneficii expensas. Opulentiæ enim etiam exuberanti Pręsulum adjici eos reditus, qui detonderentur de minoribus Beneficiis, vel ex ornamentis etiam & condecorationibus Ecclesiarum, deturpatio ea sanè foret rerum Ecclesiæ, quæ sua ipsa natura & institutione pietati & religioni dicatæ sunt.

Nova ejus rei probatio ex Concilio Aquilejensi anni 1596. elicietur. In eo enim Concilio convenienter Bullæ Pii V. decretum est, ut si statuto, vel usu Capituli cujusdam id obtineret, ut reditus primi anni Præbendarum, partim Canonico ipsi novo, partim pio alicui operi promovendo addicerentur, is usus stabilis, & fixus perstaret: at verò rescinderetur is usus, & integri reditus Canonico permitterentur, illa si eorum media pars altera inter Canonicos distribuebatur, aut in ea absumebatur, quæ cupiditatem magis, quàm charitatem redolerent. *Quod spectat ad primi post adeptam possessionem anni fructus, decernimus exequendam omnino Constitutionem Pii V. ut si hi fructus & distributiones in pia opera statuto, aut vetere consuetudine insumuntur, dimidium ad Canonicum, dimidium alterum ad ipsorum executionem pertineat. Si verò inter Canonicos distribuantur, aut aliter insumantur, quàm in pios usus, tum decernimus dictos fructus & distributiones, primo etiam anno post adeptam possessionem, integros ad Canonicum pertinere, & eidem sine diminutione assignandos esse. Tit. De Dignit. Can.*

XIII. Unum jam superest, quod observem in ea sive privilegia, sive statuta, ex quibus olim deportus

tus scaturierunt. Non ea semper fuere Apostolicę Sedis privilegia, vel statuta peculiaria Prælatorum, aut Capitulorum. Proficiscebantur quandoque ea, sive statuta, sive privilegia à Fundatoribus Capitulorum ipsis, qui Præbendarum collationem in potestate habebant, ut Præbendæ omnes uno anno vacarent, quo ejus anni proventus in ipsius Ecclesiæ incrementa, vel ornamenta conferrentur. Superstes est Charta Ducis Burgundiæ anni 1248. pro Canonicatibus Sanctæ Capellę Divionensis, cujus ipse Fundator erat & Patronus, & cujus voluit Canonicos omnes primo anno solis distributionibus contentos esse: *Volumus, ut quotiescumque Præbendam vel Præbendas vacare contigerit, fructus illarum per annum integrum in augmentum & utilitatem dictæ Capellæ integraliter convertuntur, priusquam Canonici, quibus conferentur, aliquid percipiant in eadem, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. Recueil. pour l' histoire de Bourgogne. p.469.*

XIV. Quoad ipsum verò deportus nomen, à nonnullis observatum est, in consuetudinibus Andium, & Cenomanorum deportus vocari bessem, seu duas tertias partes redituum feudi cujuspiam, quæ revocantur ad dominum Feudi, quoties is ad minores devolvitur, reliqua parte tertia addicta minoribus ipsis alendis fovendisque. *Le Prêtre. Cent.2. c.2.* Erant Episcopi, Archidiaconi, & Prælati alii, veluti Custodes & Conservatores Beneficiorum vacantium. Ista verò juris deportuum antiquitas, authoritasque aliquandiu exagitata & concussa in Comitiis Blesensibus anno 1576. retenta tandem & confirmata fuit, in Normannia potissimum & Britannia minore. Ita quidem vir doctus du Taix *pag.58.* Sed in Edicto Blesensi nulla de his litera fit. Unum hic veluti ad cumulum addam Decretum Sancti Caroli Mediolanensis Episcopi in Synodo II. Diœcesana, de consuetudine, quam affirmat Beatus Carolus Canonibus inimicam, ut si Parochus Augusto, vel sequentibus mensibus diem suum obeat, successor ejus nihil delibet ex reditibus ejus anni, qui aliis tum nescio quibus addicuntur. Hoc verò Beati Caroli statuto sancitur, ut ex proventibus ejus anni decerpatur, quantum satis erit, solvendis debitis, alendo Parocho cum Ministris Ecclesiæ, atque oneribus Ecclesiæ ejusdem satis fiat. *Decret.39. Acta Eccl. Mediol. p.344.*

❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧

De Testamentis Episcoporum, & aliorum Beneficiariorum.

CAPUT XXXVIII. *P.1. l.4. c.18.*

Testamenta Episcoporum, & aliorum Beneficiariorum per priora Ecclesiæ sœcula.

I. Beatus Augustinus testamenti tabulas nullas scripsit, nec enim piæ Congregationis communia bona locum dant testamento.

II. Qua ratione cognatis suis affuerit Augustinus, dum valeret, dum mors appeteret.

III. IV. Ut bona sua dispensabant, qui sodalitio B. Augustini inscribebantur. Cum Presbyter Ecclesiam scripsisset hæredem, & exhæredes fecisset filios religiosos & minores, eam Augustinus hæreditatem adjecit, integramque impuberibus servavit, dum pubescerent. Tam illi Ecclesia omnia contulere.

V. Sigillatim ut alii Augustini sodales sua distribuerint, mira quadam sapientia & religione.

VI. VII. De eodem rursus. Mirabilis Augustini despicientia rerum temporalium, & ardor ejusdem, ut Ecclesia & pauperibus largissimè daretur. Nemo de rebus Ecclesię testabatur.

VIII. Observationes alia in eadem testamenta. Si vel patrimonia sua Ecclesia transcribebant, quid sacrorum redituum redundantiam? Præsto semper Augustinus, ad restituendos fundos datos, si quo doni pœniteret.

I. EVangelicam paupertatem semel professo B. Augustino, non fuit postea unde testaretur. Ita enim Possidius in ejus vita. *Cap.31. Testamentum nullum fecit, quia unde faceret, pauper Christi non habuit.* Clero adgregatus fuerat, abdicatione omnium, quæ ante possedisset. Itaque nil jam supererat, quod in potestate haberet. Nec enim ejus erant proprii juris reditus ejus Ecclesiæ, sed Ecclesiæ & pauperum, quorum ipse provisor & dispensator erat. In ædibus præterea Episcopalibus sacrum instituerat sodalitium, ubi communem ipsemet vitam cum Clericis suis agebat. Et ea rursus erat ratio altera non condendi testamenti; cum in aperto sit sacrarum ejusmodi Sodalitatum, sive Regularium, sive Sæcularium duces & superiores, nullam habere testamenti factionem. Ideo & à Possidio additur commendatam ab eo fuisse Bibliothecam Ecclesiæ illi, qui ei curæ præfectus fuerat: vasa autem sacra, ornamenta, resque & reditus Ecclesiæ dimisisse Presbytero, quem sibi fidelem delegerat Oeconomum. Prope à vero abest Bibliothecam illam ab Augustino ipso coacervatam fuisse, nec tamen ejus ea erat propria, uti nec vasa sacra, nec sacrę vestes, aut reditus, sed Ecclesiæ, ut disertè affirmat Possidius. *Ecclesia Bibliothecam & omnes codices diligenter posteris custodiendos semper jubebat. Siquid verò Ecclesia vel in sumptibus, vel in ornamentis habuit, fideli Presbytero, qui sub eodem domus Ecclesiæ curam gerebat, dimisit.* Collegium ipsum, sive Ecclesiæ, sive peculiaris Congregationis Ecclesiasticæ, potestati mortis non subest: ejus verò est proprietas & dominium eorum, quæ Deo consecrantur. Nec ipsa pauperum congregatio mortalis est, & Christus jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, qui vita ipse & immortalitas est. Patrimonium ergo Ecclesiæ, pauperum Christi testamenti materiam præbere non potest homini mortali; aut si condonatâ ea verbi licentiâ, de eo testentur Beneficiarii, non aliò spectare id potest, quàm ut designent, qui sint futuri dispensatores patrimonii pauperum.

II. Quod ad cognatos, proximosque Augustini pertinet non alio in eos animo & affectu fuit Augustinus, quam quo in pauperes alios. Ubi enim necessitate urgebantur, dabat, ut ea exolverentur; certè ut levarentur. *Nec suos consanguineos vel in proposito, vel extra constitutos, in sua vita & morte vulgi more tractavit, quibus dum adhuc esset superstes, id si opus fuit, quod & cæteris erogavit: non ut divitias haberent, sed ut aut non, aut minus egerent. Ibidem.*

Hæ sunt missę in compendium leges Evangelicę perfectionis, accuratissimè observatę. Dari proximis etiam, sed egentibus: *si opus fuit.* Non largius quàm aliis dari, æquè egentibus. *Id quod & cæteris.* Dari non ut abundent, sed ne mendicent: *non ut divitias haberent.* Sin minus ad excutiendam prorsus indigentiam, certè ad eam utcumque solandam: *Ut aut non, aut minus egerent.* Idque mordicus & constantissimè retinere, *in sua vita & morte.*

III. Et fructus & voluptatis nonnihil existet ex hac, ut spero, narratione Augustini ipsius, ubi ratio-

tionem describit, qua qui in sacro ejus Sodalitio, sive in Seminario profitebantur, de rebus suis disponebant. Hinc enim dilucidius adhuc fiet, cur testamento scribendo abstinuerit. Plebi etenim suę ipsemet inter concionandum narrabat, nulli suę Congregationis Clerico fas fuisse quidquam proprio & privatim possidere; ita persuasum se fuisse, à Januario Presbytero antè pauperibus omnia erogata fuisse, quàm sacro ei Collegio nomen daret; retinuisse illum tamen aliquantum pecuniæ in dotem filiæ, quę in Monasterio alebatur, tenella adhuc ætate, ut pro arbitrio cum adolevisset, eam pecuniam dispensaret: sed interim morte appetente Januarium testamentum scripsisse, & eam pecuniam, veluti suam, hęredi Ecclesię legasse. Se verò eam repudiare ac detestari hęreditatem, tum quòd Presbyter ille testari non potuisset, tum quòd geminam prolem suam exhæredem fecerit, filium in Cœnobio virorum, filiam in Monasterio puellarum: atque ita illis pro hęreditate lites & contentiones transfuderit: contendente filio non potuisse se immerentem paterna hæreditate orbari: filia renditante sibi uni retentam esse eam à patre pecuniam. Quod ad litem attinet, spondet Augustinus paterno eam se affectu & judicio diffinitu-rum, adscitis in consilii & judicii societatem optimis quibusque civibus, sed non passurum se, ut ad Ecclesiam ea hęreditas devolvatur. *Ecce quomodo vivimus, nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium. Nulli licet. Si qui habent, faciunt quod non licet, &c. Testamentum fecit Presbyter, socius noster, nobiscum manens, de Ecclesia vivens, communem vitam profitens. Testamentum fecit, haredem instituit. O dolor illius societatis! Sed Ecclesiam scripsit haredem, Nolo munera ista, &c. Magnus inde mihi dolor, propter hunc dolorem statui hæreditatem ipsam in Ecclesia non suscipere, &c. Ambos exhæredavit. &c. Litem hanc inter illos citò finimus, Audio illos ut pater, &c. Videbo quid sit juris cum paucis fratribus fidelibus honoratis, de numero vestro, id est, de plebe ista. De Diversis Serm.*49. c.2.

IV. In Augustini ergo Congregatione, sive Seminario, 1. Nemini fas erat testari, quod singuli profiterentur res terrenas & propria omnia à se abdicari. Eadem lege tenebatur Augustinus ipse. *Ecce quomodo vivimus.* 2. Quòd possent, vel non possent testari, de eorum id dicitur patrimonio. Nec enim in dubium vertebatur, quid de patrimonio Christi, de beneficiis fidelium, de pauperum patrimonio testari possit nemo. 3. Januarii Presbyteri filius & filia in Monasteriis professi erant, sed cum impuberes adhuc essent, paternæ illis hæreditatis portio integra servabatur. *Quamvis videremus fulgorem professionis, tamen lubricum timebamus ætatis: factum est ut ipsum argentum quasi puella servaretur, ut cum ad legitimos annos veniret, faceret inde quod virginem Christi deceret, quando optimè jam facere posset.* Moriens eos pater hæreditaria successione fraudaverat, ab Augustino in integrum restituti sunt. *Commendavi Ecclesię, ut non accipiat ipsas portiunculas, qua pertinent ad exhæredatos, nisi cum ad legitimam ætatem pervenerint. Hoc eis reservat Ecclesia.* Minores ergo quantumvis in Religione Monastica Professionem emisissent, retinebant in hæreditatis legitimam portionem, eamque puberes facti pro arbitrio suo legabant. Patrimonia enim etsi possidere jam non possent, excipere tamen poterant, ubi hæreditario jure obtingebant; & in quos vellent transmittere. 4. Nec obscurè id ab Augustino insinuatur, hos sive Monachos sive moniales, ubi sui compotes erant, non satia decenter potuisse res suas, nisi vel Ecclesiæ, vel Monasterio largiri vel Seminario. *Factum est ut argentum quasi puella servaretur, ut cum ad legitimos annos veniret, faceret inde quod virginem Christi deceret, quando optimè jam facere posset. Ibidem.* Et paulò inferiùs de lite disserens inter fratrem & sororem emergente post parentis obitum: *Sed si pueri isti servi Dei sunt, litem hunc inter illos citò finimus.*

V. His verò pluseulum etiam luminis aspergetur ex sequenti ibidem Augustini sermone. Cum legi enim jussisset, palamque legisset ipse Caput illud Actorum Apostolicorum, ubi disserit Lucas de vita communi, de distractione fundorum, de abdicatione omnium, & de spontanea paupertate Fidelium Hierosolymitanæ incuntis Ecclesiæ; testator Augustinus eadem professione constringi Seminarii sui Clericos omnes. *Cum Episcopo Augustino sic vivunt omnes cohabitatores ejus, quomodo scriptum est in Actibus Apostolorum.* Inquisisse se in Clericos suos omnes, & nihil deprehendisse, quod ab illa sanctissimæ paupertatis lege deviaret. *Omnes Clericos meos, qui mecum habitant, tales inveni, quales desideravi. Ibidem Serm.*50. Superesse tamen duos, Patricium nepotem suum, & Subdiaconum, & Valentem Diaconum, qui res suas necdum distribuissent. Valentem ne potuisse quidem per ætatem, quæ necdum ea esset, qua posset juxta leges ritè donare; itaque agros & servos ab eo communiter adhuc possideri, cum fratre ejus, qui in Ecclesia Milevitana sub Episcopo Severo Subdiaconatu fungebatur. Nec Patricium quoque nepotem suum hactenus potuisse providere rebus suis, quòd earum usumfructum haberet mater adhuc superstes. Jam verò fato functam esse matrem, itaque propediem finitis causis nescio quibus cum sorore sua, fore ut ille de iis ita statueret, ut servum Dei deceret. *Sed sunt qui de sua qualicumque paupertate, quod statuerant, nondum fecerunt. Hi sunt Valens Diaconus, & nepos meus Subdiaconus. Expectabatur in illo etiam legitimæ ætatis accessus, ut quod faceret, firmissimè faceret. Nepos meus ex quo conversus est, & mecum habitare cœpit, impediebatur & ipse aliquid de agellulis suis agere, invita usufructuaria matre sua, qua hoc anno defuncta est.* Subjicit denique Augustinus Clericos illos quoque duos ita statuisse, sua ut Ecclesiæ omnia addicerent, cui & se addixissent; id enim & sanctissimæ eorum Professioni consentire, & exemplo fidelium Ecclesiæ primigeniæ Hierosolymitanæ. *Inter nepotem meum & sororem ejus sunt quadam causa, in Christi adjutorio citò finiendę, ut & ipse faciat quod Dei servum decet, & quod ista professio, & ista exigit lectio.* Ea de Diacono Valente ibidem; *Si divisi fuerint agelli, eos cupit Ecclesię conferre, ut inde alantur, qui sunt in proposito sanctitatis, quousque in hac vita degunt. Scriptum enim est, & hoc Apostolus loquitur: Qui autem suis, & maximè domesticis non providet, fidem denegat, & est infideli deterior, &c. Hoc agitur, ut servuli dividantur, & manumittantur, & sic det Ecclesię, ut eorum excipiat alimentum.* Ea sunt verba Præsulis longè omnium à terrenis cupiditatibus alienissimi, cui crimini etiam dabatur, quòd donatas Ecclesiæ hæreditates respueret. Satis hinc elucet non dono, sed donantis religione & ęterna salute illum delectatum fuisse, & hinc erupisse eas ejus voces, cum diceret. non exemplo tantùm Ecclesię Hierosolymitanę, sed ipsa sua professione & honestatis lege adduci Clericos, ut Ecclesiæ potissimum suæ largirentur, quæ largituri sunt; absurdius quippè & inhumanius esse, non eis potissimùm opitulari sanctis, quorum in contubernio vitam agitaturus sis.

VI. Paustino Diacono pene ne in mentem quidem venerat, ut à fratribus reposceret hæreditatis portionem sibi adscriptam. Consilio Augustini obsequutus, eam partitus est inter fratres suos, & Ecclesiam loci, quæ egestate laborabat. *Cum cen-*

si-

filio meo divisit ipsam rem, & dimidiam donavit fratribus suis, & dimidiam Ecclesiæ pauperi in eodem loco constituta.

Diaconus Severus in Seminario antè professus, ex collatis sibi eleemosynis domunculam emerat, ubi mater & soror habitarent. Facti mox ipsum sui pœnituit, domunculam Augustino restituit, quin & agellos quosdam adhuc suos Ecclesiæ loci addixit, admodum egenæ.

Diaconus Hipponensis in Clericatu mancipia aliquot sibi comparaverat, suasit Augustinus, ut libertate donaret, ipsemet deinque sanctissimus Præsul præsente plebe manumissionem celebravit. *Hodie illos in conspectu vestro manumissurus est Episcopalibus gestis.*

Diaconus Heraclius exædificata Capella Martyris, reliquas res suas Augustino contradidit, ut arbitratu suo eas dispensaret. *Ipsam pecuniam voluit per manus meas erogare, sicut mihi placeret.* Ea pecunia agrum emi & Ecclesiæ donari voluit Augustinus, mutuò sumens, quod summæ deerat, & ex terræ fructibus mutuatam refundens pecuniam. *De pecunia sua emit etiam possessionem ex consilio meo.* Quanquam id jam ætatis esset Augustinus, ut ejus terræ fructus capere se posse minùs speraret, id tamen consilii inire maluit, quàm pecuniam retinere & in Ecclesiæ usus effundere. Diffidebat enim versatili junioris Diaconi ætati, subverebatur etiam nequando ejus mater quiritaretur de filio ad eam donationem sollicitato. Consultius ergo illi visum est eam emi possessionem, quàm repetenti si fors matri, vel filio restitueret. *Ideo volui ejus pecuniam in illa possessione servari, ut si aliquid, quod Deus avertat, aliter, quàm nolumus evenisset, redderetur illa, ne læderetur Episcopi fama.* Idem porro Diaconus spatium aliquod loci emit Ecclesiæ, cui & domum inædificavit, quam eidem contulit Ecclesiæ, quanquam eam extruxisset, quò mater sua eam incoleret. Cum denique servos haberet, jam in Monasterio agentes, hos quoque manumisit, atque ita paupertati, cui se devoverat, totum quoque se vendicavit. *Pauper remansit, pecuniam nullam servatam habet.*

VII. Leporius Presbyter natalibus clarus, & dives opum, jam sua omnia abdicaverat, cum illum Congregationi suæ adscripsit Augustinus. Nihil quidem ille rerum suarum ejus Ecclesiæ contulit, ut qui Ecclesiæ jam alteri bona sua adjecisset omnia. Sed cum Ecclesia toto orbe una eademque sit, quanta quanta erat, ubique Leporii Beneficia grato & memori animo recolebat. *Hiac non fecit, sed nos scimus ubi fecit. Unitas Christi & Ecclesiæ una est. Ubicumque fecit opus bonum, pertinet ad nos, ut sibi congaudeamus.* Monasterium ille suis in horto extruxerat; is porro hortus postea nec ejus fuit, nec Ecclesiæ, sed Monasterii. Aliquid etiam sibi redituum seposuerat ad alendos Monachos suos; sed ea cura voluit eum exonerari Augustinus. Jussit denique Sanctus Pater, ut Xenodochium construeret, & incunctanter ille paruit. *Pecuniam non habet, quam suam dicere possit. Habebat Xenodochium ædificandum, quod modò videtis ædificatum. Ego illi injunxi, ego jussi.* Basilicam etiam ædificavit octo Martyrum, sed ex fidelium eleemosynis, à quibus & domum emerat, tanquam lapides ibi reperturus ad construendum: ea domus Ecclesiæ addicta fuit, cui & pensionem solvebat. *Domus ergo ipsa sic remansit; pensionem præstat, sed Ecclesiæ, non Presbytero.* Ita molestissimè ferebat Augustinus eam vocari domum Presbyteri, cum Presbyteri domus non esset alia, quàm quæ Episcopi, & Dei. *Nemo amplius dicat, in domum Presbyteri, &c. Ecce ubi est domus Presbyteri; ubi est domus mea, ibi est domus Presbyteri; alibi non habet domum, nisi ubicumque habet Deum.*

Ante ordinationem suam Monasterium condiderat Barnabas Presbyter in loco, quem ad id dono dederat Eleusinus. Cum deinde nonnihil æris alieni contraxisset, agellum ei Augustinus ad annos decem concesserat, quò debita exolveret. Illum verò agrum Presbytero excolendum non delegavit, nisi quia Laici ex ejus proventu quadraginta tantùm nummos à se solvi posse ostenderant, cum non paulò majus ejus esset pretium. Itaque id oneris Presbytero imposuit, quò properè satisfaceret creditoribus.

VIII. Non poterunt hæ minutiæ non oblectamento iis esse, quibus sapit Ecclesiastica antiquitas, & quibus compertum fuerit ex his maximè minutiis æstimari posse de ingenio & virtutis indole summorum hominum. Hæc verò potissimùm lumina emicant ex hac rerum in speciem aspernabilium non aspernabili narratione. 1. Ubi Possidius ait Augustinum ante mortem nihil condidisse testamenti, quòd pauper esset Christi, id illa paupertatis professione interpretandum esse, quam & ipse præstiterat, & à Clericis suis omnibus præstari curaverat in ipso vestibulo suæ Congregationis. Sua enim illi omnia antè distribuebant, quàm ei adgregarentur; ita nihil supererat, quod testarentur ante obitum suum. Testamentum Januarii Presbyteri offensioni fuit non soli plebi, sed Clero, fuit & Augustino ipsi horrori, qui donum ejus aversatus, hæreditatem in ejus prolem geminam partitus est, temerè ab eo hæreditaria successione frustratam. *Ibidem Serm. 50.*

2. Nec apud Possidium, nec in his Concionibus duabus vel vestigium elucet ullum testamenti de rebus Ecclesiæ scripti, quod sobriis & cordatis hominibus ne in cogitationem quidem veniebat, posse vel à privato quolibet, vel ab Episcopo testamenti tabulas scribi de communibus alicujus Sodalitii rebus. Quanquam enim non omnes Episcopi, Augustini exemplo, communis se cum Clero suo vitæ societate devinxissent, nec Episcopi tamen nec Clerici res Ecclesiæ nisi in commune possidebant, ut ne possent quidem de iis testamenta privatim ulla factitare.

3. Qui privatim hic omnes nomen dederunt Clero & Collegio sacro, seu Seminario Augustini, nonnisi Ecclesiæ bona illi sua omnia transcripsere, ex ipso, ut suprà patebat, Augustino. Et hinc jure meritoque concluditur, si Presbyteris, Diaconisque, & Subdiaconis id fuisset juris, morisque, ut de suis Ecclesiasticis rebus reditibusque testarentur, non aliam eos sibi, quàm Ecclesiam hæredem accersituros fuisse.

4. Ne adubitari quidem à quoquam jure potest, quin Augustini summa fuerit & incredibilis contemptio caducorum & temporalium omnium. Suprà tamen abundè comprobatum est, ex ejus consiliis monitisque Clericos illos omnes, vel pauperibus, vel Cœnobiis, vel Ecclesiæ sua admodum patrimoniola omnia dilargitos fuisse. Abdicatio quippe temporalis opulentiæ sordibus & avaritiæ adversaria est, non religioni & charitati. Qui totas respuebat oblatas hæreditates Augustinus, vel semel datas, & repetitas restituebat, non alio poterat discipulos suos consilio imbuere, vel præcepto, quàm quo Spiritus ipse Sanctus fidelium primitias olim impulit, ut ad pedes Apostolorum sua inferrent omnia. Religio, pietas, charitas summa summorum virorum delectabatur non his donis, sed animis & fervore hæc tam largè donantium, nec se totos Deo cessisse interpretantium, nisi & sua illi omnia devovissent.

5. Nec id tantummodo mirabile, quòd Præsul omnium maximè septus munitusque adversùs terrenas cupiditates, plurimum omnium Ecclesiæ conferri fecerit; sed & quòd omnium altissimè immersus

in

in rerum divinarum contemplationem, & sacris functionibus ministerii Episcopalis occupatissimus, ad has tameo se minutias dejecerit sollicitudinis rerum Ecclesiæ temporalium. Permagni refert penitissimè id infigi mentibus Præsulum, & Beneficiariorum omnium, eóque pertinebant pene putidæ illæ suprà narratiunculæ de œcooomicis Augustini provisionibus.

6. Jam monuimus Augustinum præstò semper fuisse & paratum: adeoque & cupidum restituendi, sive fundos, sive pecunias, ubi qui dedissent, pœniteret eos sui doni. Non quò non eos tum monitos vellet, quantis eos periculis objiceret hæc inconstantia & aviditas. Sed nolebat Ecclesiam, quæ ad concilia vel præcepta perfectionis omnes adhortabatur degenerem ipsam vel ignavam videri, nec vel seipsam audire, sibi obsequi. Volebat eam paulò morigerari, & fraudem potiùs pati, quàm litem. Denique in usum vocare volebat ipse, quod in Coocilio Carthaginensi IV. constitui fecerat, ut ne litigaret unquam Episcopus pro temporalibus rebus, ac ne provocatus quidem. *Ut Episcopus pro rebus transitoriis non litiget provocatus. Can.19.*

7. Poterat qoidem aliquid litium iocalescere ioter cæteros Augustini Clericos, sed ut erat ipse parens omnium communis, ita & judex erat & conciliator, ita ut litigarent ounquam. *Audio illos ut pater, & fortè meliùs, quàm pater ipsorum.* Quò gratiora autem essent plebi judicia sua, adesse sibi lites audienti & extricanti volebat spectatissimæ quosque integritatis plebejos, ut suprà diximus.

8. Ecclesiæ peculiares vicorum, jam fundos, ot vides, retinebant sibi suos, atque adeo & oblationes, quæ ibi fiebant ad alendum Clerum. Sed ab his diverticulis ad nostrum jam nos propositum referamus.

CAPUT XXXIX. *P.1. l.4. c.19.*

De Testamentis rursus Episcoporum & Beneficiariorum cæterorum per quinque priora Ecclesiæ sæcula.

I. Executor Ambrosius testamenti fratris sui Satyri, omnia pauperibus adjudicat.

II. Cur nec ipse testamentum scripserit.

III. De B. Germano Episcopo Altisiodorensi.

IV. De Paulino Nolano, & de Hilario Arelatensi Episcopis.

V. In eam rem monitu Hieronymi.

VI. Ut ille stomachetur in eos, qui de patrimonio pauperum ditescunt.

VII. Statuta Concilii Carthaginensis III. de iis, quæ acquirunt Beneficiarii, & quæ nisi Ecclesiis legare non possunt.

VIII. Quibus nulli sunt proximi, aut quibus nonnisi heretici sunt, una Ecclesia commendatissima & heres esse debet.

IX. Non sinit Concilium Antiochenum testari Episcopos nisi de patrimonio suo.

X. De Concilio Chalcedonensi.

XI. De Theodoreto.

XII. Testamentum Gregorii Nazianzeni.

XIII. Excubabat Metropolitanus in testamenta Suffraganeorum.

XIV. XV. XVI. Quanquam hæc sive exempla, sive præcepta solos complecti videantur Episcopos; certissimè tamen in omnes Beneficiarios vis eorum permanat. Ad id argumenta alia aliaque.

I. DE solo hactenus Augustino, & Seminarii ejus Clericis. Nunc ad alios properandum Patres, ut cælesti hoc magisterio imbuamur io re ea, cujus tanta sunt & ad Ecclesiæ dignitatem momenta, & ad animarum salutem. Docet Ambrosius fratrem suum Satyrum à se scriptum hæredem; sed præmorientem sibi Satyrum sua omnia sibi testamento legasse. *Ego te, frater, hęredem feceram, tu me hæredem reliquisti. Ego te superstitem optabam, tu me superstitem dimisisti.* Nullas fecit testamenti tabulas Satyrus: Ambrosium tantùm rogavit, ut pauperibus tantum daret, quantum censeret æquum dari. *Quantum nobis justum videretur.* Hęc verba Ambrosius christiano pectore, adeoque & Apostolica quadam sapientia commentatus, ita secum statuit, ut quantum justum esset daretur pauperibus, totum dandum esse. Is est enim cumulus justitiæ, omnia vendere, & erogare pauperibus. *Postulando quod justum est, non exiguum, sed totum reliquit. Hæc est enim summa justitia, vendere quę habeas, & conferre pauperibus. Qui enim dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum. Ambr. Orat. de obit. Saty.* Non ergo sibi visus est Ambrosius fratris hęres, sed ejus bonorum dispensator, & provisor pauperum. *Ergo dispensatores nos, non hęredes reliquit. Nam hęreditas successori quęritur, dispensatio pauperibus erogatur.* Nec exciderat animo, hæc à me jam superiùs enarrata fuisse. Sed & facta & verba hęc usque adeo Episcopalis pectoris & animi magnitudinem spirant, Apostolicęque sapientię exuberantiam quandam, ut sępiùs ea inculcandi occasione vehementiùs delecter.

II. Si eo animo Ambrosius testatus esset, quo fratris testamentum ioterpretatus est; facilè intelligitur, quantum pauperibus relicturus fuisset. Reliquisset enim utique quod justum erat, atque adeo ipsomet interprete totum. Sed vitæ ejus scriptor Paulinus, nullum ejus testamentum commemorat, quòd tantæ moræ impatieos, jam totum Christo & pauperibus dare occupasset, quod mors erat ablatura. Jam inde ab ipso ordinationis suæ die aurum omoe & argentum pauperibus erogaverat; terras omnes Ecclesiæ dederat, usufructu sorori servato; servata sibi opulentissimæ Christi paupertate. *Tempore, quo Episcopus ordinatus est, aurum omne atque argentum quod habere poterat, pauperibus, vel Ecclesiæ contulit. Prædia etiam quę habebat, reservato usufructu germanæ suæ, donavit Ecclesiæ, nihil sibi, quod suum hic diceret, derelinquens. Paulinus in ejus vita c.19.* Ita non erat de quo moriens testaretur, poteratque de eo dici, quod de Augustino Possidius dixerat, Pauper Christi cum esset, nihil scripsisse testamenti. Ut enim sæpius ingerendum est, ne cadebat quidem in cogitationem hominum tanta & sapientia, & sanctitate præditorum, de bonis, quæ ex Ecclesiæ proventibus superfuissent, quanquam testari posse.

III. Qui vitam Beati Germani Altisiodorensis Episcopi mira diligentia scripsit Presbyter Constantius, narrata ejus morte, quę io Italia contigit, ad hæreditatem ejus delabitur, quam inter se partitos ait cum Imperatrice Episcopos sex. Sed summa hæreditatis hæc erat, Theca sacrorum pignorum, pallium, tunica, cingulum, byrrus, cilicium. *Hæreditas deinceps relicta dividitur, partem præsumpsit Imperium, partem vendicant Sacerdotes. Et quod fieri de opibus solet, nascitur de exiguitate contentio, dum deest quod cupiant, &c. Cap.21.* Sed ab eodem ipso Scriptore narratum fuerat in ordinatione Præsulis hujus Apostolici, quid causæ fuerit quamobrem nullæ fuerint testamenti ejus tabulę appetente morte; statim omnia pauperibus contulerat. *Repente mutatur ex omnibus; substan-*

tia dispensatur in pauperes, paupertas ambitur.

IV. Procul erat Paulinus Nolanus, procul Hilarius Arelatensis Episcopus à condendo testamento adventante morte, cum exordio uterque suæ conversionis præcepisset elargiri pauperibus sua omnia, horumque jam ut rerum Ecclesiæ dispensator factus, testari jam non posset. Quis enim nisi insaniat Oeconomus, de rebus suæ fidei creditis testamenta mediretur? Audiamus Julianum Pomerium in libris de vita Contemplativa de his ita disserentem. *L.2. c.9. Sanctus Paulinus ingentia prædia, quę fuerant sua, vendita pauperibus erogavit; sed cum postea factus esset Episcopus, non contempsit Ecclesię facultates, sed fidelissimè dispensavit. Quid Sanctus Hilarius nonne & ipse omnia bona sua aut pauperibus reliquit, aut vendita pauperibus erogavit, &c.*

V. Si qua fides Hieronymo, ne Monachi quidem, nedum Clerici inaccessi, aut impervii erant illecebris & tentationibus avaritiæ. Unius maximè vicem ille dolet, qui ingentem omnino coacervaverat pecuniæ vim, quasi pauperibus hanc erogaturus, quam tamen moriens proximis reliquit. Judæ ille vestigiis & exemplis inhærebat, qui locupletatus fuerat rapinis in pauperes suis, & æterna sibi succenderat pœnarum incendia ex refrigeriis pauperum. Ita enim Hieronymus ad Rusticum Monachum. *Vidimus nuper & planximus Crœsi opes unius morte deprehensas, urbisque stipes, quasi in usus pauperum congregatas, stirpi & posteris derelictas. Nec mirum, talem socium & Magistrum habuit, qui egentium famem suas fecit esse divitias, & miseris derelicta in suam reservavit miseriam.* Ad omnes id Beneficiarios serpit, non posse eos ditari, nisi cum pernicie pauperum & sua, temporali quidem pauperum, sua autem sempiterna. Constat enim de omnibus Beneficiariis quod de his Monachis affirmat Hieronymus, quidquid opum ad hæredes traducunt, id ipsis totum à fidelibus ad pauperum levamenta commodatum fuisse.

VI. Sed multò acerbiùs alibi Sanctus Pater, vehementiusque irascitur Episcopis, cęterisque Beneficiariis, qui filiis, vel cognatis alias transmittunt divitias, quàm quas ipsi à Majoribus acceperunt. Nec enim id possunt, nisi ut exuviis Christi propinquos suos induant, & fidelibus omnibus offendiculo sint. *Ut Sacerdotes ipsi quoque filiis suis, quibus paterna debetur hæreditas, nihil debeant derelinquere, nisi quod sibi à parentibus derelictum est. Ergo qui ditior est Sacerdos, cum venit ad Sacerdotium, quidquid plus habuerit, non filiis debet dare; sed pauperibus, & sanctis fratribus & domesticis fidei, qui vincunt merita liberorum; ut reddat ea, quæ Domini sunt Domino suo, qui loquitur in Evangelio. Quidquid uni horum fecistis, mihi fecistis, &c. Dispergit ergo populum Dei, & aufert ab eo possessionem fidei sempiternam, qui aliena dona, vel bona, vel rapina, vel adulatione, vel blanditiis, vel prætexta Religionis, filiis fratribusque, & consanguineis derelinquit. In Ezech. c.46.*

VII. Huc pertinet, quod à Concilio III. Carthaginensi declaratum est, quibus nihil erat rei ante ordinationem, non posse eos quidquam postea comparare, nisi Ecclesiæ nomine; si suo autem nomine fundos, vel domos coemissent, monitique in Ecclesiæ fiscum non refundissent, compilatores eos patrimonii Christi haberi debere; quanquam si qua re nominatim donati sint, vel hæreditaria aliqua successione aucti, in potestate eorum hæc esse debeant quem in usum cumque volent convertere. *Placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Episcopatus vel Clericatus sui, agros vel quęcumque prædia nomine suo comparant, tanquam rerum Dominicarum invasionis crimine teneantur obnoxii, nisi admoniti, Ecclesię eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis propriè aliquid liberalitate alicujus vel successione cognationis obvenerit, faciant inde quod ipsorum proposito congruit. Cap.49.* Hæc certè verba extrema, *Faciant inde quod ipsorum proposito convenit*, non arbitrio tantùm cujusque hæreditaria committunt bona, sed & salubre instillant insinuantque concilium, ut de hæreditariis etiam & propriis bonis testentur convenienter Ordinis sui sanctitudini. Non multum ab his abludebant Augustini verba superiori capite relata, & quò ille collinearet, obscurum non erat.

VIII. Sed apertior res tota fiet ex Canone Concilii Africani, ubi excommunicatione percelli etiam post mortem jubetur Episcopus, cui cum patrimonium sit, hæredes scribet, qui vel cognati, proximique sui non sint, vel cognati quidem sint, sed hæretici, vel pagani, nec his anteponet Ecclesiam sponsam suam. Etsi autem intestatus excesserit, non eam pœnam effugiet. Cum primùm enim Episcopali fastigio eminere cœpit, debuit rem omnem suam disponere accommodatè ad tantæ dignitatis sanctimoniam. *Constitutum est, ut si quis Episcopus hæredes extraneos à consanguinitate sua, vel hæreticos etiam consanguineos, aut paganos, Ecclesię prætulerit, saltem post mortem anathema ei dicatur, atque ejus nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur. Nec excusari possit, si intestatus defecerit; qui utique debuit factus Episcopus rei ordinationem congruam suæ professioni nequaquam differre. Cap.48.* Illud sanè hic perquam memorabile, Episcopos, quibus nulli essent proximi, vel pagani, aut hæretici essent, nisi si quam haberent rem familiarem, eam Ecclesiæ adscriberent, pœna eos affici maxima, & nomen eorum sacris diptychis expungi. Denique nec inultos abire, si intestati moriantur, quod tum ex civilium legum præscripto, non ad Ecclesiam, sed ad hæreticos & paganos, certè ad extraneos devolverentur Episcopi patrimonia.

IX. Nec ab his valde abhorrere potuit Disciplina Græcorum in testamentis *Beneficiariorum*. Concilii Antiocheni Patres voluere, ut Presbyteris, Diaconisque perspectæ res essent Episcopi propriæ, nec non & Ecclesię, integrum sit Episcopo de suis statuere, intactis Ecclesiæ rebus. *Manifesta sint, quæ pertinere videntur ad Ecclesiam, cum notitia Presbyterorum & Diaconorum; ut si contigerit Episcopum migrare de sæculo, nec eæ Ecclesiæ depereant, nec quæ propria probantur Episcopi, sub occasione rerum Ecclesiæ pervadantur. Justum namque & acceptum coram Deo & hominibus est, ut sua Episcopus, quibus voluerit, derelinquat, & quæ Ecclesię sunt, eidem conservetur Ecclesia. Can.24.* Quę eadem propemodum verba sunt Apostolici Canonis. *Can.40.*

X. Perlecta est in Concilio Calchedonensi, *Act.10.*, accusatio quatuor Ecclesiæ Edessenæ Presbyterorum adversùs Ibam ejus Civitatis Metropolitanum. Reus hinc autem etiam agebatur, quòd suffraganeo suo Danieli Episcopo conniveret, qui testamento nepotibus matronæ cujusdam quam amabat, ea legasset bona, quæ ab Ecclesia obtinerer; quique sibi retinuerat hæreditatem Diaconi, quanquam spopondisset omnia se in pauperes erogaturum, quòd ex Ecclesiasticis proventibus ea provenissent. Cum ratum illud & inconvulsum sit, quod ex Ecclesiæ reditibus partum sit, ad Ecclesiam necessariò redire debere.

XI. Familiare & illud fuit sanctissimis Orientis Episcopis, ut jam in ipsa Ordinatione sua, vel antè, terrenis renunciarent possessionibus, atque ita nihilo plus ipsis, quàm Augustino superesset, quode morituri testarentur. Testatum faciebat vir maximus, Theodoretus Cyri Episcopus, nihil se

pos-

possidere, præter vestes, quibus tegebatur; nemini se usquam litem intendisse, à nemine sibi intentatam fuisse, etsi vigesimum quintum jam annum Episcopatus ageret, denique neminem eo tempore toto ex suis Clericis ante sæcularium Judicum tribunalia stetisse. Quibus ex omnibus augurari fas est, nec Theodoreto, nec Clericis ejus serò fuisse, unde testarentur; cum non esset unde lites, vel ipsis, vel ab ipsis intentarentur. *Annos viginti quinque ita vixi, ut neque in jus vocatus sim à quoquam, neque ipse quemquam accusarim. Nullus religiosissimorum Clericorum, qui sub me fuerunt, tribunalia tot annis frequentavit. Prater pannicules, quibus amictus sum, nihil volui possidere. Epist.81.*

XII. Emendatius Gregorii Nazianzeni testamentum à Baronio publicatum est ad annum 380. N.24. in Annalibus Ecclesiasticis, quàm fuerat à Brissonio in Formulis. Eo dat Gregorius Ecclesiæ Nazianzenæ & ejus pauperibus res suas omnes, præter tenuissima quædam legata in domesticos & in proximos suos. Ecclesiam tum Constantinopolitanam administrabat Gregorius, cum hoc testamentum scripsit. Ita nec ipse mortem opperiri voluit, quo serrenis se sarcinis omnibus expediret, & Ecclesiam suam ornaret. Nec me fallit, quàm diffidant viri docti ei Nazianzeni testamento. Nobis propositum non est his, aliisque ejusmodi implicati contentionibus.

XIII. Quod obiter attigimus de eriminationibus, quæ Ibæ Edesseno impingebantur, ex eo liquidum est in testamenta Episcoporum Provinciæ suæ Episcopos invigilare debuisse; & conniti, ut ne bona ex proventibus Ecclesiasticis coacervata, vel Clericis ipsis exitio essent, si prædæ fuissent eorum cognatis.

XIV. Fateor, quæ hoc Capite dicta sunt, ea peculiarius ad Episcopos pertinere omnia. Sed nemo sanæ mentis inficias ierit, iisdem vinculis pro suo quemque modo, & reliquos omnes obligari Beneficiarios. Nam quæ ad ipsos venit portio rerum Ecclesiæ, peræquè est portio sacrificii Deo oblati, eleemosynæque pauperibus dicatæ, denique portio est hæreditatis Christi. Non ergo potest illa ad sæculares & profanos revocari usus, nisi ut res sacra profanetur, fraudentur pauperes necessario solatio, dilapidetur patrimonium Christi. Video hanc portionem Clerico tributam esse, sed video ut pauperi tributam esse, ad necessarios ejus usus, adeoque quidquid superat expletis ejus necessitatibus, jam id pauperum esse, cum ea sit conditio, ea natura horum bonorum.

XV. Ubi certè vetant Carthaginenses Canones, ab Episcopo in cognatos transfondi, quod non acquisivit nisi ex Ecclesiæ rebus; nonne eadem ratio, eademque lex etiam ceteros constringit Beneficiarios, quibus non aliunde unquam, quàm ex Ecclesia res affluxere? Erat enim Episcopo propria etiam portio ex reditibus Ecclesiæ. Si suæ ille ex his parcimoniæ fructus vetabatur in cognatos spargere, vetabantur & alii Clerici, ac Beneficiarii omnes.

Et ubi tum Apostolico, tum Antiocheno Canone vetantur Episcopi, proximis res alias quascumque dimittere, quàm quas à Majoribus ad se derivatas habuere; nonne hac eadem lege circumscribuntur omnes, qui pati industria & arte possunt ex rebus Ecclesiæ fundos, vel pecunias accumulasse; sed ut prisci Canones solos ferè commonerent Episcopos, in causa fuit, quod cæteri Clericis non ferè erogaretur, nisi quo parcè victitarent; ut nihil admodum verendum esset, ne ex his vel ditarentur ipsi, vel suos ditarent. Ubi autem sæviebat Hieronymi calamus in Monachos, vel Clericos ex pauperis Christi compilatione ditescentes, non ad has ille quotidianas sportulas intuebatur, sed ad fraudes circumventarum viduarum, vel alia id genus. Omnino verò eos proscindebat Hieronymus, qui ad proximos traducerent, quæ à majoribus suis non acceperant.

XVI. Disertissimè porro Carthaginensis III. Concilii Canon, non tantùm Episcopos, sed Clericos omnes, ad proximos transfondere docet nihil posse, si nihil rerum habuere, eum ad Ordinationem accesserunt. Certè in libello supplici ad Calchedonensis Concilii Patres perlecto, insimulabatur Episcopus Daniel in domum suam derivasse Diaconi Abrabamii bona, ab ipso ei concredita, ut in pauperes erogarentur, quòd ex rebus ac proventibus Ecclesiæ parta fuissent. *Act.10. Abrahamius Diaconus & nihil ferè habens, ex nostra Ecclesia multas & innumeras res habuit, qua pro veritate erant nostra Ecclesia. Suadet huic Daniel Episcopus, ut subscripto testamento in eum suam transmitteret hæreditatem, jurans ei, hac se post ejus mortem pauperibus erogare; hoc enim & testamento continetur. Et postquam hac Daniel est adeptus, non solùm non sicut oportebat & juraverat, disposuit, sed Challoę mulieri dedit.* Denique Ibam ipsum quatuor iidem Presbyteri impetebant, quòd in rem suam deflectere voluisset Pyrozi Presbyteri testamentum, qui res suas Ecclesiis egenis & indotatis reliquerat. *Pyrozo Presbytero bene testante, & sua propria disponente, & res quas habuit relinquente Ecclesiis, reditus nullos habentibus &c. Idem.*

CAPUT XL. *P.2. l.4. c.21.*

De Testamentis Episcoporum, & aliorum Beneficiariorum in Oriente & in Italia, ab anno Christi quingentesimo ad octingentesimum.

I. Non sinebant Justiniani leges testari Episcopos nisi de iis, qua ante ordinationem suam obtinuissent, & de successionibus, qua sibi postea obtigere, usque ad quartum gradum eorumdem. Nec secus res habet in Administratoribus Xenodochiorum.

II. Cur hac lege non memorentur expressè cateri Beneficiarii, cum eorum superflua pauperibus debeantur.

III. Ejus legis confirmatio.

IV. Occurritur objectioni & legi, qua permittitur Clericis testari, etiamsi sint adhuc sub potestate patris.

V. De Presbyteris conjugatis in Oriente.

VI. Mirabile Joannis Eleemosynarii Patriarcha Alexandrini testamentum.

VII. VIII. IX. Qua diligentia has leges Canonibus tam consentientes Gregorius Magnus servari curavit.

X. XI. XII. Mobilia ipsa, & qua post ordinationem acquisierant Episcopi, nisi Ecclesiæ legari non poterant.

XIII. Cur Gregorius de solis agat Episcopis.

XIV. Lex Theodorici Regis de Clericis intestatis.

I. Copiam facit Episcopis Justinianus, ut pro arbitrio suo testentur de suis ante ordinationem rebus, aut de proximorum postea successionibus ad se devolutis usque ad quartum gradum; reliquas autem res nec expendere, nec donare, aut testamento legare possint nisi Ecclesiæ. *Licentiam habeat Episcopus, quacumque ante Episcopatum probatus fuerit habuisse, & quacumque post Episcopatum jure*

jure cognationis usque ad quartum ad eum pervenerunt, ad quos voluerit, ultima voluntate transmittere. Cæteris rebus alio modo acquisitis ab eo, dominio Ecclesiæ reservatis, nisi in utilitatem Ecclesiæ, vel opera pietatis consumpta sint. Cod. l.1. De Episc. & Cler. Lege.33. Quæ eadem lex ad reliquos exporrigitur locorum sanctorum administratores. *Eadem distinctione habita in Administrationibus cujuscumque loci religiosi.* Apparet Abbates & Administratores Xenodochiorum hic indicari. Cum enim non aliter quàm Episcopi curam gerant & administrationem Congregationis alicujus, æquissimum est, ut exinde nil comparare possint nisi nomine Congregationis. Denique si Episcopus vel Administrator diem extremum obeat intestatus, nec ullus ei sit successor legitimus, ad Ecclesiam veniet ejus successio. *Item si quis Episcopus, aut Minister Ecclesiæ moriatur, sine testamento, & successore legitimo, vel legitima, successio competit Ecclesiæ, in qua constituti sunt.*

II. Hac certè lege non exprimuntur nisi Episcopi, Abbates & Administratores rerum Sodalitii alicujus; nec ea Clerici constringuntur cæteri, cum eo ævo tam latè pateret Beneficiariorum, quàm Clericorum nomen. Solis enim tunc & parcis distributionibus Clerici donabantur, quarum ex parcimonia difficillimè potuissent agri & prædia coemi. At ubi postea non sportulis solùm & distributionibus gavisi sunt Beneficiarii, sed agris etiam & latifundiis Beneficio suo illigatis; jam tum sanè & ipsi Administratores esse cœpere, & inconcussa Administrationum lege jussi sunt, idonea sibi seposita sustentatione, reliqua spargere omnia in pauperes. Cum enim oblationum & hostiarum Deo dicatarum una sit semper natura & conditio, ut religioni & charitati impendantur, nunquam hinc fas est sæcularis opulentiæ instrumenta parari.

III. Apertiùs idem Imperator, *Ibid. leg.41.*, propudiosum fore prædicat, & detestandum, si proximis ea suis largiatur Episcopus, quæ fideles pietate incensi, Deo, quàm proximis ipsi suis donata maluere. Ideo & eligi Episcopos vetat, si quibus filii sint, vel nepotes; prohibet denique, ne quid eorum dent Episcopi, sive testamenti tabulis, sive ratione aliqua alia, præter successiones paternas, maternasque, patruorum, avunculorum, fratrumque. Quòd videlicet compertum sit, qui patrimonia sua dant Episcopis, legantque, illis Episcopos non obversari animo, nisi ut fideles dispensatores patrimonii Christi, multò utique propensiores, ut sua in pauperes spargant, quàm ut de rebus eorum sibi vel tantillum delibent. *Ipsam potius sacerdotium contemplantes, quàm ejus personam, & cogitantes, quia non solum ab ipsis relicta piè insument, sed & suas ipsorum res adjicient.* Ea denique lege Xenodochiorum Rectores contineri subjicitur, ut nec ipsis fas sit, postquam eo munere sunt initiati, quidquam acquirere, quod suum sibi sit, & quod ad libitum donare possint. *Necessarium quoque duximus definire super his, qui curam susceperunt venerabilium Xenodochiorum, Nosocomiorum, Ptochiorum, Orphanotrophiorum, & Brephotrophiorum.*

IV. Concessit id quidem Justinianus Presbyteris, & Clericis ipsis inferioribus sub patrum potestate constitutis, ut testari possint, & quibus volent ea addicere, quæ sua sibi industria paraverint peculia, pari cum militia, sæculari privilegio fruituri, *ad similitudinem castrensium peculiorum.* Dummodo filii si quos habent, aut implores si sunt, patres ne fraudentur legitima portione. *Sic tamen ut horum filii, aut his non extantibus, parentes eorum legitimam ferant partem. Novell. 123. c.19. Cod. l.1. De Episc. & Cler. leg.33. 49.* Sed magni prorsus ponderis rationes id evincunt, non agi hac lege de rebus ex Ecclesiastico proventu aliquo partis. Ipsemet enim Constantinus ita contestatus fuerat edita lege sua, quam suo Justinianus Codici intertexuit, & qua edicebat, quidquid quomodocumque corrasissent Clerici, & sibi recondidissent, pauperibus levandis dicandum id totum esse. *Si quid enim vel parcimonia, vel provisione, vel mercatura honestati tamen conscia congesserint, id in usum pauperum atque egentium ministrari oportet. Ibid. leg.2.* His adde si quartæ illi portioni redituum Ecclesiæ, quæ Episcopo addicebatur, id oneris immineret ut ex ea hospites etiam & advenæ, ac peregrini alerentur, ut suprà animadversum est, consentaneum fuisse, ut & Clerici cujusque portio ejus & pauperum usibus necessariis ita dicaretur, nihil ut segregari posset, & in futurum recondi ad profanos usus.

V. Non facilè verò poterant Presbyteri Orientalis Ecclesiæ, cæterique Clerici conjugati, ex quo antiquissimæ illi fibulam continentiæ abruperant, ubi prolem susceperant; non facilè, inquam, poterant non parcere sumptibus, & seponere, ac congerere aliquid, quod in filios transmitterent. Ideo forsan Justinianus solos disertis verbis Episcopos & Xenodochos expressit ea lege, qua de rebus Ecclesiæ quemquam testari vetuit. Scrupulus hic verò facilè eximetur, si repetamus animo, in Ecclesia Græca nihil fundorum Beneficiariis tributum fuisse, solis ibi locum fuisse distributionibus, agros omnes & fundos in unius Episcopi ditione fuisse, qui celibatûs ipse vinculo constringebatur. Ita testatum faciunt ipsæ Justiniani Novellæ superiùs allatæ, solos Episcopos & Oeconomos regimen fundorum omnium in se recepisse, ita ut alienandi facultas eis prorsus amputaretur, nisi in eorum Laicorum gratiam, quibus fundi alicujus annuebatur ususfructus, ea conditione, ut vita excedentes duplum Ecclesiæ refunderent. Denique si non sinebat Episcopos creari Justinianus, quibus vel uxor esset vel proles, qui passus esset alios Beneficiarios omnes, & uxoratos, & patres, prædia Ecclesiæ in familias suas dispergere, ac dissipare? Hinc ergo facilè conjicitur, penes Episcopos solos fuisse Ecclesiæ fundos omnes.

VI. Ex nova Roma ad veterem, & ex Oriente in Occidentem migrabo, postquam objecero oculis & admirationi, mallem imitationi omnium Præsulum & Clericorum, testamentum sanctissimi viri, Joannis Eleemosynarii, Patriarchæ Alexandrini. Ubi proximos sentire sibi visus est afflatus mortis adventantis, & beatissimam invehentis sibi immortalitatem, testamentum dictavit, quale ore illo sanctissimo dictari par erat; gratias Deo habuit, quòd voti compos factus esset, centies ingeminati, ut tum unus tantùm sibi teruntius residuus esset, cum animam exhalaturus esset. *Gratias ago Deus tibi, quoniam exaudisti miseriam meam, rogantem bonitatem tuam, ne inveniretur morienti mihi, nisi unus tremissis. Cap.49. vitæ ejus.* Invenisse se in Episcopali ærario, cum Ecclesiæ primùm præesse cœpit, incredibilem pecuniæ vim *circiter octoginta centenaria auri:* incredibilia in se dona undique ingesta: at summa se quoque diligentia usum, ut quæ à Deo in se profecta essent bona, in Deum retorquerentur omnia: & jam voluntatis suæ esse, ut qui unus sibi superaret teruntius, is quoque membris Christi pauperibus prodesset: *Cognoscens hæc omnia Dominatoris omnium esse, festinavi ea, quæ Dei erant, Deo dare. Unde & quod remansit mihi hoc tremisse, Dei & hoc existens, jubeo dari his, qui sunt Dei.* Immensæ porrò illæ opes exhaustæ partim fuerant in Monasteria & Xenodochia extruenda, ubi divina concelebrabant Cantica innumeræ hominum turmæ, nec interim laudes silebant & munificentiam Sanctissimi Patriarchæ. *Xenodochia,*

ebia, Gerontocomia, atque Monasteria à fundamentis ædificans, & choros Sanctorum Monachorum statuens, incessabilem veræ justitiæ memoriam possidet, per ea, quæ celebrantur in eis bona opera.

VII. Cum verò non aliud his Justiniani legibus, quàm prisci Ecclesiæ Canones novo vigori & splendori restituerentur; hinc erat quod religiosior etiam earum in Occidente, quàm in Oriente observantia vigeret. Argumentis id pene innumeris evinci & illustrari posset. Scripsit ad Maximianum Syracusanum Episcopum B. Gregorius Papa intestatum vita abiisse Episcopum Agrigentinum æquum verò esse, ut filio ejus superstiti restituerentur materna bona, necnon & legitima eorum portio, quæ parens ante Episcopatum obtinuisset, si modò nihil eorum Ecclesiæ donasset. *Si quid apud prædictam Ecclesiam de rebus matris ipsius inveniri potuerit, ei secundùm suam faciat portionem restitui. Proinde & de rebus paternis, quas ante Episcopatum dignoscitur habuisse, si eas in jus Ecclesiæ suæ quolibet modo non transtulit, ei quantum portioni ejus legaliter scit competere, ut satisfieri possit, immineat. L.3. Ep.36.* Fatetur quidem Gregorius ejus Episcopi bona præcessorem suum Papam ejus Ecclesiæ adjudicasse, ut vel sic pœnas ille lueret flagitii cujusdam sui; sed ita rem ipse interpretatur, lasciviendi potiùs materiam Episcopo subductam esse, quàm immerentes in filios pœnam paternæ nequitiæ derivatam. *Nam quod Præceptum direxerat decessor noster, ut lapso eo omnes res ejus Ecclesiæ remanerent, hoc ideo eum credimus præcepisse, ut per eas amplius deperiret. Nunc verò æquum esse pensamus, ut filium patris culpa non ingravet.*

VIII. Cum rescisset ex adverso Theodorum Episcopum ante obitum suum testamenti tabulas scripsisse, Cyprianum Diaconum commonuit, Nuntii partes sibi fungentem, ut diligenter excuteret, an nihil is de rebus Ecclesiæ suæ detrivisset, ut hæredes ejus ad id damni præstandum compellerentur. *Quia ipse testamentum dicitur condidisse: similiter ne quid de rebus Ecclesiæ suæ consumpsisset, te oportet inquirere. Et siquidem cum exinde aliquid incongruè minuisse didiceris, ita age, ut res ipsa ab eo, cujus interest, modis omnibus reparentur. L.4. c.22.*

IX. Cum Ecclesiæ Ravennatis Clerus Gregorium querelis suis interpellasset, quòd Joannes ejus civitatis Episcopus, testamentum edidisset, Ecclesiæ utilitatibus, & legibus ipsis Cæsareis inimicum; literas dedit Pontifex ad Marinianum Joannis successorem, quò executioni intercederet eorum, quæ legibus adversa essent: dona irritaret à Joanne facta ex rebus post ordinationem suam quæsitis, confirmaret quæ ab eo statuta essent de rebus ante ordinationem suis, dum ne eas Ecclesiæ contulisset, denique Monasterium ab eo dotatum gaudere pateretur donis omnibus, quæ superstes ei addidisset, fecissetque à Sede Apostolica ante obitum suum confirmari. *Ut ea quæ de Ecclesia sua, vel de acquisitis in Episcopatu rebus, contra legum fieri statuta disposuit, fraternitas vestra nec authoritatem præbeat, nec aliqua in his ratione consentiat. Si quid autem de propriis rebus, quas ante Episcopatum habuit, quod quidem prius, Ecclesiæ suæ non contulit, fieri voluit, vel decrevit, firmum per omnia robur obtinere necesse est. L.5. Ep.1.*

Iisdem monitis Anthemium instruxit Subdiaconum suum in Campania Nuntium, ubi fato functus erat. Atellanus Episcopus, condito testamento, quo bessem rei suæ nurui legabat, reliquam partem tertiam Ecclesiæ suæ: *Condito testamento in octo unciis totius substantiæ suæ nurum suam hæredem instituit, & Ecclesiam suam in residuis quatuor. L.7. c.53.* Eo testamento permisceri videbantur patrimonia Episcopi, & Ecclesiæ. Sed in ipsa executione multum discriminis interponebatur. Jussit enim Pontifex, ut accommodatè legibus, ad proximos & hæredes nihil eorum veniret, quæ Ecclesiæ fuissent, vel quæ Præsul post inaugurationem suam de novo comparasset. Alibi confirmatum est ab eodem Pontifice testamentum Episcopi Lucrensis, quo hæreditaria tantùm ille bona complexus erat, intactis Ecclesiasticis. *Nihil de rebus Ecclesiæ suæ fuisse testatum, sed de propriis. L.8. Ep.33.*

X. Ubi Canones Legesque vetant, ne cognatis, vel hæredibus quidquam adscribant Episcopi rerum earum, quas post ordinationem sibi paraverunt; non de terris tantùm & hæreditatibus agunt, sed & de mobilibus, vestibus, ornamentis, & pecuniis ipsis, quæ omnia nisi Ecclesiæ donari non posse admonentur. Latissimè enim patent verba ipsa Canonum & Legum, nec ullis se sinunt exceptionibus circumscribi. Adde ejus distinctiunculæ obtentu fore ut jam rapinæ paterent proximorum res Ecclesiæ omnes, cum Episcopis proclive esset complurimas Ecclesiæ res in ejusmodi bona mobilia convertere, quæ hæredes asportarent proximique, jure quasi suo. Cum Episcopi filius eo extincto ædes Episcopales invasisset, consideretque sui juris esse vestes, & alias res parentis mobiles, ei vehementer restitum est à Gregorio, legibus & Canonibus armato; ubi & ipsa mobilia proximis dimitti universim cum aliis bonis omnibus prohibentur. *Quod & Episcopium detineas, & occasione blandiaris, ut Episcopi patris tui vestes tibi, vel alia, quæ in Episcopio inventa sunt, applices. Et ideo si ita est, & ab Episcopio te præcipimus sine mora recedere, & quidquid Pater tuus Episcopatus sui tempore de proprio Ecclesiæ constiterit acquisisse, ne tollas: quia & sacris Canonum legibus esse noscitur definitum, ut in his, quæ Antistes Episcopatus tempore acquisierit, non alius nisi sola succedat Ecclesia. L. 9. Ep.14.*

XI. Nec nos præterit, Adeodatum Mediolanensem Episcopum conquestum fuisse apud Pontificem, quod præcessor suus Constantius nepti suæ Moniali legasset *quædam immobilia, quæ jam Episcopus acquisisset*; respondisse autem Gregorium, ea acquisisse Constantium perhiberi, cum Diaconus adhuc esset: *Quantum aliqui perhibent hæc non in Episcopatu, sed dum adhuc esset Diaconus acquisivit. L.10. Ep.42.* Ex quo illud nasci videtur, 1. sola immobilia ex legibus non posse legari proximis. 2. Eis legibus solos teneri Episcopos, qui Administratores & Provisores sunt Cleri & pauperum totius Diœcesis, non Clericos, vel Beneficiarios inferiores.

XII. Sed ejus inanitas argumentationis apertè convincitur collatione hujus Epistolæ cum ea, quæ paulò antè laudabatur. Altera enim de mobilibus, altera de immobilibus agit: *vestes vel alia, quæ in Episcopio inventa sunt.* Ex æquo igitur certum est nec mobilia, nec immobilia hujusmodi ad hæredes dirivari potuisse: quanquam leges Canonesque non utraque semper conjunctim commemorent, sed separatim quandoque vel hæc, vel illa.

XIII. Consequens verò illud alterum, sin minùs à vero, certè verisimili proprius abest. Nec Justiniani enim leges, nec Epistolæ Gregorii nisi Episcoporum meminere. Sed jam non semel ejus rei perspicua indigitata ratio est. Quod cum parcis distributionibus & alimentorum sportulis cæteri Beneficiarii fruerentur non facilè videbantur congerere ex his posse, quò & tolerarent vitam & domos præterea agrosque sibi compararent. Alioqui meliore fuissent Clerici alii conditione, quàm Episcopi; fas enim illis fuisset parcere sumptibus, & reliquas opes in proximo spargere, quod Episcopi non licuisset.

XIV. Confirmata est Theodorici Regis Italiæ Edi-

Edicto eo, quod apud Cassiodorum legitur, ea Cœsarum lex, qua jubetur Ecclesia Clericis & Monachis succedere, qui intestati & sine hærede justo moriuntur. *Clericos Religiosasque personas intestatas deficientes quoties defuerit, qui jure succedat, locum Ecclesiæ suæ secundùm leges facere debere præcipimus.* 5. 26. De bonis agitur hæreditariis, in quę succedit Ecclesia, ubi justi desunt hæredes.

CAPUT XLI. *P.2, l.4. c.22.*

De Testamentis Episcoporum, & aliorum Beneficiariorum in Gallia ab anno Christi quingentesimo ad octingentesimum.

I. II. III. Varia decreta Conciliorum Galliæ, ne testetur Episcopus de iis, quæ sibi legata sunt post ordinationem suam; si prole caret, patrimonium Ecclesiæ conferat; valida sint Clericorum testamenta, quanquam minus scrupulosè servata sint formula.

IV. V. Cupere ergo jam tunc testamenta condi, ex Juris Canonici legibus.

VI. Ita consulebatur Ecclesiæ, & Parochorum testamentis aliorumque Beneficiariorum, qui cum fundos Ecclesiæ jam obtinere cupissent, non poterant nisi Ecclesiis ea transfundere.

VII. Aliis id ipsum exemplis efficitur, nec Parochos potuisse, nec Beneficiarios quosvis alios acquirere, vel testari, nisi in utilitatem Ecclesiæ.

VIII IX. Exempla in id plura ex Gregorio Turonensi, & ex Flodoardo.

X. XI. Mirabilia Perpetui Turonensis Archiepiscopi, & Cæsarii Arelatensis testamenta.

I. CUm nostra aliquantò pluris intersit, exploratum habere, quæ Leges, qui Canones in Ecclesia viguerint Gallicana in Episcoporum & aliorum Beneficiariorum testamentis; proprium caput ei rei hoc seposuimus, ut disciplinæ sacræ integritas illibata hic maximè viguisse intelligatur. In Concilio Agathensi constitutum est, ut quidquid Episcopo, vel Ecclesiæ conjunctim, vel separatim daretur, *aut cum Ecclesia, aut sequestratim*, ad jus Ecclesiæ id revocaretur, non Episcopi: *Non quasi suum proprium; sed quasi dimissum Ecclesiæ, inter facultates Ecclesiæ computabunt*. Can. 6. Ita ne de eo Episcopus vel testamento disponeret, vel quacumque ratione alia. In eodem Concilio decretum est, ut si cui Episcopo nec filii sint, nec filiorum filii, & is hæreditates suas aliis quàm Ecclesiæ suæ tradat, accuratissimo examine perpendantur expensæ ejus omnes rerum Ecclesiæ, & siquid dederit distraxeritque in Ecclesiæ suæ damnum, id totum revocetur. Si liberos habet, ii Ecclesiam indemnem præstare cogentur, ex hæreditariis suis bonis. *Episcopus qui filios aut nepotes non habens, alium quàm Ecclesiam relinquit hæredem, si quid de Ecclesia non in Ecclesiæ causa aut necessitate præsumpsit, quod distraxit, aut donavit irritum habeatur. Qui verò filios habet, de bonis, quæ relinquit, ab hæredibus ejus indemnitatibus Ecclesiæ consulatur.* Can. 33. Vehementer allucinabitur, qui hinc suspicatus fuerit res Ecclesiæ in privatas domos utcumque converti potuisse; cum eo potius collimetur ut in fiscum Ecclesiæ influant patrimonia Episcoporum; si nulla eis sit proles, ex toto; aliàs ex parte saltem.

II. Confirmata sunt in Concilio Epaonensi, Can. 17., Episcoporum legata, & dona fundorum Ecclesiæ, si tantundem ipsi & ejusdem pretii Ecclesiæ adjecissent. Ecclesiæ juris erant prædia quæcumque semel ordinatus Episcopus acquisisset. Non poterat ergo rerum quas ipse comparasset, in alios dominium transferre, nisi id Ecclesiæ suæ damnum ipsemet, Can. 51., præstaret. Agathensibus Canonibus hic additus est. In Concilio Parisiensi III. res Episcoporum propriæ jam Ecclesiarum esse præsumuntur. *Et quia Episcoporum res propriæ, Ecclesiarum res esse noscuntur, &c.* Can. 2.

III. Sed non alia de testamentis præclariora Decreta, quam Concilii Lugdunensis II. & Parisiensis V. Can 2. Can. 10. Cum enim facillimè sæpissimèque rescinderentur testamenta Episcoporum, Presbyterorum, & cæterorum Ecclesiæ ministrorum, ut Ecclesiæ compendiosiora, quàm ii cuperent, qui sæculi, quàm Dei rebus magis student: cumque id causæ prætexeretur, quod legum civilium formulæ, jurisque civilis calliditates minus quandoque servarentur, decreverunt ea Concilia suum ejusmodi testamentis nihilominus constare debere robur, etsi legibus Cæsareis minùs consentirent; quòd nimirum abundè sit, ut extremæ voluntates morientium executioni mandentur. *Quia multæ tergiversationes infidelium Ecclesiam quærunt privare collatis donariis, id convenit inviolabiliter observari, ut testamenta, quæ Episcopi, Presbyteri seu inferioris ordinis Clerici fecerint, &c. omni stabilitate subsistant, id specialiter statuentes, ut etiamsi quorumcumque religiosorum voluntas, aut necessitate, aut simplicitate aliquid à sæcularium legum ordine visa fuerit discrepare, voluntas tamen defunctorum debeat inconcussa manere, & in omnibus Deo propitio custodiri.*

IV. Hic obiter observare fas est quasi prima quædam lineamenta novæ testamentorum formę, quam jus Ecclesię Canonicum invexit primo Clericis, post etiam laicis fidelibus, ad declinandas ambages & versutias, in re potissimum tanti ad rem privatim, publicamque momenti. Confirmavit Clotarius II. Rex statuta hujus Concilii Parisiensis V. in iisque, ut apparet, Caput istud de testamentis. Sed integrum Edictum ad nos incolume non pervenit.

V. Atqui non aliò vergebat hęc in testamentis nova facilitas, quàm ut nequo obice retardarentur Episcoporum ultimę voluntates in favorem Ecclesię, nec Episcoporum modò, sed Parochorum etiam, & Clericorum prorsus omnium. Ita enim demonstrant ipsa Canonis verba: *Quia multæ tergiversationes infidelium Ecclesiam quærunt collatis privare donariis, &c.*

VI. Refert autem multùm id observari, eò conniti Concilia, ut firmentur testamenta in utilitatem Ecclesię scripta, non solùm ab Episcopis, sed & ab Presbyteris, aliisque Clericis. *Testamenta, quæ Episcopi, Presbyteri, vel inferioris Ordinis Clerici confecerint, &c.* Propterea quod cum Parochi incipe-rent, ut & cęteri Beneficiarii usufructuario jure agrorum Ecclesiæ aliquid impetrare, nimirum id erat consequens & consentaneum, ut in favorem Ecclesiæ testarentur.

VII. Duo id jam confirmaverant Canones Concilii Epaonensis, quorum altero Ecclesia sua ejicitur Parochus, si quàm emat agrum, nec Ecclesiæ nomine emat: altero autem irritæ sunt venditiones, & alienationes omnes à Parocho factę agrorum & fundorum Ecclesiæ suæ. Ex his autem id manifestè elicitur, non potuisse Parochum sive donatione, sive testamento, & quacumque demum ratione Ecclesiam frustrare agris, quos ipsemet coemisset. *Quidquid Parochiarum Presbyteri de Ecclesiastici juris possessione distraxerint, inane habeatur & vacuum, &c. Presbyter dum Diœcesim tenet, de his, quæ emerit, aut Ecclesiæ nomine scripturam faciat, aut ab ejus, quam tenuit Ecclesiæ ordinatione discedat.* Can. 7. 8.

VIII.

VIII. Narratur à Gregorio Turonensi stupendum infortunium civis Tricassioi, Lupi, qui conjuge & filiis orbatus, Clero inscribi se voluit. Frater ejus veritus, ne semet Ecclesiæ dando, dederet & sua, *Timens ne hæredem constitueret Dei Ecclesiam, si ei conjungeretur:* abduxit illum à pio proposito, & secundo implicuit conjugio, ex quo pernicies erupit tum contrahentis, tum conciliantis, illo inconstantiæ & levitatis, hoc avaritiæ pœnas dante. Erat ergo illud frequens, ut Clerici, qui nihil ante liberorum sustulerant, sua Ecclesię legarent patrimonia, adeo non Ecclesiæ patrimonio suos locupletabant. Memorat idem Gregorius acerbissima jurgia Bertrandi Episcopi Cenomanensis, & Badegisilę, quæ præcessoris ejus conjux fuerat. Cupiditatis suæ facibus, artibusqoe incitata mulier, quæ toto Episcopatus tempore conjugi suo donata fuerant, ea contendebat ejus propria fuisse, sed cessit tandem authoritati Legum & Canonum, atque omnia restituit. *Res qua tempore Badegisili Episcopi Ecclesia data fuerant, tanquam proprias retinebat, dicens, Militia hac fuit viri mei, Et licet invita, tamen cuncta restituit. Erat enim ineffabili malitia. L.6. c.13.*

IX. Commemoratum est à Flodoardo, *L.1. c.9.*, testamentum Bennadii Archiepiscopi Remensis, qui hæredes scripsit Ecclesiam, & filium fratris sui, legatis Ecclesiæ suæ agris, & sylvis, præter pecunias, quas singulis repræsentari jubebat Clericis, pro eorum gradibus, prætermissis quidem *Sanctimonialibus, & viduis in matricula positis.* Certum est paternas hæreditates ita inter Ecclesiam & nepotem partitum esse Bennadium. Suffectus est ei B. Remigius, qui & ipse hęredes adscivit sibi duos nepotes suos cum Ecclesia sua, sed ita sanè ut totum propemodum cederet Ecclesiæ. Ne duodecim quidem pauperes Matricularios prætermisit Remigius, qui ad Ecclesiæ valvas quotidie mendicabant, cum quadraginta viduis. *Pauperibus duodecim in Matricula positis, ante fores Ecclesia expectantibus stipem, &c. Viduis quadraginta in porticu Ecclesia alimoniam prastolantibus, quibus de decimis villarum stipendia ministrabantur, &c. Cap.18.* Hos secutus & proximè imitatus est Sonnatius Remensis Archiepiscopus, qui condendo testamento, hęredem designavit Remensem Ecclesiam, quanquam & in alias quoque Ecclesias munificentiæ suæ rivulos sparserit. *Testamentum rerum suarum condidit, in quo plura diversis donaria contulit Ecclesiis, Basilicam tamen B. Remigii pracipuè sibi heredem instituit. L.2. c.5.* Hęredibus quidem suis terras legavit aliquas, sed ea cautione, ut post eorum obitum ad Ecclesiam illæ redirent. *Quibusdam haredum quoque suorum personis pradia quadam eo tenore dereliquit, ut ad loca Sanctorum à se destinata post eorum reverterentur decessum.* Anno 642. Hadoinus Episcopus Cenomanensis, anno 648. Didierius Cadurcensis Pręsul B. Remigii vestigia sectati sunt, tota hæreditate sua ad Ecclesiam transmissa, ut quæ sponsa sibi fuisset, filiosque omnes uno charitatis sinu gestaret. *Le Cointe. Anno 642. n.3. 648. n.26.*

X. Memorandom autem eum primis testamentum edidit beatus Perpetuus Turonensis Archiepiscopus, qui id primum præfatur, non alio magis incensum se fuisse ad condendum testamentum, quàm ut certissimè res omnes suæ ad pauperes devenirent, & ne hęreditas Episcopi cuiquam posset, quàm ejus Sponsæ Ecclesię vendicari. *Ego Perpetuus peccator Turonica Ecclesia Sacerdos, abire nolui sine testamento, ne fraudentur pauperes iis, qua superna gratia, mihi non merito liberaliter & amanter contulit; & ne, quod absit, transeant ad alios, quàm ad Ecclesiam, Sacerdotis bona. Spicil. tom.5. p.105.* Perspicuè ex hoc exordio, & luculentius adhuc ex consequentibus patet, de paternis & hęreditariis rebus suis testatum fuisse sanctissimum Pręsulem, ubi post complurima pia legata, sermonem tandem revocat ad fratres, ad dominos; ad filios, ad delicias suas, ad gaudium & coronam suam, hoc est, ad pauperes Christi, ad mendicos, ad ægros, ad viduas, ad orphanos; hos verò nuncupat ille suos ex asse hæredes. *At vos viscera mea, fratres dilectissimi, corona mea, gaudium meum, domini mei, filii mei, pauperes Christi, egeni, mendici, agri, vidua, orphani, vos inquam haredes meos scribo, dico, statuo.* Jubet suos omnes reliquos distrahi fundos, & ejus pecuniæ partes tertias duas viris, tertiam reliquam fœminis distribui, omnia pauperibus erogari. Epitaphio sanctissimi Præsulis affirmatur, clarum illum avis, atavisque, sed multò clariorem fuisse erogationibus in pauperes. *Clarus avis atavisque, potens fuit, atque Senator, clarior at sua dum pauperibus tribuit.*

XI. Contrà verò Cæsarius testamenti tabulis ipsis confessus est, etsi nihil à parentibus suscepisset, testari se tamen, ne quid proximi sui suæ sibi successionis arrogare possent, præter munuscula quædam, quibus eos tanquam eulogiis prosequebatur. *Ego cum nihil de parentum bonis habuerim, hoc testamentum meum prasumere condui; illa tamen me sententia compulit, &c. Et ne fortè post obitum meum aliqui de parentibus meis exceptis illis rebus, quas illis pro eulogiis donavo, inquietare prasumant, eas prasum, Ecclesiam. Baron. ann.508. n.24.*

CAPUT XLII. *P.2. l.4. c.23.*

De Testamentis Episcoporum, & aliorum Beneficiariorum in Hispania & Africa, ab anno Christi quingentesimo ad octingentesimum.

I. II. III. IV. Statuta Conciliorum Hispania de recensione rerum Ecclesia post mortem Episcopi, de cura summovendi cognatos à successione, de coercendis morientium Episcoporum largitionibus inconsiderata.

V. Parochorum potestas in manumittendis Ecclesię servis.

VI. Novę acquisitiones nomine Ecclesię faciendę erant.

VII. VIII. Reliquis Beneficiariis imminebant leges eadem, quę Episcopis in testando.

IX. X. Causę testamentarię ad Concilia referebantur, ab iisdemque refingebantur vitiosa Episcoporum testamenta.

XI. XII. XIII. Quando possent ab Episcopo legari res Ecclesię suę.

XIV. Mira cautiones adversus cognatos Episcoporum & quorumlibet Beneficiariorum.

XV. Testamentum B. Fulgentii.

I. NON minùs æstuabat Hispanica Ecclesia ad Legum Canonumque accuratissimam observantiam in tuendo pauperum patrimonio. Intestati Episcopi bonorum censum fieri voluit confestim à Presbyteris & Diaconis Concilium Tarraconense, descriptis mobilibus & immobilibus omnibus *Sicubi defunctus fuerit Episcopus intestatus, à Presbyteris & Diaconibus de rebus ipsius inventarium fideliter conscribatur, à minimo usque ad maximum, id est, de utensilibus, vel omni supellectili, &c. Can.12.* Non ergo proximi defunctorum Episcoporum ad eorum ædes accedebant, non hereditа-

ßitati se interponebant, & ex hac Ecclesiæ & Cleri potestate, ubi intestati obierant Episcopi, utcumque colligitur qualia essent Episcoporum testamenta.

II. Quod ad cognatos attinet, multò apertius est Concilium Valentinum. Cum enim plerisque sua essent patrimonia Episcopis, eaque integrum esset ad proximos traducere; edixit hoc Concilium, ut cognati Episcopi demortui & intestati, accederent ad ejus successorem; aut si ejus ordinatio diutiùs procrastinaretur, ad Metropolitanum, ut hæreditaria ipsis bona redintegrarentur, ac vicissim res Ecclesiæ intactæ incolumesque servarentur. *Parentibus & propinquis decedentis Episcopi, si intestatus obierit, denuntietur, ut sine Metropolitani vel Comprovincialium Sacerdotum conscientia nihil de rebus defuncti occupare pertentent; ne fortè cum hæreditariis rebus, etiam aliqua ad Ecclesiam pertinentia, vel permixta usurpent: sed usque ad ordinationem futuri expectent Antistitis, aut certè, si longum fuerit; ad Metropolitani ordinationem recurrant.* Can. 3. Erant ergo inaccessa proximis Episcoporum defunctorum bona, nisi ea ipsi hæreditaria esse approbassent.

III. Dilucidior adhuc res est in Concilio Hispalensi I. Cum enim ibi Ecclesiæ Astigitanæ Diaconi expostulassent de Episcopo suo, qui ante obitum suum aliquos manumisisset Ecclesiæ servos, alios cognatis donasset: à Concilio pronunciatum est, non potuisse ab eo servos Ecclesiæ in libertatem vindicari, nisi aliqua per eum accessio facta esset rebus Ecclesiæ proprio dispendio patrimonii, propterea quod irritas decernunt sacri Canones largitiones omnes Episcoporum, qui cum iis nec filii, nec nepotes sint, hæredes præter Ecclesiam illi alios scribunt. Indulgentius tamen hîc agi placuit, & his libertis asserta est libertas semel concessa, dum ipsi, liberique in patrocinio essent Ecclesiæ, quæ in eorum bona succederet, si sine justo herede morerentur. Nec ulteriùs progressa est Concilii remissio & lenitas. *In extraneam non liceat eis personam quidquam transmittere, &c. Si qui eorum sine hærede decesserint, peculium eorum sancta proficiat Ecclesia.* Can. 1. 2.

IV. In irritum enim illa fuerat missa donatio, qua servos Ecclesiæ cognatis Episcopus suis adscripserat, nisi donis aliis non imparibus Ecclesiam ille suam affecisset. Iniquum est enim, ut qui opibus Ecclesiæ sustentatur, nec suis eam impertit omnino bonis, illam ipsemet aliorum donis spoliet. *Ea verò mancipia, quæ memoratus, de jure Ecclesiæ sublata, suis proximis contulit, si similia de proprio suo Ecclesiæ ipsi non compensavit, Ecclesia vestra absque aliqua oppositione recipiat. Durum enim est atque irreligiosum, ut Episcopus, qui Ecclesiasticis stipendiis vivit, & proprietatem suam lucris Ecclesiæ minimè confert, aliorum oblationes à jure Ecclesiastico privet.* Can. 2. Perspicua est, & latissimè patet hæc sententia, nec vel limites ullos patitur, vel tergiversationes.

V. In Concilio Toletano IV. concessum est Presbyteris, Diaconisque Parochias iuris administrantibus, ut libertate donarent servos Ecclesiæ, si quos ex eis & literarum peritia & innocentia vitæ commendarent, ut non immeritò Clero inscriberentur. Sed ea addita est conditio, ut horum libertorum, ubi fato functi essent, ad Ecclesiam res omnes revocarentur. *Quidquid talibus aut per libertatem concessum, aut successione extiterit debitum, aut à quolibet quoquo modo collatum, non licebit eis quidpiam inde in extraneas personas transmittere, sed omnia ad jus Ecclesiæ, à qua manumissi sunt, oportet post eorum obitum pertinere.* Cap. 74. Ut hi liberti cum rebus suis in patrocinio erant Ecclesiæ, ita nec sinebat Ecclesia res eorum ad alios transfundi hæredes.

VI. In Concilio rursus Toletano IX. Episcopi & Administratores rerum Ecclesiæ omnes jubentur si quid novi acquirant, Ecclesiæ nomine id facere, ne quos ditavit Ecclesia, ab his ipsa spolietur. *Non enim convenit, ut Ecclesia, quæ suscepit externum, efficiat in alieno divitem, & in suo recipiat fraudatorem.* Can. 4. Si quibus verè eorum hæreditaria sint patrimonia, præcipit Concilium, ut quidquid de novo sibi compararint, id inter eorum hæredes & Ecclesiam dividatur, pro modo rerum Ecclesiæ & proprii ipsorum patrimonii. *Compensata tam juris sui, quàm Ecclesiasticarum rerum ambitione, si se utriusque rei quantitas exæquaverit, inter Ecclesiam & decedentis hæredes, æquo jure conquisitio pertinebit. Sin autem qualibet pars majori cumulo sui juris excreverit, etiam portionem in divisione percipiet.* Si quo verò dono, aut beneficio ab amicis suis hi afficiantur Episcopi, vel Beneficiarii, *pro sui utilitate, atque amicitia*, copia fit illis, ut illud sibi retineant, dentque cui volent; ita ut si ante obitum suum illud nemini contulerint, ad Ecclesiæ jus redeat. *Si post eorum mortem inordinatum fortasse remanserit, Ecclesia hoc sibi, cui præfuit, vel minister extitit, in perpetuo vindicabit.*

VII. Hinc liquet jam iisdem legibus innodari cœpisse Beneficiarios omnes, quibus antiqui Canones solos videbantur Episcopos vincire. Ita quippe consentaneum erat, cum jam plerisque Beneficiariis, præter distributiones, assignaretur etiam aliquid prædiorum; quæ cum alimentis pauperum ipsa sui ab origine dicata sint, necesse omnino erat proventus eorum omnes in pauperes erogari. *Sacerdotes, vel quicumque illi sunt, quibus Ecclesiasticarum rerum cura commissa est, &c. Quicumque de prædictis Sacerdotibus vel Ministris, &c. Ecclesia cui præfuit, vel minister extitit. &c.* Ibid. c. 4. Videntur his quidem verbis soli demonstrari Episcopi, Presbyterique, & eorum ministri, hoc est Diaconi; sed nimirum illis solis fundi Ecclesiæ aliqui commendabantur.

Cum hoc denique Concilio permissi essent Episcopi vel Cœnobium extruere & dotare, assignata ei parte quinquagesima redituum Ecclesiæ suæ, vel Parochiam assignata parte centesima, cum permissi rursus essent Ecclesiæ alicui adjudicare tertiam partem oblationum ex aliis Ecclesiis sibi debitarum: non tamen sinuntur vel tantillum cognatis largiri: quin his interdicitur, ne vel summis digitis attingant hæreditatem demortui Episcopi, nisi conscio Metropolitano; vel si Metropolitanus is sit, successore, vel Concilio Provinciali. *Propinqui morientis Episcopi nihil de rebus ejus absque Metropolitani cognitione usurpare præsumant. Quod si is, qui recessit, Metropolitanus fuerit, hæredes ejus aut successorem illius, aut Concilium sustinebant.* Ita necesse erat, ne proximi & hæredes morientium involare possent res Ecclesiæ ab illis diu administratas. *Ne passim hæreditatis adeundæ data licentia, de rebus Ecclesiæ aut non reddatur ratio plena, aut fraus inveniatur illata.* Can. 4. 6. 7.

VIII. Hæc eadem verò non multò post lex ad successiones Presbyterorum & Diaconorum ampliatur, ut qui uni jam donari cœpissent fundis & prædiolis Ecclesiæ quibusdam, præter sportulas & esculentas distributiones. *Quod si Presbyter aut Diaconus fuerit quos obiisse constiterit, non sine cognitione sui Episcopi, rem ejus hæredibus adire licebit.* Ibidem. Si quis ex cognatis hoc se gyro non cohiberet, is fur & latro sacrilegus audiebat. *Invasionis damno legis sententia subjacebit.*

IX. Concilii Toletani X. Patribus circumcidendæ visæ sunt largitiones immodicæ Ricimeri Dumensis Episcopi, conquerente Dumensi Clero ultra modum omnia in pauperes effusa fuisse ejus testamento. Præter longè plurimos enim servos, quos

ille

ille vel vinculis exemerat servitutis, vel aliis dederat: jusserat præterea in pauperes erogari quidquid recooditum esset io penuariis Ecclesiæ, pecuniam omnem, & mercedes laboris opificum, qui in ergastulis erant Ecclesiæ, utriusque sexûs, denique quiquid à se ipso acquisitum fuerât, tam vili pretio siogularum rerum defixo, ut non tam vendi, quàm deperdi viderentur. *Quę aut de opere utriusque sexûs artificium familiarum Ecclesię potuit habere coufecta, atque illata, ut quę sua professione habuisse visus est conquisita, omnia moriens jussit pauperibus erogari.* Vel ipsi Concilio consultissimè placuit his in pauperes inconsideratis moderari largitionibus, quòd vel pauperum ipsorum maximè interesset, ne earum brevi fonics exarescerent. *Iu quoddam rationabili authoritate temperamentum deducere.* Itaque perspecto nihil Ricimerum Episcopum de patrimonio proprio delibasse, quod Ecclesiæ adjiceret, atque adeo nihil potuisse ipsum de rebus ejus deterere, vel donare: potestatem fecit Episcopo novo confirmandi vel revocandi manumissiones illas omnes servorum, vel donationes; erogationes verè iu egenos faciendas distulit, donec damna Ecclesiæ illata sarcita fuissent.

X. Ab hoc exemplo, quantomlibet vitioso, non pauca tamen emicant, quæ juvet prositque observasse. Hinc enim patet, ut levandis pauperibus, quàm ditandis propinquis addictiores essent Episcopi. His adde quod toto mox Capite diligentiùs pertractabitur, cum Episcopi utplurimum testamento multa pauperibus legarent, Clericisque, hinc post eorum mortem non rarò expilatas fuisse domos Episcopales. Quorum muneris erat, & potestatis eas prędationes coercere, illis res non satis feliciter plerumque cessit, quo tandem factum est, ut qui vindices esse debuerant, jam socii & participes essent.

XI. Nova in hanc rem decreta promulgavit Concilium Emeritense, sed quibus ferè prisci tantum Canones confirmarentur. Statuit enim ne infirmari à novo possent Episcopo præcessoris sui donaio amicos, vel libertos, vel servos facta de rebus Ecclesiæ, ubi constaret plura triplo Ecclesiæ per illum accessisse. *Quidquid amicis, servis, aut libertis, vel quibuscumque personis de Ecclesiæ suæ rebus compertus fuerit aliquid donasse, si triplum, aut multò plus patuerit esse, quod conscripsit in nomine Ecclesię suę firmum maneat, quod distribuit in persouis, qua pręnotatę sunt, superiori ordine.* Can. 21. Ea erat laus & facultas Episcoporum, qui Ecclesiæ triplo plura dedissent, quàm abstulissent. *Si Episcopus Ecclesiæ suę, in qua prędidet, de rebus suit inventus fuerit plurima contulisse; quidquid amitis, &c.*

XII. Succurrit & alias, ubi possit Episcopus res Ecclesię suę dilargiri. Si quibus Ecclesiæ rerum & causarum Ecclesiæ dispensatio commendata est, ea illi diligentia, fide, industria, & felicitate adlaborent, quę laudis & mercedis aliquid meritò deposcat, fas erit Episcopo decimam illis partem addicere mobilium, quę per eos fuerint Ecclesiæ recuperata: immobilium verò quanta illis portio decidenda sit, pro arbitrio & prudentia sua Episcopus æstimabit. *De mobili ne decimam suam sequantur; pro immobili ab Episcopo repensationem dignam accipiant. Ibidem.*

XIII. Est & ubi ex Legibus Visigothicis viduę & filii Episcoporum fundos retinere aliquos Ecclesiæ possint; si modò in Clero, vel in obsequio perstent Ecclesiæ; si verò desciscant, spoliandi erunt. *Hæredes Episcopi, seu aliorum Clericorum, qui filios suos in obsequium Ecclesiæ commendaverint, & terras, vel aliquid ex munificentia Ecclesiæ possederint; si ipsi in Laicos reversi fuerint, aut de servitio Ecclesiæ, cujus terram vel aliquam substantiam possidebunt, discesserint, statim quę possidebant, amittant, sed & viduę Sacerdotum, vel aliorum Clericorum, qua filios in obsequium Ecclesiæ commendant, pro sola miseratione, de rebus Ecclesiasticis, quas pater tenuit, non efficiantur extorres. L.5.Tit.1.c.4.*

XIV. Fidem faciet huic Capiti mira & luculenta cautio earundem Legum Visigothicarum, ne irreperent, irrumperentque in res Ecclesiæ cognati & proximi Beneficiariorum. Cum primùm Episcopalem inaugurationem consecutus est Præsul, recensionem facere jubetur rerum Ecclesiæ, adhibitis ad testimonium quinque probatissimis civibus ejus urbis, quorum & chirographa adjicientur. Ubi vita ille migrabit, successor ejus juxta hanc recensionem res Ecclesiæ requiret; si quid dilapidatum sit, id hæredes & proximi resarcient. *Ut mox Episcopus fuerit ordinatus, statim rerum inventarium de rebus Ecclesiæ, pręsentibus quinque ingenuis viris, facere non moretur, &c. Post Episcopi obitum, dum alter fuerit Episcopus ordinatus, secundùm rerum inventarium res requirat Ecclesię; Et si quid deminutum de rebus Ecclesiæ provenerit, proprii hæredes Episcopi, vel quibus facultas ejus pertinere, vel relicta esse videatur, de prędecenti satisfaciant facultate. Ibidem c.2.* Quæ eadem lex ad Presbyteros permanat, & Diaconos Parochiarum. *Quam legem & de Presbyteris vel Diaconibus, in omnibus observari, & valere pręcipimus.*

XV. Exemplo Fulgentii patefecit Ecclesia Africana, suorum Præsulum quæ voluntates ultimæ, quæ testamenta essent, ubi ex mortali hoc corporis ergastulo in immortalitatis patriam demigraturi erant. Paulò ante mortem Oeconomum Ecclesię suæ percunctatus est Fulgentius, quantum pecunię superesset, eamque illico omnem io pauperes jussit effundi, singulorum ipse nomina percensens, & eos sibi hæredes adsciscere certus, qui terris emigranti cœlum panderent. Audiendus Ferraodus Diaconus in ejus vita. Cap.30. *Pauperum curam gerens, requisita summa pecunia, de qua fidelissimus dispensator quotidie egentibus ministrabat, totum jussit expendi; per seipsum memoriter recolens viduarum, pupillorum, peregrinorum, cunctorumque illic indigentium nomina, quibus quid sigillatim daretur, propria deliberatione constituit; Hæredes in hoc sæculo non habens, hæreditatem tamen hujus benevolę sollicitudinis pauperibus dereliquens.* Nec sui illi Clerici excidere in hac extrema in pauperes largitate, ut quorum oon paucos pręmeret egestas: *Sed nec suos Clericos debita benedictione fraudavit, ipsorumque paupertati misericorditer consulens, &c.* Quo rursus exemplo declarantur publicæ tum illæ largitiones in pauperes & in Clericos, quarum postea occasione emersere prædæ & grassationes eę, de quibus iofrà copiosiùs.

CAPUT XLIII. *P.2.l.4.c.24.*

De Testamentis Abbatum & Monachorum, ab anno Christi quingentesimo ad octingesimum.

I. II. Varia ex B. Gregorio Papa probationes, tam de patrimonio suo testari potuisse Monachos, quàm & in illud succedere.

III. IV. V. VI. Alia ejusdem rei probationes. Abbates & Abbatissę jure testari non poterant, cum res administrarent sacra sua Congregationis. Poterant ex dispensatione.

VII. VIII. Argumentu & alia ex Regula S. Benedicti, & S. Aureliani.

IX. X. XI. XII. XIII. Legibus Cæsarum & testari fas est Monachis, & hæreditates excipere. Quàm propitiæ illa sint, Cænobiis. Qui sui per ætatem, & rerum suarum compotes erant, ii ante professionem testabantur. Sin minùs facerent, Monasteria & liberi succedebant.

XIV. Argumentu ex Hieronymo Monachos testari potuisse post professionem etiam.

XV. XVI. Nec illis Evangelicæ perfectionis professio Monachos remorabatur, quin portione rerum suarum aliqua proximos donarent.

XVII. Qua ratione Episcopi & Xenodochiorum Administratores poterant, cu non poterant Abbates testari.

XVIII. Objectio Monachi testantis refertur, & diluitur.

XIX. De testamentis Abbatum & Abbatissarum.

I. ANtequam delabamur ad spolia Beneficiariorum hinc demigrantium, quorum vestigia quædam superioribus jam Capitibus impressa fuere: de testamentis Abbatum & Monachorum necesse est hic aliquid prælibari, cum & hi Beneficiariorum album relati sint, & singularis eorum professio habeat non pauca, quibus lucis aliquid aspergi necesse sit.

II. Indubium primò illud est, tam testari potuisse Monachos, quàm & succedere tribus his mediæ ætatis sæculis. Cum rescisset Gregorius Magnus Siciliæ Monachum Fantino defensori semissem bonorum suorum testamento legasse: quanquam minùs probaret ministrum Rumanæ Ecclesiæ ejusmodi dona suscipere: testamentum tamen confirmavit. *Fantinum Defensorem Joannes Monachus quidam moriens in sex uncias hæredem divisit; cui hoc quidem, quod dimissum est, trade, sed contestare eum, ut hoc facere ulteriùs non præsumat. Sed pro labore suo statue quid accipiat, &c. L.2. Ep.42.* Eadem Epistola rescindit Pontifex donationem à Moniali factam, quòd multò æquius esset res ejus adjudicari Monasterio in quod contrusa fuerat, ut pœnas daret impudicitiæ. *Donationem ancilla Dei, qua lapsa est, & in Monasterio data, omni postposita tarditate restitue, quatenus ipse locus rerum ejus stipendia habeat, qui ejus sollicitudinis labores portat. Sed & quidquid ab aliis ex ejus substantia tenetur, recollige, & Monasterio præfato trade.*

III. Quo utroque sanè loco de bonis patrimonialibus agebatur, uti & rursus ubi in eadem Epistola Presbyteri, Diaconi, aliique Clerici ejusdem incontinentiæ infamia inusti, in Monasteria pro ejus usu sæculi in pœnitentiam compinguntur. Illis conferri res eorum omnes jubentur, saltem ex parte, si proximi eis sint, qui egeant eorum ope, utpote rebus necessariis destituti. *Si verò parentes habent, res eorum legitimis parentibus dentur, ita tamen, ut eorum stipendium, qui in pœnitentiam dati fuerint, sufficienter debeat procurari. Ibidem.* Si Clerici hi crimiiosi ex servis sint Ecclesiæ, assentitur quidem Pontifex, ut Monasterio in quod tradentur pœnitentiæ ergo, pensionis aliquid detur; sed ita prorsus, ut reliquæ eorum res in patronæ Ecclesiæ jus transeant. *Sed res eorum Ecclesiastico jure non subtrahi.* Quo id evincitur de patrimonii rebus agi.

IV. Irritari aliàs jussit idem Gregorius testamentum Abbatiæ, quæ post Professionem nescio quæ legaverat præter Imperatorum leges, quibus id genus testamenta exploduntur, & Cœnobio additur, quidquid novæ rei comparaverit Abbatissa. *Quia ingredientibus Monasterium convertendi gratia, ulteriùs nulla sit testandi licentia, sed res eorum ejusdem Monasterii juris fiant, aperta legis definitione decretum est, &c. Res ipsius eidem loco, ex eo, quo illuc ingressa, & Abbatissa constituta est, manifesto jure competere. L.7. Ep.7.*

V. Contrà verò Gregorius Probum Abbatem facultate donavit testandi, & legandi quidquid rei habuisset, antequam Abbatis officio fungeretur. In Synodo Episcoporum aliquot, Presbyterorumque & Diaconorum Ecclesiæ Romanæ hanc sibi veniam Canonum fieri postulavit Abbas, assensus est Pontifex. *Ut cum fratribus, filiisque nostris, quid statuendum sit, deliberare possimus. L.9. Ep.22.* Ejus autem dispensationis annuendæ ea erat causa justissima, quòd Probus ante eum in secessu religiosam ageret vitam, securus rerum suarum & testamenti incuriosus, quod ex legum vigore non nesciret successurum sibi filium in res omnes suas, etiam intestato; accidit ut Gregorio cum Clericis suis deliberante de vacante quadam Abbatia, *Cum filiis nostris tractaremus*, interveniret ex inopinato Probus, quod Gregorius non casu, sed cœlesti quodam providentiæ consilio evenisse interpretatus, ea illum statim Abbatia investivit, & in casum reluctanti, nec cessit, nec vel deliberandi spatium dedit. Erat ergo cum primis æquitati consentaneum illius ergo vincula solvi legum, quæ ideo Abbates & Monachos testandi potestate spoliant, quod ea uti cessaverint, cum tempestivum esset, ante professionem.

VI. Concessit denique Adeodato Monacho idem Pontifex licentiam scripto confirmandi donationem agrorum, quos dum sæculo valediceret, verbis nudis addixerat. Tantò pronior fuit Gregorius ad id annuendum, quòd secundùm leges ipsas donatio ea fuerat valitura. *Ipsa quoque donatio licitè possit jure subsistere, præcipuè in hoc, quod ab illis tribuitur, qui cum pompis suis sæculum relinquentes, ad Dei se eligunt conferre servitium. L.11. Ep.5.* Ex re autem erat futuras lites præsecari. *Salubriter amputandi causa litigii.*

VII. Idem præceperat in Regula Beatus Benedictus, ut qui ad religiosam professionem accessuri erant, sua priùs omnia vel pauperibus erogarent, vel Monasterio; quòd post professionem ne sui quidem compotes futuri essent, nedum rerum suarum. *Res si quas habet, aut eroget priùs pauperibus, aut facta solemniter donatione conferat Monasterio, nihil sibi reservans ex omnibus. Quippe qui ex illo die nec proprii corporis potestatem se habiturum sciat. Cap.58. 59.* Nobilium si filii sint, quos parentes Deo devoveant, parentes Abbas polliceri cogit, nihil unquam patrimonii filiis daturos; si quid agrorum Monasterio offerre velint, jus fasque esse, quin & usumfructum eorum retinere posse. *Si aliquid offerre voluerint in eleemosynam Monasterio pro mercede sua, faciant ex rebus, quas dare volunt Monasterio, donationem, servato sibi, si ita voluerint, usufructuario.* Pauperioribus pro suo modo idem juris est. At omnium rerum egeni si qui sint, nihilominus suscipiuntur eorum filii, si à parentibus offerantur. *Similiter autem & pauperiores faciant. Qui autem ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium suum coram testibus.*

VIII. Edidit & Regulam Monasticam B. Aurelianus Arelatensis Archiepiscopus, qua nodum alium expedivit, ubi parentes filiis suis impuberibus in Monasteria susceptis præmoriebantur, non edito testamento; tum enim Monachis illis junioribus gravibus hæreditatum sarcina injiciebatur. Jubet Regula, ut testamentum edant, cum idoneam ætatem assecuti fuerint, aut cum hæreditatem in potestate habuerint. *Qui verò minoris ætatis sunt, aut vivis parentibus in Monasterium ingrediuntur, chartas tunc facere compellantur, quando ætate probati fuerint, aut res parentum in potestate habuerint.*

Cap.47. Ex quo patet paternas hæreditates adiisse Monachos, & tum eos potuisse testari, & sua largiri Monasterio, pauperibus, proximis, etsi nihil sibi propriè retinere possent.

IX. Ea rerum constitutio utilitatibus Ecclesiæ tam accomodata, consentanea profectò erat Legibus Justiniani, qui liberis concesserat, ut invitis etiam parentibus Clero, vel Monasteriis nomen darent, nec verò extimescerent, ne ea de causa exhæredes fieri possent. Quin immo ne testari quidem parentes poterant, nisi decerpta bis tributaque legitima portione: & si quando minus illi officio fungerentur, vocabantur tamen illi Monachi in consortium hæreditatis, hoc est, eorum nomine Cœnobium ipsum; cui perpetuo jure & irrevocabili ea bona addicebantur, etsi Monachus ipse exitiali inconstantia & perversitate sæcularibus se rursum illecebris immergeret. *Ut non liceat parentibus impedire, quominus liberi eorum, volentes, Monachi, aut Clerici fiant, aut eam ob solam causam exhæredare. Sed si ipsi testamentum condant, necesse habento quadrantem illis relinquere. Sin autem hoc non fecerint, locus sit ab intestato. Quod si illi Monasteria, aut Ecclesias relinquant, atque mundani fiant, omne ipsorum jus ad Monasterium aut Ecclesiam pertinet. Cod. l.1. de Episc. & Cler. leg.54.*

X. In eam legem aliqua hic strictim adnotanda veniunt. 1. In eadem navi esse Monachos & Clericos, ut à sæculari vita æquè alienatos, & acerbioribus pœnis ulciscendos, si in eam revolvantur. 2. Legitimam portionem Clerici Ecclesiæ, Monachi Cœnobio addi, & irrevocabiliter addici, si alteruter à proposito deficeret. 3. Inde forsan erat, quòd parentibus ferè non minùs dolebat, filios suos Clero, quàm Cœnobiis adscribi. 4. Certè cum professio Monastica filios non exueret paterna successione, peropportuna & pernecessaria hæc erat lex Cæsaria, ad parentum avaritiam, & religionis incuriam cohibendam, quibus vilior erat filiorum jactura, quàm vel minimæ portionis caducorum bonorum.

XI. Sequenti Codicis lege plus etiam præfertur vigoris. Clerici & Monachi indiscriminatim habentur, quòd perpetuò se religioni & sanctimoniæ utrique dedicent. *Elegerit se Monasterio, vel Clero sociare, & reliquum vitæ suæ tempus sanctimonialiter degere. L.55. ibid.* Ex quo fit, ut propositi sui sanctitas ejicere illos non debeat eo gradu, & privilegio, quo potirentur, si è sæculi fæcibus nunquam emersissent: itaque frustrare eos non potest parens quarta successionis parte, potest ampliori donare: *Sin autem & amplius voluerint eis largiri, hoc eorum voluntati concedimus.* Si intestati excedant parentes; qui ex eorum liberis Clerici sunt, vel Monachi, ita vel soli, vel cum fratribus succedunt, ac si nulla speciali professione devincti fuissent. *Nullo eis impedimento ex sanctimoniali professione generando, sive soli, sive cum aliis ad successionem vocantur.* Denique ut pateat non tam filiis hæc indulta esse, quàm Ecclesiæ, vel Monasterio, si tam sanctæ professionis transfugæ fiant, tota illa successio eidem Ecclesiæ, vel Monasterio vendicatur. *Hujus legis Beneficia eos volumus obtinere, qui in Monasterio vel Clericatu perseveraverint. Nam si ad sæcularem conversationem remeaverint; jubemus omnes eorum res ad jura ejusdem Ecclesiæ, vel Monasterii, à quo recesserint, pertinere.* Cum Monasterium potius successisset, quàm Monachus, minùs mirum erat Monasterio potius hærere successionem, quàm desertori Monacho. Quod autem Clericorum quoque desertorum successio hæreditaria Ecclesiæ servaretur, peræquè ut Monachorum, hinc intelligas, quantum emolumenti ad Ecclesiam redire soleret ex patrimonio Clericorum.

XII. Et hæc quidem ad filios familias. Cæteros verò, qui se & sua in potestate habent, jussit idem Imperator, ut antè de rebus suis omnibus disponerent, quàm Monasticam regulam complecterentur quod deinceps ne sui quidem, nedum suarum rerum dominium sint habituri. *Quoniam nostræ pietatis lex vult eos, qui se Monasteriis dederint, seu viros, seu mulieres, antequam ingrediantur Monasterium, eo quò voluerint modo, quæ sua sunt, disponere, nec posse postquam ingrediuntur Monasterium, ulterius agere quidquam de propriis, utpote domini rerum non existentes amplius. Nov.76.* Cumque professio religiosa, & ipsos & ipsorum omnia Deo addiceret, jam non poterant vel repetere, vel à Monasterio sejungere & alienare, quæ ita Deo consecrata fuissent. *Eo, quod sanciverimus, hujusmodi viros ac mulieres, cum corpore & anima ipso ingressu ad Monasterium dedicare se suasque substantias in Monasterium, eo, quod domini harum ulterius non existunt.* 3. Declarabat denique Justinianus hujus legis vim in posterum, non in antecessum valituram: ideoque qui hactenus professi sunt, posse eos adhuc de suis, maximè in liberos testari.

XIII. His legibus quas nos hic ex Photii Nomocanone prompsimus, adjunxit & alias Photius ex eodem corpore Juris Civilis. *Nomocan. Tit.55. c.1. §.5.3.* Si qui in Cœnobium se abdit suis antè liberis legitimam assignavit portionem, reliqua hæreditas Cœnobii est, nec ex ea illi decerpere quidquam ulterius possunt, nisi supplementum. Cui substituta est hæreditas, si modò liberos suscipiat; etsi ne uxorem quidem ducat, sed in Monasterio profiteatur, integrum illi constabit jus substitutionis. Eodem jure gaudent, & quæ virginitatis voto se constringunt. Res ejus, qui Monasterio se addicit, in jus transferuntur Monasterii, si liberis careat; si sit ei proles, nec testatus fuerit ante professionem, poterit & posterius testari, dum ne legitima parte liberos fraudet; sed & sibi, hoc est, Monasterio legitimam servare partem cogetur; si in Cœnobio diem ante obeat, quàm testatus fuerit, legitima portione contenti erunt filii, reliqua hæreditas ad Monasterium devolvetur. Si migret Monachus à Monasterio suo in aliud, bona ejus Priori inhærebunt Monasterio, in quo & ipse hærere debuerat. *Justinian. Novel.5. & Nov. 123. c.38.*

XIV. Ex Beato Hieronymo sanctissimus Monachus Hilarion, & Palæstinæ Monasteriorum parens, hæreditatem, quæ sibi obtigerat, inter fratres suos & pauperes divisit, cœlesti ipse contentus patrimonio. *Reversus cum quibusdam Monachis ad patriam, & parentibus jam defunctis, partem substantiæ fratribus, partem pauperibus largitus est; nihil sibi omnino reservans.* At contra ex eodem Hieronymo Malchus Monachus, regulæ & professioni Monasticæ injuriosus, cum Monasterio & pauperibus sua impartiretur, sui quoque curam habuit, seposita sibi parte sua. Quanta verò eum postea calamitas oppresserit, nemini, ut opinor, non compertum est. *Venumdata possessiuncula partem erogarem pauperibus, partem Monasterio constituerem; quid erubesco confiteri infidelitatem meam? partem in sumptuum meorum solatia reservarem.*

XV. Cum idem verò Hieronymus Hebidiæ viduæ, explanaret Evangelicæ perfectionis elimatissima consilia, statim suadet pauperibus omnia elargiri, cum prole careret: pauperibus, inquam, non proximis, cum ita Christus ipse sempiterna sapientia præceperit. *Vade, vende quæ habes, da pauperibus, & sequere Salvatorem. Non dixit, da filiis, da fratribus, da propinquis; quos etiam si haberes, jure hic Dominus præferretur. Sed, da pauperibus, immo da Christo, qui in pauperibus pascitur. Tom.3. Epis. ad Hebid.* At quibus liberi sunt,

quarum maximè illustris est prosapia, sibi, illisque res suas partiri debent, hoc est seipsas, vel Christum potius filiis annumerare debeot, & æqua donare portione. *Si qua autem vidua habet liberos, & maximè si nobilis familiæ est, egentes filios non dimittat, sed ex æqualitate, & ut meminerit primum animæ suæ, & ipsam putet esse de filiis; & partiatur potius cum liberis, quam omnia filiis derelinquat, immo Christum liberorum suorum faciat coheredem.*

XVI. Hunc primum Sanctus Pater indigitat perfectionis gradum; qui mox tameo fatetur fas & integrum cuique esse hærere in gradu virtutis inferiore, & omnia sua proximis dimittere. *Non vis esse perfecta, sed secundum tenere gradum virtutis, dimitte omnia, quæcumque habes, da filiis, da propinquis. Nemo te reprehendit, si inferiora secteris, dummodo illam scias jure tibi prælatam, quæ elegerit prima. Ibidem.* Temperatissima hæc est Hieronymi doctrina, quade ille pluribus in Epistola ad Demetriadem de Virginitate servanda. Temperatius forsao & illud erat, quod ex eo de B. Hilarione narravimus. Non potest enim non in summò perfectionis fastigio collocari B. Hilarion; ex quo intelligitur ea incidere loca, tempora, personarumque merita, ubi vel sanctissimi viri, & perfectionis amantissimi, non tamen se posse, aut debere existiment proximos suos tota privare successione sua.

XVII. Diximus quid causæ fuerit, quamobrem tam indulgenter actum fuerit cum Monachis, ut testari possent, etiam post professionem, tam durè & tam austerè cum Abbatibus, ut per leges Canonesque testari haud eis liceret, nisi ex singulari dispensatione. Nimirum in potestate Abbatum, uti & Episcoporum, ac Xenodochorum erant bona omnia Congregationis, Monachorum, Clericorum & pauperum.

XVIII. Gravis autem incurrit difficultas ex testamento Venantii Monachi, qui Cœnobii desertor, uxore ductâ Cancellarius creatus est Italiæ, tum Patricius Siciliæ, Gregorio semper Papæ conjunctissimus. Nihil non tentavit Gregorius, ut eum ad Claustri secessum repetendum impelleret, spes eum fefellit sua, nec tamen ab ejus se amicitia & necessitudine alienavit. Quin ex adverso cum oblationes ejus respuisset Episcopus Syracusaous, vetuissetque mysteria in ejus ædibus celebrari: à Gregorio objurgatus est, jussusque & oblationes ejus accipere, & ipsemet in ejus Oratorio domestico sacris operari. Venantius denique mortis appetentis metu perterritus, prospiciensque testamentum quo sua natabus duabus legabat, à Judicibus & Ministris Imperii labefactatum iri, quod desertores Cœnobiorum jure testandi arceant leges Cæsarum; res natasque suas commisit Sedis Apostolicæ & Imperii tuitioni. Graviter ab eo peccatum est, ubi se Imperatorum defensioni commisit; eò enim pellecti sunt Judices sæculares, ut bona ejus occuparent omnia, & sequestrarent. Gregorius ne tum quidem cessavit ab eo per literas commonendo, ut vitæ fugientis reliquias conferret ad suæ salotis procurationem, ad Monasticum maximè habitum repetendum. Filias certè & res ejus tuitione Sedis Apostolicæ impertivit. Nemo sanæ mentis non magnopere admirabitur, tantam hanc austerissimi Pontificis indulgentiam io Monachum transfugam, in ejus conjugium, in filios, in substantiam omnem. *Gregor. l.1. Epist.33. L.5. Ep.42. 43. L.9. Ep.30. 31. Can.15.* Hunc sibi nodum objecit B. Bernardus in libello aureolo de Præceptis & Dispensationibus; nec enodavit. A' probabili non abhorres, Venantium de votis suis addubitasse, adversus ea reclamasse. Soadebat Gregorius, ut vel consilio suo acquiesceret, vel rem elimatissimè faceret examinari. Itaque aliqua dobitatione fluctuabatur Venantius, & Gregorius forsan ipse nonnihil pendebat animi. Ita cum subdubia res esset, ipse quidem ad id quod tutissimum esset, hortabatur Venaotium, non tameo interim abruptius aliquid sæviusque teotari debere existimabat.

XIX. Possent & Abbates nobis alii objici, & Abbatissæ, à quibus edita sunt testamenta. A' Coiotio nostro in Annalibus Ecclesiæ Franciæ, *Le Cointe. ann.695. n.6. an.732. n.1. 722. n.55.*, laudantur testamenta Irmioæ Abbatissæ Horreeosis apud Treveros, Adelæ Abbatissæ Palatiolensis, Videradi Abbatis Flaviniacensis, & his longè plura in Ecclesiasticis monumeotis. Sed non aliò spectabant testamenta hæc omnia, quàm ut quæ Ecclesiæ erant, ei coofirmareotur. Ita testabantur Episcopi non pauci, etiam quibus nihil erat patrimonii. Ea testandi ratio facilè coalescit cum Officio Administratoris. Si Abbatissę verò quæpiam hæreditaria prædia sua Ecclesiæ testamento adjecerunt, ea utebantur licentia, qua Gregorius Abbatem donavit. Si nulla autem memoretur illis dispensatio suffragata fuisse, is videlicet usus needum increbuerat, ut ad dispeosationes Pontificias recurreretur. Sed ubi suadebat Ecclesiæ utilitas, suprà vidimus Regulis etiam Monasticis firmata fuisse Monachorum testamenta de patrimoniis. Qua certè io re uoa est ratio Abbatum & Monachorum.

CAPUT XLIV. *P.3. l.4. c.19.*

De Testamentis Episcoporum & aliorum Beneficiariorum in Ecclesia Latina sub Imperio Caroli Magni & ejus stirpis.

I. Episcopi testamentis nec res Ecclesiæ, nec quas ipsi ei adjecissent, proximis legare poterant. Probatur ex Concilio Francofordiensi.

II. Rursum ex Concilio Parisiensi.

III. An in Concilio hoc permittatur Episcopus proximis dimittere, quæ post ordinationem suam ex patrimonii sui reditibus acquisierit.

IV. Legi eidem suberant Parochi.

V. Idem hinc infertur de cæteris Beneficiariis.

VI. Idem valet in accumulatis pecuniis, atque in agris coemptis.

VII. Leges hæ Synodales Regum Capitularibus confirmata fuere. Si Clericus, cui proximi non essent, intestatus moreretur, bona ejus ad Ecclesiam redibant, etiam patrimonia.

VIII. Si Parochus nil habuisset patrimonii, nihil comparare poterat, nisi nomine Ecclesiæ.

IX. Ejus rei probationes novæ ex Herardo, Aldrico, & Hincmaro.

X. Eidem legi Beneficiarios omnes subjicit Hincmarus.

XI. Exempla sanctissimorum Præsulum.

I. TUM Episcopis, tum cæteris Beneficiariis integrum erat, ea cognatis hæredibusque testamento transmittere omoia, quæ à Majoribus accepissent ipsi, vel ante ordinationem rei suæ adjecissent. Quæ ab Ecclesia verò obtioebant, vel quę de novo comparassent post ordinationem, ea post eorum mortem in immortalis eorum sponsæ Ecclesiæ jus cedebant. De iis dumtaxat, quę post ordinationem parantur, controversia fieri potuisset: sed quantis, oro te, ludificationibus & imposturis aditus patefactus esset, si Episcopo licuisset ea sibi

bi retinere, cognatisque, quæ de patrimonii sui proventibus parta esse venditasset? Cum enim amplissimi Administrator esset Episcopus patrimonii Clericorum in communi omnium, pauperumque, vix ac ne vix quidem discerni ac disjungi potuisset, quid ex propriis, quid ex communibus proventibus acquireretur, cum vel maximè uni Deo rationes redderentur. Hæc certissima ratio est legis ejus antiquissimæ, cui vigorem & pondus novum addidit anno 794. Concilium Francofordiense. *Can.41. Et propinqui vel haredes Episcopi, res, qua ab Episcopo sunt acquisita, aut per comparationes, aut per traditiones, postquam fuerit ordinatus, nequaquam post ejus obitum hareditare debeant, sed ad suum Ecclesiam Catholicè. Illa autem qua prius habuit, nisi traditionem ad Ecclesiam ex eis fecerit, haredibus & propinquis succedunt.*

II. Quod testamento legare non poterat, ne integra quidem valetudine largiri proximis valebat Præsul. Unde nec suo, nec ementito amicorum nomine coemere quidquam poterat, quod in hæredes transmitteret. Huic vetustissimæ legi cum frequenter illuderent Præsules, ei authoritatem pristinam redintegrare studuerunt Concilii VI. Parisiensis Patres anno 829. *Quoniam multi Episcoporum amore propinquorum suorum de rebus sibi commendatis, suo, aut quorumlibet amicorum nomine, pradia vel mancipia emunt, & ut in propinquorum suorum jus cedant, statuunt; & ob hoc, & jura Ecclesiastica convelluntur, & ministerium Sacerdotale fuscatur, immo à subditis detrahitur & contemnitur. Placuit omnibus, ut hoc deinceps avaritia genus caveatur, &c. Et postquam Episcopus factus est, quascumque res de facultatibus Ecclesia, aut suo, aut alterius nomine qualibet conditione comparaverit, decrevimus, ut non in propinquorum suorum, sed in Ecclesia, cui praest, jura deveniant. Can.26. Capitul. l.5.c.327.* Mirum est tantopere tunc increbuisse tam pestiferam corruptelam, qua vel Laici ipsi ad Cleri contemptum justissima indignatione adducebantur. *Multi Episcoporum.*

III. Eo tamen ipso Canone finis & modus aliquis priscis Canonibus adhiberi videtur. Nam cum nulla exceptione rerum, aut pretii, regulæ hactenus Canonicæ Ecclesiæ addicerent, quidquid Episcopi semel ordinati acquisissent: hic manifestè & disertè separantur, quæ acquiruntur *de rebus sibi commendatis, de facultatibus Ecclesiæ*; ab iis, quæ coemuntur ex patrimonii proprii fundis, reditibusque, ut horum libera potestas sit ad consanguineos transferendorum. *Ut Episcopus res sui juris, quas aut ante Episcopatum, aut certè in Episcopatu hereditaria successione acquisivit, secundùm authoritatem Canonicam quidquid vult faciat, & cui vult conferat.* Video contrà posse quempiam niti, ut non alia ad proximos trajiciat Episcopus ex hoc Canone, quàm quæ *hereditaria successione* post ordinationem suam suscepit, non quæ qualicumque parcimonia redituum patrimonialium coemerit, quode silet prorsus iste Canon. Sed cum non adjudicentur hic Ecclesiæ, nisi quæ de novo comparata fuerint ex reditibus sacris, *de facultatibus Ecclesia*, hinc probabili conjectura assequimur, vel ipso Canonis silentio copiam fieri, ut proximis leget Episcopus non patrimonia tantùm sua, sed & eorum fructus, & parta ex his fructibus nova prædia.

Eccur autem hoc demum Canone nova hæc Canonum antiquorum moderatio restrictioque in lucem proferatur: ea non absurdè conjicitur fuisse causa, quòd non ita jam Episcopi administratores omnium prorsus Ecclesię rerum essent, ut pridem fuerant; quòd plures jam portiones detruncatæ fuissent, vendicatæque Parochis, Xenodochiis & Capitulis. Aut quòd jam Oeconomis, Presbyteris, Diaconis Episcopalis rerum Ecclesiæ administratio explorata, apertaque ita esset, ut nihil dubitationis residere, nihil fraudis intervenire posset, in dignoscendis ac dijudicandis iis, quæ de novo comparabantur, ex propriis Episcopi, an ex communibus Ecclesiæ fructibus.

IV. Eodem verò Canone Parochi jam æquè ac Episcopi continentur, ut nomine Ecclesiæ emant, si quid emunt: uni que illi possint addicere, quidquid de ejus proventibus accumularint vel pecuniæ, vel prædiorum. *Similiter & de Presbyteris, qui de Ecclesiarum rebus, quibus prosunt, pradia eo modo emunt, faciendum statuimus. Quoniam multos Presbyterorum occasione taliter emptarum rerum Ecclesiae, quibus prasunt, expoliasse, & à suo ministerio multis modis exorbitasse, & se diabolo mancipasse, multosque Laicorum ex hoc facto in scandalum damnationis & perditionis protruxisse cognovimus. Ibid.*

V. Duo restant, quæ exprimamus ex hoc Statuto, magnopere consentanea, non disciplinæ tantùm Canonicæ, sed ipsi æquitati, & ingenitæ nobis rationis ac sapientiæ legi. Primum est ad omnes Beneficiarios omnino pertinere, dictante ratione ipsa & lege insita sapientiæ, ut non possit non ad Ecclesiam revocari, quidquid comparatur de reditibus Ecclesiarum, *de rebus Ecclesiarum.* Ipso enim genere Beneficiariis bona Ecclesiæ non sua, non propria, sed commendata sunt, ut eorum non domini, sed administratores sint, & Oeconomi. At Oeconomi ex rebus suæ fidei & curæ commendatis, non suam, sed Ecclesiæ rem augere possunt.

VI. Alterum est, Beneficiarios nihilo plus potuisse in proximos transferre residuas ex sacris reditibus pecunias, quàm terras domosque his peculiis emptas. Si possint enim pecunias reliquas in hæredes transmittere, possunt & coempta ex his pecuniis latifundia. Sed ipsa ratio & natura depositi, ac depositi sacri, Deo pauperibusque dicati, non patitur his avaritiæ sordibus ac præstigiis sibi fraudem fieri. *Non sunt res Ecclesia, ut propria, sed ut Dominica & à Deo commendata tractanda.*

VII. Huic porro Concilii Parisiensis Constitutioni Imperatoriæ etiam legis vis & potestas accesserat, cum Capitularium libris includatur. *L.5. c.275.* Ut hinc quoque intelligas, non Episcopis & Conciliis, quàm Cæsaribus ipsis Christianis chariores fuisse res & opes Ecclesiarum. Quod ipsum ex alia rursus patet lege Capitularium Caroli Magni, qua edicitur, ut Clerici intestati & proximis carentis hæreditas ad Ecclesiam veniat. Quod ipsum valet & in Monialibus, quarum res pari conditione ad Cœnobium transferuntur. *Si quicumque ex gradu Ecclesiastico sine testamento & sine cognatione decesserit, hereditas ejus ad Ecclesiam ubi servivit devolvatur. Similiter de Sanctimonialibus. Addit.3. c.17.*

VIII. De Parochis admonent Capitularium libri, quod æquè ad Beneficiarios exporrigatur omnes: Si nihil illis rei suppeteret, antequam Beneficio illo ornarentur, nihil possint nisi Ecclesiæ acquirere. *Ut Presbyteri omnes ordinati, pradia comparantes, Ecclesiis confirment. Addit.4. c.98.* Soli his legibus nominatim memorantur Episcopi & Parochi, quòd soli ab Ecclesia acciperent, unde non vitam tantùm tolerare possent. Sed cum jam essent, quibus aliqua Ecclesiæ prædiola utenda fruendaque permitterentur præter quotidianas distributiones, quibus esset & si fors aliquid patrimonii, his adeo non fas erat proximis dimittere, quæ ex sacris proventibus sibi redundarent, ut vehementer admonerentur ipsis suis abstinere distributionibus; cum his egerent pauperes, ipsis aliunde opes abundarent.

IX.

IX. Capitularibus suis, seu Synodicis Constitutionibus banc eandem regulam intexuit Herardus Archiepiscopus Turonensis: *Ut res quas in sacris Ordinibus adquisierint, propriis Ecclesiis dereliquant. Cap.44.* Concessione Ludovici Pii Imperatoris testamenti tabulas scripsit Aldricus Cenomanensis Episcopus, non sine assensione Metropolitani, & Episcoporum Provinciæ, ne post ejus mortem in ejus successione impetum facerent deprædatores, utque ea ex asse distribueretur Ecclesiis, Monasteriis, pauperibus, Clericis, & famulis ipsis suis. *Cum licentia Ludovici Imperatoris, & consensu Metropolitani, seu cæterorum Comprovincialium Episcoporum, &c. Considerare cœpi, qualiter facultatula mea, post obitum utiliter & rationabiliter in utilitatem Ecclesiæ & meam eleemosynam dispensata; ne fortè, quod absit, aliquis sibi ea rapere faciat, sicut in multis factum cognovimus; sed omnia in utilitatem Ecclesiæ, & sustentationes nobis famulantium, seu supplementa nostrorum Clericorum, aut Monachorum, quàm Canonicorum, sive adminicula Laicorum, qui nostra Ecclesiæ, & nobis famulari videntur; necne in alimenta pauperum, &c. Baluz. Misc. Tom.3. p.85.*

Id ergo causæ erat ut testarentur Episcopi, etsi de commendatis sibi tantùm rebus; ea quoque erat forma, quam sequerentur Episcopi in testando. Ut ne eorum successio compilaretur, sed integra Ecclesiæ, Clero, pauperibus servaretur. Est autem in hac Aldrici rerum distributione, quo delectetur, quo pascatur pia curiositas, & ingeniosa charitas; opes bic immensæ, sed charitatis opulentia multò effusior splendidiorque. Denique charta ipsa ad nostrum hoc ævum pervenit, qua testamentum à Principe confirmatur.

Constitutioni suæ consimilii Hincmarus Remensis Archiepiscopus minas dirasque terrificas addidit adversùs Parochos, qui agros emerent proximis dimittendos, contestatus, si quo suo flagitio Parochiis suis ejicerentur, non passurum se ut his agris fruerentur. *Quosdam vestrùm Ecclesias vestras negligere, & alodes audio comparare, & in eis mansos extruere, atque excolere, ac in eisdem mansis fœminarum babitationem habere; eosque mansos non Ecclesiis secundùm sacros Canones derelinquere, sed contra sacros Canones vel propinquis vestris, vel aliis quibuscumque distrahere. Unde sciatis, quoniam à quocumque hoc fieri comperero, secundùm canonicam severitatem judicare curabo. Nullus enim alodem Episcopus vel Presbyter meliùs vel firmiùs potest habere, quàm qui est Ecclesiæ attributus, si secundùm suum Ordinem vivere voluerit. Sin autem ordinem pro sua culpa perdiderit, nec alodem, quam à die ordinationis suæ de Ecclesiasticis facultatibus acquisivit, habere valebit. Conc. Tom.3. p.640. Hincmar. Tom.1. p.736.*

X. Ex Commonitorio verò, seu Capitulari Hincmari ejusmodi ad Decanos Rurales, ubi ab eo descripta erant, quæ moneri oporteret Parochos ab Episcopo, Episcopum à Parochis, non pauld manifestiùs patet ejus tum flagitii atrocitas, & latè fusa lues. Eo enim proditur. 1. Non Parochos solùm, sed Beneficiarios omnes ea lege obligari, ut ex proventibus Beneficii nihil coemere possent, quod non eidem Ecclesiæ accrescere deberet. 2. Quod acquisierint, ne Ecclesiæ quidem alteri, vel Monasterio adscribi posse, injussu Episcopi sui. 3. Ubi suis honestè, ubi pauperum cognatorum necessitatibus parcè consuluerint, ut pauperum, declarat Hincmarus nibil omnino recondi & servari in futurum, vel in alios usus ab iis potuisse, quod residua omnia pauperum sint, vel hospitum, & peregrinorum solatio dicanda. 4. Subjicit denique hoc ipsum fuisse olim Judæ facinus, qui quod pauperum in commune erat, uni sibi sumebat; nec usuram boc atrociorem videri posse flagitio, cum utrobique pauperum res à divitibus diripiantur. *Sicut nec suo, ita nec alieno nomine Presbyter, vel quilibet sub regula sanus exercere debet, multò miniùs autem fraudem facere de facultatibus Ecclesiasticis. Quoniam boc agere sacrilegium est, & par crimen Ananiæ & Saphiræ, atque Judæ furis, qui sacras oblationes, quæ ad usus fidelium ac pauperum mittebantur, asportabat & furabatur. Nam aliud est sine dispendio Ecclesiæ, amicis vel parentibus pauperibus, aut quibuslibet incestuosis ex charitate cum mensura & ratione subvenire, vel adjutorium ferre; & aliud cum destructione Ecclesiæ, vel dissipatione facultatum Ecclesiasticarum, quasi furtim, immo furtim, quæ Ecclesiæ esse debuerant, & usibus illius ac pauperum, seu hospitum impendi, carnalium carnaliter usibus sine divino respectu inservire. Et de nihil habentibus promotus Presbyter, non præsumat, quæ de facultatibus Ecclesiæ comparaverit, vendere, vel quasi ad casam Dei tradere, nisi ad Ecclesiam, cujus propriè esse debent, sine consensu Episcopi. Hincmar. Tom.1. pag.757. & tom.2. p.799. 800.*

Hæc eadem alibi rursus inculcat Hincmarus, eaque & Charthaginensium Canonum, & Novellarum Justiniani authoritate astruit, & Epistolis Gregorii Magni. Sed ubique idem constantissimè retinetur modus. Nibil proximis suis largiri Parochos fas est, nisi egenis: & ubi egent, vestes tantùm suppeditare, & quo vescantur. *Reliquos propinquos, si juxta se habere voluerit, de sua portione sive stipendio Ecclesiæ vestiat, atque pascat. Nam aliud est, parentibus pauperibus subvenire, aliud, &c. Ibidem.*

Possent his nova ex Reginone, *p.25. 228. 604. 613.*, accersi præsidia, unum addam, quod ille quasi ex Triburiensi mendicat Concilio. Eo edicitur, ut quibus Parochis suppetit patrimonium, ejus fas sit eis bessem, quibus volent donare reliquam partem tertiam nefas sit Ecclesiæ suæ non dare. *De peculiari Sacerdotum nihil sibi laici usurpent, sed de duabus partibus faciant Presbyteri, quod eis visum fuerit; tertiam secundùm Canonum jussa, quibus serviunt, relinquant Ecclesiis. L.1. Eccles. Discip. c.39.* Non ii erant illorum temporum, vel Conciliorum Antistites, qui sinerent de rebus Ecclesiæ vel tantillum in proximos effundi, cum peculii & patrimonii ipsius partem saltem tertiam vindicarent Ecclesiæ.

XI. Nova nobis probatione muniendum superest, quod suprà paucis perstrinximus, si Clerici sine hærede, hoc est, sine proximis, & intestati, terris emigrarent, eorum in successionem venisse Ecclesiam. Ita enim habetur in vita Beati Meinwerci Paderbonensis Episcopi: *De proprietate Clericorum, si quis illorum sine herede obierit, eidem Ecclesiæ concessa. Surius die 5. Junii c.9. 26.* Sed nec alienum erit ab instituto hic nostro, commemorasse qua sanctissimus hic Episcopus ratione ad Episcopatum accitus sit. Cum illum eo investiret Henricus Rex, affirmavit Præsul ditiorem Episcopatum posse se privatis opibus, proventibusque fundare. Assensus est Henricus, & hac ipsa de causa declaravit pauperrimam se sponsam collocasse, ut ita invitaretur ipse Christum hæredem suum in terris scribere, atque ita ad cœlestem ejus hæreditatem aditum sibi strueret. *Quia id veraciter considero, ideo te inopiæ illius misericorditer subvenire desidero, ut illius in cœlo cohæres fieri merearis, cujus piam matrem in terris hæredem suam feceris.* Eo tunc in Ecclesiam animo erant Reges, eo erant & Episcopi. Beatus Udalricus Augustanus Episcopus, ante obituum suum mobilia Palatii Episcopalis omnia pauperibus, Clericisque suis distribuit; his etiam tribui voluit tertiam partem mobilium cæterarum ædium suarum, reliquis successori servatis. *Surius die 4. Jul. c.26.* Nobili cum esset & locupletissima stir-

stirpe B. Gebhardus Constantiensis Episcopus, fregit aliquando tandem contumaciam fratrum suorum, sibique dari evicit amplissimi patrimonii portionem legitimam, non quo ipse thesauros sibi terrenos aggeraret; sed ne fratribus dimitteret tantas opes ex mammona iniquitatis congestas, quibus illi in æternum demergerentur exitium; utque ipse pauperibus erogaret inania hæc omnia ludibria luxus & pompæ sæculi. *Vir Dei non cupiditate prædiorum, sed Dei, cui ea tradere cupiebat, amore succensus, suam partem possessionum à fratribus sibi dari postulabat. Illis autem negantibus, vi extorsit ab eis, ut omnia æqua lance dividerent, nec quidquam eorum, quod sua contigerat sorti, permisit habere. Hæc verò non malitia, sed divino zelo peragebat, ne fortè fratres periculum suæ incurrerent animæ, si aliquid sibi injustè usurpatum possiderent.* Enimverò sua mox ille omnia prorsus effudit in pauperes, ditissimus ipse sola Christi paupertate futurus. *De terrena ergo substantia, nihil sibi reservavit, sed cuncta Christi pauperibus fideliter erogavit. Surius die 27. August. c.9. 10.*

CAPUT XLV. *P.3. l.4. c.20.*

De Testamentis Episcoporum & aliorum Clericorum in Ecclesia Græca. De Testamentis Abbatum & Monachorum in utraque Ecclesia sub Imperio Caroli Magni & ejus stirpis.

I. In Oriente Episcopis per leges non licebat rerum acquisitarum post ordinationem, in partem vocare ullam proximos, vel amicos. Intestatis Clericis succedebat Ecclesia.

II. Nisi Episcopus die ordinationis suæ censum edidisset totius patrimonii sui, in jus Ecclesiæ veniebant res ejus omnes post obitum ejus.

III. Discrimen Episcoporum & aliorum Clericorum.

IV. Neutris fas erat, non aliqua peculii, vel patrimonii sub parte Ecclesiam donare.

V. Leges Cæsarum in Oriente ad testamenta Monachorum.

VI. Canones Ecclesiæ Græcæ in eandem rem.

VII. Et succedendi & testandi jus antiquum Monachis illibatum constabat.

VIII. Nec minus secunda & propitia Monasteriis erant Caroli Magni Capitularia.

IX. Exempla Monachorum hæreditates adeuntium.

I. Diximus jam in Photii Nomocanonem relatas fuisse Imperatorum leges, & ipsas maximè Novellas Justiniani, quibus non conceditur Episcopis, ut cognatos, vel amicos vocent in ullam partem rerum post consecrationem suam partarum, nisi eæ sint hæreditates patris, matris, patrui, avunculi, fratrum, cum reliqua omnia in censum Ecclesiæ sint transcripta, & post Episcopi mortem per Oeconomos administranda sint, rationes omnium aliquando præstaturos. Xenodochiorum administratores ea ligabantur leges, nihil ut nisi Ecclesiæ & pauperibus acquirerent. *In Nomoc, Tit. 10. c.6.* Episcopi, Clerici omnes, Diaconissæ, si sine hærede legitimo, & intestati obeant, hæreditatem adit Ecclesia. Clerici denique etsi sub potestate sint adhuc parentum, testari tamen possunt de rebus in Ecclesia partis, in morem castrensis peculii. Et id quidem ad Leges civiles spectat testamentorum, quibus non subest Clericus ratione peculii. Quanquam eo privilegio Cæsareo, nemo subducatur Legibus sacris Canonum, quibus solemniter sancitur, superflua Clerici omnia, pauperum esse.

II. Scitè verò monet Balsamon, *In Can. 22. Calch.*, nisi Episcopus ineunte pontificatu suo recensuisset, & in Inventarium contulisse patrimonium suum omne, tempore obitus ejus, res ejus protinus omnes in ærarium Ecclesiæ devolutum iri. *Tunc dicitur Episcopus res habere, & de iis disponere ac testari potest, quando ut vult quinquagesimus Canon Apostolicus, cum primùm fuit electus, quæ sunt sua propria & quæ Episcopatus descripsit. Nisi enim ita fecerit, omnia, quæ sunt ejus, ad Ecclesiam pertinent.* Addit Balsamon eo semel Inventario conscripto, etsi præfestino fato intestatus obeat Episcopus, videri sibi proximos ejus succedere; quanquam mordicus hærerent alii Carthaginensi Canoni, quo intestati successor Episcopi omnia ejus in potestate habet.

III. Scitissimè rursus idem Balsamon docet, ubi Carthaginensis Canon ipsi Ecclesiæ adjudicat mobilia omnia Episcopi morientis post ordinationem parta, exceptis iis, quæ ad eum devenissent donatione, legato vel hæreditate ipsi separatim obtingente, non tam strictè id ad reliquos Clericos trahendum esse. Rationem verò eam esse, quod acquirere de novo quidpiam haud possit Episcopus, nisi vel ex reditibus Ecclesiæ suæ, vel ex obvenientibus sibi successionibus. At Clerico artes suppetere longè plurimas congerendæ pecuniæ, si quapiam arte præcellat, si libros exscribat, si pueros literarum rudimentis imbuat; si calamum, manumque ei commodet, cui sit à secretis; si his aliisque artibus innoxiis non mediocres daret opes, & hinc fundos coemat, jure cogi non poterit hæredem sibi asciscere Ecclesiam. *Mihi videtur, quod in Episcopis quidem hoc locum habebit, quia nullus est eis alius modus, per quem res aquirant præter quam ex juribus Episcopalibus, & ex donationibus externis aut legatis. Et Episcopalia quidem Episcopatui tradentur; reliqua autem erunt eorum dominii, quemadmodum hic quoque Canon tractat. Clerici autem si postquam in Clerum recepti sunt, aliis modis, & non ex Ecclesia res emerint, non cogentur ea Ecclesiæ addicere. Si quis enim fortè Clericus, fiat puerorum ludimagister vel scriptor, vel magni alicujus viri subscriptor, aut à secretis, & magnas ex eo facultates paraverit, quare cogetur ea, quæ his rationibus adquisita sunt, Ecclesiæ addicere? In Can. 35. Carthag.* Non agitur Carthaginensi hoc Canone nisi de immobilibus, Balsamon autem proposita ea quæstione, an ad mobilia quoque traducenda sit eadem lex, respondet, æquè mobilia, atque immobilia hæc patrimonii pauperum rivulos esse, cujus administratores sunt Beneficiarii omnes, atque adeo ejusdem legis vinculo utraque constringi. *Cum autem Canon tractet de immobilibus, rogaverit quispiam an idem servari debeat, etiam in mobilibus; & existimo quod idem etiam in his fiet. Nulla enim est differentia mobilium, & immobilium, quod ad acquisitionem attinet. Ibidem.*

IV. Cum Carthaginensis denique Canon adjiciat, de propriis quidem hæreditatibus suis Episcopos jure suo & potestate libera uti posse: at si quæ semel Ecclesiæ donaverint, postea retractent, tum verò eo honore & gradu, quem obtinent, parum dignos habitum iri: hinc à Balsamone concluditur, Episcopos Clericosque non posse non aliquantulum saltem rei suæ familiaris Ecclesiæ legare; sed si vel tantillam ei portionem adjecerint, tum illam ei sibique vehementer & ex animo gratulaturam. *Nota autem Canonem, qui dicit, quod Episcopi & Clerici debent necessariò suis Ecclesiis partem*

ipsi sibi seculo premortui esse viderentur. Nec abhorret à verisimilitudine, hinc erevisse Laicorum licentiam ad invadendas eas, quę Monachis obvenissent hereditates, Cœnobiaque ipsa justissima hac spe ludificandi. Qua de re alibi plura.

CAPUT XLVI. *P.4.l.4.c.15.*

An Episcopi cæterique Beneficiarii proximos donare possint rebus ex Ecclesiasticis proventibus coemptis vel pecuniis ipsis; post annum Christi millesimum.

I. Connexio hujus quęstionis cum superioribus, & cum infrà dicendis.

II. Si nullę sint Beneficiario res, nisi Ecclesiastica, nihil illi fas est donare cognatis, vel legare. Probationes ex decreto Gratiani.

III. Probationes alię ex libris Decretalium. Doctrina Gręcorum Canonici Juris interpretum.

IV. Doctrina hujus delinimenta quędam, ut non possit tamen Beneficiarius largiri, nisi permodicum quid, & quidem egentibus, aut ut famulis justas rependat mercedes.

V. Nova argumenta, ex Joanne Salisberiensi, & B. Bernardo.

VI. Petro Blesensi.

VII. Ex sententia B. Thomæ Aquinatis, nec ex ea quidem redituum portione, quæ alendo Beneficiario dicata est, decerpi quidquam potest, & in proximos spargi, nisi pauperes sint; & hactenus tantum spargi potest, ut paupertate leventur.

VIII. Quæ Concilia Angliæ vetuerint quidquam omnino in proximos irrogari ex residuo reditu sacro. Iisdem legibus & in Italia locus erat. Luculenta Clementis IV. & Martini IV. exempla.

IX. Nec ab his dissonabant Conciliorum Hispaniæ decreta.

X. Mira Clementis VI. & Urbani V. exempla.

XI. Eadem Statuta seculo XIV. & XV. innovata.

XII. Luculentissima in eandem rem Concilii Tridentini Decreta.

XIII. Tridentinis his Decretis subscripsere Concilia posteriora.

XIV. Stupenda exempla Adriani VI. Marcelli II. & Beati Caroli.

I. Facillimè expediretur hæc quæstio, ex inconcussis illis placitis, quæ suo infrà loco operosiùs pertractabuntur, & quæ non potuerunt non hactenus aliquando strictim delibari. Si enim fundi & reditus Beneficiariorum patrimonia sunt pauperum; si eorum penes Clericos depositum est & administratio, non dominium, non proprietas: si ex iis parcè vesci possunt, lascivire, non superbire, ad luxum vel ad pompam: si parco victu dempto reliqua patrimonii pauperum semper esse censentur; hinc manifestè intelligitur, nihil ex his deteri aut decerpi posse, quo proximi munerentur, vel amici, nisi & ipsos paupertas commendet, ad levationem, non ad copiam. Sed cum certissimis pulcherrimisque his placitis minùs quandoque consentiant mores hodierni, operæ meæ pretium fore duxi, si historiæ traditionis tramitem perpetuum persequar, ut aperiatur quî & quo tandem tempore usus & doctrina alienior, recentiorque irrepserit.

II. Vexavit hanc quæstionem Gratianus in Decreto, 12. q.3. 4. 5., in quod & Conciliorum congessit decreta bene multa, in id nimirum conspirantia, exortes patrimonii Beneficiarios, nil posse acquirere, nisi Ecclesiæ nomine, nihil largiri; at si suo gaudent prætereà patrimonio, hoc seu superstites, seu fato proximos pro arbitrio suo distribuere posse. Hos Canones jam superioribus Capitibus suo quosque loco & tempore digessimus. Hic ergo id admonebimus unum, ævo Gratiani usu & moribus adhuc viguisse hos Canones, atque adeo senescente jam sæculo duodecimo, persuasissimum adhuc fuisse, nil proximis dimitti posse, earum pecuniarum, quas ex reditibus sacris cujusque parcimonia segregasset, vel fundorum his pecuniis emptorum.

III. Nihilo plus dubii est de jure Decretalium quod nunc Canonicum Ecclesiæ Jus celebratur. Titulo enim de Peculio Clericorum proferuntur duo Canones antiquissimi Concilii Arelatensis, quibus sancitur Parochum, cui non aliæ usquam, quam Parochiæ suæ res fuere, nisi Ecclesiæ nomine, nefas esse quidquam acquirere. *Investigandum est, nihil patrimonii habens Presbyter, quando promotus est ad Ecclesiasticum ordinem postea emerit prædia, cujus juris sint: quoniam Ecclesiæ, ad quam nihilo habens promotus est, esse debent, juxta Canonicam sanctionem. Presbyter cum Diœcesim tenet, de iis, quæ superemerit, ad ipsius Ecclesiæ nomen scripturam faciat, aut ab ejus ordinatione discedat.* L.3.Tit.25.c.1.2.4. Mox promitur Canon Concilii Remensis, quo edicitur: Si quid prædii Prælatus compararet ex Ecclesiæ reditibus, prædium ipsum dominii Ecclesiæ fore, quamvis alio quovis ementito nomine emptio facta fuerit. *Empta per Prælatum ex emolumentis Ecclesiæ efficiuntur Ecclesiæ, licèt Prælatus emerit nomine alieno.*

Obiter hic moneo, Balsamonem & Blastarem Monachum, *litera Gamma. c.17.*, in elucidando quadragesimo-octavo Canone Trullano, quo jubetur Episcopus curare conjugem, quam in Monasterium secedere cogit ejus ordinatio; non pati, ut Episcopus rebus Ecclesiæ suæ conjugem impertiat, nisi egeat. Cum enim nec ipsi fas sit Episcopo ex reditibus Ecclesiæ sibi decerpere, nisi quo necessitatibus suis prospiciat; multò certius est, nihil conjugi ipsum suæ largiri posse, nisi quantulum necessitas extorquebit. *Si ultra rei necessarias nihil ipsi Episcopo in suam personam de bonis Episcopalibus expendere permittitur; multò minus huic dabitur, si ex semetipsa victus necessariè habuerit.* Ad Latinos revocanda nunc est oratio.

IV. Proximo verò Decretalium Titulo, quo de Testamentis agitur, ita statuitur, non posse testari Clericos de mobilibus, quæ sibi ex rebus Ecclesiæ pepererunt, sed ante obitum posse aliquid in eleemosynas dispergere. Ita enim diffinit Alexander III. L.3.Tit.26. *Clericis de mobilibus, quæ per Ecclesiam sunt adepti, de jure testari non possunt. Viventes tamen & sui compotes moderatè valent aliqua de bonis ipsis non ratione testamenti, sed eleemosynæ intuitu erogare in ægritudine constituti.* Quibus in verbis singulis ea sunt momenta, quæ meritò sigillatim expendi debeant. 1. Certè enim hic primùm permittuntur Beneficiarii aliquid erogare bonorum Ecclesiæ, sed mobilium tantùm. *De mobilibus, quæ per Ecclesiam sunt adepti.* 2. Et ne ex eis quidem nisi pro modulo eleemosynæ erogare sinuntur. *Eleemosynæ intuitu.* Itaque nec nisi pauperibus quidquam sinuntur largiri. Pauperibus enim erogantur eleemosynæ. 3. Nec nisi perpusillum quid dare sinuntur. *Moderatè aliqua.* Quî autem appetente morte eleemosynæ cohiberentur, cum eo maximè tempore ad eas amplificandas hortetur Ecclesia? Hæc verò Alexandri III. Epistola ad Episcopum Cenomanensem scripta, in Additamentis legitur Concilii III. Lateranensis. *Parte 29. c.8.* Idem verò rursus ibidem confirmatur alio ejusdem

Alexaodri III. Decreto, eodem Titulo. Statuit enim non posse Beneficiarium de mobilibus Beneficii sui testari, sed ex iis ante obitum suum aliqua impartiri posse Xenodochiis, Monasteriis, famulis sive cognati sui sint, sive non sint, pro modo obsequii ab eis impensi: ne ei quidem indulgentiæ patrocinante nisi consuetudine. *Licèt mobilia per Ecclesiam acquisita de jure in alios pro morientis arbitrio transferri non possint; consuetudinis tamen non est improbanda, ut de his pauperibus & religiosis locis & illis, qui viventi servierunt, sive sint consanguinei, sive alii, aliqua juxta servitii meritum conferantur. Tit.26. c.12.* Quo decreto superius illud illuminari videtur, permittique ut servis aliquid detur, sed pro modo eleemosynę vel mercedis impensis obsequiis accomodatę.

V. Itaque juris etiam Canonici recentissimę Regulę, unum hoc probabant pari sapientia & charitate temperamentum ex consuetudinis novo aliquo lenocinio, quo rigor priscorum Canonum esset mollitus; ut posset Beneficiarius aliquid mobilium suorum distribuere, vel pauperibus, vel Congregationibus religiosis, vel famulis etiam suis, sive ex proximis, sive ex alienis, dum ea largitas præstito obsequio esset admensa. Permirum id à Baronio animadversum est, ex Joannis Salisberiensis Epistola approbatum, ab Adriano IV. Papa propriam ipsius parentem nullo donatam, nullo levatam subsidio, quamvis valde egenam; commendatam tantùm ab eo illam fuisse Ecclesiæ Cantuariensi, ubi egestatis comites ærumnæ identidem illam nihilominus conflictabant. *Quid fecit pro vobis Cantuariensis Ecclesia amator Adrianus, cujus mater apud vos algore torquetur & inedia. Baron. ann. 1159. n.23.*

Interpellavit Beatus Bernardus Episcopum Lincolniensem Alexandrum, ut assentiretur æs alienum Canonici, qui Hierosolymam proficiscens, apud Claram vallem, velut Hierosolymam aliam pœnitentiæ & salutis suæ procurationi accommodatiorem se defixerat, solvi ex reditibus Præbendę suæ, utque mater ejus usufructu gauderet ædiculæ ab eo inædificatæ fundis Ecclesiæ. *Rogamus cum illo & pro illo, quatenus de Præbenda sua, quod ipse creditoribus suis constituit, immobiliter stare faciatis; precatur deinceps ut domus, quam ipse matri sua in terra Ecclesia construxit, cum terra, quam ibi delegavit, eidem matri quandiu vixerit concedatur. Epist.64.* Matri suæ domunculam hic extruxerat in Ecclesiæ fundo, quod non nesciret eam Ecclesiæ juris futuram, quo illam cumque loco excitasset. Purgatus est ab eodem Beato Bernardo, & à calumnia vindicatus Abbas Latiniacensis, *Lagny.*, quem in crimen vocabant, quòd terris Monasterii cognatos donasset. Datas ille confessus est, sed ut extraneis in censum. *Respondetur sic illum dedisse suis, quomodo alienis, id est ad eundem censum vel consuetudinem. Epist.230.*

Mortali hoc stadio excedens Episcopus Altisiodorensis, nepoti suo mobilia, pecunias, & acquisitos fundos reliquerat. Is itineri statim se commisit, ut inconsultissimi testamenti confirmationem à Pontifice expugnaret. Literis ad Pontificem datis Bernardus, vehementissimè contestatus est, & Ecclesiam dehonestari, & defunctum Præsulem, si confirmaretur testamentum, tam inimicum Legibus Ecclesiæ, tam injuriosum sanctimoniæ Episcopi; denique vel commentitiam esse, vel à Stephano nescio quo fabricatam eam donationem, qui ejusmodi non semel præstigiis olim Episcopo eidem fucum fecerat. *Cum pauperibus & Ecclesiis, aut nihil, aut parum daret, nepoti suo carnali adolescentulo sæculari inutili totam pene quod acquisierat mensa Episcopali, Stephano suggerente & sollicitante dimisit, &c. Ajunt de mobilibus auros suos & proprias equitaturas, & cum minus illa sufficerent ad conficiendum iter, ut pro his firmandis ad vos veniret, jussisse tradi etiam Monasterii equitaturas. Epist.276.* Sive Altisiodorensis porrò Episcopus, sive quicumque alius ejus Chartæ artifex, eam haud dubiè irritam, & in irritum mittendam odorabatur, unde & properè ab Pontifice eam confirmari satagebat. At contra author erat Bernardus Pontifici, ut eam rescinderet, velut Episcopo haud coosentaneam, juri autem prorsus infestam. *Quis denique credit virum sanctum & spiritualem, si sapuit, si compos sui fuit, testamentum hoc fecisse? Quis sæcularissimus hoc dixerit testamentum Sacerdotis; Haccine dispositio hominis sobrii & spiritualis, illius, qui omnia dijudicat, & ipse à nemine judicatur? Tu ergo serve Dei, qui tenes gladium Petri, amputa opprobrii confusionem è religione, scandalum ab Ecclesia, crimen à persona. Exurge Phinees & sta inflexibilis adversus carnem & sanguinem. Vera pietas est in avunculum, si super hujusmodi extiteris impius in nepotem.*

VI. Expostulanti amico, de effræni & insana Præsulum cupiditate, cognatos & honoribus & opibus ultra modum augendi; rescripsit Petrus Blesensis, inveterasse jam hunc morbum, nec mœrorem hinc haustum aptius abstergi posse, quàm contemplatione providentiæ summi Numinis, quæ tot bonis & honoribus hic circumfluere sinit scelestissimos quosque. *Causaris & arguis Episcoporum nequitiam, qui circa parentum promotionem sunt adeo singulariter occupati, ut nihil aliud affectent, aut somnient. Purpurata incedit parentela Pontificum, & lata de patrimonio Crucifixi in superbia & inebusione ad omnes vitæ sæcularis illecebras se effundit; cumque eis ad votum omnia succedant, & in contrarium succedant omnia his, qui soli militant honestati, divinam in temporalibus providentiam despere, aut dormitare conquereris. Amice, vetus querela est, & hac Regis ac Prophetæ David animum quandoque concussit. Cum enim pressuras justorum aspiceret, zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns, &c. Regest.69.*

VII. Patrimonii dona segregat B. Thomas Aquinas, 22. q.185. *Art.7.*, quorum dominium, & tota potestas penes Beneficiarios est, ab Ecclesiæ rebus, quarum non sunt nisi dispensatores. *Sed Ecclesiasticorum bonorum sunt dispensatores, vel procuratores.* Segregantur rursus ab illo bona Ecclesiæ, ante eorum partitionem inter Clericos, pauperes & reparationes, ab ea portione, quæ post eam celebratam partitionem singulis obvenit Beneficiariis. Cumque propositæ quæstionis cardo in hac maximè parte vertatur rerum Ecclesiæ cuique Beneficiario adsignata, de ea quoque potissimum expiscanda nobis est Sancti Doctoris sententia. Primum quidem videri potest ille ejus portionis dominium Clericis adsignare, ut arbitratu suo eam dispensent. *De his autem, quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis, ut scilicet propter immoderatum affectum & usum, peccet quidem, si immoderata sibi retineat, & aliis non subveniat, sicut requirit debitum charitatis.* Sed in his ipsis verbis patet gravissimè peccari contra charitatis legem, si bonorum quis superflua in pauperes non effundat, moderato ipse victu & ornatu contentus. Si nec ipse autem Beneficiarius iis nisi moderatè uti possit, nec proximis ergo nisi egentibus, atque ut egentibus impartiri poterit. Idque rursum paulò post conceptis verbis pronunciat idem Sanctus Doctor. *Dicendum, quòd bona Ecclesiarum non sunt solùm expendenda in usus pauperum, sed etiam in alios usus, ut dictum est. Et ideo si de eo, quod usui Episcopi, vel alicujus Clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere & consanguineis, vel aliis dare, non peccat,*

dam-

dummodo illud faciat moderatè, id est, ut non indigeant, non autem ut ditiores fiant. Unde Ambrosius dicit in libro de Officiis, hac est approbanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas; non tamen ut illos ditiores fieri velis ex eo, quod tu potes conferre inopibus. Non video quid vel luminis, vel roboris tam præstanti accedere possit doctrinæ. Agitur enim ibi de pecuniis parcimonia Clerici accumulatis ex proventu Beneficii, vel ejus portionis rerum Ecclesiæ, quæ ipsi sigillatim adsignata est, sejunctim ab aliis communis mensæ portionibus, quæ pauperibus, quæ fabricis Ecclesiæ vindicantur. Et disertè definitur, non posse citra culpam quidquam inde in proximos defluere, nonnisi egeant; & ne sic quidem defluere posse, nisi ut egestate non laborent.

VIII. Ergo sæculo Ecclesiæ XIII. ea erat Theologorum vulgatissima doctrina. Concilium Parisiense anno 1212. Abbatibus, aliisque Regularibus Beneficiariis cum varias ostendisset pęnas, ipsamque depositionem, Canonem edidit, quo his eos pœnis addixit, si rerum Monasterii quidvis proximis largirentur, nisi pauperibus, tanquam pauperibus. *Idem constituimus, si dederint cognatis suis bona Ecclesię suę, nisi pauperibus & ut pauperibus, vel circa hęc aliquid in fraudem fecerint. Nisi forsan aliquando, & raro & moderatè secundum facultatem Monasterii darent, ita quod non redundet in gravamen Ecclesię; & nihilominus admoneantur, quod non faciant. Sub eadem pœna interdicimus, ne de proprietate Monasterii reditum, vel proventum adsignent cognatis. Par.3. c.13.*

Constitutiones Synodicæ anni 1257. Episcopi Sarumensis in Anglia, Ecclesię restitui jubent, quidquid Beneficiarii ejus alibi extruxisse, vel acquisisse comperientur de reditibus Ecclesiasticis. *Et quoniam omnino injustum est, ut quem Ecclesia recipit pauperem, aut extraneum, in alieno faciat divitem, & in suo recipiat fraudatorem, sacrorum Canonum statuta sequentes districtè præcipimus, quod nullus omnino, qui stipendio militat Ecclesia, in solo ædificet laicali: vel summam seu fortunam rerum suarum ad feudum transferat laicalem; præcipuè illarum rerum, quas consideratione Ecclesia vel Ecclesiasticorum rerum Beneficiorum perceperunt. Quod si contra hoc statutum venire præsumpserit, tanquam defraudator Ecclesiasticę substantię, quidquid occasione talis præsumptionis, damni vel incommodi intulerit Ecclesia, vel Ecclesiasticis possessionibus, de cujus proventibus dignoscitur laicale feudum amplias-so, illi Ecclesia restituat de cujus oblationibus, eleemosinis, suffragiis atque proventibus constiterit ipsum sumptus fecisse. Conc. Angl. Tom.2. pag.155. 180. 189. 251. 358.* Quæ totidem verbis leguntur in Constitutionibus Synodalibus Episcopi Dunelmensis anno 1220. Nihilo clementius Concilium Oxfordiense anno 1222. æterna damnatione iis intentata Beneficiariis, qui Ecclesiasticis suis reditibus domos extruunt in fundis laicorum, quas filiis suis, aut quod horret animus dicere, concubinis legent. *Omnipotentis indignationem perpetuam, non solùm filiis & nepotibus suis, verùm etiam concubinis suis turpiter patrimonium Jesu-Christi, ad quorum usus, ut quasi securius agatur, in feodo laico de bonis Ecclesia domus construunt; in quibus Ecclesiasticos proventus & bona Ecclesia pauperum usibus deputata congregare præsumant; salubri provisione decrevimus, ne Clerici Beneficiati fructus Ecclesiasticos in laico feodo reponant.*

Idem vetuit Synodus Vorcestrensis anno 1240. ne in laico fundo quidquam impendiis sacris extruatur. Nec paulo evidentius Synodus Excestrensis anno 1287. declaravit teneri Beneficiarios omnes, ubi necessitatibus suis satisfactum est; residuos reditus suos dispergere in pauperes, quod dispensatores tantùm sint eorum patrimonii, eoque hinc nihil derivare eos posse ad alios usus, minimè autem ad eos excipiendos tecto, alendosque, quibus infamia quædam sit inusta. *Et licèt Ecclesiarum quidquid vita sua necessitati eis superfuerit de patrimonio Jesu-Christi, in usus pauperum, quorum dispensatores existunt, teneantur ex debito erogare; quidam tamen eorum, ut audivimus, de quo dolemus, bona Ecclesia non in pauperum usus, at suarum concubinarum convertunt, easdem terras, reditus, seu res alias de pecunia Ecclesia comparando, vel ad comparandum pecuniam ministrando.* Alio ejusdem Synodi decreto vetantur Beneficiarii quidquam extruere in fundo laico, quod ita fraus fieret Ecclesiæ, ejusque jura & bona interciperentur: quin & luxuriæ latibula Clericis suppeditarentur, qui hac arte Ecclesiasticæ se subtraherent jurisdictioni. *Ne de bonis Ecclesiasticis ędificia sibi in solo construant laicali, in quibus præter Ecclesiasticarum rerum dispendia, nonnullos Clericos in animarum suarum periculum & laicis perniciosum exemplum, multa turpia & inhonesta Clericos audivimus perpetrasse.*

Satis hęc superque de Anglia ad annum usque 1300. Italia ipsa ab his non dissentiebat. Ratherius enim Veronensis Episcopus, Synodicis Institutionibus suis hoc quoque complexus est, Ecclesię fore quidquid Parochi & Beneficiarii sui compararent. *Res & facultates, quas post diem ordinationis vestra acquiritis, sciatis ad Ecclesiam pertinere.* Sed nihil memorabilius Epistola Clementis IV. exordio statim Pontificatus ad eum data, qui arctiori ei propinquitate conjungebatur; ut eum addoceret, ea ad Pontificatum provectione, ne ipsi quidem Pontifici accessisse, nisi formidinem, & sui despicientiam; ideoque non esse, quod ejus proximi inflarentur, cum tam brevis, tam fragilis sit mortalium quantalibet amplitudo. *Neque enim quod nos vehementer humiliat, debet nostros extollere; maximè cum honor hujus sæculi momentaneus sit, & sicut ros transeat matutinus. Epist.* Ne vel ipse autem, vel suorum aliquis Romam invocatus accurreret; aut certo sciret ex eo nihil præter repulsam & ignominiam reportaturum. *Nec ad nos te vel fratrem tuum, vel ex aliis nostris aliquem venire volumus, sine nostro speciali mandato. Quia spe sua frustratos, si secus venire pręsumerent, oporteret redire confusos.* Eum sorori quærendum abeo maritum, quem ante electionem suam optasset, ita demum trecentas ei se libras Turonenses dono daturum, si ad ampliores nuptias anhelaret, nec vel teruncium à se expectaret. *Sed nec in sororis tua nuptiis gradum quaras propter nos altiorem; nec enim nos haberes propitios, nec in aliquo adjutores. Si tamen eam filio militis simplicis desponsaveris, in trecentum libris Turonensibus tibi proponimus subvenire. Et si altiora quasieris nec à nobis denarium speres unum.* Missa facio reliqua verba bracteatæ prorsus Epistolæ, & qualem à summo Ecclesiæ Christi Pontifice exarari decebat. Nec vana ille gloriæ ostentatione incitabatur, sed certissima conscientia Evangelicæ & Pontificiæ legis, in dispensatione rerum Ecclesiæ. Narrat B. Antoninus Florentinus Archiepiscopus duas ei filias nubiles, fuisse quibus cum dotem adsignare abnueret, nisi ex earum patrimonio, perquam sanè jejunio, innuptæ permansere, atque cœlestem nactę sunt sponsum, cui proba ipsa paupertas locupletissima dos est. *Dicitur in laudem sancti viri, quod cum duas filias nubiles haberet, nuptiis tradere quareret, non tamen de patrimonio Crucifixi, sed tantùm de proprio, quod non maximum erat, eas dotare velit; attendentes ad divitias Pontificales, seu Ecclesię, cum de illis nihil expectare valent, illas innuptas dimiserunt: unde & meliori sponso Domino Jesu Christo tradita sunt, in virginitate Deo obsequentes. Rainal. an.1265. n.10.*

Ab eodem sanctissimo Archiepiscopo celebratus est luculento encomio gentis Francicæ Pontifex alius, quem non minor terrenorum omnium affectuum abdicatio illustravit, & gentilitiæ totius gloriæ contemptio. Martinus is fuit IV. qui natalibus suis claritatem non debuit, sed attulit vel maximam, remisso in patriam fratre, qui præfestinus ad eum Romam venerat, nec donato, nisi sumptibus itineris, & munusculis minutissimis; testificatus, sibi ut Pontifici opes esse haudubio ingentes, sed proximos nullos. *Etsi non nobilis genere secundùm carnem, tamen moribus generosus & magnanimus, & à cupiditate pro se, vel suis alienus, Ecclesiastici juris zelator. Cum germanus ejus ad ipsum accessisset, gratia visitationis & congratulationis sperans aliquid fortè ab eo magnum obtinere; quàm citissimè eum remisit ad propria cum modicis muneribus & moderatis expensis, dicens, quod quæ habebat ut Papa, bona essent Ecclesiæ, non sua, unde nec dissipare vellet indiscretè donando. Rainal. an.1281. n.3.*

IX. Ne sæculo quidem decimo-quarto extincta erat lux sanctissimæ illius disciplinæ. Docet Mariana anno 1322. Concilium in Hispania ad vallem Oletanam celebratum fuisse, pariterque publicatas Constitutiones Joannis Archiepiscopi Toletani, quas inter ea eminebat, quæ Beneficiariis inhibebat, vel suis ipsorum liberis, dare, aut legare bona, ex fundis vel proventibus Ecclesiæ collecta. *Ecclesiasticis obsequiis parta bona dare, legareve filiis, quamvis justis, nefas esto.* Ex quo scitè à Mariana concluditur, fœdissimè allucinari eos, qui Beneficiarios venditant dominos esse & proprietatis bonorum Ecclesiæ. *Et erit, qui Sacerdotes & Episcopos eorum bonorum dominos & arbitros faciat. Rainal. an.1322. n.18.* Concilium Palentinum Beneficio multandos censuit, qui proximis nubentibus, vel ducentibus dotes, aut donationes de rebus Ecclesiæ assignarent. *Qui verò de bonis Ecclesiasticis, filiis aut nepotibus dotem aut donationem propter nuptias assignaverit, assignatio ipso jure non valeat, & nihilominus assignans, ipso facto in pœnam subtractionis Beneficiis incidat supradictam. Can.6.*

X. Hactenus de Hispania. Jam in Italia, vel in Gallia potius occurrit Clemens VI. qui suorum neminem dignitatibus Ecclesiasticis auxit, nisi unum ex nepotibus, quem Archiepiscopatu ornavit Arelatensi, eum sanè, qui vel tantam, ipse Ecclesiam ornare posset. Et quanquam hæc ita esset, tantum non cogendus tamen fuit à Cardinalibus. *De suis consanguineis, vel propinquis exaltandis, vel promovendis nullatenus curavit. Non enim invenitur quod aliquem de suo genere ad quamcumque Prelaturam promoverit, nisi unum solum, quem præfecit Ecclesiæ Arelatensi: qui tamen ad hoc aliàs erat bene dignus & sufficiens; & hoc fecit etiam quodammodo precibus & instantia Cardinalium devictus.* Ex laicis verò proximorum neminem auxit, quanquam tenui valde erant fortuna. Neptis ejus nuptias ambientibus nobilissimis viris, constantissimè ipse abnuit, & illam tandem Tolosano mercatori collocavit, ut sors ejus & natalium conditio ferebat. *De laicis verò nullum exaltavit, immo nec voluit, quod statum suum, qui satis erat per priùs infimus, propter ipsum immutarent. Unicam enim neptem, quam habebat, per plures Magnates pro conjugio petitam, eis dare expressè negavit; dicens in vulgari suo, quod non decebat talem equum hanc habere sellam. Sed demum ipsam nuptui tradidit filio cujusdam Mercatoris simplicis Tolosę, dotem sibi secundùm statum ejusdem mercatoris constituendo. Rainal. anno 1342. n.3.* Hæc ipsissima sunt verba Scriptoris anonymi ejus vitæ, à Bosqueto publicati.

A quo eodem Scriptore literis mandata fuit vita Urbani V. Papæ, qui & ipse maximè claruit carnalium necessitudinum fastidio & contemptu. Laicorum cognatorum neminem dignitatibus crescere passus est; opes & honorum gradus, cum undique ingererentur, abhorruit. Cum sexcentas libras annui reditus parenti ejus Rex Franciæ adsignasset, restitui jussit. Cum unus illi tantùm nepos esset, ab eo uxorem duci voluit filiam Mercatoris Montispessulani, qua præclarius aliquid fortè suo ipse marte sperare potuisset. *De laicis nullum exaltavit, immo nec per alios exaltari permisit. In cujus evidentiam expressè recusare mandavit per patrem suum sexcentas libras renduales, quas Rex Francię sibi dederat ob sui favorem. Nepotem etiam suum unicum, & ad quem paterna hæreditas pertinere debebat, non cum altiori, immo nec cum æquali sibi in genere voluit matrimonialiter copulare. Suscepit namque sibi in uxorem filiam cujusdam Mercatoris Montispessulani satis simplicis sui generis respectu: quam tamen, ut creditur, ipso adhuc in minoribus existente, dictus nepos minimè recepisset.*

XI. Rursus in Synodo Vintoniensi anno 1308. in Anglia vetiti sunt Beneficiarii in laico fundo de bonis Ecclesiæ quidquam extruere. *Inhibemus Clericis universis, ne de bonis Ecclesiasticis in fundo ædificent laicali. Conc. Angl. Tom.2. pag.451. 499.* Anno 1328. Concilium Londinense idem rursus prohibuit, quod ea fraude Clericorum sacri proventus ad cognatos eorum venirent, pari horum illorumque exitio. *Quamplures filiis & nepotibus suis, verùm etiam concubinis per patrimonium Jesu-Christi domos in laico fundo ædificare præsumunt, ad quod Ecclesiasticos proventus deportantes, dum proximis consanguineis bona Ecclesiastica congregant, iram Dei & damnationem perpetuam thesaurisant. Ne igitur illud de cætero fiat, districtius inhibemus.*

Seculo xv. Concilium Basileense in votis illud magnopere habuit, ut in Apostolica ipsa sede fax splendidissima accenderetur, ejus terrenorum affectuum abdicationis, qua splendere Clericos omnes decet. Ibi ergo declaratum est, summos posthac Pontifices proximis suis tertio usque gradu, nec Ducatuum, nec Marchionatuum, nec summarum quarumcumque dignitatum insignia posthac collaturos. *Ne Summus Pontifex carnalitatis trahi videatur affectu, magis, quàm judicio rationis, atque ut scandalis obvietur, quæ experientia teste, sæpè secuta sunt, nullum de cætero consanguineum, vel affinem usque ad tertium gradum inclusivè, Ducem, Marchionem, Comitem, feudatarium, emphyteutam, vicarium, gubernatorem, officialem, Castellanum alicujus Provincię, Civitatis, oppidi, castri, fortalitii, aut loci Romanæ Ecclesię, nec super his jurisdictionem, seu potestatem aliquam habere, nec Capitaneum, seu conductorem gentium armatarum faciat, aut esse permittat. Ipsi quoque Cardinales Summo Pontifici secus agere volenti nequaquam assentiant, quodque succedens Pontifex aliter facta prorsus retractet ac revocet, Sess.23. An.1436.* Cum primas in hoc Concilio partes tenuerint Galli, huic lubenter, nec temerè conjicimus, eamdem tunc in Gallia viguisse legem, ut nec Prælatis, nec Beneficiariis ullis copia fieret, augendi, vel locupletandi proximos suos ex proventibus sacris. Nec enim aliàs eam summis ipsis Pontificibus occinuissent legem, si ab ea ipsi passim deviassent.

XII. Sæculo xvi. Tridentini Patres Episcopis interdixere, ne quid sacrorum redituum in proximos sinerent derivari, allegato etiam Apostolico Canone, qui re quavis adesse illis vetat, nisi egeant, & pro ipso egestatis suæ modo; illos denique monuere, ut carnis se & sanguinis affectibus prorsus spoliarent, cum ex ea vena corruptelæ innumerabiles in Ecclesiam jamdiu exundent. *Omnino*

ve-

verò eis interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant. Cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, eis ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa. Immò quàm maximè potest, eos sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Sess. 25. Ab Episcopis ad reliquos Beneficiarios traducitur oratio, ut & hi eidem obtemperare legi cogantur. *Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solùm in quibuscumque Beneficia Ecclesiastica tam sæcularia, quàm regularia, obtinentibus pro gradus sui conditione observari decernit.* Ad Cardinales ipsos pergit mox Concilium, ut qui principem obtineant locum in Consiliis Pontificiis, & in administratione Ecclesiæ universalis, & quorum proinde in moribus enitescere debeat omnium forma virtutum, & earum maximè, quibus Clerici à terrenis affectibus expediuntur. *Sed & ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit, quorum Consilio apud sanctissimum Romanum Pontificem cum universalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas videri potest, non iis etiam virtutum insignibus ac vivendi disciplina eos fulgere, quæ meritò omnium in se oculos convertat.*

XIII. Quod Præfectis Monasteriorum utriusque sexus instillavit documentum Concilium Cameracense, id ad Beneficiarios prorsus omnes derivari potest, qui cum nec ipsi nisi administratores sint rerum Ecclesiæ, nihil hinc utique privatas in familias convertere possunt. *Monet sancta Synodus Abbates, Abbatissas, & alios Monasteriorum Præfectos & Præfectas, ut sui meminerint officii, seque non esse dominos bonorum Monasterii, immò ne fructuum quidem, sed tantùm dispensatores & administratores, neque se pro libito dispensare posse, sed secundùm intentionem Ecclesiæ, & piorum fundatorum. Proinde valdè reprehensibile esse eorum factum, qui ex bonis, vel etiam fructibus Monasterii sui ditant propinquos, vel amicos suos. Tit. 18. c. 16.* Tam ad Commendatarios Abbates, ac beneficiarios omnes permanat hæc regula, quàm ad Abbates Regulares; utpote quæ naturæ ipsi bonorum Ecclesiæ sit accomodata.

Idem præcipit Concilium Remense anni 1583. Episcopis & Beneficiariis omnibus, nequid rerum, vel proventuum Ecclesiis propinquis impertiant, nisi pauperes sint, & levandæ tantùm paupertati. *Et non familiæ tantùm, sed etiam bonorum ac proventuum Ecclesiasticorum curam gerant, qualem eos habere decet, caveant diligentissimè, ne de Ecclesiæ bonis propinquorum facultates augeant, nisi ad eorum levandam inopiam, si penuria laborent. Tit. de Episc. c. 8.* Cui geminum est & illud Concilii Burdegalensis eodem anno decretum. *Sciant omnino eis interdictum, ne ex reditibus Ecclesiæ, qui Dei proprii sunt, consanguineos familiaresque suos locupletiores efficiant, cum id Apostolorum Canonibus adversetur. Si tamen illi rerum penuria premantur, iis ut pauperibus, quæ necessaria videbuntur, distribuant, dummodo nihil ipsorum causa dissipent & distrahant. Tit. 36.* Nec ab his recedebat Concilium Burdegalense anno 1582. *Episcopi videant, ne de reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve ditent. Sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant; nec eorum causa bona Ecclesiæ distrahant & dissipent; sed ut boni dispensatores, sicut animarum, ita rerum Ecclesiasticarum, parati sint Deo & omnibus poscenti rationem reddere. Tit. de Episc. n. 03.* Quæ omnia decreta innovata sunt in Concilio Burdegalensi anno 1624. quod ne verbis quidem ipsis abstinuit Concilii Tridentini, *Præcipuè perpendant, reditus Ecclesiæ bona Christi & pauperum patrimonia esse. Quare videant, ne ex eisdem reditibus consanguineos familiaresve suos augeant & ditent, ac nisi ut pauperibus aliquid concedant; memores se Sacris Canonibus monitos esse, ut omnem humanum hujusmodi erga fratres, nepotes propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia Seminarium extat, penitus deponant. Cap. 8. n. 4.* Concilium denique Bituricense anno 1584. prohibuit, ne Beneficia à quoquam proximis resignarentur, sola proximitatis contemplatione, cum id solemni Constitutione execratus sit Pius V. *Cum damnet Scriptura eos, qui hæreditate possidere attentant sanctuarium Dei, vetat hæc Synodus, ne quis deinceps consanguineo Beneficium cedat, solius consanguinitatis ratione; neve hujusmodi cessiones admittantur, contra Constitutionem Pii V. de non admittendis resignationibus Tit. 36. c. 5.*

XIV. Tam nullo erat loco, nulloque pretio apud Adrianum VI. proximitas in dispensatione Beneficiorum, ut ubi paria erant ultro citròque meritorum momenta, extraneum proximo anteponeret, referente Panuvino: *Quia immo etiam in paribus dotibus, alienorum potius, quàm suorum rationem habiturus videbatur.* Cum proximorum ejus non pauci Romam advolassent spe illecti Beneficiorum ineuntis Pontificatus, pedites quàmprimum omnes remisit, vix etiam veste singulis donata, & quantula opus erat ad iter pecunia. Copiosè de his Paulus Jovius, è quo paucula hæc carpsi. *Alios quoque nec remoto affinitatis gradu necessarios, qui spe celsioris fortunæ è Germania pedibus Romam venerant, mirum in modum increpavit, donatisque singulis sagis lineis, & frugi viatico, pedibus similiter in patriam redire jussit. Rainal. an. 1523. n. 114.* Unde nec dissimulabat Adrianus ipse, superiorum Pontificum in proximos largitates, detrimenti immane quantum Ecclesiæ attulisse. *Quarum rerum testimonio, superiorum Pontificum profusam erga propinquos liberalitatem uti gravem & Reipublicæ perniciosam detestari solitus erat.*

Illud in eo Pontifice permirum, quod ubi æqua lance pendebantur merita, extraneos proximis præferret. Et tamen in eam virtutis præstantiam prævenerat illi, & longo ex intervallo prævenerat B. Richardus Cicestrensis in Anglia Episcopus. *Consanguineos suos etiam maturos & habiles ad Beneficia Ecclesiastica admittere noluit ulla ratione, sciens Pastorum Principem Dominum nostrum Jesum Christum non Beato Joanni Evangelistæ ipsius cognato, sed Beato Petro, sanguine illi minimè conjuncto Regni Cælorum claves tradidisse. Surius die 3. April.* Piaculare fuerit prætermisisse, quæ de Marcello II. Papa narrat Spondanus ad annum 1555. Cognatorum neminem Romam proficisci passus est, ne fratrem quidem; dum Cardinalitia tantùm emineret purpura, duos fratris filios Romæ secum habebat, curabatque instituendos; ad Pontificatus apicem evectus, nec in conspectum suum illos venire passus est, nec honoribus ullis coli. Percontantibus, annon in Palatio eos habitare vellet, abruptè sanctissiméque respondit, *Quid illis cum Palatio? Eorumne id patrimonium est?*

Hujus porro carnalium propinquitatum affectuumque abdicationis incomparabile specimen in Beato Carolo eluxit. Ab ipsa tenera ætate voluit sui sibi Beneficii reditus permitti, ut in Ecclesiæ, non in privatæ familiæ utilitatem converterentur. Ubi verò Mediolanensis Ecclesiæ infulas consecutus est, adeo ex Ecclesiasticis suis reditibus defluere aliquid ad proximos passus non est, ut vel patrimonii sui reditus semper repræsentari sibi voluerit, & in sacros usus absumi, cum ipsos patrimonii fundos proximis dimitteret. Ut dignitatis aliquid novæ vel in sæculo, vel in Ecclesia illis accresceret,

ret, nusquam operam ipse suam interposuit. Testamento nihil eis contulit. Ex proximis aliquem Episcopatu exclusit, cui gerendo imparem intelligebat. Legibus, & substitutionibus Majorum suorum prohibitus est, ne fundos suos omnes Xenodochio Majori Mediolanensi addiceret. *Giussano L.8. c.28.*

CAPUT XLVII. *P.4. l.4. c.16.*

An Episcopi & Beneficiarji alii testari possint in gratiam cognatorum. Quæ leges, qui usus fuerit Ecclesiæ ab anno millesimo ad annum millesimum trecentesimum.

I. Probatur saeculo XI. *Beneficiariis haeredem successisse Ecclesiam ad Beneficiorum fructus omnes, sive testati, sive intestati obirent.*

II. Ejusdem rei probatione saeculo XII. *in Anglia, ubi testandi facultatem Princeps Clericis redintegrat.*

III. Exemplum B. Hugonis Lincolniensis Episcopi.

IV. Aliqua observantur in testamentis Episcoporum, non alio consilio testari gestientium, quàm ut spolium suum pauperibus adsererent.

V. Alia Probationes ex Conciliis.

VI. Probationes ex B. Bernardo.

VII. Probationes ex testamento Archiepiscopi Cantuariensis.

VIII. Ad saeculum XIII. *descenditur. Probationes ex libris Decretalium. Ut circa mobilia relaxari aliquid caeperit, de quibus pro arbitratu testari sinebantur Beneficiarii, quamvis & hic circumscripti sint fines aliqui.*

IX. Probationes nova ex Concilliis Angliæ.

X. Et ex Conciliis aliorum regnorum.

XI. Novæ probationes ad annum usque millesimum trecentesimum, nil suis dimittere testamento Beneficiarios potuisse, ne mobilium quidem, ne in Gallia quidem.

XII. Nec secus erat in Hispania.

I. AN superstites possint Beneficiarii proximis aliquid transcribere rerum, aut redituum Ecclesiæ, superiori capite expensum est. Restat ut hic jam excutiamus an testamento aliquid lagare possint. Cum verò impræsentiarum tritissimo usu receptum sit, & in Gallia potissimùm ut illis cognati succedant, non tabulis tantùm testamenti editis, sed intestatis etiam; pervestigandum jam nobis est, quæ exordia fuerint, & quæ fundamenta hujus usus. A' proposita mihi via & ratione non recedam, decursis perpetua serie sæculis & Christiani Orbis Provinciis.

Concilium Ravennas anno 1014. labefactatæ ut disciplinæ ejus Provinciæ succurreret, quæ annis undecim Archiepiscopi viduata gemuerat, statuit ut res Petri Beneficiarii, quem nefarii sicarii interfeceiant, & qui satis probabiliter excessisse credebatur intestatus, ad Ecclesiam revocarentur, utpote ex proventibus Ecclesiæ partæ, cum ita certissimè leges, Canonesque sanxerint. *Placuit, ut sicut in Decretis Sanctorum Patrum cautum est; & Romanæ legis constitutionibus statutum, ut omnes res Petri Clerici interfecti, qua per bona Ecclesiarum, quas à Sancta Ravennate Ecclesia obtinuit, sibique nullo modo conquisivit, Ecclesiæ potestati subjaceant.* Qua ex definitione constat, Beneficiarium Ecclesiæ ipsi acquisisse, quæcumque ex fructibus acquirebat Ecclesiæ, ut non posset non ad Ecclesiam devenire hæreditas, sive testatus, sive intestatus is obisset.

Intestati persæpè moriebantur Episcopi quique sanctissimi, quòd præcepissent omnia, vel pauperibus, vel Clericis elargiri ante obitum suom. Ita sanè Beatus Burchadus Vormatiensis Episcopos, quo hinc devolante in cœlos, Proceres, qui tum aderant, in cassum omnes perscrutati sunt angulos & recessus, ut thesauros ejus aliquos reperirent: vasa Ecclesiæ sacra reperarunt, & tres denarios in ejus chirothecis residuos, cum cætera pauperibus omnia tribuisset. Ita enim Scriptor ejus vitę. *Baron. an.1026. n.4. Tunc Principes, qui aderant intrantes, thesaurariam & cameram, ubi pecuniam putabant reconditum, diligenter & angulos perscrutati sunt; & tandem scrinia librorum voluminibus plena spe pecuniæ subvertentes, vano fortuna labore illusi sunt. Nam praeter thesaurum Ecclesiasticum, nec aurum, nec argentum ibi invenerunt; exceptis tribus tantùm denariis, quos vir functus in vantone suo reliquit, quando alios pauperibus erogavit.* Non constabat nisi vasis & vestibus sacris thesaurus hic Ecclesiasticus, cum eum ne primoribus quidem digitis Proceres attigerint. Nemo nescit, & nos infrà prolixè declarabimus, usitatissimum tunc fuisse, ut Principes, Clerici, Plebeji in domos Episcoporum, & cæterorum Beneficiariorum impetum facerent, mox ut illi animam efflassent, easque expilarent. Eò sanè extimulabantur Clerici & Beneficiarii omnes, ut dum vita suppeteret, Deo & pauperibus offerrent, quod sacrilegorum hominum rapacitas mox esset deprædatura.

II. Ineunte sæculo XII. Paschalis II. Papa datis ad Episcopum Augustodunensem literis, novo robore cumulavit priscam Ecclesiæ legem, ut ne Parochi, sive superstites, sive mortali vita abituri, Ecclesiam suam possent iis fraudare bonis omnibus, quæ illam regentes comparassent. *Illud autem Apostolica authoritate statuimus, ut nulli Presbytero, vel viventi, vel morienti, seu ad aliam regionem, vel quietam vitam transeunti, liceat, res, quas à die ordinationis sua, in Ecclesia in qua est ordinatus conquirere poterit, auferre vel minuere; sed intacta eis, & illibata, in ipsa in qua conquisita sunt, permittat Ecclesia remanere. Epist.38.* Ita rebus à se acquisitis Ecclesiam suam fraudare nequibat Beneficiarius, sive religiosam vitam amplexaretur, sive profecturus in longinquas regiones.

Erat tamen concessa testandi facultas Beneficiariis; sed ita certè, ut quod ex Ecclesiæ reditibus provenisset, in ejus sinum refflueret. Concilium Rotomagense anni 1189. voluit, ut pro potestate sua Clerici testarentur: si intestati excederent, eorum successionem Episcopus in opera pia expendaret. *Statuimus, ut testamentum Clericorum inviolabiliter observetur; & ut bona Clericorum, qui intestati decedunt, per manus Episcoporum in bonos usus distribuantur.* Ejus Diœceseos Constitutiones Synodales his deinceps consentaneæ semper fuere. Anno 1136. solemni diplomate Stephanus Angliæ Rex Ecclesię libertates confirmavit. In iis id quoque annuebatur, ut si Episcopi, Abbates, Clerici testamenta conderent, quæ rationi & legibus nihil obstreperent, ea rata haberentur. Si intestati verò abirent, in legata pia distribuerentur eorum res, ad eorum animæ sempiternam salutem, perinde ut Clerici ejusdem Ecclesiæ æquum censerent. *Si quis Episcopus, vel Abbas, vel alia Ecclesiastica persona, ante mortem suam rationabiliter sua distribuerit, vel distribuenda statuerit, firmum manere concedo. Si verò morte præoccupatus fuerit, pro salute animę ejus Ecclesiæ consilio eadem fiat distributio. Synod. Rotomag. p.173. 185.233. Conc. Angl. Tom.2. p.38.*

Cui

Cui statuto ut lucis aliquid aspergatur, paulò res ea altius repetenda est. Primus enim omnium Rex Willelmus Ruffus Angliæ Rex, Willelmi Nothi filius & successor, spolia morientium Episcoporum invadere cœpit, & fructus omnes vacantis Ecclesiæ. Ita nihili erant Prælatorum testamenta tum quidem. Stephanus Rex mox alterius cum esset prosapiæ, Clericorum sibi statim animos devincire studuit, restituta in integrum pristina testandi libertate, de bonis etiam Ecclesiasticis, vetitoque ne fiscus interveniret. Ea verò clausula, quæ intestatorum Clericorum res jubet in opera pia expendi, æternæ eorum saluti profutura, perspicuè insinuat, si testati fuissent, non aliter ex officio testaturos fuisse Clericos ipsos. Inopino enim casu prohibente, ne ultimas suas prodant voluntates, supplet lex, & disponit quod ab illis disponendum fuerat. Ex quo & illud emicat, ubi à Rege confirmatur testamentum Clerici, *qui sua rationabiliter disposuerit*, eo approbari testamenta Canonicis regulis accommodata, quibus prohibetur, ne nisi in pauperes & Ecclesias reditus Ecclesiastici expendantur. In ejusdem Constitutionis Regiæ posterioribus Capitibus memorantur vacantes Ecclesiæ, quarum jura Regaliæ à Majoribus suis usurpata relaxat Rex.

III. Ejus autem rei invictissimum suppeditabit nobis documentum B. Hugo Lincolniensis Episcopus. Cum suprema instaret hora, monitus est à suis, ut testamentum scriberet, ut moris erat. Respondit porro ipse, perantiquam esse sanè eam consuetudinem, sed ab ea se semper abhorruisse. Nec enim sibi quidquam esse, quod non esset suę Ecclesiæ. Ne sua tamen fiscus raperet, largiri se pauperibus ea omnia, quæ hactenus possidere visus fuerat. *Admonitus etiam ut testamentum pro more faceret: Tędet me, inquit, hujus consuetudinis, jam passim in Ecclesiam introductę. Nec habui quidquam, nec habeo, quod non sit Ecclesia, quam regendam suscepi. Attamen ne fiscus rapiat, pauperibus tribuatur totum, quod videor possidere. Surius die 17. Novem. c.28.* Hinc liquet. 1. Usus jam vulgatissimi fuisse, ut Prælati testamenta conderent ante obitum suum. 2. Displicuisse eum usum viris sanctissimis. Quòd cum penes eos non sit nisi depositum & dispensatio rerum Ecclesiæ, non proprietas, minùs hæc consentiant cum facultate testandi. Donationes & testamenta, eorum sunt, qui dominium & proprietatem obtinent rerum. Dispensatorum sunt distributiones rerum sibi commendatarum, & rationum libri in quos accepta & expensa retulerunt, si reddendis rationibus obnoxii sunt, sicut & Concilio provinciali rationes fecisse Episcopos non semel suprà diximus. 3. Etsi testandi morem minùs probaret, ei se tamen accommodavit B. Hugo Lincolniensis Episcopus, ut ne quod sępè factitabatur, intestati Antistitis bona invaderent Regii fisci Ministri. Est autem simillimum veri complures & alios Episcopos, B. Hugoni consentientes, improbasse & ipsos testamenta Episcoporum, & ei tamen servire voluisse consuetudini, ut viam præsecarent vel populi rapinis, vel Clericorum contentionibus, vel temporalium dominorum aviditati prædandi. 4. Nihil ergo à Stephano Rege Ecclesię conducibilius decerni potuerat, quàm ut polliceretur, testamenta Beneficiariorum rata fore; & intestati si excederent, fore, ut quę relinquerent bona, ad illos transmitterentur, expensa videlicet in eleemosynas, quę illis ęternùm prodessent.

IV. An autem hęc testandi libertas Clericis restituta, quo eorum superflui & redundantes proventus Ecclesiæ cederent, aliter ceciderit, & adhibita sit ad eos in carnales necessitudines derivandos; id verò mox aperiamus. Nec illud tamen hic prætereundum, quod narrat Matthæus Paris, ad annum 1200. Joannem Anglię Regem tum affuisse, cum animam exhalaturus esset sanctissimus hic Episcopus Hugo, testamentum ejus confirmasse, & pari se robore firmaturum ostendisse, testamenta Prælatorum omnia, quę pari & ipsa ęquitate fulgerent. *Ad viri Dei prædicationem testamentum ipsius confirmavit, & in Domino promisit, quod de cętero rata haberet testamenta rationabilia Prælatorum.* Idem narrat & Rogerius. At Willelmus Neubrigensis non potuit non dolere vicem Archiepiscopi Eboracensis Rogerii, qui opes infinitas cum acervasset, non antè pauperibus, Ecclesiis, domesticis, proximis distribui mandavit, quàm appetente jam morte. Mox enim ut ille efflavit animam, omnia Rex invasit, thesauros omnes diu reconditos causatus ad Regium jus & fiscum traduci. *Dicens thesauros à quocumque usque ad mortem repositos, solius Principis in bonis esse.* Quo terrifico commoneantur exemplo Clerici, ut ne suos nisi in cœlis thesauros recondant. *Quod utique judicio Dei actum est, ut cæteri terreantur exemplo, discantque thesaurizare sibi thesauros in cœlo, ubi scilicet fur non irrepit, nec prædo irrumpit. L.3. c.5.*

V. In Concilio III. Lateranensi anno 1179. habentur non pauca, quibus & illuminentur hęc, & confirmentur. Ingrati & immemoris animi reos agit Concilium eos omnes, qui Ecclesiæ bonis & Beneficiis suffarcinati, illam omni ope successione sua fraudare moliuntur. *Cum in officiis charitatis illis primò teneamur obnoxii, à quibus nos Beneficium cognovimus accepisse; è contrario Ecclesiastici quidam Clerici, cum ab Ecclesiis suis multa bona perceperint, bona per Ecclesias acquisita in alios usus præsumunt transferre. Can.15.* Mox convenienter Canonicis institutionibus declarat Concilium, res omnes Beneficiariorum ad Ecclesiam devolutum iri, sive testamenti aliquid scripserint, sive excesserint intestati. *Hoc igitur quia & antiquis Canonibus constat esse inhibitum, nos etiam nihilominus inhibemus. Indemnitati itaque Ecclesiarum providere volentes, sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes Ecclesias eadem bona præcipimus remanere.* Non displicet Concilio testamenta edi à Clericis, sed sive testantium, sive intestatorum res ad Ecclesiam, ex qua derivatę sunt, necesse est revocari. In priorem tomum Anglię vetustiorum Scriptorum, *Pag.626.*, relata est Concordia inter Clerum & Nobiles Neustriæ inita, anno 1190. qua sancitur, ut ne ad intestatorum quidem Clericorum successionem aspirent quavis ex parte laici. *Nihil pertinet ad sæcularem potestatem, sed Episcopali authoritate in pias causas distribuentur.* Quod omnino concinit cum Concilio Lateranensi.

Nec in hoc Concilio mobilia ab immobilibus sejunguntur. Omnia in Ecclesiæ penu, unde influxere, revolvi necesse est. *Penes Ecclesias eadem bona præcipimus remanere.* In Constitutionibus Synodicis Odonis de Soliaco Episcopi Parisiensis Parochis expressè prohibetur, nequid immobilium suorum alteri, quàm Ecclesię suę legent; mobilium verò mediocria legata vel permittuntur, vel non valde prohibentur. *Similiter præcipitur Presbyteris, quod immobilia de bonis Ecclesiæ acquisita, Ecclesiis suis tantummodo legent. Nam de jure aliud facere non possunt. De mobilibus verò suis rationabile faciant legatum. Cap.31. Syno. Paris. p.17.* Apparet hoc decreto immobilia Beneficiarii omnia Ecclesiæ addici, mobilia verò ex parte saltem aliqua; reliqua mobilium parte vel servis dispartienda, vel Ecclesiis aliis in opera pia.

VI. His accedet Bernardi testimonium, sui temporis morum callentissimi; quo testabantur Episcopi, ut pauperibus & Ecclesiis res suas certius vendicarent. Immortali verò memoria & laude censuit Ber-

Bernardus dignum Attonem Trecensem Episcopum, qui gravi conflictatus morbo, ex quo tamen postea recreatus est, non testamentum ille quidem scripsit, quod plerique soleot, qui pauperibus testamento dant, quę fugiente vita, & ipsa sibi effugere necesse est; sed rem suam totam in pauperes omomo effudit, supervixitque voluotaria clarissimus paupertate. *Non expectavit mortem quando jam nec dare, nec retinere in sua haberet potestate; quod utique multi faciunt, quorum utique testamentum nonnisi in mortuis confirmatur; sed adhuc inter spem vitæ metumque positus mortis, vivens libensque dispersit & dedit pauperibus, ut justitia ejus maneret in sæculum sæculi. Ep.276.*

Est & aliud apud Bernardum memorabilius. Ep.276. Singulari vir pietate & sapientia pręditus, extrema decumbens ęgritudine, & jam non satis sui compos, à domestico quodam ita circumventus est, ut testamento subscriberet, quo Ecclesiæ suæ non multum pauperibus perparum largiebatur, totum nepoti, quem & Romam pergere jubebat, ejus testamenti confirmationem à Sede Apostolica expugnaturum. Pontificatus apicem tunc gerebat Eugenius III. ad quem literas tunc Bernardus dedit, iræ & indignationis plenissimas, ut his iisdem flammis Pontifex incenderetur. *Cur pauperibus, & Ecclesiis aut parum, aut nihil daret, nepoti suo carnali adolescentulo inutili sæculari, totum pene quod acquisierat mensa Episcopali, Stephano suggerente & sollicitante dimisit, &c. Cum in morte stupidus esset & turbatus, iste eum fecit mori pene intestatum.* Cassum irritumque habet Bernardus hoc testamentum, ubi ait, rem ita habendam, acsi Episcopus obiisset intestatus. Quin & ibidem adjicit Bernardus, ne sæcularium quidem nequissimis id videri, aut dici posse Episcopi testamentum. *Quis credat virum sanctum, spiritualem, si sapuit, si compos sui fuit, testamentum tale fecisse? Quis vel sæcularissimus hoc dixerit Sacerdotis testamentum?* Compellat denique Pontificem vir sanctissimus, ut testamentum rescindat, quo tota offenditur Ecclesia. *Tu ergo serve Dei, qui tenes gladium Petri, amputa confusionem opprobrii à Religione, scandalum ab Ecclesia, crimen à persona.* Hæc nos iterum iterumque inculcasse non piget.

VII. Inter Epistolas Joannis Salisberiensis duę suot Theobaldi Archiepiscopi Cantuariensis. Altera continetur ejus testamentum, altera verò ad Regem perscripta est, ut ab eo id confirmetur, quo mobilia sua omnia pauperibus erogat; utque eam in rem literas det ad Ministros regios: certum illum faciens, quæ pauperibus legaret, nulli usui esse posse Regi, à se verò vibratas anathematis diras in eos omnes, qui testamenti executioni intercederent. *Residuum bonorum meorum mobilium, quæ usque ad exitum, pro incerto vitæ diuturnitate vitæ in usu visa fuerant conservanda, sicut Deus inspiravit, post exitum vitæ præcepi pauperibus erogari. Illos qui fraudem committunt, aut qui quominus pro salute mea & vestra & liberorum vestrorum erogentur, impediunt, anathemate jam promulgato condemnans. Ratam habete, si placet, dispositionem meam, eam transmisi ad Officiales vestros; patentibus literis confirmate. Neque enim quidquam auri superest pauperibus, vobis nullo erunt emolumento vel minimo. Ep.54.* Testamenti autem verba ejusmodi sunt; *Nostra quidem voluntas est, & quæ Domino authore nunquam mutabitur, ut residuum bonorum nostrorum mobilium, quæ propter necessitates domesticas, & diuturnitatem languoris usque ad exitum vitæ duximus conservanda, in usus pauperum omnino cedant. Ep.57.*

Illud hic certissimè animo commendari prorsusque infigi par est, opulentissimum, amplissimumque Præsulem causas venari excusationis, & tantum non ipsum sui suppudere, quòd ad extremam usque horam servarit bonorum suorum partem mobilium, nec jam olim diu ea pauperibus essent distributa. Hinc colligitur alteram jam ante mobilium partem ab eo pauperibus erogatam fuisse; & totam illam sarcinam incunctanter excussurum fuisse, nisi aliqua superesse necessum fuisset ad alendam familiam, & ad morbi expensas. Tum ille anathemati eos subjicit, qui hujus testamenti executioni obstrepent, qui opem ei exequendo impendent, eos quadraginta dierum indulgentiis donat. Hinc liquet non alio proposito testari solitos Episcopos, quàm ut pauperibus sua adeserent mobilia, eosque eliminarent qui velut in opimam prædam impetum faciebant in Episcoporum cæterorumque successiones Beneficiariorum.

VIII. Sæculi XII. finem, at XIII. initium faciemus à libris Decretalium, quæ desinente XII. ferè publicatæ sunt. Velut ex Concilio Pictaviensi ibi refertur, nec Clericos posse, nec laicos ex Beneficiariorum successione vel tantillum delibare, etsi propinqui sint. *Ut nullus de Clero, sive populo Ecclesiastica bona jure consanguinitatis sibi requirat habenda. L.3. Tit.5. c.1.* Jubetur Parochus Ecclesiæ suæ adscribere quidquid ab eo semel ordinato adquisitum fuerit. *Ut unusquisque Presbyter res, quas post dies consecrationis adquisierit, propria Ecclesia relinquat. L.3. Tit.25. c.3. 5.* Ex Concilio quondam Toletano constituitur, ut Beneficiarii, si quid Ecclesiæ suæ adjecerint, aut meliorem in statum restauraverint eo dum vita superat, perfruantur: at testamento, vel quocumque alio modo transferre in alios non possint, quòd Episcopi sit eis in hęc etiam successorem designare. *Post suum discessum Ecclesia restituat, nec testamentario aut successorio iure cuiquam heredum postaredumve relinquat, nisi forsan cui Episcopus pro servitiis ac præstatione Ecclesiæ largiri voluerit. L.3. Tit.26. c.1.* Ex Epistola Gregorii Magni sancitur, si Episcopus Ecclesiæ suæ tertiam partem successionis suæ legaverit, reliquum bessem cognatis, cogendos esse cognatos, ut iis contenti sint, quæ Episcopus ante ordinationem suam possedisset; quòd Ecclesiæ juri parta sint, quæ exinde parta sunt omnia. *Quidquid ipsum habuisse patuerit, à qualibet persona detineri nullatenus patiaris, nisi hoc solum, quod eum ante Episcopatus ordinem habuisse constiterit. Quidquid in Episcopatus ordine ipsum adquisivisse cognoveris, in ejusdem Ecclesiæ dominio conservetur.* Decreta illa duo superiùs à nobis commemorata Concilii Lateranensis III. & Alexandri III. Papæ, his Decretalium intexta sunt libris, *Cap.7. 8.*, iisque decernitur non posse Clericos de bonis testari iis, quæ Ecclesiasticis ex proventibus sibi peperere. *De bonis per Ecclesiam acquisitis Clerici testari non possunt.* Sed quanquam ne de mobilibus quidem testari possint, possunt tamen apperente mortis tempore aliquid inde in eleemosynas erogare. *Moderatam eleemosynam de bonis per Ecclesiam acquisitis Clerici facere possunt, etiam in ægritudine constituti.* Diximus hinc emolliri cœpisse priscum vigorem Canonum, ut testari de rebus mobilibus fas esset. Gliscenti ei indulgentiæ ab Alexandro III. restitum est, à quo concessum tantummodo illud est, ut moderatæ inde fierent eleemosynæ. *Non ratione testamenti, sed ratione eleemosynæ.* Disertissimè declaratur posse Clericos de bonis patrimonii testari, non posse de iis quæ ex rebus & reditibus Ecclesiæ accesserint. *Licèt Clerici de his, quæ paternæ successionis, vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, liberè disponere valeant; de his tamen, quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt nullum de jure possunt facere testamentum. Ibid. c.9. 12.* Rursus

ab

ab eodem Alexandro III. pronunciatur Lateranensem Canonem, quo vetantur Beneficiarii de bonis testari per Ecclesiam acquisitis, ad mobilia peræque atque ad immobilia pertinere. *Respondemus quod generaliter bona qualibet per Ecclesiam acquisita, et debent juxta Lateranense Concilium post adquirentis obitum remanere.* Sed in crimeo trahi non posse consuetudinem, qua fas est inde aliquid erogare in pauperes, in Cœnobia, in servos. *Consuetudinis tamen non est improbanda, ut de his pauperibus & religiosis locis, & his, qui viventi servierant, sive sint consanguinei, sive alii, aliquu juxta servitii meritum conferantur.*

Ita ergo jure, ita consuetudine cavetur. Jure servantur & vindicantur Ecclesiæ tum immobilia, tum mobilia Beneficiarii omnia per Ecclesiam parta. Consuetudine, cui jus ipsum disertè subscribit, permittitur ut aliquid mobilium dispergaot in Ecclesias, in pauperes, in servos, quo servorum grege possunt & proximi aliqui contineri. Hæc certè consuetudo, cui jus ipsum inter exordia sui suffragabatur, utpote intra modum sese cohibenti, nec extra circumscriptos limites spatianti: hæc inquam consuetudo jam modi & finium horum impatiens, ita usu postea invaluit, valetque etiamnum, ut jure Decretalium nusquam dici possit fuisse confirmata.

Quin & ex Concilio Alteimensi in libris Decretalium edicitur, si Presbyteri, Episcopi, cæterique Clerici ante obitum suum de bonis hæreditariis suis nibil statuerint, Ecclesiam illis ab intestato hæredem futuram. *Si ante obierint, ultari cui serviunt, omnia sanctificentur perpetuo, & in jus Ecclesia tradantur. L.3. Tit.27. c.5. 2.* Ei capiti Rubrica & Glossa clausulam addidere à textu ipso valde alienam, qua videlicet decretum illud ad Clericos arctatur, quibus nulli sunt proximi, & qui intestati obeunt. *Si decedat intestatus, & non habet consanguineos.* Sed quàm consentit hoc additamentum iis temporibus, quibus & Rubricæ & Glossæ conscriptæ sunt, tam immaniter dissentit ab ipsius Canonis sententia, & ab usu eorum temporum & locorum, quibus conscriptus est, adeoque & à temporibus iis, quibus sub Gregorio IX. libri ipsi Decretalium orbi Christiano promulgati sunt. Ejus rei documenta & prompsimus hactenus non pauca, & depromenda rursus occurrent alia. Magna hinc & hinc contentione de intentatorum successionibus certabatur, erantque Ecclesiis causę justissimæ in eos, quos suis saginaverant beneficiis, & quos quasi regni sui & disciplinę alumnos habebant.

Intestati Parochi mox ibidem successio in partes scinditur quatuor; Episcopo, Ecclesiæ, pauperibus sua cuique quarta pars addicitur; quarta residua cognatis, si qui sint; si nulli sint, Episcopo. Hoc certè decreto, quod tanquam Concilii Triburiensis laudatur, non exprimitur, hæreditariis, an Ecclesiasticis ex rebus emerserit hoc peculium. Ab Innocentio III. Episcopus Altisiodorensis evicit, ut in potestate & arbitrio suo haberet res Canonicorum & aliorum Beneficiariorum, qui nullas scripsissent testamenti tabulas, & ita vivere desissent. *Cum de benignitate Sedis Apostolicæ tibi sit indultum, quod ordinatio rerum Clericorum ab intestato decedentium, in tua dispositione permaneat, &c. L.5. Tit.40. c.18.* Difficile dictu est, cur interponeretur Sedis Apostolicę authoritas ad intestatorum successiones adeundas; nisi concertationes diutinæ, & non semel cruentæ eorum, qui huic prædæ inbiabant, Episcopum cogerent præsidium sibi accersere Sedis Apostolicæ, ut sopiri lites breviùs, defuncti res certiùs Ecclesiæ ipsius vindicari possent.

IX. Ita decursis Decretalium libris, jam tempestivum erit ad perpetuam nos referre seriem historiamque testamentorum sæculi XIII. Constitutiones Synodicę Episcoporum Angliæ anno 1217. & 1220. ita sanciebant: Ut ne Laici testamenta scriberent, nisi præsente Parocho, qui eos hortaretur, ut stipis aliquid legarent Fabricæ Cathedralis Ecclesiæ: ne Clerici etiam testamenta scriberent manibus Laicorum: legarent & ipsi aliquid Ecclesię Cathedrali; ne denique Beneficiariis fas unquam esset in fundo laico quidquam construere & in id proventus Ecclesiæ conferre. *Conc. Angl. Tom.2. pag.155. 180. 186. 252. 255. 368. 375. 389.* In Concilio Oxfordiensi anno 1222. *ad perpetuam damnationem* semet ipsos demergere dicti sunt, qui filiis vel nepotibus domos extruerent, aut qui in eas congererent fructus Beneficiorum suorum, qui omnino in pauperum alimenta converti debent: *In quibus Ecclesiarum proventus, & bona Ecclesiæ pauperum usibus deputata congregare præsumunt:* sive qui pecunias ad hæc & expensas suppeditarent: *Sed nec etiam pecuniam ministrent ad ejusmodi.* Innovatum est in Synodo Vorcestrensi anno 1270. ejusmodi decretum, confirmatumque mox est statutum Episcopi præcessoris. Si Parochus diem obiret post festum Annuntiationis, conscripto antè testamento, ejus anni fructus ejus juris fore. Si intestatus verò obiret, res ejus omnes in potestatem Episcopi venturas, qui & æs alienum exolveret, & pia quævis opera defuncto Parocho profutura curaret. *De his, qui decesserint intestati sic duximus ordinandum, ut de decimis & omnibus bonis eorum, qua tempore mortis inventa fuerint, disponat Episcopus, secundùm quod viderit expedire, convertens ea in solutionem debitorum defuncti, si qua fuerint, & alios pios usus, secundùm quod piè viderit faciendum. Can.37.*

In Synodo Excestrensi cum disertè pronuntiatum esset, Beneficiariorum omnia bona pauperibus distribuenda esse ubi modicè suis ipsi necessitatibus consuluissent, ut qui pauperum sint provisores: *Et licèt Ecclesiarum quidquam sua vita necessitati eis superfuerit de patrimonio Jesu Christi in usus pauperum, quorum dispensatores existunt, teneantur ex debito erogare:* mox omnia revocaotur dona & legata in concubinas facta, toleratis, si quæ in alios fecerint. Quod convenienter modis limitibusque suprà declaratis interpretandum est. In eadem Synodo illud expressum est, si post mediam Quadragesimam Parochi diem extremum obirent, de fructibus anni sequentis testari eos posse, at si intestati morerentur, res redituśque eorum arbitrio Episcopi dispensatum iri, ad exolvenda debita, ad reparationes Ecclesiarum, & in opera pia, quorum illis merces accrescat. Disertè autem confirmatur in hac Synodo, ubi Episcopus ita partitur bona intestatorum, id præstare, quod testamentum juxta leges & Canones præstaturum fuisset. *Idem fiat si ante prædictum tempus quemquam contingerit decedere intestatum, ut in utroque casu testamenti & executorum faciamus suppleri defectum.* Confirmata sunt & in Synodo Cicestrensi testamenta legitima Clericorum, præter legata in concubinas. Poterant hæ quidem earum esse numero & sorte, ut per Canones liceret aliquantulum rei eis legare: sed detestandæ impudicitiæ ergo, spes illis qualiscumque in res Ecclesiæ succedendi amputatur. Conceditur denique in eadem Synodo, ut Clerici residentes, aut Episcoporum obsequiis affixis vel literarum studiis operam dantes, quocumque anni die vivere desinant, de ejus anni proventibus testari possint.

X. His iisdem statutis, ut apparet, locus erat & in Gallia, & in reliquis orbis Christiani Provinciis. *Recueil. pour l. histoire de Bourgogne. pag.420.* Anno 1227. professus est Episcopus Augustodunensis, nihil sibi juris esse in successiones Canonicorum

rum Sancti Symphoriani, & Parochorum eis obnoxiorum, quòd ei juri à superioribus Episcopis renuntiatum esset. *Inspectis diligenter privilegiis dominorum Episcoporum.* Hæc privilegia non spectabant nisi ad successiones intestatorum. Concilium Turonense anni 1239. vetuit, ne quid unquam Beneficiarii legarent luxuriæ suæ consortibus, vel earum proli. *Ne quis Beneficiatus Clericus, vel in sacris Ordinibus constitutus, aliquid præsumat filio spurio, seu propria etiam concubinæ in ultima voluntate legare. Quod si fecerit, non valeat, sed Ecclesiæ applicetur.* Can.7. Concilium Coloniense anni 1266. anathema illisit Nobilibus laicis, qui Clericos & Beneficiarios testari prohibebant, ut eorum post mortem in spolia invaderent. Placet Concilio, tota ut libertate Clerici de rebus suis testentur. *Statuimus, ut nullus laicus, cujuscumque dignitatis vel conditionis existat, de bonis Clericorum sicut in vita, ita & in morte, testamentum suum faciendi, & de rebus suis disponendi per se, vel per alios, quibus hoc commiserit, liberam habeat facultatem. Et illos, qui contra hoc statutum de bonis & rebus Clericorum decedentium ausu sacrilego se injecerint, nisi sint ipsorum Clericorum manufideles, seu ultimarum executores voluntatum, ex nunc sententia excommunicationis innodamus.* Can.7.

Hac ergo ratione certavit Ecclesia pro libertate testamentorum Clericis & Beneficiariis propugnanda, non quò eorum successione pauperes fraudarentur, sed ut ab ea deprædanda sæculares propulsarentur Principes. Eodem æstu efferbuit Concilium Viennense, Can.40., in Patronos, sive laicos, sive Clericos, & in alios Laicos, qui in intestatorum hæreditates Clericorum protinus irruebant. *Ad aures nostras per clamosam multorum insinuationem pervenit, quod Patroni Ecclesiarum, tam Clerici, quàm Laici, Advocati, & Judices, & præcones bona decedentium Clericorum occupant, volentes sibi ab intestato succedere, pro sua voluntatis arbitrio, non judicio rationis.* Mox intentata excommunicatio est prædatoribus his omnibus rerum sacrarum. Anno 1270. iisdem pœnis sæviebat Concilium Budense in Hungaria in eos, qui pari audacia in Episcoporum spolia baccharentur. *Statuimus, quod ad bona decedentium Episcoporum, seu Episcopatuum, & aliorum inferiorum Prælatorum, sæcularium, seu Religiosorum, Monasteriorum, vel aliarum Ecclesiarum vacantium nullus laicus, quantacumque & cujuscumque sit altitudinis, existentia, conditionis vel status, manus suas extendi faciat vel permittat, bona hujusmodi auferendo, aut etiam occupando, occasione juris Patronatûs, vel alio quocumque prætextu.*

Anno 1281. Concilium Salisburgense anathemata etiam & interdicta vibravit in eos, *qui bona invadunt decedentium Clericorum.* Canon.15. Anno 1287. inter Archiepiscopum Lugdunensem & Episcopum Augustodunensem concordia inita est, ut si alter eorum testamento scripto obeat, alter omni ope connitatur ad ejus executionem. Si intestatus excedat, Procuratores à Capitulo designati, restitutionibus & debitis satisfacient, & mercedibus servorum, reliqua mobilia successori serv. entur. *Spicil. tom.8. pag.256.*

XI. Supersunt porro & invictissima documenta, quæ persuadeant usque ad annum 1300. priscos Canones & Decreta Juris Canonici novi vigorem pristinum illibatum retinuisse, nec Clericos potuisse, sive integra valetudine, sive testamento, mobilium etiam suorum quidquam legare, nisi Ecclesiæ, vel pauperibus: nec proximos suos donare potuisse, nisi ut inopes, & pro inopiæ modo, vel obsequii, quod ab illis sibi præstitum esset. Id adprobabimus primùm ex Synodo Diœcesana Coloniensi, ubi interdicitur Clericis, ne proximis donent, sive testamento, vel aliàs immobilia Ecclesiæ suæ, vel mobilia ejusdem reditibus acquisita. Eleemosynæ tamen aliquid erogare sinuntur eo modo, eaque cautione, quæ ad fastidium usque jam inculcata est. *Clerici bona, maximè immobilia & quæ per Ecclesiam sunt adepti, sive per modum testamenti, sive aliàs non transferant ad filios, vel nepotes, aut ad alios suos consanguineos, sed relinquant eâ Ecclesiæ, à qua sunt profecta. Sed intuitu eleemosynæ, pauperibus, religiosis, & piis locis, & illis, qui ipsis servierunt, sive consanguinei sint, sive alii, aliqua juxta servitii meritum de mobilibus dare possunt.* Can.5. Mox ibidem eis conceditur, ut pro arbitrio suo legent ac dispensent hæreditarias res omnes, & quas sibi sua ipsi industria adjecere, *non ex bonis Ecclesiasticis.* Denique excommunicatione hic percelluntur Clerici, qui mobilia Ecclesiæ cognatis reliquerint, dederintque. *Excommunicamus, & excommunicatos denuntiamus omnes Clericos, qui bona mobilia Ecclesiarum filiis suis nepotibus, vel consanguineis, seu aliis conferunt, vel in ipsos transferunt, vel ab Ecclesia alienant, sua propria voluntate, & sine consensu nostro.* Quibus extremis verbis illud videtur ionui causas incidisse & molestias temoorum singulares, ubi æquum & consultum esset, ut pauló liberaliùs, quàm Canones finerent, proximi à Clericis donarentur; sed ne fascinatio nugacitatis & concupiscentiæ illuderet, consilium & assensum Episcopi ioterponendum fuisse.

Mox exardescit eadem Synudus in dominos & Magistratus temporales, qui confestim irruebant in spolia morientium Clericorum & in fructus vacantium Ecclesiarum, sive intestati, sive testamento scripto excessissent. *Sed quia nonnulli terrarum domini, Judices & alii Officiarii laici bona Clericorum nostræ Diœcesis, decedentium ex testamento, vel ab intestato, authoritate propria & violentè rapiunt, occupant & arrestant in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis, quominus decedentium ultima voluntas pro salute animarum eorumdem decedentium valeat adimpleri: nos tam præsumptuosos excessus corrigere volentes, monemus omnes Nobiles, Judices terræ, Advocatos, terrarum dominos & laicos quoscumque, ne deinceps talia attentare præsumant. Contrarium facientes ipso facto excommunicamus.* Can.11. Nihil expressius dici potuit, ut constaret, non alio consilio & fructu Ecclesiam fuisse connixam ad testandi libertatem defendendam Beneficiariis, dispensatoribus alioqui & administratoribus meris indebitam, nisi ut eorum superfluæ & superstites res omnes pauperibus adsererentur, adversùs tot undique incursatores deprędatores.

In Synodo Baiocensi anni 1300. non sinuntur Parochi de immobilibus Ecclesiæ suæ per Ecclesiam acquisitis testamenta condere, aut donationes, nisi ut Ecclesię suę ea addicant; *De jure enim aliud facere non possunt.* Vigebat ergo tunc jus illud Canonicum etiam in Galliis. At verò *de mobilibus rationabile facere possunt testamentum.* Ea erat usitatissima verborum formula, quibus indigitabantur suprà sępius jam explanatæ & tunc frequentissimæ Decretalium de his leges. Quibus illud additur, ut *domûs utensilia successoribus suis relinquantur, saltem quod eis sufficiat competenter.* Sed longè majori, & qua major ne optari quidem possit diligentia, rem eam totam enucleavit Synodus Nemausensis anno 1284. ut & hinc etiam perdiscas, qui tunc mores essent Ecclesiæ Gallicanæ. Ibi quippe disertè pronunciatur bona Clericorum Ecclesiæ occasione quacumque acquisita, nusquam retineri, nusquam usurpari abs laicis posse, quòd ea sint Ecclesiæ bona. *Illud irrevocabiliter observetur, ut bona decedentium Clericorum, quæ occasione Ecclesiæ fuerint acquisita, nullus præsumat laicus occupare, aut illi-*

illicitè retinere, sed ad utilitatem Ecclesiæ conserventur, cujus intuitu fuerant acquisita. Ex regula & rigore juris nihilo plus mobilia, quam immobilia hujusmodi ad alios possent, quàm ad Clericos devolvi; sed consuetudine, quàm Ecclesiæ indulgentia & humanitas toleravit, sinuntur ex eis Clerici aliquid impertiri pauperibus, locis piis, servis, servata moderatione. *Licèt autem mobilia per Ecclesiam de jure in alios pro arbitrio Beneficiali Clerici morientis, transferri non possint, consuetudinis tamen est non improbanda, ut de bonis mobilibus ipsarum, pauperibus & locis religiosis, & aliis, qui Clerico Beneficiato viventi servierant, sive consanguinei sint, sive alii, juxta servitii meritum conferantur ab ipso infirmo, vel à successore suo solvantur; sive reddantur, secundum quod infirmus moderatè duxerit ordinandum.* Si Beneficiario bona sint patrimonialia, vel industria, ingenio & labore parta, ea pro libitu suo ad cognatos suos traducet; at si vel cognati ei sint nulli; vel intestatus obeat, Episcopi erit de rebus ejus omnibus disponere. *Si verò nulla ratione, vel dispositione facta de bonis suis decedentes Clerici, consanguineos, vel Ecclesias, seu Beneficia non habuerint, bona ipsorum debent arbitrio sui Episcopi ordinari.* Quæ extrema memorabilis cum primis clausula est, ex qua constat, si Clerico cognati non essent ulli, & intestatus obiret, patrimonium ejus in jus Ecclesię concessisse; in jus verò Episcopi, si nihil Beneficii habuisset, ut de iis Episcopus decerneret, quæ pietati & Canonibus essent consentanea. Caput denique illud est omnia Beneficiariorum bona subductis necessariis Clerici ipsius expensis, ad jus Ecclesię devolvi. *At quidquid habent Clerici de bonis Ecclesiasticis, deductis expensis honestis & necessariis, pauperum debet esse.*

XII. Nec illaudata nobis abibit Hispania. Nec enim ab ejusdem disciplinæ tenore aliena erat illa. Anno 1289. cum Episcopi Lusitaniæ bene multis & amarulentis querelis interpellassent Clementem IV. Papam adversùs Dionysium Lusitaniæ Regem, responsis & pollicitationibus suis, tum Pontificem, tum Episcopos suos Rex demulsit. *Rainald. n.30.* Inter varia querelarum capita illud erat, numero vigesimum nonum, quòd Ministri Regii, legata pia Clericorum, bona, spolia invaderent. *Quod nititur ad forum suum testamentarias & alias Ecclesiasticas evocare causas, defunctorum Clericorum occupando legata, ac Rectorum Ecclesiarum decedentium bona, ipsarum Ecclesiarum intuitu acquisita.* Num.29. Procuratores à Rege missi Pontifici receperunt, regulas juris canonici accuratissimè hac quidem in parte posthac observatum iri. *Respondent Procuratores supradicti, & promittunt, quod Rex in isto articulo jus commune servabit.* Diximus alibi anno 1322. Joannem Archiepiscopum Toletanum Constitutionibus Synodicis suis prohibuisse, ne vel filiis suis quidquam Clerici darent legarentque de bonis & proventibus Ecclesiæ. *Ecclesiasticis obsequiis parta bona, ea dare legareve filiis, quamvis justis, nefas est. Mariana L.15. c.17.* Apparet autem Episcopos sese ad eas accomodasse leges, quas ipsimet Clericos præscribebant, forsan & in vestigia ingressos esse Isidori quondam sui Hispalensis Episcopi, quem author est Mariana nihil condidisse testamenti, quòd omnia jam occupasset pauperibus elargiri. *Nullum testamentum condidit, quoniam quidquid in bonis erat reliquum, per eos dies egenis erat ejus jussu datum. L.6. c.7.* Nec posterior hæc & degener ætas, ejusmodi exemplorum luce omnino destitura fuit. Anno 1213. B. Stephanus Diensis Episcopus terris evolans ad beatas sedes immortalium, urgentibus Clericis ut testamenti tabulas scriberet, respondit minimè necesse id quidem esse, quòd quę in potestate habuisse omnia juris & potestatis fuissent Ecclesiæ suæ. *Urgentibus Ecclesia sua filiis, ut testamentum faceret, Non est inquit necesse, cum omnia sint sponsa mea, quam gubernandam suscepi. Rainald. An.1213. n.71.*

CAPUT XLVIII. *P.4. l.4. c.17.*

An Episcopi, & Beneficiarii cæteri testari possint de reditibus Ecclesiasticis à se accumulatis & sepositis, vel in fundos aliquos expensis. Quæ leges, qui usus Ecclesiæ post annum millesimum trecentesimum.

I. Ab anno 1300. ad 1400. cognati Clericorum non succedebant vel testamento, vel quavis ratione alia, in bona quæ ex Ecclesię proventibus provenissent. Argumenta ex Germania, Anglia & Hispania.

II. Alia argumenta de Anglia, Franciaque.

III. Post annum millesimum quadringentesimum invalescere cœpit in Gallia, ut cognati hæreditates adirent Clericorum & Beneficiariorum, ampliatione quadam ejus consuetudinis, quam jus tolerabat, ut aliquid iis legaretur, tanquam egenis & famulis.

IV. Rursus de eodem novo usu, quo propinqui etiam & hæredes Beneficiariorum deinceps ad reparationes cogi potuere.

V. Nec in omnes statim pervasit is usus regni Ecclesias. Ubi pervaserat, tenebantur hæredes oneribus omnibus rerum Ecclesiasticarum, perinde ut reparationibus.

VI. Caput Consuetudinis Trecensis in ea re. Doctrina Canonistarum.

VII. In aliis Christiana Ecclesia Regnis priscus perennavat usus, nullam in successionis partem venientibus cognatis nisi paupertatis, vel famulitii jure, & modulo; quods tandem placuit solum onerari testatorum conscientiam.

VII. Sæculo sexto decimo magis magisque corroboratus est is usus, ut cognati succederent, sive testamento, sive ab intestato. Sed & testatoris & hæredum onerata semper mansit conscientia usus rerum sacrarum, & ab Ecclesia sibi commendatarum.

IX. In Germania & Hispania res Clericorum Ecclesiastica, si intestati illi excedant, Ecclesiæ, vel Episcopo adjudicantur, ut in opera pia expendantur.

X. Ubi Romani Pontifices Beneficiariis finitimæ Romæ regionis, in favorem cognatorum testari permisere, non aliud illi, quàm suum spoliorum jus cognatis concessere.

XI. Covarruvia doctrina.

XII. Vuillelmi Parisiensis Episcopi sententia.

XIII. Exempla B. Caroli.

I. POst annum millesimum trecentesimum eæ obtinuere Ecclesiæ leges, quæ priùs; nec à legibus usus deviavit. In Concilio Coloniensi 1320. statutum est, *Can.14. 15. 17.*, si Canonici suspensi à Beneficiis vita emigrarent, eorum nihilominus Ecclesiam fruituram anno Gratię, hoc est, Deportus, sive Annata, dum vacaret Ecclesia, perinde ut usus esset cujusque Ecclesiæ: nec verò Beneficii successores, si quid his obstrepant, audiendos. *Ipsis Ecclesiis & non successoribus suspensorum cedant fructus post obitum currentes, pro reditibus perpetuis* com-

comparandis ad Communem Ecclesiarum utilitatem, Hocce verò Annatę, vel Deportus decretum, quode inferius, superstrui non poterat, nisi legitimo, & nativo juri Ecclesiæ in omnes Beneficiorum fructus, sive superstite, sive extincto Beneficiario, Mox verò vacantis Ecclesiæ fructus proximi legare vetantur Beneficiarii, in irritum missis his legatis omnibus. *Legatum hujuscemodi non teneat in hoc casu, sed cedat Ecclesia à qua processit*. Illud denique edicitur ab hoc Concilio, ut reditus Canonicatuum, quo tempore suspensi sunt Canonici, Capitulo addicantur ad communes Ecclesiæ necessitates, qui in Ecclesia Coloniensi mos retentus semper fuerat. *Cedant Capitulo ad communes usus Ecclesiarum suarum*.

In Concilio Toletano anno 1324. *Can.5.* statutum est ut ne finerent Episcopi, Clericos suos quidquam vel donare, vel legare proximis, eorum quæ per Ecclesiam sibi peperissent, sed leges Canonicas religiosissimè servari curarent. *Statuimus quod nullus Clericorum bona intuitu Ecclesia acquisita filiis, vel filiabus sui det, vel conferat inter vivos, vel testamento contra Canonum instituta dimittat, pracipientes omnibus Episcopis in virtute sancta obedientia, quod jura super hoc edita diligenter observent*, Provinciæ Cantuariensis Concilium Lambethense anni 1330. rursus probibuit, *Can.8.*, ne in fundo laico Clerici domos extruerent, quod eo id fieret ingenio, ut illuc conveherentur Beneficiorum fructus, atque ita ad proximos transferrentur, quod non poterant sine certo æternæ salutis exitio. *Dum proximis consanguineis bona Ecclesiastica congregant, iram Dei & damnationem perpetuam thesaurizant. Const. antiq. Reg. Angl. p.220. 221.*

Id moris erat Angliæ Episcopis & Abbatibus, testandi ut licentiam à Regibus exorarent, atque ita certo scirent nihil intercessuros Ministros Regios testamentorum suorum executioni, dum designati executores exolverent primum, si qui Episcopi vel Abbates in ære Regis essent. Quæ eadem & in Scotia consuetudo obtinebat sub Rege Angliæ Eduardo I. circa annum 1300. Cum suæ enim ille ditioni Scotiam subjecisset, & gratum facere vellet Alano Cathnensi Episcopo, & Cancellario Scotiæ vita functo, res ejus omnes, quas pro more Scotiæ invaserant Regii Officiales, relaxari jussit, ut ex expenderentur ad solatium animæ defuncti Præsulis, ex arbitratu Episcopi Dunelmensis. *Cum concesserimus de gratia nostra speciali, quod omnia bona & catalla que fuerunt ipsius Episcopi in Scotia die quo obiit, & que per mortem suam capta fuerant in manum nostram secundùm consuetudinem Regni Scotia, integraliter liberarentur pro anima defuncti, juxta ordinationem defuncti Episcopi distribuenda, prout saluti anima ejusdem viderint expedire*. Hinc perspicis, testamenta quædam ab Episcopis scripta fuisse, sed eo uno fine, ut res Ecclesiæ omnes in usus pauperum expenderentur, 2. Id sibi Scotiæ Reges sumpserant juris, ut spolia occuparent Præsulum terris migrantium, nisi speciali Principis rescripto muniti essent, quo vigerent valerentque eorum testamenta. 3. Successiones verò Prælatorum custodiæ suæ vendicaverant, ut ne ampliùs prædæ paterent. In hoc enim ipso exemplo Cathnensis Episcopi res jam invaserant laici prædones, nec nisi interveniente authoritate Regia illa restitui potuere. *Ac datum sit nobis intelligi, quod bona illa per quosdam homines partium illarum jam alienata sunt & subtracta, &c. Ibid. p.543. 544. 545.* An verò hoc necessarium, æquissimumque custodiæ jus in spolii jus desciverit, id equidem malim Lectorum judicio permittere. Concesserat & Henricus III. Rex Episcopo Dunelmensi de mobilibus vel immobilibus suis testari ut pro arbitrio posset, plenissima libertate gavisuris executoribus, quos designasset,

II. Concilium Londinense, *Ibid. p.101. 106.*, sive potius Constitutiones Provinciales Archiepiscopi Cantuariensis anno 1342. promulgatæ compescuere Episcoporum & Prælatorum quorundam aliorum licentiam, qui Clericorum testamenta irritare se posse, executionemque suspendere confidebant, atque ita & eorum sibi vendicare successiones, uti & eorum qui intestati obiissent. Jubent Constitutiones, ut Clericis ea sarta tectaque servetur testandi facultas, quam Leges Canonesque concedunt. *Prout legalis & canonica sanxit authoritas*. *Can.8.* Ut creditores, proximi, filii testantium ad partem aliquam venire possint mobilium, uti jure & consuetudine fas est. *In damnum suorum creditorum, liberorum & uxorum suarum, qui & qua tam de jure, quàm consuetudine certam quotam dictorum bonorum habere deberent*. Ut denique quidquid rerum superest Clericis intestatis, id expendatur, debitis eorum eluendis & piis operibus conduplicandis quæ in eorum sempiternam salutem frugifera sint, ne proximis quidem eorum indonatis, si qui egeant. *Ab intestato decedentium solutis debitis eorundem, bona que supererunt in pias causas, personis decedentium consanguineis, servitoribus & propinquis, seu aliis pro defunctorum animarum salute distribuant*.

Sinunt quidem hæ Constitutiones, ut portio aliqua mobilium proximis distribuatur, sive testati, sive intestati obierint Clerici: sed simillimum veri est, de proximis illis ibi verba fieri, qui vel inopia graventur, vel in obsequio vel famulatu Clerici fuerint. 1. Disertè enim id pronuntiatur jure & consuetudine caveri. *Tam de jure, quam de consuetudine certam quotam bonorum habere deberent*. Atqui suprà declaratum est, consuetudine ea cui jus suffragaretur, non commendari proximos, nisi qui vel pauperes essent, vel famuli. 2. Id *debere* dicuntur Clerici, ac ne potest quidem id deberi, nisi pauperibus & servis. Alioqui utcumque tolerari res poterit, non deberi. 3. Post æs alienum solutum reliqua bona piis dicantur operibus, quæ prosint animæ Clerici fato functi, quo possunt & proximi contineri. Non continentur autem, nisi pauperes sint. *Bona qua supererunt, in pias causas distribuant*.

Consuetudine Nivernensi sancitur, ut si quis Clericus exilio, vel carcere damnetur perpetuo, immobilia ejus Prælati in fiscum redigantur, cui suberat. Hujus porro Consuetudinis Commentator famosus, *sic se habere legem testatur; & ea standum esse: at verò si de ea funcienda, retractanda, emendanda tractaretur, aliter omnino statuendum fore*. Quæ eo sensu non absurdè omnino ab eo dicta videri possint, quòd antiquo Juri canonico & civili ea consuetudo consentanea esset, cum verò jam mores alii, diversæque obreperent consuetudines, his potius standum fuisse. Quod nec ego quidem abnuerim, dum inconcussa retineatur illa lex, ut Christi, Ecclesiæ, & pauperum patrimonia, reditusque omnes & fructus hinc emergentes, ad quascumque demum venerint manus, sive Clericorum, sive Laicorum, eidem semper legi & conditioni sint obnoxia, & in commune omnium res pauperum sint, sive per Clericos, sive per Laicos administratores eis servanda, eis refundenda. *Coquille Tom.2. pag.42.*

In Concilio Vaurensi anni 1368. statutum est, *Can.6.*, ut Archiepiscopi & Episcopi singuli Ecclesiæ suę conferrent sacram supellectilem, vel centum auri florenos legarent ad eam coemendam. *Et ad hoc sint ejus bona, quacumque habuerit, dicto tempore obligata*. Idem rursus præcepit Concilium Narbonense anno 1374. *Can.9.* Synodo Vintoniensi anno 1308. intestati Beneficiarii res addicebantur Episcopo, pro Anglicanæ Ecclesiæ consuetudine, *De bonis autem*

tem ab intestato decedentium, quæ ad Episcopalem dispositionem, secundùm Anglicanæ Ecclesiæ consuetudinem pertinere noscuntur, &c. Conc. Angl. Tom. 2. pag. 455. 586.

Verùm jam semel illud iterumque à nobis observatum est, non eò proprietatem, sed dispensationem earum rerum Episcopis tribui, perinde ut Canones eas dispensari sanxissent. Cum Magistratus enim & domini temporales intestatorum res & spolia usurpare cæpissent, intervenere Episcopi, eamque ad se traduxere potestatem, quò rerum Ecclesiæ harum canonica fieret distributio. Ea erat mens hujus Synodi & sententia. At cum postea Episcopi quidam cupidiùs quàm equiùs huic distributioni imminerent, ei malo medicari cœpit Concilium Londinense, de quo suprà, anno 1342. Jam & illud monuit Mariana Capite superiori Constitutionibus Archiepiscopi Toletani anno 1322. ita sancitum fuisse: *Parta Ecclesiasticis obsequiis bona, ea dare legavere filiis quamvis justis, nefas esto. Constitut. Con. Tarra. L.3. Tit.12.*

In Concilio Tarraconensi anni 1329. prohibentur Clerici, ne quos sibi privatos scribant hæredes, sive Clericos, sive Laicos; sive proximos, sive extraneos. Nec enim id voluisse Concilia ea, quæ testandi copiam fecere de rebus Ecclesiæ. Vacua ergo atque irrita habebuntur hæc testamenta. *Ne liceat de cætero hæredem facere aliquem Clericum vel laicum, extraneum vel conjunctum.* Concessa est enim testandi licentia, ut tota successio in Ecclesias & pauperes, in debitores & servos spargatur, non in privatos hæredes. Affatim ergo jam est probationum, ut constet ab anno trecentesimo usque ad quadringentesimum supra millesimum, viguisse leges & consuetudines priscas Ecclesiæ, neç contaminari eas usquam potuisse quin vindices exurgerent vel Conciliorum, vel Synodorum præsules, vel Constitutiones Provinciales ac Synodicæ Episcoporum.

III. Nec inficiari tamen possumus, senescente sæculo XIV. ineunte verò XV. majorem in dies serpere cœpisse licentiam ampliandæ ejus consuetudinis, quam jus ipsum non improbasset, ut mobilium aliquid proximis & servis legaretur, ex quo tandem in eum res erupere statum & locum, quo eæ sunt in præsentiarum. Anno 1381. prodiit Caroli VI. Gallorum Regis Declaratio, qua cohibita sunt spolia, quę Curiæ Romanæ Officiales & Ministri colligere cœperant Episcoporum & Abbatum mortalis ex hocergastulo vitæ emigrantium. Ea verò Declaratione significatur, jurę & consuetudine fulciri Præsules Gallicanos, ut adventante morte tabula testamenti scribant, & executores designent. *Licèt de jure, usu, & consuetudine, & communi observantia notoriè observatis, Episcopis Regni nostri testari liceat; & in suis testimentis executores ordinare.* Jam usu convaluisse, ut Judices Regii executores testamentarios cogant, vel hæredes Episcoporum, ad sarta tecta Ecclesię & ædium Episcopalium. *Qui executores, aut saltem Episcoporum hæredes ad faciendum reparationes ædificiorum Episcopalium, dum casus eveniunt, per judices & Officiarios nostros compellantur.* Hoc Pontificio spolio per executores Apostolicos avecto, jam nihil supereffe ad resarciendas Ecclesias ædesque; tam mobilia enim, quàm immobilia Episcoporum asportari, quin immo & propriæ industriæ fructibus parta, quæ jam Episcoporum eorum non sint, sed executorum, vel hæredum. *Bona mobilia & immobilia ex decessu trium talium Episcoporum relicta etiam illa, quæ per suam industriam quæsierunt, quæ amplius ipsorum Episcoporum non sunt, neque censentur, sed ad suos hæredes, vel eorum executores spectant, capiunt. Preuves des Libert. de l' Eg. Gall. c.22. num. 8.*

Jure quidem & consuetudine constantissimè confirmabatur Episcopis potestas testandi; at quorsum spectaret id jus, ea consuetudo, ea potestas, iterum jam iterumque & monuimus, & probavimus, nimirum ut Clericorum Ecclesiastica successio Ecclesiæ & pauperibus assereretur, ab eaque summoverentur importuni deprædatores, aut usurpatores, populi, Magistratus, domini temporales, Clerici ipsi. At quo tempore Regia hæc constitutio illuxit, jam id jus eò deflexum ac detortum fuerat, ut hæredibus Episcoporum vendicarentur eorum successiones, nulla earum exceptione, quæ ex Ecclesię proventibus partæ fuerant. Certè cum vel Judices ipsi Regii hæredes Episcoporum adigerent ad reparationes omnium Episcopalium ædium, hinc facilè concluditur, ad eorum manus devenisse successionem ipsorum Ecclesiæ fructuum. Eo forsan adducti fuerant Pontifices summi Avenione sedentes, & qui propiùs omnia intuebantur, ut ea sibi pòtius spolia vindicatum irent. Quandiu enim morientium Episcoporum spolia Ecclesiis eorum addicebantur, nusquam apparet Romanos Pontifices ea sibi sumere gestiisse. Sed postquam compertum fuit ea involari à cognatis, & in usus sæculares, ne quid inclementius dicam, absumi, facilè auguramur ita sibi persuasisse, ita præ se tulisse Pontifices, æquiùs hæc sanctiùsque Sedi Apostolicæ vendicari posse ad communes Ecclesiæ sumptus. Curiæ Romanæ regerebatur, spolia & successores Ecclesiasticas Episcoporum ad reparationes desiderari omnium Episcopatûs ædium, villarumque. Vel hujus autem ævi nostri experientia plus æquo compertum est, ædes omnes villasque Episcopales pessum rituras, nisi ad earum sarta tecta hæredes Episcoporum per Ministros Regios compellerentur.

IV. Haud satis comperi, an primaria fuerit ea, & potissima ratio, invehendæ consuetudinis hodiernæ, qua Beneficiariis succedunt cognati, certè non alia depromitur in hac Regia Declaratione. Difficile est diffinire, an ea ratio consuetudinem illam pepererit, an inolitæ semel & adultæ consuetudini color ab ea ratione quæsitus sit. Fieri enim potuit ut complusculi Beneficiarii abliguritis Ecclesiasticis fructibus omnibus, forsan & in propinquos non modica ex parte dispensatis, sarta tecta Ecclesiæ prorsus omiserint, nec rei quidquam reliquerint, quod in ea impenderetur. Minùs mirum ergo si alicubi placuerit, eos potiùs apertè in cognatorum suorum compendium testari, dum reparationum expensis obnoxii hi ipsi essent hæredes & cognati. Fieri etiam potuit, ut ampliata ea consuetudine legitima, quę sinebat aliquid mobilium legari cognatis, sed iisdem pauperibus, vel famulis, hi paulatim limites sitmnoti sint longiùs, palamque licuerit cognatis legare, dum vicissim hos Ecclesia cogeret ad sarta tecta omnia. Suo quisque in his utetur judicio: alio & alio tempore & loco, ad utrumque eum modum res potuit temperari.

Sed illud animo vehementer commendandum est, ex ipsis Declarationis hujus verbis segreganda esse bona per ipsius Beneficiarii industriam parta à cęteris eorum rebus ex Ecclesię patrimonio prodeuntibus. Ita enim Rex constituit, priora illa bona ad Clericorum hęredes devolvi, nec ex iis delibari quid posse ab Apostolicis spolii collectoribus, quod ex suprà relatis Ecclesiasticis legibus abundè patuit. Hinc rursus autem illud manifestè colligitur, cętera bona, quę nec ex patrimonio prodeunt, nec ex industria, ad proximos vel hęredes devolvi non posse, nisi testamento Beneficiarii vita abeuntis. Uti ergo hęredes vel proximi ad Beneficiarii successionem ejus testamento vocantur, & nihilo tamen minus Edi-

ctis

ctis Principis & per ministros Regios ad reparationes compelluntur; pari sanè ratione illi tenentur ad cetera onera bonis Ecclesiasticis Jure canonico incumbentia, sive sit, sive non sit actio qua ad id compellantur; nimirum ut æri alieno satisfaciant, ut servos premientur, ut superflua deinde omnia pauperibus erogent; cum ea lege, conditione, natura sint bona omnia Ecclesiarum.

V. Nequaquam ergo inficias imus, quin consuetudo pondus & authoritatem addiderit testamentis, quibus Beneficiarii heredes scribunt proximos sibi & consanguineos; sed nec irascendum nunc quidem est ei usui, quo etiam intestatis succedunt. Excipiant per nos licèt hereditates, quando ista mores & leges ferunt Christianissimi Regni. Sed iis excipiant oneribus gravatas, quibus inexorabilis Ecclesiæ lex & traditio constantissima eas illigavit, sive sæculi leges & ultrices pœnas unà conspirent, sive sola eorum conscientia oneretur. Anno 1406. ab eodem Carolo VI. Rege alia quoque manavit in eandem rem Constitutio, ex qua intelligimus necdum novellam eam consuetudinem magnopere per Regni Provincias propagatam fuisse. Plurimum est in Regii hujus Edicti verbis momenti, ut nova fiat antedictis omnibus lucis & vigoris accessio. Nimirum tum jure, tum consuetudine valere Beneficiariorum testamenta; sed hæredes eorum, sive proximitate conjuncti illi sint, sive non sint, ad onera teneri certissimè ea omnia, quæ hujusmodi rebus Ecclesiæ affixa sunt. Ipsemet enim Rex hoc ipso ibidem Edicto pronunciat, fructus & proventus Beneficiorum, à legibus, à regulis Canonicis, ab ipsis fundatoribus dicatos fuisse alendo Clero, sustentandis pauperibus, captivis redimendis, reparandis Ecclesiis, sarciendis ædibus, excolendis agris. *Cum sint fructus Ecclesiarum & Beneficiorum quorumcumque etiam vacantium, tam secundùm dispositionem Conciliorum generalium & jurium, quàm secundùm piam intentionem fundatorum, ordinati ad sustentationem ministrantium in divinis, ipsiusque divini cultus augmentum, alimentationem pauperum, redemptionum captivorum, Ecclesiarum sacrorumque ædificiorum reparationem, terrarum & possessionum Ecclesiæ culturam, jurium ipsarum conversationem, cæterorumque onerum incumbentium supportationem. Ibid. n. 9.* Ac proinde bona Ecclesiastica Beneficiariorum fato suo excedentium, servanda esse successoribus, ut oneribus exolvendis, & implendis Ecclesiæ necessitatibus impendantur. *Adeo & quod bona per Prelatos post eorum obitum dimissa, futuris debent successoribus reservari in eorum utilitatem convertenda.* Nisi fortè in iis Regni locis, ubi usu receptum est, ut Prælati, & cæteri Beneficiarii sæculares testentur de rebus suis, & ubi intestati hinc demigrant, succedunt nihilominus hæredes. *Nisi fortè in illis locis Regni, ubi de usu & consuetudine notoriè observatis, licitum sit Prelatis ipsis & aliis viris Ecclesiasticis secularibus de eisdem bonis facere testamentum; Quibus etiam ab intestato in dictis bonis secundùm consuetudinem & observantiam supradictas sui succedunt heredes.*

Non pauca sunt hic sedulò nobis observanda. 1. Anno 1406. pauca adhuc fuisse Gallicani Regni loca, ubi possent Beneficiarii bona sua ad eos transferre hæredes, qui vel consanguinitate, vel amicitia & necessitudine sibi conjuncti essent, vel ubi in bona eorum etiam Ecclesiastica hæredes intestatis succederent. 2. Eum usum astructum non fuisse, nisi consuetudinibus peculiaribus quorundam locorum. 3. Ne illud quidem Consuetudinis jus ita statum fixumque in illis etiam paucis locis tum fuisse, ut non vel ipse Rex nutantibus & suspensis uteretur verbis in eo exprimendo, *Nisi fortè in illis Regni locis*. 4. Communem autem & legem & consuetudinem per Gallias pene universas eam fuisse, ut Beneficiarii successio successori reservaretur, Ecclesiæ utilitatibus addicenda. 5. Concilia, Leges, ipsas fundatorum voluntates, consentiente Rege ipso, dicasse bona Ecclesiæ omnia reditusque omnes alendis Clericis, pauperibus, & necessariis impendiis Templorum, ædium, agrorum Ecclesiæ. 6. Inde verò illud esse consequens, ut sive successio Ecclesiastica Beneficiarii in manus delabatur successoris, vel hæredum, eam inconvulsa lege & inexorabili necessitate in ea impendi debere, in quæ ab ipsa sui origine & longo sæculorum usu dicata & mancipata sunt omnia prorsus Ecclesiæ bona, redimendis captivis, alendis Clericis pauperibusque, Ecclesiis resarciendis. Pervigilant Ministri Reipublicæ, ut hæres Beneficiarii sumptus faciat necessarios reparationum; Ecclesia ejus conscientiam onerat de reliquo usu rerum sacrarum proventuumque Ecclesiasticorum, quibus non solæ ex officio incumbunt curandæ reparationes. Nec verò necesse est hic alias à me acervari Consuetudines complurium Galliæ urbium & provinciarum, ubi proximi & consanguinei ad hæreditates vocantur Beneficiariorum, tam mobilium, quàm immobilium, nullo discrimine, sacrorum an civilium proventuum. Pauca hæc libet ex Joanne Galli hic intexere: *De consuetudine notoria & notoriè observata in Regno Franciæ, in Patria Consuetudinaria, Episcopi, Presbyteri, Curati & alii Beneficiati in acquisitis per ipsos, antequam essent Beneficiati, vel post, sive mobilia, vel immobilia, habent haredem, vel successorem propinquiorem, scilicet de eorum genere, Q. 16. & 290.*

VI. De Patria ergo Consuetudinaria, sive de Provinciis, quæ privatis reguntur Consuetudinibus, non jure Romano, capienda erant illa superius verba Caroli VI. Regis. *Nisi fortè in illis locis Regni.* Tota enim Patria Juris scripti, hoc est, Juri Civili Romano addicta, legibus adhuc, Canonicis institutis & Decretis obsequebatur, in hacce tota re tastamentaria. Non mihi tempero tamen quin hic promam quod habetur in Consuetudine Trecensi, & in articulo ejus 106. ubi Beneficiariorum hæreditates proximi cernunt, adeuntque. *Huic articulo intercesserunt Abbates, aliique Regulares, qui conventui intererant, contendentes, ubi Episcopus, vel Presbyter quivis secularis, Prioratum vel Abbatiam sibi commendatam obtineret Regularibus suis Abbatiis, vel Prioratibus obnoxiam, & è vita migraret, tum ad ipsos devolvi bona omnia quæcumque in Abbatia vel Prioratu reperirentur. Unde intercedebant, ne Caput illud receptis Consuetudinibus innecteretur. Clerici porro seculares, Nobiles, Magistratus Regii, Advocati, causidici, aliique plebeji, qui & ipsi Conventui intererant, ex adverso confirmabant ejusmodi hactenus consuetudinem viguisse, antiquissimum eum fuisse & pervagatissimum usum. Ideo non sollicitandum Caput illud. Constitutum est ergo ita id Caput Consuetudini publicæ illigatum iri, ut opinioni secus instantium Regularium nihil præjudicarentur. Preuves des Lib. de l'Eg. Gall. c. 36. n. 42.* Observari hic planè necessum est, qua demum ratione inirentur hæc Concilia, hæc statuerentur Decreta, usque adeo Ecclesiæ contumeliosa, in Conventibus, ubi tantopere laicorum authoritas dominaretur. Qui huic Consuetudinis Capiti assentiebantur tum Clerici, cognitioni illi, quàm Ecclesiæ impensiùs studebant. Non constat mihi quidem ad hos Conventus accersitos esse Episcopos, aut sponte sua intervenisse. Denique suspensa tantùm & temporaria fuisse videtur ea Consuetudinis confirmatio, utpote absque præjudicio facta

opi-

opinionis contrariæ. Denique ita quidem fert caput illud Consuetudinis, ut Beneficiariis proximi succedant; at non ut absolvantur novi hi hæredes oneribus iis & servitiis, quæ rebus & bonis omnibus Ecclesiasticis incumbunt, utpote quæ ex invariabili lege & natura sua charitatis & religionis operibus dicata sint.

De Jure hoc Consuetudinario multi multa scripsere ex recentioribus Canonistis. Hæc libuit hoc loco intexere Glossis Guimierii, & ex Additionibus Probi in Pragmaticam Sanctionem. *Tit. De Annatis §. Quod si Ecclesia. Attenta generali Consuetudine, quę est in Regno Francię, quod fructus Ecclesiastici acquisiti transmittuntur ad heredes, &c. Non credit tamen Hostiensis in capite finali de peculio Clericorum, quod generalis consuetudo excuset à peccato Clericos, qui tempore mortis omnes proventus, quos habuerunt ab Ecclesia, dant vel relinquunt parentibus divitibus, &c. Inolevit consuetudo, quę visa est Ecclesię & pauperibus onerosa, fortè multas ad inferos conducere animas. Sic tales vivunt ut domini, moriuntur ut servi, dico servi pœnę, non carentes bonis. Melius igitur credendum est opinioni Hostiensis.*

VII. Ad xv. sæculi intermissam narrationem revocandus jam est calamus. In Concilio Salisburgensi anno 1420. sævitum est in Clericos, laicosque, qui obtentu Patronatûs invadebant spolia mobilium & immobilium Beneficiarii hinc excedentis, atque ita Ecclesiam spoliabant, cujus hęc erant. *Ecclesiam Patroni, sive Clerici, aut Laici, qui Rectore Ecclesiæ mortuo dotem & Ecclesiam rebus mobilibus, seu immobilibus spoliant, cujuscunque dignitatis fuerint, sunt à jure patrandi illa vice suspensi, & collatio ad immediatum Superiorem devolvitur. Insuper etiam ipso facto excommunicationis sententiam incurrunt.* Can.40. In Concilio Hafniensi, anno 1425. vetiti sunt Episcopi, Prælatique inferiores, ne quid sibi arrogarent de rebus morientium Beneficiariorum; nisi quod sibi legatum fuisset. *Nullus Episcoporum, seu Prælatorum inferiorum, bona Clericorum decedentium sibi subjectorum, præter ea, quæ ipsis spontaneè legantur, sibi vendicent & usurpent.* Can.18. Si qui verò intestati obeant, eorum vult Concilium ex Canonicis legibus bona distribui. *Bona verò Clericorum ab intestato decedentium dividantur secundùm Canonum sacrorum sanctiones.* Quoad peregrinos autem Clericos id primum edicitur, ut æs alienum primo eorum exolvatur omne, tumque expectentur hæredes; quorum si nullus se sistat, reliqua eorum bona in pios usus consilio & jussu Episcopi dispensentur. *In pios usus secundùm Ordinariorum arbitrium convertenda.*

In Concilio Deturfano anno 1429. statutum est ut Monachi ipsi testentur, dum Constitutionibus se suis accommodent, utque ne eorum successionibus Episcopi se interponant. *Ecclesiarum prælati bona decedentium Religiosorum, quibus permissum est secundùm statuta, vel laudabiles consuetudines, de bonis à Deo sibi collatis disponere nullatenus audeant occupare, si per eosdem Religiosos juxta statuta vel consuetudines prælibatas de bonis prædictis fuerit ordinatum.* Quoad reliqua verò testamemementa sæcularium Beneficiariorum, ea valere jubentur, dum Canonicis institutis & legibus Synodalibus consentiant. *Idem esse censemus de bonis Clericorum sæcularium decedentium, si juxta formam Provincialium, vel Synodalium Constitutionum sua ordinaverint testamenta, vel ultimas voluntates.* Constitutiones Episcopatus Leodiensis anno 1446. à Nicolao V. Papa confirmatę testatum faciunt testari non potuisse Beneficiarios, nisi ex speciali Episcopi liccentia scripto data; intestatorum verò res, vel sine licentia testantium ad Episcopi jus devolvi, soluto ante alieno ære, & funeris expensis subductis. *Quod exequiis & debitis solutis superereverit, cedat dispositioni nostræ, convertendum prout nobis visum fuerit expedire.* In Synodo Eboracensi anno 1466. execrationi fuit eorum perversitas, qui paulo ante mortem sua largiebantur omnia, ut ne superesset quidem quod ad reparationes satis esset: *Ecclesiæ ad quarum domos ædificia, cancellos reparanda, dum vivebant, fuerant obligati, suis excludentur remediis.* Qui electioni Eugenii IV. Papæ interfuere Cardinales, plura illi communi deliberatione commentati sunt Capita, in quæ juramento seipsos adegere, ut ea futurus etiam Pontifex servaret. In his illud non postremum, ne Cardinales testari vetarentur aut Prælati cæteri qui in Curia diem extremum obirent, utque eos Pontifex sineret tot Regnorum libertate frui, onerata eorum conscientia de rerum Ecclesiæ facienda distributione. *Quod bona dominorum Cardinalium Prælatorumque, nec non aliorum Cortesanorum, in Curia decedentium nullo modo occupavit, vel occupari patietur; sed permittet juxta juris dispositionem & consuetudinem, quæ in multis regnis & regionibus servatur, fieri executiones juxta voluntatem decedentium, relinquendo conscientiis eorum distributionem bonorum, ad eos quomodolibet pertinentium. Rainal. ann. 1431. n.6.* Dicemus infrà suo loco quàm ulterius progressi sint Cardinales sub Paulo III.

Probationem hic habes constantissimam sæculo eo xv. permissam esse testantium Beneficiariorum conscientiæ potestatem, ut accommodarent se Juri Canonico, & Consuetudini illi Decretalium libris non improbatæ, de qua suprà. Id enim sibi cæterisque Curiæ Romanæ Prælatis annui gestiebant Cardinales isti, ne eorum amplius sibi spolia vindicaret Pontifex, sed testari sineret & testamenti executores designare, eorumque conscientiæ permitteret observantiam Juris & Consuetudinis Canonicæ, in distributione fructuum Ecclesiasticorum. *Relinquendo conscientiis eorum distributionem bonorum;* quando jam eo privilegio utebantur complurium Clerici Regnorum. *Quæ in multis regnis & regionibus servantur.* Constat ergo valida & legitima haberi debere ea testamenta, sed testantium & hæredum conscientiam oneratam teneri gravissima illa necessitate, observandæ Juris regulæ & Canonicæ Consuetudinis convenienter libris Decretalium. Judices publici curæ suæ esse voluere, ut Ecclesiæ & sacræ ædes omnes restaurarentur, in idque ab ipsis compelluntur hæredes. Si reliquas pauperum & Ecclesiæ rationes atque utilitates nemo in se recepit persequendas, onus nihilominus totum conscientiæ incumbit & hæredum & testatorum. Anno 1447. Transylvani Nicolaum V. Pontificem percontati sunt, an posset Beneficiarius nonnihil sacrorum redituum suorum in eos respergere, qui sibi olim omni ope sumptuque affuissent, in literario etiam curriculo suo persungendo. Responsum est autem à Pontifice, posse, si ejusmodi esset Beneficium, quod à communium proventuum administratione sejunctum esset; cum jure testari posset: At si administratio tantùm quædam illi tradita esset moderatè; tantum dare eum posse & dum superstes esset. *Quandiu vivit, satius est moderatè de ipsis fructibus donare.*

VIII. Nec ambigi jam potest, quin sæculo xvi. latius serpserit vehementiusque convaluerit novus ille usus, ut cognati Beneficiariis succedere sinerentur, & Beneficiarii hæredes sibi adrogare consanguineos suos: utque ejusmodi successiones ac testamenta juri & consuetudini consentire existimarentur. Sed caput illud inconcussum semper nobis ob oculos ponitur, testatorum & hęredum conscientiam gravissimo illo onere semper premi, ut proventuum Ecclesiæ is usus sit, qui à canonicis præscri-

cribitur regolis, & qoi patrimonii Christi esse debet. Nec prætexi à Beneficiariis potest usus receptissimus, quo fit ut vel intestans proximi succedant. Quantò satius esset has amoliri tergiversationes, & in vestigia ingredi B. Annonis Coloniensis Archiepiscopi, qui pauperibus omnia sua antè dilargitus est, quàm afflaret animam, solam sibi sacram supellectilem cum annulo suo superesse voluit; nec dissimulavit eo se consilio usum, ut Regum Germaniæ rapacitatem frustraretur, qui morientium Prælatorum spolia invadebant. Opulentissimi hic Archiepiscopi depromenda sunt verba, aurea certè. *Quid hominum æstimatio me quasi magnum divitemque celebrat? En exceptis utensilibus. Capellula ministeriique Pontificalis, & hoc annulo, nescio me saltem unum possidere denarium. Nec enim inexplebilis avaritia thesauros meis congrego claustris, unde vel Regis, vel suorum vita periclitetur, aut ingluvies satietur, eorum edacitati me satis in hoc obviante, ut nec assem unum oculos claudens, inter eorum ungues relinquam. Surius die 4. Decemb. c. 31.* His exemplis & verbis admonebat sanctissimus Præsul Præsules & Beneficiarios omnes, ut subducerent ipsi sese exitiali periculo, subducerent & hæredes futuros, qui & ipsi pari implicabuntur exitio, nisi his bonis ita utantur, ut re sacra, ut hostia divina, ut patrimonio Christi, ut substantia pauperum.

In Constitutionibus Synodicis Stephani Poncherii, ad Episcopalem Lutetiæ sedem vocati anno 1503. præ cæteris radiat hoc decretum. *Prohibemus Clericis eorum rebus malè uti, & de bonis eorum Ecclesiasticis testari & legare aliis locis & personis, quàm eorum Ecclesiis, si voluerint sacrilegium & ultionem evitare divinam, sicuti sacræ sanctiones prohibuerunt. Synod. Pari. pag.* 204. Jam non erat in potestate hujus Episcopi istiusmodi testamenta irrita declarare; unde ne id quidem ille tentavit; sed officii sui duxit Beneficiarios omnes sibi obnoxios sedulò admonere, ne tot Canones conculcarent, qui prohibent bona Ecclesiæ ea licentia, qua terrena quædam dissipari patrimonia. Cum sæculari vitæ & statui permitteret Clemens VII. Capitulum Sancti Mauri Fossatensis, ejusque Decanatum adjiceret mensæ Ecclesiæ Parisiensis, potestatem novis his Sancti Mauri Canonicis testandi fecit ea libertate: qua cæteri utuntur Clerici sæculares; sed ita certè, ut intestatis succederent, non proximi, non hæredes, sed Episcopi Parisienses. *Ibid. p.* 58. 591.

IX. A' Cardinali Campegio Apostolico Germaniæ Legato anno 1524. inter complura reformatæ disciplinæ Capita vitio datum est Episcopis quibusdam, quòd intestatorum Clericorum etiam patrimonia invaderent. *Inhibemus insuper, ne in posterum Episcopi Clericis legitimis ab intestato decedentibus, in patrimonialibus bonis aut industria propria acquisitis, succedere possint, aut debeant. Cap.* 23. Frequentissimum illud olim fuerat, ut Clericis intestatis in bona Ecclesiastica succederent Episcopi; quin & eorum fidei permittebatur, ut dijudicarent ipsimet, quæ patrimonii; quæ res essent Ecclesiæ. Nec secus erat de Beneficiariis testantibus. Causæ testamentariæ fori erant Ecclesiæ, ejusque erat diffinire cujusmodi essent bona. Ubi verò testamentorum causas arripuerunt sæculi Judices, pene necesse fuit tastatoribus & hæredibus eorum permitti, ut fidei suæ & conscientiæ periculo dignoscerent, quæ hæreditariæ, quæ sacræ res, & quos in usus hæ illæque convertendæ essent. Sed ex hoc Campegii Decreto perspicuum est, in Germania tum citra controversiam intestatis Clericis Episcopos successisse, ut ne proximi quidem id jam molestè ferrent. Hinc viderint cordati quique, quid de testantibus conjectandum sit.

In Concilio Coloniensi anni 1536. edicitur, *Par. 13. c. 11.*, ut bona non patrimonalia intestatorum Clericorum impendantur ad creditoribus satisfaciendum, ad impensas funerum, ad opera pia. *Ubi Sacerdos nostra Diœcesis Coloniensis mortuus est intestatus, bona ipsius, præter patrimonialia, quæ hæredibus cedunt, deducto ære alieno & funeralibus, in piam causam pro defuncti animæ salute convertantur.* Non dissonat hoc Decretum à superiori. Cum enim statuitur, ut intestati Clerici bona ad Episcopum devolvantur, non id agitur, ut iis ille ad libitum suum abutatur; sed ipse ut præsit canonicæ & religiosæ eorum distributioni. Quod rursus enitescit ex Concilii Toletani Canone anno 1566. *Bona quæcumque eorum Clericorum, qui intestati moriuntur, ad Episcopum vel consuetudine, vel alio quocumque jure pertinentia, ac devoluta per eundem Episcopum, in pios tantùm usus ejus arbitrio expendantur. Cap.* 18. Diximus jam voluntati defuncti subsidio accessisse legem, & statuisse, quod ab illo statuendum fuerat.

X. Anno 1474. à Sixto IV. Papa cœptum est. *Bulla VIII.* permitti Clericis, qui vitam ducere & sedem defigere Romæ assentirentur, vel rure vicino ac suburbano ad decimum usque lapidem; ut vel superstites, vel appetente morte proximis suis darent legarentque acquisitiones & fructus redundantes Beneficiorum suorum; denique copia facta est proximis, ut & intestatis succederent. Eò adduxit Pontificem necessitas frequentandæ & Urbis & vicinæ regionis, cujus rarissimi jam erant incolæ & cultores. Julius III. anno 1549. *Bull. V.* hoc ipsum privilegium confirmavit: & anno demum 1606. concessit Paulus V. *Bull. XVIII.*, *Fagnan in L. 3. Decret. Part. 1. pag.* 311., omnibus qui in urbe & suburbano rure extremum vitæ diem agerent, de Ecclesiasticis proventibus testari, & ea in proximos transferre; facta etiam proximis licentia adeundæ eorum hæreditatis, si intestati excederent. Hoc porro privilegio tam paucis indulto, nova accedunt præsidia Regulæ generali, quæ diversa prorsus ab his est. Cum verò pleræque horum Clericorum res sacris ex reditibus partæ, post eorum mortem nomine & jure spolii ad Pontificem redituræ essent, non est quod quisquam iniquo ferat animo, hos Pontifices jure suo concessisse, & ea munificentia medicari voluisse infrequentiæ & solitudini Urbis toto Christiano orbe Principis.

Anno 1555. Paulus III. Bullam promulgavit, quam Galli *Compacti* vocant, qua Cardinalibus copia fit testandi de rebus per Ecclesiam acquisitis, per Ecclesias etiam Cathedrales; ubi verò intestati excesserint, eorum hæreditas inter hæredes & domesticos dividitur, judicio trium Cardinalium. Nisi pauperum ex grege sint hæredes hujusmodi, mordicus semper retinenda ea, qua totius rei cardo vertitur, regula, non posse res Ecclesiæ, Deo semper sacras, nisi in usus pios effundi.

XI. In Hispania Covarruvias unus omnium instar esse poterit. Affirmat is porrò non posse Clericus de bonis Ecclesiasticis testari; ea quippè seposito cultu & cibo frugali Clericorum, Ecclesiæ & pauperum esse; jam verò si ea incesserit invalueritque consuetudo, ut Clerici testari queant, ut soli ad id Pontificia dispensatione egeant Episcopi, ut Clericis cognati succedant, non in patrimonia tantùm, sed & in bona Ecclesiastica, sive testamento, sive ab intestato: eam certè consuetudinem ab omnibus prorsus Canonum peritis & interpretibus inuri ac damnari. Subdit porrò ille mox, *De Testam. c. 7.*, cum ea consuetudo pervagatissima sit, eique nec Pontifices intercedant, nec Cardinales, nec Episcopi, nec Reges, Principesve ulli, videri-

ri sibi eo silentio tacitum cootineri consensum. Addit rursum anno 1523. eam consuetudioem à Carolo V. confirmatam fuisse, & in Comitiis Generalibus totius Hispaniæ apud Vallem Oletanam præceptum fuisse eam observari.

Hæc præfatus vir doctissimus & Juris canonici consultissimus, adeoque non nescius posse quidem ea consuetudine ratas & validas declarari successiones ejusmodi, & testamentorum tabulas eò pertinentes; non posse autem exonerari conscientiam Beneficiariorum, ut oon periculo damnationis æternæ teneantur, sacros proventus, omoesque ex eis fructus conferre in eos usus, qui accommodati sint eorum bonorum origini, naturæ, fini, conditioni: seriò monet Beneficiarios omnes, ne se in apertum conjiciant damnationis periculum, si res Ecclesiæ in alios, quàm in suos ipsorum usus, & in opera pietatis ac religionis converti sinant. *Ea ratione inter Catholicos, & lucerna ardentes lucere tenentur, ut expendeadis Ecclesiasticis reditibus, quos etiam ut ministri separatim percipiunt, sit illis satis, culpa mortalis criminis esse eos infectos, si malè prater usum necessarium & piae largitiones illas distribuere non vereantur. A mortali siquidem culpa, immo ab omni specie mali pra cateris eos abstinere oportet.*

XII. Nec aliter statuendum de cognatis & proximis ad Beneficiarii successionem venientibus, sive testamento, sive ab intestato succedanr, vehementer extimescendum esse, ne ab eis profanentur hostiæ sanctæ, cujus generis sunt res omnes Deo semel consecratæ. Succedebant olim Episcopi Beneficiariis intestatis; sed qui pietate singulari erant Episcopi, ingemiscebanr ex animo avaritiæ Clericorum eorum, qui mulros in annos recondidissent quæ singulis annis in pauperes effundenda fuerant; quocirca & mox ipsi officio fungebantur & vice eorum, distributis in egenos omnibus, quibus fuissent damnabili ea parcimonia tunc defraudati.

Certior factus Vvillelmus Arvernus Parisiorum Episcopus, ex obitu Canonici intestati tria millia marcarum argenti ad se devolvi, exhorruit ille ad hunc thesaurum mammonæ iniquitatis, quem protinus expendi totum fecit in pauperes. Audiendus de his nobis Thomas Cantipatrensis. *Cum nunciaretur ei quendam CanonicumEcclesiæ Parisiensis decessisse, & ipse in jure canonico in tribus millibus marcarum succedere deberet eidem, complosis manibus, respondit, Absit hoc à me; sed heu misero! pecunia suo secum sit in perditionem, & hoc dicens, præcepit pecuniam in usus pauperum erogari. Anna. Cist. Tom.4. pag.248. Cantiprat. L.2. c.55.*

XIII. Finem faciemus dicendi de re cum pulcherrima & copiosissima, tum ad morum & disciplinæ sanctitatem maximè conducibili; si antè posuerimus ob oculos effigiem & quasi formam longè absolutissimam Præsulis & Beneficiarii sanctissimi. Carolus is erat Archiepiscopus Mediolanensis, cujus exempla altiùs forsan descendent in animos, quàm quævis argumenta. Author est Giossanus, *L.4. c.2.*, cum præstò esset semetipsum Deo libare, recepto in se ministerio ægrorum pestilentiæ grassantis tempore, obtulisse priùs Deo patrimonium omne, quod in potestate habebat, & proventus omnes Ecclesiasticos. *Testamento cognatis proximisque reliquit, quidquid auferre non potuit; reliqua omnia pauperibus addixit, haredem scripsit Xenodochium majus Mediolanense, exceptis pauculis piis legatis in loca quadam pia, & familiaribus ac domesticis suis, quos sibi eo pietatis & memoria animi argumento demerendos existimavit.* Et alibi: *L. 7. c.12. Saam ex asse hereditatem reliquit Xenodochio majori Mediolanensi, nullo benevolentia documento proximis gratificatus, nisi ex feudalibus & allodialibus bonis, qua antiquissimo fidei commisso Majorum necessariò reditura erant ad Comites Borromaos, patruos & cognatos suos. Quo specimen edidit illustre alienissimi à carnalibus affectibus animi.* Et alibi inferiùs: *L.8. c.12. Repræsentari sibi quotannis volebat fructus & reditus omnes patrimonii sui, ut in opera pia exhaurirentur; cui etiam pensiones aliquas inscripsit, ita satius ratus, quàm ut inscriberentur Beneficiis Ecclesiasticis, quò suis in Ecclesiæ ministerio commilitonibus viris aliquid rependeret & beneficientia. Luculento & tum Clericos omnes informavit exemplo, ubi cum paulo ante mortem amicis & domesticis plurimis plurima legasset, nulla re proximis suis gratificatus est.* Et rursus alibi: *L.8. c.28. Pauperes majoris Xenodochii Mediolanensis sibi ex asse haredes scripsit; eos enim sibi proximos & cognatos, eos haredes, quibus & non semel nobis professus est, cupere se ex animo, ut & patrimonia omnia transcribere liceret per leges publicas & per fideicommissa Majorum.*

Ejusmodi non tam Præsules, quàm exempla excitat subinde summi Numinis providentia, ad excutiendum Cleri reliqui veternum ac torporem, objiciendamque oculis splendidissimam canonicæ disciplinæ effigiem. Specialiter autem videtur beatus Carolus Clericis omnibus faciem prætulisse ad usum sanctissimum, tum patrimonii, tum Beneficii fructuum, tum denique ejus testandi libertatis, quam illis Ecclesia tot certaminibus defensam vindicatamque voluit, non ut res sacras, vel earum fructus in cognatos, sed ut in pauperes transferrent. Paucissima hæc supersunt de eodem Beato Carolo ex eodem Scriptore, ut intelligant Clerici omnes, quàm studiosè Carolus Clericos suos omnes avocaret à contubernio & affectu cognatorum; ne cum Laicis quidem eos habitare sinebat: deoique alienationis suæ à cognatis illustria volebat esse exempla, quanquam perhumaniter & peramanter cæteros omnes exciperet. *Ideo & Clericos vetuit habitare in adibus laicorum, ut eò à cognatis maximè abduceret & alienaret: & hujus documenti luce excitatos illos valait, ut carni & sanguini divina anteponerent obsequia; exemplo autem maximè pralucebat suo, ut ne cognatos quidem agnoscere videretur, nisi ubi cogebat charitas, etsi alios in omnes esset sanè & humanitate & beneficentia singulari. L.8. c.11.*

CAPUT XLIX. *P.4. l.4. c.18.*

De Testamentis Abbatum & aliorum Beneficiariorum, post annum Christi millesimum.

I. Duplici de causa testari vetuntur Abbates & Monachi.

II. III. Testandi tamen licentia eos Reges impertiere & Pontifices.

IV. Immo & Ordinum quorundam Statuta quibus Conciliorum accesserat authoritas, vel patientia.

V. Rariuscula erant hac statuta in Ordinibus Religiosis. Multò frequentius erat, ut Abbates Monachorum spolio potirentur.

VI. In Ordinibus tantùm Militaribus apparet fuisse Statuta, quibus testari ex parte aliqua permitterentur. Nonnullis ejusmodi statutis accessit Pontificis confirmatio.

VII. Antiquo jure non tantùm laborabatur, ut ne testarentur Abbates & beneficiarii, quantùm ut ne nisi in compendium Ecclesia.

VIII. An Monachus Episcopali auguratione accepta possit testari.

IX. Caput & summa rei est, ut res Deo semel

 con-

consecratæ, ne profanis usibus inquinentur; & Ecclesia ditata, ad Ecclesiam semper revocentur. Quàm latè pateat hæc regula.

X. In Gallia si Monachi ad Episcopalem apicem provehantur, testari ipsi quidem non possunt, & nihilo tamen minus tunc ad eorum successionem veniunt propinqui. Qui usus à superius constabilito placito non abhorret, hæredes rerum Ecclesiæ succedere etiam in onera iis alligata, atque adeo lege poli cogi iis uti, ut rebus sacris, rebus Ecclesiæ, rebus pauperum, quarum sint dispensatores, cum in jus & successionem vocati sint eorum, qui non erant nisi dispensatores.

I. CUM Beneficiarii administrationem tantummodo adepti sint, & dispensationem rerum Ecclesiæ, non satis consentiebat illis testandi facultas. Abbatibus & Monachis multò minùs ea consentanea erat, cum semel hac professione se solemni constrinxerint, nihil propriè & privatim possidere. Hic expendendum ingredimur, an ea testandi licentia, usque adeo & à Monachis & à Beneficiariis aliena, ut Beneficiariis, ita & Monachis Abbatibusque fuerit aliquando indulta, quò res Ecclesiæ eorum testamentis munirentur adversùs laicorum, maximè verò Magistratuum & temporalium dominorum rapinas.

II. Stephanus Angliæ Rex anno 1136, uno complexus est privilegio Abbates, ac Beneficiarios, cum Episcopis, tum his aliis facta copia testandi, additaque sponsione, fore ut eorum testamentis nihil moræ, nihil obicis interponeretur. *Si quis autem Episcopus vel Abbas, vel Ecclesiastica persona ante mortem suam rationabiliter sua distribuerit, vel distribuenda statuerit, firmum manere concedo.* Episcoporum longe maxima pars è claustris ad Episcopales Sedes accersita fuerat, maximè verò Cantuariensium, quòd ejus Ecclesiæ Clerus universus ex Monachis constaret Regulæ Sancti Benedicti addictis. Itaque Episcopi ejusmodi, etsi Monasticis obligati institutis, testamenta nihilominus scribebant. Diximus suprà de B. Hugone Lincolniensi Episcopo, & de testamento, quod ante obitum scripsit. Atqui is ex Carthusia ad Episcopalem sedem pertractus fuerat. Joannes Angliæ Rex, qui anno 1200. ex Matthæo Paris ejus morti affuit, ejus testamentum ratum fixumque jussit esse, & *promisit quod de cætero ratu haberet testamenta rationabilia Prælatorum.* Eadem pene verba Rogerii, Prælatorum hic nomine compertum est Abbates contineri. Quo itaque stimulo agebantur cum Beato Hugone cæteri quoque Angliæ Episcopi, ut testari cuperent, eo incitabantur & Abbates omnes, ne plebis, ne Magistratuum, ne Principum, vel Ministrorum prædationi pateret Ecclesiastica successio.

III. In Concilio Oxfordiensi anno 1222. prohibitum est, *Can.*47., ne Monachi testarentur, quod tam nil dare possint, quàm nec possidere. *Quoniam non licet viris Religiosis aliquid proprium possidere, qui se & sua pariter in religionis ingressu Domino dedicarunt, præsenti authoritate definimus, ut nulla persona in Regulari Ordine constituta, condere testamentum præsumat, cum nihil habeat suum temporale, quod transferre valeat in dominium alienum.* Agitur hoc Canone de Monachis, non de Abbatibus. Porrigitur & ad Abbates, peræquè ut ad Monachos, ut nihil possidere, adeoque nihil dare ritè possint. Atqui nec his facultas testandi adjicitur de propriis, sed de commendatis Ecclesiæ rebus, perinde ut Beneficiariis; quò eas etiam testamento dispensare pergant, uti superstites secundùm canonica instituta eas dispensaverant.

Donatus est tamen ab Innocentio III. Monachus singulari privilegio, singulari testamenti scribendi licentia. *Regest.*14. *Epist.*91. Roncelinus Monastici desertor instituti, Massiliensem civitatem suæ ditioni subjecit. His ille ea aggeravit facinora, quibus Ecclesiæ tandem anathemata illisa sint. Eo fulmine consternatus, se sibi primum, se mox vesti Monasticæ reddidit, diris exolvi se oravit, Pontificem monuit, si suo renunciare patrimonio cogeretur, fore ut summa perturbatio exoriretur in Civitate Ecclesia Massiliensi, nec unquam exolvi posset jus alienum, quo ipse premebatur. Pontifex his acquiescens rationibus, precibusque, jussit eum sacris vinculis exolvi, constituitque ut patrimonii sui portione aliqua Abbatiam donaret, in qua professus fuerat, servatis sibi ejus fructibus cum licentia Abbatis expendendis cum reliquo patrimonio suo ad æris alieni solutionem, incrementa in dies majora facturus in stadio Monasticæ disciplinæ. *De portione, quæ ipsum de jure continget, cum Abbatis sui, conniventia & assensu, eidem Cœnobio aliqua congrua portio designetur. De residuo verò cum Abbatis ejusdem consilio, pro prædictorum omnium satisfactione disponat, prout melius videbitur expedire.*

In libris Decretalium rescinditur testamentum Abbatissæ, ea nimirum interpellante, quæ ei successerat, quòd eo grave damnum Cœnobio infligeretur. *Non tamen potuisse præjudicium Monasterio irrogare; sed res ipsius eidem loco, ex quo illuc ingressa & Abbatissa constituta est, de jure competere. Extrà. De testam. c.*2. *L.*7. *Ep.*7. Non Gregorii IX. illud Decretum est, sed Gregorii Magni. Atqui sive Abbatis, sive Abbatissæ nihil testamento dare, aut legare possunt ex redditibus Monasterii sui, nisi pauperibus, Ecclesiæ, & ipsi Monasterio suo, uti & de Beneficiariis omnibus decernere videntur Decretalium ipsi libri.

IV. In Concilio Dertusensi in Hispania anno 1429. prohibiti sunt Prælati, *Can.*18., ne Regularium morientium spolia invaderent, ubi illi jam testati fuerant de rebus suis, juxta licentiam & regulam propriis sibi Constitutionibus concessam. *Ecclesiarum Prælati bona decedentium Religiosorum, quibus permissum est secundùm statuta, vel laudabiles consuetudines de bonis à Deo sibi collatis disponere, nullatenus audeant occupare, si per eosdem Religiosos juxta statuta, vel consuetudines prælibatas, de bonis prædictis fuerit ordinatum; donec tamen in eorum dispositionibus suis relinquant Prælatis, quæ debentur eisdem, secundùm statuta, vel consuetudines laudabiles memoratas.* De Monachis videtur hic illis agi, quibus obedientiæ, vel administrationes claustrales fuerant concreditæ; quarum reditus ipsi quidem colligebant, & ex statutis mollioribus quibusdam suis, arbitratu suo ante obitum suum quibus libitum erat addicebant. Prælati Regulares eorum spolia sibi arrogabant, quòd testari jure illi non possent. His tamen Monachis non injuria patrocinatur Concilium, quòd non abuterentur nisi licentia per ordinis sui Constitutiones tributa. Expeditissimum fuisset proprietarios Monachos hos omnes in ordinem cogi, peculio exui, paupertati primigeniæ Ordinis reddi. Sed ab ipsis Abbatibus initium ducendum fuisset, ut ne ipsi quidem nisi in commune possiderent quidquam, quo & spolii jure ipsimet spoliati essent, rebus prorsus omnibus in unam & communem mensam revocatis. At non eam sibi curam induerunt hujus Concilii Patres, ut Monasteria & Ordinem ad novam & accuratiorem disciplinæ formam vindicarent. Nec id facilè forsan expedissent. Unum igitur laborarunt, ut pax Cœnobiis redderetur, servandis eorum statutis. Atqui statuta annuebant, non ut testarentur expressè, sed ut

quæ

quę in potestate haberent, ea quibus liberet antè obitum suum largirentur, portione aliqua certa ex iisdem statutis Abbati dimissa.

V. Hęc porro sive statuta, sive privilegia, sive statutorum delinimenta, paucos Monachos spectabant, ut liquet ex Decretis sacri ejus Conclavis, quo creatus est Papa Eugenius IV. anno 1431. statuerunt enim Cardinales, ut ne deinceps Pontifex Cardinalium spolia sibi sumeret, vel cęterorum Pręlatorum, qui Romę vivere desinerent, sed fineret eos pro arbitrio testari. Hinc tamen excepere Regulares, qui proprium abdicarunt, & quorum successio ad eos devolvitur, qui eo gaudent jure, Canonicis institutis, vel privilegio, vel consuetudine. *Religiosis, qui propriam voluntatem à se abdicarunt, tantummodo exceptis, quorum bona devolvantur ad illum, vel illos, ad quem, vel quos pertinent de consuetudine, jure, vel privilegio. Rainald. an. 1431. c. 6.* Quibus verbis non obscurè innuitur, vulgò non competere Monachis jus disponendi de rebus suis, sed eorum spolia vel jure vel consuetudine addici aut Abbati, aut Episcopo, aut Monasterio.

Anno 1289. Nicolai IV. Bulla *Regis Pacifici* diffinita sunt jura Abbatum Ordinis Cluniacensis tempore obitûs, depositionis, aut spontaneæ renunciationis Priorum sibi obnoxiorum. Jura enim illis erant in partem quandam spolii, non in spolium omne, ut infrà docebimus, ubi ex instituto de Spolio disceptabitur. Ex Bulla quoque *Summi Magistri*, quæ Benedicti XII. est, anno 1336. promulgata, planum est Abbates, Priores, cæterosque Prælatos Ordinis Sancti Benedicti jure usos esse spolii integri in Prioratus, Administrationes, & Beneficia omnia suæ ditionis. Sed neutra ex Bulla suspicari fas est, Prioribus, Obedientiariis & Administratoribus ullis copiam esse factam rei cujuscumque donandæ ante obitum suum. Quin ex adverso apertè liquet nullo ejusmodi jure fretos fuisse, sed eorum spolia vel Prælatis Regularibus, vel Monasterio adscripta fuisse.

VI. Non de his ergo forsan Monachis interpretandus est Canon supra laudati Concilii Dertusani in Hispania, sed de Religiosis ipsis Hispaniæ Equitibus. Equites enim Beati Jacobi tum propriis Constitutionibus suis, tum Apostolicæ sedis privilegiis testari poterant de bonis Ordinis quæ obtinebant, & de iis, quæ acquisissent, ejusque privilegii anno 1531. à Clemente VII. impetravere ampliationem ad Equites Ecclesiasticos, qui eo inclusi nondum fuerant. Accipe pauca hæc verba postulationis eorum ex Bulla. *Ex Apostolica*. Porro supplex hic libellus inscriptus erat nomine Caroli V. Imperatoris, tamquam Ordinis ejus Militaris Magni Magistri. *Carolus Romanorum Imperator; Militia Sancti Jacobi de Spatha sub Regula Sancti Augustini Canonicorum Regularium perpetuus Administrator, nuper nobis exposuit, quòd licèt illius statuta, & stabilimenta dictæ Militiæ, ac illi concessa privilegia, & indulta Apostolica, Praeceptores & fratres milites ejusdem militiæ, de bonis sibi à Deo collatis, ac propria eorum ipsorum industria, tam ex Praeceptoriis, quàm ex parochialibus Ecclesiis, Capellaniis & aliis Beneficiis ipsius militiæ acquisitis, certis modo & forma in illis expressis, de licentia Magistri ejusdem militiæ sive suorum superiorum testari, & de illis disponere possent*. Hęc verba *De bonis à Deo sibi collatis*, eadem ipsa sunt ac supra positi Canonis Dertusani.

VII. In ea versati sunt sententia Canonistæ Ultramontani, posse à Papa Monachis licentiam fieri testandi. Ejus rei probatio exculpitur ex iis, quæ diximus de Innocentio III. & de privilegiis Apostolicis Equitum Sancti Jacobi. Sed non agitur hîc nisi de Equitibus Religiosis Ordinum Militarium. Nec ambigi ferè potest, quin plerique Equites alii finitima his privilegia eblanditi sint. In Concilio Dertusano sermo erat de Statutis Ordinis Militaris, quibus idem permittebatur. Supplicatio Caroli V. ad Clementem VII. statuta etiam ante privilegia ponebat. Jure certè antiquo non magnopere laborabatur, an Episcopi, Beneficiarii, Abbates & Prælati omnes Regulares testamenta conderent, etsi administrationem tantùm gererent. Quin æquo animo sinebantur ante obitum suum testari, vel utcumque disponere de rebus, quarum sortiti erant administrationem ad deprædatores abigendos. Sed antiquo jure id summopere, id omni contentione certabatur, ut obtineret invictissimè ea clausula, qua testandi potestas tota cedebat in laudem & compendium Ecclesiæ, ut ne testarentur, nisi ad exolvenda debita, ad remunerandos servos, ad ornandas & decorandas Ecclesias, ad pauperes levandos. Rari erant, qui ad Pontificem adirent, ut dispensationem ad eum modum testandi ab eo expugnarent. Nec enim venia & dispensatione opus erat; ut officio quis probè fungeretur suo, utque Ecclesiæ commodis impensius serviret. At postquam id sibi sumpsere, id sibi licere voluere Beneficiarii, ut sua amicis, vel cognatis largirentur; tum dispensationes extudere sedi Apostolicæ, quæ non potuit non aliquid annuere, & quæ limites forsan potius, quàm facultates addidit, ut ne nisi ex parte aliqua cognatis largiri possent.

VIII. Querunt an ex Monacho, vel ex Abbate factus quis Episcopus testari possit. Diximus jam diffinitum id fuisse in Concilio Altheimensi sub Conrado Imperatore. Responsum est enim convenienter antiquo usui Ecclesiarum, posse ejusmodi Episcopum hæreditatem adire; dimitti ab eo debere, quæ ante Episcopatum acquisisset, Cœnobio suo; quæ post Episcopatum, Ecclesiæ suę. Si quandiu Monachus erat, hęreditates ei obvenientes ejus nomine excipiebat Cœnobium; ęquissimum est ut Episcopus creatus easdem excipiat ipse nomine Ecclesiæ suæ. Quorsum illi controversiam facere de jure testandi, cum eo jure hic corroboretur usus antiquissimus, & jus Canonicum, quo intestatis Beneficiariis omnibus Ecclesia succedebat. Verba ipsa Canonis supra adscripsimus, ut à Burchardo, Ivone, & Gratiano refertur. 18. *q. 1. c. 1.* De Ecclesiasticis & hæreditariis promiscuè ibi bonis agitur. Jubeturque ut Episcopus ex Monasterio ad eum apicem evectus, ne de his nisi Ecclesiæ suæ quidquam det & leget. Id enim discriminis interest Episcopo Monacho, & non Monacho. Apostolici, Antiocheni, aliique Canones non Monacho copiam faciunt, hæreditaria ut bona cognatis, si collibitum est, leget. At ex Monachis Episcopi jam Ecclesiam pro Cœnobio suo habent: utque eorum nomine priùs eorum successiones excipiebat Cœnobium, ita nunc Ecclesia eas excipiet, quæ obtingent. Ut enim qui sese Monasterio addicebat, unà secum illi conglutinabat omnia jura sua: ita ubi se quis Ecclesiæ addicit Episcopali inauguratione, jura eidem & ornamenta sua omnia transfundit.

IX. Summa rei totius, & quę universim valet ad omnia, illa est, quam Alexander III. in Concilio Lateranensi promulgavit. Sive testentur, sive non testentur Beneficiarii de rebus ex Ecclesiasticis proventibus accumulatis, vel partis, ad Ecclesiam semper necessariò eas revocari debere. *Indemnitati itaque Ecclesiarum providere volentes sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes Ecclesias eadem bona praecipimus remanere. Can.*

25. Ex hoc verò placito illud emergit, 1. Non magni referre, sive detur, sive auferatur testandi facultas Regularibus, aut sæcularibus Beneficiariis: quocumque enim res vergat, omnia ad Ecclesiam revocabuntur. 2. Inde est, quòd olim abstulerat, post restituit Ecclesia potestatem testandi; quòd & illa & hac ratione in Ecclesię fiscum refluxerent rivuli omnes, qui ab ea manassent, non aliò spectantibus medii ævi testamentis, quàm ut totiùs Ecclesiæ res ei adsererentur. 3. Distributio rei totius intestatorum ea erat, quæ esse debuisset, si ex Canonum regulis testati essent. Testantium distributio rei non multùm discrepabat ab illa intestatorum: quòd ab Ecclesia, quæ profecta erant bona, in eam semper refundebantur, quanquam non eodem semper tramite. 4. Quanquam universim Ecclesiæ res ad Ecclesiam devolvendæ rursus essent, erat tamen locus aliquis libertati & arbitrio Beneficiariorum. Eorum enim judicii & voluntatis erat, ut darent Ecclesiæ suæ, vel aliis Ecclesiis, vel Xenodochiis, vel Cœnobiis, vel pauperibus, vel ministris & famulis, pro tempore & modo dependi obsequii. 5. Indè est quòd Episcopi & Abbatis hac quidem in re non magnum videretur discrimen; nec enim Religiosæ Professioni contumelia fiebat, si præciperet Abbas largitiones aliquas pias post obitum suum fieri: nec poterat Episcopus nisi in usus pios sanctosque de rebus Ecclesiæ testari. 6. Hinc minùs sollicitos habebat illa quæstio, Monasticam Professionem amplexati essent Episcopi, an non. Ratio expeditissima erat ea, quòd utrobique unus esset rei cardo, ut meri usufructuarii haberentur omnes, cogerenturque & superstites, & hinc emigrantes superflua pauperibus erogare. 7. Ea tamen quæstio ventilata est in Concilio Altheimensi, sed ad res maximè forsan patrimoniales, quas vult & hæreditario jure excipi posse à Monacho post Episcopatum, & ab eodem moriente necessariò Ecclesiæ suæ transcribi.

X. Hæc canonica est Jurisprudentia: si sicut quorundam post Regnorum usu invaluit, ut proximi Beneficiariorum illis ab intestato etiam succedant, succedant & testamento; ita & succedunt in bona Ecclesiastica Episcoporum, qui à Claustro ad Episcopales Cathedras adsciti sunt; nova certissimè & inaudita olim hæc rerum commutatio est. Priscis moribus & legibus Ecclesia hæres erat necessaria Episcopi Monasticam Regulam professi. Nunc Episcopi ejus hæredes necessarii sunt cognati ejus, etiam in rebus Ecclesiasticis. E' diametro hæc pugnant. Et tamen & potestatis est & officii proximorum, ut intelligant hęredes se esse Administratoris, nec in alia, quàm in ejus jura succedere, atque adeo in jura administrandi. Nihilo plus enim obtinent, quàm quæ à defuncto Episcopo excepere. Nun accepere ergo ab eo nisi depositum & administrationem. Depositum est, quod illi commendatum fuerat, quod ab eo ipsi accepere. Dominium & proprietas penes illum nunquam fuit, qui Monachus, qui Beneficiarius erat. Quod penes illum nunquam fuit, nec ab eo potuit in ejus hæredes transfundi. Non ii certè nos sumus, qui Christianissimi & florentissimi Regni usibus obtrectemus. Quin eos in bonum converti posse profitemur, ut in culpa jam non sint, nisi ii, qui etsi publicas leges abrogare non possint, possunt tamen bene vertere, & earum usum legibus æquitatis & Ecclesię accomodare, nec faciunt.

CAPUT L. *P.4. l.4. c.19.*

De Episcopis antè Monachis. An Monastica illis retinenda sit vestis & vitæ ratio, ac disciplina.

I. Facillima semper visa societas professionis Monasticæ cum Eminentissimis Ecclesiæ dignitatibus.

II. Opulentissimi & summa potestate præditi Episcopi, si in Cœnobiis professi antè fuerant, & vestem & vitæ rationem eandem retinebant.

III. IV. Complures ejus rei probationes.

V. Probationes aliæ de Monastico habitu.

VI. Probationes aliæ de Episcopis ex Ordine Cisterciensi, & Franciscanorum. Nova exempla.

VII. De Canonicis Regularibus ad Episcopale culmen provectis.

VIII. IX. Argumenta alia ex B. Thoma, & ex Bonaventura. An qui jam Episcopatui, vel Congregationi illigatus est, ille solvatur voto profitendæ Religionis.

X. Exemplum Cardinalis Ximenii.

XI. Qui mores Orientis.

XII. Concentus Legum & Canonum, veterum & recentium in hac parte.

I. SUperioris Capitis quęstio in hanc nos pene inopinos deduxit, de iis Episcopis, qui ante scholis pœnitentię & humilitatis Christianæ in veste Monastica innutriti & professi fuerant. Statim enim videri possunt hęc humilitatis vincula & pœnitentię obligamenta minùs consentire cum gloria & splendore Episcopatûs. Et innumeris tamen penè argumentis demonstrari potest, tot nimirum, quot sanctissimi ex Monasteriis prodiere Episcopi, utrique ei professioni optimè inter se convenire. Narrat Eadmerus anno 1114. in Conventu Vindsoriensi in Anglia, ubi Radulphus Episcopus Roffensis electus est ad Cantuariensem Archiepiscopatum, fuisse qui ei reniterentur electioni, ut Abendonensi Abbati amplissima ea dignitas obveniret; eosque allegasse, jam inde à temporibus Augustini Anglorum Apostoli, omnes prorsus amplissimæ hujus Ecclesiæ Pontifices ex Monachis cooptatos fuisse; uno excepto, qui & ipse mox temeritatis & audaciæ pœnas dedit; à Papa videlicet sed ejectus, tum ea de causa, tum culpis etiam aliis irretitus. *Objectum est, nullum à B. Augustino, nisi de Monachico ordine unquam Pontificatui Cantuariensi præsedisse; uno dumtaxat excepto, qui & ob hanc præsumptionem, & alia quædam perversè ab eo commissa, depositus per Romanum Pontificem fuit.* Paulò accuratius hæc extricat Ordericus Vitalis: Stigandum videlicet sede Cantuariensi à Romano Pontifice fuisse exturbatum. Ejusdem infortunii consortes duos alios idem commemorat; quorum alter vivis antè excessit, quàm ordinari posset, tempore Agathonis Papæ. Alter nomine Odda certior factus de superiorum omnium Cantuariæ Pontificum Monastica professione, eandem & ipse amplexatus est, postquam ordinatus fuit Episcopus. *Habitum mutavit, & Religiosus Monachus ut Archipræsul usque ad mortem Deo militavit.* Willelmus Malmesburiensis eum commemorat, *L. 5. Script. Hist. Norm. pag. 873.*, Odonem nomine, tota virium contentione repugnasse; ne eligeretur, quod Monachus non esset: cum ineluctabili se videret denique necessitate constringi, Floriacum se contulisse, & ibi Monasticam vitam professum esse.

II. Nemo tam hospes est & rudis rerum Ecclesiæ,

fiæ, cui non explorata fit majeftas, amplitudo & opulentia Archiepifcopi Cantuarienfis, Angliæ Primatis, plerumque non Ecclefiaftico, quam fæculari faftigio fublimior. Ea tamen erat fanctiffima lex & regula Conciliorum Angliæ, ut qui ad Epifcopalem dignitatem attollebantur, ii nihil deterent de Sanctimonia & aufteritate prioris fuæ in Cœnobio profeffionis. Eò pertinet Canon ifte Concilii Londinenfis anno 1138. *Item adjicimus hoc decretum Innocentii Papæ dicentis Victricio Rotomagenfi Archiepifcopo, Monachi diu morati in Monafteriis, fi poftea ad Clericatum pervenerint, non debent aliquatenus à priore propofito deviare. Sicut in Monafterio pofiti fuerint, ita & in Clericatûs ordine degere debent, & quod diu fervaverunt, id in altiori gradu pofiti amittere non debent.* Can 14. Eo decreto Epifcopi continentur, uti & alii Clerici omnes, nec quidquam illis remittitur de modeftia, frugalitate; aliifque Clauftri virtutibus. Difpenfatio certè ingentium quantumlibet Ecclefiæ redituum, minimum negotii faceffit. Cum Ecclefiæ redituum, minimum negotii faceffit. Cum enim non agat Epifcopus nifi Oeconomum & difpenfatorem, ei officio præclarè convenit cum Monaftico inftituto.

III. Huc facit præftantiffimum Matthæi Cardinalis encomium. à Petro Venerabili Cluniacenfi Abbate confcriptum Ut illum fibi & Ecclefiæ clavo affigeret Honorius II. Papa, ex Monacho Cluniacenfi Epifcopum illum Cardinalem Albanenfem creavit. Nihil Cardinalis, nihil Epifcopi dignitas de veftium ejus humilitate, de perpetuitate pfalmodiæ, de Religiofis inftitutis decerpfit. *Provectus ad fublimem Pontificalis Ordinis gradum, nihil de Monacho quorundam more dimifit, fed ficut de magno Martino legitur, eadem in corde ejus humilitas, eadem in veftitu ejus vilitas manfit. Nihil de Officiis, nihil de cantu, nihil de prolixiori Cluniacenfi Pfalmodia, quarumlibet curarum prætextu reliquit. Servabat in Palatio inftituta Clauftri, &c. De Mirac. L.2. c.14.* Nec diffimulat hoc loco Petrus Prælatos quofdam Clauftris egreffos, veftes abjeciffe prioris Profeffionis fuæ. Quo certè incurrebant in offenfionem vulgi, & in Superiorum reprehenfionem. Inde eft ea lex Innocentii III. in Concilio IV. Lateranenfi promulgata anno 1215. qua jubentur Monachi ad Epifcopatûs infignia jam evecti, veftem ut cohoneftent Monafticam, quæ ipfos antè honeftavit; cæteris verò Epifcopis admonitis, ut ne in publicum prodeant unquam, nifi cum fuperindumentis lineis, ficut in Ecclefia. *Pontifices publicè & in Ecclefia fuperindumentis lineis femper utantur nifi Monachi fuerint, quos oportet deferre habitum Monachalem. Epift. 16.* Non novum id fuit ftatutum, fed confirmatio ufus antiquiffimi, quo ferebatur ut Monachi Diaconatu, Presbyteratu & Epifcopatu aucti, eadem femper Monaftica vefte uterentur, cum tota illa Ordinum, graduumque facrorum amplitudo mirificè confentiat cum fanctimonia & modeftia veftium.

IV. Id quoque adverte, non ibi agi de colore veftis, fed de vefte ipfa Monaftica. *Quos oportet deferre habitum Monachalem.* Concilium Londinenfe anno 1268. Ecclefiafticæ huic legi novum adjecit vigorem. *Specialiter indicimus iis, qui de Monafteriis, vel de aliis Regularibus locis in Epifcopos funt affumpti, vel de cætero affumentur, fuum deferant habitum regularem; ne Religionem præcedentem dignitas excludere videatur, quam fibi debent vinculo individui fœderis copulare. Can.5.* Quo innuitur, dedecoratum iri quodammodo. Epifcopatum, fi fociari non poffe exiftimetur Pontificium decus cum modeftia & paupertate Religiofa. Pergit porrò idem Concilium ulteriùs, ut Epifcopos Cœnobiis excitos interdicat pannis & ornamentis alterius coloris, quàm fit habitus eorum Religionis. *Quibus etiam diftrictiùs inhibemus, ne utantur pannis, aut pellibus, aut aliis ornatibus, ab Ordine, five Regula fua priori difcrepantibus in colore.* Fœdiffimè allucinaretur, qui hoc Concilio id tum præfcribi fibi fingeret, ut Epifcopi Regulares in vefte fint ejufdem coloris cum habitu fuo priori Monaftico. Nec enim hæc poftrema claufula jam de vefte agit, fed de pannis, pellibus, aliifque adjectitiis ornamentis Epifcopalibus, quæ jubet Concilium ejufdem coloris effe cum vefte Monaftica. Alioqui Canon unus idemque fecum collideretur ipfe, quodque priùs aftruxiffet, poftea dirueret; effetque infenfus Canoni Lateranenfis Concilii IV. quem tamen confirmatum voluit. *Sed in talibus ftatutum Concilii Generalis fatagant obfervare.* Nec minùs apertè Concilium Salisburgenfe anni 1420. ubi præcepit, nifi Regulares, qui Epifcopali ordinatione exornati fuerant, ut Suffraganeus agerent, functionefque Epifcopales obirent in Epifcopatibus, quibus fuerant addicti; nifi illi, inquam, in vefte femper effent Monaftica Ordinis fui, eos in grave fcandalum flagitiumque proruere, & in vincula ipfa excommunicationis. *In anima fua periculum & plurimorum fcandalum, ficque excommunicationis fententia innodantur, &c. Cap.17.*

V. Alieniffimus fuit utique à dimittenda Ordinis Francifcani vefte B. Ludovicus Epifcopus Tolofanus, qui ex adverfo Apoftolicæ Sedis hortatu juffuque compulfus ejus Epifcopatûs farcinam fubire, ante voto, quo fe obligaverat fecerat fatis, adeundi & profitendi inftituti B. Francifci. Unde & Præful fanctiffimus, Regis tametfi frater, & Regum Franciæ confanguinitate clariffimus, de reditibus locupletiffimæ Ecclefiæ fuæ tantum libabat, quantum opus erat ad tolerandam modicè vitam, quò reliquas opes in pauperes difpergeret. Hæc fanè vitæ ratio illi veftis humilitati & modeftiæ vehementer concinebat. *Mandavit inquiri de fuorum quantitate redituum, quantumque fibi fufficeret pro moderatis expenfis faciendis & rationalibus, volens quod totum refiduum in fuftentandis pauperibus poneretur. Rainald. an.1317. n.11.* Ita fertur in Bulla, qua Cœlitum albo infcriptus eft. Ita tum Francifcani prifcis Benedictinis & Cluniacenfibus fe accomodabant, & Matthæo imprimis illi Cardinali Albanenfi, de quo nos paulò fuprà. Ille enim authore eodem Petro Venerabili, vefte Monaftica fua ne mortuum quidem fe exui voluit. *Secundùm quod ipfe jufferat, fuo, quo nunquam à Monacho carverat cilicio primo, de hinc Monachali cuculla veftitur. De Mirac. L.2. c.13.* Hic erat ufus, hi mores hujus Ordinis, qui ex eodem Petro Ecclefiis Cathedralibus, Metropolitanis, Patriarchalibus, ipfique adeo fedi Apoftolicæ ex fuo gremio Pontifices fufficiebat. *Unde Epifcopales, Archiepifcopales, Patriarchales, & ipfa omnium vertex Ecclefiarum, Apoftolica & Romana Sedes, patres fibi affumere confueverunt. L 1. Ep.29.*

VI. Nec à Cluniacenfibus ftatutis, aut à lege Ecclefiarum deflexere Ciftercienfes. Etenim in Generali Capitulo anni 1134. conftitutum ab illis eft, ut qui è Ciftercienfi Ordine ad Epifcopatum raperentur, à prifca non recederent regula & confuetudine fua ciborum, veftium, Officiorum, præter paucula, quæ hîc audies & vilia veftium additamenta. *Epifcopi affumpti de Ordine noftro confuetudines noftras tenebunt, in qualitate ciborum, in forma indumentorum, in obfervantia jejuniorum, in officio horarum R. ularium; excepto quod mantellum de vili panno & pelle ovina, & pileum fimilem, aut fimplicem de lana habere poterunt, qui voluerint, &c. Anna. Cift. Tom.1. pag.279.* Perfpicuè hîc ftabilitur fuperior noftra explanatio Canonis Concilii Londinenfis anno 1268. ubi fejunximus veftem religiofam, quam conftanter Epifcopi geftabant eandem

dem ac priùs, ab adjectitiis quibusdam ornamentis propriis Episcoporum, & quæ tamen necesse erat ex hoc statuto vel lanea esse, vel ex agni vellere, & eodem prorsus colore cum veste Religiosa, juxta decretum Concilii Londinensis.

Cum recisset verò Honorius III. Cassellenses in Hibernia cives obsequium jam detrectare Archiepiscopi sui Davidis, quòd habitum Monasticum induisset: per literas illos commonuit, habitûs Monastici modestia & humilitate adeo non sordidari, ut illustraretur potius Episcopatûs majestas; adeoque necesse jam esse, ut se prioris Præsulis sui obsequio redderent. *Cum igitur Monachalis habitus & Pontificalis non repugnent, mandamus quatenus occasione hujusmodi non obstante præfato Archiepiscopo reverentiam & consuetam obedientiam humiliter impendatis. Ibid. p. 371.* Permirum mihi quidem visum est, necdum Hibernos tunc insuevisse, ut Episcopis Monastici instituti sectatoribus morem gererent, cum tandiu jam Angli Cantuariensibus Episcopis subessent, qui vel ante, vel post inaugurationem suam Monasticam vitam profitebantur. Beatus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, ut referunt scriptores ejus vitæ, post ordinationem suam habitu Monastico indui se voluit, ne ut cæteri antè plures ferebantur, sibi quoque dandæ essent pœnæ temeritatis suæ. *Consecratus Episcopus habitum induit Monasticum, quod experimentis multis declaratum fuisset, eos, qui non Monachi Cathedram ascendissent, à Deo malè mulctatos esse. Anna. Cist. tom. 2. pag. 357. 397.* Gravissima olim exarsere jurgia inter Franciscanos de Episcopis eorum ex Instituto acceitis ad sacras insulas. Sed qui tunc in varias incurrerunt reprehensiones, purgati postea sunt, comperto non aliud eos voluisse, quàm ut obtineret jus canonicum in vestimentis Episcoporum Regularium, & facienda per eos dispensatione redituum Ecclesiasticorum, ac si simplices essent Abbates. *Hist. Univ. Pari. tom. 3. pag. 540.*

VII. Nec silentio premendæ nobis sunt illæ Ecclesiæ Cathedrales, ubi consensu unanimi Episcopi & Canonici Regularium Canonicorum amplexati sunt institutum, impetratis etiam ab Apostolica sede diplomatibus, ne resilire unquam possent ab ea Canonicorum Regularium professione. Ejusmodi fuit Innocentii II. Bulla anno 1142. Episcopo Bellicensi concessa. *Obeunte te nunc ejusmodi civitatis Episcopo, nullus ibi nisi Regularis Ordinis Episcopus eligatur.* Ejusmodi fuit & Innocentii ejusdem II. Bulla anno 1137 Episcopo Nicæno indulta: *O eunte te nunc ejusdem loci Episcopo, nemo ibi præter Regularis Episcopus præponatur. Gall. Christ. Tom. 2. pag. 361. Tom. 3. pag. 387.* Ejusmodi fuit & quam Sagiensis impetravit Episcopus, frater Arnulphi Lexoviensis Episcopi, quando in Capitulo sui sedes Canonicos accersivit Regulares. *Arnulphi Epist. 24.* Post ejus obitum, non est passus Romanus Pontifex ordinari successorem, nisi veste & professione suscepta Canonici Regularis. Sed nemo non perspicit quàm affiniores sint Clero Canonici Regulares, quàm Monachi.

VIII. Nec certè vel B. Thomas Aquinas, vel Theologi cæteri, vel Canonum Commentatores eam vexarunt quæstionem nisi de Monachis, quibus demum vinculis solvantur, vel relaxentur suarum Institutionum, ubi Episcopatu augentur. Præstantissimè verò respondet B. Thomas, professionem Monasticam non esse nisi tyrocinium quoddam perfectionis, *via in perfectionem tendendi*: Episcopatum verò esse *quoddam perfectionis magisterium*: & hinc illud perspicuè nasci, Monachum ad Episcopale culmen evectum, incrementa potiùs facere debere virtutum perfectionis, quàm temperamenta sectari. Itaque constringi illum semper iis virtutum documentis, quæ non pugnent cum Episcopalibus functionibus, utputa continentia, paupertate, & veste ipsa Religiosa, quæ veluti tessera est harum virtutum professionis. *Dicendum ergo quod si qua sunt Regularibus observantiis, quæ non impediant Pontificale officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam, sicut est continentia, paupertas, & alia hujusmodi, ad hæc remanet Religiosus, etiam factus Episcopus obligatus, & per consequens ad portandum habitum suæ Religionis, qui est hujus obligationis signum. 2. 2. q. 185. Art. 8.* Subjicit verò Sanctus Doctor, vigilias, jejunia, secessum, silentium Monasticum posse non ubique consentire cum labore & defatigatione Episcopatûs, adeoque minùs his Episcopos obligari. Cumque nonnihil scrupuli hæreat in observantia paupertatis Religiosæ, respondet sanctissimus Doctor, nil posse Episcopum, quode agimus, proprium possidere, non hæreditates adire nisi nomine Ecclesiæ suæ, non posse testari, cum merus sit dispensator; posse tamen testari cum dispensatione Pontificia. Id enim præstabit ea dispensatio, ut dispositio & voluntas meri administratoris, cujus idem finis esse debuerat, qui vitæ, post ejus nihilominus mortem perpetuetur. *Proprium nullo modo habere possunt. Non enim paternam hæreditatem vendicant quasi propriam, sed quasi Ecclesiæ debitam. Testamentum autem nullo modo facere potest, quia solum ei dispensatio committitur rerum Ecclesiasticarum, quæ morte finitur, ex qua incipit testamentum valere, ut dicit Apostolus. Si tamen ex concessione Papæ testamentum faciat, non intelligitur ex proprio facere testamentum, sed authoritate Apostolica intelligitur esse ampliata potestas suæ dispensationis, ut ejus dispensatio possit valere post mortem.*

Duæ sunt causæ, quæ Regulares Episcopos prohibeant testari; altera ad eos spectat, qui nihil proprium habere possunt: altera ad ipsas Ecclesiæ res, quæ Dei sunt & pauperum in communi propriæ, nec possunt privatis, nisi ut Oeconomis & Administratoribus committi. At Beneficiarii sæculares, ipsi quidem per sese propriè possidere possunt, sed si solas Ecclesiæ res in potestate habeant, meri & ipsi sunt Administratores, & nec ipsi ea ratione testamentarias tabulas conscribere possent, nisi eatum illis copiam fecisset indulgentia & authoritas. Inde tot circumscripti ab Ecclesia limites eorum testamentis, ut ne dent nisi pauperibus, Monasteriis, Xenodochiis, creditoribus, servis, pro famulatus tempore & modo. Tutiùs tandem visum est testari Beneficiarios, quin & Regulares suprà vidimus Episcopos testantes, ut Ecclesiæ & pauperibus res eorum certiùs vendicarentur. In his omnibus testamentis valebat illud B. Thomæ, has esse quasi ampliationes quasdam dispensationis rerum Ecclesiæ, qua ante fungebantur, quibus placuit locum esse etiam post mortem.

IX. In vita sanctissimi viri B. Francisci Franciscanorum parentis, commemorat Beatus Bonaventura ejus scriptor. *Legenda. S. Francis. c. 6.* Cardinalem Ostiensem, qui Gregorius IX. postea fuit, sciscitatum aliquando esse, an sineret suos ad Ecclesiasticas promoveri dignitates; respondisse autem ipsum: Tum ex illis fore ut Ecclesia fructum capere posset non mediocrem, si illos paupertati & humilitati permitteret, quam præ se ferrent. Ipse verò B. Bonaventura in commentanda Regula B. Francisci tradit. Qui ab Ordine Monastico inviti raptantur ad Episcopatum, eos non discedere ab Ordine; at qui Episcopales ambiunt Cathedras, ut laboribus se subducant Religionis, eos verò de salute magnopere periclitari. *Si coacti ab Ecclesia hujusmodi inevitabili necessitate, suscipiant regimen animarum, non sunt reputandi ab ordine egressi, si quantum in ipsis est, semper appetant in sinu Ordinis confoveri. Quod si non vocati ad Episcopalem*

gra-

gradum, nec coacti, ad eundem aspirant, ut fugiant ærumnas pauperum, & Ordinis rigorem, credo eos in illius partem secessuros, qui dixit; Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. In c.11.

Nec prætereundum quid idem subjicit Bonaventura; Qui voto se obligarunt profitendæ Religionis, & ante ad Episcopatum extolluntur, non eo solvi illos ab implendi voti necessitate, cum rem ita definierit Innocentius III. C. *Per tuas, De voto;* ubi jubet profiteri in Religione eum, qui ita voverat, quamvis postea ad Episcopatum vocatus fuisset; concesso, ut peracta professione Monastica assen tiretur electioni, si rursum ad Episcopatum eligeretur. *Si tuam sanare desideras conscientiam, regimen resignes Ecclesiæ memoratæ. Quod si Capitulum Gebenensis Ecclesiæ te postmodum duxerit eligendum, electionem recipere poteris de te factam.* Ubi perspicis jam electioni assensum hunc fuisse, atque ita Episcopum verè jam fuisse, cum jubeat tamen Pontifex admitti Episcopatum & impleri votum. In quo mihi quidem satis argumenti esse videtur adversùs eos, qui existimant post persimile votum, si quis se adgregari curet Solidatio merè Clericali, posse eum totam ita vitam piè traducere. Contra enim Episcopatus ipse status est longè sanctior, perfectiorque, & arctiùs constringens, quàm sodalitium quodvis Clericale; atque adeo æquius esset, eo solvi votom profitendæ Religionis. Nec tamen solvitur. Non ergo en absolvetur, qui se Clericali cuiusvis gregi addixerit. Si qui autem dispensationibus confidant Pontificiis, expendendæ eæ sunt, an satis dilucidæ, an causis justis & veris astrictæ, ut ait Bonaventura de iis: qui à strictiori ad molliorem Ordinem properarent. Non dispensat Pontifex, nisi hortante pietate & æquitate; alioqui meræ sunt eæ obreptiones, quibus flagitium ingravescit eius, qui de dispensatione sibi blanditur. *Quod si de licentia Apostolica glorientur aliquid aliter facientes, pro certissimo sciant, contra hanc regulam Apostolicam Papam nihil facere. Nemo mittens manum ad aratrum, &c. Quod si mendaciis intervenientibus aliquid contingat per tales à Sede Apostolica impetrari, non est eis excusatio, sed accusationis duplicatio, dum mendacio tantum Patrem circumvenientes, sua quærunt Apostasia pallium, qui in votis non dispensat, nisi ubi suggerit pietas, & rationalis æquitas recompensat.*

X. Cum septuagenario major esset Cardinalis Ximenius anno 1517. & administratione totius Hispaniæ fungeretur, tanto animi fervore Franciscanæ suæ Regulæ labores, jejunia, tunicas laneas pro indusiolis retinebat, aliaque duriora quævis, ut his illum Leo X. interdicendum censuerit Brevi Apostolico, quod in Annalibus sacris legitur. *Rainald. an.1517. n.105.*

XI. In Oriente compertissimum est, Episcopos à pluribus jam retro sæculis, ex Cœnobiis accersiri; aut statim electos Monasticam regulam profiteri. Atqui eum jam Episcopi Monasticam professionem amplectabantur, non aliud, quàm macerationes ipsas & jejunia, paupertatem & vestem Monasticam Episcopatui se sociaturos profitebantur. Unus hic nobis idoneus testis prodibit Glycys Patriarcha Constantinopolitanus, Honorifico fungebatur ille munere In Palatio, cum ad Patriarchatum accitus est. Conjux ejus vestem statim induit Monasticam, induisset & ipse incunctanter pro summa sua in sedem Pontificiam veneratione, nisi eum inhibuisset Imperator, quòd podagræ doloribus interdum conflictaretur, quo fieret, ut non posset ex Medicorum consensu omnino carnis esu abstinere. Ita narrat Nicephorus Gregoras, *Lib.7.*, singulari quodam necessitudinis nexu ei conjunctissimus. *Uxor ejus statim Monasticum habitum induta, quem & ipse reverentia sedis induisset, nisi illius conatui Imperator obstitisset, Nam cum corruptus humor non ita multò ante certis anni intervallis articulos ejus invasisset, gravissimè cruciabatur, & de sententia Medicorum carnibus ei vescendum erat. Qua de causa Monasticus ei habitus non est concessus.* Si vel Patriarcha ipse sentiebat se lege teneri professionis & vestis Monasticæ, hinc prona est de cæteris Episcopis conjectura. Sumenda autem veste Monastica electi Episcopi usque adeo adigebantur ad reliqua omnia professionis Monasticæ & austeritatis instituta, ut Glycys quod carnium abstinentiam sectari non posset, ne vestem quidem induerit Monasticam.

XII. Decreto quidem Juris Canonici novi, seu Canone Concilii Lateranensis IV. sub Innocentio III. solus præscribitur habitus Monasticus, *Quos oportet ferre habitum Monachalem. Extra. De vita & honest. Cleric. C. Clerici officia.* Sed idoneus interpres B. Thomas, suprà confirmavit, non esse eam vestem nisi veluti tesseram quandam complectendarum virtutum omnium Monasticarum, quibus cum Episcopalibus functionibus bene conveniat. *Ad hæc remanet obligatus, & per consequens ad portandum suæ religionis habitum, qui est hujus obligationis signum.* Alioqui vestis Monastica ludibrium quoddam, & inanis ostentatio videri possit. Hinc verò non temerè conjicies hoc Innocentii III. decretum adumbratum fuisse ad illud Innocentii quondam I. ad Victricium Rotomagensem Episcopum, quod & iisdem verbis innovatum fuerat sub Innocentio II. in Concilio Londinensi, *Can.14.*, anno 1138. ubi Pontificius ejus Legatus præerat. *Adjicimus, &c.* Suprà jam illud protulimus. Illud innovaverat & Carolus Magnos in Capitulari Aquisgranensi. *Monachus si ad Clericatum promoveatur, propositum Monasticæ professionis non amittet.* Legem persimilem ediderat & Justinianus. *Novel.5. c.8. Si quis Monachicam profitentium conversationem, meruit Clerici ordinationem, maneat etiam sic puram servans conversationem. Quod si facti Clerici abutantur fiducia, & ad nuptias venire præsumant; quippe in tali constitutus gradu, inter Clericos, qui ei uxorem ducere permittat, excludatur omnibus modis à Clero, tanquam priorem conversationem & solitariam confundens vitam.* In id potissimum colliNeabat Decretum Innocentii I. ne Monachi ad Clericatum & ad Ordines minores provecti, ubi fas erat uxores ducere, ea libertate abuterentur. Sed vel ipsa continentia argumento est, Monachos Clericatu auctos, ut continentia, ita & reliquis adhuc illigari Monasticarum virtutum vinculis, quibus non arcetur quis ab Ordinum functionibus.

Nec præterlri hic tamen debet, quod in Comitiis Cleri Gallicani decretum fuit anno 1665. *Ut omnes Prælati nulla distinctione, nulla exceptione, in veste violacea irent, ut Majestatem Regiam unà inviserent & venerarentur, etiam qui ex Regularibus Ordinibus vocati sunt ad Episcopatum, ut una ab omnibus forma teneatur. Verbal de l' Assemblee. p.50.* Semel tum ita decernebatur factitandum; sed aliunde videri possit, non facilè edici potuisse, ut in violaceam vestem sumptus fierent, quæ semel tantùm usui futura esset. Urgeri etiam validius potest ratio, unius servandæ ab omnibus formæ. Nec enim semel tantùm illa placet unitas.

Cæremoniale Episcoporum, quod jussu primùm Clementis VIII. postea Innocentii X. publicatum est, jubet Episcopos Monasticis ex Ordinibus vocatos, vestem gestare, ejus coloris, qui proprius est Religionis suæ: *Promoti ex Ordine Regulari, non Clericali, non utuntur Rochetto, sed retinent in vestibus colorem habitûs suæ Religionis, & deferunt ubique Mozzetam ejusdem coloris, &c.* Et rursum inferius; *De Episcopis Regularibus, qui non mutant* re-

colorem sui habitus, neque iadant Rothettum &c. L.1. c.1.

Illud omnino memorabile, quod cum antè legibus Ecclesiæ præciperetur geri vestem ipsam Monasticam, hic solus vestis color præcipiatur, etsi duorum authoritate Pontificum muniatur hic Cæremonialis liber. Longè ergo major est hæc vestis ipsius mutatio, quàm coloris solius. Hic verò usus si penitus invalescat in Galliis, videri non injuria forsan illæ poterunt nunc demum obtemperasse antiquissimo illi Cælestini I. Decreto, cui se tunc Galliarum Episcopi non omnino accommodarunt. Uberius hac de re suprà egimus Tomo primo hujus Operis, ubi ostendimus reprehensos fuisse à Cælestino I. Episcopos Gallicanos, quod in Episcopatu ipso vestes retinerent Monasticas. Quanquam tunc Clericorum & Episcoporum urbana & civilis vestis, non alia esset, quàm quæ Laicorum spectabilium. Volebat Cælestinus Episcopos Clericosque à laicis diffidere, virtutibus, non vestibus. Perstitere tum Episcopi nostrates in proposito, & Gallicanum usum probavere tandem Cælestini successores. Nunc contra Pontifices Romani, & Episcopi Gallicani ad illam antiquam videntur Cælestini senteotiam revolvi, duplici videlicet illa immutatione, in veste, & in colore vestis Monasticæ, Difficillimè possunt non aliquæ semper vices & ionovationes observari post longa temporum iotervalla in his rebus extrinsecis, & per sese in utramque partem versatilibus. Caput est, ut quascumque patiatur vices exterior disciplina, in pretio & in amore sint semper religiosę virtutes; & à veste Monastica, aut colore ejus, coocordiæ & consensionis cum Collegis amor abducat, non pudor ejus habitus, qui religione olet & humilitatem, qui pœnitentiam per se fert & sanctimoniam.

De spolio, & de statu rerum Ecclesiæ sede vacante.

CAPUT LI. *P.1. l.4. c.20.*

Quo loco essent res & bona Ecclesiæ sede Episcopali vacante per quinque priora sęcula.

I. Qui superstites Episcopo temporalia Ecclesia administraverant Oeconomi, Presbyteri, Diaconi, eodem munere post ejus obitum fungebantur.

II. Argumenta ex Chrysostomo & Nazianzeno.

III. Item ex Concilio Ancyrano. Alienari nil poterat vacante sede.

IV. V. Ne id quidem poterant Episcopi citra assensum Metropolitani & Concilii Provincialis.

VI. In Concilio primum Calchedonensi damnati Clerici, qui vacantes Ecclesias expilabant.

VII. Jam ante serpere cœperat ea lues. Bona Episcoporum hareditaria preda erant.

VIII. Ei malo mederi cœpit Concilium Regiense, designato Episcopo Visitatore Ecclesiis viduatis.

IX. Oeconomus à Concilio Calchedonensi constitutus frustra obmiti tentaverat.

X. Reges Vandali Africa ditioni sua subjicere voluerunt Episcopatus vacantes.

XI. De Episcopis Visitatoribus vacantium Ecclesiarum.

I. CUM cura & potestas rerum Ecclesiæ temporalium esset penes Episcopum, non abs se queritur eo terris emigrante, quem maneret ea providentia. Cum verò res Ecclesiæ non administraret Episcopus, nisi per Oeconomos, Presbyteros, Diaconos, illo vel extincto, vel exauthorato, totum scilicet eos pondus incumbebat. Literas dedit Concilium Ephesinum I. *ad Presbyteros, Oeconomos, & alios Clericos Ecclesia Constantinopolitana*, ut significaret, Nestorium ejus Ecclesiæ solio ejectum fuisse, atque ipsorum jam esse, ut pro ejus Ecclesiæ rerum tuitione excubarent, ut qui successori ejus rationes facturi essent. Idem præscripsit Concilium Calchedonense exturbato Dioscoro, *Presbytero Oeconomo, Archidiacono & Clericis Alexandria. Act.3.*

II. Constat ergo Oeconomos, Presbyteros & Diaconos viduatæ Ecclesiæ res & proventus administrasse, successori omnium rationes exhibuisse. Vidimus suprà Chrysostomum exordio Episcopatus sui Oeconomos ad istiusmodi ratiocinia vocasse; Nazianzenum contra ea accuratione abstinuisse, ut sibi videbatur consultissimè, ne pax & concordia in discrimen conjiceretur.

III. Ex Concilio quoque Ancyrano id liquet, orbatæ Ecclesiæ res à Presbyteris administratus fuisse, sed breviori gyro terminatam fuisse eorum potestatem, cum posset successor Episcopus rescindere ac revocare, si quid præpostere aut donassent fundorum Ecclesiæ, aut distraxissent. Ubi illud quoque usu venire poterat, ut emptoribus nil pecuniæ refundi necesse esset, cum vilitori pretio addictorum fructus agrorum abundè ad id sufficerent. *Si qua de rebus Ecclesia, cum Episcopus non est, Presbyteri vendiderint, placuit rescisso contractu ad jus Ecclesiasticam revocari. In judicio autem erit Episcopi, si constitutum pretium debeat recipi, nec ne; propter quod sępè contingit, distractarum rerum reditus ampliorem summam pro dato pretio reddidisse. Can.15.*

IV. Ne Episcopi quidem ipsi dare poterant, aut distrahere fundos Ecclesiæ, oisi consentiente & subscribente Clero. Sic decrevit Concilium Carthaginense IV. *Can.32. Irrita erit donatio Episcoporum, vel venditio, vel communicatio rei Ecclesiastica, absque conniventia & subscriptione Clericorum.* Addidit & cautiones alias Concilium Carthaginense V. ne fundi Ecclesiæ alienarentur; constituto, ut ne Clerici, ne Episcopi consensu solo, sed etiam Metropolitani, & Concilii Provincialis, ita demum ritè distraherentur. *Placuit etiam ut rem Ecclesia nemo vendat. Quod si aliqua necessitas cogit, hanc insinuandam esse Primati Provincia ipsius, ut cum statuto numero Episcoporum, utrum faciendum sit arbitretur. Quod si tanta urget necessitas Ecclesia, ut non possit antè Primatem consulere, saltem post factum, curiositatem habeat & vicinis Episcopis indicare, & ad Concilium referre. Quod si non fecerit, reus Concilio venditor teneatur. Can.4.* Quod decretum corroboravit Hilarus Papa in Epistola ad Episcopos Galliæ, ea etiam ratione approbata, quòd res Ecclesiæ res pauperum sint innumerabilis multitudinis. *Ex quibus plurimorum consuevit necessitatibus subveniri. Epist.8.*

V. Minùs ergo mirum erat, non posse quidquam à Presbyteris & Oeconomis Ecclesiæ alienari sede vacante: cum nec Episcopus posset nisi assensu Cleri, Metropolitani, & Episcoporum Provinciæ. Submonitus Simplicius Papa de Gaudentii Episcopi Aufiniani administratione minùs provida Ecclesiæ suæ, eam ab illo ad alium Episcopum ejusdem Provinciæ traduxit, ipsum coegit, quidquid alienasset, ad Ecclesiæ ejusdem jus revocare. *At verò ministeria Ecclesia, qua alienata comperimus, reparare præsumptor prædicti fratris compellatur instantia.*

VI. Redeo ad Clerum vacantis Ecclesiæ res admi-

ministrantem, & cui aliquando tamen illa obrepsit perversitas, ut prætexiu tuendæ rei Ecclesiasticę, privatas & hæreditarias Episcopi defuncti res expilaret. Exauthorandos postbae censuit Clericos ejus facinoris reos Concilium Calchedonense. *Can.22. Non licere Clericis post obitum sui Episcopi, ets ad eum pertinentes diripere, sicut antiquis quoque est Canonibus constitutum. Quod si hos facere tentaverint, graduum suorum periculo subjacebunt.*

VII. Quo ex ipso Canone intelligis jam inveterasse id malum, & jam antè diu tentatas fuisse varias machinas ad illud propulsandum. Antiochenis Patribus in edendis Concilii sui Canonibus curæ fuerat, ut seponerentur res Episcopi propriæ à rebus Ecclesiæ communibus, *ne qua propria probantur Episcopi, sub occasione rerum Ecclesiæ pervadantur. Can.24.* Idem insinuat Canon Apostolicus. *Can.40.* Ut à verisimili non distet, quod tres illi Canones insinuant, priores omnium Clericos expilasse res & domos Episcoporum obeuntium, resque proprias & hæreditarias Episcoporum primùm prædæ patuisse; denique harum rapinarum ansam arripuisse Clericos, ex eo, quòd indiscretæ plerumque essent res Episcopi & Ecclesiæ, ut non facilè possent non hinc Clerici, hinc Episcoporum proximi inter se digladiari, pari hinc & hinc aviditate & cupiditate inferendæ potiùs fraudis, quàm ferendæ.

VIII. Consultissimè ergo visum est Patribus Regiensis Concilii, non satis esse præsidii Presbyteris Ecclesiæ viduatæ in suis ipsorum viribus, ut Clericos insolentiores compescere possint. Statuerunt ergo ut ubi primùm Episcopus cujuslibet Ecclesiæ animam egisset, accurreret vicinior Episcopus; funus ejus curaret, administraret Ecclesiam vacantem, censum rerum Ecclesiæ omnium conscribi juberet, procacitatem & contumaciam Clericorum pro Episcopi visitatoris constantia & authoritate frangeret. *Consultum est, ne quis ad Ecclesiam, quæ Episcopum perdidisset, nisi vicinæ Ecclesiæ Episcopus exequiarum tempore accederet; qui Visitatoris vice, tamen statim Ecclesiæ ipsius curam districtissimè gereret, ne quid ante ordinationem discordantium in novitatibus Clericorum subversione liceret. Itaque cum tale aliquid accidit, vicinis viduatarum Ecclesiarum inspectio, recensio, descriptioque mandatur. Has autem omnia exequiarum tempore usque ad septimam defuncti diem aget. Can.6. 7.* In Hispania idem sancivere Concilii Valentini Patres. *Can.6. 7.*

IX. Edixerat quidem Concilium Calchedonense, ut viduatæ proventus Ecclesiæ ab Oeconomo custodirentur. *Veruntamen reditus Ecclesiæ viduatæ penes Oeconomum ejusdem Ecclesiæ integrè reserventur. Can.25.* Sed ei Oeconomo accedere non potuerat illud authoritatis pondus, ut cohibere atque comprimere posset jurgia & prædationes, sive Clericorum ipsius Ecclesiæ, sive cognatorum Episcopi, sive reliquæ plebis, sive Magistratuum, qui studio primùm agebantur fædandæ concordiæ, mox eam ipsi magis incendebant; & prædonum primùm ultores, mox socii & consortes non rarò erant.

X. Sed hæc omnia tamen mala non simul irrupere. Quinque bis enim prioribus sæculis rara sunt vestigia, quæ demonstrent his prædationibus, vel plebem intervenisse, vel Magistratus. Clericis tantùm ferè certamen fuit cum proximis defunctorum Episcoporum. Quod enim narrat Victor Episcopus Africanus de Rege Vandalorum, detestabilis fuit ea consilii machinatio, ad exitum nunquam perducta. Statuerat barbarus & perfidus Rex Edictum promulgare, quo morientium Episcoporum res fisco addiceret, successoresque juberet quingentos nummos aureos in ærarium Principis inferre, ante ordinationem suam. Regiorum ministri Consiliorum admonuerunt à Catholicis per orbem Principibus pœna consimili citra dubium vexatum iri Episcopos Arianos omnes. Nec pluribus opus fuit, ut Edictum silentio obtueretur. *Quodam tempore statuere per totam Africam festinavit, ut nostrorum Episcoporum defunctorum fiscus sibi substantiam vindicaret. Qui autem defuncto succedere poterat, non antè ordinaretur, nisi fisco Regali quingentos solidos obtulisset. Sed hoc adificium ubi constituere ausus est diabolus, statim illud destruere dignatus est Christus. Suggerunt ei domestici sui, dicentes, si istud firmaverit praeceptio tua, nostri Episcopi in partibus Thraciæ & aliis regionibus constituti pejora incipient pati. L.2. de Persecut. Afric.*

XI. Ut ad Episcopos autem me referam, qui ad gubernandis vacantibus Ecclesiis præficiebantur, ineunte jam sæculo quarto frequentes illos in Africa fuisse author est Augustinus, *Epist.163. & De Pastor.c.15.*, dictos porro fuisse *Interventores*, aut *Intercessores*. Ejusmodi suarum partium Episcopum Carthagine designaverunt Donatistæ, ante electionem schismaticam Majorini. Ejusmodi & Romam ablegarunt, qui suæ sectæ homines confirmaret. *Interventores adventitios furtim longèque mittebant, donec decepta plebecula quasi proprios Episcopos ordinarent. Visitatores* etiam eidem Augustino dicuntur. *De unico Baptis. c.16.* Eorum frequens mentio in Collatione Carthaginensi. Plerumque Episcopi erant, rariùs Presbyteri. Cum in ea Collatione Episcopus donatista jactantiùs affirmat in sua civitate Catholicum omnino esse neminem, responsum est ab Episcopo Catholico, esse in ea Catholicis Presbyterum Interventorem, quasi dicas Vicarium Generalem sede vacante. *Presbyterum habemus, qui intervenit.* Sunt & alia id genus ibidem exempla. Gregorium Nazianzenum prodidit Facundus Hermaniensis Episcopus, *L.2. c.201.202.*, arrepto consilio abjiciendi omnino regiminis Ecclesiæ Nazianzenæ, accersisse Theodorum Episcopum Mopsuestenum, ut visitationis officium vacanti ei Ecclesiæ impenderet. *Theodorum de toto Oriente in defensionem & visitationem Ecclesiæ suæ delegit.* Scripsit Facundus de Asia, *L.7. c.9.*, non secus ac de Africa; nec satis forsan animadvertit, Ecclesias Orientis Episcopo viduatis Oeconomis interim & Archidiaconis commendari solere, quod ad temporalia pertinet: Metropolitanis autem, quoad spiritale regimen, successoris verò potissimum electionem. Itaque Theodorus ille, quem auxiliatorem invocavit Gregorius Theologus Ecclesiæ suæ Nazianzenæ, is ipse prorsus fuit Theodorus tunc Metropolitanus Thyanensis, cui obnoxius erat Episcopus Nazianzenus. Non ergo in Oriente venandi usquam nobis sunt Episcopi visitatores vacantium Ecclesiarum. Episcopatus vacantes Provinciæ suæ Ambrosius aliis Episcopis commendabat. *Commendo tibi, Ecclesiam, quæ ad Forum Cornelii, quò eam de proximo intervisas frequentius, donec ei ordinetur Episcopus. Epist.44.* In Concilio Hispaniæ Valentino Visitatori huic Episcopo tributum est nomen *Commendatoris Episcopi. Can.4.* Id verò si constanter retentum semper fuisset, ut vacanti Ecclesiæ adjiceretur protinus Episcopus ex vicinitate visitator, repressi ab eo abactique fuissent complusculi Episcopatuum vacantium deprædatores.

CAPUT LII. *P.2. l.4. c.25.*

De Spolio Beneficiariorum obeuntium, de expilatione ædium, de custodia vacantium Ecclesiarum in Gallia & Hispania ab ævo Clodovæi usque ad tempora Caroli Magni.

I. II. Ecclesiæ Episcopales vacantes commendabantur interim Episcopo visitatori, Metropolitano, Archidiacono, Clero.

III. Qui Canones detonuerint in expilationes Ecclesiarum, Episcopatuum, & aliorum Beneficiorum, per Clerum, Archidiaconos, pauperes, Plebem. Interveniebant & Rescripta Principum.

IV. V. Multa in hos Canones observantur. De Deportu. De Spolio.

VI. VII. Illustrationes novæ ex Gregorio Turonensi.

VIII. Probationes aliæ ex testamentis Episcoporum.

IX. De collatione Beneficiorum vacante Episcopatu. Defensores, Advocati.

X. XI. XII. Disciplina Hispaniæ simillima Gallicanæ. Probationes ex Conciliis Hispaniæ & Legibus Visigothorum.

I. PRoximioribus Episcopis Concilium Aurelianense II. præcepit, ut quamproperè pergerent ad exequias Collegarum, expensis itineris contenti essent; adjungerent sibi vacantis Ecclesiæ Presbyteros ad censum & descriptionem rerum vacantis Ecclesiæ, & ad eas viris probis interim credendas, ne prædæ objicerentur alimenta pauperum. *Episcopus, qui defunctum advenerit sepelire, præter expensam necessariam, nihil pretii pro fatigatione deposcat. Episcopus, qui ad sepeliendum Episcopum venerit, evocatis Presbyteris in unum, domum Ecclesiæ adeat, descriptamque idoneis personis custodiendam sub integra diligentia derelinquat, ut res Ecclesiæ ullorum improbitate non pereant.* Can. 5. 6.

II. Contumeliosus Regiensis Episcopus cum ad Sedem Apostolicam provocasset à sententia depositionis, qua perculsus fuerat in Concilio Provinciali, alium interim Episcopum subrogari præcepit Joannes II. Papa qui Visitatoris nomine eam Ecclesiam regeret, temporalium curam ne primoribus quidem digitis attingeret. *Ita tamen ut nihil de Ecclesiæ facultate præsumat.* Ep. 3. 4. Temporalium enim curam tum gerere Archidiaconi erat, ut ab Agapeto Papa postea declaratum est in confirmanda præcessoris sui sententia. *Patrimonio Ecclesiæ in gubernatione Archidiaconi ejusdem Ecclesiæ constituto, ita ut alimonia sufficienter Episcopo non negetur.* Epist. 7. Egit & Aurelianense V. Concilium de Episcopis; qui auxilio essent vacantibus Ecclesiis, & ipsos quoque voluit solis expensis contentos abire. *Nec quidquam de rebus Ecclesiæ præter humanitatem auferre præsumat.* Can. 8.

III. Qui verò authores essent harum expilationum prodit Concilium V. Parisiense anni 615. quibus non Episcopales tantùm Ecclesiæ, sed & Beneficia prorsus omnia post Clericorum obitum pessumdabantur. Damnantur enim in hoc Concilio homines audacissimi, qui ad prædas agendas de rebus Beneficiorum vacantium, Rescriptis abutebantur Principum, vel Judicum & Optimatum potestate, qui quorum se bonorum custodes & vindices venditabant, eorum raptores authoritate sua tuebantur. Porro Concilii hujus Patres Archidiacono & Clero custodiam commendant, & defensionem Beneficiorum vacantium. Sed cum Episcopi & Archidiaconi multum sibi juris tribuerent in Ecclesias Parochiales, spoliumque sibi vindicarent earum, sicubi vacassent, tanquam id jure ad Ecclesiam Cathedralem devolveretur, à qua ceu matrice manaverant, hanc ipsam usurpationem improbavit Concilium, jussitque, ut Parochialis Ecclesia Parochi obeuntis spolio ipsamet potiretur. *His etiam Constitutionibus adnecti placuit, ut defuncto Episcopo, Presbytero, vel Diacono, vel quoquam Junioris ordinis Clerico, non per præceptum, neque per Judicem, nec per qualemcumque personam res Ecclesiæ, vel eorum propriæ, quousque aut testamentum, aut qualemcumque, obligationem fecerit, cognoscatur, à nullo penitus suprascripta res contingantur. Sed ab Archidiacono, vel Clero in omnibus defensentur & conserventur, &c.* Et proximo canone: *Comperimus denique cupiditatis instinctu, deficiente Abbate, vel Presbytero, vel his, qui per titulos deserviunt, præsidium quodcumque in mortis tempore dereliquerint, ab Episcopo, vel Archidiacono diripi, & quasi sub augmentum Ecclesiæ, vel Episcopi in usum Ecclesiæ revocari, & Ecclesiam Dei per pravas cupiditates expoliatam relinqui. Statuimus observandum, ut neque Episcopus, aut Archidiaconus exinde aliquid auferre præsumat; sed in loco ubi moriens hoc dereliquerit, perpetualiter debeat permanere.* Can. 7.

IV. Hi duo planè Canones apertissimè manifestant, quæ tum temporum, quæ rerum conditio esset, quique mores obtinerent ineunte sæculo septimo, sive anno 615. 1. Agitur enim de spolio Ecclesiarum. *Præsidium quodcumque mortis tempore reliquerint, &c. Ecclesiam expoliatam relinqui, &c.* 2. Jam spolia invadebant Episcopi & Archidiaconi Abbatiarum, Parochiarum, & Ecclesiarum omnium sibi subditarum. *Deficiente Abbate, Presbytero, vel his, qui per titulos deserviunt.* 3. Huic rapinæ species & color appingebatur ex necessitate revocandorum in primævum suum fontem rivulorum, cum à Cathedrali Ecclesia scaturissent cæteræ omnes: *in usum Ecclesiæ revocari.* 4. Ad Cleri communem mensam revocabantur hæc spolia, non ad Episcopum privatim, aut ad Archidiaconum, *quasi sub augmentum Ecclesiæ vel Episcopi.* 5. Et vel id tamen reprehenditur à Concilio, ut quod ab effræni cupiditate proficiscatur. *Pravas cupiditates.* 6. Agitur hic etiam de reditibus Ecclesiæ vacantis & de patrimonio Beneficiariorum. *Res Ecclesiæ, vel eorum propriæ.* 7. Muniebant se Rescriptis Principum, authoritate Magistratuum & Magnatum, quò tutius grassarentur. *Per præceptum, per Judicem, per qualemcumque personam.* 8. Hìc Archidiaconi declarantur Custodes & Defensores rerum Ecclesiæ, tum in Episcopalibus Ecclesiis, tum in minoribus Beneficiis vacantibus. 9. Eo tamen in fungendo munere Clerus illis adglutinatur. *Ab Archidiacono, vel Clero in omnibus defensentur, vel conserventur.* 10. Si qua spolii, vel deportus jura, quæ Episcopis & Archidiaconis in nonnullis Ecclesiis adscribuntur, ab hac manarunt corruptela, quam hic videmus damnari, viderint alii quid de his sit sentiendum. Nec enim quæ septimo sæculo proscribebatur avaritia & cupiditas, ea sæculo decimo septimo absolvi & approbari potest. Authoritatem vitio non conciliat antiquitas. Quin immo tantò atrocius flagitium est, quò obstinatius, diutiusque. Si usurpationes illæ tum vitio dabantur, cum ex iis Cleri totius societas fructum capiebat: quid sicubi nunc privatorum cupiditati serviunt? Possunt tamen Deportuum in aliis Ecclesiis jacta esse laudabiliora quædam & prorsus inculpata fundamenta, quode nos alibi suprà.

V. Sed illud potissimum in his Canonibus observandum venit, quod necdum tunc principes sæculares sibi arrogaverant custodiam Episcopatuum

&

& Abbatiarum vacantium, uti nec spolium, vel fructus Ecclesiæ viduatæ. 1. Jam quidem ad hæc illi s obrepere ambitiosi homines incipiebant, ut eorum Rescripta extorquerent, sed ea erat privatorum cupiditatis insania. *Per Præceptum*. 2. Id ipsum damnant hi Canones. 3. Soli Archidiaconi custodes declarantur vacantis Episcopatus cum clero. 4. Qui hæc spolia & fructus vacantium Beneficiorum invadunt, hic arcentur communione tanquam pauperum homicidæ. *Ut necator pauperum communione privetur. Can.7.* 5. Episcopi ipsi, qui à Principe extundebant spolia, aut fructus vacantis alterius Ecclesiæ, eidem subjiciuntur excommunicationi, donec plenissimè restituant. *Neque Episcopus Clericorum alterius Episcopi, seu Ecclesia, seu privatas res competere, aut retinere præsumat. Can. 9.* Dicemus inferius quando & qua ratione illa Regaliæ jura assentiente Ecclesia in Galliis constituta, ab aliis Regnis illa diu certante abolita tandem sint.

Illud porro hic addendum, Clotarium II. in confirmandis Edicto solemni Decretis Concilii hujus Parisiensis videri sibi servasse jus, Præcepta, seu Rescripta dandi, & nonnihil largiendi ex rebus Episcopatuum vacantium. Vix enim alio donari possunt sensu hæc Edicti verba, *Præceptiones nostra per omnia impleantur*. Quæ voces his Concilii verbis objici videntur, *neque per Præceptum*, & illis modum aliquem adhibere. Excidere verba Edicti consequentia & post hiatum illum præcipit Rex, ut donationes ab ipso, aut à Majoribus factæ, nec à justitia alienæ, obtineant. *Quidquid parentes nostri anteriores Principes, vel nos per justitiam visi sumus concessisse & confirmasse, in omnibus debeat confirmari.* Posset id referri ad Canonem IX. Concilii Parisiensis, quo vetabantur Episcopi, ne à Rege peterent prædia aliorum Episcopatuum. Poterant Episcopis & Ecclesiis jura esse, alia aliis adversa; poterant & ejusmodi judicia ad Reges esse perlata, edictum denique suum testificatur Clotharius cum Episcopis & Optimatibus Regni fuisse perpensum, libratumque diu. *Hanc deliberationem, quam cum Pontificibus, vel tam magnis viris Optimatibus, aut fidelibus nostris in Synodali Concilio instituimus.* Ipsi itaque forsan Episcopi his limitibus & clausulis assensi tandem fuerant. Præceptum est tamen in Concilio Remensi anni 630. religiosissimè observari decreta Concilii Parisiensis V. *Ut Capitula Canonum Parisiis acta in generali Synodo in Basilica Sancti Petri, Clotarii Regis studio congregata, omni firmitate custodiantur. Can.3.* Certè alio mox Canone conqueritur Concilium de Judicibus, qui Canones aspernabantur, obtenta Edictorum regiorum observantia. *Judices, qui super authoritate & Edicto Dominico Canonum statuta contemnunt. Can.2.* Intentatque excommunicationem, nisi Regis Clotarii Edicto morem gerant. *Qui Edictum illud Dominicum, quod Parisiis factum est, violaverint, placuit eos communione privari.* Posset quis respondere hæc ad Judices spectare, quibus integrum non erat, vel tantillum deviare ab Edictis Regum. Cum denique truncatum sit Edictum Clotarii hoc ipso in loco, quem versamus, non video quid satis certi hinc concludi possit. Ut summum jus id fuerit quod sibi Reges servatum voluerint, nonnihil largiendi ex rebus vacantium Ecclesiarum, ad levationem pauperum, vel Clericorum, vel aliarum Ecclesiarum. Nulla ejusmodi formula apud Marculphum. Plura de his inferius, si detur operosiùs retexere disciplinam vacantium Ecclesiarum.

Ex Concilio quidem Epaonensi anno 517. dilucidum est, impetrasse aliquando Clericos à Regibus prædia Ecclesiæ quædam, veluti jure precarii; nec intercedere Concilium, dum ea extinctis Clericis ad Ecclesiæ jus revocentur. *Clerici, quod Ecclesia remuneratione possederint, cum authoritate domni gloriosissimi Principis nostri, in jus proprietarium non transeant. Can.18.* Hoc Concilium convocaverat Sigismundus Burgundiæ Rex. Nec dissimulaverat Avitus ipse Viennensis Archiepiscopus, non possideri ab Ecclesia, nisi quæ vel donasset Rex, vel conservasset. *Nisi quæ servastis, aut donastis.* Gallicana Ecclesia idem profiteri poterat Regibus suis; & eam se eis præstare, quale se Concilium Epaonensi Sigismundo Regi exhibuisset. Redeo ad Concilia Parisiense & Remense.

VI. His roboris aliquid potest accrescere ex Canonibus Concilii Remensis & Cabilonensis, *An. 630. 650. Can.16. Can.6. 7.*, maximè verò quæ pertinent ad invasionem Abbatiarum, Xenodochiorum & Parochiarum vacantium, per Episcopos & Archidiaconos. At aperiet mox Gregorius Turonensis frequentes vacantium Episcopatuum deprędationes per Clericos ipsos in causa fuisse, aut certè ansam præbuisse, vel temporalibus, vel spiritualibus Potestatibus superioribus, ut ipsimet intervenirent, eam custodiam sibi tribuerent, & spolia tandem fructusque & proventus diriperent, quorum se antè profitebantur custodes & defensores fore. Cum Massilienses Clerici unà cum Præfecto Civitatis adversùs Episcopum conjurassent, eo denique comprehenso, Episcopatum ipsimet compilarunt & domos ejus omnes, non secus ac si vacasset sedes Episcopo demortuo. *Domos Ecclesia apprehendunt, ministeria describunt, regestoria reservant, promptuaria expoliant, omnesque res Ecclesia, tanquam si jam mortuus esset Episcopus, pervadunt. L.6. c.11.* His plus satis apertum est ita in more positum jam fuisse, ut cum primum animam efflasset Episcopus, ejus ædes diriperent. Cum rursus idem Episcopus coactus fuisset sui purgandi causa ad Palatium proficisci, rursus expilatæ fuere ejus ædes, iisdemque ducibus ac signiferis ac prius Abbate altero, altero Presbytero. *Clerici iterum Massilienses domos Ecclesia reserant, arcana rimantur, & alia describunt, alia fuit dominibus inferunt.*

VII. Exauthorato Ægidio Remensi Archiepiscopo Synodali sententia, & apud Argentoratum exulare jusso, auri pondus & argenti ingens in ejus ærario repertum est, & quidem quæ Ecclesiæ erant, iis abstentum est: cætera omnia, quæ ille per fas & nefas accumulasse ferebatur, Rex fisco suo adjudicavit. *Multa auri argentique in hujus Episcopi regesto pondera reperta sunt. Quæ autem de illa iniquitatis militia erant, Regalibus thesauris sunt illata; quæ autem de tributis, aut aliqua ratione inventa sunt, inibi relicta. L.10. c.19.* Habes hic rursum perillustre & certissimum documentum, nihildum Reges de vendicandis sibi morientium Episcoporum spoliis, vel de fructibus vacantium Ecclesiarum cogitasse. Quod rursus patet ex eo, quod idem Gregorius memorat de Baudino, qui sextus-decimus fuit Episcopus Turonensis: namque ab eo in pauperes erogata esse viginti amplius millia solidorum auri, quæ moriens præcessor in arca Ecclesiæ reliquerat. *Aurum etiam, quod decessor ejus reliquerat, amplius quàm viginti millia solidorum pauperibus erogavit.*

VIII. Nec minùs hęc validè astruuntur ex testamentis Episcoporum, de quibus suprà dictum est. Testabantur enim Episcopi, de omnibus, quę in Episcopalibus ædibus recondita erant. Ea ergo spolia ad jus trahi non poterant nisi Cleri & pauperum, quibus etiam à testante Episcopo legabantur. Reditus vacantis Ecclesiæ expendebantur nes-

cessariò ad alimenta Cleri & pauperum, quorum provisor fuerat Episcopus. Illa verò vel tertia, vel quarta pars, quæ Episcopo solet addici, hospitibus & peregrinis procurandis erat dicata. Cui muneri necesse erat etiam defuncto Episcopo fieri satis. Denique vel exemplo Augustini, non testabantur Episcopi, quòd cum nihil nisi res Ecclesiæ in potestate babuissent, ut illa immortalis est, & immortali cœlestique Sponso nupta, non existimabant morte sua locum dari testamento. Aut instar B. Perpetui, de quo suprà, testabantur, quòd cum patrio & à Majoribus accepto patrimonio abundarent, illud certissimè per pauperum manus in cœleste penu trajici cupiebant. Aut de ipsis testabantur Ecclesiæ bonis, quò ea certiùs & pacatiùs distribuerentur in pauperes, & in egentiores quosque. Ita nec spolia erant ulla caduca, nec fructus, qui ad alios, quàm ad pauperes, vel ad successores devenire possent.

IX. Quoad Beneficia Collationis Episcopi, quę in fructibus vacantium Episcopatuum numerari quidam voluere posteriore Ecclesiæ ætate; universim prescribi potest, Clerum cum Episcopo omnia indiscretè ad communes usus possedisse, atque ita vacante sede ipsum per sese omnia administrasse, quę & antè administrarat. Ad id rursus specialiter referri potest Concilium Aurelianense V. quo prohibetur ordinatio Clericorum, seu mavis institutio Beneficiariorum sede vacante. *Ut in civitate ubi Pontifex jure humana conditionis obierit, nullus Episcopus ante substitutionem reparati per ordinem successoris, aut in civitate, aut per Parochias ordinare Clericos, aut Altaria consecrare præsumat.* Can.8. Enimverò nullam antè impleri sedem conducebat, quàm Episcopalem; id prę cęteris adproperandum, id urgendum, huic primùm orbitati luctuosissimæ consulendum erat.

Alienum non erit hoc loco aliqua obiter perstringere de Defensoribus vel advocatis Cœnobiorum. Chronicum Cœnobii Besuensis (Beze.) in Episcopatu Lingonensi, Abbatem testatur anno 666. postulasset à Rege Nobilem aliquem & præpotentem virum qui Cœnobii res defensitaret, lites persequeretur, alienata prędia revocaret. Idque à Rege concessum in tempus, quod vellet Abbas. *Per præsens præceptum jubemus; ut memoratus omnes causas ipsius Monasterii ex nostro permissu licentiam habeat prosequi, & unumquodque, ut justum est, restituat; sic tamen, quandiu eorum pariter fuerit voluntas.* Le Cointe anno 665. n 3. Longiùs se porrigunt privilegia hujusmodi Defensoris in Abbatia Sancti Stephani apud Argentoratum. Postquam enim prohibitum est Judicibus publicis, Regiisque Ministris, ne quid adgrediantur in res agrosque Monasterii, Defensori servatur integra judicandi potestas de causis omnium, exigendi jura quævis, & animadvertendi innocentes. *Nullus Judex publicus nisi Defensor, quem loci ipsius Congregatio, vel Abbatissa voluntariè à Palatio impetraverit, audeat ingredi ad causas audiendas, vel freda, aut tributa exigenda, vel colonos, vel fiscalinos homines nullo modo molestare.* Idem anno 715. n.42. Erant ii hauddubio Defensores laici, de quibus prolixiùs infrà disputabitur. Archiepiscopus ipsemet Moguntinus constitutus fuit Defensor Cænobii Sanctimonialium, in Regio ejus privilegio. Sed suberat illi Vicarius, qui suprà memoratas obiret functiones. *Ibid. anno* 734. *n.6.* Hi certè Defensores vel Advocati postea vacantibus Ecclesiis dominari voluere, spolia invadere, Beneficia conferre, ut infrà dicemus.

X. Nec in hac parte recedebat à Gallicana Hispaniensis Ecclesiæ disciplina. Jubet Concilium Tarraconense, *Can.12.*, ut à Presbyteris & Diaconis recensio descriptioque fiat post mortem intestati Episcopi omnium, quę in Episcopali ejus ęde inveniuntur. Nempe successio tota ad successorem ut tutiùs trajiceretur. Ita enim paulò enucleatiùs Concilium Ilerdense, ubi cum indoluissent Patres Ecclesiis à proprio Clero post mortem Episcopi expilatis, quandoque & antequam ille animam egisset. *Quia hac sanctio à multis Clericis cognoscitur violari, ita ut occumente Sacerdote, expectorato affectu, totaque disciplina severitate posthabita, immaniter qua in domo Pontificali reperiuntur, invadunt, & abradunt. &c.* Jubetur Episcopus, qui exequiis præfuit Collegæ, ut has rapinas compescat, nec Clero nisi sportulas & distributiones usitatas permittat, easdemque ac priùs, omnia verò cætera illibata servet successori. *Placuit ut defuncto Antistite, vel etiam in supremis agente, nullus Clericorum quidquam auferre præsumat, &c. Sed is, cui domus commissa est, subjunctis sibi, cum consilio Cleri, uno vel duobus fidelissimis, omnia utique ad tempus Pontificis constituendi debeat conservare, vel his, qui in domo inveniuntur Clericis consuetam alimoniam administrare. Substitutus autem Antistes suscepta sedis commoda ordinabit, &c. Can.16.*

XI. At Valentinum Concilium comperto his Statutis coerceri non potuisse rapaces Clericorum manus, & insatiabiles cupiditates, statuit ut Metropolitani authoritate cogerentur prædones omnia restituere; utque vicinior Episcopus, qui Collegæ funus curasset, censum omnium Episcopatûs bonorum describi curaret, & Metropolitano traderet à quo idoneus præficeretur & fidus administrator, qui res vacantis Ecclesiæ tueretur & regeret, Clero distributiones legitimas suppeditaret, ipse verò rationes omnium faceret Metropolitano. His artibus machinisque certabant Concilia insolentissimas prævertere ac cohibere predationes, ex quibus novi Episcopi dolorem eum acerbissimum capiebant, quod sibi convulsæ, dilaceratæ atque exhaustæ Ecclesiæ administratio capessenda esset. *Ad Metropolitani notitiam habita ordinatio, vel descriptio deferatur, ut ejus electione talis persona ordinanda domûs Ecclesiasticæ procuretur, qua vel consueta Clericis stipendia dispenset, & creditarum sibi rerum. si forsitam tarditas in Episcopo ordinando successerit, Metropolitano congruis temporibus reddere possit rationem, ut sub hac salubri constitutione, Clerici suis stipendiis contenti, labores non diripiant Episcopi decedentis & in vacuam Ecclesiæ Domum futurus Pontifex non sine dolore succedat, sed magis de prædecessoris sui dimisso possit & ipse gaudere, & aliis ministrare.* Can.2. Idem prohibetur Canone proximo, *Can.3.*, cognatis defuncti Episcopi, nequid decerpere ausint de successione injussu Metropolitani, & Episcoporum Provinciæ. In Concilio VII. Toletano, *Can.5.*, novæ cautiones excogitatæ sunt, ad accuratiorem observantiam Canonum Concilii Valentini. In Concilio Toletano IX. *Can.9.* constituta est procuratio Episcopi Visitatoris; statutum est, obeunte Metropolitano proximos ejus confugere debere ad successorem ejus, vel ad Concilium Provinciæ, ut nequid sui sibi juris in ea successione deperiret: denique si Presbyteri, vel Diaconi obitu quæpiam vacarent Beneficia, nequid inde auferrent eorum cognati inconsulto Episcopo. *Can.7.*

XII. Nihil attinet eadem sæpius inculcare. Perspicuum est nihilo plus loci in Hispania spolio fuisse, quàm in Gallia, uti approbari rursus potest ex Legibus Visigothicis suprà relatis, quæ jubent, ut novus semper Episcopus censum expendat & descriptionem rerum Episcopatus à præcessore suo factam, cum primùm clavum Ecclesiæ caperet. Eædem Leges Visigothicæ Ecclesiam vocant ad hæreditates, tum Clericorum, tum Monachorum inte-

sta-

ſtatorum. *Clerici, vel Monachi, ſive Sanctimoniales, qui uſque ad ſeptimum gradum non reliquerint heredes, & ſic moriuntur, ut nihil de facultatibus ſuis ordinent, Eccleſia ſibi, cui deſervierint, eorum ſubſtantiam vindicabit. Leg. Viſig. L.5. Tit.1. c.2. L.4. Tit.2. c.12.*

CAPUT LIII. *P.2 l.4. c.26.*

De ſpolio Beneficiariorum obeuntium, de Cuſtodia Eccleſiarum vacantium, de earum deprædatione in Italia, & in Oriente, ſœculo VI. VII. & VIII.

I. II. Non una fuit ratio Gregorio Magno regendi Eccleſias poſt mortem Epiſcopi. Curam ejus commendabat Epiſcopo Viſitatori fideli Presbytero, Nuntio ſuo.

III. Oeconomo, Diacono, Primicerio.

IV. V. Quæ jura Epiſcopi Viſitatoris.

VI. Ne in cogitationem quidem cadebat Pontificibus tunc, vel ſpolium, vel annata.

VII. Tempore Gregorii necdum cœperat Clerus expilare vacantes Epiſcopatus.

VIII. Necdum ſpolia, necdum deportus ulli vacantium Parochiarum.

IX. Quæ prima fuerit Romæ expilatio.

X. In Oriente nec annata, nec ſpolium erat. Vacantium Eccleſiarum cuſtodia & cura Metropolitano imminebat & Clero.

I. QUA ſapientia & arte Romana Eccleſia Epiſcopalium ædium functis Epiſcopis compilationes & rapinas arceret, docebit nos Gregorius Magnus. *L.1. Ep.11. 15. 55. 76.* Eutherio enim ille Epiſcopo mortuo Anatolium Diaconum ablegavit, qui eum Epiſcopatum regeret, nomine & poteſtate Vicedomini. *Vicedominum eum conſtituimus, cujus arbitrio Epiſcopum commiſimus diſponendum.* Non agam de regimine ſpiritali Eccleſiarum vacantium cui Epiſcopos Viſitatores præficiebat; dicam tantùm temporali quoque ſollicitudine eos ab illo oneratos fuiſſe. *Vos in ejuſdem Eccleſiæ viſitatione eſtote ſolertes atque ſoliciti, ut res ejus illibatæ ſerventur, & utilitates vobis diſponentibus more ſolito peragantur. L.1. Ep.78.* Temporalem adminiſtrationem fideli quandoque Presbytero ejuſdem Eccleſiæ delegabat. *Eccleſiæ veſtræ curam utilitateſque Honorato Presbytero ad præſens committendas eligimus, quatenus res utilitateſque Eccleſiæ per eum & procurari valeant, & modis omnibus cuſtodiri, &c. Quoſque Sacerdos fuerit ordinandus, &c.*

II. Epiſcopis Viſitatoribus poteſtatem conferendi Beneficia tum faciebat, cum diutius vacabat Eccleſia: ſed illi eos ſemper curæ præficiebat, ut ſolitas annonæ diſtributiones in Presbyteros & Clericos omnes fieri curarent. *Clericos ex laicis ordinari, necnon & manumiſſiones apud te in eadem Eccleſia ſolemniter celebrari concedimus; Conſuetudines autem Cleri & Presbyterorum te volumus ſine cunctatione perſolvere.* Sed illud omni contentione commendabat, ut ne quid aſportari finerent de reditibus & mobilibus Epiſcopatus, ad uſum Cleri & Eccleſiæ reconditis. *Ut nihil de proviſionibus Clericorum, reditu, ornatu, miniſterioque, vel quidquid illud eſt, à quoquam præſumatur Eccleſiæ. L.2. Ep.7. 19. 38. L.2. Ep.29. L.3. Ep.39. L.4. Ep.14. L.5. Ep.21.*

III. Poſt exceſſum Natalis Salonenſis Epiſcopi, cum non neſciret Gregorius, Oeconomum ejus Eccleſiæ curam ſarcinamque ſuſtinere rei totius temporalis, cujus & redditurus eſſet aliquando rationes Epiſcopo ſucceſſori: eidem tamen rurſus ſollicitudini præfecit Diaconum & Primicerium Notariorum, ſiquid damni fieret eorum merita, eam culpam & jacturam ipſos ſignificans præſtaturos. *Ne rebus ipſius poſſit aliquid deperire, Reſpectum Diaconum, atque Stephanum Primicerium Notariorum, ut ipſarum rerum omnino gerant cuſtodiam, admonemo: interminantes eis, de propria eos ſatisfacturos eſſe ſubſtantia, ſi quidquam exinde eorum negligentia fuerit imminutum.* Et aliquantò poſt: *Expenſa verò quæ neceſſaria fuerit, per Oeconomum, qui tempore mortis prædicti Epiſcopi inventus eſt, erogetur, quatenus rationes ſuas futuro Epiſcopo, ipſe ut novit exponat. L.2. Ep.22.*

IV. Epiſcopo Viſitatoris munus obeunti, quartam illam quandoque adjudicavit portionem, quam Canones Epiſcopo addicebant. *Scripſimus Maximiano fratri & Coepiſcopo noſtro, ut quartam, quam ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopum oportebat accipere, à die viſitationis tuæ vel quouſque illic eam ſolicitudinem geſſeris, tibi debeat applicare. L.4. Ep.12.* Perfecta viſitatione, muneris inſuper ei aliquid refundi volebat. *Centum ſolidos, & unum puerulum orphanum, quem ipſe elegerit, pro labore ſuo de eadem Eccleſia facias dari. L.2. c.35.*

V. Cum Ariminenſis Eccleſiæ, abſente Epiſcopo Caſtorio, Gregorius Viſitatorem deſignaſſet Leontium Epiſcopum; is ab adminiſtratione rei temporalis ſummovit Clericos omnes ejuſdem Civitatis, eiſque ſubrogavit quos ipſe ſecum adduxerat. Diſplicuit Gregorio res, unde & juſſus ab eo eſt Leontius, ad adminiſtrationem rerum Eccleſiæ Ariminenſis ipſoſmet ejus Clericos adhibere; quorum ſi fides ei nutare videretur, ex ſuis aliquos eis adjungeret, ut illi & mutuò ſeſe obſervarent & ſtrenuiùs muneri incumberent. *Ut alterna erga ſe ſollicitudine debeant eſſe cuſtodes, rationes tibi modis omnibus poſituri. L.4. Ep.42.* Juſſit denique ut quadripartitam faceret diviſionem proventuum ejus Eccleſiæ, primam Clero addiceret, ſecundam pauperibus, reliquas duas in tres ſecaret, reparationibus, Caſtorio, ſibi tribuendas.

VI. Cum idem Gregorius Panormitanum Epiſcopum Viſitatorem deſignaſſet Eccleſiæ Epiſcopalis ita dirutæ ac diſſipatæ, ut nec plebs, nec Clerus eo eſſet numero, qui Epiſcopum deſideraret; juſſit ut ejus reditus partiretur ſibi, Clero, & reparationibus, at mobilia deſcriberet, & eum cenſum ad ſe tranſmitteret, ut quid optimum factu eſſet, ipſe conſultaret. *Mobile verò prædictæ Eccleſiæ facta ſubtiliter volumus deſcribi notitia, & nobis tranſmitti, ut ex hoc quid fieri debeat, authore Domino diſponamus. L.7. Ep.74.* Qui hinc venaretur anſam conſtituendi juris ſpoliorum, næ ille vehementer ineptiret; cum nequaquam ea ſibi vendicare mobilia pertenderet Gregorius, ſed deliberare, quem in uſum ea deſtinaret, quod non diceret de ſpolio, quod proprii juris eſſet. Species hæc erat ſingularis, ex qua nihil ejuſmodi colligere datur. At ex longè pluribus illis, quas laudavimus Gregorii Epiſtolis, illud ex adverſo perſpicuè conſtat, & ſpolium, & ſucceſſionem omnem & fructus vacantis Eccleſiæ ad Clerum pertinuiſſe & ad ſucceſſorem, nullo tum vel Superiore Eccleſiaſtico, vel Principe ſæculari quidquam hic ſibi aucupante, quàm gloriam invictiſſimæ Canonum tuitionis, & Eccleſiæ libertatum.

VII. Necdum, ut ſuſpicor, vel Clerici, vel laici in Italia in Epiſcopatuum expilationes exarſerant. Argumenti ſatis eſſe poteſt in ſilentio tot Epiſtolarum Gregorii Magni, cujus non potuiſſet non effervеſcere zelus in inſanas adeo bacchationes. Ade

de & quod idem Gregorius, cum mandaret Maximiano Syracusano Episcopo, ut quamprimùm vita abiisset Episcopus, recensionem præsente Clero fieri curaret rerum Episcopatûs omnium, prohibuit, ne, ut antea fiebat, distraheretur aliquid ad expensas ipsius recensionis. Non siluisset hîc sanè Gregorius, si qua deprædatio usquam facta fuisset rerum vacantis Ecclesiæ. *Si quispiam Episcoporum de hac luce migraverit, vel quod absit, pro suis fuerit remotus excessibus, convenientibus hierarchicis cunctisque Cleri primoribus, atque in sui præsentia inventarium Ecclesiæ rerum facientibus, omnia, quæ reperta fuerint, subtiliter describantur, nec sicut antea fieri dicebatur, species quædam, aut aliud quolibet de rebus Ecclesiæ, quasi pro faciendi inventarii labore tollatur. Sic namque ea, quæ ad munitionem pauperum facultatis pertinent, desideramus expleri, ut nulla penitus in rebus eorum ambitiosis hominibus venalitatis relinquatur occasio. L.3. Ep.11.*

VIII. Ex Gregorio denique colligitur, ut summi tunc Pontifices, & spoliis abstinebant Episcoporum morientium, & reditibus vacantis Ecclesiæ, & annatis novi Episcopi. Ita & Episcopo Parochiales Ecclesias suæ curæ commendatas dum vacarent, novis reddidisse Parochis, cum proventibus omnibus ejus temporis, quo illæ vacassent. Vide ut ille ad Episcopum quendam scripserit de Presbytero eo, quem in ejus Diœcesi, Ecclesiæ Parochiali præfecerat. *Ideoque fraternitas tua ei emolumenta ejusdem Ecclesiæ faciat sine cunctatione præstari, & decima fructus indictionis, qui jam percepti sunt, prædicto viro fac sine mora restitui. L.2. Ep.10.*

IX. Videtur prima illa Romæ fuisse deprædatio, quam ad annum 638. narrat Anastasius Bibliothecarius, ubi Imperatorius Exercitus Ecclesiam Sancti Joannis Lateranensis compilavit post electionem Severini Papæ ante ejus inaugurationem. Militi enim facilè persuaserunt duces ab Honorio Papa ibi ingentem constipatam esse auri argentique vim, ipsamque stipendiorum suorum pecuniam. Prædæ suæ socium habuere Heraclium ipsum Imperatorem, atque ita facinoris sui impunitatem redemere.

X. Nec inde inferas Orientis Imperatores machinatos quidquam esse in vacantes Ecclesias. Ex Concilio enim Trullano exploratissimum est, penes Clerum ibi fuisse custodiam & defensionem omnium viduatarum Ecclesiarum; aut penes Metropolitanum, si tum minor esset Cleri copia, ita ut omnia novo tandem Episcopo restituerentur, sive à Clero sive à Metropolita. *Nulli omnium Metropolitanorum liceat, mortuo Episcopo, qui ejus throno subest, res ipsius, vel Ecclesiæ ejus auferre, vel sibi vendicare. Sed sint sub custodia Cleri Ecclesiæ, cui defunctus præfuit, usque ad alterius Episcopi promotionem, præterquam si in Ecclesia eadem non relicti sint Clerici. Tunc enim Metropolitanus ea non diminuta servabit, ordinando Episcopo omnia reddens. Can.35.* Quæ finitima oppidò sunt Occidentalium moribus. Nihil enim spolii, nihil annatarum. Ne in custodiam quidem vacantium Ecclesiarum seculares se interponebant.

CAPUT LIV. *P.3. l.4. c.21.*

De Ecclesiis vacantibus, de Oeconomis earum bona successori servantibus, de deprædationibus per Clericos, Laicos, dominos temporales, sub Imperio Caroli Magni & ejus stirpis.

I. Vacantium Ecclesiarum res ab Oeconomis custodiebantur, successori restituendæ.

II. Excubabat & Metropolitanus in Ecclesias vacantes.

III. Erant & in Regum tuitione Ecclesiæ Episcopales & Cœnobia dum vacarent, ut prædationes prohiberentur.

V. Reges ut Custodes Ecclesiarum eam licentiam compescebant.

VI. Necdum sibi tamen res, vel fructus earum, dum vacarent, vendicabant.

VII. Inexorabilis quædam extorserat necessitas, vel improvisa fuerat ea licentia, nec deinceps extimescenda, si quando vacantis Ecclesiæ fructus fisco addixerant. Præter inopinos hos casus ipsimet Reges Ecclesiis vacantibus Visitatores Episcopos designari curabant.

VIII. IX. Comites primi, & domini villarum Ecclesias expilare cœperunt viduatas Pastoribus, sive Episcopales, sive Parochiales.

X. Extimulabatur quandoque ab Archipresbyteris, qui & ipsi in partem prædæ veniebant.

XI. XII. Italiæ & Orientis mores.

I. UBI de Oeconomis actum est, vacantibus potissimum Ecclesiis eorum operam & industriam ostendimus desideratam fuisse, ut temporalem rem omnem Episcopatus administrarent. In potestate enim unius tunc adhuc Episcopi erant omnes prorsus Ecclesiarum res, & ipsæ Cleri quotidianæ distributiones, quo fiebat ut non rarò iidem Clerici extincto Præsule mox in Episcopatum prædabundi involarent. Non innovatus esset in Concilio Aquisgranensi anno 816., *Can.*88., priscus Canon Concilii Calchedonensis, quo ea licentia damnatur, nisi ei locus etiam tum in Galliis fuisset. His Ecclesiarum viduitatibus insidiabantur Magnates sæculi, ut earum res temporales invaderent; ut inde prædia divellerent, quæ suis in feudum conferrent; ut permutarent, ut pignori acciperent: ut ea molirentur, quæ temporali Ecclesiis, ipsis sempiterno essent exitio. Concilium Meldense anno 845. interpellato Rege, ut retractaret, quæ laicis Ecclesiæ donaverat Beneficia, vel feuda: orabat etiam revocari precarias omnes & commutationes rerum, quæ factæ fuissent ab incubatoribus Ecclesiarum vacantium. *Ut precariæ & commutationes tempore viduatarum Ecclesiarum factæ ab his, qui loca Episcoporum occupaverant, rescindantur, & cum authoritate Ecclesiastica vel Civili, si facienda sunt, fiant.* Qui & ulterius erumpebat grassatorum insolentia, ut ex hoc eodem Concilio patet. *Can.*18. 21. 47. Ubi enim Episcopatum invaserant, per Oeconomum eum regebant, quem suo ipsi nutu à Clero & populo eligi fecerant, non post mortem, sed afflicta valetudine Episcopi.

II. Cum hæc licentia autem & rarior semper esset, & statim Episcopali mucrone plecteretur, hinc verè usus tum vulgatissimus, juri utique consentaneus is erat, ut temporales Episcopatûs res

ab

ab Oeconomis regerentur, qui futuro Episcopo & restituerent omnia, & administrationis suę rationes approbarent. Intexuit Gratianus Decreto suo Nicolai I. Epistolam ad Archiepiscopum Bituricensem, ubi videtur Pontifex fateri, posse Clericos Ecclesiæ Narbonensis ad Bituricensem Primatem appellare, vel in causarum judiciis, vel ad curam temporalem rerum Ecclesiæ suæ vacantis. *Vel si Episcopus suus decesserit, res Ecclesię judicio tuo dispensare voluerint. 9. q.3. C. Conquestus.* Alienum esset hoc loco ejus Epistolæ immorari vel infirmandæ, vel confirmandæ rationibus non paucis, quæ ultro citroque emergunt. Illud obiter adverto in ea prisci moris vestigium, ut defunctis, vel absentibus Episcopis pervigil in eorum Ecclesias Metropolitani cura immineret. Hincmaro Remensi Archiepiscopo Laudunensem Ecclesiam Adrianus II. Papa commendavit, dum iter Romanum Laudunensis Episcopus nepos ejus expediret. *Episcopatum ejus sanctitati tuæ specialiter post Regem servandum committimus. Conc. Gall. tom.3. p.121. 375.* Certissimè ergo ex ipsis Nicolai verbis Metropolitani & Reges custodes erant Ecclesiarum diutiùs viduatarum, vel absentia, vel morte, vel diutina ægritudine Episcoporum. Suprà enim jam præcepit Meldense Concilium, Archiepiscopi Oeconomos instituerent cum consensione Episcoporum eorum, quos diutina ægritudo non sineret negotiis & bonis suæ Ecclesiæ administrandis incumbere. Joannes X. Archiepiscopo Coloniensi Hermanno regimen commisit Episcopatus Leodiensis, dum competitorum jurgia defervescerent. *Legis Episcopatus in vestra maneat potestate. Conc. Gall. Tom.3. pag.576.* Sub Carolo similiter Calvo Imperatore recitatum est & confirmatum in Concilio Pontigonensi Decretum, quod ipsemet publicaverat in Concilio Papiensi, cum consilio Prælatorum & Baronum; quo perantiqua Ecclesiæ disciplina restituebatur, aut confirmabatur; ne prædæ pateant vacantes Episcopatus, utque temporalia per Oeconomos administrentur, qui præcessoris testamentum executioni mandent, successori reddant rationes ministerii sui. Sic ergo ibi ad annum 876. *Ut quoties divinum judicium Ecclesiæ Præsulem à sæculo vocaverit, nullus ad suimet perditionem facultates ejus invadat, diripiat, & ad suos usus transferat. Sed erogatariis & eleemosynariis Ecclesiasticis, cum ipsius Ecclesiæ constituto Oeconomo, liberum sit, canonico more, justè rationabiliterque deputata successuro reservare, vel quibuscumque, sicut expedit, pro ejus spiritu distribuere. Quod qui iniqua cupiditate transgredi præsumpserit, irrefragabiliter mulctetur. Can.14.* Legati Pontificis & omnes Episcopi Galliarum ei subscripsere Concilio, cui & Imperator ipse aderat.

III. Quanquam ergo essent reges custodes & conservatores Episcopatuum vacantium, in eo erat custodiæ jus situm, ut observarentur Canones, ut instituerentur Oceonomi, ut probiberentur prædæ, ut distributiones Cleri ne cessarent, ut reliqui proventus, fundique ipsi successori incolumes servasentur. Idem de Abbatibus & Abbatissis sentiendum: post eorum mortem Custodes se & Tutores agebant Reges probibendis expilationibus. Audi ipsa Caroli Calvi Capitularia. *Baluz. Capi. Tom. 2. pag.270. Volumus etiam & expressè præcipimus, quod si aliquis Episcopus, vel Abbas, aut Abbatissa, vel comes, aut Vassallus noster obierit, nullus res Ecclesiasticas, aut facultates diripiat, &c. Nullus ad eorum eleemosynam faciendam eleemosynarios eorum impediat, &c. Ann.877. Capit. Car. Mag. l.6. pag.446.* Id probabile est prætexuisse avaritiam Comitum & dominorum peculiarium, ut Episcopatus & Abbatias vacantes occuparent, quasi Oeconomos instituerent, ut prædationes arcerent, aut canonicas portiones Clero distribui curarent, ut executioni mandarentur legata pia & cæteræ obeuntium Prælatorum eleemosynæ. *Ad illorum eleemosynam faciendam. Du Chesne Tom.1. pag.467.*

IV. Sed illud rursus observari par est, ut erant tunc tritissima servitutum jura; & plerique domini hæreditates obibant servorum, agricolarum, colonorum, vassorumque ex hac vita migrantium: tam immaniter illos quandoque insanisse, ut idem sibi juris arrogarent in Episcopatus & Cœnobia Prælatorom obitu vacantia. Vel ex hac ipsa Caroli Calvi lege aliquid probationis elici potest. Conjunctim enim prohibet insolentissimas illas usurpationes in bona Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, Comitum, & vassorum Regiorum post eorum obitum. Sed multò id manifestius fiet ex Canone Concilii Troslejensis sub Carolo Simplici Rege, cum ea licentia magis magisque increbescebat, ut & Reges ipsi atque Præsules necessariò nervos omnes ad eam elidendam contenderent. *Quia inter nostrates hic pessimus inolevit mos, ut defuncto Ecclesiæ Episcopo mox à quibuscumque potentioribus pervadantur res Ecclesiasticæ, quasi Episcopi fuerint propria; cum etiamsi juris essent, contra omne jus hoc fieret: hoc tam immane sacrilegii genus ulterius præsumatur, &c. An.909. c.14.* Ad ejus corruptelæ solenniorem damnationem antiqui hic accumulantur Canones Concilii Valentini, Regiensis, & Toletani VIII.

V. Luculentissimè geminam hanc sejunxit Hincmarus potestatem, alteram Episcoporum, dispensandi res Ecclesiæ: alteram Regum easdem tuendi. Ut enim dispensatores sunt Episcopi, ita earum vindices & defensores sunt Reges, sive superstite Episcopo, sive cum eo excedente Oeconomus sarcinam sustinet totam illam temporalem, quam in manus successoris deponat. *Ut sicut Episcopus & suas & Ecclesiasticas facultates in vita sua dispensandi habet potestatem; ita facultates Ecclesiæ viduatę post mortem Episcopi penes Oeconomum integræ conservari jubentur, futuro successori Episcopo. Quoniam res & facultates Ecclesiasticę non in Imperatorum atque Regum potestate sunt ad dispensandum, vel invadendum, sive diripiendum, sed ad defensandum atque tuendum. Sunt enim sanctuaria & hæreditas Domini &c. Tom.2. pag.178.*

Perspicuum est ergo eo tunc jure custodiæ usos esse Reges in Ecclesiis vacantibus, quæ nec administrationem temporalium eis conferret: erat enim ea Oeconomi propria, rationes inde facturi Episcopo successori: nec nominationem Præbendarum cum ejus rei nec vestigium existat ullum; adde quòd cum Beneficia in fructibus jam numerari velint, ut fructibus, ita & Beneficiis tum vacantium Ecclesiarum abstinebant se Reges.

Constat nihilo tamen minus electum canonicè Episcopum, ab Episcopis Provinciæ mox ad Regem deductum fuisse, ut ab eo acciperet res Ecclesiæ temporales, & Epistolas ad Metropolitanum, qui eum ordinaturus erat. Ita tradit Hincmarus in Epistola ad Ludovicum III. Regem, Ludovici Balbi filium. *Ibid.p.189.160.191. Ut Episcopi talem eligant, &c. Et enim vobis adducunt, ut secundùm ministerium vestrum res & facultates Ecclesiæ, quas ad defendendum & tuendum vobis commendavit, sua dispositioni committatis. Baluz. Cap. Tom.2. pag.1286.* Eodem sensu Baldericus Noviomensis Episcopus Hincmarum Remensem Archiepiscopum prohibuisse memorat, ne Guntbertus Episcopatum capesseret Cameracensem, quo eum donaverat Lotharius Imperator; & vetuisse eum excipi à Clericis & vassallis ejus Ecclesiæ; non tamen probibuisse, ne agrorum fructus ei permitterentur, quod Imperatoriæ id potestatis esset. *Usumfructum verò terræ, quod Imperatoris erat, tantummodo commodarent.* Non ait

Bal-

Baldericus Imperatoris fuisse eum usumfructum, ut eo ipse abuteretur; sed, authore Hincmaro, ut tueretur, & successori restitueret.

VI. Novis ergo Episcopis temporalia Ecclesiæ restituebant & commendabant Reges, sed necdum id sibi sumpserant, ut quidquam inde vel ipsi delibarent, vel quibus liberet largirentur. Inde & mox ibidem execratur Hincmarus insulsissimam Aulicorum ore jactatam sententiam, rerum etiam Ecclesiæ omnium dominium penes Regem esse, ut quibus volet largiatur; nec fructus vacantis Ecclesiæ à reliquis ejus bonis ille segregat, sed in genere tradit horrori & execrationi esse debere eam doctrinam; cum ex adverso Scripturæ, Concilia, Patres & Capitularia ipsa Caroli Magni unanimi consensu astruant: Res Ecclesiæ hostias esse pietatis fidelium, pretia peccatorum, Christi & pauperum patrimonia. Quæ & amplificatum à se potius iri præ se tulit Carolus Magnus, quàm ulla ex parte imminutum. *Non solùm habita conservare, verùm etiam multa, Deo opitulante, conferre optamus. Capitul. l.1. c.83.*

Idem alibi Hincmarus effervescens adversùs Vulfadum, qui Ecclesiæ Lingoniensis temporalia invaserat, quo tempore orbata erat, satis superque probat, in eam se tunc provinciam Episcopos solos interponere debuisse, & ne Regibus tum quidem in mentem venisse, ut intervenirent. *Ecclesiam Lingonensem Pastore viduatam, ut ibi ordinaretur Episcopus, sub nomine vocati Episcopi, usurpare præsumpsit, ejusque facultates, quæ secundùm Calchedonense Concilium penes Oeconomum futuro debuerant conservari Episcopo, suis suorumque usibus arrogavit. Tom. 2. pag. 180. 758.* Et eodem animi ardore æstuans adversus Actardum, qui simul & semel duarum Ecclesiarum reditibus fruebatur, quarum altera pene æquata solo erat. *Viduatæ Ecclesiæ reditus penes Oeconomum futuro reservari jubet Episcopo Concilium Calchedonense, nec ab aliis quibusque, vel vivente, vel defuncto cujusque civitatis Episcopo, usurpari, vel pessumdari.* Et infrà: *Hæc idcirco de rebus & facultatibus Ecclesiæ viduatæ, sub Oeconomo futuro conservandis Episcopo, hic interposuimus, ut attendat is, de quo agitur Episcopus, quia si nemini Christiano eas licet præsumere, multò minùs idem Episcopus, sine sui status periculo, ac animæ detrimento, Ecclesiæ invasæ res & facultates prævalet usurpare.* Facilè reponi potuisset Actardo Nannetensi Episcopo, datum esse à Carolo Calvo Rege Archiepiscopatum Turonensem, datos & Ecclesiæ vacantis proventus. Sed ex his verbis Hincmari planè intelligitur quàm abhorreret communis tunc sensus ab ejusmodi sermonibus.

Docet denique idem Hincmarus, *Ibid. p.857.*, cum vis & audacia non rarò effractis Legum repagulis invalesceret, Ecclesiis id nonnunquam curæ fuisse, ut privilegiis se quibusdam muniri vellent, & authoritate Regum atque Episcoporum vallari adversùs hujusmodi usurpationes. Ejusmodi fuit privilegium Ecclesiæ Bellovacensis, cui subscripsit Carolus Calvus cum Episcopis quatuor Provinciarum. *Ut nulla secularis potestas de rebus Episcopii Bellovacensis Ecclesiæ præsumat.*

VII. Non quòd à temporibus Caroli Martelli non aliquando Reges proventus Ecclesiarum vacantium in ærarium suum derivarint: eas diutiùs vacare permiserint, ne illi sibi opum rivuli exarescerent; quò denique licentiùs earum fundos agrosque in feudum & Beneficium Aulicis & Militibus darent. Ita enim confessus est Hincmarus ipse. *Ibid. p.832. Tenuit Carolus Rex Remense Episcopium in suo dominicatu, & dedit villam Novilliacam in suo Beneficio, &c.* Quin & ipse ad Leonem Papam conquestus est, quòd Reges per Chorepiscopos Ecclesias regerent, quarum reditus interim & fundos ipsi dilapidabant. *Quòd terrena potestas hac materia sæpè offenderet, ut Episcopo quolibet defuncto per Chorepiscopum solis Pontificibus debitum ministerium perageretur, & res ac facultates Ecclesiæ secularium usibus expenderentur. Flodoard. L.3. c.10.*

Verùm vel illi ipsi Reges tandem confessi sunt, meras fuisse eas invasiones, quas excusare non posset, nisi calamitosissimi temporis importunitas. Intextam voluit Flodoardus historiæ suæ donationem Ludovici Pii, utcumque resarcire cupientis innumerabilia damna, quæ superiores Reges Remensi Ecclesiæ intulissent, tandiu abreptis in Regium fiscum ejus opibus, & ea vacare permissa. *Pro remedio animæ domni ac genitoris nostri, atque cæterorum prædecessorum nostrorum, qui eundem Episcopatum contra salutem suam aliquandiu tenuerant, & in usus suos contra Ecclesiasticas regulas, res & facultates ipsius Ecclesiæ expenderant. L.2. c.19.*

Ex quo Hincmarus ejus Ecclesiæ clavum arripuit, voluit & Carolus Calvus labem sarcire ejusdem Ecclesiæ, quam ipsemet antè vacantem tot feudis prædiisque truncaverat. *Noverit fidelium Dei ac nostrorum solertia, quia res ex Episcopatu Remensi, quas magna necessitate, & per omnia inviti, dum à Pastore sedes illa sancta vacaret, fidelibus nostris ad tempus, unde quoddam temporale solatium à nostro haberent servitio, commendavimus: electo & ordinato Hincmaro, cum integritate, quidquid exinde nos fidelibus nostris beneficiavimus, restituimus. L.3. c.4.* Rex ipse Carolus Calvus quovis Episcopo vivis excedente, mandabat Metropolitano, ut Episcopum Visitatorem vacanti Ecclesiæ præficeret, qui consociatus Comiti, prohiberet ne ea expilaretur. Ita enim in ipsius Caroli Capitularibus: *c.8. Si aliquis Episcopus interim obierit, Metropolitanus ipsi sedi Visitatorem secundùm sacros Canones deputet, qui unà cum Comite ipsam Ecclesiam, ne prædetur, custodiat, usque dum ipsius Episcopi obitus ad nostram notitiam perveniat.* Testatur Flodoardus ipse intervenisse eundem Regem, ubi Visitatores Episcopi à Metropolitano designandi erant. *Item pro visitatione Morinensis Ecclesiæ post obitum Hunfridi Episcopi, juxta dispositionem Regis. Hist. l.3. c.23.* Idem alibi docet Visitatorem Episcopum ab Ecclesia, quam visitabat procuratum fuisse. *Ut visitando sustentationem interim dum Episcopus sibi ordinaretur, ex illa caperet.*

VIII. Munia porro hæc omnia Oeconomorum, Episcoporum, Visitatorum, & Comitum, argumento sunt, fundos & proventus omnes vacantium Ecclesiarum, segregatis Cleri & pauperum alimentis, futuro Episcopo servari solere. Idem & Annales Bertiniani rem canonicæ disciplinæ contumeliosissimam eam commemorant, quòd Carolomannus Rex Hugonem filium Lotharii donasset spolio Ecclesiæ Metensis. *Hugoni Lotharii Junioris filio facultates Ecclesiasticas Metensis Episcopii, quas sacri Canones futuro Episcopo reservari præcipiunt, ad consumendam remisit. An.882. Du Chesne Tom.3. pag.261.*

Sed fieri tamen forsan potuit, ut Comites illi, quibus Carolus Calvus delegabat custodiam vacantium Ecclesiarum, unà cum Episcopo Visitatore, quem Metropolitanus designasset, invaserint postea non custodiam tantùm, sed & spolium & fructus omnes vacantis Ecclesiæ; cumque postea ruente Caroli Magni stirpe, Comitatus illi & Ducatus hæreditarii evasere, hæc eadem illis inhæserint jura, quanquam ab origine sui merè prædatoria videri ea potuissent; ita ut & ubi hos Comitatus Ducatusque caducos excepere postea Reges, hæc eadem exceperint jura, jam longo sæculorum usu purgata, approbataque. Quæ nequaquam tamen ita affirmantur à nobis, ut non operosiùs hæc infrà & castigatiùs edisserenda reservemus. Sed illud hic adnotandum, illud custodiæ jus, quo Carolus Calvus

rus Comites ornabat, donec ipse de morte Episcopi admoneretur, & quod ille forsitao io se postea traducebat, quò faciliùs intelligeretur, quomodo Reges Episcopis canonicè postea electis Episcopatûs temporaria ex Hincmaro dono darent. Illud, inquam, hic adnotandum, hoc Custodiæ jus extrinseca maximè illa tuitione explicatum fuisse, qua Regiæ Majestatis terror Laicos, Clericos, Nobilesque compescebat à deprædatione; ita ut omnes jam & spiritales & temporales Ecclesię fructus ab Oeconomis & Clero liberè & tutissimè administrarentur. Jus Custodiæ ita temperatum optimè concordabat cum Canonicis iostitutis, & cum authoritate Oeconomorum, & Successorum, quibus omnia servabantur integra.

IX. Quæ de Comitibus diaimus & de temporalibus dominis, qui ex Custodibus & Conservatoribus raptores ipsi facti sunt & incubatores spolii ac redituum Episcopatuum vacantium, confirmari astruique possunt prædationibus simillimis Comitum in Ecclesias Parochiales sui tractûs. Sanctissimè & vehementissimè destomachatus est Hincmarus in Comitem Theodulfum, qui Parocho vivere desinente Parochiæ res omnes involaverat. *Defuncto Presbytero abstulerat, quæ idem Presbyter in eleemosyna pro se dari præceperat, & insuper usurpaverat, quæ ad ipsam Ecclesiam ritè relicta fuerant.* Præcepit, ut Presbyteris, quibus ea interim Ecclesia concredita fuerat, restitueret omnia, quæ præter divinas regiasque leges invasisset. *Mandat ei, ut juxta sacras authoritates, & Regum præcepta, quidquid de facultatibus ipsius Ecclesiæ acceperat, præsentaliter Ecclesiæ reddat, & Presbyteris, quibus res commendata fuerant, restituat. Flodoard. L.3.c.26.* Ubi perspicis, ut viduata Episcopalis Ecclesia Oeconomis commendabatur, ita vacantes Parochias commendatas fuisse curæ aliorum Presbyterorum ejusdem Parochiæ, vel vicinis; legibusque Regiis, peræquè ut Canonicis, constrictos fuisse Comites, cæterosque Proceres laicos, ne his se immiscerent.

Laudatur à Reginone Canon quasi Concilii Triburiensis, qui appositissimus ad rem istam videri possit. Eo proscribitur profana Nobilium audacia, qui quæ sibi in servos suos, eadem & in Parochorum suorum spoliorum jura vindicabant, ubi hi, vel illi vita excessissent. Parochi nullis forsan vinculis servitutis obligati fuerant onquam; & si aliquaodo fuissent, oon illis certè impositæ fuissent maous, nisi manumissi antè ipsi fuissent. Denique utcumque res cecisset, patrimonium Ecclesiæ, quæ summi Regis, hominumque Liberatoris sponsa est, suæ semper oaturæ, & ingenii, & libertatis tenacissimum erat, oec humanis poterat servitutum sordibus inquinari. Verba Canonis istiusmodi sunt. *Regino. l.2. c.39. Perlatum est quoque ad Sanctam Synodum, quod quidam laici improbè agant contra Presbyteros suos, ita ut de morientium Presbyterorum substantiis partes sibi vendicent, sicuti de propriis servis. Interdisimus itaque ne hoc ulterius fiat: sed sicut liberi facti sunt ad suscipiendum gradum & agendum divinum Officium, ita ab eis nihil exigatur præter Dei Officium.* Eraot & residua quædam sua Patronis in libertos jura, sed Presbyteros sua dignitas his vinculis, his sordibus eximebat.

X. Vicorum verò, ac villarum, Parochiarumque sylvestrium dominos ad has rapinas furtim quandoque sollicitabant Archipresbyteri & Decani Rurales: qui Parochiarum vacantium custodiam ipsi ex officio suo assecuti, hinc prædas captabant, sociosque & vindices prædæ sibi adjungere avebant. Eam perfidiam execrati suot anno 855. Concilii Ticineosis Patres: *Tollenda est prava omnino consuetudo, quæ in quibusdam locis oriri cœpit; quia nonnulli Archipresbyteri, vel aliorum titulorum custodes, fruges, vel aliarum Ecclesiarum reditus ad proprias domos adducunt. Nonnulli autem laicorum in tantum eorum nequitia se complices faciunt, ut quæ hujusmodi transgressores ab Ecclesia surripuerunt, ipsi in suis domibus abscondant.*

XI. Ne io Italia quidem religiosiùs se ab Episcopalibus, quàm Parochialibus Ecclesiis prædatores nefarii conticebant. Concilium Romanum sub Joanne IX. anno 904. exhorruit damnavitque deprædationem Ecclesiæ S. Joanois Lateranensis in urbe post mortem Pontificis, omniumque cæterorum Italiæ Episcopatuum demigrantibus ex hac vita Episcopis. *Adeo ut omnia Episcopia eadem patiantur, uniuscujusque Ecclesiæ obeunte Pontifice; quod ne ulterius præsumatur, omnimodis interdisimus. Quod qui facere præsumpserit, non solùm Ecclesiastica censura, sed etiam Imperiali indignatione feriatur.* Jam Imperium à Francica gente ad Italos & Germanos traductum fuerat. Imperatores, ut ex Concilii hujus verbis liquet, tuitionem primò quidem illi Ecclesiis impenderunt adversùs hos prædones: sed non multò post prædæ consortes se, quàm ultores esse maluere. Narrat Ratherius Episcopus Veronensis Berengarium Italiæ Regem suæ in Episcopatum electioni vix tandem assensum fuisse, precibus inflexum Joannis XII. Papæ, at maxima ex parte res Episcopatûs temporales sibi retinuisse, nec nisi modica ea parte dimisisse sibi fruendas. *Misit ergo in pittaciolo certam quantitatem stipendii, quod tenerem de rebus Ecclesiæ, de cætero exigens jusjurandum, ut diebus illius, filiique sui amplius non requirerem. Ego intelligens, quanta absurditas hoc consequeretur, non consensi, &c. Spicil. tom.11. pag.247.*

Latissimè serpserat io Italia proculdubio flagitiosissima hæc licentia, cum super ea re Atto Vercellensis Episcopus justissimis amarissimisque querelis aures Principum sui sæculi fatigaret. Ostendit primùm Canonicis Institutionibus sancitum esse, ut vacantis Ecclesiæ res fructusque omnes ab Oeconomis futuro serventur Episcopo. *Præterire non possumus, quod res Ecclesiastica post mortem vel expulsionem Episcopi, in direptionem & rapinam sæcularibus tradantur; cum dignum sit, quod ea in Episcopio remaneant, per Oeconomum & cæteros dispensatores Ecclesiæ usque ad ordinationem futuri Episcopi intemeratè serventur; ne ab aliis per quodvis ingenium ullo modo subripiantur. Spicil. Tom.8. pag.90.* Moa declarat quàm revereri debeant summi Principes patrimonium Christi, summi Principis sui, & Ecclesiæ ejus sponsæ: *Sponsa Christi est, & omnium domina, qui de Christi se confitentur esse familia.* Addit denique non posse se non vehementer stupere, tanta verecundia & veneratiooe, tam propeosa in Ecclesias Christi fuisse Principes Barbaros, cum Principes Catholici de diuturna earum gaudeant viduitate, ejus luctum lucro habeaot, & quò ditiores eæ sunt, eò diutius orbatas velint. *Et quantò majora fuerint patrimonia, tantò prolixius Episcopalis ordinatio prolatatur.*

XII. Ex Italia in Orientem trajiciam, obi præmonuero hanc disciplinam Canonibus tam amicam io Occideote perpetuatam fuisse usque ad exitum decimi sæculi. Quidquid contra tentarunt, vel machinati sunt Clerici, Laici, Nobiles, Comites, id fulmina Conciliorum, Pontificumqoe disjecerunt; id Episcopi, id Ecclesiæ detestationi habuere; onusque invictissimè is placuit, is retentus est usus, ot per Oeconomos ex Clero temporalia Episcopatus administrarentur omnia, & in successoris deoiqoe manus deponerentur. Pauló ante annum Christi millesimum Gausbertus electus & ordinatus est Episcopus Cadurcensis, Canooicis regulis bona fide & summa diligentia servatis. Primùm enim Metropolitaous Episcopum Visitatorem designa-

gnaverat, à quo descriptio facta erat totius census Episcopatus, eo tempore, quo decesserat Episcopus. Tum ea Oeconomis commendata, ad electionem ventum est. *Prisca modernaque Ecclesiæ moderamina sanxere Canonibus, quo arripientibus viam universæ carnis quarumlibet Ecclesiarum Præsulibus, per visitatorem Episcopum, aut alium, cui Archipræsul injunxerit extincti fratris tumulatorem, perficiatur Ecclesiasticarum inventarium rerum. Tunc verò prioribus viduata Ecclesia dispositis Oeconomis commendetur, &c. Spicil. tom.8. pag.154.* Ita habetur in ipso Decreto electionis.

In Oriente verò Aurea Bulla promulgata est à Joanne Comneno, ad consimiles reprimendas Ecclesiarum rapinas. Præsides Provinciæ mox ut spiritum egerant Episcopus, vel Metropolitanus, spolium invadebant, Episcopales expilabant ædes. *Relatum nobis est, quosdam Provinciarum Præsides, simul atque Pontifices rebus humanis excesserint, auferre omnia, quæ in Episcopio reperiantur, &c.* Nec hujus invidiæ exortes erant Clerici: *Quando Majestati meæ significatum est à Clericis non pauca talia designari. Ann.1120. Juris Orient. Tom.1. p.147. 176. 177. 155. 282.* Et huic probabiliter intercessuri deprædationi intervenerant primò Præsides, qui post eodem & ipsi cupiditatis incendio correpti sunt. Cum Procuratores fisci Imperatoris interponere se & ipsi voluissent, à Manuele Comneno Joannis fratre cohibiti sunt; à quo & sancitum est valere testamenta Episcoporum, si qua scripsissent: sin minus, statutis Canonum & Legum mos gereretur, temporales verò res Ecclesiæ ab Oeconomis regerentur, dum novus adventaret Episcopus. *Si intestati decesserint, omnia fiant, ut Sacris Canonibus & Legibus videtur, &c. Omnia à partibus Ecclesiarum in ipsis administrabuntur, ut legitimè & Canonicè edictum est, &c. An.1150.* Consimilem his Bullam Auream promulgavit Joannes Ducas Batatzes adversùs Præfectos Ærarii Regii. Lucas Chrysoberges Patriarcha Synodicam publicavit Constitutionem adversùs Clericos ab antiqua sua illa rapacitate non resipiscentes.

Ex quibus elucet, Clericos quidem, Præsides urbium & Provinciarum, ac Regii fisci Procuratores, nihilo forsan verecundiores fuisse, aut à rapinis alienores in Oriente, quàm in Occidente; sed hac justissima laude fraudari non posse Imperatores Constantinopolitanos, quod tota authoritatis Regiæ mole semper affuerint juribus & libertatibus Ecclesiæ defendendis. Acceperant & ab Imperatoribus Græcis Ecclesiæ latifundia, & prædia, dominiaque non pauca; sed non apparet ex aureis illis Bullis vel Præsides, vel Procuratores fisci hinc aucupatos esse jura aliqua vel patrocinia, quibus rapinas suas obumbratum irent; quin Imperatores ipsi prædationes eas summa quadam animi & zeli contentione execrati sunt.

CAPUT LV. *P.3.l.4.c.22.*

De Advocatis, Defensoribus, Vicedominis Ecclesiarum sub Imperio stirpis Caroli Magni.

I. Viduitatis potissimùm tempore muniendæ erant Ecclesiæ præsidio Advocatorum, Vicedominorum, Præpositorum, & Defensorum suorum. Ab Ecclesiis plerumque ii eligebantur, etsi & à Principibus quandoque designarentur.

II. Advocati ad causas ii primùm fuere, postea præfuere ipsi causarum judiciis. Demùm denique Ecclesiam defeasarunt. Intererat nonnunquam aliquid inter Advocatos, Vicedominos, & Præpositos.

III. Quæ jura, quæ emolumenta Advocatorum.

IV. Variæ animadversiones in antedicta.

V. VI. Amplificata Advocatorum potestas. Variæ in id observationes.

VII. VIII. Varia privilegia Advocatorum. Facultas juris dicendi.

IX. Qua ratione designaretur & investiretur Advocatus.

X. Ex Bullis privatis in Germania & necessitas & potestas major Advocatorum.

XI. Prisci Advocati, sub prima Regum Galliæ Dynastia.

I. NON eo solum, sed eo maximè tempore, regebant Ecclesiæ Advocatis, Defensoribus, Vicedominis, & Præpositis sæcularibus, quo vacabant. Nomina porro hæc omnia idem propemodum sonant, insinuantque jus & officium tegendæ ac tuendæ Ecclesiæ adversùs vim & audaciam adversariorum, in foro & apud tribunalia judicum, inter arma & militum catervas. In Concilio Moguntino anni 813. jussi sunt Episcopi & Abbates eos eligere, qui vim nec afferre vellent ipsi, & propulsare possent ab Ecclesia. *Omnibus igitur Episcopis, Abbatibus, cunctoque Clero omnino præcipimus, Vicedominos, Præpositos, Advocatos, sive Defensores bonos habere, non malos, non crudeles, non cupidos, non perjuros, non falsitatem amantes, sed Deum timentes, & in omnibus justitiam diligentes. Can.50.* Idem præceperat Carolus Magnus, & hoc addiderat non prætereundum, ut indigenæ essent Advocati, & res suas ibidem haberent. *Ut Episcopi & Abbates Advocatos habeant, & ipsi habeant in illo Comitatu propriam hæreditatem, & ut ipsi recti & boni sint, habeant voluntatem rectè & justè causas perficere. Conc. Gall. Tom.2. pag.248.*

Hinc illud videtur effici, Ecclesiis copiam fuisse eligendi pro arbitrio Advocati. Et est tamen in Capitularibus Caroli Magni, ubi à Principe postulentur & impetrentur ad gravissimas causas. *Pro Ecclesiarum causis ac necessitatibus earum, atque servorum Dei, Executores, vel Advocati seu Defensores quoties necessitas ingruerit, à Principe postulentur, & ab eo fideliter atque libenter juxta Canonicas sanctiones fidelissimè dentur. L.7. c.308.* Sed vel hi Advocati à prioribus sejuncti erant, nec dabantur Ecclesiæ, nisi ad expediendam diffiniendamque graviorem aliquam causam; cum reliqui perpetui essent, & ad causas omnes: aut hoc Decretum abrogarunt postea Francisci Cæsares, quibus præstabilius visum est eam potestatem eligendi Advocatos Ecclesiis permitti. Quod rursus firmari posse videtur Canone Concilii Remensis II. anno 813. *Ut Præpositi & Vicedomini secundùm Regulas vel Canones constituantur. Can.24.*

Vicedominos sanè Ludovicus Pius numerat inter Vicarios & cooperatores ministerii Episcopalis, eosque accenset Chorepiscopis, Archipresbyteris, Archidiaconis & Parochis. *De Episcopis, qualis sit eorum conversatio, &c. Deinde quales sint adjutores ministerii eorum, id est, Chorepiscopi, Archipresbyteri Archidiaconi, & Vicedomini, & Presbyteri per Parochias eorum. Conc. Gall. Tom.2. pag.466. 458.* Ea sunt de quibus certiorem se fieri volebat Imperator à Missis suis Dominicis. Jussit & idem alibi, ut in Conventu, ubi Missi cujusque Provinciæ præsidebant, Vicedomini Abbatissarum, quasi earum vicem tenentes, cum Episcopis & Abbatibus adessent.

Narrat Sangallensis Monachus, nec Regum munificentia dotatam, nec Magnatum donis auctam Abbatiam Sancti Galli; sed privatorum largitatibus constructam, irrigatamque fuisse; ac proinde

nec

nulla hactenus præpotenti tuitione muniri potuisse, nec Advocatum, aut Defensorem nancisci, donec Ludovicus Germaniæ Rex non indecoram Regio splendori eam Advocatiam ac Defensionem professus est. *Cum Abbas noster ei retulisset, quod reicula Sancti Galli, non ex regalibus donariis, sed ex privatorum traditiunculis collecta, nullum privilegium aliorum Monasteriorum, vel communes cunctorum populorum leges haberent; & ideo neminem sui Defensorem vel Advocatum reperire potuissent; ipse cunctis adversariis nostris se opponens, Advocatum se vilitatis nostræ coram cunctis Principibus suis profiteri non erubuerit. Du Chesne Tom.2. pag.127.*

II. Muneris ergo id erat Advocatorum, ut inimicos amolirentur Episcoporum, Abbatum & Abbatissarum. *Cunctis adversariis nostris se opponens, Advocatum se profitetur.* Docet Hincmarus Remensis Archiepiscopus in eum maximè usum adscitos fuisse Advocatos, ut ante Tribunalia Judicum starent, quo vinculo absolvebantur Episcopi. Enim vero de eo graviter conquestus est idem Hincmarus ad Carolum, & adversùs Carolum ipsum Regem, quòd Episcopum Laudunensem præcepisset cum Advocato suo sistere se Judicum tribunalibus. *Jussisti præfatum Episcopum, ut die & loco denominato veniret ad causas vestras, id est, ad judicia sæcularia, & suum Advocatum de suo capite, videlicet suo actu, non consilio quocumque Coepiscopo suo donaret. Tom. 2. pag.517.* Cum parere detrectasset Laudunensis Episcopus, Rex capi jussit res ejus omnes temporales, præter Ecclesiam, Ædem Episcopalem, & Claustrum Cleri: præcepitque Vicedomino, cui parebant Vassi omnes laici Episcopatus; & Præposito qui Clericis præerat, ut prohiberet, nequid opis, vel obsequii hi illiqua Episcopo impenderent: denique ut Vicedominus laicos, Præpositus Clericos omnes Ecclesię Beneficiis gaudentes ad se perduceret. *Vicedominus laicos, Præpositus Clericos habentes Beneficia, hue secum adducerent.* Ita sæviri in Episcopum molestissimè tulit Metropolitanus, excelsi & indomiti animi vir, Canonumque Juris prudentissimus, unde & Regi significavit. Ex Legum Canonumque scitis, ubi de rebus Ecclesiæ temporalibus controversia fiebat, dandum esse ab Episcopo Advocatum, qui juri staret, & causam Ecclesiæ tueretur coram Judice sæculari. *De sibi commissa Ecclesia rebus ac mancipiis, Advocatum publicis judiciis dare debet.* Sed in causis personalibus, sive criminales eæ essent, sive civiles, non posse eum nisi in Concilio audiri.

His ita constitutis, jam facile est divinare quid discriminis Advocatis, Vicedominis, & Præpositis interesset. Erant enim ab origine Advocati causis forensibus addicti; Vicedomini Vassallis laicis Præfecti Episcoporum, Abbatum, & Abbatissarum; Præpositis denique Clericorum regimen mandabatur.

Sed quis facilè sibi persuadeat Carolum Magnum advocatos Legum & Canonum peritos spectasse, cum præcepit, ut ii ab Abbatibus, & Abbatissis eligerentur, quibus fundi & patrimonia essent in ipsomet Comitatu? aut Ludovicum Germaniæ Regem de literatis his advocatis & causidicis vel suspicatum esse, cum ipse se Abbatiæ Sancti Galli Advocatum professus est? Segregandi sunt ergo hi civiles & forenses Advocati à Militibus Advocatis & Armatis, qui cum Vicedominis quandoque permiscebantur, cujus rei probationem libet decerpere hanc ex Flodoardo, ubi Advocati Vicedomini, atque adeo armati, nihilominus forum frequentant, & legibus agunt. Ex quo primum Ebbo Archiepiscopatum capessivit Remensem, in obsequium Ecclesiæ revocavit agricolas, & servos omnes, qui ab ea resilierant, egregiam ipsemet ei rei operam navans, tum per sese, tum per Advocatum, seu Vicedominum, qui rei apud Judices strenuè imminebat. *Mancipia, vel Colonos quosdam Ecclesiæ desertores, tum per sese ipsum, quàm per Radulphum Vicedominum & Ecclesiæ Advocatum apud publicos Judices legibus evindicatos & obtentos, Ecclesiastico juri restituit.* Cum hic & Advocatus & Vicedominus esset, erat utraque militia exercitatissimus, armorum, & litterarum. Unde Advocati quoque dicti, qui armis Ecclesiam tuebantur Defensores, quòd utroque olim munere fungerentur. Et fateri tamen cogimur Advocatos Ecclesiæ cum subrogati fuissent antiquis Defensoribus, quorum in Conciliis olim crebra & perhonorifica memoria, in foro tantùm incruenta defensione Ecclesiis affuisse. Quod rursus ab eodem Hincmaro haurіemus: *Sunt enim advocati & Defensores Ecclesiarum, quos sacrè Canones, & Leges, quibus moderatur Ecclesia, Episcopos habere jubent, quorum hujusmodi est officium, ut per leges, quę sunt Ecclesiæ aut defendant, aut conquirant; & non violenter, aut sua præsumptione, aut Episcopi jussione, quæ Ecclesiæ dicuntur, vel putantur esse pervadant. Concil. Duziac. Collo. pag.225.*

Privilegium publicatum est à Carolo Calvo olim concessum Ecclesiæ Sancti Juliani Brivatensis, quo concedi videtur Advocato à Clericis ibi eligendo, ut apud Judices quoscumque alios inferiores conveniri non possit, nisi apud Comitem Palatii. *Remota omni sæculari vel judiciaria potestate, liceat eis qualemcumque sibi sua sponte elegerint, Advocatum habere, ipsumque Advocatum nemo præsumat temerario ausu distringere, vel intortum mittere, sed nostro coram Comite Palatii, res Juliani Martyris absque inquietudine, vel morarum dilatione liceat inquirere. Spicil. Tom.10. pag.650.* Piscariensem in Italia Abbatiam simillimo decoravit privilegio Ludovicus II. Imperator. *Ordinavit Imperator unum ex Collateralibus suis, Heribaldum nomine, sacri Palatii Comitem. qui super causis & agendis Monasterii specialiter intenderet. Spicil. Tom.5. pag.375.* Comes hic Palatii Investituram agrorum hujus Cœnobii dedit uni Monachorum, & Advocato. *An.874.*

Præposito & Canonicis unius Ecclesiæ concessa quandoque est in Abbatiam viciniorem Advocati dignitas & provincia. Ejusmodi protectione donatum voluit Rex Otto Cœnobium Valciodorense. (Vasor.) anno 944. *Quatenus Major domûs, videlicet Præpositus de Ecclesia Sanctæ Mariæ, quæ est Aquisgrani, cum cęteris valentioribus Canonicis pro eadem Ecclesia, tempore tribulationis ejusdem Abbatiæ Confidiei assurgant, & importunitatem ejus sicut & suam, in præsentia Regis & Principum, ubicumque præfatus Rex fuerit, perferant. Chronicum Valciodor. Spicil. Tom.7. pag.527.*

III. Erant & jura & emolumenta quædam certa his Advocatis ad eorum sustentationem. Angelramum Metensem Archiepiscopum narrat Chronici Senoniensis Scriptor, cum jam non posset Abbatiæ eidem suæ Senoniensi defensionem impendere, quòd Cancellarius unà esset Imperatoris, Advocatum illi designasse, cui & certa quædam adscripsit jura, fundos primùm aliquos, tum tertiam partem emendarum in iis litibus, ad quas ab Abbate accerseretur: his ut contentus cæteris abstineret. *Statuit Monasterio Advocatum providere, tali conditione, ut quicumque Advocatus per Metensem Episcopum institutus fuerit, ad quem Advocati spectat institutio, tertiam partem emendarum illarum, scilicet placitorum, ad quæ ab Abbate vocatus fuerit accipere debebit, & ad cætera manus non extendet. Pars quidem dicto Advocato terræ & hominum pro Advocatione collata fuit, quos adhuc tempore nostro hæredes de salmie possidebant. Et his contentus, nil penitus juris*

in hominibus, terris, banno, aquis nemoribus, placitis justitiis, vel in omnibus Monasterii dependentiis, amplius usurpare debebit. Sed ubicumque necesse fuerit pro Abbatia, & ejus rebus, & hominibus, pro collato sibi Advocationis beneficio stare tenetur, &c. Si verò quispiam, aut Advocatus super prædictis, vel quidvis alter molestaret Ecclesiam, per Episcopum Metensem omnia corrigi & emendari deberent. Chronicum Senoniense. Spicil. Tom. pag.304.

Publici juris fecit Miræus Chartam designationis Advocati in Abbatia Gembacensi in Brabantia. *Gemblours Codex Donatio c.3.* 2. Imperator quippe Otto I. ejus Cœnobii ipsemet Advocatus cum esset, ne toties Abbatem cogeret ad Aulam ventitare, anno 948. Comitem Lovaniensem designavit, qui sibi subesset, & Advocatum ageret ejus Cœnobii. Illum porro designavit vehementer assentiente Fundatore, Abbate & Monasterio. Jussit ut præter Beneficium & jura, quibus donabatur, nihil exposceret. *Nihil exigere debeant, nisi jus & Beneficium sibi constitutum. Spicil. Tom.6. pag.512.* Vetuit ne Subadvocatum sibi allegeret, nisi unum, ut ne plures unquam ei Cœnobio, quàm tres essent Advocati; Rex, Comes, & Subadvocatus. *Ne præter unum subadvocatum habeat, ut donum hujus Advocatiæ à Rege, qui major Advocatus est plusquam ad tertiam manum nunquam deveniat.* Denique jura diffiniit Subadvocati: *Subadvocatus in villis ad Abbatiam pertinentibus nihil aliud juris habebit, nisi per singulos annos de unaquaque domo denarium unum, gallinam unam, avenæ sextarium unum.* Privata sua bella bellare cogebatur Advocatus suo sumptu, at nonnihil subsidii expetere poterat ex terris Cœnobii, ad bella Regis & Comitis Lovaniensis. In Charta alia ejusdem Compilationis Comes Limburgensis, ut Advocatus Abbatiæ Sancti Trudonis anno 1130. in beneficio habuisse memoratur mille & centum mansos. *Vos habitis inde in feodo mille & centum mansos. Ibid. c.53.*

Inter easdem Donationes antiquas à Miræo publicatas, illam, *Cap.34.*, seligam Arnulphi Marchionis Flandriæ, à quo extructa est Sancta Capella, cum Capitulo duodecim Canonicorum, anno 961. His præter fundos aliquos decimas adsignat, quas sibi Romani Pontifices in feudum dedissent, ut hinc sarciret expensas in bellum Vandalicum factas, hoc est Normannis comprimendis, à quibus Ecclesiæ omnes devastabantur. *Cui Capellæ de ordinatione ac consilio Episcoporum quasdam decimas, quas mihi & prædecessoribus meis in Comitatu seu Marchionatu Flandriæ de terris cultis & incultis Sanctissimi Patres Papæ Romani pro adjuterio expensarum nostrarum & nostrorum militum, pro expugnatione ac resistentia contra Vandalos, qui Flandriam & alias terras vicinas, cum Ecclesiis in ipsis constructis crudeliter & damnabiliter devastabant, & incendio tradebant, in feudum perpetuum concesserunt.* Ex quibus patet in feudum datas fuisse quandoque decimas, justissimis de causis, ne Romanis quidem Pontificibus dissentientibus. Quanquam verò perpetuæ fuissent donationes eæ, instabant tamen Episcopi Nobilibus, ut eas Christi patrimonio & Ecclesiæ restitutas vellent, quanquam ad id adigi non possent.

IV. Sunt quæ hic meritò antè adnotentur, quàm ulteriùs progrediatur oratio. 1. Etsi plerumque Advocati à Clero, vel à Cœnobio eligerentur, erant tamen Cœnobia, quibus Episcopus vel Princeps illos designabat. Nimirum ibi quondam Episcopus vel Princeps Cœnobium ipsum obtinuerat, & Advocati sustinuerat partes. Cum postea Cœnobium transcripsissent Abbati Regulari, sibi successoribusque suis munus Advocati integrum servaverant, vel jus ejus designandi, 2. Capitula & eorum Præpositi, alicujus Abbatiæ sibi commendatæ Advocatiam & defensionem nonnunquam exercebant. 3. Dignitas Advocati Abbatiarum hæreditaria tandem evasit inter Nobilium stirpes, quibus hinc & honoris & compendii non parum accedebat. 4. Quæ verò hic modò allegata sunt, ex his plus satis patet, Advocatos non semel latiùs grassatos esse, & plura sibi Cœnobiorum prædia usurpasse, cum modus tandem illis impositus est, descriptique fines, quibus sese continerent. *Et his contentus, nihil penitus juris in hominibus, terris, amplius usurpare debebit.* 6. At non tam arcto limite circumscribi potuit Advocatorum licentia. Cœnobiis confugiendum fuit ad Episcopos, ad Reges, ad Pontifices, adversùs acerbissimos persecutores, Defensorum & Advocatorum nomine dissimulatos. Unde & in eodem Chronico referuntur Advocati complures excommunicationis jaculo confossi. *Qui sibi vult cavere, caveat, quia multos postea habuit Advocatos Ecclesia excommunicatos. Ibid. p.314. 315. 316.*

V. Ex Chronico denique Senoniensi constat extructâ à Bertholdo Tullensi Episcopo Abbatiâ Sancti Servatoris, non multò post Abbatem, nisi adscito sibi Advocato, irruentium undique adversariorum insidias declinare non potuisse. *Videns Abbas se non posse nisi magno labore tot & tantis molestationibus resistere, statuit sibi & Monasterio suo modo Advocatiæ de Conservatore providere.* Albimontii dominum ad id elegit, eique jura & proventus addixit annuos in armenta, domos, reos, lites, stagna, piscationes, & id genus alia, ubi Abbas & Advocatus partibus quisque suis gaudebat, perinde ut conventum esset. Fidem præstabat Advocatus Abbati, qui adversùs Advocati quandoque ipsius sui perfidiam, sub tuitione Tullensis Episcopi delitescebat. Non multo post tempore Tullensis Episcopus cum Lotharingiæ Duce magna ex parte eandem Advocationem communicavit, qua nempe Cœnobium hostium grassationibus magis patebat. Id munus aliquandiu Dux exercuit, quod in feudum denique contulit ei, cui in lustrico fonte parens fuerat; hujus verò hæredes jura hæc tandem omnia Abbatiæ eidem pretio addixere. *Hæredes dicti Simonis Abbati & Conventui in perpetuum vendiderunt ipsam Advocatiam.*

Nec pluribus opus esset, ut liqueret Advocatos Episcopalibus Ecclesiis & Cœnobiis olim adsignatos ad forensia judicia, bellica tandem aliquando fortitudine claruisse, & vel sic opportunissimam Ecclesiæ tum opem impendisse, cum armorum licentia insolentiùs bacchari cœpisset.

VI. Sed hic succurrunt rursus, quæ juvet adnotasse. 1. Cum abbatiæ propemodum omnes in tuitione essent Regum, earum Advocatos non ferè nisi Regum vicarios, & delegatos fuisse. *Vice nostra adjutor & defensor eorum sit.* 2. Lites omnes & causas Regiarum Abbatiarum ad Palatina judicia referendas fuisse, nisi locorum nimia intercapedo vetuisset. 3. Cum tempore labantis & corruentis Carolinæ familiæ circumfremerent undique tumultus bellici, ut jam Canonum Legumque vox exaudiri non posset: armis sæpiùs, quàm litibus impetebantur Ecclesiæ. Unde & armatis Advocatis opus fuit. 4. Advocatorum Officia vel ipsis Comitibus & Ducibus tum emolumento erant, tum ornamento. 5. Et cum necdum tamen Leges omnino in foro conticescerent, Subadvocatos ad forenses causas Advocati nobilissimi quique sibi subrogabant. 6. Sed unus uni Cœnobio Subadvocatus conciliandus erat, ne in plures spargerentur & dissiparentur reditus Monasterii. 7. Otto I. diffiniit Subadvocati jura & lucra, non Advocati. Nova tum erat illa Subadvocati creatio. Unde & indicendum erat, unde procuraretur. At Advocati jam certa & fixa erant jura, nec verendum sanè erat, ne

sui

fui ille juris immemor aliquando, vel incuriosus esset.

VII. Beati Meinverci Paterbonensis Episcopi vitæ Scriptor ad alia, quàm Advocati judicia negat conveniri potuisse ejus Ecclesiæ subditos omnes, sive servilis, sive ingenuæ conditionis. *De ejus hominibus, tam liberis, quàm & servis, à nulla judiciaria persona constringendis, nisi eorum Advocato, quem ipse Episcopus elegerit.* Hæc privilegia dabant & firmabant Imperatores ad ea etiam, quæ de novo adquireret Ecclesia. *Regali authoritate decernens, ut nulla persona, aliqua judiciaria potestate in eisdem prædiis se intromitteret, nisi Advocatus, quem ipse Episcopus, vel suorum quilibet successorum elegisset.* *Surius die 5. Junii. c.9. 34. 804. 814.* Cum novam Meinvercus à fundamentis excitasset Abbatiam, iisdemque illam Imperator privilegiis instruxit, quæ jam usitatissima videbantur. *Ut nulla persona super bonis concessis, vel concedendis aliqua judiciaria potestate se intromittat, excepto Advocato ab Abbate & fratribus in Defensorem eligendo.* Et infrà: *Imperiali præcepto Imperator confirmavit, ut sub plenissima immunitatis tuitione hæc consistant, & sub Imperialis authoritatis defensione prefata Ecclesia fratres ea possideant, ita ut nullus Judex publicus, vel quilibet aliqua judiciaria potestate præditus, loca vel possessiones eidem Ecclesiæ concessas vel concedendas, ad causas judiciario more audiendas, ut homines ipsorum, tam litos, quàm & ingenuos, super terram eorum commanentes, contra rationem distringendos; nullo unquam tempore ingredi audeat; sed prænominata Ecclesia Abbas cum suo Advocato, quem communicato fratrum suorum consilio in defensorem elegerit, causas rerum agendarum sagaciter providens & sapienter disponens, suis juvenumque fratrum utilitatibus provideat. An.1016.*

VIII. His finitima privilegia protulimus jam inde à temporibus Caroli Calvi. Sed hic adverte fundamenta hæc videri posse Justitiarum Ecclesiasticarum, seu Jurisdictionis superioris, infimæque, qua complures potiuntur Ecclesiæ in omni territorio suo, in Laicos promiscuè, Clericosque. Cum Judices, qui tunc vel Principum nomine, vel dominorum peculiarium judicia exercebant, exactionibus plerique fatigarent terras & homines suæ jurisdictionis: non potuit à Principibus plenior immunitas terris Ecclesiæ dari, quàm ut Ecclesię ipsi, Episcopis, Abbatibus & Advocatis jurisdictio exercenda committeretur.

IX. Mirabile nescio quid memorat author vitę Sancti Udalrici Episcopi Augustani. Nulla enim ab eo dedicabatur Ecclesia, cui non à Fundatore opimam dotem assignari faceret, & cui non statim suus addiceretur Defensor & Advocatus hæreditarius, qui illico investiebatur vexillo, quod sanctissimus Episcopus quodammodo consecrabat illud Altari superponendo. *Consecratione peracta, doteque contradita, comprobato illic Presbytero Altaris procurationem commendavit, & Ecclesiæ Advocationem firmiter legitimo hæredi, panno imposito commendavit.* *Surius die 4. Jul. c.7.* Non nescio his verbis, *panno imposito*, alios sensus aptari potuisse. Qui aptissimus mihi quidem visus est hunc protuli; gratias acturus si quis quid melius impertiat.

X. Cum in Germania aliquantò atrociùs sævientint bella privata, quàm in Gallia, latiùsque ibi propagatus sit mos & altiùs irradicatus, armis, non judiciis causas terminandi; usuvenire potuit, ut non solùm Episcopatibus & Abbatiis, sed & Ecclesiis Parochialibus sui designandi fuerit Advocati, cæterisque Ecclesiis etiam, quas privati privatis opibus dotassent. Ea demum enim insana licentia belligerandi, quæ unius Imperatoris & Regis cives inter se commisit, adduxitque lites armorum furori permittere; ea inquam licentia Gallias diu, Germaniam diutius populata, & nequedum ibi satis sopita, in causa fuit, ut armati Advocati ominibus Ecclesiis inducerentur, qui primæva sui ab origine instituti fuerant, ut apud sæculares Judices causas Ecclesię persequerentur, aut inter unius Ecclesiæ vassos emergentes lites dirimerent.

XI. Chartas quasdam cum primis memorabiles suppeditavit nobis Jurisconsultus Mager, cujus Opus *de Advocatia Armata* Francoforti typis editum est anno 1625. Mei non est hic instituti inquirere in Chartas illas, an satis bonæ notæ omnes sint. Paucas hic obiter delibabo. Est Dagoberti Regis Gallię diploma anno 603., ubi Modoaldo Treverensi Archiepiscopo confirmat terras omnes Ecclesiæ suæ, juxta morem Majorum, *Patrerum ac prædecessorum morem sequentes;* defensorem & Advocatum assignat rei Ecclesiæ Arnulphum Principem Regii sanguinis, & Ducem Austrasiæ Mosellanicæ. *Protectorem, rectorem & Advocatum damus illustrem dominum, dominum Arnulphum, sanguine Regio natum, parentem nostrum ac institutorem, Austria Mosellanica Ducem. Pag.122.123.*

Alia est Charta, qua Theodulphus filius Arnulphi Ducis Mosellanicæ ab eodem Dagoberto Rege instituitur Advocatus Abbatiæ Sancti Mauritii, Regiæ fundationis. Una est Pipini, quæ Lamperium Austrasiæ Mosellanicæ Ducem Advocatum creat Ecclesiæ Trevirensis. *Protectorem, Rectorem, Advocatum damus. Ibid. p.144.* Est & Caroli Magni, qua anno 803. Augiæ (Richenau.) Diviti Comitem Briaconium Adalbertum Advocatum designat: ea addita lege, ut si vel ipse, vel successorum ejus aliquis Cœnobii & Monachorum jam non defensor, sed infestator & persecutor sit, penes illos facultas sit Advocati alterius eligendi. *Ibid. p.157.* Est & Ludovici Pii Charta, *Pag.120.*, Ducibus Mosellanicæ concessa, Defensoribus Ecclesiæ Trevirensis. Alias cogerem plures: nisi peræquè iis diffiderem. Advocati Atrebatenses, hoc est Abbatiæ Sancti Vedasti fuere Betunenses domini, qui & Betunenses Advocati dicti, ex nobilissimæ gentis nomine. Qui Vicedomini nominantur de Gerberoy, de Pequigni, & de la Ferté ex gentis suæ nomine, similiter Advocati erant Ecclesiarum Bellovacensis, Ambianensis, & Carnotensis. Primus omnium publicavit doctissimus Bignonius in Notis ad Marculphum, Chartam Clotarii, ut qua Advocatus Besuensi *Beze.* Cœnobio dabatur, ut apud Judices causas defensitaret ejus Abbatiæ. Inde Advocati dicti, quo nomine ne tum quidem abstinuere se, ubi armata tota fuit ea defensio.

C A P U T LVI. *P.4. l.4. c.33.*

De Episcoporum & Prælatorum inferiorum potestate in colligendis spoliis, post annum Christi millesimum.

I. Penes Abbates erat jus spoliorum in Prioratibus sibi obnoxiis.

II. Penes Episcopos jus erat spolii in Beneficiarios intestatos. Eo jure ferè utebantur omnes, qui & deportus.

III. Quàm consentaneum esset, ut cum Priores & alii Obedientiarii possidere nihil potuissent; cum Beneficiarii meri essent dispensatores, & nullo per sese testandi jure, eorum spolia morientium ad Prælatos devenirent.

IV. Varia Concilia, quæ spoliorum juri suffragantur,

tur, ubi vel statuto, vel privilegio, vel consuetudine astruitur.

V. De spolio in Ordine Cluniacensi.

VI. De spolio Priorum & Abbatum Commendatariorum Beneficii Regularis.

I. NON agemus hoc capite nisi de jure spoliorum, quo Episcopi & Prælati inferiores usi sunt, Romani Pontificis spolia in Caput aliud seponemus. Spoliorum juris prima incunabula à Monasteriis non immeritò sepetenda videntus, cum ad se revocabant Prælati superiores, quidquid à Prioribus, aliisque Obedientiariis congestum fuerat. Cum enim meræ essent Obedientiæ, & quasi membra quædam majoris Monasterii; nihil ibi parari, nihil aeesvari poterat, quod non potestati & juri subesset Prelati superioris. Anno 1253. eum jam invaluisse usum declarat, nec improbat Concilium Salmuriense, sed intemperantiam damnat inconsideratissimam eorum, qui in spoliatis Prioratibus ne ea quidem dimittebant, quibus alii Monachi, quibus restaurari Ecclesiæ, ædesque possent, & sumptus fieri ad agros excolendos. *Statuimus, ne Abbates, eum contingit Priores suos cedeee, vel decedere, Peioratus bonis suie audeaut denudare: sed saltem taudem tantum de pradictis bonis futuris Peioribus dimittaut, quod ipsi fratres & familia, usque ad futuram collectam de eisdem competenter sustentaei valeaut, & domus Prioratuum refici, & in statu debito conservari. Con.25.*

Anno 1268. Concilium ad Castrum Gontherii idem præcepit, *Can 4.*, quod & sursus confirmatum est in Concilio Redonensi anno 1273. *Can.3.* nee oon & in Concilio rursum Salmuriensi anno 1276. *Can.0.* Et in Concilio Langeacensi anno 1278. *Can.14.* Anno 1300. Concilium Ausciense modum similiter adhibere studuit, *Can.3.*, spoliis, ubi jam longo usu invaluerant; sive Episcopi, sive Abbates & Prælati alii eo jure gauderent.

II Cedebant utplurimum Episcopis spolia Clericorum intestatorum. Synodus Pictaviensis anno 1280. qui intestatorum de successionibus aliquid decerpsissent, dum vacaret sedes Episcopi, eos jussit omnia Episcopo successori restituere. *Omnes illos, qui de bonis Sacerdotum & Clericorum Beneficiatorum intestatorum aliquid habuerint Sede vacante, nobis, vel mandato nostro restituant infra mensem. Cap.8.* Quaodiu superstes erat Episcopus, ejusmodi spolia citra controversiam ipse colligebat. Ubi vita excesserat, ea quandoque prædæ patebant, cui malo hęc Synodus occurrebat.

Sed non tam angusti esant huius juris limites, longè plurima complectebatur Beneficia, Regularia & alia, & non raro ei coniungebantur deportus. Ita docet Bonifacius VIII ubi conqueritur de Episcopis Abbatibus, aliisque Prælatis Regularibus, & Sæcularibus, quin & de Clericis, qui spolia Beneficiariorum obeuntium, *eorumdem bono ipsis inventa*, uti & deportum, hoc est fructus Beneficiorum usurpabant, quandiu vacarent, *sive vocationis ipsorum tempore obvenientia*. Et utrique tamen ei juri Pontifex suffragatur, si modò vel privilegio fulciatus, vel consuetudine pręscripta, vel legitimo quopiam titulo. *Nisi de speciali privilegio, vel consuetudine jam prascripta legitimè, seu alia causa rationabili hoc eisdem competere dignoscatur. In Sexto. L.5. Tit.56. c.9.* Docuit & Clemens V, in more positum alicubi fuisse, ut Abbates & spolium & annatam acciperent Prioratuum vacantium. *Pręrextu privilegii quod asserunt se habere, quo fructus Beneficiorum vacantium possint percipere primi anni. Quibus non contenti, equos, boves, thesaurum, & alia bona Monasteriorum & Beneficiorum vacantium illicitè occupant, qua essent futuris successoribus reservanda. In Clemen. L.3. Tit.6. c.1.*

III. Hinc illud existit jam inde ab anno 1300. consuetudines jam fuisse ritè præscriptas, quibus Episcopi, Abbates, aliique inferiores Prælati, Regulares, vel Sæculares, spolia suo sibi jure vendicarent, Beneficiorum sibi obnoxiorum, ubi Beneficiarii vita abibant. Id jus consuetudine præscriptum manifestè confirmat Bonifacius VIII. nec improbat, aut exprobrat Clemens V. nisi nefarias artes Abbatum, in exauthosandis Prioribus, ut vacantium earum Obedientiarum spolia invaderent. In Beneficiis Regularibus una eademque ratio est spoliorum & deportuum. Cum Obedientiæ eæ essent, in quas summo quodam jure Abbas utebatur; ubi nisi eo permittente possidebatur nihil; ubi Priores ipse instituebat; denique eum plerumque Cellæ tantùm, seu Grangiæ eæ fuissent Cœnobii majoris quò unus & alter ablegatus fuerat Monachus, qui illam administraret, unde Prioratus coaluerant; mirum non est, si qui inde rivuli ad fontem suæ originis revocabantur.

Nec Pręlatorum sæcularium, potissimum verò Episcoporum, obscuriora erant jura. Nec enim ipsis per sese Clericis jus nullum suppetebat testaodi, si vel maximè ses à capite arcesseretos, & ab exortu Christianæ Reipublicæ, eum Beneficiarii depositum, & administrationem habeant, dominium & proprietatem non habeant. Itaque tempore obitus eorum, Episcopus, vel Archidiaconus depositum repetebat, quod illis commendatum fuerat, dum instituerentur. Adde quod jam à complurimis sæculis successiones Beneficiariorum intereuntium prædæ erant laicis, pauperibus, Civilibus Judicibus, minoribus Clericis; nec potuerat his deprædationibus modus finisque poni, nisi caducis bis successionibus ad potestatem Episcopi, & Ministrorum ejus revocatis. Quin & Regum quandoque spolia & exuviæ non absimili prædationi objiciebantur, quod ut Ecclesię, ita & Regum opes publica quodammodo sint æraria. Ubi primum afflavit animam Vuillelmus Angliæ perdomitor & Rex, haud mora expilata est ejus Regia, ut author est Vuillelmus Malmesburiensis. *Infeciores verò Clientuli, ut Magistros sic se subduxisse peoxpexerunt, arma, vasa, vestes, & linteamina, omnem regiam supellectilem rapuerunt, & relicto Regis cadavere pene nudo in area domus aufugeeunt. Baron. an.1087. n.35.* In Regno Sacerdotali Beneficiariorum ædes iisdem rapinis subjiciebantur. Cui morbo medebatur spoliorum lex. Fateor lege Codicis non anoui Ecclesiæ, nisi successiones Clericorum intestatorum. *Cod. Theod. L.5. Tit.3. c.5.* At ea lex capienda est de bonis patrimonii, de quibus testari poterant. Et sanè ea lex eos excipit, quibus proximi sunt aliqui, & eos, quorum res servitutibus obnoxiæ sunt Colonorum, Patronatuum, Curialium. Atqui his servitutibus non suberant, nisi patrimonii bona. *Cod. l.1. Tit.3. c.20.*

IV. In Provincia Ecclesiastica Turonensi Archidiaconi, Archipresbyteri, & dignitates aliæ quæpiam, lectum in quo decubuissent Parochi, suo sibi jure vindicabant. Anno 1365. Concilium Andegavense jus illud redimi voluit quinquaginta solidis in tenuioribus Parochiis, centum solidis in pinguioribus, hoc est quibus annui reditus essent plusquam centum librarum: cum in comperto essent cujusque Parochiæ reditus ex decimarum æstimatione. Optio tamen fit his dignitatibus, lectum malint ipsum, an pretium hic definitum. *Prohibemus, ne Archidiaconi, Archipresbyteri, & alia persona Ecclesiastica, qui de consuetudine lectos Rectorum Parochialium Ecclesiarum decedentium infra certos limites nostra Provincia Turonensis sibi vendicant, pro lecto ultra quinquaginta solidos recipiant, dum tamen Parochialis Ecclesia quinquaginta libras secundum taxationem decima non excedat, vel lectum re-*

cipiat

cipiat secundùm taxam superius moderatam. *Can.* 51.

Pontificia spolia abolere moliti sunt Constantiensis Concilii Patres anno 1417. at reliquos Prælatos prisco more suo uti annuerunt juxta Decretum Bonifacii VIII. superiùs laudatum. Accipe verba ipsa Concilii Constantiensis. *Seff.* 39. *Prælatis etiam inferioribus hujusmodi spoliorum exactiones præter & contra juris communis formam fieri interdicimus, constitutione felicis Record. Bonifacii Papę VIII. quæ incipit; Præsenti, super hoc edita specialiter in suo robore duratura*. Atqui ea Constitutione Bonifacii VIII. sıui finebantur jure spoliorum Episcopi, Abbates, cæterique inferiores Prælati, quibus illud hactenus partum fuerat privilegio, statuto, vel consuetudine præscripta.

In Concilio Dertusano Hispaniæ anno 1429. prohibiti fuot Prælati spolia invadere Regularium, quibus per sua statuta fas erat de rebus suis disponere, & qui ante obitum de iis disposuissent. *Ecclesiarum Prælati bona decedentium Religiosorum, quibus permissum est secundùm statuta, vel laudabiles consuetudines de bonis à Deo sibi collatis disponere, nullatenus audeant occupare, si per eosdem Religiosos juxta statuta, vel consuetudines prælibatas, de bonis prædictis fuerit ordinatum*. *Can.* 18. A' Regularibus Clericos mox ibidem sermo defluit, & prohibentur similiter Episcopi Clericorum usurpare spolia, si testati sint juxta Conciliorum Provincialium, vel Synodorum Diœcesanarum Constitutiones. *Idem esse censemus de bonis Clericorum secularium decedentium, si juxta formam Provincialium, vel Synodalium Constitutionum sua ordinaverunt testamenta, vel ultimas voluntates*. Ex quibus planum est ad Episcopos rediisse spolia Beneficiariorum sæcularium, qui vel intestati vita migrabant, vel non ita testabantur, ut Conciliorum & Synodorum Decretis præscriptum fuerat: In Concilio Andegavensi anno 1448. *Can.* 8. innovati sunt Canones omnes Conciliorum ejusdem Provinciæ Turonensis, hoc ipso Capite supra laudati; facta potestate Abbatibus & Prioribus Conventualibus, qui nulli subsunt Abbati, ut spolia sumerent Priorum morientium suæ ditionis, si privilegio, vel consuetudine niterentur, ea cautione, ut mobilia necessaria ne domo asportarentur; suppeteretque, unde alerentur Monachi, usque ad novos anni proventus. Coloniensis Concilii Patres annò 1536. spolia expungere conati sunt ex Ordinibus militaribus, sive Hospitalariis Equitibus, quòd non alia allucere ratio, aut spes corruptelas, quæ inoleverant, abstergendi. *Part.* 10. *c.* 14.

V. Opportunè hic addetur Constitutio Nicolai IV. anno 1289. ad Cluniacensium disciplinæ restaurationem. Ea porrò constituitur, ut seu fato suo obeuntibus, seu exauthoratis Prioribus, ad Abbatem Cluniacensem redeat pro antiquo more Equus, Cappa & Brèviarium. *In Prioratibus per mortem, aut amotionem Priorum vacantibus, Abbas Cluniacensis Palafredum, Cappam & Breviarium Prioris præmortui, secundùm antiquam consuetudinem habeat*. *Bullar. tom.* 1. *n.* 29. Et post exolutum æs alienum si quod superest, sepositis etiam necessariis ad alendos Monachos, ad colendos agros, ad reparandas ędes expensis; si quid supersit adhuc mobilium, quartam ut ejus partem sortiatur Abbas Cluniacensis. *Et deductis debitis antea omnia, si quæ sint, & solutis, Monachis etiam ibidem commorantibus & Priori futuro ac familię domus, pro se & necessitatibus suis usque ad fructus novos congrua sustentatione dimissa, relictis etiam ad excolendum possessiones necessariis, ad refectionem domorum si necesse fuerit, de residuis mobilibus possit recipere quartam partem*. Ita certè magnas in angustias spolia redigebantur, & necessariæ tamen erant cautiones istiusmodi omnes. His & ista accedebat.

Si quis Prior sponte sua se abdicat, pari jure utitur Cluniacensis Abbas. At si Abbas ipse Priores transferat ex uno Cœnobio in aliud, spolii locus non erit, ne translatio ipsa facta videatur ad aucupium spoliorum. *Ne propter vacationem unius Prioratus, plures in fraudem vacare faciat, ut bona omnia secum portet*. *Spic. tom.* 10. *pag.* 628. Vide & Epistolam Joannis Borbonii Episcopi Aniciensis, Abbatis Cluniacensis, ad Ludovicum XI. Regem datam pro spolio Prioratus Charitatis, quod sibi jure suo asserebat Cluniacensis Abbas.

VI. Nec Abbatum tantùm & Priorum Regularium, sed etiam Commendatariorum Abbates superiores spolia sibi vendicabant. Ideo & ex consuetudine Trecensi patet, ubi Caput centesimum sextum propositum fuit Comitiis Generalibus ejus Provinciæ, Abbates & Regulares intercessisse, quod eo declararetur Episcopis & cæteris Beneficiariis successuros cognatos, contra obnitentibus Abbatibus. *Si quando Episcopus, vel Presbyter secularis, Prioratum, vel Abbatiam jure Commendę obtineret, Regularium Abbatum, vel Priorum ditionis, & is vita migraret, tum quę in Abbatia, vel Prioratu reperta essent omnia, ea Abbatum & Priorum Regularium jure esse. Unde & ipsos jure vetare, ne ea rata & firma consuetudo haberetur*. *Preuves. des Lib. de l' Eg. Gall. c.* 36. *n.* 42. His nec Cleri assentiebantur, nec Laici, sed à verisimili prope abest, eos Ecclesiasticas etiam successiones ad se traducere voluisse.

CAPUT LVII. *P.* 4. *l.* 4. *c.* 34.

De Pontificio jure spoliorum post annum Christi millesimum.

I. *Deportuum, sive Annatarum & Spoliorum jura usitatissima primùm fuere inter Monachos, tum postea inter Clericos & Episcopos, eorum denique Romani Pontifices partem cœpere. Si qua ibi simonię labes resideret, non eam tot Concilia inultam prętermisissent*.

II. *Anno* 1300. *usus spoliorum jam & vetustus & pervagatus erat in Claustris & in Clero, quanquam Romæ adhuc incompertus*.

III. *Diluitur objectio*.

IV. *Novis argumentis demonstratur Concilii Viennensis tempore, Clementis V. & Joannis XXII. nihildum spoliorum accepisse Romanos Pontifices*.

V. *Probatur Clementem VII. tempore schismatis Avenionensis cœpisse exigere spolia Episcoporum & Abbatum vita migrantium*.

VI. *In ea spolia Carolus VI. Gallię Rex Edictis suis detonuit, eaque oppressit in Galliis. Quę hinc tum ibi nascerentur detrimenta*.

VII. *His detrimentis qui obviaretur in regionibus iis, ubi spoliorum jus convaluit*.

VIII. *Alia Edicta ejusdem Regis*.

IX. *Scitissimè Baronius auguratur, ita cœlitus consultum esse, ut Pontificii spolii collectores injuriam Canonum ulciscantur, ubi Beneficiarii ex patrimonio pauperum opes sibi exitiales congerunt*.

X. *Spolia aliàs & aliàs revocata & restituta*.

XI. *Pius II. multum operę posuit, ut suum Spolii Jus in Gallia restitueret. Ludovicus XI. Ludovicus XII. Reges iis intercessere. Historica contextio Spoliorum*.

XII. *Proscribuntur procurationes, quas Collectores & Ministri alii Pontificum Avenionensium extundebant flagrante schismate*.

XIII. *Bulla Pii V. ad coarctandos limites Spoliorum*.

I. DE Deportibus & Spoliis agi necesse fuit, ad Episcopos & Prælatos inferiores redeuntibus

bus, antequam ad hæc eadem jura Romanorum Pontificum accederemus. Quia & illud maximè ac præ cæteris observandum venit, hæc jura in Monasteriis efflorescere primùm cœpisse; tum ea ad Episcopos postea & Prælatos sæculares serpsisse: ac denique ad Romanos propagata esse Pontifices. Nulla erit residua dubitationis vel nubecula, si seriò expendantur, quæ superioribus jam Capitibus disputata sunt, & quæ rursus hic nobis differenda supersunt. Itaque qui simoniæ labem aspergere adgressi sunt, vel Spoliis, vel Annatis, quæ ex Beneficiis plerisque Consistorialibus nomine Pontificis exiguntur, non satis illi exploratum habuere, quàm pervagata & usu tritissima essent ea jura Regulares & sæculares inter Beneficiarios, perdiu antè quàm ea attingerent Romani Pontifices, cum ne in mentem quidem cujusquam tum caderet, ut his usibus simoniæ suspicionem affricaret. Quî verò potuissent tot Constitutiones Pontificiæ, & Placita Conciliorum simoniacæ consuetudini assentiri?

II. Superiori Capite declaratum est, ante annum millesimum trecentesimum Prælatos Regulares, maximè verò Cluniacenses, spolia cepisse Prioratuum sibi obnoxiorum, quòd meræ essent eę Obedientiæ, quarum & res & personas in potestate haberent. Subantiqui etiam usus ii tunc fuisse videntur, eum jam in eos illapsę essent eæ corruptelę, quas repugnare Concilia & Pontifices laboraverunt. Necdum tunc de Romani Pontificis jure spoliorum Scriptores usquam meminerant. Tunc Romæ omnia adhuc actitabantur, ut tempore Beati Bernardi, qui ad Eugenium III. datis literis, affirmabat, perperam se apud ipsum infamatum fuisse, tanquam qui Cardinalis Legati in Gallus mortui successionem ita dispensasset, ut non ejus voluntati, sed privatis suis affectibus obsecutus videretur. Certiorem faciebat Pontificem Bernardus, Cardinalem testatum esse, bona quibus collibitum fuisset legasse, duos designasse Abbates, qui reliqua distribuerent, à quibus ea se absente distributio facta fuisset, licèt à Cardinali socius illis adjunctus fuisset. *Audivi ab iis, qui adfuerunt, quod ipse fecerit suum testamentum, quod fecit & scribi, & de rebus suis, quæ voluit, quibus voluit, ipse divisit. Quod residuum fuit, duobus Abbatibus dividendum commisit, illi diviserunt. Baron. an. 1143. n. 1. 2. 3.* Addit Bernardus perspectissimum sibi esse, Ecclesiæ juris esse, quidquid non donasset Cardinalis: *Non, sum tam hebes, ut ignorem Ecclesiæ esse, quidquid ille rerum suarum non dederit.* Ostendimus etiam Episcopos & Prælatos sęculares spolia accepisse Beneficiariorum intestatorum. Ex Decretali *Præsenti, In Sexto, De Officio Ordinarii*, quæ Bonifacii VIII. est, illud didicimus, ante annum millesimum trecentesimum plurimis Episcopis, Abbatibus, Pręlatisque aliis Regularibus & sæcularibus familiare fuisse, ut spolia caperent Beneficiorum suæ ditionis, ex vetustissima & præscripta jam tum consuetudine. Itaque perantiquus is erat usus anno millesimo trecentesimo. Et abstinebant se tum tamen Romani Pontifices à Spoliis delibandis. Ea enim Decretali nihil in præteritis relinquit Bonifacius, ut eum usum tollat, vel valde coarctet. Illum damnat & obliterat, ubicumque non nititur privilegiis, vel consuetudine & præscriptione, vel denique statutis rationi accomodatis. Etiam tum ubi legitimis his fundamentis incumbunt spolia, limites illis quàm arctissimos delineat Pontifex, & ne unam quidem literam facit de ejusmodi consuetudine apud Sedem Apostolicam vigente.

III. Fateor equidem à Matthæo Paris narrari, ad annum Christi 1246. tres Anglię Archidiaconos incredibilem quandam pecunię vim coacervasse, præter immensam quandam mobilium opulentiam, & ex iis duos intestatos obiisse, quo factum sit, ut opes illæ ad Laicos devenirent. *Obierat intestatus, & plura millia marcarum, cum vasis multis argenteis sęculo & sęcularibus infeliciter dimiserat.* Quo rescito voluisse Pontificem, ut successiones ejusmodi Clericorum intestatorum ad Sedem Apostolicam revolverentur. *Ut si Clericus ex tunc decederet intestatus, ejusdem bona in usus Domini Papę converterentur.* Id ut expugnaret, Dominicanorum & Franciscanorum opera usus est. Sed invictissimè restitum est à Rege. Erant Pontifici peculiaria quædam potestatis insignia in Angliam. Non ita dudum Angliæ Rex Joannes vassallum se & clientem professus erat Sedis Apostolicæ. Atqui vulgatissimum id erat, ut vassallorum spolia à dominis feudi occuparentur. At quando sensit Pontifex restitari sibi, semetipse cohibuit, ne ulterius quid moliretur. Itaque non tum cœpta, sed ut summum tentata fuere spolia, in Anglia tantùm, & in intestatis tantùm Clericis. Denique tentata tum res est, sed irrito prorsus conatu.

Sed eo trium Archidiaconorum exemplo manifestum est, si invidiosa sint spolia, totam eam invidiam infamiamque conferendam esse in insatiabilem quandam avaritiam, vel Beneficiariorum, qui ex stipendiis in pauperes dispergendis quosdam sibi accumulant thesauros iniquitatis: vel cognatorum, qui in bona pauperibus & Ecclesiis dedicata succedere gestiunt. Rerum natura id flagitat, & ipse Ecclesiasticarum legum cursus, ut spolia obeuntium Beneficiariorum vel in sarta tecta Ecclesiæ effundantur, vel integra serventur successoribus. Si ea ergo Episcopis obtingant, vel Prælatis inferioribus, non est quod quisquam impatientiùs ferat res Ecclesiæ in manus devenire Clericorum, qui eas tanquam portiunculas dispensent patrimonii Christi. At si ea portio sacri Patrimonii Christi, & pauperum ad Laicos, & ad cognatos devolvatur Beneficiarii defuncti, uti contigit in his Matthæi Paris opulentis Archidiaconis; inficias ire nemo potest, eam esse fœdissimam Ecclesiasticarum legum conculcationem: nisi si se cognati non laicas, sed sacras excepisse opes intelligant, ad sacrorum usum à se necessariò convertendas. Quanquam optatissimum fuerit, ut successio obeuntium Beneficiariorum, eorum Ecclesiis addiceretur, aut ad Episcopos revocaretur, qui custodes primarii & principes sunt Ecclesiæ bonorum omnium, & qui omnium optimè Canonicos in usus in ipsa Diœcesi dispergere eos possunt; si neutra ejusmodi spes felicem exitum sortitura sit, & necesse fuerit res Ecclesiasticas defunctorum Beneficiariorum, vel ad proximos eorum, vel ad Papam derivari: Non est profectò quod quisquam admiretur Romanos Pontifices suæ causæ in hac re vehementer confidere, ut æquitati & sacris legibus accommodatiori. Quæ enim Deo semel sacrata sunt bona, & sustentationi ministrorum Altaris ac pauperum; possunt illa utique alicubi adjudicari servandis summi Pontificatûs oneribus, ac necessitatibus, si regna sint aliqua, ubi in manus hæredem & cognatorum carnalium delabuntur.

IV. Id ipsum liquet ex Decreto Concilii Viennensis, vel Clementis V. necdem tunc Apostolicam Sedem spolia sibi Beneficiorum quorumcumque attribuisse. Ægrè ibi tolerantur, quæ jamdiu in usu erant apud Regulares spolia, & optabile insinuatur, ut omnia successoribus reserventur. *Bona Beneficiariorum vacantium occupant, quæ essent futuris successoribus reservanda.* Joannis XXII. qui Clementem excepit, Extravagantes duæ, quarum altera ad spolium, altera ad Annatas pertinet, nusquam suspicionem movent spolii cujuscumque ab eo Pontifice, vel à Majoribus ejus expetiti. Earum altera cogit eos, qui in vacantis Ecclesiæ

fru-

fructibus annalia habent, ut Beneficiario residuos faciant fructus, qui ad ejus & Ecclesiæ cultum fuerint necessarii: altera Annatas quasdam Papæ reservat: neutra de jure Pontificio spoliorum agit. *In Clem. L.5. Tit.6. c.1. Extrav. Joan.XXII. Tit.1. c.1. Extrav. Commun.l.3. Tit.3. c.11.*

V. Ejus certissimè spoliorum Pontificii juris primordia conferenda sunt in teterrimum illud inter Urbanum VI. & Clementem VII. schisma. Clemens enim VII. qui Avenione sedebat, exors omnino patrimonii Romanæ Ecclesiæ in Italia, quo utcumque triginta sex Cardinales suos sustentare posset, cœpit reservare sibi pinguia quæque Beneficia, & spolia tum Episcoporum, tum Abbatum & Beneficiariorum morientium. Audi magnum Franciæ Chronicum, sive Sandionysianum in vita Caroli VI. ad annum 1381. *Quod exarsit Urbanum inter & Clementem schisma, gravissima Ecclesiæ & Galliæ ergo dispendia importavit. Erant Clementi Cardinales triginta sex, &c. Exactiones fiebant tum vacantium Ecclesiarum, tum decimarum, hæredes Clericorum vehementer infestabantur, eorumque bona ad Pontificem spectare debere jactabatur, connivente ad hæc omnia Andium Duce, Regni Rectore, quem & prædæ consortem suspicabantur. Histoire deCharl.VI. par Jean Jude Ursins p.51. Preuves des Libert. de l'Eg. Gal. c.22. n.6.*

In schisma ergo Avenionense, ad impubertatem Caroli VI. Regis, in cupiditatem Principis Regentis conjicienda est causa hujus novitatis, in Gallias tum primùm illapsæ. Cum Sedi enim Avenionensi, & sedentibus in ea Pontificibus propiores essent Galliæ, in his maximè invalescere tum cœperunt ea spolia. Sandionysianus Monachus, à quo perscripta est luculentissimè historia ejusdem Regis Caroli VI. Curiam Urbani VI. & Clementis VII. ita describit, ut quanta illic in veneratione essent leges sacræ, & libertates Ecclesiarum, tanto hic fastidio & contemptui haberentur. De spoliis porro sic ille agit, latino quidem sermone, sed hactenus inedito; unde & nos hic nostris verbis cogimur Gallicanam vertere rursus versionem. *Si quis Episcoporum fato suo fungebatur, volitabant ubique Collectores & Subcollectores Apostolicæ Cameræ, ut asportarent, quicquid ab illis acquisitum esset mobilium, quamvis ea satis probabiliter heredibus permittenda fuissent, vel certè Executoribus testamentariis; ac ne fiebant quidem ea in reparationes maximè necessarias expendi. Temporalia quoque Cœnobiorum post mortem Abbatum invadebant. Qui succedebant, Monachos ex tantillis reliquiis sustentare non poterant, cogebanturque vili pretio vel distrahere, vel oppignerare Sacram Ecclesiarum supellectilem, ut mendicitatis angustias declinarent. L.1. c.11.* Exarsit laudatissimo & usitatissimo suo zelo Universitas Parisiensis: at Regentis jussu, mox contruso in carcerem, qui primus ad vindictam Ecclesiasticæ libertatis eruperat, consensit illa tandem necessitati, & *Clementi pollicita est se obsecuturam.*

VI. At quarto quintove post anno, Rex Carolus confirmata jam ætate & experientia rerum auctior, atque animi fortitudine, adversùs hujusmodi spolia Edictum promulgavit, constanterque executioni mandari pervicit. Conqueritur autem ipse primùm, quòd eum Regni sui jure & consuetudine Episcopi testari possint, cumque hæredes eorum à Regio Judice compellantur ad intermissas reparationes præstandas; interveniant passim & obstrepant Collectores Papæ, qui mobilia & immobilia capiunt defunctorum Episcoporum, illa etiam, quæ industriæ vi & ingenio parta fuerant, quæ tamen indubium est ad hæredes pertinere. Quæ autem mala ex his spoliis in Ecclesiis pullulascant, ita edisserit Regium Edictum. 1. Quòd collabantur ædes & fundi Ecclesiarum, cessante reparationum cura. 2. Quòd æri alieno Episcoporum hinc demigrantium non fiat satis. 3. Quòd cognati & hæredes Episcoporum ad egestatem deducantur, bonis etiam industria partis frustrati. 4. Quòd ita extenuati jam stipendia facere in exercitu Regio non possint. 5. Jus ipsum Regaliæ, quo Rex utitur in vacantes Episcopatus, in nihilum redigitur, quòd eo olim etiam spolium contineretur. Et hæc quidem de Episcopalibus Ecclesiis. Jam de Monasteriis non dispares querelæ. 1. Quòd Abbatum post mortem mobilia & immobilia capiat Pontifex, cum Abbatibus nihil possit esse proprium. 2. Hinc fieri, ut Abbates novi nec dignitatis quidem suæ onera sustinere possint, ac ne in Pontificem quidem officio fungi. 3. Quòd alendis Monachis suis jam pares non sint. 4. Nec sartis tectis accurandis. 5. Quòd ad has inevitabiles expensas cogantur vasa quandoque ipsa sacra distrahere.

Sed aures jam admovendæ sunt ipsi Edicto Regio anni 1385. *Nunc cum Episcopum in regno nostro ab hac luce migrare contingit, Collectores & Subcollectores summi Pontificis in Provinciis, quibus subsunt hujusmodi Episcopi, ipsius summi Pontificis authoritate bona mobilia & immobilia ex decessu talium Episcoporum relicta, etiam illa, quæ per suam industriam quæsierunt, quæ amplius ipsorum Episcoporum non sunt, neque censentur, sed ad suos heredes, aut eorum executores spectant, capiunt & nihil de his in reparatione seu refectione ædificiorum & aliorum hereditariorum dictorum locorum Episcopalium eo casu convertentes; nulla etiam solutione aut satisfactione dictorum Episcoporum creditoribus facta per collectores aut Subcollectores: Prædicta bona heredibus Episcoporum sic decedentium, qui ditiores inde nobis honestius in guerris nostris & alibi juxta status eorum servire possent & deberent; totaliter amovendo, ac ipsos contra jus & consuetudinem exheredando, in juris nostri, Regaliæque post obitum Episcoporum, nobis in eisdem Ecclesiis competentis, ac totius Reipublicæ præjudicium non modicum & gravamen. Preuves des Liber. Gal. c.22. n.8.* Hactenus de Episcopatibus, quorum spolia Pontifex sibi arrogabat. Jam de Cœnobiis idem edictum ita affirmat: *Et non solùm bona prædicta Episcoporum capiunt, sed etiam Monasteriorum, postquam Abbates viam universæ carnis sunt ingressi; licèt dicti Abbates non habeant, nec habere possint proprium. Ex quo sequitur, quod Abbates successores sic denudati bonis, servitium quod dicto summo Pontifici solvere necesse est, exhibere nequeant; nec valeant sibi & suis Monachis victualia, & cætera necessaria ministrare, unde divinum officium deseritur, officiaque ruinosa & cætera hereditagia remanent inculta, &c.* Ei Edicto accessere Patentes literæ Regiæ anno 1386. & anno rursus 1394. quo factum est, ut in Galliis spolia prorsus conticescerent.

VII. Nascebantur enimvero pleraque hæc mala ex spoliis. At vicissim reponi poterat nomine Pontificis, 1. Nec injucundam, nec indecoram Gallis esse Sedis Pontificiæ commorationem Avenione diuturniorem; non alia autem ratione expediri commodiùs posse ejus ministrorum sustentationem. 2. Ab annis jam ducentis, trecentisque Abbates spolia accepisse innumerabilium Prioratuum, Episcopos & Prælatos inferiores longè plurimorum Beneficiorum: nec ab his deterrius unquam fuisse contemplatione ejusdem generis malorum peræquè inevitabilium. 3. Si jura modum & finem certum posuissent his omnibus spoliis, ut dimitteretur justa portio & idonea alendis Beneficiariis Ecclesiis & domibus reparandis, posse & poni spolius Apostolicæ Cameræ, non ipsa omnino spolia tolli. 4.

Si reges olim spolia capiebant Episcopatuum in Regalia vacantium; quin & Pontifex capere possit? 5. Si usus jam in Galliis invalesceret, ut cognati exciperent etiam Ecclesiasticas successiones, quod æquè civili ac canonico juri inimicum erat; aliquantò tolerabilius esse, ut spoliorum nomine successiones illæ devolverentur ad Abbates, vel Episcopos, si Beneficiarii essent minores: vel ad Pontificem, si Episcopi vel Abbates. His rationibus Gallia tum minùs acquievit, acquievere complures aliæ Christiani orbis Provinciæ, ubi spolia exinde convaluerunt.

VIII. Anno rursus 1406. *Ibid. n.9.* Rex idem Carolus VIII. aliud Edictum super eadem re promulgavit, ubi agnovit spolia Prælatorum successoribus servanda esse, in necessarios Ecclesiæ usus ut expenderentur, nisi in illis fortè locis, ubi usus & mos vigebat, ut Prælati & Beneficiarii omnes testari possent, & vel intestatis succederent cognati. Sed cum novus adhuc esset ille usus & paucis regionibus usurpatus, ut Laici in bona Ecclesiastica succederent Clericorum, Pontifices subinde suum in Galliis jus spoliorum recuperabant, ut testatur ibidem ipse Rex. *Potissimè bona Prælatorum & virorum Ecclesiasticorum decedentium, tam Regularium, quàm sæcularium, quæ spolia defunctorum interdum nuncupantur, reservando & usurpando.*

IX. Iniquo ferebant animo Episcopi, cæterique Beneficiarii sæculares, his Papalibus spoliis defraudari se jure testandi, quo pluribus jam volventibus sæculis gauderent. Nam quod ad spolia attinet, quæ Episcopi ipsi capiebant ex inferioribus Beneficiariis, vel intestatorum ea erant tantùm spolia, vel iis antè jure usi erant Episcopi, quàm minores Clerici jus testandi essent adepti. Simillimum saltem veri id quidem est. At Avenionensium istorum Pontificum tempore, Episcopis & Beneficiariis alii longissimo jam usu confirmata erat sua testandi facultas, quo iniquiùs videbatur eam auferri.

In quibus autem locis Pontificia spolia convaluerunt, satis appositè respondi poterat, si nunquam hi seu Prælati, seu Beneficiarii bona & reditus Ecclesiarum ad suos traduxissent cognatos: si suo jure testandi nunquam abusi fuissent, omnibus in Ecclesias & pauperes transfusis, qui unus fuerat scopus ejus facultatis illis concessæ: si non tam crebra testamenta scripsissent proximis suis propitia, ut succedere jam cœpissent cognati etiam intestatis: si denique non eum in locum rem deduxissent, ut quod ex hoc Edicto patet, idem esset testari, & testamento proximos ad successionem accersere: fore ut eo jure testandi nunquam exciderent. Scitissimè prorsus Baronius in Annalibus sacris eos objurgavit Prælatos & Beneficiarios, qui de jure Papalium spoliorum conqueruntur, cum in eorum potestate sit ea se necessitate absolvere, suis omnibus in pauperes, & per eos in æterna tabernacula transferendis, ut sui officii esse non nesciunt. Ita enim statuit summa pietate & doctrina Cardinalis: Executorem se & vindicem Canonum agere Pontificem Romanum, cum suos spolii Collectores ablegat, ut ne inulti sint Canonum violatores Clerici, qui avaritiæ servierunt. *Ad ejusmodi negotiatorum potius dicendorum, quàm Clericorum avaritiam compescendam, cum segniores essent Episcopi legis vindices, & ipsi interdum eodem morbo languerent; jure meritoque Romanus Antistes, ad vindicandas hujusmodi ex bonis Ecclesiæ partas hac malè congestas opes, per provincias consuevit mittere exactores, quos vocant Collatores. De quorum importuna exactione cum multi querantur, hoc facilè vitabunt, & prudenter arte deludent, qui bona Ecclesiæ, quæ supersunt, non congregarint, sed in pauperes erogarint. Habitantes enim in terra salsuginis, pauperes scilicet, clamorem non audient exactoris. Baron. an. 397. & n 94.*

Consentiunt hæc omnino præstantissimi viri pietati & eruditioni. Quanquam enim non eum sibi proposuerint scopum, qui primi hæc spolia instituere; id tamen voluit Ecclesia altius consulens, hunc illa fructum cepit inde maximum, ut avocarentur Beneficiarii à congerendis opibus, in quas proximi succederent. Poterant & Baronii ævo hujus Pontificii spoliorum juris vindices & executores, hoc jam potissimum stimulo excitari. Illud certè indubitatissimum est, cœlestis Numinis providentia non esse restitutum hoc spoliorum jus in Ecclesia Christi, cum tantopere exagitatum fuisset, nisi eo consilio & fructu, de quo nos Baronius admonuit.

X. Dixi jus istud sæpius concussum & labefactatum fuisse, & rursum postea tamen restitutum. Sub Carolo VI. sæpius sollicitatum, & quassatum, restauratum postea fuisse ostendimus. Anno 1409. in Concilio Pisano Alexander V. ei reservationi spolii Prælaturarum à Majoribus suis factæ, renunciavit. *Dominus noster notificavit omnibus per organum domini Archiepiscopi Pisani, quod non intendit amodo, ut antea reservare bona, seu spolia Prælatorum, & aliorum morientium Prælatorum. Sess. 22.* Vel ut in alia Editione habetur: *Compatiens statui Ecclesiarum & paupertati, plenè & liberè revocabat reservationes factas de spoliis defunctorum Prælatorum. Spicil. Tom. 6. pag. 337.* Ostensus est dumtaxat terris Alexander V. eoque præmatura morte abrepto revixere spolia. At Concilium Constantiense anno 1417. ita diffiniit, constituitque, conducibile fore à Pontificibus revocari reservationes factas spoliorum, cum tanto illæ detrimento essent Ecclesiis, Monasteriis, & cæteris Beneficiis. *Cum per Papam facta reservatio & exactio spoliorum decedentium Prælatorum aliorumque Clericorum, gravia Ecclesiis, Monasteriis & aliis Beneficiis, Ecclesiasticisque personis afferant detrimenta, præsenti declaramus edicto, rationi fore consentaneum, & reipublicæ accomodum tales per Papam reservationes, ac per Collectores exactiones seu perceptiones, de cæterò nullo modo fieri, seu attentari. Sess. 39.* Ei decreto, aut si mavis doctrinæ authoritatis plurimum accedebat à consessu tam numeroso Præsulum, & tamen cum mox in summum Pontificem electus fuisset Martinus V. revocavit ille quidem Annatas Sessione xls. hujus Concilii, spolia non revocavit. Ita ei juri locus semper fuit, non in Galliis quidem, quæ ab eo semper magnopere abhorruere, sed in plerisque aliis Regnis & Provinciis.

Antequam vota conferrentur in Eugenium IV. anno 1431. constrinxerunt se Cardinales juramento in certa quædam capita, quibus & futurum Pontificem obligatum voluere. In his illud erat, ut abdicaretur jus spolii Cardinalium, Prælatorum, & aliorum quorumcumque Beneficiariorum in urbe Romà morientium, eorum autem successio permitteretur Juri & Consuetudini, tributa testandi facultate, quæ multis jam in locis percrebuit; hinc exceptis Monachis solis, quibus propria voluntas non est, & quorum proinde spolium eorum erit, quibus illud vel consuetudo, vel jus, vel privilegium addicit. Assuenda sunt hic rursus hujus statuti verba: *Quod bona dominorum Cardinalium, Prælatorumque, nec non & aliorum Cortesanorum in Curia decedentium nullo modo occupabit, vel occupari patietur, sed permittet juxta juris dispositionem & consuetudinem, quæ in multis regnis & regionibus servantur, fieri executiones juxta voluntatem decedentium, relinquendo conscientiis eorum distributionem bonorum ad eos quomodolibet pertinentium, Religio-*

*ligiosis qui propriam voluntatem à se abdicarunt, tantummodo exceptis, quorum bona ad illum, vel illos devolvantur, ad quem, vel quos pertinent de consuetudine, jure, vel privilegio. Raynal. an.*1435. *n.*9. Nec verò hujus statuti exitus fuere auspicatiores, quam Concilii Constantiensis ad summovenda spolia. Quin jus illud potius in dies convalescere videbatur. Carolus enim VI. supra non intercedebat, nisi spoliis Episcoporum & Abbatum. Nec plura tunc sibi sumebat Clemens VII. Et quidem cum Episcopi & Abbates spolia colligerent inferiorum, videri poterant & ipsi eodem jure à Superiori suo posse constringi. At latiùs manasse & corroboratum fuisse jus illud, nec in solos Prælatos valuisse modò testabatur Concilium Constantiense. Nec enim minusculos omnes Beneficiarios Episcopi suo subjecerant juri spoliorum. Hos ergo forsan sibi subjiciebant Romani Presules, inopia compulsi. Verùm ex hoc Capite sive statuto Cardinalium ante Eugenii IV. electionem edicto, innui videtur in exigendis spoliis, venisse in mentem periculi, quod incurreretur congerendis Beneficiorum proventibus, & testamento illi aliter dispensandis, quàm leges Ecclesiastice juberent. Id non obscurè insinuant Cardinales, quando petunt relaxari spolia Cardinalibus, & Prelatis in Curia obeuntibus; ac de tota rerum suarum testamentaria distributione eorum conscientias onerari.

Ea Cardinalium petitio non complectebatur, nisi Cardinales, & Prelatos, qui in Curia extremum diem obirent. Ita nihilominus Collectores spoliis colligendis instabant alibi gentium, præterquam in Gallia. In Concilio Basileensi Annate revocate & abolite sunt, à spoliis tollendis abstentum est. *Sess.*21. Galli enim de eo minimum laborabant, immunes ipsi cum essent; porro in Concilio Basileensi plurimum omnium illi poterant. In Conclavi anni 1458. ubi creatus mox Pontifex fuit Pius II. caput illud idem jurandum propositum est, quod in Conclavi Eugenii IV. nisi quod hic Regulares etiam Cardinales eadem immunitate fruituri erant. E' Cardinalium Regularium numero fuit, qui ei privilegio renunciaret; non multò post enim cum vita abiret, sua omnia Pontifici dimisit, ne scriptis quidem ullis testamenti tabulis. Audiendus hic Gobelinus: *Cum rogaretur testamentum facere, Animam, inquit, meam Deo relinquo, Pro Pontifici corpus, & hæc quæ vocantur sæculi bona; ipsi familiæ curam sepulturæ meæ committo. Raynal. an.*1458. *n.*7. *Ibid. an.*1463. *n.*110.

XI. Pius II. spoliorum legem in Galliis innovare conatus est, cui vehementer statim restitum est Edicto Ludovici XI. Regis, anno 1463. ejus simillimo, quod Carolus VI. promulgaverat anno 1406. quod attinet ad usum Canonicum bonorum Ecclesiæ, & potestatem testandi Beneficiariis indultam. Hic verò commemoratur Pragmatica Beati Ludovici Regis, quo exactiones Curiæ Romanæ prohibebantur; commemorantur & Edicta alia Regum, quibus spoliorum sublatus est usus in Gallia. *Præcipuè bona Prælatorum & virorum Ecclesiasticorum decedentium, tam Regularium, quàm Saecularium, quæ spolia defunctorum interdum nuncupantur, nullatenus per Papam, aut suos Officiarios usurpari. Hist. Univ. Tom.*5. *p.*759. *Preuves. des Lib. de l' Eglise Gallic. c.*22. *n.*22. Anno 1564. literis patentibus prohibuit idem Ludovicus Rex, nequid pecuniæ Romam transmitteretur ad spolia Prælatorum, & aliorum Regni Beneficiariorum, intentata exilii & bonorum proscriptionis pœna.

Eodem anno 1464. Cardinales Conclavis, ubi electus est postea Paulus II. idem Statutum juramento firmandum proposuerunt: *Testamenta defunctorum Curialium libera sinere.* Quo constat electos semel Pontifices, hos nodos facillimè abrupisse. Nec secus res habuit in hoc postremo sub Paolo II. uti & in illo consimili statuto & juramento Cardinalium anno 1484. antequam Innocentius VIII. eligeretur. Vendicabat sibi Julius II. trecenta illa nummorum millia, quæ Cardinalis Ambrosius testamento suo legaverat. At authore Spondano in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 1513. *Negavit Rex Pontificias leges de privatorum bonis extra Pontificis ditiones valere.*

Pius IV. anno 1560. irrita pronunciavit testamenta omnia Prælatorum, & aliorum quorumvis Beneficiariorum, si de bonis ab Ecclesia prodeuntibus testarentur, etiam ut ea Xenodochiis legarent, nisi permittente Papa, cujus sont hæc spolia. *Bulla Magn. Tom.*2. *Bulla*.8. 59. 29. Alia quapiam Bulla idem Pontifex spolio contineri voluit bona ea, que Clerici sibi parassent negotio, vel quovis alio illicito questu. Exemptos voluit Equites Hospitalarios, quorum spolia Ordini reliquit. Anno 1567. eodem privilegio pius V. *Bulla*.46. Cisterciensem Ordinem donavit, diffiniitque eorum spolia, non ad Abbates Commendatarios, non ad Cameram Apostolicam, sed ad Ordinem devolvi. Equites Sancti Jacobi, Alcantaræ & Calatravæ in Hispania jam olim testandi licentiam adepti fuerant. Licentias eas omnes Pius V. resciderat, *Bulla*.30., quas mox Gregorius XIII. redintegravit, anno 1575. interpellatus ab Hispaniæ Rege. Pius idem V. juris spoliorum immunes esse voluit Beneficiarios omnes, quorum vel reditus, vel pensiones aurĕ ducatos triginta non superarent; dummodo nequid illiciti negotii & quæstûs attigissent. *Fagnan. in L.*3. *Decret. Part.*2. *p.*401. Hæc de spoliis, quibus Romani Pontifices jamdiu utuntur compluribus in aliis Regnis, extra Gallias, quæ pristinæ suæ libertatis & consuetudinis retinentiores fuere; Nemo jure culpaverit, vel Provincias cæteras, quæ sublevandis oneribus Apostolicæ Sedis caducas has successiones addici non illubentes consenserunt; ne ipsi quidem Gallie convitiari fas est, quæ priscos suos usus constantius retinet, & ubi laici ad quos he successiones perveniunt, his bonis ut Deo sacris, ut Ecclesiæ, ut patrimonio pauperum dedicatis uti & possunt, & debent.

XII. A' spoliis ad Annatas stylum flectemus, si priùs aliquid attigerimus de *Procurationibus* tis, quas iidem Collectores Clementis VII. Avenione Pontificatum suum explicantis, emungere cœperunt; quanquam eas Concilia solis dicassent Episcopis & Prælatis inferioribus Ecclesias suæ ditionis visitantibus. Huic alteri reservationi intercessit Carolus idem VI. Franciæ Rex eodem Edicto suo anni 1406. impatientiùs ferens rem innovari, quæ & Episcopis regni sui, & populis oneri ac detrimento futura esset. *Licèt fuerit Decretis sanctorum Patrum institutum, ut Prælati Ecclesias sibi subditas annis singulis visitare deberent, quatenus sic docerent indoctos, corrigerent excessus, mores reformarent, Ecclesias restaurarent, & cætera Prælatis incumbentia ad Dei honorem exercerent, ac per hoc procurationes in victualibus, aut pecunia reciperent ad optionem visitanti. Nihilominus tamen aliqui Collectores & alii Officiarii Romanorum Pontificum præsertim Papæ moderni ab aliquibus annis citra Ecclesiam & viros Ecclesiasticos Regni & Delphinatus, jugibus & importabilibus servitutibus presserunt, &c. Procurationes, quæ Prelatis, & aliis ratione facta visitationis tantummodo debentur, capiendo & levando in pecunia numerata, licèt visitationis officio non impenso; Ab illis autem, qui ad procurationem nullatenus tenebantur, tantundem exigendo. Preuves de Libert. Gal. c.*22. *n.*9. Fateri cogimur ejusmodi procurationes alienissimas à jure, & importunissimas tunc fuisse, tum quòd visitationibus Episcopalibus obstreperent, tum quòd pecunia extunderetur, cum populis in-

tegrum esset alimenta solùm suppeditare. Non ægrè ergo Alexaoder V. io Concilio Pisano, *Sess.*20., adductus est aono 1409. ut quidquid id erat novi usus abjiceret. Id prætexebator., ut reor propudiosis exactionibus, quod non satis religiosè visitandi munere fungerentur Episcopi. cæterique Prælati; quòdque labotantis Curiæ Pontificiæ necessitatibus utcumque opitulandum esset. At negligeotiæ Pastorum labes sarciri poterant iis rationibus, quæ gregi non officerent; à quo subiniquum erat meti temporalia per eos, qui nil spiritale inseminasseot. Anno denique 1417 rursus in Concilio Constantiensi proscriptæ sunt, *Sess.*39., eæ procurationes, de quibus deinceps altum silentium, eoque auguramur verè jam tum eas exolevisse.

XIII. Anno 1567. Pius V. Bulla sua, *Romani Pontificis providentia*, declaravit nec Prælatos, nec alios Beneficiarios testamento suo, si copiam impetrassent testandi, posse legare; nec Collectores Cameræ Apostolicæ prætextu spolii posse capere sacras vestes, sacra vasa & libros Ecclesiæ, vel Capellæ; nec posse à Collectoribus occupari minuscula mobilia Presbyterorum, & aliorum Clericorum, etiamsi ex bonis Ecclesiæ coempta essent, denique quibus Beneficiariis non essent saltem triginta Ducatorum auri reditus, eos spoliorum juri non subesse. Quibus vacabit hanc Bullam perlegere, ii facilè complurima odorabuntur Ecclesiasticæ antiquitatis vestigia; potestatem testandi de bonis Ecclesiæ Precariam esse, & singulari indulgentia concessam; concessam fuisse, ut piis locis, non ut cognatis aliqua legarentur; invectum esse spolii jus, ut obviam iretur Clericorum testamentis præposteris, quibus bona Ecclesiæ ab Ecclesia abalienabantur; & vestimenta, & vasa sacra Ecclesiarum multò minùs etiam abalienari potuisse; denique ubi Beneficiorum reditus exiles & permodici erant, non esse morosius de eorum superfluis reliquiis litigandum.

De Annatis.

CAPUT LVIII. *P.4. l.4. c.35.*

De Annatis, earum origo, & progressio usque ad Concilium Constantiense.

I. Ab Episcopis & Abbatibus longo ante tempore, quàm à Romanis Pontificibus Annatæ exigebantur.

II. Pleno jure eas Abbates exigebant, quod Beneficia iis obnoxia, meta essent obedientia. Episcopi Rescripta Apostolica elicuere, ut eo jure uterentur.

III. Anno 1300. cætera Ecclesia plures exigebant annatas antiqua etiam consuetudine, cum necdum ullas Romana exigeret.

IV. Sub Clemente V. & tempore Concilii Viennensis necdum Pontifex Annatas capiebat ullas.

V. Cœpit Joannes XXII. aliquas exigere., sed ab hodiernis longè diversissimas. Harum & hodiernarum discrimina.

VI. Flagrante schismate Avenionensi cœpit Bonifacius IX. Annatas exigere ab Episcopis & Abbatibus, quos ipse nominabat. Probatur.

VII. Probatur à simonia puras & alienissimas fuisse has Annatas. Doctrina Petri Cantoris.

VIII. IX. Doctrina Joannis Gersonii & Petri Alliacensis de Annatis.

X. Quàm vetustæ essent Annatæ, quæ Ecclesiæ Gallicanæ, alia aliis pendebant.

XI. An dici possit Annatas initio oblationes fuisse spontaneas.

XII. Argumentis novis efficitur Bonifacii demum IX. ætate invectas Annatas.

XIII. De parvis Annatis in minora Beneficia, quas Pontifex priùs exigebat.

XIV. De iisdem parvis Annatis.

XV. Tria triplici tempore Annatarum genera, abstersa ab iis omnibus simoniæ suspicio.

XVI. Respondetur objectioni.

I. NOstram hanc de Annatis dissertationem indidem ordiemur, unde priorem de Spoliis; ejusmodi usum perdiu antè invaluisse in Cœnobiis, atque in Ecclesiis Cathedralibus & Collegialibus, quàm eas vel summis digitis attingerent Pontifices Romani. Memoria obiter & summatim recoleoda sunt, quæ dicta sunt suprà de Deportibus, ut jam ambigere nemo prorsus possit, quin Prælati Regulares & sæculares, & Episcopi ipsi fructus primi anni acceperint Beneficiorum vacantium suæ ditionis, aliquandiu antè, quàm summi Pontifices idem sibi juris adrogarent. Cum essent enim Abbates, Episcopi & Archidiaconi Custodes & Administratores Prioratuum, Parochiarum, & aliorum Beneficiorum suæ ditionis vacantium, difficillimum erat, ut non eorum spolia & fructus temporis, quo vacabant, ipsi sibi sumerent, vel omnino, vel ex parte, tum jure suo, tum ob impensam operam, tum denique ad necessarias expensas; tum maximè cum diu illa vacare sinebantur, vel Patronorum inertia, vel eorum inter se litibus, vel litigiis Beneficiariorum ipsorum, vel quibuscumque demum caussis aliis. Tunc enimvero minuscula hæc Beneficia videbantur rursum coaluisse cum stipite, à quo divulsa fuerant; Ecclesia autem matrix veluti fons erat, in quem rivuli, qui ab eo effluxerant, confluebant. Non ita verò res habebat in Ecclesia Romana. Nec enim illa in sinum suum & in custodiam excipiebat omnes Ecclesias viduatas, sive Regulares, sive sæculares, nec earum tunc temporalem substantiam administrabat. Temporalis hæc particularium Ecclesiarum substantia nunquam ab Ecclesia Romana divulsa fuerat. Ita non poterat tanta ejus esse vel Spoliorum, vel Annatarum antiquitas, quanta Abbatum, Episcoporum, & Archidiaconorum.

II. Principem locum do Abbatibus, quòd cum Prioratus eorum juris obedientiæ sint eis ad nutum obnoxiæ, majoris in eos imperii vim illi exercebant, etiam in temporalibus, quàm vel Episcopi, vel Archidiaconi in Parochias, quæ io Obedientiarum utique classem conjici non poterant, cum ad nutum Episcoporum revocabiles non fuerint Parochi. Quin & illud à nobis adnotatom est in Dissertatione de Deportibus, Rescriptis se Pontificiis muniri gestiisse Episcopos, ut Annatas Beneficiorum suæ Diœceseos exigerent, atque ita æs alienum expungerent, quo gravabantur. Episcopo Tullensi ab Honorio III. concessum est, ut per biennium reditus omnes acciperet vacantium suæ Diœceseos Beneficiorum. Canonici & Dignitates hinc se immunes esse jactabant, rescripsit Pontifex immunes non esse. *Fructus Beneficiorum, quæ in tua Diœcesi vacare contigerit, tibi liceat biennio retinere. Extra. De verbo. signif. c.32.*

Ad annum 1246. docuit nos Matthæus Paris Archiepiscopum Cantuariensem à Pontifice impetrasse Annatas unius anni Beneficiorum suæ Provinciæ. *Fructus unius anni Beneficiorum, quæ in tua Diœcesi vacare contigerit, tibi liceat biennio retinere.* Gregorius X. Episcopo Leodiensi annuit vigesimam unam in omnia Beneficia suæ Diœceseos. Cum

enim

enim Concilia Lateranensia III. & IV. & Pontifices Alexander III. & Innocentius III. Prælatis interdixissent oovis omoibus exactionibus, Episcopi, quos hìc memoravimus, Rescriptis se tueri Apostolicis voluere ad exigendas Annatas.

III. Concessa est aliquaodo à Bonifacio VIII. licentia, Annatarum in quinquenoium ex Beneficiis vacantibus exprimeodarum, quò debita Prælatorum exolvi possent. *Propter sua debita persolvenda fructus Beneficiorum primi anni usque ad quinquennium in speciali gratia concedimus.* Sed illa ab eo memorabilis adjecta est clausula, ut eorum jam Annatæ Beneficiorum addictæ non fuissent, vel fabricæ, vel cuicumque demum necessitati Ecclesiarum, vel personarum, sive consuetudine, sive statutn, sive privilegio. *In Sexto. L.1. Tit.3. c.10.* Erant ergo jam ante annum millesimum trecentesimum Annatæ usitatissimæ in Beneficiis vacantibus exigendæ, & adjndieatę vel Pręlatis, vel fabticis, & quibuscumque necessitatibus Ecclesiarum, sive statuto, sive privilegio, sive consuetudine. Nec tamen ullas tunc Annatas exigebant adhuc Romani Pontifices; ut liquet ex Decretalibus ipsius Bonifacii VIII. ubi pronuntiat proventus vacantium Ecclesiarum successoribus reservandos esse, vel Ecclesiæ & agrorum ejus necessitatibus impendendos. *Vacationis tempore obvenientia bona, quæ in Beneficiorum utilitatem expendi, vel futuris debeat successoribus reservari; In Sexto. L.1. tit.16. c.39.*, nisi iis in locis, ubi eos consuetudo, statutum, aut privilegium Episcopis, vel aliis Prælatis adscripsit.

Si ad superiora retro sæcula animo assurgimus & ad ipsos hujus disciplinæ fontes, occurrent nobis Episcopi, summa authoritate, & administratione temporalium Ecclesiæ rerum omnium diutissimè potiti, non solùm ante hujus rei temporalis partitionem in plura Beneficia, sed etiam postea. Diu enim integrum illis fuit sibi retinere Beneficia suę collationis, & eorum fructus seponere ad aliquas sacri ministerii sui oecessitates. Quin & post etiam, quàm eos Concilium Lateranense III. anni 1179. adegit semestri spatio Beneficia conferre, in eorum adhuc potestate fuit retinere fructus vacantium Beneficiorum, & eos adjudicare usibus necessariis suæ Ecclesiæ, sive per illos sex menses à Lateranensi concessos Concilio, sive iis etiam elapsis collato dumtaxat titulo Beneficii, & segregatis sibi fructibus ad breve aliquod tempus, ad opus quodlibet pium. Ita usus ferebat adhuc tempore B. Raimundi de Pennaforti, à quo consarcinata est prima compilatio Decretalium Gregorii IX. Accipe ipsa sanctissimi viri verba, & eruditissimi Canonum interpretis. *Summa l.1. Tit.1. n.24. Quid de Episcopis & aliis Prælatis, qui fructus Ecclesiarum vel aliorum spiritualium Beneficiorum vacantium percipiunt per aliquot annos, & postea conferunt retentis sibi fructibus & reditibus sic perceptis, vel retenta sibi parte fructuum? Ad hoc distinguo cum Innocentio, utrum qui dat spirituale Beneficium, proventus ipsius ante donationem percipiat, aut non. Nam si proventus ante donationem non percepit ipse, sed alius, & ex donatione consequitur, quod ipse proventus percipiat, non est dubium intercedere simoniacam pravitatem; si autem ante donationem percepit ipse proventus, credimus esse distinguendum, utrùm ante donationem constituat, ut ipsi proventus, retineatur ad tempus pro causa justa & necessaria; aut conveniat cum eo, qui accepit Beneficium, sive mediatore quocumque, ut officio illo concesso, retineat ipse sibi proventus. Primum enim membrum credimus esse licitum; secundum autem dicimus non licere; ne viam aperiamus iis, qui pravitatem suam satagunt palliare.* Ita ergo statuebat vir Canonum & novi juris consultissimus, etsi non posset Episcopus in conferendo Beneficio, vel eo collato pacisci, ut fructus ejus ad tempus sibi retineret: potuisse tamen antequam illud conferret, proventus ejus sibi reservare *ad tempus pro justa causa & necessaria.* De eo prolixiùs agemus alio loco, ubi demonstrabimus inde manasse illud novorum Canonistarum placitum, ajentium *Beneficium esse in fructu.* Quòd cum res temporalis Beneficiorum decerpta ac detruncata fuisset ex mensa communi, quæ erat in potestate Episcoporum; in eandem illa resorbebatur vacante Beneficio; & ante Concilium Lateranense III. persæpè ab Episcopis retinebatur ad tempus, quin & aliquandiu post ejus Concilii tempora non parvam ejus potestatis partem Episcopi retinuere, teste hic idoneo Raimundo.

IV. Ne sub Clemente quidem V. ulla usquam Annatarum Pontificiarum vestigia, qui post Bonifacium VIII. statim ferè ad puppim Ecclesiæ sedere cœpit. In Concilio Viennensi verbum de illis factum est nullum. In Clementinis de Annatis attingitur aliquid iis, quas Abbates capiebant, nihil præterea. *L.1. Tit.6. c.1.* Referunt quidem Matthæus Westmonasteriensis & Thomas Valsinghamus anno 1305. Clementem V. Annatas Beneficiorum ad duos tresve annos sibi vendicasse, fatigatum crebrioribus Episcoporum precibus eas sibi deposcentium, & ipsum quoque earum aliquando delibandarum cupientem. *Ipse verò Papa videns insatiabilem quorumdam Episcoporum Angliæ avaritiam, importunè postulantium primas vacantes Ecclesias per annum in suis Diœcesibus sibi concedi, advertensque quia quod postulat inferior, potest & superior; appropriavit sibi ipsi per biennium omnes proventus de primo vacantibus in Anglia; videlicet de primo anno primos fructus, tam de Episcopatibus, Abbatiis, Prioratibus, Prebendis, Rectoriis & Vicariis, quàm de cæteris minutis Beneficiis. Vvestmona. p.457. Valsing. in hypod. Neustria. p.96. 97.* At eæ exactiones ultra duos annos ex Matthæo Westmonasteriensi, ultra tres ex Valsinghamo non sunt progressæ, nec ultra fines Angliæ effusæ sunt, ad comprimendam tantùm Episcoporum aviditatem spectavere, oec deinceps usquam usurpatæ sunt.

Jussus à Clemente V. Durandus Mimatensis Episcopus, opusculum tunc lucubravit, ediditque longè pulcherrimum, quo veluti præluceret Episcopis omnibus Concilii Viennensis, ostenderetqua quibus disciplinæ maculis eluendis, quibus expurgandis corruptelis incumbendum esset. Liberis inscribitur. *De modo Concilii Generalis celebrandi.* Magni vir animi, qua par est fiducia de Curia Romana disserit. Graviter expostulat, quòd exigatur aliquid ab Episcopis, qui ibi ordinantur. Is verò tempestivus cum primis locus erat de Annatis agendi. Atqui de eo literam fasit nullam. En ipsius verba. *Part.2. Tit.20. Cum illa decreta in quibus agitur de simonia, in novo & vetri Testamento, in Conciliis à Sanctis Patribus & Romanis Pontificibus damnata, non serventur; & maximè in Curia Romana, in qua etiam Cœtus dominorum Cardinalium vult habere cum domino Papa certam portionem à Prælatis, qui promoventur ibidem; videretur super hoc maximè providendum. Nam hæc hæresis maximè corrumpit Ecclesiam universalem.*

Qui ei loco insidiati suot, ut inde primordia quædam Annatarum exprimerent, ii vehementer allucinati sunt. 1. Nec eoim ait Durandus acceptos esse fructus primi anni, sed tantùm acceptum esse aliquid. 2. Non ait ei exactioni obnoxios fuisse Episcopos omnes & Abbates, sed eos dumtaxat Prælatos, qui Romæ ordinabantur. 3. Clementis V. tempore Abbates omnes ab Episcopis, Episcopi à Metropolitanis suis, & confirmabantur, & ordinabantur, paucissimis exceptis, qui Romæ ordinabantur. Ei ergo non suberant exactioni, nisi paucissimi, cum Annatæ omnes prorsus Episcopos

&

& Abbates complectantur. 4. Qui potuisset Durandus simoniæ maculam affricare Pontificiæ exactioni fructuum primi anni, nec eandem inurere notam tot exactionibus aliis, quas superioribus Capitibus perstrinximus, maximè ubi de Deportibus actum est, & quæ in Collegialibus ac Cathedralibus Ecclesiis, maximè verò in Cœnobiis pervagatissimæ erant? 5. Planum est simoniacam exactionem de qua queritur Durandus, illam ipsam esse, quæ tam frequens olim fuerat, cujus & tam frequens fuerat in Conciliis, & in Pontificum Decretis proscriptio, ubi ordinationes gratuitæ præcipiebantur, gravissimis aliàs pœnis imminentibus. Si eam placeat esse Annatarum originem, erunt illę haud dubio antiquissimę, sed non in Romana magis, quàm in aliis Ecclesiis usurpatę, in quas & ipsa creberrima subinde irrepsit simonia. Antoninus Archiepiscopus Ephesinus, quem sede exturbavit Chrysostomus, Episcopales Ecclesias distrahebat pro modo redituum annuorum, ita referente Palladio in vita Chrysostomi. Nec tamen eę verè Annatę erant. *Pro lege ac decreto habet, ordinationes Episcoporum vendere, pro modo redituum.*

Nolui hic verba facere de Annatis in omnia Beneficia, & de plurium quandoque annorum Annatis, quas Bonifacius VIII. Joannes XXII. & alii si fors Pontifices concessere, vel Galliarum Regibus, vel aliis quibuscumque Principibus. Consule Continuatorem Nangii de iis agentem. Non eę sunt istæ Annatę, quibus de hic disputamus, quanquam ei Scriptori persuasum fuerit, per eas facilè adductos esse Reges, ut Annatis Romanis, cujusmodi nunc sunt, assentirentur.

V. Joannem ergo XXII. constat ejus facti ducem & principem fuisse, ut Annatas exigeret, sed initio nec ubique vigebat ea lex, nec perpetua servitus indicebatur. Anno 1317. exegit ille fructus primi anni Beneficiorum in Anglia, Hibernia, Vallia vacantium, ad levationem onerum gravissimorum, quibus Ecclesia Romana deprimebatur. *Rainald. an.1317. n.49.* Anno 1319. publicata est ab eo Decretalis, *Cum nonnulla, Extrav. Comm. l.3. Tit.5. c.11.*, qua significabat, se reservatis ad urgentissimas Ecclesiæ Romanæ necessitates fructibus Beneficiorum toto Christiano orbe vacantium tribus proximis annis ea lege complexum esse Præbendas & dignitates Capitulorum, conceptis verbis Episcopatûs & Abbatias excepisse. *Præsertim cum Archiepiscopales & Episcopales Ecclesiæ, ac Regulares Abbatiæ ab hujusmodi solutione fructuum dictis literis eximantur. Spicil. Tom.2. pag.598. 614. 650. 667. 721. 750.* Unde certissimè id exprimitur ante hunc Joannem nullam usquam manasse legem exigendarum Annatarum. 1. Quid enim causę fuisset, quamobrem Joannes Episcopatus & Abbatias exciperet, si ea jam lex Prælaturis indicta fuisset? 2. Si mos jam is valuisset, quin potius lege sua eum confirmasset, ut eodem Edicto Prælaturæ continerentur. 3. Ea ergo fuit ad triennium facta reservatio fructuum minusculorum Beneficiorum; quod totum contra est in nostratibus Annatis, quæ Pręlaturas tantùm, & quidem in perpetuum complectuntur. 4. Et ea tamen verè Annatarum fuere rudimenta, quarum incrementis Prælaturæ ipsæ constrictæ fuere, exclusis etiam prioribus triennii limitibus, ut familiare est exactionibus omnibus pedetentim gliscere & ingravescere. Utcumque sit, mera hæc est reservatio fructuum annuorum in vacantibus Beneficiis, ad levanda Ecclesiæ Romanæ opera. *Quos fructus ad triennium pro necessitatibus Ecclesiæ Romanæ duximus reservandos.*

Itaque hæc exactio nihil omnino pertinet ad electionem, vel confirmationem, vel ordinationem & promotionem Beneficiariorum, sed ad graves tantùm Romanæ Curiæ & Ecclesiæ necessitates. Quod totum alienissimum est à simoniæ suspicionibus. 5. Anno 1322. habitum est in Hispania Concilium Palentinum Præside Vvillelmo Cardinali Episcopo Sabinensi, Legato Joannis XXII. Atqui non alias ullum Concilium adversùs simoniam magis exarsit, & adversùs Prælatos, qui fructus primi anni Beneficiorum suæ Collationis, vel omnino, vel ex parte sibi servatos volebant. *Gratia si non gratis datur & recipitur, gratia non est. Nonnulli verò Prælatorum, ut accepimus, cum Beneficia conferunt, occasione collationis factæ fructus eorundem Beneficiorum, aut aliquam ipsorum partem, seu summam aliquam pecuniæ exigere ac retinere præsumunt. Cum igitur corruptelam hujusmodi sacri Canones detestentur, jubemus, ne Episcopi, vel quivis alius, &c. Can.19.* Canonis hujus minus observati pœna ea definitur, ut semestri spatio suspendatur quis à Collatione Beneficiorum. Non usque adeo sævisset Legatus Pontificius in exactiones Annatarum, si vel Pontifex ipse eas exigere solitus fuisset, si eum usum lata lege confirmasset. 6. Denique coævus author nullus eorum, qui scriptis mandavere vitam Joannis XXII. Annatarum institutionem illi affinxit, quanquam fuerint in iis, qui eum infinitę cujusdam pecuniarum cupiditatis, & coacervationis insimularint.

VI. Verissimè ergo inter ipsa schismatis Avenionensis incendia, Bonifacius IX. qui Romæ tum sedebat, servare sibi cœpit dimidiam Annatam Beneficiorum omnium suæ Collationis. Ita fatetur Rainaldus ad annum 1392. *num.1.* cum non alia suppetere ratio Pontifici videretur, unde colligendæ pecuniæ incredibiles ad expensas Ecclesiæ; in quam bellorum undique tempestates ingruebant. *Ingravescentibusque rei pecuniariæ difficultatibus, ob continuos armorum fragores sanxit, ut redigendorum ex omnibus sacerdotiis, quæ à sede Apostolica conferrentur, vectigalium, quæ primo haberet anno obvenirent, dimidia pars in fiscum Pontificium inferretur.* Refertur à doctissimo hoc Annalium Conditore ad annum 1399. locus Theodori Niemensis, quo testatum sit eo anno Pontificem hunc sibi reservasse Annatas Episcopatuum & Abbatiarum: & quanquam obumbratæ simoniæ infamiam ille huic exactioni aspergat, vel ipse tamen ea suppeditabit lumina & argumenta, quibus ea criminatio diluatur. Audi Theodori hujus Niemensis verba ipsa, sub Bonifacii ipsius IX. Pontificatu vitam agentis. *Num.11. Circa decimum annum sui regiminis, ut cautius ageret in hac parte, palliaretque simoniam, quam exercuit, quodam necessitatis colore, primos fructus unius anni omnium Ecclesiarum Cathedralium & Abbatiarum vacantium suæ Cameræ reservavit: ita quod quicumque ex tunc in Archiepiscopum, vel Episcopum, aut Abbatem, per eum promoveri voluit, ante omnia cogebatur solvere primos fructus Ecclesię, vel Monasterii, cui præfici voluit.* Idem perhibet Platina, qui & addit Anglos Episcopatuum Annatas exolvisse, respuisse Cœnobiorum. *Annatarum usum Ecclesiasticis Beneficiis imposuit. Hanc autem consuetudinem, omnes admisere prętor Anglos, qui de solis Episcopatibus concessere, in cęteris Beneficiis non adeo.* Illud quoque adjicit, dimidium annui proventus tantummodo ad has annatas flagitatum fuisse. *Annatarum usum Beneficiis Ecclesiasticis primus imposuit, hac conditione, ut qui Beneficium consequeretur, dimidium annui proventus fisco Apostolico persolveret.* Dimidia pars altera proventuum Beneficiario permittebatur ad suas & Ecclesiæ suæ necessitates. Eandem nimirum legem Pontifices Romani præscripserant deportibus, quos jamdiu Episcopi, Abbates, & Prælati alii inferiores exigebant ex Beneficiis suæ ditionis.

VII. Idque primum observandum venit ad refel-

fellendum Theodori Niemensis opinationem & simoniæ criminationem fœdissimam. 1. Puras & exortes ejus infamiæ oon dubitasset ille & esse, & jamdiu fuisse Annatas, si compertum ei fuisset maximam partem Cœnobiorum orbis Abbates eo jure usos esse in Prioratus & alia Beneficia sibi obsequentia. Episcopos item, & Archidiaconos, Prælatosque alios inferiores, aonatas exprimere ex Parochiis compluribus, aliisque Beoeficiis, more ante aliquot sæcula firmato: eaque jura approbari, vel tolerari conceptis verbis, in Coocilis & Decretalibus iis, quibus universa assentiretur Ecclesia, paucissimis cautionibus adhibitis. 2. Abjecisset Theodorus ineptas suspicationes suas, si advertisset consuetudine & præscriptione ea Annatarum jura tributa jam esse Prælatis compluribus, tum sæcularibus, tum regularibus, & eam consuetudinem ita præscriptam, & confirmatam fuisse textu ipso Juris Communis & receptissimi Decretalium. Quod passim alibi tamdiu innocuum fuit, non id ille in Ecclesia Romana simoniacum calumoiari potuisset. 3. Si universim bos dimidios fructus annuos spectasset ille à Pontifice reservatos ad urgentes Ecclesiæ necessitates: longè ille ablegasset suspicinoculas simoniæ omnes: Ecqui enim cæteræ Ecclesiæ jam olim potuerant ad fabricas Templorum, vel ad alios usus seponere annatas Beneficiorum. Ecqui potuerat hic usus statutis, consuetudine, privilegiis & præscriptione confirmari, denique iis Decretalibus, quæ veluti micantissimæ sunt Juris Canonici hodierni faces: nec potuerit Ecclesia Romana pari jure uti & consimilem facere fructuum reservationem, ad explicandas gravissimas temporum angustias & difficultates? An fabricæ & reparatioois templorum peculiarium majore suot momenta, quàm defensionis Romanę Ecclesiæ, in qua Priocipatus residet Apostolicæ Cathedræ?

Nec his adversatur Petrus Caotor, qui Annatarum reservationem in unum, & alterum, adeoque & in tertium annum, tum legitimam censet, cum non ab uno privatim fit Prælato, utilitati privatæ servieote, sed authoritate publica, & ad publicam Ecclesiæ otilitatem. *Eadem est objectio de Annalibas, Biennalibus, Triennalibus, & bujusmodi, qua omnia videatur facere in fraudem simoniæ. Hic distinguunt quidam, dicentes sequestrationem rerum Ecclesiasticarum factam, communi authoritate Ecclesia, & ob utilitatem ejus, licitam esse: provenientem autem ex propria utilitate & cupiditate Episcopi, simoaiacam. Cap.38.* Nec inficior sapientissimo Scriptori obtabile videri, ut Beneficiario semper dimittatur, quo parcè vitam & honestè sustentet.

VIII. Lubentissimi ergo Rainaldo assentimur, qui Theodorum Niemensem retundit, frangitque objecta authoritate Joannis Gersonii, Cancellarii Universitatis Parisiensis, in Tractatu de simonia. Nemini non exploratum est, quàm abhorreret Gersonius ab adulatione, ubi Romanæ Curiæ res agebatur. Et fatetur ille tamen in hoc opusculo, ut Levitæ veteris Testamenti cum decimas ipsi à laicis acciperent, ipsos vicissim decimarum harum decimas exolvisse Aaronico summo Pontifici: ita similimo quodam munere à Prælatis inferioribus colendum esse Romanum Pootificem, idque convenienter per Annatas perfici. *Sicut ex antiqua lege decima decimarum debentur summo Sacerdoti à Levitis. Num. XVIII. Deuteron. XVI. sic non minus in lege nova debetur hæc decimatio facienda ipsi Papa per inferiores. Hac autem recompensatio videtur rationabilis, quod fructus primi anni à quolibet beneficiato persolvuntur, quoniam in hoc Papa servit Ecclesia, & ita pro sustentatione status sui potest onerare personas & beneficia. Tom.2. Pag.428.* Et hæc quidem objectio est, quam sibi diluendam proponit Gersonius: at in sua ille mox ad eam responsione, confitetur naturali & divino jure oiti eam legem, qua Annatæ debentur Pontifici Summo, quandiu Ecclesiæ illi subditæ non suppeditant aliunde, unde dignitas ejus pro sua amplitudine sustenietur, id unum porro ille non dissimulat in votis sibi esse, Curia ut Romana exactionibus violentis & extorsionibus abstineret. *Respondendo talibus objectis dicimus primo, quod inferunt & concludunt aliquas veritates. Ut quod officio Papa debeatur beneficium sufficiens & condecens. Et quod ab inferioribus sibi debetur subsidium. Et quod illud subsidium potest, vel potuit debitis circumstantiis observatis accipi super fructibus inferiorum Beneficiorum, ubi non est aliter facta Papę sufficiens provisio; sicut prima ratio satis hoc concludit tam ex jure divino, quàm naturali prasupposito divino. Sed quo fiat exactio, vel extorsio, sicut conclusio loquitur, ratio non concludit.*

Nec aliter Gersonius alteram illam dispungit objectionem, ex iis Capitulis sumptam, quorum gremio non ioscribuntur Canonici, nisi persolutis juribus quibusdam, quibus nemo tamen inviciam fecit, ut simoniacis. Respondet autem, à Canonicis ea jura exigi, non propter Officium, vel Beneficium, quo accedentes condecorantur, sed ad fabricam & ad sumptus communes Ecclesiæ. *Tales pecunia non exiguntur à Canonicis pro Beneficio vel Officio, sed pro communibus oneribus supportandis, in quibus Canonicus ille particeps erit quoad emolumentum commune, sicut pro fabrica, pro pane, pro pueris de choro, pro clientibus, pro cappa & similibus.* Atqui ad sumptus etiam universalis Ecclesiæ institutæ sunt Annatæ io Prælatos, & perpetuatæ.

Tertio denique loco id sibi Gersonius objicit, Si tot Ecclesiæ Cathedrales, si tot Prælati inferiores, si tot Abbates Regulares Annatas percipiant, posse eas & à Pontifice percipi. *Nec minus rationabiliter, immo rationabilius potest Papa recipere primas annatas Beneficiorum, quam recipiant vel Prælati inferiores, vel Ecclesia Cathedrales, vel aliqua Religiones, quod tamen ita fieri frequentias invenitur.* Respondet verò Gersonius ei objectioni non respondendum, sed subscribendum esse, rem enim eam constantissimam esse, & æquissimam comparationem. Sed & illud æquitati consentaneum esse, ut ne Romæ exigerentur antè Annatæ, quàm fructus primi anni essent demessi, cum ea in suprapositis exemplis ratio obtineat. *Tertia ratio concludit conformiter ad primam. Deberet ergo similis esse conformitas, de non exigendo fructus, ante perceptionem eorum, sicut nec exiguntur ab illis, de quibus est argumentum.*

IX. Indubitatissimè ergo Annatis astipulabatur Gersonius, nec improbabat nisi usum antè exigendi fructus primi anni, quàm eos Beoeficiarius collegisset Gersonio adprimè concinit Petrus de Alliaco Cardinalis, tractatu *De authoritate Ecclesia*. Eo ipsissima ejus verba. *Gerson. Tom.1. pag.917. Cum Levita pro sua sustentatione receperunt decimas, summus Sacerdos]decimam decima à Levitis debebat recipere, ut patet Num.XIX. Unde simili jure videtur quod Papa possit recipere ab Episcopis promotis Communia Servitia, qua vocantur annatę: & in minoribus Beneficiis primos fructus, seu alia hujusmodi subsidia; ex quibus ipse, & sibi in Ecclesię servitio assistentes possint convenienter sustentari.*

Tum confitetur ille in ratione inverecunda & turpi exigendi jura legitima, posse nescio quid simooiacæ luis inesse, sed abstergenda hæc esse vitia, incolumi & illibato jure Canonico. *Status summi Pontificis & sacri Collegii Cardinalium dum recipit & quærit subventiones consuetas in oblationibus, decimis, vel annatis & similibus, non debet eo ipso de simoniaca pravitate notari, nisi fortè vitium*

aliud

aliud in exactionis modo concurrerit; quod vitium corrigi debet, non obinde status minui, destrui, culpari, vel juribus aliunde defrandari; sicut ab infirmo moribus tollendus est, non subjectum, vel corpus destruendum. Oppositum verò pertinaciter imponere, notando generaliter de simoniaca pravitate totum statum istum, temerarius error est, nec esset ferendus. Subjicit denique doctissimus Theologus ab exigendis Aonatis cessandum non esse, donec præsidia & adminicula alia opportuna Pontifici & Cardinalibus adsignentur, usuque confirmentur, vel approbentur Concilio Generali. Qui secus sentiant, aut garriant aliquid, eos statutis & Edictis adversari Regum Gallię, Ecclesię Gallicanę & Universitatis Parisiensis. *Oportet sic fieri quod subventio nunc existens & à Priorum devotione Ecclesiasticorum introducta, de primis annatis & similibus permaneat, quousque priùs, aut simul saltem fuerit alia fortè provisio salubrior vel sanctior rationabilius adinventa, & effectualiter practicata, & ex ordinatione Papæ & Concilii Generalis. Postremò facientes contra præmissa, non conformant se, sed manifestè obviant institutionibus Regis Franciæ, Ecclesiæ Gallicanæ & Universitatis Parisiensis, sicut patet eas intuentibus.*

X. Eum Tractatum lucubravit Alliacensis anno 1417. dum haberetur Concilium Constaotiense, cujus & ipse & Gersonius clarissima fuere lumina. Hinc apparet, eam fuisse Prælatorum Gallię consensionem & Theologorum, qui Concilio intererant. Nec sanè aliis ferè imbui potuerant opinionibus, Gallicę gentis cum essent, in qua familiare illud erat, passimque usurpatum, ut Annatę Prębendarum Ecclesiæ cujusque Cathedralis & Collegialis addicerentur Collegio cuipiam, Clero, vel Ecclesiæ spectatissimæ sanctitatis. Aono 1126. Petrus Bellovacensis Episcopus præsente Archiepiscopo Lugdunensi Papæ Legato, Ecclesiæ Sancti Quintini Civitate in ipsa Bellovacensi, ubi tum Canonici florebant Regulares, ab Ivone Carnotensi Episcopo instituti, Annatas contulit Præbendarum omnium Ecclesiæ suæ Cathedralis, si quæ aliquando vel morte vacarent, vel religiosa professione Canonicorum. *Deinceps anni unius spatio habeant & quietè possideant reditus singularum Præbendarum. Gall. Christ. Tom. 2. pag.* 385. Stephanus Sanctæ Genovefæ tum apud Parisios Abbas, postea Episcopus Tornacensis per literas Pontificem obfirmavit ad defensionem Abbatiæ Sancti Victoris Lutetiæ, cui Capitulum Sanctę Marię controversiam faciebat de annatis Præbendarum suarum omnium, quibus illam donaverant Canonici olim, eique largitioni confirmatio accesserat sedis Apostolicæ. *Sanè Præbendarum Parisiensium annalia Ecclesiæ Sancti Victoris ex integro deberi, & ipsius Ecclesiæ Parisiensis tam Episcopi, quàm Capituli authenticum Rescriptum testatur, & Sanctorum Romanorum Pontificum privilegia confirmant, & plusquam longissimi temporis præscriptio civili simul & Canonico jure clamat.* Anno 1123. Stephanum Parisiensem Episcopum ferunt eas concessisse annatas suæ Cathedralis Ecclesiæ Cœnobio Sancti Victoris. In Necrologio ejus Abbatiæ legitur Præbendam addictam ei fuisse unam, & Annatas cæterarum omnium in Ecclesia Sanctæ Mariæ, Sancti Marcelli, S. Germani Altisiodorensis, S. Martini de Campellis. Addit Chopinus in Ecclesia S. Clodulphi, in Ecclesia Meldensi, & Melodunensi. Nuper publici juris facta est Bulla Eugenii III. ad annum 1147. qua Ecclesiæ Sancti Victoris confirmantur Annatæ omnium illarum Ecclesiarum aliarumque non paucarum, ac præ cæteris Sanctæ Mariæ de Corbolio, ubi Cœnobio Sancti Victoris adscriptæ erant Annatę undecim Præbendarum, & pro duodecima, quæ fabricæ adjudicata fuerat, solvebantur ei *decem solidi*; postremò denique solvebantur hæ Annatæ, quo demum cumque modo vacassent Præbendę, resignatione, Religiosa professione, depositiooe, morte. *Hist. Univ. Paris. Tom.* 2. *pag.* 160. 39.

Warious Ambianensis Episcopus Collegium excitavit dotavitque Canonicorum Regularium Sancti Augustini, quibus Annatam tribuit Canonicatuum Cathedralium Ecclesię suæ, ea lege, ut pro defuncto annuale celebrarent, & funeri ejus interessent. Attribuit & illi Annatas Capituli Sancti Acheoli. *Spicil. tom.* 12. *pag.* 160. Exemplorum ejusmodi plena sunt Monumenta sacra, & hinc satis superque liquet, his Annatis ortum dedisse pietatem quandam eximiam ac religionem, tum accipientium eas, tum dantium, in quos simoniæ ne suspicio quidem cedere poterat. Postquam verò ea Episcoporum & Capitulorum concessio privilegiis Pontificiis & præscriptione confirmata fuit, si successores eorum, qui concesserant, beneficii sui pœnitebat, idque retractare conabantur: viri pii sui id muneris esse existimabant, ne sibi deessent, aut ut aliis ita periclitantibus adessent, ut suprà patuit ex Epistola Stephani Tornacensis in tuitionem Cœnobii Sancti Victoris.

XI. Quæ suprà adscripta sunt verba ex Petro Alliacensi, ex iis constabat ita persuasum fuisse, Annatas, quibus tunc Romana fruebatur Ecclesia, privatorum pietate invectas fuisse: *Subventio nunc existens, & à priorum devotione Ecclesiasticorum introducta*: atque ita eam constanter tuendam esse: *permaneat*; donec proventus alii constituti fuissent, ad Pontificis & ejus ministrorum necessarias expensas. Nec secus sentiebant, qui tempore Constantieosis Concilii tam acerbè invehebantur io Annatas, quas & ipsi suspicabantur oblationes primò voluntarias fuisse eorum, quorum confirmatio vel ordinatio Romæ celebraretur Episcoporum, Abbatumque, quòd tum eorum electiones lacesserentur lite quapiam intentata. *De vacantibus verò & fructibus primi anni majorum Prelaturarum, Abbatialium, Episcopalium, &c. nullum aliud initium fuisse invenitur, quàm voluntaria & gratuita oblatio quorundam, qui in discordia electi ad Abbatialem vel Cathedralem Ecclesiam, &c. Et talis oblatio & gratuita datio juxta vulgare Italicum dicta fuit Servitium, & secundùm Alemannos Propina dicitur. Et dicta fuerunt communia servitia, quia communiter inter eos dividebantur, eò quòd singulis dare fuisset nimium onerosum.*

Nec distat à verisimili, quorum electiones impetebantur, Romamque referebantur, ii ubi vicissent, cum Romæ confirmarentur, persæpè & consecrarentur, spontanea oblatione aliqua Pootificem veneratos esse, & ex arbitraria primùm assuetudine, ut solet, contigisse, ut vinculum nescio quod legis longo temporum decursu necteretur. Sed noo ea profectò fuit Annatarum origo primæva, cum iovictissimis documentis demonstraverimus, necdum Annatis obnoxias fuisse majores Prælaturas sub Joanne XXII. Papa, nec eas cœpisse, nisi sub Bonifacio IX. paulò ante annum millesimum quadringentesimum.

XII. Illud enim iterum iterumque observari necesse est, luctuosissimo illo schismate post mortem Gregorii XI. exorto, qui Avenione migrans Apostolicam sedem Romæ restituerat: ita scissam esse Ecclesiam inter duos Pontifices, alterum Romę, alterum Avenione sedentem, ut uterque mox Pontifex ad molestissimę inopię angustias detrusus sit. Ei malo medicari tentavit Clemens VII. invecto spoliorum jure, Bonifacius IX. qui Urbano VI. successerat, Gregorii XI. successori, Annatarum institutione. Paucula quasi ad cumulum hîc adjiciam nova documenta. Diximus suprà anno 1385.

sub-

fulmineo quodam Edicto Carolum VI. Regem detonuisse in spolia, quæ Clementis VII. Collectores ex Episcopatibus & Abbatiis vacantibus legere cœperant. De Annatis ibi prorsus siletur, ut quas Bonifacius IX. anno demum 1392. exigere cœperit. Sedebat Romæ Bonifacius, nec multò post cœpit & ipse qui Avenione sedebat Pontifex Annatas exigere. Rex idem enim ipse Carolus VI. Edicto alio proscribens spolia, quę rursus exigi cœperant anno 1406. Annatas pariter proscribere cœpit, quæ jam cum spolio exigebantur. *Ecclesiam Regni & Delphinatûs importabilibus servitutibus oppresserunt, potissimè bona Prælatorum & virorum Ecclesiasticorum decedentium, tum Regularium, quàm secularium, quæ spolia defunctorum interdum nuncupantur, reservando & usurpando: fructus Ecclesiæ tempore vacationis Prælaturarum aut Beneficiorum Ecclesiasticorum obvenientes levando & rapiendo: à Beneficiatis quibuscumque primam annatam expetendo & extorquendo, cujus annatæ medietatem quoad majores dignitates Collegio Cardinalium consueverant assignare, & annatam hujusmodi unà cum quadam pecuniæ summa, quam vocant Minuta servitia, & quam pro familiaribus esse dicunt, cum exactione juramenti hactenus exegerunt.* Eodem anno 1406. Rex idem Carolus VI. Senatusconsulto Parisiensi explosit exactiones Benedicti de Luna, potissimùm verò vacantium Beneficiorum. *A nonnullis spolia auferendo, ab aliis Prælaturarum & Beneficiorum Ecclesiasticorum vacantium extorquendo, &c. Cessabunt Benedictus & Officiarii sui ab exactionibus annatarum primarum, fructuum & emolumentorum, Prælaturarum, & aliorum Beneficiorum vacantium. Cessabunt Cardinales à perceptione illius partis, quam in vacationibus Prælaturarum pro primis annatis vel aliàs antè præsens arrestum percipiebant.* Hæ primùm Regię de Annatis personuerunt querelę, quibus jam majores Prælaturę fatigari incipiebant.

XIII. In Edicto quidem illo priori anni 1385. spargitur aliquid de annatis, sed de iis tantùm, quę minusculis ex Beneficiis colligebantur laici Patronatûs, vel Regię nominationis. *Dicti insuper Collectores fructus, reditus, proventus primi anni omnium & singulorum Beneficiorum Ecclesiasticorum in nostro Regno, per resignationem, vel permutationem, aut aliàs quovis modo vacantium, de facto rapiunt, dato quod sint Beneficia, quorum collatio in Regalia, vel aliàs nobis, aut alicui domino temporali nobis subjecto, pleno jure, vel quorum præsentatio ad nos, vel alium Patronum laicum pertinet, & tamen in reparationes ædificiorum nihil impendere volunt.*

Non hæ majores sunt Prælaturæ, sed tenuiora Beneficia, quorum Annatas jam cœperat sibi reservare Joannes XXII. ad triennium. Amarissimè verò Rex conquerebatur de Annatis Beneficiorum laici, aut etiam Regii Patronatûs, quòd ejus res ageretur, omnium enim ejusmodi Beneficiorum Annatæ promiscuè exigebantur. Quin & ex eodem mox Edicto manifestum est Ecclesias fuisse, quarum reditus primi anni servabantur integri Episcopo, vel Abbati, alterius fabricæ. Quando verò jam Apostolici Collectores cœperant Annatas accipere primi anni, tum Episcopus secundi, fabrica tertii anni fructus suo sibi jure usurpabat, atque ita Beneficiarii mendicitas nonnisi quarto demum anno levamenti & solatii aliquid capiebat. *Et interim contingit, ut in Ecclesiis, in quibus Prælatus proventus unius anni, & Fabrica alterius anni percipere consueverant; dicti Collectores primi, Prælatus secundi, Fabrica tertii annorum fructus percipiunt. Et his tribus annis Beneficiati mendicando vivere coguntur.*

XIV. Interim hic autem duo quædam sunt nobis non oscitanter, non perfunctoriè observanda. Primum est, has Annatas ex minoribus Beneficiis fuisse expressas Pontificiis reservationibus ad expensas & sustentationem ministrorum Curiæ Romanæ. Ea enim *reservationis* vox usurpata semper fuit, ut jam eæ possent iniquæ exactiones & violentæ extorsiones videri, nisi eas fieri cogeret justa quædam & gravis necessitas; sed simoniacæ videri nusquam possent, cum reservationes sint tantùm, quibus commune nihil sit cum ordinationibus, aut cum institutionibus Beneficiariorum. Alterum est, cum hæ Annatæ exigerentur ex Beneficiis collationis vel præsentationis Regum, vel aliorum dominorum temporalium, & ex illis ipsis, quæ Reges jure Regaliæ conferebant, nullam earum connexionem fuisse cum provisione Beneficiorum, atque adeo nec simoniacas haberi potuisse. Tempore Caroli VI. Regis, hoc est, desinente sæculo XIV. nec Episcopatus, nec Abbatias plerumque conferebat Pontifex, innumerabilia saltem non conferebat minuscula Beneficia, ex quibus tamen Annatas eliciebat. Ergo ne cadere quidem poterat in cogitationem, quod aliqua interveniret simonia.

XV. Addemus & hoc tertium non minoris forsan ponderis. Alio nimirum & alio tempore triplicis generis Annatas à Pontificibus exigi solitas fuisse. Primę & omnium vetustissimę eę fuere, quę à Pręlatis capiebantur, quos contingeret Romę ordinari; sive Episcopi ii essent Romanę Metropoleos suffraganei; sive Metropolitani Italiæ, qui Romę inaugurarentur; sive Pręlati ii majores, quorum electio in varias incurrebat lites, quique cum Romę judicio superiores & causa fuissent, ibidem confirmabantur, vel etiam ordinabantur. De his agebat Durandus: *A Prælatis, qui promoventur ibidem.* Hæ nimirum Annatæ inter voluntarias oblationes à nonnullis conjectę sunt, nec nos abnuimus, sed vehementer negamus, eas fuisse, quę in omnes postea Ecclesias manarint.

Secundę Annatę fuere, quas Joannes XXII. exigere cœpit ex omnibus minorum gentium Beneficiis, exceptis Episcopatibus & Abbatiis. Etsi tum quidem ad tres tantummodo annos facta sit ea reservatio, toties tamen eo ipso sęculo innovata creditur, ut eodem senescente consenuisse & ipsa, atque in jus commune traducta fuisse videatur. Ratio ejus rei est, quòd Bonifacius IX. non reservaret sibi nisi Annatas Pręlaturarum, jam tum tamen omnium orbis Beneficiorum Annatæ Sedi Apostolicę fuerint reservatę. Jam reservatę enim cęterę fuerant, solęque supererant Episcopatuum & Abbatiarum reservandę.

Tertii generis Annatę fuere, quas Bonifacius IX. Sedi Apostolicę reservavit, anno 1392. in vacantes Episcopatus & Abbatias. Cum nec Joannes XXII. nec Bonifacius IX. eorum Beneficiorum collationes sibi reservarint, vel nominationes, sed Annatas tantùm, perspicuum est, ne potuisse quidem illis speciem qualemcumque simonię adhęrescere. Certissimum denique est, sive tertii, sive secundi generis Annatas, nihil commune aut conjunctum habuisse cum collationibus Beneficiorum, aut cum provisionibus Prælaturarum, quippè quę tunc non Pontificum voluntate conferrentur; sed Patronorum pręsentationibus, vel collationibus, vel electionibus. Vel ab ipsa ergo simonię umbra procul erant hęc omnia.

XVI. Si objiciatur verò nobis Decretalis *Injunctæ, De electione*, in Extravagantibus communibus, ubi jubet Bonifacius VIII. Pręlati ut omnes Romanas Bullas accipiant ante administrationem; vel inde novo pręsidio munientur, quę superiùs dicta sunt. Constitutionem suam enim restringit Papa ad eos, qui provisionem, confirmationem & con-

consecrationem Romę accipiunt. *Præsenti Constitutione sancimus, ut Episcopi & alii Prælati superiores, nec non Abbates, Priores & cæteri Monasteriorum regimina exercentes, qui apud dictam Sedem promoveantur, aut confirmationis, consecrationis, vel benedictionis munus recipiunt, ad commissas eis Ecclesias & Monasteria, absque dictæ Sedis literis, hujusmodi eorum promotionem, confirmationem, consecrationem, seu benedictionem continentibus accedere: vel bonorum Ecclesiasticorum administrationem accipere non præsumant, nullique eos absque dictarum literarum ostensione recipiant, aut eis pareant, vel intendant.*

Missa facio reliqua hujus Decretalis verba, ubi legibus canonicis & civilibus, & tot literis canonicis, quę usitatissimę erant prioribus Ecclesię seculis, ad Clericos peregrinos non aliter admittendos: denique multiplici discrimine, in quod Ecclesia indueret se; nisi hęc disciplina retineretur: ubi, inquam, his documentis omnibus approbatur quàm sit necesse, ut Episcopi, qui procul ab Ecclesiis suis ordinantur, in eas ne admittantur, nisi exhibitis chartis authenticis suę ordinationis. Perspicuum est ergo ea necessitate Bullarum Pontificiarum accipiendarum hic non constringi, nisi longinquarum Prælatos Ecclesiarum, quibus Romæ confirmatio, consecratio vel benedictio impenditur. Itaque nihil pertinet ea Decretalis ad Annatas, quæ ex omnibus postea Beneficiis expressæ sunt, aut certè ex Prælaturis Christiani orbis.

CAPUT LIX. *P.4. l.4. c.36.*

De Annatis post Concilium Constantiense.

I. In Concilio Pisano Alexander V. repudiavit abjecitque reservationem Annatarum. Mera enim fuerat reservatio, à provisionibus Beneficiorum penitus segregata.

II. In Concilio Constantiensi ventilata est quęstio de Annatis, nil statutum est, nil de eis abolendis decretum.

III. Quæ tum sententia fuerit Gallorum. Ut cœperint exigi fructus primi anni ante exitum ejus anni, & ante expeditionem Bullarum.

IV. In Concilio Basileensi statutum est, ut Annatæ tamdiu colligerentur, dum alii proventus Curiæ summi Pontificis à Concilio adsignarentur. Nulli usquam alii assignati sunt.

V. Respondetur objectioni ex eodem Concilio Basileensi petita.

VI. Annatæ in Concilio Basileensi confirmatę fuere, ad sumptus necessarios Felici suppeditandos.

VII. In Conventu Bituricensi & Pragmatica Sanctione confirmatę sunt quodammodo Annatę.

VIII. Causam aperit Æneas Sylvius, cur Romę in antecessum exigerentur Annatę.

IX. Idem ipse Pręlatos Germanię monet, luxu eis, non annatis paupertatem accelerari.

X. Varię Pontificum Constitutiones de Annatis.

XI. Annatę in Galliis per Concordata restitutæ.

XII. Paulò post in Germania nonnihil & in Gallia concussæ fuere.

XIII. Quid Annatæ, quid Servitia communia, quid Minuta servitia, quid quinta-decima.

XIV. Varię ex Fagnano observationes in Annatas.

I. IN Concilio Pisano anno 1409. nonnihil convulsæ videntur fuisse Annatæ. Ibi enim præ se tulit & professus est Alexander V. certum sibi jam esse abstinere à reservatione Annatarum, seu fructuum vacantium Beneficiorum. *Quod non intendit reservare fructus medii temporis Beneficiorum vacantium.* *Sess.22.* Inde nimirum cœperant Annatæ posteriores colligendis cum spolio fructibus vacationis, ut capite superiori patuit ex Edicto Caroli VI. Regis anno 1406. *Preuves des Lib. Gallic. c.22. n.9.* Illud enim ibi Rex observat, ipsos eosdem spolii Collectores legere etiam fructus vacationis & primi anni. Sed dum Alexander V. eam revocat reservationem fructuum vacantium Beneficiorum, id certè manifestum facit meram eam fuisse fructuum reservationem, non exactionem quamvis in conferendis Beneficiis, vel Bullis annuendis. Unde & eodem Edicto palam fit, non tum Annatas solvi, cum conferuntur Beneficia, vel Bullæ expediuntur; sed à Collectoribus ipsis Provincias peragrantibus, & spolia, & annatas exigi.

II. Non recessit à Pisano Concilium Constantiense, nec Annatas tamen explosit, quamvis ibi Martinus V. rejecerit fructus vacantium Beneficiorum, En ipsa Pontificiæ Declarationis verba super eare. *Sess.43. Fructus & proventus Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, vacationis tempore obvenientes, juris, & consuetudinis, vel privilegii dispositioni relinquimus, illosque nobis, vel Apostolicæ Cameræ prohibemus applicari.* Segregat hic Pontifex fructus temporis, quo vacat Beneficium à fructibus primi anni, quo Beneficium jam collatum est. Priores illos repudiat, hos posteriores non relaxat. In causa poterat esse, quod jure Regaliæ Galliarum Reges & alii forsan Principes aliqui vendicabant sibi fructus vacantium Beneficiorum, maximè autem Episcopatuum. Renuntiat ergo Pontifex ei juri, quo cum Regibus & summis Principibus collidebatur. At hi nihil sibi arrogabant in proventus primi anni cujuslibet Beneficiarii novi. Si quis malit, uti Martini V. ita & Alexandri V. declarationem non spectasse nisi ad proventus vacantium Beneficiorum, nec ad Annatas exporrigi, haud ægrè equidem assentiar, dum satis firmis astruatur id argumentis.

At magna prorsus animorum æstuatione vexata est quæstio de Annatis in Concilio Constantiensi, ubi Cardinales Pisanus, Cameracensis & Florentinus delegati fuere à Concilio, cum Deputatis quinque Nationum, ut in commune consultarent de repurganda Ecclesiæ Disciplina in capite & in membris. Proposita Annatarum quæstione, molestè ferentes Galli non satis strenuè certari ad eas abolendas, quin & vehementer conniti Cardinales ad earum defensionem, privatim ipsi coiere, & ad eas expungendas conjuravere. Joannes de Scribanis Procurator Fiscalis Cameræ Apostolicæ appellavit ab hac deliberatione ad Papam futurum. Ei provocationi adhæsere Cardinales. Ita factum est, ut nihil de Annatis in Concilio Constantiensi definiretur. Sessione quadragesima in medium prolata sunt Capita multa Reformationis, & istud potissimum de Annatis, *De Annatis, Communibus servitiis, & minutis.* Hæc proponebantur, ut de iis consilium inirent cum futuro Pontifice Concilii Patres. Sessione quadragesima tertia electo jam ante in summum Pontificem Martino V. plurima quidem egregie constituta sunt de cæteris Disciplinæ expurgandæ capitibus, de Annatis altum fuit silentium, quo usus prior confirmari videbatur. At anno 1417. & 1418. Carolus VI. Rex Senatus Parisiensis querelis interpellatus Edictum anni 1406. innovavit, funditusque sustulit Collectores & exactiones Annatarum. *Preuves des Lib. Gallic. c.22. n.13. 14. 15. 16.*

III. Nec facilè tamen mihi persuaserim Gallos tum omnes in id assensos fuisse, ut Annatæ omnino exploderentur. Principem quendam locum inter Theologos obtinebant Joannes Gersonius & Petrus Alliacensis, At Capite superiori id patefactum est,

eos

eos in contraria versatos esse sententia, de sola ratione eas exigendi expostulasse nonnibil, non antè oblitterandas existimasse, quàm reditus alii à Concilio designarentur ad Pontificis & saeri Collegii sustentationem. Et quod ad modum illum attinet invidiosum exigendarum Annatarum, qui duobus his Theologis minus placebat, is quoque calamitosissimi schismatis partus erat, si qua fides antiquo Scriptori, cujus compendiariam narrationem intexuit Spondanus Annalibus suis *an.* 1399. *n.* 2. Scriptor enim iste Constantiensis Concilii suppar testatum facit, ante schisma usitatissimum fuisse, ut non antè solverentur Annatæ, quàm quis Beneficii possessionem inisset, nee solverentur nisi paulatim, & crebra interposita mora, maximè si Beneficiarii pauperiores essent; ita ut Gregorii XI. tempore infinita quædam pecunia ex nondum solutis annatis deberetur Cameræ Apostolicæ. At schismate grassante maximam ante pecuniæ partem fuisse solvendam, quàm Bullæ annuerentur, & de reliqua solvenda summa cavendum, intentatis etiam censuris. Eo denique ventum esse, ut numerata pecunia totum simul exigeretur. Idem porrò Annalium Ecclesiasticorum Scriptor affirmat anno 1419. à Joanne XXII. flagitatos fructus vacantium & Annatarum, at validissimè renisam esse Universitatem Parisiensem; videlicet præ se ferentem ea lege Mosayca decimarum à Levitis summo Pontifici solvendarum, non obligari jam nos novi Testamenti alumnos. At nihilominus editam à Pontifice anno proximo Constitutionem, *Idem anno* 1420. *n.* 5., ad Annatas ex omnibus Beneficiis Regularibus & sęcularibus eliciendas; quibus Clerus ipse quidem obnitebatur, at consentientibus, aut dissimulantibus Regibus, earum tandem usus corroborabatur. Unde & Burgundię Dux retractari fecit Edictum anni 1418. quo Annatę auferebantur, & ubi avolante hinc in beatas sedes Carolo VI. Rege, Angli rerum potiti sunt in Gallia, Betfordius Dux Regni Rector Annatas restituit, à Curia Romana ingentem gratiam initurus. *Hist. Univ. Parif. tom.* 5. *pag.* 328. 335. 366.

IV. In Concilio Basileensi anno 1433. constitutum fuit, nequid posthac Romæ acciperentur pro confirmandis electionibus, quę eò referrentur, sed Concilium ipsum in se reciperet curam providendi sustentationi & oneribus Ecclesię Romanę, & Cardinalium; si antè verò solveretur Concilium, quam ei rei provisum esset, quæ hactenus Beneficia exactionibus obnoxia fuerant, ea dimidium ejus summæ solverent in posterum intra annum, quo inita esset possessio, donec ab Concilio aliquo assignati & definiti fuissent proventus certi ad sacri Collegii sumptus necessarios, ejusque ministrorum. *Summam Pontificem Synodus exhortatur, ut cum speculum & normu omnis sanctitatis esse debeat & munditia, pro confirmatione earum electionum, quas ad eum deferri contigerit, nihil penitus exigat aut recipiat, &c. Pro oneribus autem, qua ipsum pro regimine universalis Ecclesia subire opoetet, proque sustentatione Sancta Romanę Ecclesia Cardinalium & aliorum necessariorum officialium, hoc sacrum Concilium ante sui dissolutionem omnino debitè & congruenter provideat. Quod si contingat aliquam circa hac provisionem non fieri, tunc illa Ecclesia & Beneficia, qua usque nunc ex novi Pręlati assumptione certam taxam solverint, deinceps medietatem hujusmodi per annum post adeptam pacificam possessionem solvere in partibus teneantur; durante hujusmodi provisione, donec pradicti Papa & Cardinalium sustentationi fuerit aliter provisum. Seff.* 12. Quod eodem redit, acsi Annatæ à Concilio confirmatæ fuissent. Cum enim fundos alios proventusque non assignaverit, in locum Annatarum subrogandos ad onera Ecclesiæ Romanæ, conceptis Decreti hujus verbis Annatæ persolvi usque præcipiuntur, cum aliqua summæ totius moderatione. Hoc verò Basileensi Decreto magis magisque illa nobis commendatur sententia, in Constantiensi Concilio nihil tentatum esse adversùs Annatas.

V. Videantur autem Sessione xx. Concilii Basileensis Annatæ aboleri: *Tam in Curia Romana, quàm alibi pro confirmatione, electionum provisione, collatione, de Ecclesiis Cathedralibus, Monasteriis, Dignitatibus, Beneficiis quibuscumque, Ordinibus sacris benedictione & pallio, de catero nihil penitus ante, vel post exigatur, ratione literarum, bulla, sigilli, annatarum communium & minutorum servitiorum, primorum fructuum ac deportuum, aut sub quocumque alio titulo, &c. Huic sacro Canoni si quis contra ire prasumpserit pœnam incurrat adversùs simoniacos inflictum, &c.* Respondetur hoc decreto id supponi, vi Decreti Sessionis xii. assignatum jam fuisse, aut assignandum mox fore fundum alium & ubertimum proventum ad onera Curiæ Romanæ & Cardinalium expensas, ministrorumque. Aliàs enim pugna fœdissima & manifesta ea foret conflictatio Decretorum Concilii. Ne Gallicana quidem Ecclesia, etsi tantopere aliena tunc ab Annatarum solutione, ei Decreto Sessionis xxi. assensa est, cum in ea tam frequens sit adhuc Annatarum & Deportuum usus, in Capitulis compluribus & peculiaribus Beneficiis. Nec sanè hoc qualicumque Basileensi decreto edicitur, vel Annatis vel Deportibus simoniæ maculam inhęrescere, sed simoniacorum Canonicas pœnas eis indicendas esse.

VI. Sed quid invictius & ineluctabilius vel optari potest, quàm Decretum Sessionis xlii. ejus Concilii, ubi creato Papa, vel Antipapa Felice V. ad ejus & Cardinalium ejus expensas assignavit illi Concilium anno 1440. quintam partem proventuum ex omnibus Episcopatibus, Abbatiis, Dignitatibus, & quibuscumque demum Beneficiis per annos quinque, & decimam partem per quinque proximè sequentes annos. Authoritate propria hanc reservationem fecit Concilium consensitque, ut hoc decreto nihil derogaretur Capitulis, vel Beneficiariis, quibus consuetudo, vel privilegium, vel statutum suffragaretur, ad Annatas aliis ex Beneficiis exigendas; integrum enim eis fore, ut eo jure suo uteretur, altero post Annatam Pontificiam anno. *Vult & decernit Synodus, quod si qua Capitula, Collegia, ac Conventus, & Ecclesiastica sacularesve personę, cujuscumque dignitatis, ordinis, status ac conditionis existant, fructus, reditus ac proventus primi anni hujusmodi, aut aliquam illorum partem, ex statutis, consuetudinibus, seu privilegiis, aut aliàs quovis modo levare ac percipere consueverunt, per hoc Felici Papę nullatenus pręjudicetur. Per hoc tamen Sancta Synodus Capitulis, Collegiis, Conventibus ac personis pręদictis quominus annis dictum primum vacationis unum sequentibus, illos & illum pro ea parte, quę ob impositionem denarii eis defecerit petere & exigere valeant, non vult nec intendit prajudicium generari.*

Certum est ergo 1. subscripsisse Basileense Concilium Annatis & Deportibus, quos Consuetudo, privilegium, Statutum addixisset Capitulis, Congregationibus, privatis Beneficiariis, laicisque 2. Sancitum ab eo esse, ut deinceps pergerent Annatæ & Deportus solvi. 3. Nec potuisse ab eo eandem licentiam Ecclesię Romanæ, Pontifici, & Cardinalibus adjudicari. 4. Verò ab eo diffinitam fuisse Annatam, quam Episcopi & Abbates, & alii Beneficiarii solverent Felici V. 5. Quinta illa ex fructuum parte in quinquennium solvendi, & decima in aliud quinquennium, Annatam unam & dimidiam conflari. 6. Denique hoc decretum promulgavit Concilium Sessione xxi. ut impleret quod prolusum fuerat Sessione xii. *Volens Synodus, quòd in decreto*

sua Sessionis XXI. *ordinatum est, laudabiliter adimplere, &c.* Si non concessę sunt autem Annatę, nisi ad proximum decennium, id eò pertinet, quod speraret Concilium, edixissetque decimo quoque anno celebratum iri Concilium Generale, à quo prorogaretur Annatarum concessio, vel via quæpiam & ratio alia excogitaretur eosdem sumptus suppeditandi.

Indubium est ergo, nec Constantiensi, nec Basileensi Concilio explosas fuisse Annatas. In Appendicibus nuperrimè publicatis Concilii Constantiensis, Decretum occurrit, quo jubetur, ut ad necessarias expensas Papę & Cardinalium, Episcopi, & Abbates exolvant Camerę Apostolicæ *minuta servitia*, reliqua Beneficia integram solvant annatam una & altera solutione, semestri interlapso tempore. *Append. Conc. Constan. tom. 12. Conc. Gener. p. 1451.* Sive prolusio ea sit Decreti, sive Decretum, eo certè confirmantur Annatæ. Cum Anno 1436. spargerentur per orbem libelli complures pro Eugenio IV. adversùs Basileense Concilium: iis ita confirmabatur Conciliis Viennensi & Constantiensi adprobatas fuisse Annatas, quarum usus Oriente toto frequentissimus esset Patriarchis Gręcis Annatas undique corradentibus. *Utpote quæ nunquam fuerint per aliquod Concilium revocatæ, immo potius in generali Viennensi & Constantiensi Concilio susceptæ; servatque etiam usque in hodiernum diem ritum hanc in sua Obedientia Orientalis Ecclesia, in illis in quibus adhuc dominatur, Rainald. ann. 1436. num. 4. Conc. Gene. T. 13. p. 1530.* Additur porro nihil concludi potuisse adversùs Annatas, per absentiam Pontificis & Cardinalium, nec fieri tum temporis id debuisse, cum hostes Ecclesię Eugenium IV. tristissimas quasdam in angustias adduxerant. Idem responsum fuerat nomine Pontificis delegatis Concilii, renunciatumque, resecandis Annatis alios statim proventus designandos saltem fuisse, fore enim ut his acquiesceret Pontifex, modò certi & perpetui adsignarentur. *Collatio Joan. de Bachenstein, In Append. Conc. Basil.*

VII. Congregatio Generalis Ecclesiæ Gallicanæ anno 1338. Decreto acquievit Sessionis XXI. Concilii Basileensis de Annatis; & ut voluntati tamen ejusdem Concilii obsequeretur, spectatis angustiis Papę & sacri Collegii, voluit ut Eugenius IV. dum superstes esset, ad suas, & Cardinalium, ac ministrorum necessitates, quintam partem acciperet, taxæ Cathedralium, Abbatiarum & aliorum Beneficiorum, quibus taxa saltem decem librarum & amplius indicta fuisset; taxa ea dimissa, cui Regnum, Regnique Ecclesię acquieverant eo tempore, quo cœptum est Concilium Constantiense; non ea, quę Concilio Constantiensi accurante edita est; dum ejusmodi esset taxa, qua Beneficiario dimidii saltem proventus dimitterentur. Cętera verò Beneficia, quę tum taxata non fuissent, ea decimas duas Pontifici solverent. His denique subjiciebatur donum hoc esse gratuitum, quo nihil de Gallicanis decerperetur libertatibus, & quod ultra Pontificis vitam non pateret. *Pragm. Sanc. Tit. De Annatis.*

Ex hoc Pragmaticæ Sanctionis Decreto dilucidum est, 1. Non hanc fuisse Annatarum abolitionem, sed revocationem ad quintam partem. 2. Prorogatio quidem ejus subsidii non ostendebatur, nisi ad vitam Pontificis: sed cum non taceretur ita consuli necessitatibus, non Papę solùm, sed Cardinalium & Officialium omnium Curię Romanę, hinc non dubia allucebat spes tam diuturni subsidii, quam diutina esset necessitas. 3. Conformabant se tum Galli Pręsules ad voluntatem Concilii Basileensis, cui placuerat aliud extra Annatas assignari levamentum onerum & expensarum Curię Romanę, quod stabile esset, & perpetuum. 4. Taxa quade hic agitur, illa est Annatarum, non decimarum, ut liquet ex his verbis; *Quintam partem illius taxæ, quæ olim per Reges & Ecclesias suorum Regni & Delphinatus tolerabatur.* Taxę decimarum non tolerabantur à Regibus, sed cupidissimè expetebantur. 5. Denique cum hoc Decreto Pragmaticæ, duę sejungantur taxæ Annatarum, illa, quę ante Constantiense Concilium in usu erat, & illa, quę per Concilium facta est, anterioris reductione; hinc necessariò confitendum est, in Concilio Constantiensi non finem, sed modum quendam esse positum Annatis. *Dicta quinta pars taxę non referatur ad illam taxam, ad quam fuit facta ultima reductio per Constantiense Concilium, sed ad illam, ex qua facta fuit reductio ab eodem Constantiensi Concilio.*

VIII. Antequam recedamus à Concilio Basileensi, depromenda hic nobis est responsio Æneę Sylvii ad querimonias Germanorum, à viro Juris consultissimo, sibique conjunctissimo ad se perlatas Martino Meyro. In his autem querelis erat quod ad Annatas spectaret, & ad invidiosam earum exigendarum rationem, non mora, non procrastinatione ulla concessa. Hinc maximè invidia conflabatur Curiæ Romanę. Respondet autem Æneas, à Beneficiariis ipsis Pontificem in has angustias esse conjectum; quondam enim Bullas novi solitas, statim atque spopondissent se soluturos: at illi Bullis potiti, non tantùm fidem suam non liberabant, sed & fulmina ipsa excommunicationum aspernabantur. Eo necessitatis telo compulsam Curiam Bullas nisi repræsentata pecunia pernegasse. *Illud non sinemus intactum, quod ad exigendos Beneficiorum, quæ Romæ conferantur medios fructus, sive ut ajunt Annatas, nullam permitti creditoribus moram accusas. Quod tamen conventa ipsa deposcunt. Verum est enim quod ais. Verum hoc ab eorum ingratitudine ortum invenies, qui cum Ecclesias consecuti essent, dilationemque solutionis faciendæ obtinuissent, postquam literas Apostolicas habuere, & domum reversi possessionem consecuti sunt, neque in præstituta die, neque multis post annis Apostolicæ Cameræ satisfacere curaverant; Excommunicationis pœnam, cunctasque censuras levi animo pensitantes. Quorum non fuit parvus numerus. Compulsa igitur Apostolica Sedes, nam inde Cardinalium victus est, adversùs injustam rebellionem justum invenit remedium; & ingratitudini obviam pergens, solvere ante tempus eos instituit, qui post tempus aliorum exemplo satisfacturi non videbantur.*

IX. Exactioni Annatarum imputabat Martinus hic Jurisconsultus summam quandam Germaniæ egestatem in quibusdam Ecclesiis suis. Contrà regerebat Æneas; Ab omnibus prorsus Ecclesiis Germanię solvi Annatas, nec omnes tamen inopia conflictari; certissimam ergo causam hujus Germanicarum Ecclesiarum egestatis refundi potiùs debere in creberrimas bellorum ruinas, immensa quędam Beneficiariorum dona in cognatos, regificas Præsulum dapes, equorumque & satellitii magnificentiam prorsus sęcularem. *Amicis & necessitudine junctis, quam multa Prælati elargiuntur, quod nisi faciant, illi suopte ingenio Ecclesiastica bona compilant. Omnes principum more equos canesque alunt, & histriones parasitosque nutriunt, neque sine magno comitatu esse volunt. Nec tu aliter quàm in Aulis Regalibus apud Prælatos tuos instrui convivia videbis.* Ex quibus aptissimè ab Ænea concluditur, non Curię Romanæ exactionibus, sed suis ipsorum ambitiosissimis expensis Germanię Pręsules exhauriri. *Luxuria & ambitio Germanicas Ecclesias, non Romana Curia exhaurit.*

X. Edita sunt anno 1448. Nationis Germanicę cum Nicolao V. Papa Concordata, *Spond. n. 5.*, quibus conventum est, Episcopatuum & Cœnobiorum

rum viriliom Annatas persolutum iri ex Apostolicę Camerę taxatione; quoad alia verò Beneficia, quę ab Apostolica Sede conferrentur, nihil Annatarum ab iis acceptum iri, quorum reditus viginti quatuor auri florenos non superaret. Tristissimę rei narrationem intexuit Gobelinus opusculo suo, de Archiepiscopo electo Moguntino Diethero, quem excommunicatione innodavit Auditor Camerę Apostolicę, quòd pręter desponsam fidem ratas & usitatissimas Annatas non solvisset. Procuravit ille ad Concilium, *Spond. n.4.*, & tantum non Germaniam totam concitavit anno 1465. adversùs Curiam Romanam. Sed Concordatis denique standum fuit & serò tandem Pręsulem pœnituit inconsideratissimę suę pertinacię. Metropolitana enim sede sua exturbatus est. Hinc probabiliter data ansa Pio II. edendæ Constitutionis ejus, cujus meminit Innocentius VIII. in Constitutione sua anni 1484. Narrat etiam Innocentius Pium II. subiniquo ferentem animo tam inverecundè & impunè fraudari Cameram Apostolicam Annatis persolvendis, quin & ludibrio esse excommunicationes ipsas, quas ob non factam suo tempore solutionem incurrebant: statuisse, ut qui deinceps Cameræ Apostolicæ recepissent, se certo die persoluturos, sicubi fidem fallerent, non excommunicatione tantùm innodarentur, sed suis etiam spoliarentur Beneficiis. *Accepto quod numerus debitorum dictæ Cameræ nimis actus erat, & quod obligati pro Annatis Beneficiorum, quæ Apostolica authoritate assecuti fuerant, excommunicationis sententiam (quam non solvendo in præfixo sit termino, ipso facto incurrebant) minimè curare videbantur, &c.*

Anno 1469. à Paulo II. statutum est, *Bullar. tom.1. Const.6.*, Prioratus & alia Beneficia Annatis obnoxia, ubi vacabant, si postea unirentur nexu perpetuo cuidam Prælaturæ, eas persolutura quinto decimo quoque anno. Hanc Constitutionem innovavit Paulus IV. anno 1558. ea Bulla, *Const.17. 38. 33.*, in qua meminit Constitutionem omnium à suis Majoribus editarum super annatis. Pius V. anno..... & Sixtus anno 1586. eandem Constitutionem innovavere quosd Beneficia & Annatas.

XI. Sed nostra nobis repetenda nunc Gallia est, in qua apparet conticuisse prorsus Annatas, post Pragmaticam Sanctionem, & post Eugenii IV. mortem, cui Pragmatica Sanctio eas ex parte annuebat, quandiu adviveret. Rursum Pius II. spolia cœpit exigere in Gallia, & mediam partem redituum Beneficiorum incompatibilium & commendatorum. Anno 1463. & 1464. erupere Edicta Ludovici XI. Regis, quæ prohiberent colligi *spolia & dimidium proventuum Beneficiorum, quæ compatibilia, vel commendata essent.* Eo Edicto Annatæ labefactæ convulsę fuissent; ut apparet, si quis tunc earum usus fuisset in Galliis. Anno 1483. cum Generalia Regni Comitia apud Cęsarodunum Turonum celebrarentur. Regi oblati sunt libelli supplices, adversùs exactiones Curię Romanę postquam definitum esset à servanda Pragmatica Sanctione, & ratione ibi inita *Adversùs Annatas, minuta servitia,* & exactiones alias pecuniarias. *Preuves. des Liber. Gall. c.22. n.23. 24. 26.* Itaque simile veri est Annatas eodem semper æstu jactatas fuisse cum Pragmatica Sanctione, easque vel cessasse, vel restitutas fuisse, perinde ut Pragmatica nunc stans, nunc eversa alternabat, in fœdissima illa tunc temporum, rerumque omnium pertubatione.

Restitutę denique prorsus Annatę fuere in Gallia Concordatis Bononiensibus anno 1515. inter Leonem X. Papam, & Franciscum I. initis, confirmatisque Sessione xi. Concilii Lateranensis sub eodem Pontifice. Quod autem non tam restituantur Annatæ in Concordatis, quàm stetisse semper ponantur, declarato irritas fore provisiones, nisi verus valor exprimatur; id ex eo factum est, quòd Annatę nunquam prorsus intermissę fuissent. Assensus est Rex Pontifici, ut Annatę solverentur ęstimatione pręsentium redituum, multò pinguiorum, quàm olim. Sed ubi manum operi admovere cœperunt, ut novę taxę defigerentur ad modum proventuum hodiernorum, tantę difficultatum moles undique excitatę sunt, ut nullos prorsus exitus ea res habuerit. *Spond. an.1515. n.50 55.*

XII. Quo autem tempore convalescebant in Galliis Annatę, eo ipso in Germania vacillabant. Anno 1522. Adrianum VI. commonebat Carolus V. Imperator annatas, olim Sedi Apostolicæ concessas fuisse ad amoliendos Turcos, & ad sumptum belli Infidelibus inferendi; eaque ipsa de causa nunc æquum esse eas in Germania retineri, cum in ejus maximè finibus Turcica bella conflagrarent. Legatum Pontificium Ordines Principesque Imperii eadem de causa interpellarunt. *Cum Ordines sacri Imperii nihil dubitent beatitudinem Pontificis pro comperto habere, Principes Germaniæ in solutionem Annatarum ad aliquot annos Sedi Apostolicæ solvendarum ea lege consensisse, ut illa in oppugnationem perfidissimi Turcæ, & defensionem fidei Catholicæ converterentur. Ex quo autem numerus annorum, intra quos Annatæ illæ solvi debeant, nunc longo intervallo transactus sit, neque Annatæ illæ in hunc usum, in quem decreta sunt, sint conversæ, &c. Goldast. Const. Imp. Tom.1. p.447. 453. 463.* Quibus sanè verbis & Germani Proceres & Carolus Imperator militari magis fiducia, quam accurata rerum peritia perorabant; & armis quàm Chartis instructiores; ne meminerant quidem Concordatorum non ita pridem, anno scilicet 1447. initorum inter Fidericum III. Imperatorem hinc, gentemque Germanicam, inde Nicolaum V. Pontificem. *Rainal. an.1512. n.56.* In iis enim prolixè de Annatis disseritur, at de bello Turcico verbum fit nullum; & adeo non arctantur ad aliquid Annatæ, ut eæ contra colligendæ pronuncientur, donec ea Constitutio in Concilio Generali consensione gentis Germanicæ commutetur. *Duretque hæc observantia deinceps, nisi eam similiter in futuro Concilio de ipsius nationis consensu contingat immutari.*

Suum tunc virus quaqua versum spargebat novella hæresis hominumque facilè mentes à Pontificis studio alienabat, & in has agebat intemperias. Nec aliter sentiendum de Articulo secundo Edicti Aurelianensis in Gallia, ubi comprimuntur, vel suspenduntur Annatæ, donec de iis Regi cum summo Pontifice convenerit. Hic Articulus revocatus est Edicto Carnotensi anno 1562. Irriti verò jacuerunt Germanorum conatus de Annatis, quas illi non satis sejungebant à Decimis. Verè enim Decimæ ad tempus modo exigebantur, & ad Infideles debellandos. In Polonia Sigismundus Rex cum consilio Optimatum anno 1543. decrevit per Oratores à Pontifice flagitare, ut in ipso Poloniæ regno ad eius defensionem Annatæ expenderetur; aliàs non passuros se, ut amplius colligantur. *Mittemus ad Sanctum Patrem Papam petitum Annatas, ut ne eas de regno efferri permittamus, sed ut remaneant pro defensione Reipublicæ in Regno. Quod si easdem impetrare non possumus, jam ex tunc renuntiare debemus eas nos nec daturos, nec efferri permissuros. Statut. Polo. cap.15.* Inutiles & hos fuisse Poloniæ conatus facilè ex Germania auguramur.

XIII. Ut superioribus plusculum luminis aspergamus, ex Pagoano mutuabimur interpretationem quarundam vocum suprà non semel à nobis adhibitarum. Quo nempe distent Annatæ, servitia communia, minuta servitia, & Quinta decima. Annata penditur pro omnibus prorsus Beneficiis, exceptis Episcopatibus & Abbatiis Consistorialibus. Constat autem media parte redituum Beneficii annuorum.

rum. Ea porro ad usum Papè reservatur, & Bonifaciana dicitur, quòd Bonifacius IX. eam ita temperarit, ut nunc est. Antè enim Pontifices sibi servabant reditus unius anni cujusque Beneficii, intra triennium solvendos, tertia scilicet solvenda parte unoquoque anno. Bonifacius IX. dimidium ejus relaxavit, ea lege, ut Bullas jam descriptas & expeditas non acciperet Beneficiarius, nisi persoluta ea pecunia, quæ Pontificis ipsius & Cameræ Apostolicæ necessitatibus levandis dicata est. De hac Annata Joannes XXII. Bullam suam promulgavit, *Cum nonnulla*. Servitia communia solvuntur pro Episcopatibus & Cœnobiis Consistorialibus. Eorum media pars Pontifici addicitur, media Cardinalibus. Ideo servitia vocantur communia. Minuta servitia sunt quinque minores taxæ, Episcoporum & Abbatiarum taxis accommodatæ, & inter minusculos Curiæ Romanæ ministros partiendæ; ideoque minuta servitia appellantur. Quinta-decima postremò ille est Annata, quæ decimo-quinto quoque anno solvitur pro Beneficiis unitis. *Fagnan, in L.5. Decret. Part.5. Pag.190. & seq.*

XIV. Ab eodem autem Fagnano observatur, *Ibid. pag.93. 196.*, ab Anglis exoluta semper fuisse servitia communia & militaria, nulla habita ratione Concilii Basileensis. Sed Annatam Bonifacianam nunquam ab eis persolutam fuisse, nec verò ea in re molestos eis fuisse Pontificios ministros, quòd ab eis denarius B. Petri solveretur, verèque persolutus is sit usque ad Henricum VIII. Rursum idem observat in Gallia nihil Annatarum solvi pro Beneficiis quibuscumque, infra Episcopatus & Abbatias, quòd Concordatis & Leonis postea X. Declarationibus concessum sit, ut minora hæc Beneficia exprimantur annui reditus viginti-quatuor ducatorum, quæ summa redituum Annatis non subest. Quoad Beneficia verò Consistoralia, communia & minuta servitia solvunt, Galli contradita tantùm media parte redituum primi anni, *juxta* Constitutionem Gregorii XII. in quinquennium edita est ea Constitutio; sed exinde semper eam placuit observari. Ea tamen Constitutio locum non habet nisi in patria reducta, sive in ea Galliæ parte, quæ Galliarum Regi parebat, quando ea fuit promulgata. Observat & illud Fagnanus, in quod non facilè forsan omnes consenserint Galli, taxas servitiorum communium & minutorum Cameræ Apostolicæ non æquare nisi tertiam partem veri reditûs Episcopatuum & Abbatiarum. Ita Galli *patria reducta*, cum non solvant nisi ejus dimidium, ex Constitutione Gregorii XII. non solvunt nisi sextam partem redituum annuorum. Observatur ab eodem rursus fuisse olim Collectores per provincias à Pontificibus institutos ad has taxas colligendas. At cum ea exigendi ratio & Provinciis & Beneficiariis oneri esset, ultro citroque demum placuisse, ut Beneficiarii ipsi fructus omnes colligerent, his taxis numerata Pecunia satisfacerent. Observat denuo eam retineri formam in his omnibus, quæ nihil habeat vitii; gratis enim fieri provisionem, sive collationem Beneficiarii, & signaturam libelli supplicis; nec Annatam solvi nisi ad expeditionem Bullarum. Si qui ante expeditionem Bullarum, alteri Beneficium resignent, ii nihil solvunt, etsi verè Beneficium eis collatum fuisset. Sola supplicis libelli signatura confertur Beneficium, at illa gratis fit. Bullæ non desiderantur, nisi ut instrumenta, quibus fides fit de concesso Beneficio. Si idem Beneficium, sive Consistoriale, sive aliud quocumque sæpiùs eodem anno vacet, una tamen solvitur Annata. Ita non ad collationem Beneficii accipitur quid, sed ad sustentationem Pontificis & sacri Collegii, cui jam ab aliquot sæculis assignata est portio quædam redituum primi anni Beneficiorum.

Finis Libri secundi.

PARTIS

PARTIS TERTIÆ
LIBER TERTIUS,
IN QUO AGITUR,
De usu Canonico, & pio proventuum Ecclesiasticorum.

A temporalibus cupiditatibus alienissimi erant Clerici in usu & dispensatione rerum Ecclesiæ temporalium, & plerumque patrimonio nuntium remittebant.

CAPUT PRIMUM *P.1. l.3. c.11.*

Opum Ecclesiæ temporalium copiam, & dispensationem subiniquo animo & pene impatienter tulisse Sanctos Patres, & sanctissimos quosque Episcopos, ac Beneficiarios.

I. Plebem suam Hipponensem invitabat Augustinus, ut fundos in se omnes Ecclesiæ reciperet, induceret & curam alendi Cleri, ac sustentandorum pauperum.

II. Tum ferè laici studiosissimi erant amplificanda rei temporalis Ecclesiarum.

III. Quàm doleret Augustino, cura temporalium Ecclesiæ rerum se onerari.

IV. Mira Juliani Pomerii doctrina, de Clericorum alienissimo à carnalibus affectibus animo in copia rerum Ecclesiæ temporalium.

V. Quibus incumbit onus dispensandi res Ecclesiæ, eos non delectat nisi charitas & Voluptas pluribus benefaciendi.

VI. Nonnulla adnotantur in Beneficiariorum voluntariam paupertatem, qui nil possidebant nisi in commune, solo necessario cibo & cultu contenti degebant.

VII. Dolet vehementer Chrysostomus vicem Episcoporum & aliorum Clericorum administrationi rei Ecclesiarum temporalis mancipatorum. Ecclesia fandor, quos ante distrahebat, non retinuit, nisi ob inhumanitatem laicorum.

VIII. A' laicis ipsis dispensanda non essent temporalia bona, nisi instinctu & amore æternorum.

IX. Optabile esset, ut Ecclesiastici temporalibus absoluti curis, uni incumberent procurationi salutis æternæ, suæ & proximorum.

X. Pudet pigetque nomina & titulos Beneficiorum aliunde derivari, quàm à functionibus charitatis.

XI. Præsto se esse testabatur Chrysostomus, ut temporalia Ecclesia omnia abdicaret.

XII. Et acceptorum expensorumque rationes redderet.

I. INGENTES Ecclesiæ opes longè alio spectabant animo Episcopi quique sanctissimi, & laici carnales. Isti insanis seculi præjudiciis fascinati, cupiditatumque terrenarum æstu abrepti, honorum inde ac voluptatum copiam, ac nescio quam vanissimam felicitatem scatere somniabant. At Episcopi contra Clericique pietate insignes, permolestos hos sibi objici obices experiebantur, ne tota libertate possent spiritales degustare contemplationis & charitatis delicias. Hinc Augustino in optatis erat, ut Hipponenses cives fundos omnes agrosque Ecclesiæ in se reciperent, atque unà curam inducerent sustentandorum pauperum, alendique Cleri, cui opulentia hæc longè jucundissima foret, Eleemosynis victare, & nihil possidere, quo animi pax & tranquillitas turbatur. Votis Augustini Laici non acquievere, palamque fecere, quàm immerito eas Clericis inviderent opes, quarum onera subire ipsi detrectarent. Audiendus de Augustino Possidius. Cap.28. *Pauperum semper memor erat, eisque inde erogabat, unde & sibi suisque omnibus secum habitantibus erogabatur; hoc est vel ex reditibus possessionum Ecclesiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et dum fortè, ut assolet, de possessionibus ipsis invidia Clericis fieret, alloquebatur plebem Dei, malle se ex collationibus plebis Dei vivere, quàm illarum possessionum curam vel gubernationem pati & paratum se esse illis cedere, ut eo modo omnes servi Dei & ministri viverent, quo in veteri Testamento leguntur altari deservientes de eodem comparticipari. Sed nunquam id laici suscipere voluerunt.*

II.

II. Nec tamen necesse est ad majorem Cleri commendationem, invidiam laicis omnibus conflari. Si erant enim in iis, qui Cleri divitiis & inviderent, & obtrectarent: erant & utilitatis Ecclesiarum amantiores, qui molestè ferrent Augustini pene nimiam animi à temporali Ecclesiæ re alienationem, & hæreditates, quæ Clero legatæ fuerant, ab eo repudiatas. Id ibidem refert Possidius, nec nos alibi siluimus, quibus luculentissimis Augustinus argumentis perhonorificam hanc dilueret criminationem. Quo rursum animorum æstu plebes quandoque ipsæ exardescerent ad res Ecclesiæ augendas, declarat alia Augustini Epistola, ubi demonstrat, si plebs Hipponensis tantum non vim attulerit Piniano, viro nobilissimo, ditissimoque, ut in Ecclesia prę cæteris Hipponensi Presbyteratu initiaretur; non eo illam stimulo, studioque inceosam fuisse, quòd aliqua ex tantis ejus opibus ad se reditura esset utilitas; sed pura & casta ejus virtutum admiratione, & ejus maximè animi magnitudinis, qua illa terrena penitus omnia fastidiebat. Idque hoc documento approbat sanctus Pater, quod quantiscumque donis & largitionibus afficiatur Ecclesia, ad plebem non redundet, nisi gaudium & admiratio insignis pietatis & operum bonorum. *Non habet nisi gaudium operis vestri boni. Epist.225.* Ab ea se primò in presbyterum, postea in Episcopum electum fuisse, quòd terrenis valedixisset omnibus, ut Evangelicam paupertatis opulentiam amplecteretur. *Si in me dilexerunt, quod audierant, paucis agellulis paternis contemptis, ad Dei liberam servitutem me fuisse conversum.* Denique ita affectos esse hujus plebis animos, ut quanquam ipsi quidem terrena omnia abjicere non possent, in pretio tamen & in oculis haberent eos, qui virtute & infirmarum rerum contemptu præstantiores essent. *Bonum quod ipsi non habent, saltem in aliis diligere permittamur.* Sic animatæ persæpè erant Christianæ plebes, invidia & cupiditate procul. Hæc illis aspirabatur à Clericis virtutum aura, & fragrantia. Cum pauper & paupertatis amator esset Clerus, licèt opibus circumfluentibus, ejus exemplis & documentis imbuta plebs, Evangelicam magni faciebat paupertatem, etsi non tanto, aut tam excelso animo, ut eam ipsa sectaretur.

III. Utque ne diutius à proposito meo deviem, sentiebat Augustinus criminationem illam sollicitati & propemodum compulsi ad Clericatum Hipponensis Ecclesiæ Piniani, in se & in Clerum suum resilire, quasi spe lactatus fuisset ingentium futurarum Piniani largitionum in Clericatu profitendo. Contra Augustinus ut maculam sordes ejusmodi propulsaret, quæ ne cadere quidem in ipsum poterant, testificabatur adeo non optare se amplificatas suæ Ecclesiæ opes, terrasque, ut vehementissimè cuperet molestissimam illam excutere sarcinam, cui non successerit, quamque nec gestet, nisi hortatu & imperio charitatis, quæ jubeat, ut sese & rem longè charissimam ac suavissimam otium sacrum veritatis, saluti fratrum dependat. *Deus testis est, istam omnem rerum Ecclesiasticarum procurationem, quarum credimur amare dominatum, propter servitutem, quam debeo charitati fratrum, & timori Dei, tolerari me, non amare: ita ut si salvo officio possim, carere desiderem. Ibidem.*

IV. Non poterunt non videri pulcherrima, quæ in hanc eandem sententiam disputavit Julianus Pomerius. Ut enim manifestaret dolere & ingemiscere sæpius Clericos, quàm adgaudere terrenis possessionibus suis, observat in commune tantùm ab eis possessas fuisse, & velut commune & promiscuum patrimonium Clericorum & pauperum, postquam ipsi proprio renuntiassent patrimonio, illudque vel cognatis, vel pauperibus adsignassent, vel Ecclesiæ. *Expedit facultates Ecclesia possideri, & amore perfectionis proprias contemni. Non enim propria sunt, sed communes Ecclesia facultates; & ideo quisquis omnibus, qua habuit, dimissis, aut venditis fit rei sua contemptor, cum propositus fuerit factus Ecclesia, omnium qua habet Ecclesia, efficitur dispensator. De vita. contempl. l.2. c. 9.* Qui paternis se propriisque exuit bonis omnibus, is certissimus est paupertatis Apostolicæ æmulator. Cum is ergo postea constituetur dispensator fundorum Ecclesiæ, ut olim ad pedes Apostolorum fidelis plebs opes suas comportabat, non ille vel tantillum ab amore paupertatis, adeoque nec à paupertate ipsa recedet: sed voluntariæ paupertati thesauros adjiciet negotiosæ & laboriosissimæ charitatis. *Scientes nihil aliud esse res Ecclesia, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vendicaverunt in usus suos, ut proprias, sed ut commendatas pauperibus diviserunt. Hoc est enim possidendo contemnere, non sibi, sed aliis possidere; nec habendi cupiditate facultates Ecclesię ambire, sed eas pietate subveniendi suscipere. Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune.* Ex quibus illud tandem efficit Pomerius, illum denique piè & religiosè Beneficium quodvis possidere, qui dispensatorem se agit patrimonii pauperum; fundos reditusque religiosi Collegii, non sibi proprios, sed depositos & commendatos interpretatur; distributori futuro, non possessori; aut aliis possessuro, non sibi, ut patri pauperum & provisori, cum pauperibus pauperi, propriis omnibus repudiatis, ad vitam pauperem deinceps ex pauperum penu & patrimonio traducendam. *Itaque Sacerdos, cui dispensationis cura commissa est non solùm sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis accipit à populo dispensanda, & fideliter dispensat accepta, qui omnia sua aut parentibus reliquit, aut pauperibus distribuit, aut Ecclesia rebus adjungit, & se in numero pauperum amore paupertatis constituit; ita ut unde pauperibus subministrat, inde & ipse tanquam pauper voluntarius vivat. Ibid. c.15.*

Hinc eodem teste & authore Oeconomus institutus, qui sollicitudines temporales unus ipse sustineat, quò interim alii otii sacri tranquillitate perfruantur. *Non explendis voluptatibus ac fovendis expedit facultates Ecclesia possidere, sed congregandis fratribus, aut alendis, ut uno sollicitudines omnium in sua societate viventium sustinente, omnes, qui sub eo sunt, fructuosa vacatione potiantur spiritualiter & quietè. Ibid. c.16.* In eo sanctissimo sodalitio, qui omnibus præest; omniaque possidere videtur, reapse autem omnia ad Cleri & pauperum commodum dispensat; is curę & pręfecturæ fructum non alium capit, quàm laborem & sollicitudinem; aut si quam voluptatem, non aliam certè, quàm quòd negotio suo fratribus otium, labore quietem, æstuatione tranquillitatem pariat, non tamen sine aliqua Beneficii vice, cum fratrum tranquillitas sibi gaudio sit; quies gloriæ, virtutum incrementa cumulo fœlicitatis venturæ. *Nunc autem quod Christiani temporis Sacerdotes magis sustinent, quàm curant possessiones Ecclesia, etiam in hoc Deo serviunt: quia si Dei sunt ea, quę conferuntur Ecclesię, Dei opus agit, qui res Deo consecratas, non alicujus cupiditatis, sed fidelissimę dispensationis intentione non deserit, &c. Ut quidquid omnibus occupationibus absoluti proficiunt, fructus illius, qui unus pro multis occupatus est, fiat; atque ita ille, qui sollicitudines omnium sub se servientium portat, in congregatione sua proficiente proficiat; ut sicut illius occupatio omnium suorum facta est fructuosa vacatio, ita omnium discipulorum perfectio gloriosa, magistri honor habeatur & gloria. Ibid. c.16.*

VI. Hi ſunt gradus abdicationis & paupertatis, ſi fari licet, priſcorum Epiſcoporum, qui in ſumma quadam opum abundantia, undique affluentium ex divitibus, quocumque effluentium in pauperes, medias inter opes inopem, certè parcam agebant vitam. 1. Complures eorum enim patrimonio ſe exuerant, & ita devoverant ſe ei paupertati, quæ nihil omnino ſuum, nihil propriè poſſidet. 2. Ubi poſtea ad Epiſcopale culmen adſciſcebantur, vel ad alia Beneficia, inde ſuſtentabantur uti pauperes, ex pauperum rebus. 3. Si locupletis Eccleſiæ fundos & reditus adminiſtrandos ſortiti eſſent, ita eos habebant & univerſæ Congregationi communes, nulli proprios; ita ut ditiſſimæ Eccleſiæ Clerici & Beneficiarii nihil propriè poſſiderent, quin ipſi pauperis Chriſti poſſeſſio eſſent. 4. Qui ſacris hujus cujuſlibet Collegii rerum Adminiſtrator erat, is nihilo cæteris ditior, ſed multò occupatior & ſollicitior erat; non illi quiſquam fratrum invidebat, quin ipſe eorum ſeceſſum & Contemplationis otium concupiiſſet, ſi per leges Eccleſiæ licuiſſet & charitatis. 5. Ad id denique Clericorum omnium vota ſuſpirabant, qui pietati ſtudebant, ut fundis & hæreditatibus exonerati, quorum adminiſtratio curarum & ſollicitudinum ſpinis implicata eſt, ſportulis victitarent & diſtributionibus, quæ ita corpus fovent, ut mentem non ſollicitent, ne obnubilent quidem.

VII. Adeundi ſunt nobis nunc Eccleſiæ Græcæ ſacri Proceres, ut ab iis perdiſcamus, & à Chryſoſtomo præ cæteris, quo demum animo, quo conſilio & fructu ſineret ſe Eccleſia gravari, ac pene obrui fundis ac poſſeſſionibus terrenis, cum ipſa ad id unum anhelet, & anhelare nos jubeat, ut è terrenis omnibus disjungamur. Teſtatur Chryſoſtomus Laicorum inclementiam & ſordes illum Clericis injeciſſe metum, ne pauperes & orphani, virgines & viduæ neceſſario victu deſtituerentur, ſi ſolis oblationibus & eleemoſynis fidelium victitarent, in cauſa id fuiſſe, ut terræ & hæreditates retinerentur, quas & ſatius & lætius fuiſſet diſtrahi ut olim, ne quid Clerici poſſiderent, quod eos ab æternorum contemplatione avocare & deponere poſſet. *Nunc agros, domus, locationes ædificiorum, vehicula, equos, mulos, multaque alia hujuſmodi propter vos & veſtram crudelitatem Eccleſia poſſidet. Oportebat enim hunc Eccleſiæ theſaurum vos retinere, ac Eccleſiam non parvos ex veſtra devotione conſequi fructus. Modò autem duo quædam mala committuntur: Num vos quaſi nihil dare debetis, nihil confertis: & Dei Sacerdotes à Sacerdotio aliena pertractant. An non poterant etiam tempore Apoſtolorum domus & agri ab Eccleſia poſſideri? Cujus igitur rei gratia vendentes pecuniam offerebant? Quia id multò melius erat profectò. Nunc verò ſæcularium curu rerum vobis ſarentibus, timor noſtros invaſit Patres, ne dum colligere ac nihil ſeminare ſtudetis, viduarum, orphanorum & virginum multitudo fame depereat. Qua re commoti, hæc ſibi comparare coacti ſunt. In Matth. hom.37.*

VIII. Specimen id erat ſanctimoniæ longè pulcherrimum, ubi Laicos non agebat ad agrorum culturam, niſi pietatis & religionis inſtinctus, quo ſummo cœlorum, terrarumque, & æterno domino, cujus ſe ſervos profitebantur, tributum ſolverent, fructuſque laborum ſuorum Sacerdotibus ejus alendis offerrent. Ubi ſimiliter Clerici terrenis affectibus prorſus expediti & curis, æternæ eorum adlaborabant ſaluti, à quibus temporali cibo interim paſcebantur. Ea erat beatiſſima priorum naſcentis Eccleſiæ ſæculorum ſors & conditio, ac veluti aurea ætas. Fœdiſſimum contra eſt, Laicos ita terræ affigi, ut terreſtres & ipſi fiant; terramque magis, quàm animum excolere: Clericos cœlis refigi, illidi terris, & temporalibus fatigari nego-tiis, quibus unum opus, unum negotium eſſe debuerat, ſecum populos in cœleſtem abripere patriam. Alendi eſſent Clerici non alio magis ex agro, quàm ex fidelium pietate, occupandi verò eſſent ſola populorum ſempiternæ ſalutis ſollicitudine. *Non libenter ad hanc deformitatem immiſerunt, qui deſiderabant fructus ex veſtra devotione ſic acquirere, ut orationibus ſolùm poſſent attendere. Nunc verò coegiſtis eos, eorum, qui ſæcularia gerunt negotia, curam & adminiſtrationem imitari: unde & univerſa commiſcentur, atque turbantur. Cum enim & nos eadem, qua vos ſollicitudine teneamur, quis propitium faciet Deum? Propterea os aperire non poſſumus, quia non melius Eccleſiaſtica, quàm ſæcularia gubernantur. Ibidem.*

IX. Stupenda & dolenda vehementer ea perverſitas eſt. Cum à Laicis tractanda eſſent temporalia, afflatu & oeſtro quodam pio religionis tanquam à Dei & Eccleſiæ vectigalibus, ex terræ cultu cœleſtes demetentibus fruges, terreniſque fructibus cæleſtes ſibi comparantibus mercedes: contrà accidit, ut Clerici cæleſtia tractent mente terrenis referta nugamentis, ſæcularibus implicentur curis, quibus explicare cæteros debuerant. Apoſtoli ne diſpenſatores quidem ſe diutiùs eſſe voluerunt eleemoſynarum, cum impræſentiarum Epiſcopi pene villicos ſe prædiorum Eccleſiæ agant. *Non audiſtis quia nec quidem has pecunias, quæ abſque labore fuerant collectæ diſtribuendas putaverunt Apoſtoli? Modò autem procuratores diſpenſatores, caupones redacti ſunt Epiſcopi, ob iſtarum rerum curam & ſollicitudinem. Cumque oporteat eos animarum curam veſtrarum habere, hoc prætermiſſo illa ſollicitè curant, quæ publicanis, quæſtoribus atque villicis curanda ſunt. De his quotidie cogitant & pervigilant. Ibidem.*

X. Pudebat pœnitebatque Chryſoſtomum, Clericorum functiones & munia iiſdem deſignari nominibus, quibus ſæcularium; cum ut Apoſtolicis temporibus, ita etiamnum derivanda eorum eſſent nomina, & inſignia, ex alimonia pauperum, oppreſſorum tuitione, hoſpitum cura, viduarum & orphanorum defenſione. Si res ita jam comparatæ eſſent, non ea in Cleri opes dicteria jactarentur; nec Clericis dici poſſet, quod ſæculari Chriſtus dicebat, Vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me. Nec enim ſequitur Chriſtum, niſi ſæcularibus ſarcinis expeditus quis ſit. *Oportet hæc mutari, & inde Presbyteros nominari, unde Apoſtoli leges ſanciebant; à nutritione videlicet, inopum eorum, qui lædebantur protectione, ac diligenti erga peregrinos cura, à patrocinio eorum, qui opprimuntur, à cura in orbos parentibus, à protegendis viduis, à defendendis virginibus. Hæc officia loco villarum & domorum cura, Presbyteris diſtribuere decet: hæc ornamenta Eccleſiæ ſunt, iſti convenientes theſauri, &c. Nec tot probra & convitia ſuſtineremus, quòd nimium ad poſſeſſiones ſimus attenti. Illud enim Evangelicum: Vade & vende univerſa, quæ habes, & da pauperibus, & veni ac ſequere me, opportunè tunc ad Eccleſiæ Præſides, propter latas Eccleſiarum poſſeſſiones, ac meritò dici poteſt. Non enim ſequi Chriſtum aliter poſſumus, niſi omnis craſſioris & ſæcularis curæ ſimus expertes. Nunc verò, proh dolor! vendemiæ ac merſi, Dei Sacerdotes, & venditioni ac emptioni fructuum aſſiſtunt, &c. Ibidem.*

XI. Ne id verò totum imputes eloquentiæ Chryſoſtomi quaſi exæſtuati. Ex animo ille & toto pectore flagrabat, cupiebatque, ut Laici ſuccederent in curam agrorum Eccleſiæ, pauperumque fovendorum, & Clericorum temporalibus his præſidiis; ut his vinculis explicatus Clerus, totus in æterna vergeret, plebeſque eodem ſecum raptaret. *Hæc non fruſtra deploro, ſed ut harum rerum correctio & mutatio quædam in melius fiat: ut & nos,*

qui gravem hunc servitutem patimur misericordiam consequamur, & vos fructus & thesauros Ecclesiæ præparetis.

XII. Rursus alio loco idem Chrysostomus fidem facit, quantumvis immensam quandam in struem exaggerata viderentur Ecclesiæ bona, haud tamen paria fuisse infinitæ pauperum & miserabilium multitudini, præstaturum se eorum omnium rationes ubi res flagitaverit; suis bis ingemiscere Ecclesiam possessionibus; ut cui antiquius optabiliusque esset in pietate sola & charitate fidelium fundos suos omnes habere; denique immiti & à misericordiæ teneritudine alienissimæ Laicorum menti imputandum esse, quòd fundos & hæreditates sibi legatas Ecclesia retinuerit. *Ne hoc proferamus prætextu, nec existimemus esse defensionem, quòd Ecclesia multa possideat. Quando ejus facultatum videris magnitudinem, cogita etiam inscriptorum pauperum greges, ægrotantium multitudinem, &c. Sumus et tum parati reddere vobis rationem, &c. Ecclesia propter vestrum parcitatem necesse habet habere, quæ nunc habet. Nam si omnia agerentur congruenter legibus Apostolicis, ejus proventuum oportet esse vestrum animum, quod quidem & tutum esset penarium, & thesaurus, qui non posset consumi. Nunc autem cum vos quidem thesaurizatis super terram, & omnia in vestris includatis penariis: ipsa autem necesse habet impendere viduarum cœtibus, choris virginum, hospitum adventibus, peregrè proficiscentium afflictionibus, eorum, qui sunt in vinculis calamitatibus, eorum, qui sunt manci ac mutili necessitatibus, & aliis hujusmodi causis, quid facere oportet? In Epist.1. ad Corinth. hom.25.*

CAPUT II. *P.1, l.3, c.12.*

Episcopos, Clericosque alios perfectionis amantiores patrimonia ejurasse, cum inscriberentur Clero, prioribus Ecclesiæ sæculis.

I. Clerici ac Beneficiarii terrenas res possidebant citra terrenorum affectuum contagium, cum eorum plerique patrimonio renuntiassent.

II. Ad eos eligendos sibi Episcopos gestiebat plebs, qui omnia temporalia abdicassent. Exemplum Augustini.

III. Idem sanctissimus Pater Clerum omnem suum eodem abdicationis vinculo volentem astrinxit.

IV. Presbyteri morientis successionem Ecclesiæ relictam repudiavit.

V. Semel eam abdicationem sponte professo, jam flagitiosum erat quid quam proprii possidere.

VI. Nullum primò ordinabat Augustinus, qui non eam paupertatem profiteretur: propositi desertores Clericatu exuebat. Postea hoc extremum mitigavit.

VII. Pauca aliqua advertuntur in hanc Augustini institutionem.

VIII. Semel tantùm se continuit, ne propositi desertorem Clericatu abdicaret.

IX. Justissimis laudibus eos cumulat Julianus Pomerius, qui patrimonio retento famulantur Ecclesiæ, nec ex ejus rebus, reditibus, stipendiis quidquam debibant.

X. Ad perfectionem tamen accommodatius est, omnibus prorsus renuntiare, & solis Ecclesiæ vitam tolerare distributionibus.

I. STrictim illud attigimus Capite superiori, insigne monumentum abdicationis ejus, qua Clerici res Ecclesiæ possidebant, in eo effulsisse, quòd suo se antè patrimonio exuerent. Qui enim paupertatem Evangelicam antepofuerant paternis hæreditatibus & prædiis suis, non ii ferè jam poterant patrimonio pauperum laservire & locupletari velle. Hoc ergo Capite, quod Superiori sumpsimus, approbandum est, priscos Episcopos ac Clericos perfectionis Evangelicæ studiosiores, non in dignitatem tantùm, sed & in paupertatem etiam, ceterasque virtutes Apostolorum succedere se voluisse.

II. Id confirmat Augustinus ipse, rudem fidelium plebem, etsi minimè sectatricem, at admiratricem tamen usque adeo fuisse Evangelicæ & Apostolicæ paupertatis, ut ad Clericatum ferè eligeret quos comperisset propriis omnibus renuntiasse. Proprio sui ipsius ad illc declarat exemplo, ad quem eligendum concitata non fuisset civitas Hipponensis, nisi admiratione & amore spontaneæ paupertatis, quam ejurato patrimonio professus esset. Ex quo illud ab Augustino concluditur, si qua vis in speciem videatur allata fuisse Piniano ab eadem plebe, ut Clericatum Hippone maximè amplexari vellet; nihil ibi terrenæ cupiditatis intervenisse, sed admirationi potiùs fuisse plebi, Piniani à terrenis cupiditatibus alienationem. *Non ergo populus ut de tanto viro Ecclesia consuleret suæ ardentissimè flagitans, suum pecuniarium quæsivit commodum à vobis, sed vestrum pecuniæ contemptum dilexit in vobis. Nam si in me dilexerunt, quod audierant, paucis agellulis paternis contemptis, ad Dei liberam servitutem me fuisse conversum; neque in hoc inviderunt Ecclesiæ Tagastensi, quæ carnalis patria mea est; sed cum illa Clericatum mihi non imposuisset, quando potuerunt, habendum invaserunt; quantò flagrantiùs in nostro Piniano amare potuerunt, tantam mundi hujus cupiditatem, tantas opes, tantam spem, tanta conversione superatam atque calcatam. Ep.225.*

Tradit alibi Augustinus ea se religiosæ paupertatis & Evangelicæ perfectionis pulchritudine ita incensum fuisse ad amorem cælestium, ut seculares abruperit compedes; nec à se abjecta esse amplissima quædam patrimonia, uti neque ab Apostolis; sed multum abjici, cum totum repudiatur; multum abjici, cum spes omnis, omnis cupiditas amputatur. *Ego qui hæc scribo, perfectionem, de qua Dominus locutus est, quando ait diviti adolescenti: Vade, vende omnia, quæ habes, & habebis thesaurum in cælo, & veni & sequere me: vehementer adamavi, & non meis viribus, sed e gratia ipsius adjuvante sic feci. Neque enim quia dives non fui, ideo minus mihi imputabitur. Nam neque ipsi Apostoli qui priores hoc fecerunt, divites fuerunt. Sed totum mundum dimittit, qui & illud, quod habet, & quod optat habere, dimittit. Ep.89.* Addit denique sanctissimus Doctor, quo cœlitus dono muneratus sit, eo se pro virili sua cæteros impertiri, ut omnes cohortetur ad possessiones omnes terrenas conculcandas, quo Deum unum possideant, & ab eo possideantur; nec infructuosas penitus fuisse cohortationes suas, habere se sui propositi imitatores & socios locupletissimæ paupertatis, qui tamen non animi magnitudine, quàm modestia commendatiores sint & nequaquam eos aspernentur, qui ad idem perfectionis culmen non evolarunt. *Et ad hoc propositum, quantum possum viribus alios exhortor, & in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est: sic tamen ut præcipuè sana doctrina teneatur, nec eos, qui ista non faciunt, vana contumacia judicemus.*

III. Postremis his verbis concepit Augostinus Pelagianos, qui laicos ipsos compellebant ad Evangelicæ perfectionis consilia complectenda. At Clericos ille haud dubio designat suos, quibuscum in com-

communis vitæ sociatatem coaluerat in Seminario suo, ex quo Presbyteratu ioitiatus fuit, cum ait habere se sui instituti ęmulatores & alumnos. *Cœpi boni propositi fratres colligere, compares meos, nihil habentes sicut nihil habebam, & imitantes me, ut quomodo ego tenuem paupertatulam meam vendidi & pauperibus erogavi, sic fecerunt & illi, qui mecum esse voluissent, ut de communi viveremus. Commune autem nobis esset magnum & uberrimum prędium ipse Deus. De Diversis. Serm.49.* Postquam verò Episcopatu auctus est, in Episcopales ędes suas Clericos ille suos omnes adgregavit, omnesque adduxit, ut communis vinculo vitę constricti, proprias res omnes ejicerent. *Volui habere in ista domo Episcopi, mecum Monasterium Clericorum. Ecce quomodo vivimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium. Sed fortè aliqui habent, Nulli licet. Si qui habent, faciunt quod non licet.* Indulgentiam & charitatem spirabat tota Augustini ratio & institutio, ideoque nec morosius ille suos scrutabatur, nequid furtim proprii retinerent; vel suspicari aliquid obliquius nefas sibi esse ducebat. *Bene autem sentio de fratribus meis, semper bene credens ab hac inquisitione dissimulavi. Quia & ista quærere, quasi malè sentire videbatur. Noveram enim & novi omnes, qui mecum viverent, nosse propositum nostrum, nosse legem vitę nostrę.*

IV. Inscriptus est tamen Seminario Augustini Januarius Presbyter. Omnia illum pauperibus distribuisse fama manavit, quanquam ab eo aliquid pecuniæ sepositum esset, ut quod vel proprium jam esset filiæ teneræ adhuc, quæ alebatur in Monasterio, vel illi destinaretur. Morbo paulò post oppressus Januarius, vita migravit, condito antè testamento, quo hęredem sibi scribebat Eccllesiam. Mirum quantum ex ea hęreditare ceperit dolorem Augustinus, iniquissimè ferens, & puellam paterna frustrari hæreditate, & ea augeri Ecclesiam non sine sacri propositi contumelia. Cum enim Januarius paupertatem in limine ipso Seminarii professus esset, jam testandi facultate orbatus erat; & si qua ei superfuisset facultas ejusmodi, frustrari paterna successione non poterant filius & filia, qui valde immatura ętate in Monasteriis alebantur, ille virorum, hęc virginum. Nec Augustino tantùm, sed & sanctissimo ejus Collegio gravissimum vulnus ea hęreditate inflictum est. *Testamentum fecit Presbyter socius noster, nobiscum manens, de Ecclesia vivens, communem vitam profitens, testamentum fecit, haredem instituit. O dolor illius societatis! ô fructus natus, non de arbore, quam plantavit Dominus! Sed Ecclesiam scripsit haredem. Nolo munera ista, non amo amaritudinis fructum. Ego illum Deo quærebam, societatem professus erat, hanc teneret, hanc exhiberet, nihil haberet, testamentum non faceret. Habebat aliquid, non se nostrum socium, quasi Dei pauperem fingeret. Magnus inde mihi dolor est, fratres. Dico charitati vestra, propter hunc dolorem statui hareditatem ipsam in Ecclesia non suscipere. Filiorum ipsius sit, quod reliquit, ipsi inde faciant, quod voluerint. Ibid.*

V. Duplex ergo ibi ratio respuendæ hæreditatis. Primo quòd paupertati addicti in ipso vestibulo sanctissimæ Societatis, nec possidere proprii quidquam jam possent, nec testamento largiri. Secundo quòd in gratiam Ecclesiæ filios exhæredes facere, res fuerit omnium maximè præpostera, eum nihil dulcius, nihil Ecclesiæ commendatius sit, quàm ut inconvulsæ charitatis nexu filios parentibus devinciat. Unum illud hic adverto, quod nonnisi Seminarii sui Clericorum testamenta damnaret Augustinus, ut qui proprii aliquid recondidisse non potuissent, nisi voti & propositi sui manifesta transgressione. Cæteros autem Clericos, qui se aureis illis non obligassent vinculis Evangelicæ perfectionis, eos sinebat ille tota infirmitatis suæ libertate uti in testando, si libertas ea, & non servitus dicenda est sub tanta mole sæcularium impedimentorum. *Modo quia placuit illis Deo propitio socialis hac vita, quisquis cum hypocrisi vixerit, quisquis inventus fuerit habens proprium, non illi permitto, ut inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula Clericorum. De diversis Serm.50.*

VI. Asperior aliquantò fuerat prior Augustini disciplina. Nec enim quemquam ordinabat, quin societati se adglutinaret vitæ communis, & voluntariæ devoveret se paupertati: si qui animi levitate hinc descivissent, eos Clericatu spoliabat. Hujus exauthorationis formidine nonnulli simulata paupertatis professione fefellerunt, & res proprias clam habuerunt. Tantò id flagitiosius Augustino visum est, quantò occultius. Ad ejus mali procurationem remisit Augustinus de priore sua austeritate nec Clericatum jam abstulit Seminarii sui desertoribus; non quò posse illos existimaret impunè desponsam Deo fidem & paupertatem abjicere: sed quod satius jam duceret commonere illos tantum, quantum se ipsi conjicerent in baratrum damnationis, eosque divinis permittere judiciis, non paulò formidolosioribus, quàm humanis. *Certè ego sum, qui statueram sicut nostis, nullum ordinare Clericum, nisi qui vellet mecum manere, ut si vellet discedere à proposito, rectè illi tollerem Clericatum; quia desereret Sancta Societatis promissum, cœptumque consortium. Ecce in conspectu Dei & vestro, muto consilium. Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus & Ecclesia sua maneant, ubi volunt, & ubi possunt, non eis aufero Clericatum. Nolo habere hypocritas. Malum est cadere à proposito, sed pejus est simulare propositum. Ecce dico, audite: Qui Societatem communis vita jam susceptam, qua laudatur in Actibus Apostolorum, deserit, à voto suo cadit, & à professione sancta cadit. Observet judicem, scilicet Deum, non me. Ego ei non aufero Clericatum. Quantum sit periculum, ante oculos ejus posui, faciat quod vult. De Diversis Serm. 46.* Duo quædam instituerat sanctus Pater. Alterum ut ne quem ordinaret, nisi qui communis secum vitæ societatem & paupertatem profiteretur in Seminario. Alterum ut Clericato ejiceret tam sancti propositi transfugas. Hoc postremum inflexit ac revocavit, ut ne amplius desertores Clero exauthoraret; prius autem illud constantissimè retinuit.

VII. Hinc observanda se ingerent non pauca. 1. Quàm persuasum esset Augustino, consentaneum in primis esse, ut Claricis non alia sit portio, non alia sors, quàm Deus & Ecclesia, quod & nomine ipso suo profitentur: ut Evangelicæ vitæ consilia complectantur ipsi cum ad ea sectanda hortandi subinde sunt ipsi, laici; ut Pastores ipsi, & Principes cum sint, ita vitam, instituant, ut ovium, ut laicorum non pauci, ne Monachos, ne Moniales dicam: ut denique grex ipse totus primorum quondam fidelium. 2. Quàm latè pateret cujusque potestas Episcopi in administratione populi Clerique sui. Cum tametsi reliquus Christianus orbis more & jure contrario uteretur, fas esset tamen Episcopo Hipponensi Clericum ordinare neminem, qui non antè propriis rebus omnibus renuntiaret. 3. Ab Augustino Clericatu initiatum esse deinceps neminem, qui non ejus Seminario adgregaretur & vitę communi in reliquum vitæ tempus, quod ut perfectius, ita & operosius erat, quàm quod nunc à compluribus nostratium factitatur Episcoporum, ut non antè cuiquam Ordines conferant, quàm vel semestre tempus, vel annum integrum institutionibus Seminarii imbuti sint. 4. Ex quo & illud nascitur, Augustinum non aliunde Parochos omnes suos, vel Diœceseos suæ Beneficiarios accersisse,

Tom.III.

quàm ex Seminario suo, cum non alios sacris initiaret Ordinibus.

VIII. Quod ad immutatum autem attinet illud caput prioris instituti beati Augustini, ut ne desertores vitæ communis Clericatu spoliaret, id semel tantummodo relaxatum ab eo est, ut Clericis suis permitteret, vel iterum explicitè profiteri paupertatem in Seminario, vel & à professione priori & à Seminario discedere. Id semel ab eo indultum est. Nam qui tum priorem suam vitæ communis & paupertatis professionem confirmarunt, illis jam integrum non amplius fuit ab ea recedere, nisi ut omnibus Cleri gradibus & ordinibus dejicerentur. *Sero me dixisse, quod si nollent suscipere vitam socialem mecum, non illis tollerem Clericatam, sed seorsum manerent, & seorsum viverent; quomodo possent, Deo viverent. Et tamen ante oculos posui quantum mali sit à proposito cadere. Malui enim habere claudos vel caecos, quàm plangere mortuos. Qui enim hypocrita est, mortaas est. Quomodo ergo qaicamque voluisset extra manere, & de suo vivere, non tollerem ei Clericatam; ita modò quia placuit illis, Deo propitio, socialis hæc vita, quisquis cum hypocrisi vixerit, quisquis inventus fuerit habens propriam, non illi permitto ut inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula Clericorum. Interpellet contra me mille Coacilia, naviget contra me, quò voluerit, sit certè ubi potuerit; adjuvabit me Deus, ut ubi ego Episcopus sum, illic Clericus esse non possit.* De divers. Serm. 50. Hinc diluducidum fit. 1. Ordinatos ab Augustino Clericos fuisse nullos, nisi qui se vitæ communis in seminario & paupertatis voto obligarent. 2. Si qui ab hoc proposito suo deficerent, eos Clericatu exutos fuisse. 3. Semel ab ejus instituti rigore deflexisse Augustinum, concesso semel, ut privatim sibi degerent, qui re non satis perpensa videbantur sibi prius illud propositum arripuisse. 4. Quanquam hos sineret sejunctim suo arbitratu vivere, nihilo segnius intentabat illis, in quantum se periculum saluti conjicerent, abjecto sanctioris vitæ proposito. 5. Ita existimasse Augustinum, tolerabilius esse, à Congregatione & à professione, quam semel amplexati essent, apertè discedere, quàm in ea præter propositum suum aliquid clam possidere, & simulatione cumulare facinus contaminati voti, quod Deo nuncupassent. 6. Qui semel pristinæ restituti libertati, communem rursus vitam professi sunt, eos deinceps non potuisse rursus propriè aliquid possidere, nisi ut sacro sodalitio, & Clericorum albo expungerentur. His adde damnatos nihilominus & hæreticis annumeratos ab Augustino in libro de Hæresibus fuisse eos, qui se Apostolicos dici volebant, & qui præcepti vi & lege urgebant, porrigebantque ad fideles omnes, quod consilii est, & proprium Monachorum decus, ac nonnullorum ex Clero. Non abhorrebant ab his ii, quos mox ait idem Sanctus Pater, voluisse omnino, ut nudis omnes pedibus ingrederentur. Qua de re luculentè alibi Augustinus, *In Psal. 83.*, Virginitatem Cœlibatum, vitam communem, paupertatem in arbitrio & libera cujusque potestate esse demonstrat ante votum, post votum jam inexplicabile indui necessitatis nexus.

IX. Utcumque indulgendum & clementer interpretandum existimat Julianus Pomerius, si quis Clericatu initiatus patrimonium retineat, dum interim de patrimonio etiam vivat, Ecclesiasticos proventus ne attingat vel primoribus labris, sed iis dimittat fruendos, qui patrimonio vel semel renunciavere, vel caruere semper. *Illi autem, qui tam infirmi sunt, ut possessionibus suis renunciare non possint: si ea, quæ accepturi erant, dispensatori relinquant, nihil habentibus conferenda, sine peccato possident sua. Quia & ipsi quodammodo sua relinquunt quando propriis contenti rebus, nihil eorum, quæ labori vel ordini suo deberi arbitrantur, accipiant.* L. 2. c. 12. Extremis his verbis gemina insinuatur ratio abdicandi proprii, utraque pietati accommodata. Primò si se quis familiari re prorsus exuat, & cum cæteris Ecclesiæ Clericis ac Beneficiariis vitam toleret sportulis & distributionibus contentus. Secundò si retentis ad sui sustentationem patrimoniis, de Clericorum distributionibus, eleemosynis, proventibus ne tantillum quidem decerpat, nec segnius tamen Cleri functionibus & laboribus incumbat.

X. At verò si non pœnitendæ perfectionis gradus is est, retento patrimonio, Beneficiis & Ecclesiasticis proventibus sese prorsus abstinere; multò elimatioris illud erat perfectionis specimen, ut patrimonio funditus repudiato, jam non victitaret quis nisi eleemosynis, hoc est distributionibus, qui soli tum erant Beneficiorum proventus. Hæc enim abdicatio terrenarum possessionum omnium, brevissima est citra dubium & tutissima ad eam perfectionem via, qua quis nihil foris possidens, Deum possidet, & possidetur à Deo, qui Clericatus propriè genius est. Nihil Deo par, nihil secundùm, unus ipse sine fine, sine modo beatissima possessio est. Possideri cumulatè non potest, nisi unus possideatur. Non ea est mentis nostræ amplitudo, quæ illum, & quidvis aliud præter illum complectatur. Præstat ipsum audire Julianum Pomerium. L. 2. c. 16. *Proinde quem possidendi delectat ambitio, Deum, qui possidet omnia, quæ creavit, expedita mente possideat, & in eo habebit, quæcumque habere sanctè desiderat. Sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur à Deo, sit ipse primitus Dei possessio, ut & efficiatur ei Deus possessor & portio. Et quid potest esse eo felicius, cui efficitur suus conditor census, & hæreditas ejus dignatur esse ipsa divinitas, si modò eum sanctis operibus colat, omnes fructus ex illo percipiat, in illo & de illo jugiter vivat, & nihil terrenum cum illo possideat. Quia omnium conditor, cui nihil eorum, quæ fecit, valet æquari, non dignatur cum his, quæ condidit, possideri. Denique quid ultra quærit, cui omnium suus conditor fit? aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit.* Si cujus in animi penetralia hæc altiùs descenderint, is facilè confitebitur cum Pomerio, ægritudinis esse & infirmitatis non mediocris, non posse Deo uno contentum degere; non satis sibi esse possidere eum, qui continet & possidet omnia; pauperem sibi videri, cum Deum in mentis recessu reconditum habeat; terrenis possessionibus jejuniorem sibi visi videri Dei possessionem; & qui de eo in illo vivant, eos minùs feliciter vivere. Procul erant ab ea allucinatione Paulinus & Hilarius, de quibus mox ibidem, *c. 9.*, agit Pomerius, qui primo statim ipso temporis puncto, quo ad Deum conversi sunt, immensas opes suas abjecerunt, postque ad Episcopatum provecti sunt, Nolanum ille, hic Arelatensem, ut mox à nobis referetur.

CAPUT III. *P. 1. l. 3. c. 13.*

De eodem, Episcopos, & Clericos perfectionis cupidiores, patrimonio valedixisse, per quinque priora Ecclesiæ sæcula.

I. Vel eligebantur, qui terrena omnia abdicassent, vel ea abdicabant, cum primùm electi fuerant. Exemplum Beati Paulini.

II. III. Exempla Cypriani & Ambrosii.

IV. Ambrosii invitamenta ad Clericos omnes.

V.

V. Exemplum B. Felicis Nolani Presbyteri.

VI. De iis, qui patrimonio, vel labore manuum victitabant, res & reditus Ecclesiæ pauperibus dimittebant.

VII. Ex Hieronymo Clericos invitante, ut ne quid possideant.

VIII. Carpere de rebus Ecclesiæ eos non debere, nisi necessaria ad victum. Exemplum Nepotiani.

IX. Beati Martini sententia.

X. Exempla Basilii, Nazianzeni, Chrysostomi.

XI. Doctrina Nazianzeni.

XII. Exemplum Theodoreti.

XIII. Doctrina Epiphanii de iis, qui in pauperes effundebant patrimonia, reditus Ecclesiasticos, partem aliquam pretii laboris manuum.

XIV. XV. Exempla Epiphanii, & Porphyrii Gazæ Episcopi.

I. REI, quam versamus illustrandæ adprimè conducunt duo hæc capita, & terrenis plerosque se spoliasse rebus omnibus, quò puriùs Clero adscriberentur; & qui se his vinculis expedissent sua jam sponte, eos ad sacros Ordines accersiri ac rapi solitos fuisse. Nec cogitatio inciderat B. Paulino sacrorum Ordinum, quando opulentissima patrimonia & avitas distraxit & pauperibus distribuit hæreditates. Unum ille hoc meditabantur, ut in religiosæ se vitæ secessum aliquem abderet. Audi quid de eo scripserit Ambrosius. *Epist.36. Paulinum splendore generis in partibus Aquitaniæ nulli secundum, venditis facultatibus tam suis, quàm etiam conjugalibus, in hoc se induisse cultus ad fidem comperi; ut ea in pauperes conferat, quæ redegit in pecuniam, & ipse pauper ex divite factus, tanquam deoneratus gravi sarcina, domui, patriæ, cognationi quoque valedicat, quò impensius Deo serviat. Elegisse secretum dicitur Nolanæ urbis, ubi tumultum fugitans, ævum exigat.* Et infrà *Christianus vir attentior sanctæ Religioni vestem mutavit.* Illa, ut apparet, terrenorum opum & dignitatum despicientia Lampium Barcinonensem Episcopum adduxit, plebemque omnem ejus civitatis, ut fugitantem ac detrectantem cogerent Paulinum Presbyteratu initiari, ut ab ipso Paulino narratur. *Ep. 35. apud Augu.*

II. Cyprianus quoque vanas terrenarum opum præstigias conculcaverat & ejuraverat, cum sacro baptismatis fonte ablueretur, nec multò post Presbyter, mox Episcopus ordinatus est, uti refert Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. *Christianus factus omnem substantiam suam pauperibus erogavit, ac post non multum temporis electus in Presbyterum, etiam Episcopus Carthaginensis constitutus est.*

III. Contra Ambrosius ad Episcopatum primò electus est, & ne degener tam sancto accederet ministerio, res suas statim omnes Ecclesiæ contulit, usufructu earum sorori reservato, sibi servata sola Christi paupertate, quæ orbem universum collocupletavit. *Prædiaque habebat, reservato usufructu germanæ suæ, donavit Ecclesiæ: nihil sibi, quod hic suum diceret, derelinquens, ut nudus atque expeditus Christi miles, Dominum suum sequeretur, qui cum dives esset propter nos pauper factus est, ut nos ejus inopia ditaremur.* Hæc Paulinus in ejus vita. Quod & ipsum testificatur Basilius in Epistola ad Ambrosium ipsum. *Qui projectis hujus vitæ opibus universis, proque damno habitis, ut Christum lucri faceret, commisse sibi Ecclesiæ gubernacula accepit. Epist.55.*

IV. Quanquam verò ad illud Evangelicæ perfectionis columen statim evectus esset Ambrosius, terrenorum omnium fastidio & renuntiatione, favere tamen & suffragari semper iis visus est, qui retenta patrimonii parte, ne oneri sint Ecclesiæ, gnaviter incumbunt excolendæ spiritali sementi, ex qua nihil unquam temporalis lucri demessuri sunt. Non hos ille in classem dejecit imperfectorum, quòd omnia suo quodam modo abjiciat, qui, nihil nisi necessariam sustentationem capit, sive ex patrimonio, sive ex fructibus Ecclesiæ. *Sed & si quis Ecclesiam nolens gravare in sacerdotio aliquo constitutus, aut ministerio, non totum quod habet conferat, sed operetur cum honestate, quantum officio satis est, non mihi imperfectus videtur. Offic. l.2. c.30.*

V. Nec secus forsan statuendum est de B. Felice Presbytero Nolano. Avita enim successione terræ illi domusque abundè obtigerant. Iis ille æstuante persecutione excussus est, at cum ea detumuisset, tum integrum illi erat eas jure repetere. Pii viri non pauci illum impellebant, ut jure suo uteretur, legibus ageret, nec sineret Gentiles incubare iis patrimoniis suis, quæ possent ab eo offerri Deo, & pauperibus erogari. Felix altiùs consulens, & puriori cœlorum luce perfusus, respondit: Longè luculentius à Christo insusurrari consilium, ut ne repeteret, quæ ejus causâ amisisset; hæc damna majoribus damnis, ruinas ruinis non sarciri; multa licere, quæ non expediant; non quod liceat, sed quod prosit, id anteponendum; cœlestes mercedes terrenis non postponendas; opibus sæcularibus posse se à Deo divelli, at Christiana paupertate certissimè Christum possideri. *Maluit ille tamen verbum curare Magistri: Cuncta licent, non cuncta juvant, licito utile præfert. Horruit amissos in jura reposcere fundos, &c. Cogitis ut repetam terrenas, peremnia perdam. Dives egebo Deo, nam Christum pauper habebo. Paulinus Natal. 5.* Ingentes opes suas illo hoc paupertatis amore percitus dispensaverat. *Nam prædia multa, domosque, divitiis locuples patreis, possederat hæres.* Inferiùs dicemus, ut defervescente persecutione, pepercerit ille & abstinuerit proventibus Ecclesiasticis, & suis se manibus transegerit.

VI. Idem præscribebat junioribus Clericis Ambrosius: si quid prædii haberent, ejus cultu, fructuque ali, si carerent stipendio Ecclesiæ. *Agelluli sui contentus fructibus, si habet; si non habet, stipendiorum suorum fructu. Offic. l.1. c.36.* Paupertatis genus est, obscurius quidem illud, sed à perfectione non disjunctum, prædioli cultu & manuum opere sustentari, reditus Ecclesiasticos aliis utendos concedere. Quomodocumque enim paupertas excolatur, ad eam invitantur Clerici omnes à Christo, ea ipsa, qua ipse illos constrinxit necessitate, suadendæ fidelibus paupertatis, nec exemplis dissuadendæ. *Quod si Evangelio Domini etiam populus ipse ad despicientiam opum informatus, atque institutus est, quantò magis vos Levitas oportet terrenis non teneri cupiditatibus, quorum Deus portio est? Ibid. c.50. Et in Psal.118. Octon.8.* Commendantur tamen ab Ambrosio cumulo quodam laudum Clerici ii, qui prædiis nuntium remittunt omnibus, quò toti sint in ministerii sui functionibus, & Ecclesiasticis victitent stipendiis; vituperata eorum levitate, qui Clero abire meditabantur, quò sui se patrimonii curis involverent. *Sunt quibus obstrepere studet inimicus his cogitationibus; quid mihi prodest in Clero manere, subire injurias, labores perpeti, quasi non possit ager meus me pascere; aut si ager desit, quasi aliter exercere sumptum non possim. Itaque hujusmodi cogitationibus etiam boni mores ab officio retrahuntur: quasi verò hoc solum sit in Clerico, ut sumptum expediat suum, & non ut divinum sibi post mortem potius subsidium locet. In Cap.4. Ecclesiast.*

VII. Quanquam totus fuerit Hieronymus in admiratione & in amore Monasticæ perfectionis, non perfunctoriè tamen ille Clericos excitare solebat ad ejusdem perfectionis & consiliorum Evangelicorum

rum

rum pulchritudinem complectendam. Datis ad Nepotianum Epistolis Clericos admonet: Non Monachos tantùm, sed & ipsos sæculo renuntiasse. *Qui sæculi militia derelicta, vel Monachus cœperit esse, vel Clericus.* Portionem Clericorum esse Deum, & vicissim Clericos Dei, quod difficillimè sociari possit cum ingentium prædiorum possessionibus. *Clericus, qui servit Ecclesiæ, interpretetur vocabulum suum, & esse mutatur, quod dicitur. Si enim Cleros Græcè, sors Latinè dicitur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, nihil extra Dominum habere potest. Quod si quippiam habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus, Verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignabitur.*

VIII. Primæ istæ sunt ex Hieronymo Clericorum partes, si nomini suo consentire, si munere fungi velint; ita secum statuere, eas esse mentis suæ & cordis angustias, eam Dei amplitudinem, ut non possint Deum & aliud quidvis simul amplecti; adeoque & quidvis aliud expuendum, quò Deo uni affigantur. Aliud addit idem sanctissimus Pater, in quo non minora sint ad Clericatûs sanctitudinem præsidia. Ex opibus & reditibus Ecclesię tantum decerpere, quantum ad cibum necesse sit, & ad vestitum necessarium. Nec enim vel fœdius esse quidquam, vel exitialius, quàm Clericos ditari Clericatu, quo professio continetur vel abjiciendi, vel contemnendi terrenas divitias; & tum maximè alienari à paupertate, cum paupertatem & crucem Christi amplexantur. *Si autem pars Domini sum, & funiculus hereditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras Tribus, sed quasi Levita & Sacerdos vivo de Decimis, & altari serviens, altaris oblatione sustentor; habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. Obsecro itaque te, & repetens iterum iterumque monebo; ne officium Clericatûs genus antiquæ militię putes, id est ne lucra sæculi in Christi militia quæras: ne plus habeas, quàm quando Clericus esse cœpisti; nonnulli enim sunt ditiores Monachi, quàm fuerant sęculares: & Clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace diabolo non habuerant, ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos.*

In Epitaphio verò Nepotiani, ab eo confirmat Hieronymus idem pauperibus statim erogata fuisse sua omnia, cum primùm sarcinam subiit Clericatûs. *Baltheo posito, habituque mutato, quidquid Castrensis peculii fuit, in pauperes erogavit. Legerat enim: Qui vult perfectus esse vendat omnia, &c. Et iterum; Non potestis duobus Dominis servire, Deo & Mammonę.* Denique adversùs Vigilantium decertans idem Hieronymus, ex ipsissimis Christi verbis demonstrat, illum esse primum perfectionis gradum, omnia dari pauperibus: secundas obtineri partes ab iis, qui fundos sibi servent, & proventus eorum pauperibus largiantur. *Si vis perfectus esse, vade, vende, & da.*

IX. Forma ea est Clericalis perfectionis. Eam nobis ita delineat Hieronymus, ut non dissimulet complures ævi sui Clericos ab ea deviare longiùs, quàm ipsa eorum professio ostenderet. Beatus Martinus, authore Severo Sulpitio, Paulinum ferè solum ajebat perfectionis Evangelicæ præceptis cumulatissimè satisfecisse, & sæculo commonstrasse, quæ Christus præciperet, quæ vetarentur, ardua illa & præcelsa esse, non impossibilia, non inaccessa. *Paulini exemplum ingerebat, qui solus prae suis temporibus Evangelica praecepta complesset; illum sequendum, illum imitandum, qui quod erat facta impossibile, possibile fecit exemplo. De Vita B. Martini. 26.*

X. Addocebit nos tamen Basilius Magnus, non solum Paulinum Christi paupertatis fidissimum imitatorem fuisse, cum non ante Ambrosius Episcopali sessitare Cathedra assensus sit, quàm sæculi opes & honores omnes repudiasset. Qua in laude fuere illi & Nazianzenus & Chrysostomus consortes. Longa illa in desertis commoratio & macerationum Monasticarum curriculum apertè declarant abrupisse eos omnia prorsus vincula, quibus sæculo innectebantur. A' Palladio literis mandatum est, Chrysostomum à sacro fonte recentem, & Lectorem ordinatum, mox aufugisse in invias solitudines, & sex annos ibi consumpsisse, dum perdomitas haberet omnes carnis cupiditates. Perlustratis Basilius Monasteriis Ægypti, Palęstinæ, Syriæ & Mesopotamiæ, religiosissima eadem instituta transtulisse in patriam memoratur; *Epist. 79.*, cumque Presbyteratu ibi auctus esset, rursus in solitudines Ponti cum Nazianzeno secessisse, quem ipsum paulò antè proprius parens Episcopus Nazianzi Presbyterum ordinaverat. *Nobiscum hic in Pontum profugit, ac pietatis Gymnasia, quæ illic erant, moderatur, atque cum Joanne & Elia summis Philosophis solitudinem amplexatur. Nazian. Ep. 11. & Orat. 10.* Si Nanzianzenus dum vita superavit, prædiola quæpiam & domunculam retinuit in necessarios vitæ usus, in eo quidem argumenti satis est, nec ipsum, nec Basilium, nec Chrysostomum professione verè Monachos fuisse, quamvis per annos plures institutionibus & laboribus iisdem omnibus perfuncti sint; sed non ibi sauciata videri debet Evangelica paupertas. Et hoc, & superiori Capite satis superque patefecimus, gradus hos fuisse varios; sed non multùm dissimiles paupertatis Clericalis & perfectionis, sive de patrimonio quis vivat, & Ecclesiæ stipendia quasi desponsa pauperibus dimittat; sive distributo pauperibus patrimonio, de Altari victitet; dum ne quid usurpet suos in usus, nisi necessarium victum cultumque. Pauper est enim, qui nihil habet, nisi quo carere non potest. Non multùm refert, patrias opes pauperibus largiaris, & Ecclesiæ sumptu vivas; an de patrimonio decerpas, quo victites, & proventus Ecclesiæ pauperibus dimittas. Laudatissima utrobique & ferè æqua & in pauperes largitas, & ipsius paupertas Clerici, qui superflua omnia sibi circumcidit.

XI. Inde est quod testatum facit Nazianzenus ipse, se quidem à parentibus jam inde ab ortu consecratum Deo fuisse: sua verò se omnia, honores, res, calamum Deo consecrasse, nec fructum se ex his omnibus alium cepisse, nisi voluptatis suavissimæ sensum, de omnibus pro Christo contemptis & disperditis. *Ex quibus hunc dumtaxat fructum cepi, quod ea contempsi & quædam habui quibus Christum anteponerem. Orat. 5.* Et alibi: *Orat. 3. Cætera volentibus relinquo, opes, generis nobilitatem; sermones solos complector.* Erant conciones summi viri, summique Theologi, opes inexhaustæ. Et alibi idem: *Orat. 5. Ut qui omnia reliquissem, ut ab omni negotio feriatus, tranquillè philosopharer; Heliæ Carmelum animo agitabam, & Joannis desertum.* Et rursus alibi: *Orat. 10. Omnibus donatis Deo, à quo sunt omnia, Deum pro omnibus accepimus.* Et alibi rursum: *Orat. 12. Sermones Deo offero, appendo, ac consecro, quod unum mihi reliquum fecit, quo uno dives sum.* Nec minùs illustri testimonio Nazianzenus sanctissimam Basilii paupertatem prosequitur, cujus possessio crux, cujus opes opum contemptus. Nec enim omnia possideri, sed omnia contemni & conculcari possunt, & ea insignior opulentia. *Illi verò quid unquam fuit præter corpus, & necessaria carnis integumenta? Divitiæ*

illi

illi erant nihil habere, & crux. Neque enim quemquam, etiamsi maximè cupiat, omnia adspicè posse: at omnia contemnere posse, sicque omnibus rebus praestantiorem & sublimiorem se prabere, &c. Omnibus facultatibus, quae unquam habuerat, aqui animo projectis, leviter facilèque vita pelagus transmittebat. Orat.20.

Agens Gregorius Nyssenus de eodem Basilio, omnia illum sua ait impendisse in pauperum necessitates, cum adhuc Presbyterum ageret; at Episcopatûs Cathedra evectum, multò excelsiorem ex paupertate gloriam aucupatum esse; *Paternas facultates etiam antequam Sacerdotio initiaretur, liberaliter egenis distribuit, maximè tunc quando magna annona penuria existebat: quo tempore Ecclesia praerat, numero Presbyterorum adhuc accensitus; quippe post hoc etiam nihil reliquum sibi fecit.* Contra Eunom. l.1.

Mirum non est Basilium res suas dimisisse, cum se in solitudines, & in exercitationes vitae Monasticae contulit; easdemque distribuisse pauperibus aliquantis post annis, cum Presbyter ordinatus fuit. Nec enim exercitationes Monasticae Monasticam semper professionem continebant. Utque id largiamur etiam Monachum aliquando fuisse Basilium, hac ipsa lucubratione nostra abundè patefactum est, haereditates patrias & aditas fuisse à Monachis, & in pauperes dispensatas.

XII. Gratiae habendae sunt Theodoreti obtrectatoribus, quòd illum compulerint, ut abstergendis ineptis criminationibus pulcherrimas ipse proderet virtutes suas. Ita ergo ille confirmat jam Deo se dicatum à parentibus, antequam natum, antequam conceptum, mox ita educatum institutumque, ut victimam decebat Deo sacram; vitam se in Coenobio traduxisse usque ad Episcopatum, quo invitus abreptus est; in pauperes se dissemimasse, quidquid ad se parentes transmisissent; nihil se possedisse unquam: vestem mensamque suam eo semper nituisse splendore, quem munda paupertas conciliat. *Priusquam me conciperent, oblaturos se Deo polliciti sunt parentes, atque ab incunabulis, ut promiserant, devoverunt, & hoc modo eduraront. In Monasterio tempus quod Episcopatum praecessit, cum exegissem, invitus Episcopus ordinatus sum. Praeter panniculos, quibus amictus sum, nihil volui possidere.* Et in Epistola ad Leonem Papam; *Quod Episcopatu tot annis gesto, non domum acquisierim, non agrum, non obolum, non sepulcrum, sed spontaneam paupertatem amplexus sim, & ea, quae à parentibus ad nos pervenerant, post illorum mortem statim distribuerim, ut sciunt omnes, qui habitant in Oriente.* Epist.81. 113.

XIII. Episcopos, Presbyteros, Diaconos haec caelestium functionum fastigia merito voluntariae paupertatis, & terrenorum omnium contemptu affectatos fuisse, insinuat certè Epiphanius: & ultra eum etiam virtutis gradum illos provehit, cum ait, plerosque eorum labore manuum se ipsos sustentasse, sublevasse etiam pauperes, in quos ipsos erogarent praeterea Ecclesiasticos proventus suos, quibus foveri, fruique ipsi potuissent. Ardentissimi nimirum perfectionis amatores, non patrimonia tantùm, sed & Beneficiorum suorum proventus pauperibus dilargiebantur, quin & illos operis & laboris sui fructibus impartiebant. *Primitiae, oblationes & reliqua id genus cum in potestate habeant, quibus regendorum à Deo populorum commissa est provincia, horum tamen usui plenè penitusque non indulgent, qui Deo perfectè placere se velle profitentur. Illi enim tametsi è Sacerdotum numero sint, ad Apostoli Pauli imitationem, non omnes quidem, sed plerique tamen ad susceptam divini verbi praedicationem, externam manuum operam adjungunt, &c. Ut tam primitias & oblationes, quàm quod manuum suarum opera lucelli quaesierit, cum proximis suis ultro pro Dei amore communicet.* Haeresi 80. c.5.6.

XIV. Author vitae B. Epiphanii ipsius, illum narrat omnia vendidisse post baptismum, & donasse pauperibus. *Cum omnia vendidisset, dedit indigentibus:* servatis sibi tantummodo nummis quadraginta ad Scripturarum Codices coemendos. Tum vitam Monasticam professum esse anno aetatis decimo sexto, unde & ad Sacros Ordines, denique ad Episcopatum ascitus est. *Surius die 12. Maji.* Antè suas res eum omnes pauperibus erogasse affirmat Sozomenus, l.7. c.26., quàm Ecclesiasticos proventus in eos effunderet. *Postquam jam olim suas ipsius facultates insumpserat, exigente necessitate, etiam pecunias Ecclesiae erogabat.*

XV. Praesul Sanctissimus Porphyrius Gazae, abdicatione temporalium omnium splendidissimum initiavit curriculum illud, tot Monasticis clarum, tot Episcopalibus ornatum virtutibus: *Divinus amor subiit relinquendi patriam, & splendorem generis, & opes infinitas, & vitam amplectendi Monasticam.* Paucis post annis quantumvis reluctaretur; illisa est ei Presbyteratûs & Episcopatûs sarcina. *Surius die 26. Februar.*

An quibus aliquid est patrimonii, ii fructibus Beneficii sui gaudere possint.

CAPUT IV. *P.1.l.4.c.1.*

An Beneficiarii, quibus abundabat patrimonium, Beneficii sui fructus percipere possent, per priora quinque Ecclesiae saecula.

I. Diffinit Julianus Pomerius non posse, quod res Ecclesiae pauperibus consecrata sint.

II. Quod quidquid dives capit patrimonii pauperum, id pauperibus auferat.

III. Ex eodem pauperes ipsi, qui valeat, eleemosynas attingere non possunt.

IV. Merces Clericorum laboris & industriae, aeterna & caelestis est, non ex corruptibilibus alimentis.

V. Mercenarii sunt, si qui divites ea partem veniant rerum Ecclesiae.

VI. Nec secus est in iis, qui religiosi se Congregationibus adglutinant.

VII. Erant & olim complures Congregationes mera Clericales.

VIII. Ii adscripti qui erant, Beneficiarii non injuria videri poterant.

IX. Non omnes his assentiebantur rationibus quantumvis validis.

X. Id urget Pomerius, ut qui nomina dant hic Congregationibus vel patrimonio renuntient, vel sua rerum Ecclesiae portioni.

XI. Non praecepit Christus, sumptu & stipe fidelium ali, nisi divendito patrimonio.

XII. Ultra nitebatur Paulus, opere manuum se transigebat.

XIII. Juliani Pomerii doctrina accedit Hieronymus.

XIV. Si qua in his pugna, ea sedatur, dummodo invariabilis ea retineatur lex, necessario ut sint contenti, superfluum praeterea omne, sive ex patri- me-

monio, sive ex proventibus fueris, largiuntur pauperibus.

XV. XVI. XVII. XVIII. Exempla Paulini, Chrysostomi, Nazianzeni & Theodoreti.

XIX. Animadversiones aliquę in hae sive exempla, sive pracepta.

XX. Canon Concilii Antiocheni.

XXI. Augustinus astipulari videtur Juliano Pomerio.

I. QUÆ suprà obiter delibata est quæstio sanè gravis & luculenta, an Clerici, quibus abundè est patrimonii, Beneficiorum proventibus gar[illegible]e possint, ea nunc nobis paulò accuratiùs e[illegible]enda est. Rem disertè diffinit Julianus Po[illegible]ius, bona Ecclesiæ patrimonia esse pauperum, nec posse à divitibus sine flagitio ea obtineri, vel consumi; quod enim locupleti datur, id egeno subtrahi; perdique, quidquid abundanti adjicitur. Esse res Ecclesiæ vota fidelium, pretia peccatorum, ideoque non divitum deliciis, sed pauperum necessitatibus sacras. *Scientes, nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum.* Peccata fideles eleemosynis redimunt; Christo largiuntur sua in pauperibus hospitanti. At abundantibus nemo eleemosynam erogat, nec divitum personam induit & aptavit sibi Christus; quorum vicem ex adverso doluit: *Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune; nec aliquid inde eis, qui sibi de suo sufficiunt, debet erogare. Quando nihil aliud sit habentibus dare, quàm perdere. De vita contempl. l. 2. c. 9.*

II. Qui dives est Clericus citra culpam accipere non potest ex rebus egentium, quo ipse non eget: quod enim accipit, egentem eo fraudat. *Nec illi qui sua possidentes, dari sibi aliquid inde volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat accipiunt.* Cæterorum se peccatis onerat, qui oblationes eorum percipit, ut avaritiæ & luxui impendat, quæ pauperum necessitatibus suffuratur. *De Clericis quidem dicit Spiritus Sanctus, peccata populi mei comedunt. Sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta, quibus abundare videntur, accipiunt: ita possessores non alimenta, quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt. Ibid. c. 10.*

III. Nec verò ipsi pauperes egent, si corpore valent: nec enim eleemosynis victitare illis fas est, si labore manuum queant. Stipe privant invalidos validi, si eam percipiant, qua carere & abstinere possunt, cum hi non possint. Verè egent, qui viribus egent ad laborem & opus necessarii. His ergo ex eleemosynis vitam sustentare fas est. At quibus firma & vegeta constat valetudo, hoc illis satis idoneum patrimonium est. Hinc conjice de Clericis, qui non viribus tantùm corporis, sed & opibus hæreditarii pollent. Si enim pauperes validi citra nefas non possunt eleemosynas intercipere invalidis debitas, quid Clerici non validi tantùm, sed bene nummati? *Ipsi quoque pauperes si se possunt suis artificiis aut laboribus expedire, non præsumant, quod debet debilis aut infirmus accipere; ne forte Ecclesia, quæ potest omni solatio destitutis necessaria ministrare, si omnes etiam nihil indigentes accipiant, gravata, illis, quibus debet subvenire non valeat. Ibidem.*

IV. Video laborem & operam, quam Clerici Ecclesiis navant, justa mercede affici debere; at ea non ad sportulas, non ad corruptibiles cibos, sed ad Beatam cœlestis patriæ immortalitatem referenda est. Alit Ecclesia Ministros suos, non remuneratur. Nec enim mercenariis ministeriis illa dignatur divinis. Si egeant necessitatibus eorum ipsa succurrit, gnara certaque dignam justamque mercedem illis desponsam Deum ipsum esse. *Qui autem Ecclesiæ serviunt, & labore suo velut debita reddi oportere credentes, ea, quibus opus non habent, aut accipiunt libenter, aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt, si putant, quod Ecclesiæ fideliter servientes, terrena stipendia, ac non potius præmia æterna percipiant. Saecularis quippe militia, quia cœlestia non habet terrena strenuè militantibus præstat. Unde satis indignum est, si fidelis & operosa devotio Clericorum, propter stipendium temporale præmia sempiterna contemnat. Quod si quilibet minister Ecclesiæ non habet, unde vivat, non ei præmium reddit hic, sed necessaria præstat Ecclesia, ut in futuro premium laboris sui recipiat, quod in hac vita jam spe Dominicæ promissionis certus expectat. Ibid. c. 10.*

V. Quæ impertit pauperes Clericos Ecclesia, non ea merces est, non laborum finis, sed necessarium interim subsidium ac levamentum, ne à sacris avocentur functionibus, aut ne in illis fatiscant. Finis illis, scopus, merces è cœlis affulget, illine suspensa spes est. At quibus res abundat familiaris, ii si proventibus Ecclesiæ vescantur, illorum merces & scopus in his ipsis proventibus temporalibus est. Priores illi aluntur, ut laborent & ministrent, nec enim aliter possent. At hi laborant & ministrant, ut alantur sumptu Ecclesiæ, patrimonio parcant, & hinc opes sibi congerunt luteas & malè perituras. Itaque vilissimæ mercedulæ cupiditate æternis renuntiatur gaudiis: *Propter stipendium temporale, præmia sempiterna contemnit.* Quod grande prorsus piaculum est. *Non sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt.*

VI. Qui Ecclesiasticis se Congregationibus mancipiant, & inde aluntur, spe & cupiditate præterea qualicumque amputata: iis reformidandum non immerito est, ne in laqueos se induant flagitii & damnationis, si alimenta egenorum non egentes accipiant; & secessu suo id perfecisse videantur, ut illibata & auctiora sibi sua reserventur patrimonia, in ea sodalitia subducti, ubi nec hospites excipere cogantur, nec pauperibus subvenire. *Illi quoque, qui velut idonei, nihil quidem sibi dari, velut debitum poscunt, sed tamen Ecclesiæ sumptibus vivunt, non est meum dicere, quali peccato cibos pauperum præsumendo suscipiant; qui Ecclesiam, quam juvare de propriis facultatibus debuerunt suis expensis insuper gravant: propter hoc fortassis in Congregatione viventes, ne aliquos pauperes pascant, ne advenientes suscipiant, aut ne suum censum expensis quotidianis imminuant. Ibid. c. 10.*

VII. Ex his posterioribus verbis Pomerii illud omnino elucet, duplicis generis fuisse tum Congregationes merè Clericales. Alias ei finitimas, quam instituerat Augustinus, in quas admittebatur nemo, quin ante res & spes omnes sæculi abjecisset. Alias, ubi privato cuique integrum erat patrimonia sua retinere; sed ubi decori honestique lex, forsan & æterna Dei, internaque conscientiæ lex jubebat ad sui substentationem aliquid patrimonii erogari. Nec verendum erat, ne annua hac largitione inflarentur, & supra alios intumescerent, cum perfectioni & pietatis sinceritati longè accommodatius sit, nihil possidere, nihil concupiscere, quàm quidvis possidere, & largiri quidem, sed ipsa largitate inflari. *Quod si aliquid de fructibus suis Ecclesiæ, velut pro expensa sua contulerint, non se præferant inani jactantia illis, quos nihil habentes pascit & vestit Ecclesia, Quia perfectior est ille, qui se mundi rebus expoliat, aut qui cum nihil habuerit, nec habere desiderat, quàm ille, qui ex multis, quæ possidet, Ecclesiæ aliquid præstat, ne se de eo quod præstiterit, forsitan jactat. Ibidem.* Ex quibus planum est in has posteriores Congregationes tres hominum classes confluxisse. Alii terrenis omnibus abdicatis, illis se addixerant. Alii cum nihil unquam possedissent, spes & cupidines omnes in ea-

rum

rum vestibulo abdicarant. Postremi, extremo sanè virtutis gradu locati, annuas pensiones ex patrimonio persolvebant, reliquas res suas in potestate habituri.

VIII. Id quoque juvabit hic adnotasse, ab elegantissimo hoc Scriptore, Conveotuum horum Clericalium socios & gregales omnes pro Beneficiariis haberi, qui communibus subsint Beoeficiariorum legibus. Ut enim cui suppetit patrimonium, non debet de Beneficii proventibus vesci, usui & necessitati pauperum ab ipsa sui origine dicatis: ita oe sustentationem quidem suam debet quisquam dives ab ea Congregatione emungere, cujua res omnes sacræ sunt pauperum & infirmorum necessariis usibus. Diximus jam hos Cœtuum Clericalium alumnos in Beneficiariorum album referre non cunctaturum, qui semel & seriò pensitarit, per mille amplius annos Ecclesias rem omnem suam temporalem in commuoe possedisse: & quanquam non una omnes domo, non una mensa exciperentur, verè tamen communis erat omnium possessio bonorum, quorum administrationi Diaconi præerant, & Oeconomi, sub Imperio Episcopi, qui pro cujusque Ordinis gradu & laboris modo omnia dispensabat.

IX. Quamvia iovicta videri possent hæc argumeota, fatetur tamen Pomerius, oon omnes iis expugnatos, non omnes assensos fuisse. Plures erant, qui dura hæc esse reclamarent, nec omnino in usum & in mores induci posse. At reponebat scitissimè Pomerius, non esse hæc difficilia, nisi quibus essent nova; usu ea & assuetudine mollitum iri; proclive profectò esse, eo te abstinere, quo non egeas; superflua contemoere; onus detrectare earunt rerum, quibus & facillimè careas, & aliquando crucieris, rationibus earom reddendis. *Dura sunt, quæ dico, nec ego diffiteor. Dura sunt, sed observare nolentibus. Cæterum si fiant ista, quæ difficilia non facientibus sunt, statim facientibus facilia fiunt. Non ergo ea quæ nolumus observare, impossibilitas nobis facit dura, sed novitas. In usum veniant, & neminem frequentata conturbant. Nam quæro, quid eorum sit, quæ dixi, difficile? Ut homo id quod opus non habet, ab Ecclesia non accipiat? An ut quod habet sine causa, contemnat? Si propter hoc non vult sua relinquere, ut habeant unde vivant; ut quid accipit, unde rationem reddat? Ut quid de peccatis alienis sua multiplicat. Ibid. c.*10. Quo patet permagno eos fuisse numero, qui & paterna retinebant prędia, & rerum Ecclesiæ congruam portionem extundebat. *Ne portionem eorum, quæ conferuntur Ecclesiæ, abjicere videantur. Ibid. c.*12. Non eraot tum Beneficia oisi congruæ *portiones*, qoòd jam tum vocabulum à Pomerio usurpatum est.

X. Diximus jam ab hoc Scriptore perfectionis Clericorum cupidissimo infirmorum & imperfectorum gregi sociari eos, qui imperare sibi non possunt, ut terrenis omoibus renuncient. At mox tamen ab eodem delinimenti aliquid eis adhiberi, hoc fixo & statuto; renunciantibus quodammodo æquari eos, qui patrimonio cootenti sacris stipendiis & distributionibus abstinent. *Qui tam infirmi sunt, ut possessionibus suis renunciare non possint, &c. Et ipsi quodammodo sua relinquunt, quando propriis contenti rebus, nihil eorum, quæ labori, vel ordini suo deberi arbitrantur, accipiunt. Ibidem.*

XI. Superfuot verò quæ magis rem pręmere videantur argumenta. Docet Apostolua, qui Evangelium prædicant, eos divinitus permissos de Evangelio vivere. Atqui non antè eam legem promulgaverat Christus, quàm Apostolos adduxisset, ot omnibus valedicerent, esseotque priùs exempla, quàm præcones Evangelicæ paupertatis. Quin & ipse Moyses Levitas ante partibus suis spoliaverat inter Israelitas, quàm sanciret, ut de altari viverent. *De Evangelio vivunt, qui nihil habere proprium volunt, qui nec habent, nec habere aliquid concupiscunt, non suorum, sed communium possessores. Ibid. c.*54.

XII. Si Apostolus ne de Evangelio quidem victitare volebat, & abdicato semel patrimonio, abdicabat & diebus singulis fructus spiritales agri, quem excolebat, ut labore manuum panem sibi pararet: quid illis oris, quid frontis esse potest, quà Clericatum ipsum suum augendo patrimonio servire volunt, & pauperum ex rebus locupletantur. *Si ergo ille, qui nihil habebat, noluit de Evangelio, ubi laborabat, sed suis manibus vivere, ne gloriam suę mercedis amittaret: quid nos, qui & propria nolumus, amore possidendi, non vivendi necessitate relinquere, & accipere insuper volumus, non unde vivamus, sed unde censum nostrum incrementis damnabilibus augeamus. Ibidem.*

XIII. Tam splendida veritatis & purissimæ disciplinæ lumina reliquos Sanctos Patres latere non potuere. Jam Clericos admonuit Hieronymus, oon solùm explicare se eos debere rerum & curarum temporalium vinculis; sed ne de rebus quidem Ecclesiæ posse eos præsumere, ac degustare, nisi ne famem arcerent & nuditatem, victu frugali & modico cultu: *Si ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras Tribus, sed quasi Levita & Sacerdos, vivo de decimis & Altaris oblatione sustentor: habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. Epist. ad Nepot.* Non potui non hæc rursus hoc loco inculcare verba, quibus radiat veritas illa & lex præstantissima, & præ cæteris necessaria rei illuminandæ, quale hic agimus. Possunt enim Clerici patrimonium & dimittere, & retinere; possunt Beneficii reditus percipere, & iis abstinere. Media sunt hæc & per se versatilia, quæ ad bonum vel ad malum detorqueantur, perinde ut eorum osus fuerit. Sed illa incommutabilis & incorrupta regnat lex, non posse Clericos nisi necessaria decerpere ad victum & vestitum suum, sive ex Ecclesiæ, sive ex paternia suis & hæreditariis bonis; tum cætera enim omnia superflua sunt ipsis quidem, pauperibus & debita & necessaria. *Habens victum & vestitum his contentus ero*, air Hieronymus, Apostolo succinens, à quo ea lex Christianis omnibus promulgatur, & multò æquiùs Clericis omnibus promulganda præcipitur.

XIV. Ea mollissima concordia est plurium suprà propositionum. Nunc enim cogebantur Clerici patrimooio nuntium remittere, nunc eo finebantur gaudere. Nunc Beneficio illis interdicebatur, si suppeterent rea propriæ: nunc finebantur Beneficiariorom instar io Ecclesiasticis Sodalitiis vitam ducere, non abjecto patrimonio. Hi usus omnes vel probati, vel tolerati sont, quod omoibus iis convenire possit cum regula illa inconcussa, quam Apostolus ob oculos posuit, ut ne in nostros convertamus usus nisi necessaria, reliqua dilargiamur iis, quorum ea sunt, non nostra, si egeaot illi, non nos. Qui de patrimonio suo vescitur, aut ne contrectare quidem debet proventus Ecclesiæ, aut in egenos statim profundere. Qui res Ecclesiæ in suas convertit necessitates, is patrimonium vel jam exuisse debet, vel ejus proventus quotidie in pauperes dispensare. Hi proventus omnes eodem contendunt, in unam eandemque conspirant observantiam, de terrenis & temporalibus bonis necessaria libare, cætera reliquis dimittere: omnia necessitati, nihil vanitati & superfluitati dare; pauperum jacturis non ditescere, Ecclesiæ bonis ne iis parcendo quidem augere patrimonium. Quid enim tam perfrictæ frontis est, quàm Cleri professione velle

opes aggerare, quæ cruci & paupertati dicata est, quam Christus, quam secundùm eum Apostoli initiantur omnium prorsus terrenorum abdicatione? Lubet hic prorsus illa repetere aurea planè verba Hieronymi. *Obsecro itaque te, & repetens iterumque monebo, ne officium Clericatûs genus antiquæ militiæ putes, id est, ne lucra sæculi in Christi militia quæras: ne plus habeas, quàm quando Clericus esse cœpisti; & dicatur tibi, Cleri eorum non proderunt eis. Nonnulli enim sunt ditiores Monachi, quàm fuerant sæculares: & Clerici qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace diabolo non habuerant: ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos.*

XV. Parvi faciebat Paulinus, quod à se præstitum erat, abjectis ingentibus patrimoniis, quæ in ipsum avi atavique transfudissent; ulteriùs eluctatum fuisse intellexit Paulum Apostolum, qui ipsis se abdicasset Evangelicę prædicationis fructibus: in Pauli vestigia ingressos esse complures Episcopos pietate eximios, ac præ ceteris Victricium Rotomagensem Episcopum, cui per Epistolas congratulatus est, de egregia hac laude, paupertatis Evangelicæ opibus accumulata. *Peccatorum præcipui sumus, sicut infimi servorum Christi; qui nec ea, quæ debemus, facere possumus; cum & supra debitum legis, aliquod voluntarium munus adjicere debeamus de effectu nostro, ut Magister ipse fecit, sujus ta imitator es, qui potestatem habens de Evangelio vivendi, noluit tamen uti potestate sua, & abutens licito hanc occasionem sibi cumulandæ apud Christum mercedis invenit, ut Evangelium sine sumptu poneret. Tua verò sanctitas non solùm de abusione licitorum & abstinentia commodorum visibilium, Christianæ paupertatis divitem gloriam tenet. Epist. ad Victric.*

XVI. In hæc exempla ibat etiam Chrysostomus, & cum familiarem rem omnem dimisisset, ipsius Ecclesiæ proventibus abstinebat, ut Clerum puriori informaret disciplina, ejusque contumaciam exemplis magis frangeret, quàm sermonibus; atque luxatis sæculi moribus formam objiceret accuratissimam Apostolicæ pietatis & paupertatis. *Joannes, quoniam ut ita dixerim, formam se venturis Episcopis missum existimabat, quo pacto vivere debeant, & juxta B. Paulum propria mercede prædicare pœnitentiam, nihil de Ecclesiasticis attingens, solius diei capiebat cibaria, devitans semper hujusmodi curas.* Hæc ex Palladio, *Cap.* 17. 18., qui longius progreditur, ut evincat, mediocribus virtutibus immorandum non esse, si quos Deus vocat, ut Ecclesiæ insignia & futuris ætatibus exempla condant. Idem verò alicubi Chrysostomus eorum sugillat inanes rationes, qui eos ad Episcopatum propellebant, qui tantum fastigium sustinere non possant. Eas inter rationes hæc ad rem nunc nostram facit, eligendos ad Episcopatum esse, qui patrimonio affluerent, ut eo se sustentarent, & Ecclesiasticos proventus Ecclesiæ pauperum nutrici dimitterent. *Hic quod claro genere natus sit; in Episcopatûs, inquit, ordinem cooptetur; ille quòd opibus abundet, neque indigeat alimentis ex Ecclesia proventibus quæsitis. De Sacerd. L.* 3. *c.* 15. Quibus apertè innuitur, locupletes ad Episcopatum semel provectos patrimonio se sustentasse, reditibus abstinuisse se Ecclesiæ.

XVII. Nec à Pauli imitatione longiùs recessit Gregorius Nazianzenus. Cum laboribus & sudoribus suis Ecclesiam Constantinopolitanam rigaret, spiritales tantùm ex ea fructus sibi colligendos proposuit; sed & eos tantò uberiores colligebat, quantò hæc ejus rerum terrestrium contemptio auditores ejus dictis & præceptis obsequentiores præstabat. *Labor hominis Dei tantus erat, tantaque multitudinis salutem sibi proponebat; cæterùm fructus nequaquam labori respondebat. Non enim agricolæ modo fructus percipiebat, sed gratuitò benignus erat, labores quidem ferens, verùm sine sumptibus Evangelium sibi constituens. Ex quo hoc assequebatur, ut ardentiùs amaretur, atque ex ardentiori amore libentius audiretur; pluresque ad Deum adduceret. Vita ejus per Gregor.*

XVIII. Jam certiores nos fecit Theodoretus, totum per vitæ curriculum ante Episcopatum versatum se fuisse in Monasterio: & eo in apice collocatum tam præter voluntatem, quàm præter spem, nihil unquam propriè possedisse, & ex rebus Ecclesiæ suæ præter panniculos, quibus amiciebatur, nihil se decerpsisse. *Non obolum, non vestem à quoquam accepi: præter panniculos, quibus amictus sum, nihil volui possidere. Epist.* 81.

XIX. Ejusmodi sunt & præcepta & exempla purissimæ Episcoporum olim & Clericorum disciplinæ & perfectionis. Alii patrimonio renuntiabant, quò eleemosynis viverent cum Ecclesia; alii proventibus se abstinebant Ecclesiæ, cujus ministerio sese dedicaverant, & patrimonii impendiis alebantur. Alii patrimonio abdicato, etiam stipendiis Ecclesiæ abstinebant, cui nihilo segniùs ministrabant, pari fervore, successu majore. Infirmi denique & patrimonio fruebantur, & reditus non abnuebant, seu distributiones beneficiorum; ut supra à Juliano Pomerio & Hieronymo proditum est, & ab Augustino ipso, qui eò se ab aliis disjunxit Episcopis, quòd Clerum suum noluerit quidquam propriè possidere, eumque communis secum vitæ & societatis vinculo constrinxerit. Nec tamen unquam Augustinus ea compede dixit Clericos obligari debere, quamvis tantò deinceps vehementiùs Clero suo instare potuisset. At si ignavi & imperfectiores Clerici hæc perfectionis præcepta detrectabant, non poterant tamen illi tergiversari, quin inconcussæ Evangelii legi obsequerentur, quæ edicit: Necessario ut contenti omnes sint, superflua egentibus erogent. Itaque accumulatis ad patrimonium suum superfluis Ecclesiæ reditibus, & ipsa jam pœnas dabant fatigatione accumulandi, & sollicitudine dispensandi, & formidine extremi examinis in reddendis rationibus subeundi.

XX. Concilium Antiochenum innovato Apostolico Canone constituit, ut Episcopus res Ecclesiæ omnes administraret, & pauperibus succurreret, ipsique sibi, si quo egeret. Cum perspicuum sit debere Ecclesiasticos omnes, & ipsos vertices omnium Episcopos, præceptis inhærere Apostoli, & cibis, vestibusque contentos esse, quibus natura carere non potest. *Episcopus habeat rerum Ecclesiæ potestatem: ut eas in omnes egentes dispenset, cum multa cautione & timore Dei. Ipse autem eorum sit particeps, quibus indiget, si tamen indiget, ad suas necessarias expensas, & fratrum, qui apud eum hospitalitatis gratia commorantur, ut nulla ex parte inopiam defraudentur, secundùm Apostolum, qui dicit: Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. Can.* 25. Non finitur eo Canone Episcopus de Ecclesiæ bonis ac reditibus quantulumcumque libare ad suos usus, nisi verè egeat: *Si indigeat.* Chrysanti Episcopi Novatianorum Constantinopoli encomium exaravit Socrates, *L.* 7. *c.* 12., qui venditis & distributis in pauperes rebus suis omnibus, ad suos usus non percipiebat nisi duos unaquaque hebdomada panes. *Ille de suis fortunis aurum pauperibus distribuit. Ab Ecclesiis nihil omnino accepit, nisi duos panes benedictionis singulis Dominicis diebus.*

XXI. Videtur quoque Augustinus non dubitasse, quin tum Clerici alii, tum Episcopi ipsi, pauperes esse debeant, si patrimonii pauperum participes sint, hoc est, redituum Ecclesiæ, cumque penes illos sit tantummodo depositum & administratio rei pauperum, ejus participes eos esse non

pos-

posse, nisi & ipsi verè sint pauperes. *Si pauperum compauperes sumus, & nostra sunt, & illorum. Si autem privatim quæ nobis sufficiunt, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.* Ep.50.

CAPUT V. *P.2. l.4. c.1.*

An quibus patrimonium suppetebat, ii Beneficiorum reditus percipere possent sæculo VI. VII. & VIII.

I. Lex Justiniani, qua Episcopus & Oeconomi indemnem præstare coguntur Ecclesiam, si Clerici ordinarentur ultra numerum præstitutum.

II. Fruebantur ergo communibus stipendiis Clerici supernumerarii.

III. Pauperes ergo ii erant. Sub patrimonii ergo titulo ordinabatur nemo.

IV. Cum res Ecclesiæ omnes pauperibus sint addictæ, iis abstinendi essent divites. Id contrà fuisse declarat hæc ipsa lex.

V. Uti & lex alia Codicis.

VI. VII. Episcopi & Administratores Xenodochiorum sua persæpè pauperibus largiebantur patrimonia, nulla tamen lege ad id urgebantur.

VIII. Presbyteri & Clerici arbitratu suo testabantur. Non ergo possessionum expertes erant.

IX. Cassiodorus milites opulentos prandiis arcet pauperum, sed emeritos.

X. XI. XII. Varia exempla eorum, qui rebus suis renuntiarunt, sed ex quibus effici non potest, quin & patrimonium & Beneficium retinere potuerint.

I. HAC secunda jam Ecclesiæ ætate, quam inimus, non facilè documenta occurrent, quibus id assequare, aut patrimonio, aut Beneficii fructibus abstinendum fuisse. Justinianus certè Imperator definito Clericorum & Beneficiariorum cujusque Ecclesiæ numero, præcepit, ut si Episcopus vel Oeconomi plures ordinarent, pascerentque proventibus Ecclesiæ, ex propria re familiari eam labem sarcirent rei Ecclesiasticæ: Episcopi & Oeconomi qui succederent, Imperatores interpellarent ad rem executioni invictius mandandam. *Si ultra mensuram definitam ordinet Episcopus, & ejusdem Ecclesiæ Oeconomi erogationem eis Ecclesiasticis præbuerint redditibus; ipsi quoque de sua & propria facultate præbeant expensam, & qui hoc expendere eos permiserit beatissimus Patriarcha.* Nov.3.c.2. Sed non inde à quoquam ritè concludi potest, ordinatos fuisse Clericos quosvis sub titulo patrimonii, vel semel ordinatos, fraudatos esse stipendiis Ecclesiasticis.

II. Quin ex adverso cum jubeat Imperator adjectitios Clericos ali sumptu Episcopi, vel Oeconomorum, hinc conjicitur nihil eis fuisse rei familiaris. Sed ut eam missam faciamus conjectationem, eadem Constitutio quemquam ordinari vetat ultra numerum, qui particeps non fiat communium stipendiorum; quòd is alioqui Clerus futurus esset inutilis & mendicans, declinaturus forsan ad artes indecoras, & ad dehonestamenta quædam ac lucra alienissima à Cleri majestate. *Non enim illud patimur omnino fieri, ut dicatur, quia licentia erit ordinare quidem, non tamen emolumenta præbere. Hoc enim est rursus confusionem efficientium, & immensa adjectione secunda collegia constituentium. Deinde etiam plurimas habebit eas res circumventiones, ut alias sibimet vias avaritiæ inveniant, pro alimentorum expensis.* Ibidem.

III. Perspicuum inde fit Clericos fuisse Beneficiarios omnes, nec ordinatum quemquam esse titulo patrimonii. Sed viderit Lector, an Clerici inferiores ii plerumque ordinarentur, qui omnibus ferè vitæ præsidiis essent destituti. Si enim novis his Clericis copia fuisset rei familiaris, quorsum attinuisset, Episcopos & Oeconomos cogere, ut suis illos alerent impendiis? Quo illa formido, ne ita semel ordinati sordidiori negotio, vel probrosa arte vitam tolerarent? At cum ex alia parte oculos conjicio in innumerabiles priscæ Ecclesię Clericos ingenuos, nobiles, summo loco natos, non video qui hęc constare sibi, ac cohærere possint, nisi ut dicamus; non agi hac Novella nisi de infirma illa Clericorum turba, quæ in Clericatum irrumpebat, ut temporali subsidio quopiam recrearetur, & ne tandiu quidem opperiri poterat, dum vacuæ sedes essent. Contra enim honoratiores quique tum Clero adscribi se volebant, cum vacabant loca; aut si præter numerum admitterentur, de iis hic non agitur, quòd eorum ordinatione nihil loci erat ei periculo, quod tantopere extimescebant.

IV. Sed ut ad propositum redeam, eadem ipsa Justiniani Constitutione mens ejus & voluntas manifestè declaratur, legibus Ecclesiæ admodum consentanea, qua Ecclesiasticos reditus sancitur pauperibus distribuendos, & iis, qui necessariis vitæ adminiculis destituuntur. *Ut alia expensa, quæ fiunt ex Ecclesiasticis redditibus, circa pios erogentur usus, & Deo placentes, & illis hæc ministrentur, qui pro veritate egent, & non habent aliunde alimentorum occasionem. Hoc enim Dominum Deum placat, & non patrociniis & studiis hominum Ecclesiasticas expensas hominibus locupletibus distribuant, ita ut inde inopes necessaria non mereantur.* Ibid. c.3. Si hoc legis Capite continerentur Clerici & Beneficiarii, manifestissima ea foret quæstionis definitio, quam hic vexamus. Sed dilucidum est de aliis agi, in quos Ecclesia reliquos effundit reditus suos, post distributiones Clero persolutas. Hinc nonnulli inferunt, quibus Clericis abundat patrimonium, nil posse eos attingere de rebus in pauperum alimenta destinatis. Sed longè aliud est aliquid lege sanciri, vel illud idem argumentando ex lege exprimi. Quin ex adverso ex ea liquet Oeconomi, qui utique Clerici erant, res fuisse proprias, & quidem satis uberes, cum ut suprà diximus, indemnem præstare Ecclesiam ibidem jubeantur. *Ex sua substantia indemnitatem sanctissimæ procurabunt Ecclesiæ.*

V. Suæ Canonum Collectioni, nec non & Nomocanoni intexuit Joannes Antiochenus, duos tresve Apostolicos Canones, *Can. Apost.* 38. 41. 59., & Antiochenum, quibus nec Episcopis, nec Clericis ullis conceditur sumptu Ecclesiæ ali, nisi verè egeant. Sed dum leges allegat his Canonibus consentientes, nulla ab eo depromitur, quæ ejusmodi quid de Beneficiariis iisdem sanciat. Quin & Codicis legem profert, ubi siquid detrimenti Ecclesiis per Oeconomos allatum sit, id præstare ipsi, vel hæredes eorum compelluntur. *Si quid damni rebus Ecclesiasticis intulerint, aut si quis lucrati fuerint ex ipsis, id non solùm ab ipsis superstitibus, verùm etiam ab ipsorum hæredibus repeti.* Oeconomi ergo cum Clerici essent, annumerari pauperibus non poterant, ut quibus & patrimonia essent, & hæredes.

VI. Constat illud quidem sæpius usuvenisse, ut qui Episcopi, Oeconomi, & Xenodochi creabantur, propriis rebus renunciarent; sed nec sacra erat ulla, nec Imperatoria lex, quæ id præscriberet. Lege quadam declarat Justinianus, Ecclesiæ donari, quidquid Episcopo post ordinationem donatur: quod præsumptum illud compertumque sit omnibus

bus fidelibus, Episcopum non hæc dona solùm omnia, sed suas ipsius res pauperibus erogare. *Cogitantes quia non solùm ab ipsis relicta piè insument, sed & suas ipsorum res adjiciunt. Cod. 1. De Episc. & Cle. Leg. 41.* Hæc de Episcopis. Jam de Xenodochiorum Administratoribus: *Quis enim tali cura præpositum, non existimet ideirco eam suscepisse, ut non solùm quæ extrinsecus ad eum pervenient, sed etiam omnia, quæ habere eum contigerit, in eam rem impendat?* Non eam legem condit Imperator, sed charitatis & largitatis in pauperes exempla ostendit.

VII. Sed & apertius alibi mentem suam declarat, ubi tantò prolixius laudat Episcopos, qui mox electi res suas omnes suis consignabant Ecclesiis, quòd nullo ad id necessitatis vinculo obligarentur. *Si quis Episcoporum sive ante suam ordinationem, sive post, voluerit proprias res, aut partem earum Ecclesiæ offerre, cujus Sacerdotium accepit, non prohibemus: etiam omni laude dignum judicamus. Quoniam hoc non est emptio, sed oblatio. Novel. 123. c. 3.* Mox ibidem Clericos omnes & Administratores hortatur, non cogi, non præcipit, ut his tam præclaris sese exemplis accommodent. *Non solùm non prohibemus hæc fieri, sed etiam magis invitamus eos talia pro salute animæ suæ facere. Ibid. c. 1.*

VIII. Idem postremò Imperator Presbyteros & Clericos omnes inferiores sancit testari, & sua dare, ac legare posse quibus volent, quanquam sub paterna sint adhuc potestate. Non ergo omnes ea paupertatis professione tenebantur, quæ si minus libera esset, minus forsan & in laude esset. *Presbyteros & Diaconos & Subdiaconos, Cantores & Lectores, quos omnes Clericos appellamus, res quomodolibet ad eorum dominium venientes, habere sub sua potestate præcipimus, ad similitudinem castrensium peculiorum, & donare secundùm leges, & in his testari, licèt sub parentum sint potestate. Ibid. c. 19.* Id distare censebantur Episcopi, Oeconomi, & Xenodochi à cæteris Beneficiariis, quòd cum illi in potestate haberent communes res & proventus totius Congregationis, integrum eis esse non poterat dare, vel legare cui vellent. At hi sua tantùm & peculiaria obtinentes bona, sive ex Beneficii reditibus, sive ex donis, de iis testari suo nutu sinebantur, & ea, in quos vellent transferre. Sed de his plura superius.

IX. Veteranum militem, & jam confectum ac militiæ imparem missione donari & solvi fecit Cassiodorus; sed unà illum stipendiis, largitionibus & congiariis militum spoliavit, propterea quod opibus afflueret, nec fas esset otiosum præmiis gaudere laborantium. *Sicut tibi remissam vitam concedimus, ita te donativo privamus, quia non est æquum, ut cum de tuo cognoscaris idoneus, rem laborantium accipere debeas otiosus. L. 5. c. 36.* Facilè intelligis, ut hic quidem sacra militia profanæ consentiat. At hic miles tametsi locuples, quandiu militavit, stipendia quoque militum accepit.

X. Non siluit Gregorius Turonensis nobilissimi Artemii virtutum specimen, qui Arverno iter agens, ibique exitiali recreatus morbo à sanctissimo Episcopo Nepotiano, Dei obsequiis se jam tum devovit, & tum sponsæ, tum patrimonio nuntium remittens, Clericatu initiatus est, & suo post tempore Episcopatu etiam exornatus: *Oblitus tam sponsam terrenam, quàm facultates proprias, sanctæ copulatur Ecclesiæ, factusque Clericus, &c. L. 1. c. 46.*

XI. In Monasticam potius, quàm Clericalem professionem propendebat Fulgentius, cum bona omnia sua matri contulit, non fratri, ut hunc ea spe & illecebra obsequentiorem faceret matri. *Portionem substantiæ propriæ, quamvis haberet fratrem juniorem nomine Claudium, per donationem soli contulit matri, ut à matre postmodum si bene servivisset, donaretur & fratri.* Addit Ferrandus non potuisse Fulgentium sua omnia pauperibus erogare, ne matris animum exulceraret. *Quantas tunc ibi universi laudes & gratias Domino retulerunt, cum viderent Beatum Fulgentium sæculari cupiditate calcatâ, rebus, quas distrahere & donare pauperibus non poterat, ne offenderet bonam matrem, renunciasse penitus, ut Christum invenire mereretur doctorem. Ferrand. in ejus vita c. 7.*

XII. Statuit quidem Gregorius Magnus, ut Presbyteri, cæterique Clerici, quibus Canonica infligitur pœnitentia, bona sua Ecclesiis legent, servata sibi pensione, ne oneri sint Monasterio, in quod compingentur. Sed non agit ille nisi de Presbyteris & Clericis, qui origine servi erant Ecclesiæ, nec manumissi fuerant, nisi ut hac necessitate semper constringerentur, Ecclesiæ hæredis instituendæ. *Si qui verò ex familia Ecclesiastica Sacerdotes, vel Levitæ, vel Monachi, vel Clerici, vel quilibet alii lapsi fuerint, dari eos in pœnitentiam volumus, sed res eorum Ecclesiastico juri non subtrahi. Ad usum tamen accipiant, unde ad pœnitentiam subsistant; ne si nudentur, locis, in quibus dati fuerint, onerosi sint. L. 1. Ep. 42.* Hinc ergo intelligis, crebrum illud quidem & familiare fuisse, ut Clericatu initiati patrimonia abjicerent, aut iis retentis Ecclesiastico se stipendio & proventu abstinerent; sed nullo legis vinculo eos ad id constrictos fuisse.

CAPUT VI. *P. 3. l. 4. c. 1.*

An quibus essent patrimonia, ii possent & Beneficia, eorumque fructus percipere, ab anno octingentesimo ad millesimum.

I. An Concilio Verno displicuerit à Canonicis proprii aliquid possideri.

II. Per Concilium Aquisgranense fas erat Canonicis communis vitæ societati adscriptis, ut & patrimonium & Beneficii Ecclesiastici fundos obtinerent, præter cibum & vestitum à Cœnobio suppeditatum.

III. Percupiebat tamen Concilium, ut necessario contenti, reliqua pauperibus dimitterent, quibus nihil patrimonii esset, nihil Beneficii.

IV. Observationes aliæ ex eodem Concilio.

V. Canonicorum eadem erat in hic quidem ratio, & disciplina eadem atque Canonicorum.

VI. Non sinunt Capitularia, ut de distributionibus Ecclesiæ ii quidquam decerpant, qui Præbenda gaudent, vel Beneficio.

VII. Observationes in hæc Capitularia.

VIII. Nec patrimonii compotes sinuntur ibi attingere Ecclesiæ distributiones.

IX. Discrimen Capitularium & Concilii Aquisgranensis.

I. Clericos videntur Concilii Verni Patres anno 755. sub Pipino Rege patrimonii cura & sollicitudine interdixisse, jussos ab his avocamentis expeditos ita vitam agere sub Episcopo, veluti Monachos sub Abbate, aut eos certè Clericatu dejecisse, si se his extricare vinculis abnuerent. *De illis hominibus, qui dicunt quod se propter Deum tonsurassent, & modò res eorum vel pecunias habent: & nec sub manu Episcopi sunt, nec in Monasterio regulariter vivunt: placuit, ut in Monasterio sint sub ordine regulari, aut sub manu Episcopi, sub ordine canonico. Et si aliter fecerint, & correpti ab Episcopo suo se emendare noluerint, excommunicentur.*

Et

Et de ancillis Dei velutis eadem forma servetur. *Can.11.* Duplicis culpæ rei aguntur hic Monachi, Clericique degeneres; primùm quod ad terrenas redierint possessiones, quibus tonsura ipsa sua valedixisse videbantur. *Qui dicunt quod se propter Deum tonsurassent, & modò res earum vel pecunias habent.* Et rursum, quòd non communem cum Episcopo, vel cum Abbate suo vitam agant.

Sed bona fide confitendum est, non hic sermonem haberi, nisi de Monachis Apostatis, qui quando postea ad prius revocabantur propositum suom, se contendebant nunquam Monastica, sed Clericali professione ligatos fuisse. Operosa fuisset ea indagatio, consultius ergo visum est ea supersederi, & hos desertores cogi, ut posthac vel cum Monachis in Cœnobio degerent, vel cum Episcopo communem Canonicorum vitam agitarent. Videmus & alibi Canones eam optionem facientes Monachis & Monialibus iis, quorum dubia & anceps nutabat professio, & de quibus ambigebatur, Monachi an Canonici, Moniales an Canonicæ fuissent. Denique Concilii hujus Verni Patres gravi objurgatione præmissa, vitam tantùm communem his præcepere sub Episcopo, vel sub Abbate, de abdicatione autem rei propriæ verbum fecere nullum, quòd ea non tenerentur Clerici, sive Canonici. Nec inficiari tamen quisquam potest, quin meditaretur Carolus Magnus Clericos ad id adducere, ut solo Beneficio contenti essent, cum illos in hunc modum percunctaretur anno 811. in Capitulari quodam suo. *Inquirendum est, si ille seculum dimissum habeat, qui quotidie possessiones suas augere non cessat. Miramur unde accidisset, ut is, qui se confitetur saeculum reliquisse, neque consentire vult ut saecularis vocetur, cum propria velit retinere, hoc ad Ecclesiasticos quomodo jure pertineat, ignoramus.* *Baluz. Capitul. to.1. pag.480.* Et multò probabilius tamen est tentata dumtaxat hæc tunc fuisse, nec ad exitum unquam perducta.

II. Nodum hunc omnino exolvit Concilium Aquisgranense anno 816. ineunte Imperio Ludovici Pii: statuto, quanquam omnium longè præstantissima esset professio Clericorum: *Quia evidenti authoritate liquet, Canonicam institutionem cæteris præstare institutionibus.* Canonicis tamen institutionibus non prohiberi Canonicos, seu Clericos in communem vitam consociatos, quin vel lino utantur, vel vescantur carnibus, vel terrenas retineant possessiones, etsi his omnibus Monachis interdicatur: *Quanquam enim Canonicis, quia in sacris Canonibus illis prohibitam non legitur, liceat linum induere, carnibus vesci, dare & accipere proprias res, & Ecclesiæ, cum humilitate & justitia habere, quod Monachis penitus inhibitum est.* *Can.115.* Concluditur demum eo Canone, Monachos proventibus sacris largius fovendos, cum terrenas ipsi res omnes exuerint, quàm Canonicos, quibus & patrimonia retinere, & proventus Ecclesiasticos obtinere jus fasque est. *Et quia nihil sibi propriam Monachi reliquerunt, manifestum est illos copiosioribus Ecclesiæ sumptibus; quàm Canonicos, qui suis & Ecclesiæ licitè utuntur rebus, indigere. Unusquisque enim, ut ait Apostolus, proprium donum habet à Deo.*

Concinnata est ab eo Concilio Regula Canonicorum, à qua is Canon excerptus est. Non est ergo quod quisquam cavilletur; res in aperto posita est. Canonici Congregationum Clericalium poterant tum & terrenis hæreditatibus suis gaudere, & Ecclesiasticis sive proventibus, sive distributionibus. *Licet dare & accipere, proprias res & Ecclesiæ, & justitia habere &c. Suis & Ecclesiæ licitè utuntur rebus.*

III. Sed cum moneant ejus Concilii Patres, quod nihil proprii retinere fas sit Monachis, liberalius eos rebus Ecclesiæ sustentandos esse, quàm Canonicos, quibus facultas est & patrimonii, & Beneficii cum redditibus suis retinendi: hinc forsan conjicere quis posset, 1. Canonicos, quibus suppetit patrimonium, non ita largè proventus Ecclesiasticos percipere posse. 2. Immo nec debere tam largè eorum participes fieri, quàm Monachos, quibus tamen inde non suppeditatur, nisi quo famem & nuditatem arceant. Idque confirmat proximus Canon ejusdem Concilii, quo admonentur Clerici, ne divitias fugaces consectentur, & ne participes se fieri velint distributionum Ecclesiasticarum, si iis non egeant. *Patrum sententia docent Clericos non esse sectatores divitiarum, nec res Ecclesiarum inofficiosè accipere debere.* *Can.120.* Sub nomine Prosperi eis proponuntur verba Juliani Pomerii, authoris librorum elegantissimorum de Vita Contemplativa, ubi Clerici, qui ab Ecclesia ea vitæ accipiunt adminicula, quæ habere aliunde possunt, in carnalium & mercenariorum classem conjiciuntur. *Qui Ecclesiæ serviunt, & ea, quibus opus non habent, aut libenter accipiunt, aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt.* Ex quo illud à Concilio concluditur, si quibus Clericis aliquid sit patrimonii, vel prædiorum Ecclesiæ in titulum Beneficii, eos nihil præterea percipere debere, nisi alimenta Cleri communia, ne superflua sibi accumulent ipsi quidem, pauperibus autem necessaria præripiant. *Qui & suas & Ecclesiæ habent facultates, accipiunt in Congregatione cibum & potum, & eleemosynarum partes, ne plus accipiendo, pauperes gravare videantur.* Quibus verò nec prædia sunt ulla Ecclesiæ, nec hæreditariæ res, iis & cibus & vestis ab Ecclesia subministrari debet, & pecuniæ portio ejus, quæ in Clerum distribuitur. *Qui nec suis rebus abundant, nec Ecclesiæ habent possessiones, accipiunt in canonica Congregatione victum & vestitum, & eleemosynarum partes.* Si denique hujusmodi sint Clerici, qui sponte sua suis se spoliarint patrimoniis, adeoque & Beneficiis renuntiarint, his certè largissimè à Prælatis omnia vitæ præsidia subministranda sunt. *Porro si tales fuerint, qui nec suas, nec Ecclesiæ velint habere possessiones, horum necessitatibus providentissima gubernatione de facultatibus Ecclesiæ debent subvenire Prælati.*

IV. Multa in hunc Canonem seriò animadvertenda sunt. 1. Indubitatissimè copiam factam fuisse Clericis, adeoque & Canonicis in Congregatione degentibus, ut & patrimonii compotes essent, & præterea cum collegio Canonicorum alerentur. 2. Hoc illis insusurratum subinde fuisse, tanquam inconcussæ veritatis & æternæ legis placitum, præter alimenta sua non posse eos ab Ecclesia accipere, quæ superflua sibi forent, pauperibus verò necessaria. Verba enim hæc sunt Juliani Pomerii, & Concilii. *Qui sua possident & dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, non accipiunt.* 3. Tres illæ Clericorum classes, quas Concilium discriminat, Ecclesiæ ministrabant. *Utilitatem Ecclesiæ, aut exteriùs, aut interiùs conferunt, &c. Magnam utilitatem Ecclesiæ conferunt, &c.* 4. Ipsimet Clericali Congregationi adscripti & mancipati Canonici, præter patrimonium etiam Beneficia retinebant. 5. Erant tamen, qui & patrimonia repudiarent, & Beneficia, & his ut virtutum præstantia insignibus cæteri assurgebant omnes. 6. Si quibus erant & patrimonia & Beneficia, ii præterea & ali se & vestiri de Ecclesiæ penu inculpatè sinebant, in eo pertinebat, ut unius Congregationis socii unam tenerent ciborum vestiumque formam. 7. Mendi aliquid irrepserat in hunc Canonem Concilii Aquisgranensis, quod à nobis alibi expunctum & purgatum est, ex Regula nimirum Crodogangi, ex qua hausti sunt Canones isti potissimùm Aquisgranenses. Nec enim ea

Re-

Regula quidquam interponit discriminis, patrimonio, vel Beneficio fruentibus aliquo, aut nullo; nisi quod qui eo fruuntur, abstinere debeant pecuniariis distributionibus, quæ *Eleemosynarum partes* dicuntur. In commune utrique aluntur & vestiuntur, postremi pecuniarias distributiones accipiunt, non priores. *Tam de suis, quàm de Ecclesiæ facultatibus, non plus accipiant, aut exigant, quàm oportet: id est, accipient cibum, potum atque vestimentum, & his contenti sint; ne plus accipientes, pauperes gravare videantur. Hi verò, qui nec suis rebus abundant, nec Ecclesiæ habent possessiones, & magnam utilitatem Ecclesiæ conferunt, accipient in canonica Congregatione victum & vestitum, & eleemosynarum partes. Cap.4.* Ad hæc Regulæ Crodogangi verba refingendus est Canon Aquisgranensis.

At Canone sequenti ejus Concilii cogimur paulò penitiùs accuratiusque rimari rationem potissimam, qua Clerici in sanctissimas hujusmodi Congregationes allegebantur. Utilitas ea erat nimirum ab illis ab Ecclesiam reditura. Canones superiores rem manifestè prodiderunt. Idem paulò antè affirmabat Crodogangus. *Magnam utilitatem Ecclesiæ conferunt.* Canone sequenti præcipitur, ut eadem alimentorum quantitate donentur Canonici omnes, cum adsciti omnes sint, tanquam utiles Ecclesiæ futuri. Si quorum verò ex iis major sit meritorum abundantia, & eorum præmianda sibi Episcopus existimat obsequia, auctius aliquid illis & opimius in reliquis distributionibus conferet, non in alimentis. *Cibum & potum omnes æqualiter accipiant, hi videlicet qui propter aliquam utilitatem in numero Canonicorum fuerint admissi. Quanquam enim plerique subditorum à Prælatis, rebus quibuslibet aliis plus cæteris meritò soleant honorari, in hac tamen societate, seclusa personarum acceptione, una debet cibi & potûs æqualitas esse. Can.121.* Sed ibidem mox sugillatur à Concilio Canonicorum quorundam protervia, qui cum aliunde opibus affluant, nec Ecclesiæ aut ornamento valde sint, aut emolumento, majores tamen sibi arripiant distributiones, quàm cæteri, qui pauperiores sint & Ecclesiæ utiliores. *Solet in plerisque Canonicorum Congregationibus irrationabiliter atque indiscretè fieri, ut nonnulli Clerici, qui & divitiis affluunt & aut parum, aut nihil utilitatis Ecclesiæ conferunt, majorem cæteris divinum strenuè peragentibus officium, annonam accipiant.*

Jubetur proximo hic Canone, in omnibus ut Canonicorum Collegiis eadem omnibus distribuatur panis, pulmenti, & pecuniæ quantitas; optabile quidem esse, ut & ubique vini quantitas eadem omnibus suppeditaretur; sed difficillimè perfici id, aut vel sperari posse, ob annorum & regionum discrepantiam, alias sterilium, aliàs ferrilium & vino abundantium. *Illud censuimus, ut panes & pulmentum eleemosynarum partes æqualiter Canonici accipiant. Et quamquam decentissimum foret, ut similiter æquè potum acciperent, non tamen id æqualiter in omnibus locis, nec Ecclesiarum diversissimæ facultates, nec terrarum qualitates, nec eventuum sinunt fieri posse varietates. Can. 122.* Optandæ hujus æqualitatis inter Ecclesias, ratio subesse ea videbatur, quòd de patrimonio pauperum attingere Canonicos non deceat, nisi pro modo necessitatis; ut quę redundant, in pauperes & calamitosos expendantur. Denique hoc eodem Canone extimulantur Canonici, patrimonio, vel Beneficio opulenti, non tantùm ut distributionibus sese abstineant, sed suis ut ipsi copiis pauperibus opitulentur, quos annis sterilitate damnatis enutrit Ecclesia. *Qui verò & suis & Ecclesiæ abundant rebus, instante sterilitatis tempore, eis, quos pauperes pascit Ecclesia, suis facultatibus cum charitate & humilitate suffragari procurent.*

V. Ab hoc eodem Concilio diximus alibi, in Canonicarum Regula constituenda, in triplicem eas classem distributas fuisse; earum quippe alias, dum se primùm Congregationi dicarent, prædia omnia sua & hæreditates Ecclesiæ contradidisse; alias ad Ecclesiam transtulisse rerum suarum proprietatem, & usumfructum sibi retinuisse, alias denique & proprietatem & usumfructum sibi reservasse, ac Procuratorem designasse, qui earum & administrationem & in foro defensionem in se reciperet, & curam redituum Canonicæ ipsi inferendorum. *Eas ad procurandum, sibique fideliter earum fructus administrandum commendent. Can.9.* Atqui prioribus tantùm, qui omnibus prorsus semet exuerant, præceperat Concilium liberaliter subministrari necessaria quævis stipendia. *Huic sufficienter in Congregatione stipendia largiantur necessaria.* Ex quo elucet, eas, quę vel proprietate vel usufructu patrimonii aliquid sibi integrum reservaverant, non eadem copia accepisse distributiones omnes, atque eas, quæ Evangelicam paupertatem sectabantur. Alio rursus Canone observatur, suas sibi vestes texere debere proprio labore Canonicas, præter infirmas, & eas, quæ suis omnibus nuntium remisere, his enim omnia abundè sufficienda esse. *Ex his, qui nihil proprium habere velint, quibus misericorditer studeant necessaria quæque præbere. Can.13.* Non satis exploratum habeo, an æmulatrices istæ arctioris Christi paupertatis, partes acciperent eleemosynarum, de quibus infrà aliquid tangitur, *eleemosynarum verò oblationes æqualiter accipiant.*

VI. Eadem placita in Capitularibus radiant, sed aliquantò explicatiùs, constantiùsque. Ibi *Præbendę* dicuntur distributiones illæ manuales, & illis abstinentur, quibuscumque aliquid est fundi, seu Beneficii, ex quo suppetere potest illis, quo vescantur & vestiantur. Transgressores hujus Statuti Præbenda & Beneficio privantur; si in sacro sint Ordine constituti, eo excutiuntur. Huic Imperatoris Decreto accedit Conciliorum authoritas. *Addit.3. c.7.6. Volumus atque præcipimus, sicut synodali atque canonica authoritate à Pastoribus Sanctæ Ecclesiæ sæpissimè admoniti sumus, ut Canonici, Clerici, qui in civitatibus, vel in Monasteriis degunt., qui Beneficia habent, unde victum & vestimentum habere possunt, ut hi juxta Apostolum contenti sint, & stipendia fratrum, unde pauperiores, & hi qui assiduè in prædictis locis domino famulantes excubant, atque ibi assiduum divinum explentes officium vitam sustinent, nequaquam assumant, aut in suis usibus convertant. Sciunt enim quia absque periculo atque dispendio animarum suarum nullatenus facere possunt. Si quis hæc statuta contempserit, utrisque careat, id est, & Beneficio & Præbenda, atque si gradibus fruitur Ecclesiasticis, his privetur.*

VII. Præter adnotatam jam distinctionem Præbendæ & Beneficii, observabimus hic, 1. porrigi hoc statutum & ad Cathedralium Canonicos, & ad eos, qui in Cœnobiis ab Abbate regebantur. *Canonici Clerici qui in Civitatibus vel Monasteriis degunt.* 2. Potuisse eos & Cathedralis vel Collegialis Ecclesiæ Canonicos esse, & Beneficium unà obtinere, hoc est, usumfructum alicujus prædioli Ecclesiæ. 3. Hoc frui non debuisse, nisi ad necessarium usum cibi & vestis. *Unde victum & vestitum habere possunt.* 4. Ita ex Beneficio affectos, quo ali, quo tegi possent, jam abstinere se debuisse rebus congregationis, nec ullam sibi partem sumere distributionum, alios in Canonicos spargendarum. 5. Proventus Canonicorum plerique ex distributionibus existebant, quæ singulis præbebantur, unde Præbendarum nomen. 6. Non levis ea erat culpa, sed depositione, sed privatione Ordinum,

nium, & ipsius Beneficii vendicanda, si cum aliunde adsit victûs & vestitûs copia, participandis se quis ingerat reditibus Ecclesiæ, vel distributionibus. 7. Jam tum distributiones, hoc est reditus omnes Canonicorum iis erant addicti, qui divinis Officiis religiosissimè intererant. Non quò aliquid inde in divites, qui aderant, spargeretur, sed duo illa desiderabantur ad earum consortium adipiscendum, ut adesset quis sacræ Psalmodiæ, & ut egeret. *Pauperiores, & hi qui assiduè divinum ibi explent officium.*

VIII. Nihil hic exprimitur de iis, quibus pinguè est patrimonium. Eadem militat ratio. Divites cum sint, patrimonii pauperum exortes sunt. Sed quæ ibidem sequuntur, omnes dubitationis nubeculas diluunt. *Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune; nec aliquid inde eis, qui sibi de suo sufficiunt, convenit erogare. Quando nihil aliud sit, habentibus dare, quàm perdere. Ibid. c.77. 78.* Hic certè nihil erat loci tergiversationibus. Et rursus tamen ibidem mox fax aliquantò splendidior infertur: *Nec illi, qui sua possidentes, dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt.*

IX. Certum est ergo Clericos & Canonicos ipsos vitæ communis vinculo innexos, & patrimonia possidere potuisse, & Beneficia, seu tam fundos Ecclesiæ aliquos, & distributiones ad cibum & vestitum ex Concilii Aquisgranensis præscripto admensas; & harum distributionum expertes fuisse ex Capitularibus, si quo essent patrimonio freti, vel Beneficio. Cæterùm jam singulorum intererat ad conscientiæ munditiem, & ad salutis suæ procurationem, ut intelligeret, & moribus suis approbaret, res Ecclesię pauperum usibus dicatas esse, frugalem ex iis cibum, cultumque, ac nihil prætereà præsumi posse, denique quomodocumque dives quis sit, neminem sibi sumere debere, quod alendis pauperibus sacrum est.

CAPUT VII. *P.4. l.4. c.1.*

An quibus patrimonium suppetit, Beneficia iis conferri, ab iis retineri possint post annum Christi millesimum.

I. Quando laboratum est sæculo undecimo in castigandis Cleri moribus, eò collimatum est, ut terrenorum abdicationi astringeretur.

II. In id totus committebatur Petrus Damiani. De Regula B. Augustini.

III. Premebat Patris verba & authoritatem maximè Hieronymi:

IV. Ut nec ab Hieronymo, nec à Petro Damiani in illis sit necessitas, ut Clerici proprio carerent, quanquam id consultissimum ipsis fore ostenderetur.

V. Canonici proprietarii, in quos exclamans stringerit Petrus Damiani, Concilii Aquisgranensis authoritate abutebantur.

VI. Vehementer stomachatur Petrus Damiani, nec injuria, in eos, qui vel ex patrimonio vel ex Beneficio grandes congerebant pecunia acervos.

VII. Qui tum insudabant reformando Clero experti non omnes Clericos faciles & sequaces fore ad communem vitam, & ad temporalium abdicationem, duas classes passi sunt esse Canonicorum, alterum non Regularium sub Regula Concilii Aquisgranensis, aliorum sub Regula B. Augustini, qua tum demum cœpit ei proponi. Probatur. De Regula Petri de Honestis.

VIII. In reformatione Cleri postremis his duobus sæculis nostris sæpius tentata, & non mediocriter perpolita, duæ quoque eadem ista retenta sunt Congregationum Clericalium classes.

IX. Alternantes in hoc negotio opiniones conciliat Bellarminus Cardinalis, eo constituto, nec debere, nec posse nil necessarium à quoquam decerpi, superfluum enim & redundans omne pauperibus deberi, sive ex patrimonio, sive ex Beneficio, sive ex utroque.

X. Idem confirmatur; dum pauperibus erogetur quidquid redundat, vel ex Beneficii, vel ex patrimonii proventibus, non magni interesse in quam se quisque partem det in his opinionum dissensionibus. Quæ fuerit Gratiani sententia, quæ Dionysii Carthusiani. Exemplum Sancti Caroli.

I. FUsius alibi jam diximus, ubi ex incontinentiæ voragine, in quam se demerserat Clerus Ecclesiæ Latinæ, & paulò antè, & paulò post, & in ipso sæculo decimo; ubi ex ea, inquam voragine abstrahendus fuit, unam tum melioris spei lucem affulgescere visam esse, si totus in Congregationes Clericales & in Canonicorum Collegia, à sæcularium contubernio sejuncta compelleretur. Ea certissimè communis vitæ societas, incontinentiam frænare poterat, & ad Clericalis instituti castitatem constringere. Sed ea Clericos implicare videbatur communioni rerum temporalium, & hæc communio ad propriæ & hæreditariæ substantiæ abdicationem invitabat, atque ad redituum ipsorum possessionem in communi sine cujusquam proprio. Id sequuti sunt Pontifices, Episcopi synodicè congregati, summi quique viri amore purioris disciplinæ inflammati, ut Clericos omnes ad Canonicam vitam concitarent; Canonicam eam interpretati vitam, quam in communi societate agerent, abdicata quacumque proprietate, quasi ea proprii abdicatio ipso Clericatus ingenio & instituto contineretur.

II. Prolixissimè eam quæstionem versavit Petrus Damiani, datis ad Alexandrum II. Papam Epistolis, ubi illorum illacrymatur Canonicorum sorti infelicissimæ, qui res proprias possidebant, idque se posse confidebant illæsis Canonum regulis. *Dolemus nonnullos sanctos fratres, Canonici videlicet Ordinis, in tam effrenis prorupisse libertatis audaciam, ut non modò sibi jus habendæ pecuniæ vindicent, sed & hanc sibimet & Regulari authoritate competere pertinaciter asseverent. Epist.16.* Eam ille Canonicorum jactantiam mox oppugnat, congestis sanctorum Patrum testimoniis. Orditur porro ab Augustino, & à duabus ejus Concionibus *de Moribus Clericorum*, ubi Evangelicam hanc paupertatem sanciebat Augustinus suo quidem Clero, ut legem posthac intaminatam futuram. Hæc alibi à nobis deprompta fuere. Unum id hoc loco adnotabimus, in id conspirare Damianum, ut ad omnes prorsus Clericos exporrigat, quod Augustinus uni suæ Ecclesiæ indixerat Clero. Nec illud prætereundum nobis est, ubi Petrus Damiani Regulam Beati Augustini, & paupertatem Evangelicam ab eo Clericis suis præscriptam proponit Clero imitandam, non aliunde eam accersi, quàm ex duabus illis Concionibus, nusquam commemorata Epistola ejus centesima nona; quæ tunc temporis adhuc nonnisi ut Regula Monialium circumferebatur.

III. Hinc ad Hieronymum se confert Damianus, cujus tantò gravior videbatur imminere authoritas, quantò illa Clericos omnes alloquebatur, nec nisi communia Clericorum omnium officia inculcabat, cum Augustinus ad solos intueretur Ecclesię suę Clericos, nec aliud magis premeret, quàm spontaneam paupertatis professionem, qua se illi semel il-

illaqueassent, dum ordinarentur. Heliodoro illud statim abruptè intonat Hieronymus; nihil ab eo proprium possideri posse, si se Christi discipulum profiteri velit. *Animadverte, frater, non licet tibi quidquam de tuis habere rebus. Omnis, inquit Dominus qui non renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Oculis subjicit exemplum Christi & Apostolorum, qui reliquerunt omnia, ex quo idem efficit, aut sæculi, aut Christi renuntiandum esse hæreditati. *Hæreditatem expectas sæculi? Cohæres Christi esse non potes.* Perfecti esse pronunciat terrena abjicere & despicari omnia, porro Clericatum quandam esse perfectionis professionem. *Dominum ausculta dicentem; Si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua, & da pauperibus, & veni, sequere me. Tu autem perfectum te esse pollicitus es. Nam cum derelicta mundi militia te castrasti propter regnum cœlorum, quid aliud quàm perfectam sectatus es vitam? Si perfectus es, cur paterna bona desideras? Si perfectus non es, Deum fefellisti.*

Ac rursus Hieronymus idem ad Nepotianum Presbyterum scribens, demonstrat nomine ipso & natura Clericatus quodammodo contineri terrenorum omnium despicientiam & ejurationem. *Clericus qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primo nomen suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim cleros græcè, latinè sors appellatur, propterea vocantur Clerici, quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est; Et quia vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & ipse possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit: Pars mea Dominus nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus, verbi gratia si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignatur.* Illud denique pronunciat Hieronymus, si velit quis, uti Levitæ Mosayci, de altari vivere & de decimis, renunciandum cum ipsis esse terrenis hæreditatibus, hoc est, si proventu quis Beneficii vitam tolerare velit, patrimonia abjicienda esse, & vitam paupertati accommodandam. *Si autem ego pars Domini sum & funiculus hæreditatis ejus, nec accipio partes inter cæteras Tribus, sed quasi Levita & Sacerdos vivo de decimis & altari serviens, altaris oblatione sustentor, habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar.* His addit Damianus Prosperum, qui negat Clericorum proprias res possidentium posse voluntates in unam perfectè coire societatem, & coalescere. *Quia non potest ibi esse unitas voluntatum, ubi fuerit diversitas facultatum.* Hoc triplici authoritatis telo configit Damianus Canonicos proprii peculii cupidiores. *Ecce ad condemnandam & funditus abolendam Canonicorum pecuniam, tres non qualescumque, sed inexpugnabiles in testimonium Doctores adduximus, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.*

IV. Illud tamen præ se fert Petrus Damiani, quantumvis dulce & suave perfectionis jugum, non tamen omnium à se imponi Clericorum cervicibus, sed solis Canonicis communis vitæ societate devinctis: *quod tamen non de Clericis omnibus dicimus, sed de his specialiter, qui Canonico censentur nomine, & vivunt in Congregatione.* Perspicuum est tamen, quæ ab eo distringuntur validissima argumenta, cujusmodi sunt, quæ ab Hieronymi authoritate petuntur, ad omnes omnino permanare Clericos, & Beneficiarios, ut quæ ex ipso Clericatus nomine & professione exprimantur. Ita latius patet argumentatio Damiani, quàm conclusio. Nec tamen nimis probare dicendus est, ne eodem verberetur convitio Hieronymus; cujus non ea erat, ut existimo, mens, ut omnes Clericos peculio & patrimonio gaudentes gaudiis arceret cœlestibus, quamvis ea videri possit verborum ejus esse vis & animi æstus. Bona ergo fide fateri cogimur, in fervidioribus adversùs vitiorum corruptelas hortationibus, & in exaggeranda virtutum pulchritudine, ea quandoque & verba & argumenta adhiberi, quæ clementiores desiderent interpretes. Nec tamen elevanda est ejusmodi sermonum fides & authoritas, quasi inconsiderati zeli ea esset effervescentia. Sapientiæ & veritati ibi consonant omnia, sed & illi consonant æstui ac flammæ charitatis, qua pro virtutibus Evangelicis adversùs grassantia morum vitia decertandum est. Illos enim qui de Clericatu ipso negotiantur, & acervos accumulant, sive de Beneficii, sive de patrimonii sui proventibus sine modo congestis, illos, inquam, volens Hieronymus ab his cupiditatum dehonestamentis deterrere, declarat ipso Clericatus nomine & statu provocari eos ad amorem paupertatis, ad opum infimarum contemptum, & ad studia Consiliorum Evangelicorum. Itaque & verba & argumenta Hieronymi de Clericorum abdicatione proprii, retorquenda ad id sunt, quod unum ille moliebatur, ut sumet ipsos puderet Clericos, si Clericatu, quo ad amorem proliciuntur paupertatis, ditescerent in dies magis magisque, sive patrimonii, sive Beneficii recondendis proventibus superfluis, qui fuerant in pauperes erogandi. Nemini nimius videri potest Hieronymus, qui non proponit, non commendat, non ostentat nisi Clericatum, sed tota sui Ordinis perfectione radiantem. Verè enim perfectio Clericatus, si ad suum apicem proveheretur, hanc secum inveheret terrenorum omnium renunciationem, quo certè modo repræsentata est à Christo, ab Apostolis, à longè plurimis ineuntis Ecclesiæ Clericis. Verè enim ea perfectionis erant aurea sæcula, ad quod & ipsæ persecutiones conducebant nonnihil. Nec tamen ulli adhuc Monachi per tria illa priora sæcula effulserant. Soli ergo tum Clerici potissimum paupertatam Evangelicam & perfectionem sectabantur. Sed ut Evangelica perfectio fidelibus laicis proponitur, non imponitur, ità & Clericis; at his multò utique vehementiùs instantiùsque, pro gradu dignitatis, quo eminent, nec tamen imponitur, sed proponitur. Denique ut omnis summoveatur ab Hieronymo invidia, non aliter ille ad Clericos, quàm Christus ipse ad fideles laicos verba fecit de præceptis perfectionis. Nam & Christi Evangelica verba de renuntiatione terrenorum omnium, speciem præ se ferre videntur præceptorum, etsi consilia tantummodo sint. Quod à summa utique & ineffabili profectum est Dei sapientia & indulgentia, qui cum posset, quod perfectum est præcipere; quid enim tam arduum & operosum est, quod Deo non debeamus, quod præcepto charitatis rigidius inculcato non contineatur? Indulgentius nobiscum agere maluit, & in hujus tamen clementiæ suæ dispensatione occultos sparsit aculeos, ut enitamur altius, & sponte nostra præcepta interpretemur, quæ consilia sunt sapientiæ & clementiæ ejus sempiternæ.

Quæ de Hieronymo dicta sunt, ea ipsa de Petro Damiani pari jure astrui possunt. Ut Canonicos in Congregatione degentes ad perfectionem voluntariæ paupertatis cohortetur, non priorem illis refricat professionis suæ memoriam; nec enim paupertatem antè profitebantur; sed rationes illis & authoritates aggerat Patrum, quorum vehementissimus erat Hieronymus, à quo tamen ex æquo ad omnes Clericos sermo fit, & ipsa Clericatus professio exaggeratur. Si Clerici universim omnes ad

perfectionem provocantur, perfectio autem abnegationem terrenarum opum flagitat, multò æquius est, ut Canonici in Congregationem coadunati, victu & vestitu contenti ab eadem suppeditato, caduca respuant patrimonia. Illud erat Hieronymo & Petro Damiani commune, quod uterque Clericos execrabatur, quorum inexhausta quædam avaritia opes sibi coacervabat ex Beneficii, vel patrimonii fructibus in futurum reconditis, qui impræsentiarum debuerant sepositis vitæ necessariis superflua omnia in pauperes effundere.

V. Quibus succensebat Petrus Damiani Canonicis, ii sordes suas & avaritiam obumbrabant authoritate Regulæ Concilii Aquisgranensis sub Ludovico Pio. In ea enim Regula prolatis in medium contextibus iisdem omnibus Hieronymi & Prosperi, sive Juliani Pomerii, non aliud tamen concludebatur, quàm ut Canonici victu & vestitu in commune suppeditando contenti essent, similiter & congrua parte eleemosynarum. *Accipiant in Congregatione Canonica victum & vestitum & eleemosynarum partes.* Eam pecuniæ distributionem insectatur Damianus velut prorsus exitialem: *Prius itaque dat victum & vestitum, deinde divisores constituit eleemosynarum. Illud scilicet ad necessarium vitæ subsidium, hoc ad infarciendam congeriem sacculorum. Illud ut corporaliter vivant, hoc ut æternæ morti pabulum nutriant.* Nec illud inenarrabilis Censor in prætcritis reliquit, quod eadem Regula singulis Canonicis largiatur in singulos dies, quatuor panis, quinque vini pondo, ipsis jejunio dicatis diebus, quibus semel refici fas est. *Cum à maximo usque ad minimum, id est, etiamsi duorum vel trium annorum in Clero puerulus, quinque sibi libras vini & quatuor panis, ut non ad vomitum, sed ad exenterationem repleatur, accumulat. Etiamsi semel die reficitur, hac panis & vini mensura nullatenus minuatur.* Tum verò in eam Regulam impotentius bacchatur Petrus. Scilicet in illa temporum caligine, inexplorati & inauditi ei erant ejus authores. Illis enim citra dubium honoris plusculum detulisset. Multò minùs perspecta erat Petro necessitas, quę Aquisgranensis Concilii Patribus eam indulgentiam extorserat.

Ei Regulæ nullam aliam adversariam exeitat Regulam Damianus, nisi Evangelia & Sanctos Patres. Ex quibus probabile fit, nec dum tunc Canonicis Regularibus Regulam ullam propositam fuisse, quæ nomine & authoritate Beati Augustini commendaretur. Id non multò post factitatum est, ut retunderetur authoritas Regulæ Aquisgranensis Concilii, quæ proprietariis Canonicis patrocinio erat. Nec immerito id quidem, cum unus ex omnibus antiquis Ecclesiæ Patribus Augustinus Clericos Ecclesiæ suæ ad Evangelicam compulisset paupertatem.

VI. Cæterùm sepositas & reconditas ex redditibus Ecclesiasticis opes apertissimè damnat Damianus: *Si Ecclesiastica tibi liceat bona recondere, videris auxisse divitias, non sprevisse; ut magis pecuniæ quæstum, quàm Religionis ambias institutum; & non tam sanctitatis culmen voluisse conscendere, quàm acervos pecuniæ cumulare.* Quibus collibitum est, & patrimonio frui, & Beneficio, & iis opibus vel parcere, vel in sæculares pompas abuti, aut delitias; inficias illi ire non possunt, quin, quod Petrus exprobat, Clericatum suum instrumentum habeant parandarum divitiarum corruptibilium, qui ad eas aspernandas eos sollicitat: avaritiæ artem, non professionem sanctitatis. Ulteriùs evehitur Damianus in Epistola ad Canonicos Fanensis Ecclesiæ, quos inter fervebat molestissima dissensio, vergentibus aliis ad vitæ communis societatem, aliis propriis & privatis opibus abstinere se posse negantibus. *L.5.Ep.9.* In hos postremos magno impetu evectus est Damianus quanquam neminem fallat, nullo eos necessitatis telo cogi potuisse ad vitam communem, vel ad rerum propriarum renuntiationem. Clericis admonuit non solas Laicorum vestes fugiendas & indecoras esse, nec satis distare à Laicis Clericos eos, qui cum illis vescerentur, unà habitarent, & æquè ut illi corruptibilibus divitiis congerendis delectarentur. *Satis videtur absurdum, ut Clerici quis prætendat in ordine speciem, & sæcularium teneat in vivendo conversationem; & quem à laicorum turbis professionis conditio separat, turpe est vel domestica conversatio, vel peculii abominanda proprietas laicum esse convincat.* His subtexit placita eadem illa sua, de quibus ad Alexandrum II. Papam scripserat. Est autem non perfunctoriè observandum, quòd vir doctus & sanctitatis laude clarissimus, cum Fanenses Canonicos cohortaretur ad vitam communem, ad unius Congregationis vinculum, ut una habitarent domo, ut proprium omne abjicerent: turpe id quidem esse ait, Clericos vivere & versari cum Laicis; at proprietatem bonorum temporalium fieri, ut abominationi sit Clericus, & in laicum ac sæcularem degeneret. *Vel peculii abominanda proprietas laicum esse convincat.* Hoc peculium Clericorum vel Beneficii, vel patrimonii proventibus turgebat. At Clerico patrimonium retineri, id equidem non facilè persuadebor abominandum Damiano visum, aut ab habente patrimonium Beneficium obtineri. Unum est, quod in ea quidem re non improbandum tantùm & prohibendum, sed & abominandum sit, coacervatio ingens opum & redituum, sive ex patrimonio, sive ex Beneficio per plures annos affluentium. Quanquam non paulò execrabilius sit, si quis sibi has opum strues accumularet ex solis Ecclesiasticis proventibus, qui alendis pauperibus sacri sunt. Quanquam & illud non injuria abominationi sit, si Clericus parcat patrimonio, illudque sine modo, sine fine amplificet, sumptus interim sibi suisque faciens de rebus Ecclesiæ. Id detestabatur, in id detonabat Hieronymus, cum dolebat vicem Clericorum, & cæcitatem, qui opes exaggerant ex ipso Clericatu, hoc est, ex professione ipsa propiùs imitandi Christi pauperis, admirandæ & amandæ ejus paupertatis. Luculentissimum est quod advertit Petrus Damiani, *Ibidem*, Clericorum non aliter, quàm Levitarum consecratione Deo dicari ac devoveri, non ipsos tantùm, sed & res ipsorum omnes. *Et notandum, quod non solùm Levitas, sed Levitarum etiam pecora Dominus sua esse testatur; ut perspicuè doceat, quod ii, qui Ecclesiasticis mancipantur obsequiis, Deo debent non modò suæ sedulitatis & laboris impendium, sed etiam proprietatem quoque earum, quas possideat facultatum, sciantque se simul & sua juris esse non proprii, sed divini.*

VII. Indubium ergo est, qui tunc omnes operam industriamque suam contulerunt ad Clericalis instituti & sanctitudinis instaurationem: illis omnibus propositum fuisse, ut Clericos omnes adducerent ad amplectendam vitam canonicam, hoc est, Regularem. Quanquam enim necdum usitata esset illa appellatio Canonici Regularis, compertum tamen omnibus erat, unum idemque sonare vocem Canonis & Regulæ, sicut & Canonici ac Regularis. *Planè quo pacto quis valeat dici Canonicus, nisi sit Regularis? &c. Volunt siquidem Canonicum, hoc est, Regulare nomen habere, sed non regulariter vivere. Ibidem.* Cum non omnes Clerici ei acquieverint vitæ communis & abdicationis professioni; cœpere non multò post segregari Canonici sæculares & proprietarii, Regulæ Concilii Aquisgranensis addicti, à Canonicis abdicationem profitentibus, eòque Regularibus dictis, à Regula B. Augustini: tunc quidem minimè nova, sed innovata: & jam non Monialibus, sed Canonicorum Collegiis aptata.

Concilium Romanum anno 1059. sub Nicolao II. Papa, ad hanc communis vitæ societatem, & paupertatis Evangelicæ professionem Clericos prorsus omnes invitavit. *Juxta Ecclesias sicut oportet Religiosos Clericos simul manducent & dormiant, præcipientes statuimus, & quidquid eis ab Ecclesiis venit, communiter habeant. Et rogantes monemus, ut ad Apostolicam vitam scilicet communem, summopere pervenire studeant.* Can. 4. In hoc Concilium convolaverant centum tredecim Episcopi, & hoc ejus Decretum Pontifex misit ad Galliæ & Aquitaniæ Episcopos. *Epist.* 8. Itaque eò anhelabant Pontifices & Præsules omnes, Clerus ut universus ad Apostolicæ vitæ imitationem perduceretur. Mira tamen quadam sapientia & humanitate Canon iste conditus fuit. Nam unius domus, mensæ, & substantiæ Ecclesiasticæ communio, *quidquid eis ab Ecclesia venit*, præcepti lege indicitur; *Præcipientes statuimus*. Idque tunc tantò erat proclivius, quantò rariores adhuc erant inter Beneficiarios fundorum partitiones, & eorum reditus ferè ex distributionibus exurgebant. Sed quod ad patrimonium pertinet, non aliud Concilium, quàm orat & hortatur Clericos, *Rogantes monemus*: ut contendant, incedantque ipsos, ad nascentis olim Ecclesiæ perfectionem æmulandam, cum venditarum rerum pretia ad Apostolorum pedes abjiciebantur, ut inde pauperes soverentur, & miserabiles quique.

Paulò concitatiores erant Petri Damiani Epistolæ, zelo servientis suo. Sed mirum in modum distat Concionator, aut Scriptor, qui eloquentiæ vel pietatis suæ æstu abripitur in inculcanda perfectionis charitate, à Concilio vel Pontifice decreta vel præcepta condente. Alexander ipse II. ad quem Petrus Damiani inflammatissimas illas dederat literas, ad extudendum decretum ejusmodi aliquod, nihil ultra molitus est, quàm ut hunc ipsum Canonem Concilii Romani, *Can.* 4., sub Nicolao II. confirmaret, rursumque promulgaret in alio Concilio Romano anni 1103. à quo eadem ipsa usurpata sunt verba. Princeps & primus omnium, vel inter principes Petrus de Honestis novam concinnavit Regulam Canonicis iis, qui res omnes proprias ejurarent, Ravenna erat, & in ejus Civitatis portu Cœnobium extruxit, ubi Regulæ suæ observantiam sanxit, Paschali II. Pontifici priùs oblatæ. Terrenorum abdicatio disertis ibi verbis exprimitur. *Cap. 5. Propriis rebus & voluntatibus renunciastis*, Non hîc ego inquiram, an antè hæc Regula exarata sit, vel permanarit, quàm Regula illa Augustini nomine apud Canonicos Regulares invalesceret. Sed apparet multas hoc eodem tempore emersisse Congregationes Canonicorum, qui Regulares dicebantur ab his Regulis spontaneam infimorum bonorum omnium abdicationem indicentibus; quas omnes tandem obscuravit & obruit ea, quæ nomine & majestate Augustini circumfulgebat Regula. Hinc illud jure concluditur, non fuisse vanos aut infrugiferos tot Pontificum & Conciliorum & ipsius Petri Damiani labores ad Clericatûs perfectionem redintegrandam. Etsi enim non Clericis, ac ne Canonicis quidem omnibus persuasum sit, ut ad eam se conformarent perfectionem, quam primigenia Hierosolymis Ecclesia initiaverat: plures saltem propagatæ sunt Congregationes Canonicorum Regularium, quæ Evangelicorum Consiliorum perfectioni, paupertati in primis se devoverent.

VIII. Res simillima contigit altero ab hinc sæculo, cum Adrianus VI. & mox Clemens VII. Petrum Caraffam Episcopum tum Theatinum, qui Paulus postea IV. Pontifex fuit & Marcellum Cajetanum, virum sanctitate & innocentia vitæ præstantissimum, jussere gnaviter incumbere in Cleri mores ad novam quandam & luculentam disciplinæ formam refingendos. Ab his duobus præstantissimis tum viris instituta est Congregatio Clericorum Regularium, quos Theatinos vocant, triplici Religionis voto usitatissimo devinctorum, & quarto prætereà eo singulari, ut eleemosynis spontaneis, nec mendicatis vivant, quò propiùs vestigia premant Apostolorum. *Spond. ann.* 1524. *n.* 11. Emersere postea magno numero Congregationes Clericorum, aliæ Regulares, usitata votorum solemnitate constrictæ, aliæ merè Clericales; sine votis, & ne abdicato quidem patrimonio. Hæ posteriores, quibus & Apostolicæ Sedis accessit confirmatio, manifestè produnt, nihil collidi aut conflictari Clericatui, aut Beneficiis hæreditaria patrimonia. Harum enim posteriorum Congregationum socii, verè Beneficiarii sunt, si reviviscat Stylus Ecclesiæ antiquior, cum cibos illis vestesque sufficiat Congregatio, quo uno subsidio ab Ecclesia fovebantur veteres olim plurium sæculorum Beneficiarii. Patrimonio non renuntiant, & exemplo utuntur antiquissimorum Clericorum, quin & Congregationum tunc Clericalium; unam si illam excipias Augustini, & paucissimas alias, quæ illius vestigiis insistere studuerunt. Multò manifestior illis conciliabatur authoritas ex Concilio Aquisgranensi anni 816. quo sinebantur Canonici patrimoniis Beneficia adjicere. Innituntur denique pulcherrimo temperamento Conciliorum & Patrum Concilii xi. qui Canonicos compulere, ut in communis vitæ societatem, in bonorum etiam communionem convenirent, ad patrimonii abdicationem invitavere tantùm.

IX. Sed hæc mira & inevitabilis disciplinæ exterioris Varietas; inconcussæ illi & invariabili legi officere non potest, aut derogare, quæ omnes jubet Clericos parco & modico, modestoque contentos esse victu & cultu, reliqua pauperibus dispensare, ut illis debita, sive ex Beneficii, sive ex patrimonii proventibus. Cum enim superflua jam sint, utique pauperum sunt. In ea versatur sententia vir omni exceptione major Bellarminus, atque ita demum auguratur ille concordare posse doctrinam Prosperi, sive Juliani Pomerii, cum ea, quæ capitaliter dissidere videtur. Vetabat enim Pomerius particeps esse proventuum Ecclesiæ, quibus esset par patrimonium. Ei ut duriusculæ doctrinæ obtrectabant jam tum non pauci. Earum duarum sententiarum author est Bellarminus, priorem esse tutiorem, secundam forsan veriorem: nisi altera alteri consentire ita jubeatur, ut Julianus Pomerius de iis agat, quibus alterutrum abundè sufficere potest, sive patrimonium, sive Beneficium: tum enim saltem alterum superfluum est, atque adeo pauperibus debitum; cæteri de iis egerint, quibus nec patrimonium sejunctim, nec Beneficium satis copiosum fuerit, atque ita poterant utrumque retinere, dum ne sibi inde decerperent, nisi pro modo necessitatis & decoris. Caput enim illud est, quod in omnibus istiusmodi quæstionibus dominari decet, de quo inter Theologos ferè convenit ex ipsomet Bellarmino, quidquid superfluum est, id deberi pauperibus. *Ex his opinionibus prima est tutior, etsi secunda fortasse est verior; nisi hoc modo concilientur, ut dicamus Sanctum Prosperum loqui de illis, qui planè sufficientem habent substentationem ex patrimonio aut Beneficio. Tunc enim alterum est superfluum, & proinde pauperibus debitum. Alios verò authores loqui de illis, qui neque ex patrimonio, neque ex Beneficio sufficientem omnino sustentationem habent. Hi enim utrumque retinere possunt, modò ex utroque nihil accipiant ultra sustentationem decentem, juxta conditionem proprii status. Quod enim verè superfluum est, dandum esse pauperibus, Theologi communiter docent. Bellarmin. De Clericis L.* 1. *c.* 27.

Ei temperamento tantò lubentiores assentimur,

quòd

quòd moribus hodie receptissimis non adversatur, ubi opulento qui sunt patrimonio, Beneficia nibilominus obtinent: & tameo regulam præscribit usui harum omnium divitiarum, sive ex Ecclesiasticis, sive ex hæreditariis proventibus affluentium: & eam Regulam, qua nihil sanctius unquam antiqua præscripserint vel Conciliorum, Pontificumque Decreta, vel monumenta Sanctorum Patrum. In id enim sanctissimi Patres Theologique consentiunt, exteriores quidem alternare usus, & alios aliis temporibus inolescere & exolescere; at regulas & leges pietatis, innocentiæ morum, frugalitatis, modestiæ, abdicationis cupiditatum terreoarum, erogationis omnium superfluorum in egenos, qui rebus necessariis destituuntur: has, inquam, leges easdem semper & immutabiles, æternasque constare.

X. Leges, si lubet, aut si vacat, apud Fagnanum, *In l.3. Decr. part.1. pag.120. & seq.306. & seq.*, varias Canonistarom responsiones ad contextos Hieronymi, & Prosperi, sive Juliani Pomerii, Decreto Gratiani intextos. Non satis video, an his interpretibus suis assentiatur Gratianus. Dilucidè satis mentem ipse suam apernit, ubi post Patrum hæc testimonia congesta, hæc subtexuit, quasi ad hæc referretur tota disputatio. *Verùm his authoritatibus probibentur ab Ecclesia suscipi, non illi, qui quondam fuerunt divites, postea verò omnia reliquerunt, ut Petrus, & Matthæus & Paulus: at pauperibus distribuerunt, ut Zachæus; aut Ecclesiæ rebus adjunxerunt, sicut illi, qui prædia sua vendentes, ponebant pretia ante pedes Apostolorum, ut omnia essent communia: sed illi, qui in domibus parentum residentes, vel sua relinquere nolentes Ecclesiasticis facultatibus pasci desiderant.* Et paulò post: *Ecce qui probibeantur ab Ecclesia suscipi. Illi verò qui omnia sua relinquunt vel pauperibus distribuunt, vel Ecclesiæ rebus adjungunt, & ab Ecclesia laudabiliter suscipiendi sunt, ejus opibus sustentandi. 1. q.2.*

Hæc apertè doctrina Gratiani est, hæc sententia Hieronymi & Pomerii testimoniorum suprà laudatorum. Sed nihil horum pugnat ei moderationi, cui suffragabatur Bellarminus. Nec enim magni refert, pingui dotatos patrimonio, illud pauperibus largiri, antequam Beneficium suscipiant, quo vitam deinceps sustentent; an eas erogationes faciant, statim impetrato Beneficio. Parvi refert, an de patrimonio se suo sustentantes Ecclesiæ dimittant proventus Beneficii & Ecclesiæ, cui ministrant: aut eos ut superfluos pauperibus ipsimet distribuant. Denique non magni refert, an superflua pauperibus erogentur ex Beneficio, vel ex patrimonio, & an simul & semel erogentur, an longa largiendi & consulendi charitate atque voluptate. Illud unum permagni omnino interest, ut Beneficiarii necessario, modico, parco victu contenti, reliqua omnia sibi redundantia, pauperibus necessaria, atque adeo debita vel largiantur, vel restituant pauperibus, ea charitatis teneritudine, qua Christi membra, qua Christum ipsum pasci & vestiri par est.

Docet quidem Sanctus Thomas peccare Beneficiarium, si publicæ necessitatis tempore patrimonio, quo abundat, parcat, & Beneficii fructos ipse consumat. *Et in tali necessitate peccaret Clericus, si vellet de rebus Ecclesiæ vivere, dummodo haberet patrimonialia bona, de quibus vivere posset. 2. 2. q.185. art.7.* Sed eodem ipso articulo ita censet toties peccare Beneficiarium, quoties immoderatè ipse utitur fructibus, sive Beneficii, sive patrimonii sui; unde fit, ut jam pauperibus opitulari non possit. *De his autem bonis Ecclesiæ, quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis, ut scilicet propter immoderatum affectum & usum peccet quidem, si immoderata sibi retineat, & aliis non subveniat, sicut requirit debitum charitatis.*

Finem faciemus huic Capiti, si antè monuerimus, Gratianum manifestius adhuc suam explanatam nobis esse voluisse sententiam, ubi ait in Ecclesia Orientali Clericos majores, in Occidentali minores esse conjugatos, atque adeo utrisque integrum, ac pene necessarium fuisse, ut ad usus saltem suæ familiæ patrimonia possiderent; at eos, qui jam inde à puero militiæ dicati sunt Ecclesiasticæ, jam nihil propriè & privatim possidere posse, nisi patrimonio contenti, Ecclesiæ dimittant reditus Ecclesiasticos suos. *Sed notandum est Episcopos Orientales uxores habere & filios; quosdam autem ex nostris partibus, sum in laicatu, sive in minoribus Ordinibus constituti, habeant uxores & filios, sive morte uxoris interveniente, sive continentia pari voto servata ad sacros Ordines accedere. His omnibus conceditur habere propria ad suos & suorum usus. Qui autem ab infantia sacra militia traditi sunt, nullo modo eis permittitur habere propria: quia nulla est eis excusatio proprietatis: nisi fortasse retinendo sua, à sumptibus Ecclesiæ abstineant. Quod fieri posse Prosper testatur. 2. q.1. post cap.24.* Gratianum sugillavit Beatus Antoninus Archiepiscopus Florentinus. *T.4.Tit.12. c.8. p.187.*, quòd Clericos omnino arceat patrimonio. Non vacaret sanè culpa Gratianus, si ea ejus esset sententia. Sed illa ab eo cautio allata est, qua censuræ eximatur.

Hanc eandem quæstionem ventilavit Dionysius Carthusianus in Tractatu eo, quo pluralitatem insectatus est Beneficiorum. Ita autem statuit, C.14., qui patrimonii fructibus gaudere vult, eum Beneficii proventus in pauperes dispensare debere; ita consentire Hieronymum, Prosperum, Bernardum; & longè tutissimum esse ad horum Patrum doctrinam mores vitamque suam componere. *Et horum sanctorum Patrum sententiis securius atque salubrius statur, quàm aliorum quorumdam, in quibus illuminatio tanta non fuit.* Fatetur denique Dionysius, Beneficiarium patrimonio bene dotatum, fructus facere suos Beneficii & Ecclesiæ, cui ministrat, *Faciunt ejusmodi bona esse sua;* sed ut ea pauperibus largiatur Beatus Carolus ex Giossano, *L.8. c.11.*, *volebat quotannis sui sibi patrimonii reditus persolvi, quò eos in opera pia expenderet, quin & illud pensionibus oneravit, potiùs, quam Beneficia sua, ut solent multi hodie. Sic autem ille præmiari eos solebat, qui ipsi assuerant gnaviter & strenuè in Ecclesiæ ministerio.*

De opere manuum Clericorum & Monachorum.

CAPUT VIII. *P.1. l.4. c.2.*

De opere Monachorum & Clericorum per quinque priora Ecclesiæ sæcula.

I. Is demum cumulus est perfectissimæ paupertatis Evangelicæ ubi suis quis in pauperes erogatis, opere manuum & ipse victitat, & eos juvat.

II. In Consilio IV. Carthaginensi Clericis præceptum non est, quod Evangelica veritas consilii esse voluit, cui ne Apostoli quidem ipsi semper servierunt.

III. IV. Elucidatur hic Canon ex Canonibus mox sequentibus.

V. Non agunt hi Canones nisi de Clericis inferioribus, quorum complurimi uxorati erant. Clerici Seminarii Augustini ipsius manibus non operabantur.

VI. Probationes ex libro Augustini de opere Monachorum.

VII. Fatetur se Sanctus Pater litibus dirimendis fidelium ita detineri, ut quod mallet, manibus operari non posset. At iis judiciis intererant & Clerici majores.

VIII. Sopiendis potius fidelium dissidiis Apostolus Clericos addixit, quàm labori manuum.

IX. Ne Monachos quidem omnes Augustinus labori manuum dicat. Eos ille enim eximit, qui clari natalibus sunt, qui sacro in Ordine, qui patria bona dimisere, qui molliusculè ab infantia enutriti fuere, &c.

X. Eos tantum eò compellit, qui à servili jugo, vel ab agrorum cultu in Cœnobia confluebat.

XI. Ceteros etsi invitat, non cogit.

XII. XIII. De opere Monachorum & Monialium Ægypti ex eodem Augustino.

XIV. Monachi B. Martini non laborabant manibus, nisi juniores, in exscribendis libris.

XV. XVI. XVII. Varii usus Monachorum Orientis & Ægypti, ex Hieronymo, quorum alii aliis strenuiores ad opus manuum.

XVIII. XIX. Pluris faciebat Hieronymus studia & meditationem Scripturarum, quàm opus manuum.

XX. XXI. XXII. Varia exempla laboris manuum. Ne in pompas saculi laborent sacra Deo manus.

XXIII. XXIV. Aliis argumentis evincitur, non omnibus omnino Monachis impactam fuisse laboris manuum necessitatem.

XXV. XXVI. Novæ probationes.

I. SUperioribus Capitibus id assentiebantur Sancti Patres, eam esse cumulatissimam Evangelicæ paupertatis perfectionem in Clericis, si non patrimonii modò, sed & Beneficii reditibus nuntium remitterent, & Ecclesiæ ministrarent non alia mercede & gloria illecti, quàm ipso ministerio. Exemplis se Pauli Apostoli accommodabant insignes pietate viri, & cum ipso, opere manuum vitam tolerabant. De hoc labore & opere Clericorum hoc Capite disseremus.

II. Tres in rem istam Canones à Concilio IV. Carthaginensi editi sunt, quo ad opus manuum Clerici omnes concitari videntur. Video viros pios juxta & doctos Concilii hujus verba immitius interpretatos, ut non hortari tantùm videantur ad laborem, sed præcipere & cogere. Quanquam præstringatur statim mentis acies tanto zeli & pietatis fervore: re tamen tota diligentius ad calculos revocata, satis perspicuè constat, nunquam hos Canones Clericis omnibus vel legem infixisse, vel necessitatem operis manuum. Primus horum Canonem ejusmodi est. *Clericus quantumlibet verbo Dei eruditus; artificio victum quærat.* Can. 51. Hunc equidem Canonem suspicor eo consilio ita temperatum fuisse, ut difficultas levaretur, & scrupulus eximeretur iis, qui ambigebant, an Clericus doctrina pollens, & procurandæ animarum saluti idoneus, posset citra ministerii sui dehonestamentum, manibus operari. Declarat autem Concilium, quantalibet is eruditione floreat, non indecoram ei futuram Pauli Apostoli imitationem, qui opere manuum victitabat. Sed cum testatum faciat Apostolus, id se sponte sua facere, non præcepto; quia libet, non quia necesse est; nec se id semper fecisse, nec id facere cæteros Apostolos; Cum hæc ita se habeant, non ii erant hujus Concilii Patres, ut Clericos prorsus omnes protrudere vellent ad perfectionis culmen ipsis Apostolis superiùs, Paulo ipso eminentius, & legis vim apud ipsos habere, quod Paulus perfectionis consilium esse prædicavit.

III. Alterius horum Canonum verba hanc corroborabunt nostram primi interpretationem. *Clericus victum & vestitum sibi artificiolo, vel agricultura, absque officii sui detrimento quærat.* Can. 52. Perspicuum est hoc Canone unum id significari, opificum, vel agricolarum labore non dedecorari, nec irregularitate innodari Clericos; sed non iis verbis compelluntur Clerici ad ejusmodi opera, & labores.

IV. Ex tertio plus etiam lucis affunditur in eamdem sententiam. *Omnes Clerici, qui ad operandum validiores sunt, & artificiola & literas discant.* Can. 53. Robustiores ergo tantum Clericorum jubebantur aliquo imbui artificiolo, nec non & literis. Quorum valetudo languidior erat, ii nec ediscere quidem artes, vel opera jubebantur. Non ergo universim hinc ulla Clericis necessitas operis manuum imponitur. Qui viribus etiam magis valent, pollentque, ii dum inventa floret, artem aliquam perdiscere hîc præcipiunt, non ei arti vacare urgentur. Conducibile quippe est non paucis è vulgo mortalibus aliquid artis, vel operis edidicisse, adversùs irruentes inopinas calamitates, & varia vitæ diuturnioris infortunia.

V. Illud porro præ cæteris adnotandum hîc est, de Clericis solis agi, hoc est de Clericis inferioribus. Unde & Augustinus, fax Ecclesiæ Africanæ splendidissima, cum Clericos suos adgregasset in communis secum vitæ societatem in Episcopalibus ædibus suis, & ad omnem Africanorum Conciliorum disciplinam illos accuratissimè elimasset, nullo unquam eos opere manuum exercuit. Nimirum solos ille Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos in suum hoc sibi Seminarium adsciverat, quorum eæ erant sacri Ordinis occupationes, quæ non facilè cum labore manuum conjungi possent. Cum ex adverso Clericorum minorum nullæ essent ejusmodi functiones sacræ, quæ non eos vacare sinerent & operi manuum, & familiæ administrationi. Adde quod cum ex iis bene multi conjugati essent, & numerosa si sors prole gauderent, non tam pingues erant Ecclesiasticæ sportulæ, ut gregi huic alendo pares essent, nisi lucelli aliquid ex opere & labore manuum accederet. Quod autem nihil operis Augustinus indixerit sui Seminarii Clericis, jam supra demonstratum est, ubi aperuimus quibus illos occupationibus distentos haberet sanctissimus Doctor, & quibus illos legibus subjecerit. Nec enim, alias leges ipse se testificatur eis præscripsisse, quàm ut terreois omnibus sese exuerent, vitamque communem agitarent in Clericorum Cœnobio, veste & mensa communi uterentur. De functionibus siluit sanctus Pater, quòd non aliæ quàm sacrorum ipsorum Ordinum eis incumberent.

VI. Sed supersunt argumenta aliquantò etiam validiora. Scripsit enim Augustinus Tractatum *De Opere Monachorum*, adversùs Pseudomonachos segnes & inertes, qui ignaviæ suæ prætexebant fucum quendam & simulationem Pietatis, quasi abundè esset sibi cœlestem contemplationis panem parare & degustare, abjecta sollicitudine ejus laboris & panis, quo terrenum corpus sustentatur. Nullas non machinas admovet Augustinus, ut hunc Monachorum torporem excitiat; exempla ingerit Apostolorum, Prophetarum, Patriarcharum, priscorum Monachorum; nec sanè Clericorum exemplo urgere Monachos supersedisset Sanctus Pater, si qua Ecclesiæ lege, vel receptissima consuetudine Clerici operi manuum affixi fuissent.

VII. Quin ex adverso illud profitetur & præ se fert Augustinus, ei operi à se subjici Monachos; nec

nec si tamen ipsum ei subesse posse, Episcopatus functionibus plus satis districtum, potissimum autem litibus dirimendis fidelium. Atqui Clerici saltem majores præsto aderant his judiciis, & causarum disceptationibus juxta Canones Conciliorum Carthaginensium. Non ergo sejungit se Augustinus à Clero, quando functiones exponit sacri Ministerii sui, quibus distinetur, ne vacuas habere possit horas ad opus manuum. Nec rursus ab eo disjungit se, ubi declarat, quo capitaliter discrepent Monachi, Clericique, nempe Clericos proprio ex instituto suo addici pascendo gregi, & excolendæ Christi vineæ, cujus proinde fructibus vesci jure suo possunt. *Non alligamus onera gravia & vestris humeris imponimus, quæ nos digito attingere nolumus. Quærite & agnoscite labores occupationum nostrarum, & in aliquibus nostrorum etiam corporum infirmitates; & Ecclesiarum, quibus servimus, talem jam consuetudinem, ut nos ad illa opera, ad quæ vos hortamur, vacare non sinant. Quanquam enim dicere possemus, Quis militat suis stipendiis unquam, Quis plantat vineam & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non percipit? Tamen Dominum Jesum testem invoco, quoniam quantum attinet ad meum commodum, multo mallem per singulos dies certis horis, quantum in bene moderatis Monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari, & cæteras horas habere ad legendum & orandum, aut aliquid de divinis litteris agendum liberas; quàm tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis sæcularibus, vel judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis, quibus nos molestiis affixit Apostolus; non utique suo, sed ejus, qui in eo loquebatur, arbitrio: quas tamen ipsum perpessum fuisse non legimus. De Opere Monach. c. 29.*

VIII. Quibus ex Augustini verbis hæc exculpimus. 1. Etsi Apostolus & concionaretur, & operaretur manibus; non tamen id oneris Episcopis & Clericis aliis ab eo impositum fuisse; non modò quòd nec ipse, nec cæteri Apostoli eidem se semper necessitati subjecerint; sed quòd alias Clericis functiones assignaverit, non paulò molestiores & graviores opere manuum, ubi illis judicia delegavit & arbitria litium inter fideles pullulantium. Nusquam sacri Codices fidem faciunt, Apostolum litibus fidelium dirimendis tempus contrivisse. Vacabat ergo illi per tempus operari manibus. Hoc autem opere Episcopos absolvit & Clericos, quando illis componendas lites fidelium commendavit. Ita argumentabatur Augustinus. 2. Qui rursus idem philosophatur in hunc modum. Si bene moratis in Cœnobiis Monachi aliquot horas dumtaxat operi manuum impendunt, reliquum tempus vel contemplationi, vel lectioni Scripturarum addicunt; quantò æquius est Clericos, cum die quolibet diutius procurationi salutis animarum vacaverint, quàm Monachi operi manuum, suas sibi vacuas habere horas, quas vel orationi donent, vel lectioni? Cum manifestum sit Clericos functionibus suis sæpius & molestius avocari ab orandi & contemplandi suavitate, eoque sæpius ad eam revocari & recolligi necesse habere. 3. Si familiare fuisset opus manuum Clericis Seminario Augustini adscriptis, hoc ille utique exemplo pigritantes excitasset, & extimulasset Monachos.

IX. Adde quod ne Monachos quidem jubet Augustinus operi manuum astringi, nisi ubi Monachi sunt tantùm, nullo Clericatûs gradu aucti, quo de altari vivere se posse sperent; & ubi nascendi conditione pauperes erant, & agris colendis ante Monasticam professionem mancipati. Si rem enim familiarem habebant, eamque induenda veste Monastica in pauperes effuderant, hinc illis partum erat jus reliquo vitæ tempore vescendi de patrimonio pauperum. Denique ne eos quidem urgeri sinit Augustinus ad opus manuum, quibus & natales, & opes aliquantæ valetudinem molliusculam, & laboris impatientem pepererunt. Quanquam hæc corporis mollitia & laboris impatientia, infirmitati tribui debeat, jure tamen meritoque indulgendum illi est & humanius consulendum. *Isti autem fratres nostri temerè sibi arrogant, quantum existimo, quod ejusmodi habeant potestatem. Si enim Evangelistæ sunt, fateor, habent; si ministri altaris, dispensatores sacramentorum, bene sibi istam non arrogant, sed planè vendicant potestatem. Si saltem habent aliquid in hoc sæculo, quo facilè sine opificio sustentarent istam vitam, quod conversi ad Deum, indigentibus dispertiti sunt & credenda est eorum infirmitas, & ferenda. Solent enim tales, non melius, sicut mali putant, sed quod est verum, languidius educati, laborem operum corporalium sustinere non posse. Tales fortasse multi erant in Jerosolyma, &c. Cap. 21.* Quæ Augustini non humanitas tantùm erat, sed & æquitas. Quo enim jure, quo ore, qui modò hæreditates suas ad pedes Apostolorum contulerant, cogi illi mox potuissent, ut opere manuum vitam tolerarent? Certè Apostoli longè clementius illis consuluere. Ex illo enim charitatis penu omnibus omnia præcepere ad vitam necessaria suppeditari.

X. At Monachi, quos à necessitate laborandi manibus absolvere non potuit Augustinus, ii erant, qui vel servili conditione erant, vel opifices, agricolæque fuerant, adeo ut eorum in Monasteriis commoratio, non exaggeratio, sed levamentum esse videretur laborum & angustiarum priorum. Faciles enim illis patebant aditus in Monasteria, needum editis magnopere conversionis & resipiscentiæ documentis, sed rudimentis tantùm levioribus, quod ejusmodi aliqui postea ad eximiæ cujusdam sanctitatis fastigia evolassent. Et hinc tantò plures adhibendæ erant cautiones, adversùs eos, qui ad portum vitæ Monasticæ confugere potuissent, tanquam ad paupertatis prioris levationem, laborum finem, otii & inertiæ stationem. Ea de causa operi addicebantur manuum, cui à puero fuerant innutriti. *Nunc autem veniunt plerumque ad hanc professionem servitutis Dei, & ex conditione servili, vel etiam liberti, vel propter hoc à dominis liberati, sive liberandi, & ex vita rusticana, & ex opificum exercitatione, & plebejo labore, tanto utique fœlicius, quanto fortius educati. Qui si non admittantur, grave peccatum est. Multi enim ex eo numero verè magni & imitandi extiterunt. Hæc itaque pia & sancta cogitatio facit, ut etiam tales admittantur, qui nullum afferant mutatæ in melius vitæ documentum. Neque enim apparet, utrum ex proposito Dei servitutis venerint, an vitam inopem & laboriosam fugientes, vacui pasci atque vestiri voluerint, & insuper honorati ab eis, à quibus contemni conterique consueverant. Tales ergo quominus se, quominus operentur, de infirmitate corporis excusare non possunt, præterita quippè vitæ consuetudine convincuntur, &c. Cap. 22.* Tam expressa & dilucida sunt hæc, ut nemo jam in dubium vocare possit, quæ suprà astruximus, ex Monachis eos tantummodo ad laborem compulsos fuisse, qui vel servi vel opifices, vel agricolæ nascendi sorte & vitæ conditione fuerant, quibus otium Monasticum delitiarum videri potuisset, & ignaviæ receptaculum, si laboris immunes fuissent, cui ab incunabilis fuerant astricti.

XI. Non quo non ad opus & laborem cohortetur eos etiam Augustinus, qui hæreditariis bonis vel in pauperes effusis, vel in Monasteria, semetipsi unà in Monasteria abdidere. Sed his cautionibus illos invitat. 1. Si satis vegeta sint valetudine. 2. Si nullis Cleri functionibus sint implicati. 3. Ut invi-

vitentur, non ut pertrahantur ad opus, si ab eo abhorreant. 4. Tumque commendanda illis est administratio aliqua in Monasteriis, ut qoi corpore minus valent, ingenio laborem aliquem sustineant. *Quamobrem etiam illi, qui relicta, vel distribata, sive ampla, sive qualicamque facultate opulenta, inter pauperes Christi pia & salubri humilitate numerari volaeeunt; si corpore ita valeat, & ab Ecclesiastitie occapatioaibus vacant; qaauquam eis tam magnum animi sni documeatum afferentibus, & ejusdem societatis indigeutia, de his eebat, quae habebant, vel plurimam, vel non param conferentibas, vicem sastentanda vita eoram eee ipsa communis, & frateena charitas debeat: tamen si & ipsi aliquid manibne opeeentar, ut pigeis ex vita humiliore & ob hoc exercitatiore veaientibas auferant excusatiouem, malto misericordius agant, quàmcum omnia sua indigentibus diviserunt. Quod quidem si nolant, quis audeat cogere? Quibas tamen invenienda sunt opera in Monasterio, etiamsi à functioae corporali liberiora, sed vigilanti administeatione cueanda, ut nec ipsi paacm suum, qaoniam jam communis factas est, gratis manducent. Cap.25.*

Quanquam verò dum sæculo hi valedicebant, alteri cuipiam Cœnobio res suas omnes adjudicassent, non tamen ad opus manuum cogendi erant in eo Monasterio, in quod secesserant, coi rerum suarum contulerant nihil. Una est enim Ecclesia, una & omnium ubique membrorum communio. Quo demum quisque loco sua quis erogarit, Christo & pauperibus contulit, & jus sibi quæsivit de Christi patrimonio vivendi, & pauperum. *Nec attendendum est in quibus Monasteriis, vel in qao loco indigentibus featribus quisque id quod habebat impenderit. Et ideo qaisqaie Cheistianis necessaeia ubiqae erogaverit, andecumque etiam ipse, qaod sibi necessarium est, accepit, de Christi boaie accipit; quia & abicamqae ipse talibas dedit, qais nisi Christus accipit?* Porrò si Augustinus labori Monachos subducit, qui sacris Altarium ministeriis utcumque funguntur, qui voluisset ille Clericos ei subjicere? 2. Si Monachos operari manibus jubet, quòd & ante conversionem operarentur, non potest idem de Clericis existimari; nec enim ea institutio informandis Clericis apta fuisset. Hæc verò in viros honoratiores indulgentia, & condnnatio laboris nil vetabat, quin se complures eorum eidem operi subiicerent, coque pietatis exemplo cæteris vel calcaria subderent, vel incuterent pudorem. *Nullo modo enim decet, ut ia ea vita, ubi fiunt Senatores laboriosi, ibi fiant opifices otiosi: & quò veninnt relictis divitiis suis qui fuerant prædiorum domini, ibi sint rustici delicati.* Et alibi rursus: *In illa vita commani fratrum, quę est in Monasteeio, magni viei sancti qaetidie in hymnis, in orationibus, in laudibas Dei vivant; Cam lectione illis res est, laborant manibas suis, inde se transigaut, non avaeè aliqaid petuat. In Ps.99.*

XII. Alibi verò rursum Augustinus de Cœnobiis Ægypti & Orientis instituto sermone, quanquam ibi fervere testetur studia & peritiam singularem Scripturarum, de immunitate tamen operis manuum literam facit nullam. Ita eoim ille in libro I. de Moribus Ecclesiæ Catholicæ c.31. *Simul ętatem agant, viventee in orationibas, in electicaibus, in dispatationibas. Nemo quidquam possidet propriam, nemo eatqaam onerosas est. Opeeaatne manibus ea, quibus & corpus pasci possit, & à Deo meus impediri non possit.* Tam vili & tam modico utebantur cibo, ut de lucro laboris superfluo immensas quasdam opes io pauperes quoquoversum disseminarent; Naves quandoque onerariæ eorum eleemosynas huc illucque comportabant. *Sanè quidquid necessaeio victai redandat, nam eedundat plaeimum ex opeeibus manuum & epalaeam restrictione, egentibus distribaitur. Nullo modo namque satagunt, at has sibi abundent, sed omni modo agant, ut non apud se remaneat, qaod abandaverit; asque adeo ut oneratas etiam naves ia ea loca mittant, qua inopes incolunt.*

XIII. Suo quoque se lanificio Monialium Cœnobia sustentabant; pannos illæ texebant suis accommodatos vestimentis, & eorum Monachorum, à quibus & ipsæ vicissim cætera vitæ adminicula percipiebant. *Lanificia corpus exercent atque sustentant, vestesque ipsas fratribas tradant, ab iis invicem qaod victui opus est, resumentes. Ibidem.*

XIV. Pulcherrimis his exemplis eximia quidem effulgescit pœnitentiæ & pietatis imago, at nulla usquam lex, quæ omnes ad laborem adigeret, & ne literatis quidem, nec nascendi sorte molliusculis parceret; Quin ex adverso confirmat Severus Sulpitius, in famoso illo Beati Martini Turonensi Cœnobio, non alium usitatum fuisse, quàm exscribendorum Codicum laborem, & ne ei quidem operi nisi juniores Monachos fuisse addictos, cum ætate provectiores omnes uni sese totos immergerent orationi. Ita quippè ille in vita B. Martini. *Cap.7. Discipuli octoginta erant, qai ad exemplum Beati Magistri instituebaatar. Nemo ibi qaidquam propeium habebat, omnia in medio conferebantur. Non emeee, aat vendere, ut plerisqae Monachis morie est, quidquam licebat. Ars ibi exceptis Sceiptoribas nulla habebatur; cui tamen operi minoe ætas depatabatur, majoeee orationis vacabant.* Hac Martinus, hac octoginta sub eo Monachi regula vitam traducebant. Addit Severus, unde hoc totum proficisci potuerit, quòd in iis nempe multi essent natalibus clari, & tenerius pro nascendi sorte educati. *Multi inter eos nobiles habebantae, qui longè aliter educati, ad hanc se humilitatem & patientiam coegeraat.* A' veri saltem similitudine non abhorret, reliqua Martini Cœnobia, sive in Gallia, sive alibi terrarum, non multùm dispari modo temperata fuisse.

XV. Rustico Monacho laborem manuum præscripsit Hieronymus, non tam ut opere manuum victitaret, quàm ut otium excluderet, tot sentinam vitiorum. At quos ille labores ei delineat, ejusmodi sunt, qui recreare magis possint, quàm fatigare corpus, fiscellas junco texere, apum alvearia fabricare, horti rigare areolas, arbores conserere & inserere, lina & retia texere, libros scriptitare. *Facito aliquid opeeis, ut te semper Diabolus inveniat occupatam. Si Apostoli habentes potestatem vivendi ab Evangelio, laborant maaibas, &c. Vel fiscellam texe junco, &c. Sarriatur humas, areola aquo limite dividaatur, in qaibus cum olerum jacta fuerint semina, vel planta per ordinem posita, aquę ducautue irrigua, &c. Inseeantur infructuosa arbores, vel gemmis, vel surcalis, &c. Apum fabeicare alvearia, &c. Texaatue & linea capiendis piscibus; scribantae libri, ut & manus operentar cibum, & aaimus lectione saturetur. Ad Rust. Monachum. Vivendi forma.*

XVI. Subdit quidem Hieronymus illam mordicus in Monasteriis Ægypti retineri legem, nullus ut laboris expers admittatur. At 1. vel hinc liquet eo rigore abstinuisse cæteras Christiani orbis Provincias Hieronymo non ignotas. 2. Ne in Ægypto quidem testatur ille eum morem vigere, nisi ad diluendum otium, & individuas otii comites carnis libidines. 3. Addit Sanctus Pater se quoque in ipso juventutis æstuantis fervore, deserta incolentem, voluisse carnales concupiscentias domitas habere; idque se assecutum esse opere cum primis duro, perdiscenda scilicet lingua Hebraica à Monacho quopiam alio. *Egyptiorum Monasteria hunc morem tenent, ut non tam propter victus necessitatem, qaàm propter animę salutem. Ne vagetur perniciosis cogitationibas mens. Dum essem juvenis, & solitudinis me deserta vallaret, incentiva vitiorum, ardoremque natura ferre non poteram. Ad quam*

idq

edomandam cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi. Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis, &c. Quo liquet Monachos sanctimoniæ studio percitos, commentatos ipsos sibi fuisse occupationes alias, frangendis ac debilitandis cupiditatibus accomodatas: liquet & acrioribus literarum sacrarum studiis ac meditationibus macerari etiam corpus, ut labore manuum, dum pane interim cælesti anima saginatur. Qui libros exscribebant, hoc eodem cælestis interim panis usu delectabantur, ut paulò antè innuebat Hieronymus. Atqui cohæret studendi scriptitandique labor: & ipsa studendi ac meditandi, non minùs, quàm scribendi defatigatio corpus exercet, atque debilitat carnis vitia.

XVII. Idem rursus Hieronymus in vita Hilarionis, manuum ejus laborem commemoratum voluit. *Psallens & rastro humum fodiens, ut jejuniorum laborem labor operis duplicaret; simulque fiscellas junco texens æmulabatur Ægyptiorum Monachorum disciplinam.* Cum Monachorum Cellas perlustrantem mox Hieronymus Hilarionem exhibet, aliis eorum hortos, aliis villas commemorat fuisse, quas colerent, ita ut nec probri tamen, aut culpæ affines essent, tanquam Monasticæ paupertatis transgressores, dum ne quid in futurum reconderent. *Detestabatur, qui in futurum reservarent sua.* Labori instabant & Occidentales Monachi; cum idem Hieronymus de Joviniano verba faciens, nondum desertore, callosas ejus ostentet manus. *Et callosam opere gestitant manum. Leg. 2. advers. Jovin.* Sed quantisvis sanctus Pater laudibus extollat laborem manuum, non dubitat tamen, quin ingenii labores majori in pretio sint, ubi illis irascitur, jure profectò meritoque, qui Hebraicas Scripturas ab eo Latinæ linguæ consuetudine donatas concerpebant: fiscellas iidem junco textas, & palmarum complicata folia, corbes, nattasque, si iis vocasset, laudaturi. Sic ergo ille Præfatione in Job; *Si aut fiscellam junco texerem, aut palmarum folia complicarem, ut in sudore vultus mei comederem panem, & ventris opus sollicita mente pertractarem, nullus morderet, nemo reprehenderet. Nunc autem quia juxta sententiam Salvatoris, volo operari cibum, qui non perit, & antiquam divinorum voluminum viam sentibus virgultisque purgare, falsarius dicor, & errores non auferre, sed serere.* Æquior fuit & amicior Hieronymo posteritas, hoc ejus labore & opere, non approbato dumtaxat, non justissimis tantùm laudibus cumulato, sed quodammodo consecrato, cum versio Scripturarum Hieronymiana jam passim toto orbe Catholica celebretur. Sed & jam tum ei applaudebant viri docti, piique, & eos ille luculentissimis his versionum suarum munusculis prosequebatur. *Quapropter, ô fratres dilectissimi, unicum nobilitatis & humilitatis exemplar, pro flabello, calathis sportellisque, munusculis Monachorum, spiritalia hæc & mansura dona suscipito.*

XVIII. Extremis his Hieronymi verbis, *munuscula Monachorum*, satis superque innuunt, Monachos ultro citroque operis sui minutias & delitias veluti aliquas missitare solitos fuisse: quò procliviùs delabemur ad Monialium opera, plerumque elegantiora, nec tamen illaudata, si modò superfluitas, & sæcularis quædam inanitas procul sit. Molestissimè fert Hyeronimus, si manus illæ suas pietati & religioni sacras iis contaminent operibus, quæ pascendæ & oblectandæ serviunt sæculari curiositati. Labores ille earum præcipit redolere paupertatem & simplicitatem, quam profitentur; & necessitati servire, non vanitati, atque lasciviæ malè feriatorum. Ita quippe Hieronymus ad Lætam, de educatione filiæ. *Discat & lanam facere, tenere colum, rotare fusum, Stamina pollice ducere. Spernat bombycum telas, serum vellera, & aurum in fila lentescens. Talia vestimenta paret, quibus pellatur frigus, non quibus vestita corpora nudentur.* Hæ quippe vestes, nudando, quàm tegendo corpori accommodatiores, pari tam texentibus probro & pudori sunt, quàm gestantibus.

XIX. Nec ab his Sanctus Pater institutionibus recessit in Epistola ad Demetriadem de Virginitate servanda. Nec eam certè vetuit ille ex suis laboribus munuscula spargere aliqua, dum hinc uberes cum fœnore fructus in pauperes redundarent. *Habeto lanam semper in manibus, &c. Si tantis operum varietatibus fueris occupata, nunquam dies tibi longi erunt, &c. Quamvis omnem censum tuum in pauperes distribuas, nihil apud Christum erit pretiosius, nisi quod manibus tuis ipsa confeceris, vel in usus proprios, vel in exemplum virginum cæterarum, vel quod aviæ matrique offeras, majora ab eis in refectionem pauperum pretia receptura.* Piissimam Asellam idem alibi author est labore suo se sustentasse. Sic quippe ille ad Marcellam de laudibus Asellæ. *Operabatur manibus suis, sciens scriptum esse: Qui non operatur, non manducet.*

XX. Eodem authore Hieronymo B. Paula tria Hierosolymis construxit Virginum Cœnobia, voluitque ut Sanctimoniales orarent, legerent, operarentur manibus, longè pulcherrima vicissitudine hæc interpungerent. *Instabant operi distributo, & vel sibi, vel cæteris vestimenta faciebant.* Sic ille in Epitaphio Paulæ. In hoc Virginum Collegio erant quædam nobilissimæ; *Tam nobiles, quàm medii & infimi generis virgines congregarat.* Nec tamen illæ laborem detrectabant, sed exemplo magis Paulæ, quàm præcepto adducebantur. *Pudore & exemplo ad laborem eas provocans, non terrore.*

XXI. Nec nos præterit, Theodosium illum, Eremi decus incomparabile, de opere manuum, veluti de præcepto & lege in Monachos inexorabili verba fecisse. Ita enim affirmat Theodoretus in Historia sua Religiosa, qui & alibi Monasteria Ægypti commemorat, ubi quinque amplius millia Monachorum sine intermissione orabant & laborabant, atque operum suorum quæstu hospites, pauperesque alebant innumerabiles. *In Ægypto ferunt quædam esse Monasteria, quæ virorum habeant ad quinque millia, opus facientium, Deumque interea laudantium; qui opificio suo non solùm victum parant necessarium, sed peregrinis etiam egentibusque subveniunt. Cap. 30.* 30. Sanctissimum quendam Monachum celebravit Socrates, *L. 4. c. 18.*, qui dictitabat, *Monachum, si non laboret, pro fraudatore habendum.* Verùm hæc omnia ad Ægyptum rapienda sunt, & ad paucas forsan alias Provincias, ubi ea operis lex religiosissimè vigebat, & ubi Cœnobia nullis aliis rivulis nisi ex labore voluerant ad se permanare res ad vitam necessarias. Ostensum est longè plurimas orbis Christiani Provincias, & complurima sanè Monasteria ab ea necessitate abhorruisse. Quin paucas ei necessitati Provincias servire voluisse perspicuum est ex iis, quæ suprà Severus Sulpicius de Galliis addocebat, Augustinus de Africa, de Syria Hieronymus, qui eam austeriorem legem videtur unius Ægypti finibus coarctasse.

XXII. Narrat quidem Sozomenus, *L. 6. c. 28.*, Serapionem decem millia Monachorum habuisse, qui labore manuum sibi adessent, adessent autem & pauperibus innumeris, quadam charitatis & abstinentiæ suæ redundatione. Messium tempore demetendis ipsi frumentis operas suas locabant, & hinc eam avehebant copiam tritici, qua & ipsi & alii Monachi alerentur. Narrat & idem Scriptor, *Ibidem c. 29.* laudatissimo illi Paulo, notissimoque, quingentos paruisse discipulos, cum manibus ipse nihil operaretur, sed trecentas diebus singulis ingeminaret precatiunculas, quas lapillis numerabat. *Nullum opus faciebat,*

bat, neque à quoquam quidquam cibi accepit, prætorquam id solum quod edebat. In precibus solùm se defixit, & in dice singulos tressntas orationes Deo velut tributum quoddam reddidit. Ac ne per imprudentiam in numero errares, trecentis lapillis in sinum conjectis, ad singulas preces singulos inde ejecit lapillos.

XXIII. Id quoque memorat Epiphanius in Expositione fidei Catholicæ, si qui Monachi faciles & obvias artes perdidicissent, quò otium fallerent & opere sibi suo victum pararent; longè plurimos tamen sola precatione occupatissimos fuisse, & psalmodia, & electione Scripturarum, quas etiam memoriæ commendabant, recitabantque. *Nonnulli ita sæculo renuntiarunt, ut leviores quasdam artes & minùs negotiosas sibi ipsis excogitarent, ne ætatem in otio degerent, aut cibum cum cujusquam incommodo sumeret. Plures autem in decantandis Psalmis ac perpetuis orationibus & Sanctarum Scripturarum lectionibus, iisdem memoriter pronunciandis seipsos exercent.* Num.23.

XXIV. Versata est & in hoc elegantissimo argumento aurea Chrysostomi penna, ubi sui ævi Monachorum & Eremi incolarum sanctimoniam singularem singulari prosecutus est eloquentia. Accuratissimè ab eo delineatæ sunt institutiones eorum omnes, nec prætermissus manuum labor, in scriptitandis potissimum sacris Codicibus. Sed vel omnes excepto nemine operatos esse, vel indeflexam omnibus eam incubuisse legem, nusquam ab eo affirmatum est. Sic quippe ille in Epistolam ad Timotheum. *Hom.4. Hymnis peractis ab sanctarum Scripturarum studia se convertunt; sunt & qui libros scribere didicerunt.*

CAPUT IX. *P.1. l.4. c.3.*

Episcopos & Clericos complures ultro manibus laborasse prioribus quinque sæculis.

I. Videat Augustinus Romæ & Mediolani, Congregationes virorum ac mulierum, manibus suis operantium.

II. Nihil honestius, nihil liberalius artibus iis, quæ & utiles, & innocuæ sunt, quales Patriarcharum, B. Joseph, &c.

III. Quæ corpus exerceat artes, animumque liberum & expeditum sibi interim, Deoque vacare sinunt, eæ Clericis maximè consentiunt.

IV. An libellos elucubrare, is manuum labor sit.

V. Paulinus ille tot virtutum insignibus nobilissimus, hortum colebat.

VI. Felix Presbyter & Martyr agricola fuit.

VII. Hilarius Archiepiscopus Arelatensis cum suo Clericorum sodalitio manibus operabatur.

VIII. Ne Julianus quidem Pomerius Clericis necessitatem indixit manibus operandi.

IX. Clericos ad laborem hortantur Apostolicæ Constitutiones.

X. Epiphanii doctrina.

XI. Beatus Spiridion Cypri Episcopus ovium gregi præerat.

XII. XIII. Basilii & Chrysostomi doctrina.

XIV. Prærogativa ea est Clericorum, ut Apostolicæ hujus virtutis & gloriæ consortes sint.

I. QUanquam nulla lege, nulloque necessitatis vinculo ad opus manuum Clerici obligarentur: plurimi tamen eorum in eam laudem incubuere sua sponte, tantòque majore gloriæ proventu. Si ex opere & labore manuum sibi quoque gloriam ingentem peperere Monachi, laicique fideles, id illi nec secuti, nec consecuti sunt, nisi exemplo & imitatione Apostolorum, hoc est, Principum Cleri. Itaque non exemplo Monachorum Clerici ad operandum manibus illecti sunt; sed exemplo potius Cleri diutius antè in eam laudem præeuntis, & Monachi, & laici eam perfectionis semitam arripuere. Confirmat Augustinus cognitos sibi Romæ & Mediolani fuisse plures Conventus, alios virorum, fœminarum alios, quibus vel Presbyter, vel fidelis laicus præerat ejusdem cœtus, qui communem agitabant vitam & labore manuum se sustentabant, exemplo Orientalium, maximè autem Apostoli Pauli, laborem manuum duplici hoc condimento condulcantes, oratione & jejunio. *Vidi ego diversoria Sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus unus Presbyter præerat, vir optimus & doctissimus. Romæ etiam plura cognovi, in quibus singuli gravitate atque prudentia & divina scientia præpollentes, cæteris secum habitantibus præsunt, Christiana charitate, Sanctitate & libertate viventibus. Nec ipsi quidem cuiquam onerosi sunt, sed Orientis more & Pauli Apostoli authoritate manibus suis se transigunt. Jejunia autem prorsus incredibilia multos exercere didici. Neque hoc in viris tantùm, sed etiam in fœminis. Quibus item multis, viduis & virginibus simul habitantibus, & lana ac tela victum quæritantibus, præsunt singulæ gravissimæ probatissimæque. De Morib. Ecc. L.1. c.33.*

II. Nemo sanus sibi persuaserit ad imitationem Apostolorum vehementius exæstuasse laicos, quàm Clericos. Optimè convenit dignitati & decori Clericatus, cum iis artibus omnibus, quæ tantò honestiores & liberaliores sunt, quantò earum & utilitas major est, & necessitas ad omnia vitæ præsidia. Si eas aspernabiles vilesque existimant, qui gloria sæculi superbiunt, quibus plerumque vilis virtus, in pretio & honore vitium est; eo argumento plus satis constat, quàm nullum ii honesti, nullum decoris sinceri gustum habeant. Cæterùm si greges ovium ductarunt Patriarchæ, si sponsus Deiparæ Virginis lignarius faber fuit, non est quod Clericos pudeat in tam illustria ingredi vestigia. Audiendus hic rursum Augustinus. *De opere Monach. c.13. Quid à me quærunt, vel quale opus faciebat, vel quando faciebat Paulus? Unum scio, quia nec furta faciebat, nec effractor aut latro erat, nec auriga aut venator, aut histrio aut turpilucrus; sed innocenter & honestè, quæ apta sunt humanis usibus operabatur, sicut sese habent opera fabrorum, structorum, sutorum, rusticorum, & his similia. Neque enim honestas ipsa reprehendit, quod reprehendit superbia eorum, qui vocari honesti amant, sed esse non amant. Non igitur dedignaretur Apostolus, sive rusticanum aliquod opus aggredi, sive in opificum labore versari. Qui enim ait, Sine offensione estote Judæis & Græcis & Ecclesiæ Dei, quos in hac causa revereri posset, ignoro. Si Judæos dixerit, Patriarchæ pecora paverunt. Si Græcos, quos etiam Paganos dicimus, etiam Philosophos multum sibi honorabiles, sutores habuerunt. Si Ecclesiam Dei, homo ille justus, & ad testimonium conjugalis semper mansuræ virginitatis electus, cui desponsata erat Virgo Maria, quæ peperit Christum, faber fuit.*

III. Postremò denique Augustinus lato sejungit intervallo occupationes eas, quæ corpus tantùm distringunt, animo interim summa quadam libertate evolante ad meditandas, vel concinendas laudes Creatoris, ab illis, quæ corpus ipsum non fatigant, sed animum curis, cupiditatibusque variis cruciant. Prioribus illis villis tantùm paratur cibus temporali vitæ necessarius, sed tota libertas animæ permittitur spatiandi in cœlestia Palatia, & ibi sem-

pi-

piternæ vitæ gaudii prægustandi. Cum posteriores ex adverso ab æternorum contemplatione mentem exeutiant, illidantque terrenis cupiditatibus opum & voluptatum carnalium. Tantò priores illæ Clericis, Monachisque consentiunt, quantò hæ posteriores dedecori illis merito sunt & probro. *Aliud est enim corpore laborare animo libero, sicut opifex potest, si non sit fraudulentus, & avarus, & privata rei cupidus. Aliud autem ipsum animum occupare curis colligendæ sine corporis labore pecunia, sicut sunt vel negotiatores, vel procuratores, vel conductores. Cura enim profunt, non manibus operantur; ideo ipsum animum suum occupant habendi sollicitudine. Ibidem.*

IV. Haud satis scio, an dici possit Augustinus ipse manibus laborasse, cum divina illa scriptitabat opuscula, & gloriæ & admirationi posteris ætatibus usque futura. Ita sentire videtur Paulinus de Beato Ambrosio Augustini Magistro, in ejus vita à se exarata. *Cap. 29. Nec operam drelinabat scribendi propria manu libros, nisi cum aliqua infirmitate corpus ejus attenuaretur.* Fateor tamen ne ipsi quidem sibi visum esse Augustinum, posse annumerari iis, qui manibus operabantur, ut capite superiori ostensum. Longè aliud enim est libros lucubrare ad fidelium ædificationem, aliud libros exscribere & distrahere, ut eorum pretio egeni alantur.

V. Si fides autem adjicienda sit Gregorio Magno, de Beato Paulino Nolano Episcopo differenti, constabit jam nobis Paulinum non stemmata tantùm & opes illustrissime toto Imperiu Romano familiæ conculcasse, sed & ad culturam agri hortique se dejecisse, ejus nimirum, cui se servum addixerat, ut viduæ filium absolveret servitute. Cum enim percontatus esset novus hic dominus, ecquid artis calleret, respondit: *Artem quidem aliquam nescio, sed hortum bene excolere scio. Quod vir gentilis valde libenter accepit, cum in nutriendis oleribus, quia peritus esset, audivit.* Ita Gregorius in Dialogis. *L. 3. c. 1.*

VI. Idem verò ipse B. Paulinus Felicis sanctissimi Presbyteri alienissimum à terrenis affectibus animum jam nobis exhibuit, cum recuperare, etsi posset, abnuit, quæ Christi causâ amiserat, certus ejusmodi jacturas lucro esse, lucra his adversa damno fore. Maluit ille tribus gaudere agri jugeribus, ea manibus excolere suis, & fructibus sudoris sui tum seipsum pascere, tum pauperes impertiri. Sic ergo Beatus Paulinus Carmine 5. vitam ejusdem Felicis executus. *Hunc retinens animum, tria macri jugera ruris, nec proprio sub jure tenens, conducta colonus, ipse manum coluit, famulo sine, pauperie horti possessor. Sed & has de cespite dives egena in Dominum confudit opes. Cum paupere semper sollertum divisit olus, cum paupere mensa, una dies illè curam consumpsit habendi.* Exemplo forsan Beati Martini hortorum culturam didicerat Paulinus, ad quod videtur allusisse in Epistola 5. ad Severum.

VII. Hilarius verò Arelatensis postea Archiepiscopus ipsa conversionis suæ exordia illuminavit ille quidem distributione pretii divenditorum bonorum suorum in pauperes & Monasteria; at postea Episcopali sede decoratus, exemplo suo Clerum omnem suum adduxit, nempe communis vitæ societate sibi devinctum, ut sacris Altarium functionibus laborem adjiceret manuum, & operis sui proventibus pauperes sustentaret. *Manum continuo missurus aratro Evangelii, ac retro vel cogitatione respiceret, ob id à taxatione omnium prædiorum totius substantia acceptas à germano pecunias, vel usibus pauperum, vel refrigeriie reputa Monachorum, &c. Cum primum speculatoris suscepit officium, in seipso primum monstravit, quemadmodum congregatio mundum contemneret, corpus despiceret, laboribus fatigaretur, manuum quoque operibus continuis vesceretur, &c. Mandasandi necessitas incumbit, semina jaciamus. Vini preceptio præsumenda est, vineas excolamus. Implevit illud Apostolicum, ne quem fortè gravaret otiosus, victus proprii habita ratione, & quod operi superfuerat, deputabat usibus pauperum. Surius die 5. Maji.* Miratur meritissimo quidem Gennadius pauperum & paupertatis amorem Hilarii incredibilem, qui vir natalium claritate conspicuus, & tenera cum primis ut tales solent valetudine, arduos nec suis viribus consentaneos agriculturæ labores aggressus est. Sic enim ille libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. *Hilarius paupertatis amator, & erga inopum provisionem non solùm mentis pietate, sed & corporis sui labore sollicitus fuit. Nam pro reficiendis pauperibus etiam rusticationem contra vires suas homo genere clarus & longè aliter educatus exercuit.*

VIII. Nec defuere quibus persuasum sit à Juliano Pomerio Clericos omnes ad opera manuum ablegari, si modò firma sint valetudine, ut fructus agrorum Ecclesiæ integri serventur pauperibus, infirmis, & debilibus. *Ipsi quoque pauperes, si se possunt suis artificiis ac laboribus expedire, non præsumant, quod debet debilis aut infirmus accipere. De vita contemp. l. 2. c. 10.* Sed hæc verba ad pauperes promiscuè pertinent, non ad Clericos. Vide enim quid ille idem sentiar de Clericis, qui pauperes ab ortu fuere, & quibus sua tamen in Ecclesia functio, dignitasque jus peperit certissimum vivendi de altari. *Clerici, quos pauperes aut voluntas aut necessitas facit, cum perfectione virtutis, vita necessaria, sive in domibus suis, sive in Congregatione viventes accipiunt: quia ad ea accipienda non eos habendi cupiditas ducit, sed cogit vivendi necessitas. Ibidem c. 11.*

IX. Adeunda jam nobis Ecclesia Græca est, nec enim frustra Augustinus ejus exemplo Latinos ad laborem acuere oitebatur. *Orientis more, & Pauli Apostoli authoritate manibus suis se transigunt. L. De Morib. Eccl. l. 1. c. 33.* Juniores Clericos omnes ad opus inflammabat author Constitutionum Apostolicarum imitatione Apostolorum, qui piscabantur, qui tentoria texebant, qui terram proscindebant. *Vos verò in Ecclesia adolescentiores, studete ut ea omnibus, quæ opus erunt; naviter ministretis, & opera vestra cum omni honestate exercete, ut per universum vitæ tempus, tum vobis, tum egentibus necessaria suppetunt, ne necesse sit vobis Ecclesiæ graves esse. Etenim & nos verbo Evangelii incumbimus, tam exercere illa quasi adminicula operis hujus non negligimus. Partim enim nostrûm sunt piscatores, partim tabernaculorum opifices, partim agricolæ, ac unquam otiosi simus. L. 2. c. 63.*

X. De Monachis ubi agit Epiphanius in Expositione fidei Catholicę, complures eorum ait cum sæculo renuntiarent, facillimas quasdam excoluisse artes, ut opere suo victitarent, nec oneri essent cuiquam. *Nonnulli sæculo ita renunciarant, ut leviores quasdam artes ac minus negotiosas sibi ipsis excogitarent, ne ætatem in otio degerent, aut cibum cum cujusquam incommodo sumerent. Cap. 23.* Sed ubi Massalianos alibi Monachos exagitat idem sanctus Pater, non tam facilè patitur, ut labori manuum se subducant. Quin exemplo eos lacessit Clericorum bene multorum, qui cum ipsa Christi authoritate nixi possint de altari vivere, eo tamen abstinent privilegio, & manus suas ei labori dicant; qui totus charitatis delinimentis condiatur, fiatque jucundissimus. Verba Epiphanii, *Hæres. 80. n. 6.* suprà retuli. Hic addam, quæ ille alibi narrat de Audianis, in quorum castris Episcopi ipsi, Presbyteri, cæterique sacri Mioistri manuum opere vitam tolerabant. *Et est reliquum illis vita institutum.*

um, sanè quàm egregium & admirandum: adeo ut non ipse modò, sed & qui ille adhæserunt, Episcopi, Presbyteri, ac reliqui omnes de manuum suarum labore victitent. Hæresi 70. n.2.

XI. Tot inter sanctitate celeberrimos Episcopos, qui Concilio Niceno affuere, memorat Socrates, *L.1., c.8.* Spiridionem in insula Cypri Episcopum, qui & Episcopali fungebatur officio, & ovium gregis curam agebat. *Qui cum Episcopatus munere fungeretur, propter singularem animi modestiam oves etiam pavit.*

XII. Narrat Sozomenus, *L.7. c.27.*, vidisse se sanctissimum Majumæ Episcopum Zenonem, centesimum jam agentem ætatis annum, qui laborem manuum nunquam intermisisset, suo pauperumque cibo parando, quanquam locupletissimæ Ecclesiæ clavum regeret. *Vidimus & nos eum Majumanam Ecclesiam gubernaret, natum plus minus annos centum, &c. Et cum in Philosophia Monastica vitam traduceret, ex lino texebat vestes, unica tela, atque hinc tum sibi necessaria acquirebat, tum aliis ministrabat: Atque hoc quidem opificium ille ad mortem usque exercere non cessavit, etiamsi propter senium reliquis ejus gentis Sacerdotibus esset superior, & populo, ac pecuniis maxima Ecclesiæ præesset.*

XII. Meritissimis laudibus in cœlum extulit Beatus Basilius Presbyterum quendam, Canonum in primis peritum, vitæ Monasticæ laboribus exercitium, pauperem & paupertatis amatorem, cum Collegis suis operi manuum incumbentem. *Peritum Canonum, fide solidum Presbyterum: in ascetica & continenti vita ad hunc usque diem versatum: pauperem, neque reditus aliquos in hoc sæculo possidentem: imò adeo indigentem, ut nec panis ipsi copia suppetat; sed manuum labore, unà cum fratribus, qui cum illo sunt, victum sibi extundat necessarium. Ep.319.* Fatetur idem Basilius, numerosum sibi esse Clerum, sed nullum sibi tamen Clericum esse, qui itinerum peritus sit, quod mercaturæ non vacent, sed artibus aliis, quibus victum quærant. *Mercaturam non exercent, artes autem solent, maximè sedentariae, unde victum sibi suisque acquirunt quotidianum, &c. Ep.263.*

XIII. Affirmat Chrysostomus Ægypti Monachos vigilias & jejunia labore manuum cumulasse; noctes eos divinis Canticis traducere solitos, dies partim orationi, partim labori abdicere, imitatione Pauli Apostoli, cum immineret sollicitudo omnium Ecclesiarum, manibus tamen laborabat, eòque demulcebat laborem eorum omnium, qui ejus exemplis se accommodaturi aliquando essent. *Neque enim quia jejunant & vigilant, idcirco otium sibi indulgent diurnum; sed noctes quidem sacris hymnis & vigiliis, dies verò orationibus manuumque operibus exercent, Apostolica cursum virtutis imitantes. Si enim ille, inquiunt, toto pene ad ipsum respiciente mundo, ut inopes pasceret, & opificem professus est, & usum pristina artis exercuit, idque faciens, ne nocturno quidem sopori indulsit; quantò magis nos, qui secreto eremi fruimur &c. In Matth. hom.8.* Clerici non imitatores modò, sed & suo quisque modo & gradu successores sunt Apostolorum, unde & eos necesse est propius legere vestigia Apostolorum, quàm fideles quosvis alios, qui possunt imitatione, non possunt successione Apostolica clarescere. Hoc stimulo incitabantur prisci illi Cleri Optimates, ne in Apostolicis consectandis virtutibus præire sibi ac præcellere Monachos paterentur.

XIV. Certissimè tamen Apostolicæ vitæ & perfectionis formam soli possunt assequi Clerici. Ejus enim quatuor gradus constituit Chrysostomus, alios aliis superiores, quorum soli in summo Clerici consistere possunt. Primus gradus est omnibus renuntiare terrenis. Secundus est proprio victitare labore. Tertius est laboris sui fructibus pauperes etiam impertiri. At quartus Apostolorum proprius & eorum qui in Apostolica successere jura, muniaque, is demum est, ut sementem quis Evangelicam serat, nec tamen temporalem ab iis accipiat cibum, quibus ipse sempiternum & incorruptibilem subministrat. *Hom.45. in Acta.* Rursus idem alibi præstantissimè demonstrat quàm insulsum & præposterum sit, quòd earum nos suppudeat artium, ex quibus gloriæ & laudis non parum aucupatur Paulus, ille Orbis Magister, tot Ecclesiarum conditor, rectorque; non ille suffundebatur incidendis consuendisque pellibus, quin omnes Ecclesias id rescire, id Epistolis suis recitandis celebrare, id imitari voluit, ille qui jam tertium raptus fuerat in cœlum, qui ineffabilia audierat, incomprensibilia viderat, ille artem suam, & laborem, opusque ostentabat, & commendabat Epistolis quivis ære perennioribus, quo pudendum illum abstergeret nobis pudorem, qui à criminibus non abhorret, abhorret ab eorum expiatione. *Tom.5. Serm.17.*

CAPUT X, *P.2. l.4. c.2.*

De Clericorum labore & opere manuum sæculo VI. VII. & VIII.

I. Nulla lex Clericos operi manuum addicebat, cui se tamen ipsi non rarò sponte addicebant. Exempla Fulgentii & Nicetii.

II. De S. Paulino & Severo Presbytero.

III. De maxima parte Cleri Occidentalis calamitosis temporibus.

IV. Clerici inferiores, quibus uxor erat, & proles, non facilè poterant nisi ex labore manuum sibi familiæque adesse.

V. VI. Ad illos etiam coarctandi sunt Canones Concilii Turonensis II. & Aurelianensis I.

I. CErtum fixumque est nulla Clericos lege ligatos fuisse, vel Beneficiarios, ut manibus victum sibi quærerent; quanquam eorum complurimi perfectionis Evangelicæ amore inflammati, vestigia osculati sint, & exempla Apostoli imitati. Clericos suos B. Fulgentius insuefecerat hortum ut suum propriis manibus excolerent, teste & authore Ferrando in ejus vita. *Cap.29. Jubens omnes non longè ab Ecclesia domos habere, manibus propriis hortum colere, psallendique suaviter aut pronuntiandi curam maximam gerere.* Nemini non obvium est, eo labore id voluisse Fulgentium potiùs, ut otium declinaretur, atque una colluvies vitiorum ex otio ferè promanantium, quàm ut sumptibus Ecclesiæ parceretur. Nec secus sentiendum de B. Nicetio, Episcopo postea Lugdunensi; suscepto enim Clericatu post patris obitum paternis non recessit ab ædibus, nec a matre, ubi cum servis pari laborum operumque instantia corpus fatigabat, ut vel sic incentiva restingueret cupiditatum, juventæ comitum. Sic enim Gregorius Turonensis in Vitis Patrum. *Cap.8. Defuncto patre, hic cum genitrice jam Clericus, in domo paterna residens, cum reliquis famulis manu propria laborabat: intelligens commotiones corporeas non aliter nisi laboribus & ærumnis opprimi posse.* Anno ætatis trigesimo Presbyteratu exornatus, ab ea laboris consuetudine non refrixit, quò pauperes copiosiùs levare & recreare posset. *Ætate jam tricenaria Presbyterii honore præditus, nequaquam se à labore operis, quod prius gessit, abstenebat; sed semper manibus propriis operabatur cum famulis,*

ut

ut Apostoli præcepta compleret dicentis, Laborate manibus, ut habeatis unde tribuere possitis necessitatem patientibus.

II. Verba facit in Dialogis Gregorius Magnus de sanctissimo Presbytero Severo, qui tum vineam putabat, cum accersitus est ad opem morienti cuidam afferendam. *Contigit ut ad putandam vineam esset occupatus.* L.8. c.12. Apud eundem Gregorium leguntur hæc B. Paulini Episcopi Nolani verba in Africa: *Artem quidem aliquam nescio, sed hortum bene excolere scio.* L.3. c.1. Agit idem alibi de Subdiacono, qui gregem pascebat. *Nostris temporibus Buxentinæ Ecclesiæ Subdiaconus fuit, qui ovium suarum gregem pascere solebat.* L.3. c.17.

III. Ubi difficilia & calamitosa incidebant Reipublicæ tempora, labore manuum Clericos simillimum veri est sibi & pauperibus affuisse, & imminentem propulsasse penuriam. Ita testificabatur Concilium Occidentale Romæ habitum sub Agathone Papa, in Epistola ad Concilium VI. Oecumenicum perscripta: *Tota vita nostra sollicitudinibus plena est, quos gentium manus circumdat, & de labore corporis victus est, eò quòd pristina Ecclesiarum sustentatio paulatim per diversas calamitates deficiendo succubuit.*

IV. Ne illud quidem ambigere fas est, plerosque minores Clericos labore manuum quæstum facere compulsos fuisse, quo se & familiam alerent, cum Ecclesiastica stipendia tantis sumptibus haud essent paria. Probatio ejus rei valde perspicua elicitur ex vita B. Joannis Eleemosynarii Patriarchę Alexandrini, in duobus Clericis; qui arte Cerdones erant, quorum alter Lector cum esset, opere & industria manuum suarum patrem alebat, matrem, conjugem, filios, quanquam assiduus & frequens esset in Officiis Ecclesiasticis. Inde est quod non multò post sanctissimus Patriarcha in Presbyterorum Collegium eum cooptavit. *Duobus Clericis calceamenta facientibus, & juxta se laborantibus; unus quidem habebat filios multos, & uxorem, & patrem & matrem. Vacabat verò Ecclesiæ sine intermissione, & omnes post Deum alebat de arte sua.* Cap.47.

V. De his quoque Clericis inferioribus & uxoratis, & non rarò numerosa prole dotatis, apparet verba facere Concilii Turonensis II. Patres, cum eos vetant extraneas domi suæ habere mulieres, quæsito eo colore, quasi illis egeant ad regendam familiam. Posse enim ipsosmet eam sibi curam induere, cum Canonicis institutis præcipiantur manibus operari, & arte quadam honesta vitam tolerare. *Nullus ergo deinceps Clericorum, pro occasione necessitatis, aut causa ordinanda domûs, extraneam mulierem in domo sua habere præsumat. Et tum jubeamus victum & vestitum artificiolo quærere, & manibus propriis laborare, quid opus est in domo serpentem includere?* Can.10.

VI. Ad hos quoque inferiores Clericos spectabat Concilium Aurelianense I. ubi sanciebat fructus & proventus agrorum, quos Clodovæus Rex Ecclesiis largitus fuerat, instaurandis Ecclesiis impendi, Clericis alendis & pauperibus, redimendis captivis: cæterùm agros ipsos Clericorum maximè manibus excolendos. *Et Clerici ad adjutorium Ecclesiastici operis constringantur.* Can.5.

CAPUT XI. *P.2. l.4. c.3.*

De opere manuum in Monasteriis per eadem sæcula VI. VII. & VIII.

I. II. Monachos manibus operatos fuisse, ad victum tolerandum, ad alendos pauperes, ad macerandam pœnitentiæ laboribus carnem, ad excutiendam otii inertiam, multis probatur argumentis & exemplis.

III. Sed nulla id urgebat lex, nulla necessitas. Probatur ex Regula B. Benedicti.

IV. V. Item ex Regula Sanctorum Aureliani & Ferreoli, Fructuosi & Magistri.

VI. Cogere videtur Isidorus Monachos ad laborem, sed iis temperamentis additis, quæ hic adnotantur.

VII. Illos Gregorius Magnus ea necessitate penitus absolvebat.

VIII. Aliæ probationes ejus immunitatis.

IX. In Africa laborabant Monachi, & Fulgentio chariores erant, qui lectione impensiùs delectabantur.

X. Libera erant ab ea necessitate etiam Cœnobia Monialium.

XI. XII. Nec in Orientis Monasteriis necesse erat operari manibus, cum copiosè dotata essent. Erant tamen ubi labor is vigeret.

XIII. Labor potissimus Monachorum in exscribendis libris. Quanta hinc adjumenta exstiterent.

XIV. Satisfit objectioni ex Gregorio petitæ.

I. TRibus his sæculis, quibus nunc excutiendis insudamus labore manuum, & agrorum maximè cultu distentos fuisse Monachos, in dubium vocare potest nemo. Ita enim disertissimè Concilium Epaonense. Can.8. *Injustum putamus, ut Monachis quotidianum rurale opus facientibus, servi eorum libertatis otio potiantur.* Hactenus incultos, situque & squallore horrentes agros, Monachi sibi datos plerumque suis manibus purgabant, arabant, colebant, hinc alimenta corpori, hinc pœnitentiæ exercitamenta aucupantes. Ejusmodi fuere exordia Fuldensis Abbatiæ, ut author idoneus narrat B. Bonifacius Moguntinæ Ecclesię Archiepiscopus, ejus Abbatiæ conditor, Epistolis ad Zachariam Papam datis. Epist.4. *Est præterea locus sylvaticus in eremo vastissimæ solitudinis, in medio nationum prædicationis nostræ, in quo Monasterium construentes, Monachos constituimus sub Regula Sancti Patris Benedicti viventes, viros strictæ abstinentiæ, absque carne & vino, absque sicera & servis, proprio manuum suarum labore contentos.*

Commemorat verò Gregorius Turonensis in Vitis Patrum, Caluppanum Eremi incolam in Cœnobium Arvernæ Diœceseos secessisse, & jejuniis aliisque carnis afflictionibus ita debilitatum fuisse, ut jam non posset cum aliis labore fungi manuum, quo fiebat, ut crebris sociorum, & ipsius Superioris dicteriis incesseretur, exprobrantium, Qui non laboraret, eum nec vesci debere. *Erat tamen abstinentia, ita ut ab inedia nimium attritus, quotidianum cum reliquis fratribus operam explere nequiret. Unde, ut mos est Monachorum, magnum improperium inferebant, dicente sibi præsertim Præposito, qui non deliberat laborare, indignè postulat manducare.* Cap.11.

Cœnobium ad Ligerim construxit Ursus Abbas, ubi & colendis agris instituit ita insudare alumnos suos, ut & sese ipsi, & pauperes alere possent. *Statuit cum omni Congregatione manibus propriis operari, victum à terra in sudore vultus exigere. Ibi-*

dem c.18. Qui tamen advertens Monachos manualibus molis ad molendum triticum vexari, ad aquas Ligeris molas machinasque aptavit, quibus eos illa defatigatione levaret. *Exclusam fecit, atque aquam canale collegit, cujus impetu fabrica rota in magna volubilitate vertere cœpit.* In Bancoriensi Angliæ Monasterio prodidit Beda, *L.2.c.2.*, septem fuisse Monachorum turmas, trecentorum capitum singulas, qui omnes laboribus se suis transigebant. *Cum in septem portiones esset Monasterium divisum, nulla harum minùs, quàm trecentos homines habebat, qui omnes de labore manuum suarum vivere solebant.* In historia autem Vicemuthensis Monasterii sui idem Beda omnes prorsus Monachos agrorum culturæ & difficillimis quibusque operibus vacasse narrat. Ipsum certè Bedam scimus uno eo opere ac labore persunctum esse strenuissimè, ut legeret, disceret, doceret, scriptitaret, & immortalibus monumentis his suis corporeos aliorum labores posteris commendaret.

II. In Dialogis suis Gregorius Magnus B. Equitium tot Monachorum parentem exhibet fœna secantem. *In valle, quæ Monasterio subjacet, fœnum secat, &c. Ecce vir Dei calvatis calceatus caligis, falcem fœnariam in collo deferens veniebat. L.1.c.4.* Monachorum ejus nonnulli Antiquarii erant, & libros scribebant. *Absente illo Antiquarios scribentes reperit.* Qui rursus alibi: *Cap.7.* Abbatem quendam memorat, cum oliveta ejus eo anno sterilitate damnata fuissent, statuisse Monachos suos ablegare, ut operas suas locarent aliorum olivis colligendis, & laboris sui mercede oleum, quo carere non poterant, Monasterio suo compararent; at restitisse Nonnosum, qui secundus post ipsum ad puppem Monasterii sedebat, ne Cœnobio egressi Monachi, spe lucelli inanissimi perirent ipsimet. *Visum patri Monasterii fuerat, ut circumquaque fratres in colligendis olivis ad exhibenda extranea opera pergerent, quatenus ex mercede sui operis aliquantulum Monasterio oleum deportarent. Quod vir Domini Nonnosus fieri cum magna humilitate prohibuit, ne exeuntes fratres ex Monasterio, dum lucra olei quærerent, animarum damna paterentur.* Abbas profectò Isaac magna animi constantia oblatos sibi fundos omnes repudiavit, & Monachis suis subinquè id ferentibus respondit, jam Monachi nomine excidisse, qui terrena prædia possidere vellit. *Monachus, qui in terra possessiones quærit, Monachus non est. L.3. c.14.* Sed hic tamen se suosque alebat cultu & leguminibus horti. Stephanus Abbas serebat, metebatque cum Monachis suis agros, quorum ex proventu alebantur. *Cum messem, quam sua manu severat, decisam, ad aream deduxisset, nihilque aliud cum Discipulis suis ad totius anni stipendium haberet, &c. L.4. c.19.*

III. Ex horum congerie exemplorum Monasteria fuisse patet, in quibus iam arcta esset laboris manuum observatio, ut omnes prorsus ei legi subessent. At non minor suppetit & argumentorum copia, & exemplorum, quibus id efficiatur, laborem hunc ablegandis potius otii vitiis serviisse, quàm vel necessitati parandi victus, vel Monasticæ professionis explendæ. Id perspicuè colligitur ex Regula Beati Benedicti, *Cap.48.*, ubi non proponitur opus manuum, nisi ut otiositati vitandæ & interpungendæ divinæ psalmodiæ necessarium. *Otiositas inimica est animæ, & ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis item horis in lectione divina.* Si inopia Cœnobium laboraret, paulò instantius incumbebatur operi, & ad id omnes impellebantur; sed per sanctissimum Regulæ Conditorem non stabat, quin tam opima esset omnium Monasteriorum dos, ut nunquam necesse esset eorum penuriæ recreandæ accedere dotı manuum laborem. *Si autem necessitas loci aut paupertas exegerit, ut ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur, quia tunc verè Monachi sunt, si labore manuum suarum vivunt, sicut & Patres nostri, & Apostoli; omnia tamen mensuratè fiant propter pusillanimes.*

IV. Præcipit Beati Aureliani Regula, ut dum nocturna celebrantur Officia divina, dumque recitantur Scripturæ, ad abstergendum torporem & somnium, Monachi manibus operentur; Festis autem & Dominicis diebus, quibus operari manibus nefas est, stent, qui sibi sentient somnum obrepere. *Ad vigilias dum lectio legitur, aut de sparta, aut de canape, aut aliud hujusmodi manibus operamini, ut non somnus obrepat. Si verò Dominicus, aut Festi sunt dies, cui somnus venerit, aliis sedentibus jubeatur stare, ut possit à se somni marcorem repellere. Cap.29.* Beati Ferreoli Regula præcipit, *Cap.11. 19*, Monachis, ut jugi omnes Psalmorum meditationi & cantui, vel recitationi vacent; illi etiam, qui ruri oviculas pascunt. *Similiter etiam hi, qui Pastores pecorum, ut est moris, de Congregatione mittuntur; cura erit vacare Psalmis, ut cæteris.* Et infrà: *Unusquisque Monachus, sive intra Monasterium, seu foris, aliquid operis faciat, à lectione divina ne una quidem die se patiatur transire jejunum.* Sed aliquantò dilucidius alibi, ubi jubet, ne quem sinat Monachus præterlabi diem, quo non aliquantulum saltem temporis labori donarit. *Monachum absque certis Solemnitatibus, vel manifesta ægritudine, diem sine operatione transigentem, à convivio decernimus excludendum. Cap.28.* Nec dissimulat tamen justas & graves esse quibusdam, non laborandi causas: at illud interim pronunciat, si qui manibus operari non valeant, eos advertere animum debere lectioni, orationi, scriptandis libris, retexendis retibus ad piscationem & ministerio, ac solatio qualicumque fratribus exhibendo. Unde perspicis, ne in his quidem Cœnobiis iam strictam viguisse laboris manuum legem, ut non ei eximerentur aliqui, qui mallent legere & orare: denique nec illos animi, corporisque labores displicuisse, ex quibus utilitatis nihil ad Monasterium rediret. *Qui non valet insistere operi, det promptius operam lectioni. Quicunque agrum non excolit, Deum dupliciter colat: & inter reliqua etiam hanc quærat artem, ut paginam pingat digito, qui terram non proscribit aratro. Nullus ergo, si quominus opera faciat, putet causam justę excusationis afferre, quia qui, ut suprà diximus, agriculturam exercere non valet, legere, scribere, quod est præcipuum opus, piscium etiam providere capturam, rete texere, calceamenta fratribus præparare, vel reliqua, quę similia sunt, facere atque implere potest. Quisquis ergo ex his omnibus non elegerit, quo occupetur opere, famem cum improperio sustinere contentus sit.*

V. In Regula sua Beatus Fructuosus horas pręfigit labori, otio & psalmodiæ, ita tamen ut videatur inducias operis & missionem laboris annuere iis, quorum devexa jam ætas est, aut qui totos se possunt lectioni & orationi dedere, aut facillimo alicui intra Monasterium operi. *Sin autem residentes tacite per cellulas suas hi, quorum jam ętas perfecta est & conscientia pura, meditentur eloquia Domini, vel opus quodlibet intra cellulam injunctum exercentes. Cap.6.* Regula Magistri laborem non præcipit, nisi ne officiat otium. *Dum cessant in die divina officia, intervalla ipsa cessantium à Psalmis horarum non otiosa volumus pertransiri, &c. Quia homo otiosus mortem operatur, & in desideriis est semper. Cap.50.* Cumque horas scitissimè dispensasset in laborem & precem, res ita concluditur, constituto inter Monachos discrimine. Aliorum enim tenerior indoles animi, & imbecillior corporis valetudo, jure meritoque eos labori subducit. At alii rudes

cum

cum sint & illiterati, viribus autem corporis polleant, ii haud dubio gravioribus subjiciendi sunt laboribus. *Fratribus delicatis & infirmis talis labor injungatur, ut nutriantur ad servitium Dei, non occidantur: duricordes verò & simplices fratres, vel qui literas discere nolunt, & non possunt, ipsi gurdis operibus intricentur; tamen cum temperamento justitię, ne soli jugiter diversis opprimantur laboribus.* Et tamen silendum illud non est, ne Presbyteros quidem ex ea Regula relaxari ab opere, si diutius in Monasterio commorentur: *Si diutissimè otiosi labore manuum suarum quęrere victum noluerint, Ecclesiis revertantur.* Cap.83.

VI. Ne illud quidem inficiabimur, Regula Isidori Hispalensis Episcopi, ad laborem amandari Monachos omnes, exemploque eos extimulari non Patriarcharum modò, sed & Apostolorum. *Omnes Apostoli corporale opus faciebant, unde vitam corporis sustentabant.* Cap.5. Otio ille abutitur & lectione, qui hinc prætextus captat, ne operetur, cum ea vel maximè ad operandum cohortetur. *Qui si volunt lectioni vacare, ut non operentur, ipsi lectioni contumaces existunt, quia non faciunt quod ibi legunt. Operantes suum panem manducant.* Infirmos certè illa operi subtrahit: *Qui per infirmitatem corporis operari non possunt, humanius clementiusque tractandi sunt. Qui verò sunt sani & falluntur, procaldubio dolendi atque lugendi sunt.* 2. Diurnas ut summum horas sex, aut septem labori addicit. 3. Laborem Monachorum horto colendo pene circumscribit, & officiis domesticis, rusticis operibus & ædium structuris in servos traductis. *Horti olera, vel apparatus ciborum propriis suis manibus fratres exerceant. Ædificiorum autem constructio vel cultus agrorum, ad opus servorum pertinebunt.* 4. Advertit porro idem alibi Isidorus innumerabiles illas Monachorum in Cœnobiis cohortes, servorum plerumque fuisse, vel libertorum Ecclesiæ, opificum & Agricolarum, callosas jamdiu labore manus habentium, ut olim Augustinus testatum faciebat. De Offic. Eccl. l.2. c.15. *Ad cujus sanctę militia propositum veniunt non solùm liberi, sed etiam plerumque ex conditione servili, vel propter hoc potius liberandi. Veniunt quippe ex vita rustica, & ex opificum exercitatione, & ex plebejo labore: tantò utique feliciùs, quantò fortius educati.*

VII. Ne hæc quidem blandimenta Gregorio Magno satisfaciebant. Qui totos se in Scripturarum lectionem & orationem abdere poterant, ab iis ille nihil prorsus operis deposcebat. Apud Joannem Abbatem conquerebatur, quòd Monachi ejus oblationibus victitarent fidelium, qui Monasteria extruxerant dotaverantque ipsi interim lectioni non vacarent. *In ipsis fratribus Monasterii tui, quos video, non invenio eos ad lectionem vacare. Unde considerare necesse est, quantum peccatum est, ut ex aliena oblatione Deus vobis alimoniam transmiserit, & vos mandata Dei discere negligatis.* L.2. Ep. 3. Ideo & cum in Sicilia Gregorius ipse Monasteria sex fundasset, agros illis & reditus tam copiosè adjecit, ut ad opus manuum nunquam eos indigentia constringeret. *Sex Monasteria in Sicilia fabricans, sufficientibus fratribus cumulavit, quibus tantum prædiorum contulit, quantum posset ad victum quotidianum Deo illic militantium, sine indigentia suffragari.* Septimum Romæ exædificavit, ubi & ipse professus est, & ubi iis ipse distinebatur occupationibus, quas Joannes Diaconus in ejus vita consignavit, orare, legere, scribere, dictare. *Nullam corpori suo cupiebat commodare quietem, quo minus aut oraret, aut legeret, aut scriberet, aut dictaret.* L.1. c.5. 8. Quibus gemina sunt, quæ habet Gregorius Turonensis. L.1. c.10.

VIII. At Lupicini Abbatis vitam ubi exaravit Gregorius idem Turonensis, satis superque prodidit, suos non eum Monachos fructibus operis sui aluisse, cum statim ab exordio nudaverit illi Angelus in deserto thesauros, jamdiu terris abditos, quos etiam vir sanctissimus diutissimè dispensavit in alimenta, suis his terrestribus Angelis necessaria. Sic ergo ille in Vitis Patrum. Cap.1. *Lupicinus Abbas cum minus haberet unde tantam sustineret congregationem, revelavit ei Deus locum in eremo, in quo antiquitus thesauri reconditi fuerunt, ad quem locum accedens solus, aurum argentumque quantum levare poterat, Monasterio inferebat, & exinde coempto cibo reficiebat fratrum multitudines, quos ad Dei officium congregaverat, sicque faciebat per singulos annos.* Nec est quod quisquam suspicari possit, hinc cœleste etiam quoddam patrocinium ignaviæ hominum conciliari posse. Sed eo ostento declaratum est, non solo opere manuum & vitiosum otium declinari posse, & inertiam. Inde est quod & hic ipse Abbas cum Monachos aluisset suos inusitatissimo illo ex penu, ætate demum jam ingravescente ad Chilpericum Regem in Burgundiam profectus est, à quo & fundos petiit eorum temporali vitæ fovendę, qui dies noctesque toti essent in rerum cœlestium contemplatione. *Pater sum dominicarum ovium, quas cum Dominus spiritualibus cibis jugi administratione reficiat, corporalia eis interdum alimenta deficiant.* Agros vineasque Rex obtulit, Abbas recusavit, tam splendidæ possessiones, & ingentia latifundia, subveritus ne satis consentire possent paupertati & frugalitati Monasticæ: maluitque pensionibus se annuis donari, sive specierum, sive pecuniarum. Tribuit illi Rex trecentos annos tritici modios, totidem vini, auri quantum satis esset ad indumenta. *Agros & vineas non accipiemus, sed si placet potestati vestra, aliquid de fructibus delegate, quia non decet Monachos facultatibus mundanis extolli, sed in humilitate cordis Dei regnum justitiamque ejus exquirere. At Rex cum audisset hæc verba, dedit eis pręceptionem, ut annis singulis trecentos modios tritici, ejusdemque mensurę numero vinum acciperent, & centum aureos ad comparanda fratrum indumenta, quod usque nunc à Fisci ditionibus capere referuntur.*

IX. In Africæ Monasteriis erat certissimè usitatissimus labor manuum, cum eo lenocinio in ea illectus sit B. Fulgentius. *Operantes manibus suis non adversantur utilitatibus alienis*, ut habet Ferrandus in ejus vita. Cap.2. Si quæras quo demum opere tam claro genere vir manus suas consecraret, idem prosequitur Scriptor. *Manibus etiam fuit delectabiliter operabatur. Nam & scriptoris arte laudabiliter utebatur, & ex palmarum foliis flabellos sępissimè contexebat. Cui operi etiam cum fuisset Abbas, in suo Monasterio vacabat.* Cap.14. At ubi Episcopalibus auctus infulis Fulgentius Abbatis munia non intermisit in suo Monasterio, Monachos opere manuum strenuos, lectionis incuriosos fastidio sibi esse non dissimulavit; in pretio autem & honore habuit eos, qui cum viribus ad laborem non satis instructi essent, tantò flagrantiùs in lectionem & in alia pietatis officia incumbebant. *Laborantes fratres & opera carnalia indefessis viribus exercentes, lectionis autem studium non habentes minùs diligebat, nec honore maximo dignos judicabat. In quo autem fuisset scientia spiritualis affectus, etiamsi virtute corporis destitutus operari manibus nunquam posset, ab eo peculiariter dilectus & gratus habebatur.* Cap.27.

X. Complurima extruxit B. Eligius, & dotavit Cœnobia, ac præ cæteris Solemniacense in Lemovicibus. Sed authore B. ipso Audoeno in ejus vita à se conscripta, id illi primum curæ semper fuit, ut

ut terrarum tantum, & redituum adjiceret, quantum ad Monachorum sustentationem opus esset. Nec eo contentus, quidquid prætercà exprimere potuit, vel ex Regum largitate, vel ex privatorum donis, vel industriæ suæ fructibus, in ea contulit. Si quid adhuc laboris superesset, satis magno numero servos adjecit, qui & in illis computabantur centum quinquaginta Monachis Cœnobii Solemniacensis. *Ubi Abbate constituto, multos ex suis vernaculis mancipavit, plures quoque ex diversis Provinciis, usque ad centenarium, quem quinquagenarius supergreditur numerus, Monachos congregavit, redituc etiam terra, qui affluenter sufficere possent, delegavit. Ipse verò, tanta se devotione, tantoque amore in eodem loco diffudit, ut quidquid habere potuisset, quidquid Regi auferre, quidquid gratuito à potentibus largitum esset, cunctu prædicto loco destinaret. L.1. c.15.* Nec dispari largitate prosecutus est Monialium Cœnobium, quod Novioduni exædificavit. *Terra quoque reditus sufficienter delegavit, & omnia, quæ essent Monasterio necessaria, solerti cura providit. L.2. c.5.* Perspicuum tam pingui Monasteriorum constituta dote, minùs necesse fuisse manibus operari. Regula B. Cæsarii Moniales deterrentur, ne manibus suis ea texant, vel acu pingant, quæ sæculi magis luxum redoleant, quàm Monasticam pietatem. *Plumaria, aut acupicta, & omne polymitum, vel stragula, sive ornamenta, nunquam in Monasterio fiant.* Ejus præcepti ratio subjicitur in Regulæ Anacephaleosi: *Propter illud Apostoli, Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.*

XI. Splendidissimæ erant & in Oriente Monasteriorum fundationes, unde & minùs necessarium erat opus manuum. Duo Alexandriæ Monasteria extruxit hujus urbis Patriarcha Joannes, ab eleemosynis nomen immortale consecutus, & uberrimè se illa dotaturum recepit, ea conditione, ut totus ille piarum & Monasticarum in duobus oratoriis Dei genitricis & Sancti Joannis exercitationum fructus ad se unum revocaretur, privatis in cellulis suis precesipsis prodessent. *Congregans duos ordines Monachorum, statuit in eis, omnem utilitatem tribus de villis suis in civitate sua dicens, Ego post Deum utilitatem vestram temporalem procurabo, vos autem spiritualis habetote mea curam salutis; Vespertina & nocturna vigilia mihi apud Deum imputetur: quidquid verò in cellulis vestris officii feceritis, pro vestris sit animabus. Cap.44.*

XII. Cum denique frequentissimus ille esset in Monasteriis labor manuum, ut sacros Codices exscriberent, hinc colligitur occupationem eam magis fuisse, quàm laborem: saginam potiùs mentis ibi quæsitam, quàm escam corporis, & quamvis aliam rationem vitandæ inertiæ, & mentis ad Deum excitandæ, æquè concinere scopo & perfectioni professionis Monasticæ. Hæc habet Gregorius Turonensis de Incluso quodam juxta Majus Monasterium: *Ibi se propriis manibus membranas faciens, aptavit ad scribendum, ut Scripturas Sanctas intelligeret, &c. In cellula delectabatur jejuniis, oratione, lectione, scribebat interdum, ut se à cogitationibus noxiis discuteret. Vita Patr. c.20.* Eadem ratione Sanctus Eustasius Luxoviensis Abbas otium & negotium, orationem & laborem intertexebat, ut habet Jonas in ejus vita. *Cap.1. Nec operam declinabat scribendi propria manu libros, nisi cum aliqua infirmitate corpus ejus detineretur.* Iisdem præceptis imbuit & Sanctus Cæsarius institutas à se Sanctimoniales, sub moderamine Sanctæ Cæsariæ sororis ejus: *Cæsaria matris opus cum sodalibus tam præcipuum viget, quòd & inter psalmos atque jejunia, vigilias quoque & lectiones, libros divinos scripsissent Virgines Christi, ipsam matrem magistram habentes. L.2. c.29.* Ita in vita Cæsarii. Bonifacius sanctissimus ille Moguntinus Archiepiscopus per literas interpellavit Abbatissam quandam, ut aureis literis Epistolas B. Petri Canonicas sibi describeret. *Ut mihi cum auro conscribas Epistolas Domini mei Sancti Petri Apostoli, ad honorem & reverentiam sanctarum Scripturarum, ante oculos Cardinalium in prædicando. Epist.28.*

XIII. Prisco huic Monachorum operi debemus Bibliothecas, & quidquid librorum, atque antiquitatis monumentorum ad nos usque propagatum est. Itaque hic eorum plerumque labor non aliò spectabat, quàm ut eorum Bibliotheca nova hac librorum supellectile in dies locupletaretur; pasceretur verò & interim eorum animus pabulo incommutabilis Veritatis, cujus hoc inexhaustum promptuarium est. Vendebantur tamen etiam nonnunquam elegantiùs exarati libri, ut eo pretio & vesceretur antiquarius, & pauperes reficerentur. Vide quid narretur in vita B. Stephani Junioris, clarissimo postea martyrio illustrati. *Alluosar ipse quoque Apostoli ritu munus habebat, conficiendorum scilicet retium, ut ille, artem colens, atque insuper etiam egregiè scribendi peritiam consecutus, describendis libris operam impendebat. Ut qui non modò oneri nemini esse vellet, sed etiam habere cuperet, unde egenti subsidium offerre posset. Surius die 28. Novemb. c.9.* Eruditione nescio, an pietate præstantior Cassiodorus, dum Monachos suos alloqueretur cæteris manuum operibus, illud demum sibi longè pulcherrimum & suavissimum videri profitebatur, Codices conscribendi: non quòd plusculum lucri iis distrahendis emergeret, sed quod Amanuensis ipse in Prædicatorem exurgeret verbi divini, multiplicandis & per orbem spargendis mutis his & elinguibus, & facondissimis tamen Prædicatoribus: atque ut in consortium quoddam veniret Apostolorum laudis, quorum prædicatio orbem universum peragravit. Sic ergo ille in divinis Lectionibus: *Ego fateor votum meum inter vos; quæcumque possunt corporeo labore compleri, Antiquariorum mihi studia, si tamen veraciter scribunt, non immeritò forsitan plus placere; quod & mentem suam relegendo Scripturas divinas salubriter instruant, & Domini præcepta scribendo longè latèque disseminant. Felix intentio, laudanda sedulitas, manu hominibus prædicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus tacitam dare, & contra diaboli surreptiones illicitas calamo atramentoque pugnare. Tot enim vulnera Satanas accipit, quot Antiquarius Domini verba describit. Cap.30.*

XIV. Objicitur nobis Epistola Gregorii Magni, ubi illius irascitur inhumanitati, qui Monacho Virigantino nihil impartiebat bonorum matris ejus, quanquam oneri ille esset Monasterio, ubi orationi ita deditus erat, ut opera manuum nec primoribus digitis attingeret. *In Monasterio, in quo lectioni vacat, & laborare non potest parum aliquid de substantia matris suæ dare debuisset. L.7. c.1.* Facilis & expedita responsio est, Monasterium illud casu quopiam tenue, & non satis largè dotatum fuisse, ut necesse esset eam penuriam annuorum redituum sarciri, vel opere manuum, vel agro dum admitterentur gratis dato, vel pensione annua. 2. Eo ipso Gregorii testimonio constat ad professionem Monasticam nihilominus admissos fuisse, qui cum manibus omnino operari non possent, nihil tamen pensionis annuæ adferebant: aut certæ spei, eam à cognatis persolutum iri. Admissus enim fuerat Virigantinus, quamvis operis & laboris impatiens ipse quidem esset, à cognatis autem prorsus destitueretur. 3. Potuit etiam Gregorius indulgere, ut lectioni & orationi uni se dederent ii ex Monachis, qui ita cuperent, quanquam satis idoneo essent robore ad laborem, & tamen ipse proximos ejus, qui & labore abstinebat, &

non carebat patrimonio, hortaretur ut aliqua eum vel ejus Cœnobium patrimonii parte recrearent, Nec negari tamen potest, quin haberent & Italiæ Monasteria cumplurimos labori manuum deditos, eum haberent & origine servos. Agit alicubi Gregorius de Diacono, qui ex servis suis duos ea lege manumisit, ut in Monasterio profiterentur. Cumque eorum postea alter à tam sancto proposito descivisset, litteras dedit Gregorius ad Episcopum Spoletanum, tanquam piarum testantium voluntatum executorem, ut transfugam Monachum compelleret satisfacere Patroni sui voluntati. *L.7. Ind. 2. Epist.36.*

CAPUT XII. *P.3. l.4. c.2.*

De Clericorum opere & labore manuum, sub Imperio Caroli Magni & ejus Regiæ stirpis.

I. Non cogebantur, sed invitabantur Clerici ad opus manuum multis & justissimis de causis.

II. Explanatur Cabilonensis Concilii Canon, quo Episcopi ipsi eo adduci videntur.

III. Regula Canonicis suæ aliquid operis indicebat.

IV. Quid Hincmarus de opere manuum quoad Episcopos & Parochos.

V. Mira aliqua sanctissimorum Præsulum exempla.

VI. In Oriente Synodus VII. Oecumenica ad laborem hortatur, si cujus Beneficium vitæ necessitatibus minus sufficiat.

I. Etsi laborem & opus manuum Clericis nulla lex universim unquam sanxerit: tam frequens tamen fuit ejus commendatio, & velut pulcherrimi ac saluberrimi consilii inculcatio, aut necessarii, aut certè maximè conducibilis ad frænandas carnis libidines, ad restringenda vitia ex otio pullulantia, ad sufficienda necessaria vitæ subsidia, ad subveniendum pauperibus: ut complures semper ad eum Christianæ pietatis, & Ecclesiasticæ potissimum perfectionis apicem aspirare visi sint. Erat id Theodulpho Aurelianensi Episcopo persuasissimum, cum Parochis ille suis laborem hunc manuum commendabat, quo orationem & lectionem eò recrearent, & hæc sibi commoda pararent omnia, quæ hic perstrinximus. Unde ejus Capitulare ad Parochos. *Cap.3, Sed si quando à lectione cessatur, debet manuum operatio subsequi, quia otiositas inimica est animæ, &c. Per manuum operationem & corporis macerationem, & vitiis alimenta negabitis, & vestris necessitatibus invenietis, & habebitis quod necessitatem patientibus porrigatis.*

II. Ne simile quidem tamen veri est invitatos ad id ipsos fuisse Episcopos à Concilio Cabilonensi II. illos ubi monet, ne Parochiis perlustrandis, oneri illis sint; ingeritque exemplum Apostoli Pauli, qui ne molestus iis esset, quibus Evangelicam lucem aspergebat, opere & arte cibum sibi parabat. Non quod dehonestari possint Episcopi eo, quod Apostolis ipsis laudi & decori erat: sed quod ne omnes quidem Apostoli Paulum sint in eo imitati; nec Christus illos eo exemplo, aut præcepto imbuisset; nec ipse denique Paulus sui semper similis ea quidem in re fuerit; denique ipsa Evangelii prædicatio, & Episcopalis occupatio multiplex ministerii, plerumque cum labore manuum sociari & conjungi non potest, & laboris longè molestissimi instar habet. Cabilonensis Canonis verba hujusmodi sunt. *Can.14. Tanta ergo discretio tenenda est, ut & verbi Dei Prædicator, sumptus ubi proprii desunt, à fratribus accipiat, & iidem fratres illius potentia non graventur: exemplo Apostoli Pauli, qui ne quem gravaret, arte & manibus victum quærebat.* Argumentantur Patres Concilii à majori ad minus: Si ne gravis esset fidelibus Apostolus, manibus operabatur, multò æquius sanè est, ut ne iis jam sint oneri Episcopi, & vel suo sumptu Parochias visitent, vel minimo sumptu visitent.

III. Quoad Canonicos communis vitæ vinculo consociatos, Concilium Aquisgranense hortos illis esse vult, ut & olerum aliquid ad cibum adhibeant, sed an ipsi manibus suis eos excolere debeant, id verò non exprimit. *Habeant Canonici hortos olerum, unde cum cæteris additamentis aliquod pulmentum quotidie in refectorio sibi vicissim ministrent.* Can.122. At Crodogangus, cujus ex Regula Caput illud decerptum est, mox ibidem sancit, ut coquinæ officium per suas quisque vices singuli impleant. *Clerici Canonici sic sibi invicem serviant, ut nullus excusetur à coquinæ officio.* Can.13. 14. Canonicas verò jubet idem Concilium Aquisgranense ipsasmet vestimenta sibi lanea, lineaque contexere. *Dent etiam eis annis singulis lanam & linum, è quibus sibi conficiant necessaria indumenta.* Illas denique invitat, ut *aut orationi, aut lectioni, aut manuum operationi insistant.* Ad illud idem & Canonici fuerant invitati, id illis consilii post Crodogangum insusurrante Concilio, ut varias artes edicerent, scientiasque, ne otio torperent, utque ne inertes stipendiis Ecclesiæ potirentur. *Non otio vacent, non vaniloquiis inserviant, &c. Sed potius aut orationi, aut lectioni, aut quibuslibet Ecclesiæ, aut certè propriis utilitatibus vacent, aut etiam doctrinis sanis, & diversarum artium erudiantur disciplinis; ita videlicet, ut nullus in Congregatione inutilis aut otiosus existens, stipendia Ecclesiæ inofficiosè accipiat.* Can.123. *Crodog. Reg. c.55.* Ubi perspicis id cordi, id curæ esse potissimum, ut ne otio languescant, utque utilitatis aliquid Ecclesiæ præstent, quod aliquantò etiam faciliùs doctrina, quàm arte quavis consequerentur, sicut & ipsius Concilii verbis innuitur.

IV. Non ita affluere otio posse Parochos suos augurabatur Hincmarus, ut operi manuum vacare possent, quando præcipiebat, ut manè recitatis Matutinis & Laudibus, decantatis quatuor minoribus Horis canonicis, celebratis Mysteriis, visitatis ægrotantibus, tum demum agros & opera invisere possent; *Ad opus rurale, & quod sibi competit, exeat jejunus, Tom.1. pag.712,* ut mox redirent, & cum hospitibus vescerentur. Et tamen idem Hincmarus statuebat, consultius præstabiliusque futurum fuisse, ut Actardus Nannetensis Episcopus à priore sua Ecclesia non recederet, quanquam ad eas adactus fuisset angustias, ut eleemosynis & opere manuum victitare cogeretur. *Nisi eum cupiditas & ambitio inde dejiceret, ibidem vel de operibus manuum, vel de decimis fidelium valeret manere, &c. Tom. 2. pag. 759.* Indubium est grassante persecutione Episcopos sanctitate conspicuos cibum sibi opere manuum quæsisse. Testem profero Adalbertum Pragensem Episcopum & Martyrem. *Laborantes propriis manibus, victum quærebamus, instar Apostolorum.* Sic vitæ ejus Scriptor, à quo & illud insinuatur, nullo non die eum, ex quo Episcopatûs infulas suscepit, aliquid operis perfecisse: *Post Missæ celebrationem opera manuum laborat, aut cum Capellanis sacra lectione cibaria degustat. Surius die 23. April.*

V. Est quod impensius admiremur in B. Dunstano Archiepiscopo Cantuariensi. Cum enim juventa floreret, & in minoribus adhuc esset Ordinibus lateri affixus Athelmi Archiepiscopi Cantuariensis, patruique sui, vidit in eo latitantes igniculos Athelmus,

mus, & quasi erumpentes gemmas earum virtutum, quæ gloriæ postea & ornamento fuere Ecclesiis Anglicanis. Eò illectus est Præsul, ut more tunc temporis usitatissimo, Regi eum Ethelstano offerret, Palatinis institutionibus informandum. Palatium incoluit Dunstanus, tanquam pietatis & virtutum domicilium; utque ne otio mollesceret, vitiisque inde manantibus inficeretur, varias ibi artes edidicit, libros exscribere, pingere, sculpere, scalpere quavis materia, canere, musica instrumenta tractare. Ita enim perantiquus ejus vitæ Scriptor sæpiùs à nobis laudatus: *Sciens otiositatem inimicam animæ esse, nunc istis, nunc illis operibus intendebat, & diversitate eorum subrepens fastidium tollebat. Peritia namque scribendi, pingendi, quidquid vellet in cera vel ligno, vel osse sculpendi, & ex auro, argento, ferro, vel ære fabricandi ita claruit. &c. Super hæc instrumentis musici generis, &c. Surius die 19. Maji c.4.* Postea verò quàm Dunstanus ad Ecclesiæ Cantuariensis gubernacula sedere cœpit, laborem manuum non omnino intermisit, sed mutavit. Quas enim vacuas nactus erat horas, eas emendandis libris insumebat. *Librorum emendationi sedulus operam impendebat.*

Est & admirabilius nescio quid in Beato Bernardo Hildesheimensi Episcopo, qui post inaugurationem etiam suam artium omnium elegantias excoluit, aliquando etiam amplificavit, rei pulcherrimæ hoc tantum temporis donans, quod otio dandum fuisset. *Ut breviter perstringam, nec punctum temporis in otio supersedebat, sed fidelis Dominicæ familiæ dispensator, conservis suis necessaria subsidia subministrabat. Surius die 20. Novem. c.6.*

VI. Paucis Ecclesiam Græcam attingam, quæ Latinorum haud dubio in hac parte vigorem & austeritatem longo intervallo post se reliquit. Synodus enim VII. Oecumenica, cum vetuisset, ne plura Clerici singuli Beneficia retinerent, & scrupulum illum eximere vellet de Beneficiis, quorum proventus tenuiores sunt, quàm ut Clericum alere possint, quo necesse sit eo saltem casu duo indulgeri Beneficia: non tamen ei subscripsit temperamento, ut nostris temporibus Tridentinum Concilium, sed fidenter pronunciavit, labore manuum adjiciendum, si quid minus sit in Beneficii proventibus. *Ad vitæ verò hujus necessitatem studia sunt diversa; ex his verò, qui voluerit, acquirat corporis opportuna. Ait enim Apostolus, Ad ea, quæ mihi opus erant & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Can.55.*

CAPUT XIII. *P.3. l.4. c.3.*

De Monachorum opere, per eadem tempora Imperantis Carolinæ prosapiæ.

I. Nulla certa lex Moniales operi manuum astringebat, ad id tamen alliciebantur.

II. Urgebantur instantius Monachi ad laborem.

III. Frequentissimè tunc servi & agricolæ ad Monasticam professionem convolabant, quibus gravis sanè non erat hic labor.

IV. Ingenui tamen & nobiles ipsi professi à labore non abhorrebant.

V. Longè præclarissimus erat labor scribendi Sacros Codices, vel testimonia Sanctorum Patrum compilandi ad religionem illustrandam.

VI. At usitatissimus labor erat in domesticis Cœnobii ministeriis obeundis.

I. Moniales lege aliqua certa strictaque ad opus arctatas fuisse non apparet. Argumento est, quòd superiori capite diximus de iis, quas Canonicas vocabant. Ut enim Canonicorum Regula ex Regula excerpta fuerat Crodogangi, qui Regulam Beati Benedicti Clericis aptandam adgressus erat, ita & Canonicarum Regula ad Regulam Monialium proximè accedebat. Si ergo Canonicarum Regula non aliud præscribebat opus, quam ut vestes ipsæ sibi suas concinnarent, ex lana, linoque; quo ipso onere levabantur infirmæ, & quæ terrenis possessionibus valedixerant, eoque effecerant, ut largius sibi omnia vitæ præsidia conferrentur; haud sanè probabile est, durius Moniales ipsas ad opus coarctatas fuisse.

Inde est quod Concilium vernum sub Pipino Rege, agens de Monialium Cœnobiis, ita tenuibus, ut Regula observari non possit: non ipsas Moniales cogit labori manuum incumbere strenuius, ut ita semetipsas transigere possint: sed ad uberrimos fontes Regiarum largitionum recurrit: *Si aliqua Monasteria sunt, quæ earum ordinem propter paupertatem adimplere non possunt, hoc Episcopus domno Regi innotescat, ut in sua eleemosyna hoc emendari faciat. Can.6.* Simillimum tamen est veri Moniales omnes, ubi otii & laxamenti aliquid nactæ erant, his manus suas dicasse artibus liberalioribus & honestissimis, sexui & naturæ ipsi suæ accommodatis. Exemplo illis esse poterant ipsæ Caroli Magni filiæ, quas à pueritia ille voluerat, ut perhibet Eginardus, lanificio assuescere & inhærere. *Filias lanificio assuescere, coloque ac fuso, ne per otium torperent, operam impendere, atque ad omnem honestatem erudiri jussit.*

II. Monachi verò cum omnes tandem coierint ad Regulam Beati Benedicti complectendam, indubium est eos orationi se & operi totos dedidisse. Conventus ille Abbatum famosissimus, qui anno 817. coaluit Aquisgrani, & à quo manarunt Constitutiones, secundum authoritatis gradum postea post Regulam affectæ: Conventus, inquam, ille operis manuum duo genera discriminavit. Primo loco erant ipsa Cœnobii ministeria: *Ut in coquina, in pistrino, & in cæteris officinis, propriis operentur manibus, vestimenta suo opportuno tempore lavent.* Alterum genus erat opera extra Monasterium, colligere fruges, & id genus alia, quibus abduci non debebant Monachi à penso spiritalium lectionum, & à quiete circa meridiem, ac cessatione brevi. *Ut si necessitas fuerit eos occupari in fruges colligendo, constitutum legendi, & meridiè pausandi tempus præmittatur, & operantes non murmurent.* Denique ut labori manuum solatii aliquid indulgeretur, permissi sunt Monachi bibere, jejuniorum & Quadragesimæ etiam diebus, paulò ante Completorium, vel ante Lectionem Collationum Cassiani, quæ tunc fiebat. Unde & nostræ tandem fluxerunt jejuniorum diebus Collationes. *Ut si necessitas poposcerit ob operis laborem, post refectionem vespertinam etiam, & in Quadragesima pari modo, & quando officium mortuorum celebratur, priusquam lectio Completorii legatur, bibant. Can.4. 27. 12.*

III. Etsi duriusculus is erat in speciem labor, ejus tamen tantò major erat necessitas, immo & facilitas, quò sanctissimi tunc hi Monachorum Conventus ferè frequentabantur servis, agricolis, opificibus, quorum saluti otiosior, molliorque vita exitialis videri potuisset. Semel iterumque expostulavit Carolus Magnus de nimia hujusmodi hominum frequentia in Cœnobiis, qui ita catervatim eò confluebant, ut vicos, agrosque vacuos & desolatos deseri jam plerique quererentur. *De servis vel ancillis, ut non amplius tondeantur, vel velentur, nisi secundùm mensuram, & ut ubi sa-*

pis-

stisfat, & villa non sint desolata. Capitul. l.1. c.113. Spectat id quidem ad eos, qui origine servi Monasteriorum, vel Ecclesiarum erant, & qui ideo multò procliviùs in hos Conventus admittebantur. At iisdem alibi in Capitularibus innovata est Constitut. Justiniani: Ne servi, liberti, Agricolæ in Monasteria allegerentur, nisi triennio ante probati, & cointerstitio dominis concesso, ad eos repetendos. *Ut si intra tres annos, aut servus, aut libertus, aut colonus quaratur, Domino suo reddatur, &c. L.5. c.217.* Carolus denique Magnus Episcopos percontatus est, an prævio & prælucente Apostolorum aliquo exemplo tantopere studerent amplificando numero suorum vel Monachorum, vel Canonicorum, compellendisque etiam servis in has Congregationes? *Quis Apostolus pradicasset, ut de nolentibus, & invitis, & vilibus personis Congregatio fieret in Ecclesia, vel Canonicorum, vel Monachorum?* In Concilio Aquisgranensi anno 836. crimini & probro datum est Episcopis nonnullis, qui Clericalibus suis Conventibus non adgregarent, nisi ejusdem Ecclesiæ servos, quibus impotentius imperitarent; statutumque admitti posthac non tantùm servos, quos virtus nobilitasset, sed Nobiles ipsos & natalibus claros. *Nullus Pralatorum seclusis nobilibus, viles tantùm in sua Congregatione admittat personas. Cap.119.*

IV. Vacabant tamen operi Nobiles ipsi, cum Caroli Magni consanguineus Adelardus horrum ipse excoleret Monasterii Corbiensis. Cum Beatus Dunstanus induta veste Monastica, in Cellula statim fit operatus. Cum discipuli Beati Romualdi aureis, sericeisque abjectis vestibus & vilissimis panniculis amicti, ad vilissimas quoque artes istiusmodi sese applicarent. *Quis non immutationem divina dextera pradicaret, cum vidisset prius homines sericis, immo deauratis vestibus indutos crebris obsequentium cuneis constipatos, omnium deliciarum affluentiis assuetos, nunc uno byrro contentos, inclusos, discalceatos, incultos. Faciebant autem omnes operam manuum, alii scilis & cochlearia, alii nebant, alii retia nectebant. Surius die 2. Januar. c.8. die 19. Majii c.8. die 19. Junii c.27.*

V. Erat & id genus labor, quo non tantùm non dedecorarentur Nobiles, sed & quo ignobiles ipsi possent nobilitari, libros scribendi, & immortalibus bis opibus Bibliothecas locupletandi. Hoc occupatus plerumque fuerat Plato ille sanctissimus Constantinopoli Abbas, in Annalibus sacris celebratissimus. *Quis concinnius, aut rectius, quàm illius dextera, literarum figuras scribebat? Aut quis laboriosius, quàm ille, id, quod dixi, vel quodvis aliud opus tractabat? Quomodo posset aliquis eos annumerare, qui ejus labores, hoc est, libros, ex diversis Sanctorum Patrum scriptis, tanquam flores quosdam collectos servant? Nostris autem Monasteriis undenam tanta librorum abundantia suppeditata est? An non ex illius sanctis manibus, & laboribus? Quos adeuntes & animo illustramur, & ejus manum admiramur. Surius die 16. Decemb. c.20.* Hæc Theodorus Studita in Platonis Magistri sui vita, qui & illud docet, viros natalibus clarissimos cujusmodi erat Plato iste, à scribendis manu sua, ad lucubrandos suo marte libros facillimè pervenisse, ea saltem ratione & via lucubrandos, quæ proclivior illa quidem est, & parabilior, nec pretio tamen forsan, aut utilitate inferior, excerpendis & consarcinandis luculentioribus quibusque Patrum testimoniis, de placitis fidei orthodoxæ, aut de regulis purioris Disciplinæ. Ex his Collectaneis Sententiarum Sanctorum Patrum, effloruere non multò post Summæ Sententiarum in Orientis & Occidentis Ecclesiis, quibus non injuria accepta ferri potest ea, quæ Scholæ deinceps personuere, Theologica Disciplina. Michael Studites Theodori hujus Studitæ vitæ Scriptor, viri sanè fama doctrinæ & sanctitatis præstantissimi, illum confirmat complura Monachorum agmina, suæ disciplinæ obnoxia, numero amplius mille, tum pluribus aliis operibus, tum verò maximè exscribendis libris occupari voluisse. *Baron. anno 799.*

VI. Sed illud tamen ingenuè fatemur, hunc sibi potissimum laborem sumpsisse Monachos, ut Cœnobii ipsius ministeria & famulandi munia obirent ipsimet omnia, ut religio esset laicos adhiberi. Hinc illa apud Carolum Magnum effusa Fuldensium Monachorum querela, quem admonebant, per Monachos, non per Laicos æquum & decorum esse obiri munia pistrini, coquinæ, horti, & id genus alia. *Ut ipsa Monasterii ministeria per fratres ordinentur, id est, pistrinum, hortus, braciarium, coquina, agricultura, & catera ministeria, sicut apud decessores nostros fuerunt. Quia devotius & dignius per fratres omne exercebitur officium, quàm per laicum aut servum malevolum. Sacul. Bened. tom.4. pag.262. 312.* Eo labore occupari potuisset non mediocris pars Monachorum, si eo omnia prorsus Cœnobiorum munia complecti placuisset; & per alternas vices ad ea venire, ut & singulis & universis abundè suppeteret otii, quo lectioni, & orationi incumberent. Consanguineus Caroli Magni Adelardus, mox ut Monachum Corbiæ professus est, hortorum culturæ & curæ præfectus fuit, ut narrat idoneus Scriptor Paschasius in ejus vita. Id ille sibi amplum duxit & honorificum, quod & Christus ipse aliquando speciem hortulani induisset. Unde & ita invitabat ac suspirabat Adelardus, *Veniat dilectus meus in hortum suum.*

CAPUT XIV. *P.4. l.4. c.2.*

De labore manuum Clericorum, post annum Christi millesimum.

I. Exemplum sanctissimi Archiepiscopi, qui literis aureis Evangelium exaravit.

II. Beati Dunstani juvenis adhuc labor varius, & pius.

III. Exempla sanctissimorum Episcoporum, qui opere manuum victitarant.

IV. Congregatio fratrum Vita communis, moriens semper laborem manuum retinait.

V. Labor manuum pracipitur Clericis, quos aut egestas cruciat, aut corrumpit otiositas.

VI. Idem pracepere postrema hac atate Concilia Germania & Italia, nec non & Comitia Generalia Cleri Gallicani.

I. NE postrema quidem hac ætate prorsus exolescere potuit Clericorum ipsorum opus manuum. Insigni encomio prosecutus est Petrus Damiani Archiepiscopum Moguntinum, qui à parente suo Imperatore Ottone in carcerem contrusus, quòd in ejus nuptias sacris legibus Ecclesiæ adversarias palam inveheretur, tempus ibi contrivit in describendo aureis literis Psalterio; eaque pietatis teneritudine & suavitate, in id incubuit, ut postquam etiam Pater carcere eximi præceperat, *Antequam Psalterium expleret, quod aureis exarabat apicibus, recusaverit exire.* Carcere absolutus sanctissimus Præsul Imperatorem nefarii conjugii laqueis se non explicantem, pari etiam posthac constantia insectatus est. *Petr. Dam. Opusc.34. c.7.*

II. Erat quod magnopere miraremur in sopra laudato Dunstano, minorum tunc Ordinum Clerico, quem in ejus vita scribenda ait Osbertus Mona-

nachus, in Ethelstani Regis Palatio, cui ab Archiepiscopo Cantuariensi concreditus fuerat, artes omnes elegantissimas, & plerumque deliciarum architectas, & edidicisse, & perdiu exercuisse; non tantùm ut otium falleret, non modò ut otiositatem effugeret; sed earum ut lenocinio quodam suavissimo alliceret ad pietatem, & ad cœlestes raperet delicias consectandas carnalium animas, hac sensuum voluptate velut inescatas, & præter opinionem suam ad castioris sursum voluptatis aucupium abreptas. Hæc non piguit hîc refricare, quò qui nunc bene multi his Clerici artium elegantiis delectantur, habeant, quem imitentur, quem sequantur à terrenis ad cœlestes delicias traducentem sese, aliosque secum omnes. *Sciens otiositatem inimicam animæ esse, nunc istis, nunc illis operibus intendebat, & diversitate earum subrepens fastidium sibi tollebat. Peritia namque scribendi, pingendi quidquid vellet, in cera, ligno, vel osse sculpendi, & ex auro, argento, ferro, vel ære fabricandi ita claruit, ut multis quàm maximè admirationi haberetur. Super hæc instrumentis musici generis, quorum peritia non mediocriter fultus erat, non tantùm se, sed & multorum animos à turbulentiis mundi negotiis sæpè demulcere, & in meditationem cælestis harmoniæ, tum per suavitatem verborum, quæ modò materna, modò alia lingua musicis modulis interserebat, quàm & per concordem concentum, quem per eas exprimebat, concitare solebat.* Quæ mox ille subjicit de Dunstano sacràs vestes acu pingente, & cælestibus illuminante sacramentis, ex iis illud proditur, mentem, manumque Dunstani in his uni sanctitati solitam famulari.

III. Anno 1207. vivere desiit Conquensis Episcopus Julianus, sanctitatis opinione clarissimus, quem Annales Ecclesiastici referunt sua prorsus omnia pauperibus erogasse, se & socium aluisse pretio calathorum junceorum, quos texebat & distrahi curabat. *Rain. n. 18.* Laudes cecinit Thomas Cantipratensis Willelmi de Marnis Episcopi Tornacensis sanctissimi, quem dies noctesque occupatissimum habebant preces, confessiones, litium terminandarum studia, lectio, opus manuum. *Aut meditabatur, aut legebat, aut confessionibus audiendis incumbebat, aut lites hominum dirimebat, Horum si aliquid exercere tædebat, propriis manibus laborabat. L. 1. c. 15. n. 2.*

IV. Video rariuscula esse hæc exempla, sed nec ita forsan superioribus sæculis frequentia fuere, in Episcopis quidem, quos tot aliunde & graves distendunt occupationes. Quod ad cæteros enim Clericos attinet, conquerebatur quidem Gersonius, quòd inaudita jam ferè & insolitata illa essent eorum egregia pietatis documenta, de quibus olim Concilium Carthaginense tam multa sanctissimè præceperat. *Ubi est illud Concilii Carthaginensis IV. quod Clericus quemlibet verbo erudiat; & ne pauperes graventur, ut Paulus artificio victum quærat. Quod Clericus artificio vel agricultura sibi victum absque sui officii detrimento præparet. Tom. 1. pag. 206.* Et hæc tamen virtutum lumina ævo ipso Gersonii reviviscere visa fuerant in Fratribus Vitæ communis, quorum sanctissimus Institutor Gerardus anno 1384. vivere desierat. *Rainal. a. 6.* Clerici illi erant nullo constricti voto, societate vitę tamen communis devincti, & opere manuum victitantes: quanquam illud ad unum maximè instituti essent, & toto pectore fervèrent, ut Evangelium prædicarent. Institutoris vitam literis mandavit Thomas à Kempis, ex quo pauca hæc libabo. *Cap. 55. Operam dedit & consuluit, ut devoti quandoque in unam domum pro mutua exhortatione convenirent, & de Deo & charitate servanda tractarent. Et si qui simul stare vellent, de labore manuum suarum victum quærerent, & communem vitam, quantum possent, sub disciplina Ecclesiastica tenerent.* Contulit ille se mox ad extructionem Cœnobii Canonicorum, suadente Rusbrochio, qui ejusdem instituti Cœnobii Prior erat; at præclaros conatus mors intercepit. Ejus autem instituti Fratrum Vitę communis fundamenta jacta sunt Daventriæ, eorum scilicet occasione, quos Gerardus occupatos retinebat conscribendi Sanctorum Patrum monumentis, quibus & desinente qualibet hebdomada pretium persolvebat operæ industriæque suæ. Ex ea scriptione tanta perfundebatur eorum mens cælestis voluptatis cujusdam copia, ut hinc facillimè addicti sint operis sui mercedes omnes in commune conferre ærarium, patrimonioli sui minutias Congregationi dicare, reliquum vitæ curriculum inter has sanctissimas delicias traducere, Superioris curæ & Imperio obnoxios. Hæc in Chronico suo Buschius, à Miræo publicatus in Compilatione ab eo edita Regularum Canonicis & Clericis præscriptarum. Nec nos præterit aliquos hujusmodi Vitæ communis socios postea ita deviasse, ut in eos nonnihil sęvitum sit in Concilio Constantiensi. Sed nihilo tamen segnius recentiora eorum extructa sunt in Belgio Cœnobia variis locis, quæ & Pontificum rescriptis & confirmatione munita fuere, ut legere est in eadem Miræi Compilatione.

V. In congestis supra exemplis liberi erant & spontanei labores isti; vel si qua lex erat, qua præciperentur, propria illa erat & peculiaris alicujus Conventus, cujus priores sectatores hanc sibi ipsis necessitatem indixerant. Sed Decretum jam promemus Legati Apostolici in Insula Cypro promulgatum anno 1313. quo jussi sunt omnes ejus Regni Clerici, honesta aliqua arte occupare manus, tum ad comites otii libidines declinandas, tum ad consulendum vitæ necessitatibus, si res familiaris deficeret. *Petrus miseratione divina Ruthenensis Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus in partibus cismarinis, ordinamus ad evitandum otium virtutibus spiritualibus quam maximè inimicum, quod omnes Clerici regni Cypri se occupent in aliquo utili opere, quod Clericalem deceat honestatem, ut habeant maximè pauperes, unde possint commodè vivere, nec non & divites cum cæteris occasionem validam quarumcumque animæ contrarium evitandi. Quicumque verò his contrarians otiositati vacaverit, de malis omnibus & non immerito est suspectus & accensatur, ad probationem facilem tanquam culpabilis puniendus. Con. Gener. Tom. 11. Part. 2. pag. 2418.* Complectitur hoc Decretum non tenuioris tantùm fortunę Clericos, sed & locupletes, quanquam eò arctius & speciali ratione constringantur pauperes. Tam his, quàm illis fugienda otiositas. Nec tacenda pœna est, qua hic otiosi & inertes Clerici percelluntur. Cum enim merito suo obliquis suspicionibus pateat otiositas, si in otiosos legibus agatur, facillimè damnabuntur, nec tam gravibus opus erit probationibus. Anno 1536. Concilium Coloniense Clericos hortabatur ad opus manuum, si egerent, dum ne ei se arti dederent, quæ Clero dedecori esset. *Quibus non suppetit ex Sacerdotio, honesto artificiolo victum quærant, secuti divi Pauli exemplum, sic tamen ne aliquam sordidam artem, sacerdotio ignominiosam exerceant. Part. 2. c. 40.* Eadem prorsus moderatione Concilium I. Mediolanense opus manuum permisit, non præcepit, pauperes tantùm ad id excitavit. *Artes verò honestas concedimus, ut aliquid manibus suis lucretur, quo sibi quæ ad victum necessaria sunt, comparare possit. Acta Eccl. Mediol. pag. 20.* Non quò non & divites quandoque invitati sint ad idem opus: sed nonnisi ad inimicam virtutibus otiositatem vitandam, & inutilitatem, quæ ipsa per sese non mediocris vitiositas est, in Clericis potissimùm. Itaque dum non otientur Clerici, dum vel negotio, vel otio pio distinean-

neantur, nunquam eos Canones ad opus manuum constrinxere, si modò suppetat ex Beneficio, quo se sustentent.

Comitia Cleri Gallicani Meloduni anni 1579. congregata, incredibili quadam perspicuitate quæstionem istam extricavere; ut pauperibus tantùm Clericis Canones laborem indixerint, ubi non aliud honestum paupertatis succurrit solatium; ut nihil affricandum huic labori sit ex sæcularium cupiditatum contagio & tumultu; quæ denique sint opera, Clericis maximè consentanea: *Et quanquam omne turpe lucrum indignum sit Sacerdote, ne ubi thesaurus, ibi sit & cor; tamen quibus ex sacerdotio non suppetit victus, honesto artificiolo, ut scriptura, pictura, arithmetica, musica, & deventi futuro, non sordida aut inhonesta victum quærere liceat. Neque enim hoc pudait Apostolum ipsum.*

CAPUT XV. *P.4. l.4. c.3.*

De Monachorum opere ab anno millesimo ad ducentesimum supra millesimum.

I. An Monachis labor manuum res præcepti sit, an consilii? Fugiendæ otiositatis Petrus Damiani libros lucubrabat in Eremo, ne otio torperet. Ivo Carnotensis Moniales hortabatur ad opus, vitandæ otiositatis ergo.

II. Beatus Bernardus & totus Ordo Cisterciensis inter ferveris sui primordia quandam hic sibi legem defixisse videbantur.

III. Aurea mediocritatis est, ut aut laboretur, aut labor æqua piorum operum copia compensetur.

IV. Nec Cistercienses ipsi opere & labore victitabant suo, quanquam ceteæ ei quotidie horas dedicarent.

V. Fatebatur & ipse Bernardus posse piis aliis exercitationibus compensari opus manuum.

VI. Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis mira & summa cujusdam sapientiæ late perfusa doctrina.

VII. Non posse cogi Monachos ad laborem, argumenta & exempla ex eodem Petro Cluniacensi.

VIII. Nec tamen labores & opera penitus fastidiebant, vel Petrus, vel Ordo Cluniacensis. Denique nec Cistercienses, nec Carthusiani manuum labore & arte victum sibi quærebant.

IX. Probationes nova nunquam Monachis inflictam necessitatem, ut opere victum quærerent. De Amanuensibus, sive Antiquariis, qui libros scriptitabant.

X. Placita & exempla Lanfranci, & Anselmi, qui ad Archiepiscopatum postea Cantuariensem evecti sunt. De Abbate Ruperto & Hugone Victorino.

XI. De recentioribus Ordinibus Monasticis in quibus labor manuum usitatissimus fuit.

I. ACriùs semper de Monachis certatum est, consilii illis, an præcepti pondus habeat opus manuum. Ac rursus si præceptum id foret, an detergendæ tantùm otiositatis causa, an etiam parandi victûs, ex parte saltem aliqua, ut tantumdem parceretur ærario Ecclesiæ, & eleemosynis fidelium, quibus pauperes foventur, ii scilicet, qui & re, & rei parandæ necessariis viribus destituuntur afflicta corporis valetudine. Cum duobus Episcopis necessitudine sibi conjunctissimis commendaret Petrus Damiani Opusculorum suorum retractationem & censuram, testatum faciebat illis se operam & industriam impendisse suam, ut otium falleret, inertiamque atque inutilitatem effugeret, non ea virium copia fretus, qua posset aliquid operis moliri, utcumque fructuosi. *Præsumpsi quædam opuscula scribere, non tamen videlicet ut legibus Ecclesiasticis, quod temerarium fuerat, aliquid adderem; quàm ob hoc præcipuè, quia sine qualibet exercitio, inertis otii & remotioris cellulæ tædia non perferrem; at qui operibus manuum utiliter insudare non poteram, cor vacuum atque lubricum quodam meditationis loro restringerem; sicque cogitationum ingruentium strepitum, atque acediæ obrepentis instantiam faciliùs propulsarem. L.4. Ep.11.* Fatetur ille quidem ideo se his opellis suis manibus admovisse, quòd ad quodvis aliud opus accedere per vires prorsus exhaustas non liceret. Sed ejus operis necessitatem non ex alio ille capite arcessit, quàm quod eremi & secessus tædia diluere, & inutilitatem effugere necesse esset.

Scripta est ab Ivone Carnotensi Episcopo Epistola pulcherrimis documentis referta ad Cœnobium Sanctimonialium Castri Dunensis; qua eas cohortatur, ut ne unquam ab illa orandi, legendi, & manibus operandi, vicissitudine recedant, quam vehementer commendat Hieronymus in Monasteriis Ægypti, in quę allegabatur nemo, quin manibus operaretur, non tam ad parandos corruptibiles cibos, quàm ad abigendas tentationes, ex otio nostro & inertia invalescentes. *Oportet ut semper sitis intentæ orationi, aut lectioni, aut operi; ut diabolus vos inveniat occupatas, nec mentes vestras novis & vagis cogitationibus expositas. Iste enim mos legitur fuisse in Monasteriis Ægyptiorum, ut neminem reciperent, qui nollet operi operam dare: non propter necessitatem, sed propter evitandam otiositatem, quæ inimica est animæ. Ep.10.*

II. His assentiebant doctissimi & sanctissimi viri ante exordia Ordinis Cisterciensis, cujus incredibilis tum fervor, summaque animorum ad religionem contentio, miris perfectionem Monastici status provexit incrementis. Beatus Bernardus æstu quodam abreptus animi ac zeli, & laborem manuum sancire visus est, & eam legem omnibus prorsus Monachis imponere, non quomodocumque, sed abrupta necessitate victûs opere & labore quærendi. Ex quo enim decimæ reliqui Ecclesiarum proventus Clero jam addicti sunt, onus superest manuum labor, quo Monachi sustentent. Vide ut ille unà cum Abbate Pontiniacensi ad Abbatem scriberet Majoris Monasterii, id est, duo Cistercienses Abbates initiorum suorum flammas quaquaversum spargentes, ad Abbatem priscarum B. Benedicti Congregationum. *Clericorum est Altari deservire, & de altario vivere. Nobis nostra professio, & antiquorum Monachorum exempla victum ex propriis præscribunt laboribus, & non ex sanctuario Dei. Quo pacto ibi exigitis, ubi nihil exhibetis? Certè si ita vultis, baptizate nascentes, sepelite morientes, &c. Et in medio denique Ecclesię aperiat os suum Monachus, cujus officium est sedere & tacere. Epist. 280.* Inter Epistolas Ivonis Carnotensis hęc quoque legitur, qui tam præclaræ contentionis judex & arbiter futurus videbatur. Nec nescire se tamen fatetur ibidem Bernardus, esse decimas, esse Ecclesias, quas dono & investitura Episcoporum Monachi possiderent, ideoque hos saltem ad laborem jure cogi non posse. *Esse tamen, licent & hoc ex dono Episcopi, nec ulla jam reputetur injuria, quam canonica excusat investitura.*

III. Et rursus idem alibi Bernardus sermonem concludens in Cantica, cogi se fatetur finem facere dicendi, hora data laboris & operis manuum, ex imminenti paupertatis lege, & institutionis Monasticæ. *Sed præterit hora, quæ nos exire urget ad opera manuum & paupertas, & institutio regularis. Serm.1.* At alio loco idem testatur, eò se jussum à cæteris Ordinis Abbatibus frequentiores habere ad Monachos suos sermones, quòd non satis valeret cor-

corporis viribus ad opus manuum. *Neque enim modò loquerer vobis, si possem laborare vobiscum. In Psalm. Qui abitat... Serm.10.* Bernardo vulgo tribuitur Epistola de Vita Solitaria ad Fratres de Monte Dei, quæ profecta potius videtur à Monacho B. Benedicti Regulę sectatore. Non improbabiliter iis conjicitur fuisse Vuillelmus Abbas Sancti Theodorici. Miratur hic Scriptor Ægypti olim & Thebaidis Monachos, qui cellas ipsimet suas extruebant, nec se tantùm, sed & pauperes, debilesque omnes suis operibus sustentabant, & ex eremi sui sterilitate eam fructuum abundantiam exprimebant, quę in ipsas urbes redundaret. *Laborabant manibus suis, & de labore suo pauperes pascebant; esurientes ipsi, de vastitate eremi urbium carceres alebant, viventes de labore suo, & habitantes in labore manuum suarum.* Tum ille progreditur ad distandas tergiversationes Monachorum Ordinis sui; sed non ulteriùs rem tamen premit, quàm ut ingemiscant saltem ipsi de remissione hac sua & operis meritum compensent pietatis & humilitatis incremento. *Ignosce Domine, excusamus, tergiversamur, &c. Magnam hanc jacturam professionis nostræ suppleat pietas & devotio conscientia humilis.* Hinc elucet Bernardi non esse eam Epistolam; elucet & quæ mediocritas hic tenenda sit: Subiniquum est cogi Monachos omnes ad opus manuum, ad cibum sibi parandum. Perversum est contemptui & fastidio habere laborem, quem Apostoli & Apostolicæ sanctimoniæ imitatores gloriæ sini & ornamento esse duxerunt. Inter hæc extrema medius est terendus limes, ut & in laude sit labor, nec molesti tamen simus non laborantibus Monachis, dum pietate, humilitate, & piis occupationibus aliis æquare nitantur pretium & decus laboris, quo Majores ipsorum inclaruerunt. Quamquam enim Paulus & his virtutibus præcelleret, & manibus operaretur, non tamen Deus omnes homines ad eundem perfectionis apicem vocat. Nec semper & ubique Paulus operatus est, sed locis & temporibus propriis quibusdam, nec ejus exemplo inhæsisse leguntur cæteri Apostoli; denique non ulla se Paulus ipse necessitate ad hunc laborem obligaverat, cum ejus gloriæ & mercedis incrementum hinc non modicum auguretur accessurum, quòd volens lubensque, nullo vinculo obligatus operetur.

IV. Id narrat ipse celeberrimus Cistercii conditor Stephanus, in eo opusculo quod inscriptum voluit *Exordium Cœnobii Cisterciensis: Bibl. Cister. pag.7.* ut cum fratribus suis sedulò expenderit, ex Regula & vita Beati Benedicti constare, non Ecclesias illi, non Parochias, non jura fuisse dominica; atque ei exemplo ut se coaptarent, statuisse se agris excolendis incumbere, eòque laicos habere Conversos, qui villici & agricolæ essent, ita certè ut Monachi ipsi præfinitis horis operi vacarent. *Susceperunt quoque terras ab habitatione hominum remotas, & vineas, & prata, & sylvas, aquasque ad facienda molendina, ad proprios tamen usus & piscationem & equos, pecoraque diversa necessitati hominum utilia. Et cum alicubi curtes ad agriculturas exercendas instituissent, decreverunt, ut prædicti Conversi domos illas regerent, non Monachi.* Hinc patet ne Cistercienses quidem Monachos laborum suorum quæstu victitasse, etsi quatuor diebus singulis horas operi addicerent. Agris ex his illi suis, vineis, villisque fructus metebant, quibus vescerentur, toto manuum suarum opere his addito, permodica sanè accessione. Et tamen eo labore quantumvis brevi & modico, Regulæ Beati Benedicti, & legibus satisfiebat austerioris pœnitentiæ. Quando B. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus Cisterciensis Ordinis habitu indutus fuit Pontiniaci à Papa accepto, arctissimam statim Regulæ observantiam amplexatus est, ut ne manuum quidem labore se abstineret. Ita enim Harsfeldius: *Quin & cum Fratribus rustici operis faciendi causa, in agros proficisci, & fœnum metere solebat.* Anno 1134. Capitolum Generale Cisterciense silentium observari præcepit iis locis, ubi exscribendis libris vacabant. *In omnibus Scriptoriis ubicumque ex consuetudine Monachi scribunt, silentium teneatur, sicut in claustro. Annal. Cist. Tom.2. pag.405. Tom.1. pag.282. 273.*

V. Sparsis per orbem suspicionibus variis, rumoribusque, non crescere laudes Cisterciensis Ordinis, nisi obscurandis, obterendisque Cluniacensibus, eas calumnias abstergere scripta Apologia conatus est B. Bernardus. Ibi præstantissimè docuit Sanctus Pater, non aspernandum, non prætereundum opus manuum, sed spiritalibus virtutibus, humilitati & charitati posthabendum; deinque non laborantem, sed medullitus sincera charitate & humilitate imbutum incomparabiliter præcellere ei, qui laboret manibus, & hinc animo superbiat, & non laborantes aspernetur. *Jam verò de labore manuum quid gloriamini? cum & Martha laborans increpatur, & Maria quiescens laudata sit, &c. Illa oportet agere, & ista non omittere. Alioqui cum aut ista omitti necesse est, aut illa: ista potius amittenda sunt, quàm illa. Quantò enim spiritus corpore melior est; tantò spiritualis, quàm corporalis exercitatio fructuosior. Si ille, quem non laborantem dijudicas, modicum quidem habeat de hac, quæ ad modicum est utilis, corporali videlicet exercitatione; amplius autem, quàm tu de illa quæ ad omnia valet, id est pietate, quis quæso vestrûm Regulam melius tenet? An non melior, qui melior? Qui verò melior, humilior, an fatigatior? An non is, qui à Domino didicit mitis esse & humilis corde, qui cum Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eo? Cap.5 6.* Illud denique annuit, illud Petro Cluniacensi Abbati, de quo mox plura assentitur Bernardus eadem ipsa Regula, qua labor præcipitur, permitti etiam providas & charitate temperatas Abbatum dispensationes, nec fere posse Regulam ita servari, ut non aliquid interveniat indulgentiæ. *Quod si Regulam ab omnibus, qui eam professi sunt, sic ad litteram tenendam censes, ut nullam omnino dispensationem admitti patiaris, audacter dico, nec tu eam, nec ille tenetis.* Itaque non abnuebat Bernardus ipse, clementius interpretandam operis manuum legem, ejusque haud ægrè acquiescendum esse dispensationibus, dum ea labes aliquo charitatis & humilitatis augmento sarciretur.

VI. Petrus Venerabilis Cluniacensis Abbas has obtrectationes, mollitiæque & inertiæ criminationes Ordini suo aspersas diluere & effricare aggressus, nec ipse tamen laudi & pretio invidebat operis manuum. Ita enim ille suadebat, ut se quis totum Deo mactaret, impenderetque contemplatione, & sacrorum codicum scriptione. *Debet is labor valde tibi esse jucundus, nec à tam fructuoso opere aliquatenus corpus cessare: ut dum mens divina meditando, manus scribendo, oculi legendo, lingua loquendo, totus homo interior atque exterior cooperando laborat, holocaustum medullatum Deo offerat: ut qui te totum sæculo subduxisti, integrum te sacrificium Deo impendas.* Erat is tum adhuc pervulgatissimus labor, exscribendi sacros Codices, & sanctorum Patrum Commentarios. Nec abhorret à vero id holocausti instar habuisse, quo totus homo divinis ignibus incenderetur, & in Deum totus iret, toto corde & animo in contemplationem & amorem demerito incommutabilis sursum Veritatis, oculis divinæ legi legendæ addictis, manibus exscribendæ, linguis recitandæ. At cum alibi Petrus idem Ordini suo patrocinatur, ex ipsismet Regulæ verbis luculentè demonstrat, non præcipi laborem, nisi ad inertis otii ignaviam diluendam, atque ex consequenti

eos

nos adprimè satisfacere Regulæ, qui ignavum illud otium dispunguot prece, psalmodia, piorum aliàs operum frequentia. *Otiositatem ne nocere valeat, tam lectione, quàm manuum labore excludere satagit. Dicito ergo, si aliis bonorum operum exercitiis idem potest fieri, non videtur vobis bene Regula servari? Ergo si orando, legendo, psallendo, injuncta religiosè implendo, vel alia qualibet hujusmodi bona agendo animus occupatur, Regula ut dicimus, perfectè servatur; quoniam hac operando Monachus non otiosus, sed bene negotiosus in omnibus comprobatur. L.1. Ep.28.*

VII. Non alius locupletior, aut doctior, ex Petro Cluniacensi, Regulæ Beati Benedicti interpres & executor quisquam fuit, quàm Beatus Maurus, à Beato Benedicto in Gallias ablegatus, ubi & illud suo adhue nomiois Cœnobium excitavit in Andium finibus. Atqui fidissimus hic Beati Benedicti discipulus, cum ea esset Monasteriis suis Gallicanis proventuum copia, quæ alendis Monachis satis esset, non aliis eos, quàm spiritalibus occupationibus illigavit. *Ut quia eis sine proprio labore cuncta necessaria suppeditabant, omisso manuum opere spiritualibus exercitiis exercitati, otiosi non essent, sicque sibi nuper à sancto traditam regulam bona semper operando optimè conservarent. Ibidem.* Ex ipsamet beati Mauri vita approbat Petrus, à Rege Clotario ingentia illi tributa esse latifundia, largè sustentandis Monachis idonea. Addit porro & Beatum Gregorium Papam sex Monasteriis à se exædificatis, tantùm agrorum redituumque adsignasse, quantum alendis, vestiendisque fratribus opus esset; Beato Columbano fuisse etiam vastissima ejusmodi prædia, à quibus tam alieno animo erant Cistercienses; immundis & profanis immunda & profana esse omnia, mundis munda & sacra, perinde ut usus eorum est; Castrum amplissimum jam non Castrum esse, sed Oratorium, ex quo primum tempore dominos & incolas soitretur pios Monachos; denique ne posse quidem Monachos jejuniis & solo leguminum esu marcidos, & viribus exhaustos, asperioribus ruris laboribus ferendis pares esse.

Quæ ab eodem Petro Cluniacensi ad beatum Bernardum super his dissensiunculis scripta est Epistola, *L. 8. Epist. 17.*, mirabili quadam scatet & sapientiæ luce, & dulcedine charitatis. Illud præ cæteris ibi observatur, eò maximè præcellere Beati Benedicti Regulam, quòd charitate quadam singulari & infatigata, Abbates velit saluti maximè animarum consulere, murmura & querelas prævertere, adjecta ad id consequendum cumulatissima dispensandi facultate. *Ecce ipse cui inniteris, Benedictus pater, Abbatem sic omnia temperare jubet, ut anima salventur, & murmur absit.* Oculo Christianæ charitatis, & religiosæ simplicitatis censet ille spectandos esse, nec sine penitiori gaudii sensu Monachos, qui opere manuum ignaviam otii abigunt, Sanctos Patres imitantur, suo se labore transigunt: ac rursus non aliter contuendos eos, qui iis laboribus absoluti sunt, quòd medias incolant urbes, non rura; quòd agros non habeant, eo labore proscindendos; quòd denique piis aliis functionibus ignavi otii invidiam & pericula propulsent. *Simplici oculo & tu aterris, qui hoc opus manuum ex parte postposuisti, quia non in sylvis, nec in desertis, sed in medio urbium & castrorum constitutus, & undique populis circumseptus, nec toties ac toties ire & redire horam operumcunsa per promiscuam utriusque sexus multitudinem absque aliquo, vel plurimo periculo potes; nec insuper opportuna loca, ubi talibus exerceri operibus possis, plerumque possides. Sed ne inimica Religiosis otiositas te vacante locum tibi nocendi inveniat: aut ubi & quando potes, manibus operaris: aut ubi non potes, opus hoc manuum operibus divinis per vices variando compensas.*

VIII. Patebatur & modò Petrus, suos quoque Cluniacenses manibus operari solitos, ubi fas erat, ad inertiam refellendam. *Ubi & quando potes, manibus operaris.* Id & ipse confirmavit Statuto edito in Capitulo Generali. *Statutum est, ut antiquum & sanctum opus manuum, vel in claustris ipsis, aut ubi honestè remoto conspectu sæcularium fieri poterit, ex parte saltem aliqua restauretur; ita ut omni tempore præter festivos dies, quibus operari non licet, quolibet semper fratres utili opere exerceantur. Bibl. Clun. p. 1365.* Ejus statuti ratio paulo post subjicitur, quòd antè cum tantum periculi immineat Monachis ab otio & supinitate, eorum, nec non & Conversorum maxima pars *præter paucos legentes, & raros scribentes*, dies totos contereret ignavis confabulationibus, nonnunquam & obtrectationibus.

Cum denique idem Petrus alibi in laudes effunditur Carthusianorum, & eorum obiter statuta commendat, fatetur quidem eos orationi, & lecti oni intertexuisse opera manuum, in scribendis maximè libris: *Ubi silentio, lectioni, orationi atque operi manuum, maximè in scribendis libris irrequietè insistunt. De Mirac. L. 2. c. 28.* Sed illud præfatus fuerat; Cœnobiorum eos suorum fundamenta jecisse, comparandis adjacentibus agris, gregibus, armentis, quantum necesse esset ad sustentandos duodecim Monachos, Priorem, duodeviginti Conversos servosque paucos conductitios; certi tum quidem eo sese numero coarctare, ne cum agrorum incrementis sollicitudines, litesque augescerent. *Et ut non esset eis quandoque necessarium, vel plus terræ, quàm dictum est, possessioni suæ addere, aut numerum jumentorum suorum, vel pecorum augere, duodecim tantùm Monachos cum decimotertio Priore, ac decem & octo Conversis, paucisque mercenariis, nullo prorsus superaddito, in sui ordinis Monasteriis perpetuo esse decreverant.* Ad manum sunt variæ Collectiones Statutorum Carthusiensium, ubi operis, maximè scribendorum librorum horæ definitæ sunt. Prioribus hujus Ordinis statutis, à Guigone quinto Generali compilatis, affirmatur, quot libri conscribuntur à Monachis, tot Evangelicos Prædicatores in orbem disseminari, quorum omnium fructus spiritales ad Antiquarium & Exscriptorem redeant. *Quot enim libros scribimus, tot nobis veritatis præcones facere videmur, sperantes à Domino mercedem pro omnibus, qui per eos vel ab errore correcti fuerint, vel in Catholica veritate correcti profecerint; pro cunctis etiam, qui vel de suis peccatis & vitiis compuncti, vel ad desiderium fuerint patriæ cœlestis accensi. Cap. 28. so.* Unde & ipsos Scriptores consentaneum est, creberrimis ad Deum precatiunculis laborem suum interpuogere, quò el oguibus his Concionatoribus largior benedictionum cœlestium copia infundatur. *Quæ tamen opera brevibus volumus orationibus interrumpi, &c. Semperque in operando ad breves & quasi jaculatas licet orationes recurrere.*

Ex quibus omnibus illud emicat, nec Cluniacenses omnino ab opere cessasse, nec Cistercienses, vel Carthusianos labori incubuisse, ad vitam tolerandam, & ad dimittendos pauperibus reditus prorsus omnes, ex fidelium largitate manantes. Nec enim his Ordinibus labor manuum erat, nisi inertis otii & supinitatis medicamentum, aut nonnunquam qualecumque subsidium & levamentum ad vitæ necessitates.

IX. De Herluino fundatore & primo Abbate Beccensis Cœnobii differens Willelmus Gemmeticensis, & de Anselmo ejus successore, illos ait expletis divinis Officiis, contulisse se ad agrorum colendorum labores asperrimos, solo pane, herbisque aqua & sale temperatis & coctis vitam tolerantes. *Videres peracto in Ecclesia officio Abbatem col-*

lo

'o sementem, manu rastrum vel sarculum gestantem ad agriculturam praire; Monachos omnes rursus operi sub dies terminum insistere. Sentibus & spinis alii agrum emundabant, alii fimum scapulis comportantes spargebant; hi sarriebant, illi serebant, nemo panem abjumebat in otio. Ad horam agendi officii in Ecclesia omnes ad unamquamque conveniebant. Victus quotidianus panes siligineus, & herba cum aqua & sale. Spicil. tom.4. p.78. L.1. c.4. Hæc fuere admirabilia prorsus ejus Cœnobii exordia; cui postea tantum donorum ingestum, tantum opum accumulatum est, ut unus postea fuerit labor libros scriptitantium, ut author est Ordericus Vitalis de compluribus aliis Normanniæ Monasteriis, ubi Antiquariorum istorum perdiu floruit memoria, & eorum, quos illi effinxerant alumnorum. *Et ejus schola excellentes librarii, id est, Berengarius, qui postmodum ad Episcopatum Venusiæ provectus est, Goscelinus, &c. Et exemplis suis ad simile studium futuram juventutem salubriter exhortati sunt. Script. Norman. l.6. an.1034. p.470. 480. 711. 712. 713.* Refertur ab eodem Orderico paulò inferiùs sermo Roberti Abbatis Molismensis ad Monachos suos, quando inflammare illos voluit ad complectendam strictissimam Beati Benedicti Regulæ observantiam, atque in primis diligentiam operis manuum. At mox ibidem ille subjicit Monachorum responsionem, cujus à me non hîc promentur nisi paucissima hæc verba, ubi laboris detrectationi, & cessationi suæ patrocinium accersunt ab exemplo Sancti Mauri, qui centum quadraginta Monachos alebat proventibus agrorum, quos ingenti ei copia Galliæ Reges & Optimates addiderant; uti à Carolo Magno & successoribus ejus optima dote instructæ fuerant Abbatiæ complures, ut Monachos occupatos, & distentos haberet oratio & psalmodia, rusticos agricultura. *Dagobertus Rex & Theodoricus, atque Carolus Magnus Imperator, atque alii Reges, & angusta Cœnobia devotè condiderunt, & de suis redditibus ad victum & vestitum servorum Dei ubertim erogaverunt, multitudinemque clientum ad exteriora ministeria pleniter explenda subjecerunt, Monachosque lectionibus & sacris orationibus pro cunctis benefactoribus suis, & cœlestibus mysteriis intentos esse instituerunt. Exinde Principum institutione & diutina consuetudine usitatum est in Gallia, ut rustici ruralia sicut decet opera exerceant, & servi servilia; Monachi autem qui sponte relictis hujus mundi vanitatibus Regi Regum militant, claustralibus septis ut filiæ Regis quietè insideant, arcana sacræ Legis legendo perquirant, &c.* Vereor ut talis bellè peroraverint in sui otii defensionem Monachi Molismenses. Certè duodecim tantùm ex eis Robertus Abbas abducere potuit ad Cistertii ponenda fundamenta.

X. Ab Hermanno Monacho proditum est, usque adeo in opus & laborem efferbuisse primùm Cistercienses, ut cujusdam Cœnobii Sanctimoniales, robore suprà sexum, animo supra fidem instigato terram proscinderent, agros colerent. *Non solùm nendo & texendo, quod fœmineum opus esse constat, sed etiam in agris fodiendo, & cum securi & ligone silvam succisam extirpando, spinas & vepres evellendo, manibus propriis assiduè laborantes, cum silentio victum sibi quærunt, vitamque Clarevallensium Monachorum per omnia imitantes, in semetipsis ostendunt verum esse Domini sermonem, quia omnia possibilia sunt credenti. Inter opera Guiberti Abbatis pag.552.* Non facilè quis hæc vel admiratione, vel laudibus æquaverit. Erat utique ardor ille in novis Cisterciensibus frequentior Monasteriis, quàm in vetustis Cluniacensibus, ubi nunquam tamen penitus restinctus fuerat. Sed ferè his persuasum erat, non tam strictæ necessitatis esse laborem manuum.

Ex adverso autem Lanfrancum narrat Vuillelmus Malmesburiensis, Monasticæ vitæ amore inflammatum fuisse conspecto Herluino Beccensi Abbate, dum ad coquendos panes succinctus esset, & manus fimo oblitas haberet. Tunc ille in Beccensi quidem Cœnobio professus est, sed cum agresti operi par non esset, Scholam Dialecticæ aperuit, in quam non discipuli tantùm confluxere, sed opes & dona, proventusque, quibus tenue priùs Cœnobium valde locupletatum est. *Ex omni Abbatiarum copia Beccum elegit, paupertate loci & Monachorum religione motus. Siquidem eo fortè adveniens Abbatem Herluinum ad coquendos panes succinctum, & manus fimo oblitum conspicatus est. Factus est ergo ibi Monachus homo, qui nesciret agresti opere victum quærere, publicas scholas de Dialectica professus est, ut egestatem Monasterii scholarum liberalitate temperaret. De Gestis Pont. Angl. L.1. p.205.* Anselmus, qui ex Abbate Beccensi, in Ecclesia postea Cantuariensi Lanfranco suffectus est, nec ipse à natura factus ad laborem erat; at verò in cœlestes disciplinas prorsus demersus, perque ut Lanfrancus, ad summas Ecclesiæ dignitates grassatus est, non labore manuum, sed tum virtutibus Monasticis, tum Ecclesiasticarum disciplinarum peritia quadam singulari. Intererat ergo ad Ecclesiæ amplitudinem, & ad effingendos Præsules, Lanfranci & Anselmi similes: ut operis manuum immunes essent, quorum natura, indoles, ingenii proclivitas aliò propendebant, & majus aliquid pollicebantur.

Operosius Rupertus Abbas quæstionem hanc pertractavit, ubi & id ab eo concluditur, permitti magis, quàm præcipi opus manuum in Regula Sancti Benedicti; quod à verisimili non abhorret, quoad ea saltem opera, quibus inopiæ in Monasteriis consuleretur. In locis enim à Ruperto laudatis, non ablegat Regula ad laborem, nisi ubi urget necessitas. *De illo opere manuum, quo maximè victus acquiritur, quod est arare, seminare & metere, silvasque succidere, perspicuum est, quia non est B. Benedicti præceptum, sed tantummodo permissum, sive patientiæ consilium. In Reg. S. Bened. L.3. c.5.* Nec Rupertum latuere, quæ à nobis superius dicta sunt de B. Gregorio & de Apostolis, nec non & de B. Mauro. Quæ fuerit Petri Damiani sententia jam diximus; elaborata ab eo cochlearia lignea, & ad summos ipsos Pontifices muneris instar missitata, satis declarant, labore illum manuum delectatum esse, ad fallendum otium, & eremi tædium diluendum. De his, si vacat, vide Annales Baronii. *Anno 1061. num.54.* Fatetur Hugo Victorinus, quibus res aliunde ad vitam suppetit, iis fas esse ex Augustino, spiritales functiones operi manuum anteponere. *Non malè agunt, qui opera exteriora pro spiritualibus postponunt, cum habeant, unde vivant: quia Maria optimam partem elegit. Quæst. in Epist. 2. ad Thessal.*

XI. Mirabatur Stephanus Tornacensis, nec injuria, Grandimontensium paupertatem eximiam, & laboris manuum diligentiam ac fervorem. *Beata paupertas eorum, quæ licèt eos fame premat & frigore, non tamen aut mendicare compellit, aut divitibus adulari. Suis ac suorum manibus victum exquirunt & vestitum. Epist. 1.* Præmonstratenses certis ac diffinitis horis laborasse author est Jacobus de Vitriaco. *Temporibus determinatis & horis certis ad labores manuum egrediuntur. Hist. Orient. c.22. 24.* Quod & affirmat similiter de Canonicis Sancti Victoris apud Parisios. *Certis temporibus & horis constitutis infra terminos suos manibus suis corporaliter laborant.* Præmonstratenses Constitutiones horas præfigunt laboris, tempore potissimum messium, sive intra, sive extra Monasterium. Ubi ager metendus remotior erat ibi prandebant, Vesperas de-

cantabant, & advesperascente die domum redibant. *In tempore secationis & messis, quando necessitas operis exegerit &c. Bibl. Præmonst. p. 790. 791. 843. 844. 893.* Soli infirmi eximebantur, & Officiales Claustri. Eo ipso porro tempore, quo messores in agro ipso Horarum canonicarum penso fungebantur, Amanuenses, Scriptores, aliique qui domi remanserant, easdem concinebant in Choro. *Scriptores & qui intus remanent, cursim in scapularibus horam canteat.* Constitutiones ejus Ordinis posteriores sub Alexandro VI. & Julio II. copiam fecere Abbati, ut veniam faceret laboris, dum suos tamen curaret interim operam navare scriptioni, lectioni, functioni denique honestæ cuipiam & fructuosæ.

CAPUT XVI. *P. 4. l. 4. c. 4.*

De Monachorum labore manuum post annum Christi millesimum ducentesimum.

I. Quod fuerit apud mannum Pauperum de Lugduno, Humiliatorum, Franciscanorum, Dominicanorum.

II. Quid laboris præcipiat Regula B. Francisci.

III. Luculentissima B. Bonaventura placita de labore manuum, & de iis qui ad eum compelli possunt.

IV. Doctrina B. Thomæ in eandem rem.

V. De testamenta B. Francisci, & de quibusdam Regulis Ordinum Religiosorum.

VI. Probatur ex Conciliis non posse mendicantes cogi ad laborem.

VII. Mira Ecclesiæ consensio & constantia doctrina ab initiis usque suis. Quid hinc adversum inferri possit.

VIII. Græcorum doctrina & usus.

I. NOva concertatio in Ecclesia exarsit, cum primùm nobilissima hinc & hinc B. Francisci & B. Dominici nova soboles orbi illuxit. Quibus necdum exploratum erat, quantum hi à vetustis Monachis toto instituto differrent, in id ferè propendebant, ut eos labori subjicerent. At qui oculatiores erant, attendebantque horum jam propositum esse primarium, ut prædicarent, rudes imbuerent fidei elementis primis, procurationi animarum servirent, Pastoribus subsidio essent, unde nec Monachi, sed fratres dicebantur: ii facilè intelligebant, quanto illi intervallo disjungerentur. Ad annum 1212. refert Urspergensis Abbas pro duabus prioribus Congregationibus, sive Sectis, quæ Humiliatorum & pauperum Lugdunensium dicebantur, quorum opinio ingens in orbem Christianum permanaverat, cum illi precatione, hi paupertate præcellerent, qui tamen postea ita in varios deviarunt errores, ut ab Ecclesia proscripti sint: duas emersisse in speciem quidem similes Congregationes, quòd altera prædicationi, altera Evangelicæ paupertati se specialius dedicasset: at re dissimillimas, singulari potissimum fide & observantia Sedis Apostolicæ. Pauperibus de Lugduno successisse visi sunt Franciscani, Dominicani Humiliatis. Prædicationi simul & operi manuum dedtii erant Humiliati, sed imperitia orthodoxæ doctrinæ & contemptu Pastorum Ecclesiæ id assecuti sunt, ut fidelium albo expungerentur. Dominicani, qui & Prædicatores dicti, cum non possent munere fungi, nisi plurimum operæ in literis, librisque pervolutandis ponerent, non potuere vacare operi & labori manuum, libris exscribendis. *Humiliati rudes & illiterati cum essent, operibus manuum insistebant & prædicabant, accipientes necessaria à suis credentibus. Isti verò Prædicatores studio & lectioni sacræ Scripturæ jugiter insistentes, tantùm in scribendo opus faciebant.* . . .

II. Annalibus suis intexuit Matthæus Paris Regulam B. Francisci ad annum 1227. Quo Capite agitur de opere manuum, id sancitur, ut quibus cœlitus dono datum erit ut laborent, ii piè fungantur eo officio, ad inertis otii pericula declinanda, ut ne suavitas orationis, quo condiendus est labor, dissipetur. Quod ad operis salarium attinet, nonnisi ad Cænobii necessitates accipiant, & ne pecuniam unquam accipiant. *Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter & devotè, ita scilicet ut excluso otio animæ inimico, sanctæ orationis & devotionis spiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deservire. De mercede verò laboris, pro se suisque fratribus corporis necessaria suscipiant, præter denarios, vel pecuniam.* Hæc ad eos pertinent, qui operas suas aliis locant, & qui ejus operæ pretium ac mercedem accipiunt, sive agrum coluerint, sive aliquid artis exercuerint. A non omnibus Regularibus tantum industriæ aut roboris suppetit. Ideo nec omnes Regula ad laborem invitat; & qui invitantur, ii excutiendæ potissimùm inertiæ excitantur necessitate. Itaque Regulæ satisfaciunt, si qua ratione alia decora ignaviam abigant. Vir denique cælestium amore inflammatissimus ipse, & alios omnes inflammandi cupidissimus: his Regulæ suæ verbis ita rem suspendit ac temperavit, ut nihil nimis urgeret, ne officeret labor ei cælestium Mysteriorum meditationi, & salutis animarum curæ, quam fratribus suis enixissimè præ cæteris rebus omnibus commendabat.

III. Etsi nunquam calamum armassent B. Bonaventura & Sanctus Thomas in Ordinis quisque sui defensionem super quæstione tunc vexata laboris manuum: ipsa Theologica eorum monumenta literis & æternitati commendata, invictissimi speciem propugnaculi præ se ferre potuissent. De iis Scholæ Theologicæ duobus luminibus hic dici potest, quod superiori Capite de Lanfranco & de Anselmo diximus. Non potest Ecclesia his carere luminibus citra ingens rerum suarum & gloriæ detrimentum. At ejusmodi lumina non parit labor manuum. Immortalia Thomæ & Bonaventuræ opera Ecclesiam usque ad exitum sæculi illustrabunt; & insaniat necesse est, qui contendat eos operi manuum operam potiùs suam & industriam manusque dicare debuisse. In commentando Capite suprapositio Regulæ B. Francisci, contendit Bonaventura, ita suspendi & librari verba ejus, ut eò non minùs, prædicatio verbi divini, quàm labor manuum contineatur. Ita quidem ille *in Expositione in Regulam c. 5.* At quibusdam idem alibi satisfaciens *Quæstionibus circa Regulam, Quæst. 15.*, cessationem laboris exprobrantibus, respondet fidentissimè cessare neminem à labore, sed in opus gnaviter omnes incumbere, vel prædicatione, vel administratione Sacramentorum, vel oratione, vel studio, vel arte aliqua, jam ut nemo ignaviam objectare possit, aut conqueri eleemosynis Ecclesiæ inertes ali. *Cur non laboratis manibus pro victu, ut non sitis Ecclesiæ onerosi in eleemosynis petendis? Respondeo, si de pura labore manuum deberemus vivere, tantùm urgeret nos operis instantia, quod aliorum lucris intendere non possemus, nec Divina Officia liberè celebrare, nec orationi liberè vacare. Cum enim ad confessionem vel ad prædicationem frater vocaretur, respondere cogeretur, Opus meum, quo victum meo bodie deservire debeo, nondum explevi: & ille, cui laboro, priusquam deserviam non dabit mercedem de-*

be-

bitam, ideo non possum venire. Aliàs autem omnes præter infirmos laborabant, alii in studio, ut fideles erudiant; alii in divino officio, & laudibus Dei, alii in colligendis eleemosynis pro sustentatione communi, alii in officiis domesticis & infirmis & sanis ex injuncta obedientia ministrantes, quidam qui sciunt artes mechanicas, pro fratribus & extraneis exercentes, sicut mutuò cooperantur inter se formicæ & apes: quidam ex obedientia missi diversas terras perambulant, cum alios nuntios idoneos non habeamus, & sic nullus impunè permittitur otiosus. Quæ Bonaventuræ verba illud perspicuè declarant, etsi labor manuum exolevisse videatur, reapse tamen in his Sacris Congregationibus laborare omnes. Postremò denique objectionem ex libro Augustini *De opere Monachorum* petitam ita refellit Bonaventura, ut demonstret ab eo non subjici operibus manuum eos, quos sors ipsa nascendi ei necessitati subduxerat, aut qui Ecclesiasticis ministeriis occupantur; sed illos duntaxat, qui ante suam in Cœnobiis professionem opere manuum vitam tolerabant. Ejusmodi hominum multitudinem ait Bonaventura tempore Augustini fuisse innumerabilem, fuisse & permagnam ineunte Ordine B. Francisci, suo verò jam ævo exiguo admodum eos esse numero. En ipsa Augustini verba à B. Bonaventura relata: *Quamobrem illi, qui relicta sive ampla, sive qualicumque opulentia, inter pauperes Christi vivere voluerint, si corpore valent, & ab Ecclesiasticis occupationibus vacant, sed manibus operantur, misericordius agunt, quàm cum omnia sua indigentibus diviserunt. Quod si nolunt, quis audeat cogere? Illi autem qui præter istam sanctam societatem, vitam labore corporis transigebant, si non laborant, nec manducent.* Ex quibus hæc efficit Bonaventura in libello de Paupertate Christi contra Magistrum Guillelmum. *Qu. 1. art. 2. Apparent igitur, qui sunt astricti, scilicet validi & fortes, & qui ab Ecclesiasticis occupationibus vacant, & qui vitam in sæculo de labore corporis transigebant; & tales multi erant inter illos Monachos, & plures erant in exordio Religionis Minorum Fratrum, & ideo ad laborem arctandi. Nunc autem comparatione aliorum paucissimi sunt tales, & ideo non est contra Apostolum, si talibus conceditur simpliciter mendicare.* Cumque rursus objiceretur posse eleemosynis & collectis abstineri si strenuè & impigrè in opus incumberetur, respondet ille, permodicos esse sumptus hominum necessario contentorum: longè verò majora futura fuisse impendia, si pro Monastica, Clericalem hi vitam amplexati essent, & Ecclesiæ Beneficiis pascerentur. *Nec tales gravant populum Domini & Ecclesiam, maximè si nihil altra necessaria petant; quia multò plura expenderent & consumerent de eleemosynis pauperum, si Clerici in sæculo in Beneficiis Præbendalibus remansissent.*

IV. Ordinis quoque sui defensionem arripuit B. Thomas adversùs eos, qui ad opus manuum tanquam ex ineluctabilis legis imperio vocabant. Contrà autem ille demonstrat, B. Benedictum tres primùm annos in antro egisse à labore & opere feriatum, à Romano Monacho accipientem necessarii cibi subsidia, ut refertur à Gregorio Magno. Ab Augustino necessitati operis eos subduci, quibus ante conversionem idonea res erat familiaris, qua sine opere vitam sustentarent. *Augustinus dicit in libro de Opere Monachorum, Illi, qui saltem habebant aliquid in sæculo, quo facilè sine opificio sustentarent hanc vitam, quod conversi ad Deum indigentibus dispartiti sunt, & credenda est eorum infirmitas, & ferenda.* Fateri Augustinum posse Monachos jure suo de Altari vivere, si verbi prædicationi incumbant. *In libro de Opere Monachorum de Religiosis loquens, dicit, si Evangelista fateor, habeat scilicet potestatem de sumptibus fidelium vivendi.* Ita B. Thomas in libro contra impugnantes Religionem. Ab Hieronymo quoque illud subjicit affirmari, vetustissimi fuisse moris inter Hebræos, ut qui legem Dei nocturnis diurnisque horis meditarentur, piis illi Synagogæ largitionibus alerentur; qui mos idem in Ecclesia obtinuisset. *Dicit Hieronymus in Epistola contra Vigilantium. Hæc in Judæa usque hodie perseverat consuetudo, non solùm apud nos, sed etiam apud Hebræos, ut qui in lege Domini meditantur die ac nocte & partem non habent in terra nisi solum Deum, Synagogarum & totius orbis foveantur ministeriis.* Reliquas ejus Apologiæ partes missas facio, ubi declarat Sanctissimus Doctor posse fundos aliquos à Monachis possideri in commune, posse oblationes & eleemosynas spontaneas accipi, posse collectas fieri, & labore tamen manuum supersederi, ea, qua dictum est ratione. Eadem hæc omnia pertractavit & in Summa sua Theologica B. Thomas. 2. 2. q. 187.

V. In magno Bullario ad calcem Bullæ Honorii III. qua confirmatur Regula Sancti Francisci, additum est testamentum ejusdem viri sanctissimi. Præstantissimè ibi declaratur quo ille ferveret amore in opus manuum, quàm lubens ipse ei vacaret, quàm frequens fratres ad id cohortaretur, quàm providè & cautè verba libraret, ne eos præcepti vinculo obligasse videretur. *Et ego manibus meis laborabam, & volo laborare, & omnes alii fratres mei firmiter volo, quòd laborent, de arbitrio, quod pertinet ad honestatem. Et qui nesciunt, discant, non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed propter bonum exemplum. Et quando non datur nobis pretium laboris, recurramus ad mensam Domini, petendo eleemosynas ostiatim.* Confirmata est ab eodem Honorio III. & Regula Carmelitarum, ubi præceptus non est labor manuum, sed eadem sobrietate non præcipiendi, nisi ubi non aliter declinari potest ignavi otii periculosissima inertia. *Faciendum est vobis aliquid operis, ut semper vos diabolus inveniat occupatos; ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat invenire.* Anno 1253. confirmata est ab Innocentio IV. Regula Sanctæ Claræ Monialium Franciscanarum. Caput, quo de Opere manuum agitur, iisdem pene verbis expressum est, quo & in Regula B. Francisci, hac addita clausula, ut in locum Capituli comportent Moniales, quidquid operis perfecerint.

VI. Viclefi multiplicem insaniam damnavit Concilium Londinense anni 1382. in his & illud erat, Cogendos esse Fratres, sive Mendicantes labori manuum se dedere, & à mendicando cessare. *Quòd Fratres teneantur ad laborem manuum, & non per mendicitatem victum suum acquirere. Intelligendo istam propositionem universaliter sicut prius, concedimus quod sua est error.* Quæ eadem propositio anno 1415. in Concilio Constantiensi proscripta fuit: *Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere & non per mendicitatem.* Censura Concilii his verbis exprimebatur. *Sess. 8. Prima pars est scandalosa & præsumptuosè asserta, pro quanto sic generaliter & indistinctè loquitur; & secunda erronea; pro quanto asserit mendicitatem fratribus non licere.* Ex Bulla Leonis X. apparet hos errores à Lutero innovatos fuisse adversùs mendicitatem Religiosorum. Concilium Coloniense anno 1536 Monachis & Monialibus opus manuum accuratissimè commendavit, ut piis & nunquam interruptis occupationibus muniti, septique essent adversùs omnes tentationes. Si Ægypti enim olim Monachi arctissima se lege & inexorabili necessitate ad hoc opus manuum constringebant, ad animarum multò magis id salutem, quàm ad corporis sustentationem

per-

pertinebst. *Monachae & Monacha debeat amare Scripturarium scientiam, semper aliquid opeeis facere, ut eos diabolus semper inveniat occupatos. Et ut nulla fiat, qua manibus opeeari liceat, libros tamen sacros describere ipsis maximè conveniret; ut & manus operetur cibos, & lectione anima saturetur. Porro Ægyptiorum Monasteria hunc morem servasse leguntur, ut nullum Monachum absque opere & labore susciperent, non tam propter victus necessaria, quàm propter animæ salutem, ne perniciosis cogitationibus vagaretur.* Part.10.c.16.

In Concilio Tridentino sancitum est, sive aliqua, sive nulla immobilia fiat Cœnobiia, ne plures ad professionem admittantur, quàm quanti ex reditibus, vel ex consuetis eleemosynis ali possunt. *Is tantùm numerus constituatur, vel in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.* Sess.25. Labor ergo manuum Tridentinis Patribus pro nibilo reputatur, quod ad victum attinet. Nicolaus III. Decretali famosa *Exit qui seminat*, tria observaverat vitæ sustentandæ adminicula in Regula B. Francisci, spontaneas oblationes, collectas, laborem. At Tridentina Synodus, cum jam ferè in desuetudinem abisset illa victûs manu & arte quærendi prior ratio Monachorum, non suam illa quidem interposuit autboritatem, ut eam restitueret, sed eam quasi mediam orbitam trivit, ne numerus ultra modum excrescens Monachorum vix jam, aut nec vix ali posset, non laborem manuum exaggeravit, sed numerum Monachorum imminuit, pro modulo redituum, vel spontanearum oblationum. Frequentiùs aliquantò Monialium Cœnobiis inculcatus est manuum labor, ut videre est in Concilio I. Mediolanensi; *Constitut. Part.3. c.4.*, sed dilucidum est, eò hæc spectare, ut ne otio torpeant, & inertiæ serviant Sacræ Virgines, quibus inviæ sunt & inaccessæ functionea Ecclesiasticæ, quibus Monachi vel exercentur, vel præparantur.

VII. Operæ meæ pretium fore duxi, si seriem hanc continuamque contextionem Ecclesiasticæ traditionis hîc explicarem de labore & opere manuum, tum Clericis, tum Monachis commendato, ut hinc validissimè muniretur ratio nostra superior interpretandi Canonea Conciliorum super ea re editos, inter ipsa prope Ecclesiæ incunabula. Non potest enim non permira videri consensio illa tanta & concordia Decretorum Canonumque, tot volventibus sæculis, tanta regnorum Christiani nominis vastitate. Non facilè hæc consensio animadvertitur, quaodiu se suis quis finit fascinari præjudiciis, ac præsumptis animo opinionibus, nec in eam respirat unquam judicii & examinis libertatem, qua potissimum se nobia perspicna veritas manifestat. Sed illud mihi quidem persuasissimum est, si quis æqua lance ponderaverit, quæ hactenus de labore manuum huc congesta sunt, non addubitaturum posthac illum, quin omnibus ferè de his convenerit, quanquam aliquid nonnunquam jurgii conflatum, moxque diflatum sit.

1. Laudibus semper in cœlum evectos fuisse Clericos, qui oratione, lectione, & alio quovis Clericatus officio perfuncti, reliquas boras conferrent ad aliquod opus manuum. 2. Fuisse sæculis omnibus retro lapsis non paucos etiam Episcopos, qui certas diei boras labori consecrarint. 3. Clericos nullo unquam præcepti vinculo ad laborem compulsos fuisse, dum oe interim illi honesta vel occupatione destituerentur, vel sustentatione. 4. Tantò labori huic addictiores fuisse Monasticas Congregationes, quantò professione ipsa sua expeditiores essent à sacris functionibus, ab administratione Sacramentorum, à prædicatione verbi, ab animarum regimine; seque ipsæ sponte sua pœnitentiæ & religioso secessui devoverant. 5. Quæ ante quingentos plus minus annos efflorescere cœperunt Regulares Congregationea; eas non potuisse labori manuum tam liberè & diu servire, quàm illas antiquiores, quòd Clericalibus functionibus posteriorea istæ implicatiores essent, suo ipso ex instituto. 6. Et tamen in his posterioribus Congregationibus institutiones semper ejusmodi aliquas viguisse, quibus pia laboris consuetudo utcumque retineretur. 7. Sed nec his, nec illis Congregationibus ulla unquam lege certa & indeclinabili præscriptus est labor; à quo alieniores semper, vel liberiores fuere, quæ sacris altarium ministeriis magis innexæ fuere. 8. Si quis obstinatius contendat in antiquioribus saltem Cœnobiis Monachorum, non Fratrum, præcepti fuisse laborem, Regulæ verbis ad summum quendam rigorem contortis; illud saltem in confesso erit, ei non aliàs locum præcepto fuisse, quàm ubi non aliter honestè poterat vel parari cibus, vel otii damnosa supinitas vitari. 9. Ante excogitatam Typographiam laudatissimum, usitatissimumque laborem fuisse in exscribendis libris versatum, vel in id genus piis opusculia proprio marte lucubrandia. Cui labori finitimus & cognatus habitus est, studendi, librosque pervolutandi usus, ad mentem sempiternæ veritatia rivulis & deliciia irrigandam, unde & in proximos aliquando effunderentur. 10. Priscis illis sæculis, quibus potissimum servebat opus & labor manuum, nunquam eò adacti sunt, qui ab ortu, qui à puero alieni fuerant ab ejusmodi artificiis; qui magnis, aut aliquantis opibus abdicatis io Claustra secesserant; non adactos denique fuisse, nisi eos, qui ante professionem manibus victum quærebant, & quibus Monastica professio laboris levamentum fuerat, non additamentum. 11. Monialibus instantiùs commendari laborem necesse fuit, quòd non aliter ferè exitialem otiositatem effugere possint. 12. Cum Concilio Constantiensi & Tridentino affuerit, præfueritque idem veritatis & charitatis Spiritus, qui antiquis Conciliis Carthaginensi & Turonensi, nihil nobis valde verendum est, nequid ea inter se Concilia collidantur. Itaque prope à vero abest, si ne Monachis quidem posteriora hæc duo Concilia laboris præceptum imposuere, multò minùs illud Clericis inflictum fuisse à prioribus illis duobus. Si qui verò velint ab antiquioribus illis Conciliis Clericos ipsos labori manuum astrictos fuisse, non facilè hi explicabunt, quî Concilium Constantiense diro eos fulmine perculerit, qui eam necessitatem Monachis indicebant: quî denique Concilium Tridentinum Monachos sinat, sive fundos habeant, sive non habeant, solis eleemosynis sustentari, atque ita toto labore manuum supersedere. 13. Cum non privati modò aliqui, jam inde à quarto, quintoque sæculo, sed cœtus numerosissimi professi sint, totos se in lectionem, & in meditationem abdere Scripturarum, atque in æternorum contemplationem, cujusmodi fuit illa Beati Martini Monachorum Congregatio; ita fuere posteriori hoc ævo, sunt eruntve, & privati & cœtus religiosi tum Clericorum, tum Monachorum, qui otium labori, contemplationem labori consociabunt.

VIII. Orientalibua Monachis fuit semper, estque etiamnunc usitatissimus manuum labor. Narrat Gregorius Pachymeres Arsenium Patriarcbam Constantinopolitanum Synodico judicio abdicatum, Patriarchali exisse Palatio, id efferentem, quod intulerat, ex Cœnobio cum suo ad eum apicem raperetur, palliolum, pugillares, tres nummos, quos manibus & artificiolo lucratus fuerat. *Nos palliolo, pugillaribus & tribus nummis, mercede opera nummaria describendo psalterio locata, qua omnia juxta Monasticam Regulam priùs possidemus, quàm Patriarchales ædes ingrederemur, ut propriis resumptis, eximus.* L.4.

L. 4. c. 7. Manibus ergo & ipse ante operabatur, cum Monasticam vitam ageret, libros scriptitabat, divendebatque, ut eo pretio haberet, quibus vesceretur. Viderint Græci Monachi, an ex hoc negotiolo proprietarii tandem evaseriot; sed illud compertissimum est, in opere quidem manuum illos multò exercitatiores esse Monachis Latinis, at tantò densioribus vicissim ignorantiæ tenebris insepultos esse. Nec ea mihi mens est, cum spiritali vita, & sacris disciplinis copulari non posse laborem manuum, si per horarum intervalla dispensetur. Græci & Orientales Monachi ita universim jamdiu toti immersi sunt, hi agrestibus operibus, hi inertissimo otio, ut verè utriusque meritissimo illacbrymandum sit, & eorum quoque dolendæ sint vices, quos labor ipse manuum altissima ignorantia oblimavit. Orientalis erant originis illa Monachorum Beati Basilii Cœnobia in Diœcesi Hispalensi, quorum anoo 1603. à Clemente VIII. Pontifice confirmata sunt statuta, quibus laborum suorum fructu & pretio victitare jubentur. Assensus est Pontifex peculiare hoc statutum condi potuisse. *Declaramus Monachos Sancti Basilii ex peculiari sua Regula instituto ad victum propriis manibus parandum saltem in communi teneri.* Quod declaravit Clemens iis potissimum artibus actitari debere, quæ in Cœnobio ipso exerceri possunt, vel agris colendis, quod intelligitur de cultu frumenti, vini, mellis, olei, & aliarum id genus frugum terræ. *Faguan. in l. 3. Decret. Part. 2. p. 396.*

De Negotio licito, aut illicito Clericorum.

CAPUT XVII. *P. 1. l. 4. c. 4.*

De negotio Clericis vetito, per priora quinque Ecclesiæ sæcula.

I. Negotio Clericis interdicitur, quòd eo plerumque ditescere gestiant.

II. Et illud audique lancinent sollicitudines.

III. Illud denique valleut complura peccandi discrimina.

IV. Prædicatione verbi divini sustentari, non id negotium dicendum est.

V. Repudiata est ab Augustino hæreditas, quæ navibus constabat, quod tormentis inquirendum esset in nautas naufragio elapsos.

VI. Quodque id negotii genus curarum spinis implicatissimum sit.

VII. Damnat Hieronymus negotium Clericorum.

VIII. Illud subinique fert animo Epiphanius inter fideles; Leo Magnus pœnitentibus prohibet.

IX. Toleratum tamen est ab Ecclesia, quibusdam etiam Imperatorum privilegiis cohonestatum negotium Clericorum, eo modestiæ fine sese cohibens, ut vestes sibi & necessarias escas pararent.

X. Fatetur Augustinus alias artes eisdem pene patere periculis, quibus & mercaturam.

XI. Itaque innocua per sese mercatura, innoxium sua sponte negotium est, si adventitia modo vitia & cupiditatum contagia abstergeantur.

XII. Nefas est Clericos sæcularium Conductores, Villicos, aut Procuratores esse.

XIII. Possunt tamen si modicus sit ager.

XIV. Possunt & ingentium Ecclesiæ possessionum.

XV. Bona pauperum administrat pacata & tranquilla charitas, non divitiarum tumultuosa cupiditas.

XVI. Hieronymi placita in eam rem.

XVII. Suavissimum & mirum certamen Severi Sulpitii, & Beati Paulini, utrum elimatioris esset perfectionis, sua vendere & dare pauperibus, an Patrimonia servare, & eorum proventibus pauperes pascere, ex domino jam provisorem factum, & administratorem.

XVIII. Antedictorum summa ex Concilii Calchedonensis Canone.

I. PER Concilii Carthaginensis Canones non licet Clericis nisi agricolis esse, aut utcumque honestis & liberalibus artificibus. *Victum & vestitum artificiolo, vel agricultura sibi quærat.* Ex quo facilè intelligitur negotio illis interdici. Ejus rei ratio his ipsis verbis includitur, Clericum enim cibo & veste mediocri contentum esse æquum est: *Victum & vestitum quærat.* Permodici cultura agelli, vel artificioli aliquid ad id quidem plus satis est. At finis fructusque negotiationis aucupium est ingentium opum, à quarum concupiscentia procul eos esse par est, quorum portio Deus est, quorum thesaurus optatissimus Christi paupertas.

II. Priori huic rationi aliam adjicit Ambrosius, à sollicitudinibus, curis & tumultuosis cupiditatibus petitam, à quibus sejungi vix, ac nec vix potest negotium; cum Clericos æquum sit mente esse libera, & soluta à terrenis desideriis, quò cogitationem & amorem conferre penitus omnem possiot ad unum illud negotium, comparandæ sibi salutis æternæ, aliisque. Illud pronunciat Paulus & omnium prorsus fidelium auribus intonat, divinæ semel inscriptos militiæ jam non posse negotiis sese implicare sæcularibus, cum ea conditione teneantur & Principum temporalium milites. Quo adductus est Ambrosius, ut negaret posse Clericum de negotio vivere, aut mercatura; sed vel fructibus Beneficii vitam tolerare debere, vel agelluli cultura, qua manus ejus occupentur, mens cœlos pervolitet. Sic enim ille in Officiis. *Offic. l. 1. c. 36. Non te implices negotiis sæcularibus, quoniam Deo militas. Etenim si is, qui Imperatori militat, à susceptionibus litium, actibus negotiorum forensium, venditione mercium prohibetur humanis legibus; quantò magis qui fidei exercet militiam, ab omni usu negotiationis abstinere debet, agelluli sui contentus fructibus, si habet; si non habet, stipendiorum suorum fructu?* Summa & incomparabilis est tranquillitas animi, à paupertatis metu expediti, ab opum cupidine expeditissimi, unæ temperantiæ possessione locupletissimi, felicissimique. *Ea est enim tranquillitas animi & temperantia, quæ neque studio quærendi afficitur, neque egestatis metu angitur.*

III. Ab Augustino observatum est, Apostolos piscatinoi vacasse, postquam etiam jam Christus resurrexerat, nec enim innoxiæ illi arti adversari Apostolatum, cum ea satisfiat naturæ necessitatibus, non opum siti, non bonorum cupiditati. *Respondendum est, non eos fuisse prohibitos arte sua, licita scilicet atque concessa, victum necessarium quærere sui Apostolatus integritate servata, si quando unde viverent, aliud non haberent. Tract. 122. in Joan.*

IV. Subest quidem species & imago aliqua pulcherrima negotii, cum Pastor spiritalia seminat, & horum fructum aliquem capit temporalem. Sed longè alienissimum est id negotium ab ingenio & vitiis quæstuosæ negotiationis. Germanus enim Clericus fidelium ubi voluntarias oblationes accipit, multò magis sibi gratulatur de illorum spiritalibus virtutum incrementis, quàm de temporali & necessaria esca, qua ipse vicissim pascitur. *Non tam sue gaudet subventum esse necessitati, quàm illorum gratulatur fœcunditati. Non requiro inquit datum,*

sed

sed requiro fructum. Non ego, ut explear, sed ne vos inanes remaneatis. De Pastoral. c.2. Non eò primùm collimat Evangelicæ prædicationis sator, ut sibi temporalis aliquid acquirat subsidii: sed ut opes supernæ Veritatis in omnes homines spargat, quibus ipse interim egestate sua ansam præbeat explicandæ charitatis. *Non hoc sibi quærant tanquam commodum suum, ut ex necessitate sue penuria videantur annuntiare Evangelium, sed hominibus illuminandis præbeant lucem verbi veritatis.*

Vilesceret alioqui Evangelium, cujus pretium infinitum est, æterna merces, alit populus Concionatores, Deus remunerat; non emit plebs Evangelicam veritatem sustentando Concionatores; sed peccata redimit, sed cælestem gloriam comparat ex Evangelicis præceptis benemerendo de Concionatoribus & de pauperibus omnibus Evangelicis. *Unde ergo vivitur, necessitatis est accipere, charitatis est præbere, non tanquam venale sit Evangelium, ut illud sit pretium ejus, quod sumunt, qui annuntiant, unde vivant. Si enim sic vendunt, magnam rem vili pretio vendunt. Accipiant sustentationem necessitatis à populo; mercedem dispensationis à Deo. Non enim est idoneus populus reddere mercedem illis, qui sibi in charitate Evangelii serviunt; Non expectent illi mercedem, nisi unde & isti salutem.*

V. Sed ut ad negotium Clericis prohibitum revocetur oratio, id videtur admonuisse nos Augustinus, Ecclesiam suo quidem ævo assentiri non potuisse, ut suæ opes, suive proventus augerentur mercaturis martimis, non solùm ob illas mentis tempestates, quas impacati pelagi excitant æstus, & naufragia; sed etiam ob tormenta quæstionum, quibus subjiciebantur nautæ plerumque innoxii, & infidi maris atroces procellas luituri. Eam probabile est fuisse causam recusandæ à sanctissimo Patre hæreditatis, quę tota navium erat & negotiationis causa. *Bonifacii hæreditatem suscipere nolui, non misericordia, sed timore. Navicularium nolui esse Ecclesiam Christi. Multi sunt quidem, qui etiam de navibus acquirunt: tamen una tentatio si esset, iret navis, & naufragaret. Homines ad tormenta daturi eramus, & de submersione navis secundùm consuetudinem quæreretur, & torquerentur à judice, qui essent de fluctibus liberati: sed non eos daremus. Nullo enim pacto hoc facere deceret Ecclesiam. Serm.46. De Diversis.*

Judicum austeritas in eos sæviebat, quibus mare, quibus tempestas pepercerat; procellis & fluctibus qui enataverant, stupendo naufragio ad Tribunalia judicum illidebantur. Non poterat Ecclesiæ humanitas huic inclementiæ assentiri, ideo negotiatione maritima Clerici sese abstinebant. Adde quod abborrebat Ecclesia à coacervatione tantę pecuniæ, sibi nefas esse persuasa aurum recondi, quandiu obvii sunt pauperes. *Non enim est Episcopi servare aurum, & revocare à se mendicantis manum. Quotidie tam multi petunt, tam multi gemunt, tam multi nos inopes interpellant, ut plures tristes relinquamus; quia quod possimus dare omnibus, non habemus. Non habemus enthecam.*

VI. Sed illa potissimùm ratio Clericos omnes avocat à negotio qualicumque, quod intimæ pacis & puritatis cupidissimi sint, qua sacrum desungendum est quodlibet ministerium, ut pectus terrenis curis expiatum cælestibus desideriis flagret. Dum operi manuum vacant manus, vacare libera mens Deo tota potest; at negotii & lucri sollicitudines corpus otio torpere sinunt, animum extimulant mordacissimis curis. Eò pertinet ex Augustino, *De Opere Monac. c.15.*, quod Paulus Timotheum ob valetudinem minùs integram laboris & operis impatientem, avocabat à negotiis sæcularibus, quibus mens jactata fuisset. *Monens ne aliqua sibi negotia quæreret, quibus animi ejus implicaretur intentio. Aliud est enim corpore laborare animo libero, sicut opifex potest, si non sit fraudulentus, & avarus, & privatæ rei avidus: aliud autem ipsum animum occupare curis colligendæ sine corporis labore pecuniæ, sicut sunt vel negotiatores, vel procuratores, vel conductores. Cura enim præsunt, non manibus operantur; ideo ipsum animum suum occupant habendi sollicitudine.* Sive cumulatas opes spectes, qui finis est avaritiæ Clericorum, sive perturbationes & fluctuationes animi, quibus eò aspirant, perequè ab utrisque abhorret Ecclesia, abhorret & Clericatûs professio. Damnat & alibi Augustinus Clericos eos, qui stipendiis Ecclesiasticis non contenti negotiabantur, favorem vendebant, viduas ita exugebant, ut tam vacuas dimitterent, quàm si expilassent. *Si non contentus stipendiis fuerit, quæ de altario consequitur, sed exercet mercimonia, intercessiones vendit, viduarum munere libenter amplectitur, hic negotiator magis potest videri, quàm Clericus. De verbis Domini in Mart. ser.19.*

VII. Paucis hæc omnia complexus est Hieronymus. *Negotiatorem Clericum & ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge.* Sic ille Epistola ad Nepotianum. At non paulò turpiùs Monastica professione, quasi dicas paupertatis professione grassari, ut locupletentur. *Nonnulli sunt ditiores Monachi, quàm fuerant sæculares.* Et tamen omnino fœdissimum in Clericatu locupletari, cum eo præ se ferat quis non votum, sed amorem, desiderium, admirationem paupertatis; cum pauperum tantùm portio sit Deus, qui possideri non dignatur, si cum alio possideatur.

VIII. Ulteriùs evehitur Epiphanius, ubi ait Ecclesiam impatientiùs ferre mercatores, nec nisi extremum illis infidelium grege assignare locum. *Negotiatores non admodum probat Ecclesia, sed in omnium infimo loco constituit. n.24.* Sic ille in Expositione fidei Catholicæ. Nec minùs infestus illis est Lactantius. *L.5. De Justi. c.17.* Possem & aliorum hîc corradere Patrum suffragia, qui statim abhorrere à negotio & mercatura videntur. Et constat tamen indubitatissimè horrori illis non fuisse, nisi vitia ipsa negotiantium mendacia, perjuria, cupiditates immensas, fraudes innumerabiles. At quoniam hæc vitia plerumque mercimonio adhærescunt, sanctissimi Ecclesiæ Patres, cum non spectarent, quo posset modo negotium exerceri, sed quo flagitio exerceretur, in illud debacchati sunt: non quò non posset, sed quò difficillimè posset sine scelere explicari. Ita pluribus locis professus est Augustinus. *In Psal.33. & 70.* Ea quoque verissimè dici potest Ecclesiæ universæ persuasio, quæ mercatores pœnitentiæ non addicebat, sed pœnitentes arcebat à mercatura. Ejus rei ratio à B. Leone inde depromitur, quòd facillimè & pene inevitabiliter illabantur doli & fraudes in artes & ingenia ementium atque vendentium. Quanquam enim lucra quædam sint innocua, sunt tamen omnia lubrica & periculi plena; qui ex scelerum fovea modò emersit pœnitens, eum necesse est excubare diligentiùs, & suspendere vestigia, ne iterum ruat. Si negotio autem interdicuntur pœnitentes, si arceantur & iidem pœnitentes Clericatu, hinc intelligis quanta intercapedo sit mercimonii & Clericatus. Audiendus jam Leo ipse. *In Decret. c.23. Epist.92. Qualitas lucri negotiantem aut excusat aut arguit, quia est honestus quæstus & turpis. Verumtamen pœnitenti utilius est dispendia pati, quàm periculis negotiationis obstringi; quia difficile est inter ementis vendentisque commercium, non intervenire peccatum.*

IX. Bona tamen fide fatendum est, non improbasse Ecclesiam in minoribus Clericis negotioli aliquid, quo ali possent. Extraordinariis oneribus sub-

duxit Imperator Constantius Clericos omnes, quos hoc negotio victum quærere cogebat paupertas. *Et si qui de vobis alimonia causa negotiationem exercere volunt, immunitate potientur.* Et alibi: *Clerici verò vel hi, quos Copiatas recens usus instituit nuncupari, ita à sordidis muneribus debent immunes atque à collatione præstari, si exiguis admodum mercimoniis tenuem sibi victum vestitumque conquirent.* Quam idem Imperator rursum confirmavit immunitatem, rescito quod hinc lucri Clericis accedebat, eo ab ipsis pauperes impartiri. *Negotiationum dispendiis minimè obligeatur, cum certum sit, quæstus, quos ex tabernaculis atque ergastulis colligunt, pauperibus profuturos.* Denique ab eodem promulgatum est, mercimonium omne Clericorum, sive per sese, sive per alios, publicis omnibus exactionibus solutum fore, tum quod non posset nisi tenue & permodicum esse, tum quod lucri quidquid id erat, pauperibus addiceretur. *Et cum negotiatores ad aliquam præstationem competentem vocantur, ab his universis Clericis hujusmodi strepitus conquiescat. Si quid enim vel parcimonia, vel provisione, vel mercatura honestati tamen conscia congesserint, in usus pauperum atque egentium ministrari oportet; aut id quod ex eorundem ergasteriis vel tabernis conquiri potuerit & colligi, collectum id religionis æstiment lucrum. Verùm etiam ab hominibus eorundem, qui operam in mercimoniis habeat, Cod. Theod. L. 16. Tit. 2. Leg. 8. 15. 10. 14.*

X. Fatetur enimvero Augustinus locis suprà laudatis, si mercatores facilè patent mendacio, perjurio, fraudi & avaritiæ, ne opifices quidem & agricolas ab his vitiis & periculis esse remotos. Si reponant autem, opifices & agricolas his se laqueis facilè explicare, si baptismi sacramentum & legem Christianam constanter retineant; idem prorsus de mercatoribus dicetur. *Sed non ea faciunt, inquis, agricola boni, nec illa negotiatores boni, &c. Ista hominum, non rerum peccata sunt, &c. Unum scio; quia si malus fuero, non negotiatio mihi facit, sed iniquitas mea.* Quibus Responsionibus subscribit Augustinus ipse. *In Psal. 70. Quando verum dicitur, non est quod contradicatur.*

XI. Hinc ergo illud rectè concluditur, medium quid esse negotium; quod bonum, malumque dicetur, perinde ut usus erit; posse quem ei vacare, ut vitæ necessitatibus satisfaciat, ut pauperes levet, & tunc non solùm innocuam esse artem, sed & pietati & charitati accommodatam, atque ita & Clericis ab Ecclesia concessam, & Imperatorum privilegiis ornatam; at plerosque eò incitari insatiabilis facibus avaritiæ, ad opes eas acervandas, quarum congerie obruantur, & à cœlestibus omnino deficiscant. Hanc caducarum opum præ immortalibus virtutum divitiis insaniam detestati sunt Sancti Patres, cum Clericos negotiatores insectabantur. Audiendus hîc nobis est Severus Sulpitius, *Hist. sacra. L. 1.*, ubi negotium quidem à Clericis arcet, nec tamen nisi ipsa vitia execratur, quæ ipsi aliunde affricata sunt. *Levitis in sacerdotium assumptis nulla portio data, quò liberiùs servirent Deo. Equidem hoc exemplum tacitus non præterierim, legendumque ministris Ecclesiarum libenter ingesserim. Etenim præcepti hujus non solùm immemores, sed etiam ignari mihi videntur, tanta hoc tempore animos eorum habendi cupido, veluti tabes incessit. Inhiant possessionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt venduntque, quæstui per omnia student. Et qui melioris propositi videntur, neque possidentes, neque negotiantes, quod est multò turpius, sedentes munera expectant, atque omne vitæ decus mercede corruptum habent, dum quasi venalem præ se ferunt sanctitatem.* Plus cum primis & doctus Scriptor sugillat commercia Clericorum avaritiæ studentium; sed non leviter eos quoque aspergit, qui ingentibus latifundiis incubabant, qui reditus eorum amplificare studebant, fructus divendebant, ut novos sibi fundos, novos cupiditatum fomites accervarent; qui non magis opes, quàm salutis dispendia certè pericula conduplicabant. *Inhiant possessionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt venduntque, quæstui per omnia student. At qui melioris propositi videntur neque possidentes, neque negotiantes, &c.* Enimvero negotii genus est, fundorum fructus non spargere in egenos, sed conferre in novos fundos, unde novi in immensum ex fundis reditus, ex reditibus fundi augescant. Nec multùm disparis enim avaritiæ est, ac negotiationis, vendere quod excolueris, & rursum distrahere quod emeris.

XII. In Concilio Carthaginensi III. *Can.* 15. prohibiti sunt Clerici, ne conductores aut procuratores fierent sæcularium, ne lucri turpitudine Ordinis sui dignitatem dedecorarent. *Placuit ut Episcopi & Presbyteri, & Diaconi, vel Clerici non sint Conductores, neque Procuratores, neque ullo turpi vel inhonesto negotio victum quærant. Quia respicere debent scriptum esse; Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.* Conjecit jam suprà Augustinus in eandem classem Mercatores, Conductores, Procuratores, quorum interim corpora otio & ignavia languent, mentes curarum aculeis & cupiditatum æstu exagitantur. *Aliud est ipsum animum occupare curis colligendæ sine corporis labore pecuniæ, sicut sunt vel negotiatores, vel procuratores, vel conductores; non manibus operantur, animum occupant habendi sollicitudine. De Opere Monac. c. 15.* Duo ergo ibi sunt, quæ dissideant & confligentur cum Clericatu; qui ex adverso flagitat corpus utili aliquo opere exercitari, mentem conquiescere, cupiditatibus vacuam, uni charitatis paci servientem.

XIII. Et superiùs tamen testatum fecit Sanctus Paulinus, sanctissimum virum & martyrio clarum Felicem, cum imperare sibi non potuisset, ut repeteret bona, quibus propter Christi fidem spoliatus fuerat; tria agri jugera conduxisse, quæ suis ipse manibus excoleret, atque ita suam solaretur penuriam, eorumque, quorum paupertati accedebat ægritudo, atque imbecillitas laboris impatiens. Nec illud arduum est, hanc sedare discordiam. Quoddam enim negotii genus est, agros conducere. Et ergo vel favebunt, vel infesti erunt Canones, pro ejus modo & fine. Nec enim vel Augustinus, vel Concilii Carthaginensis III. Patres mercatoribus irascebantur ipsis, vel Conductoribus, sed eorum cupiditatibus sine modo & sine fine hiantibus, ac tumultuantibus. Atqui nihil verendum erat, ne B. Felix tribus conducendis & excolendis agri jugeribus, ad suam & pauperum sustentationem, vel infinitas aggeraret opes, vel Evangelicæ paupertati terga verteret.

XIV. Nec multum dispar erat eorum ratio, quibus delegata erat agrorum Ecclesiæ cura & administratio. Optabile Augustino fuisset eam curam in laicos conferre. *Alloquebatur plebem Dei, malle se ex collationibus plebis Dei vivere, quàm illarum possessionum curam, vel gubernationem pati: & paratum se esse illis cedere, &c. Sed nunquam id laici suscipere voluerunt.* Id oneris detrectantibus laicis, valentiores ex Clericis suis ei curæ præfecit. *Domus Ecclesiæ curam omnemque substantiam ad vices valentioribus Clericis delegabat & credebat. Possid. c. 23. 24.* Uti non rarò cupiditas charitatem imitatur, ejusque & formam & functiones induit; ita & hoc loco eas partes sustinebat charitas, quas plerumque cupiditas implet. At quantumvis finitimæ functiones essent; erant fines, stimulique longè diversissimi. Nec enim hi Clerici terram proscindebant, & patrimonium excolebant Christi; nisi ut hostias altari suppeditarent, ut Clerum, ut pauperes om-

pes

nes, ut seipsos modicè alerent, ut denique uni impenderent charitati, quæ mortales ferè habent cupiditatum suarum instrumenta.

XV. Id præstantissimè executus est Julianus Pomerius, ubi Paulinum ait, Hilarium, & alios horum simillimos in ipsa opulentia sua inopes fuisse, quando propriis omnibus in pauperes distributis patrimoniis, sua ad Episcopale culmen provectione evaserant possessores, procuratores, & dispensatores rerum Ecclesiæ. Ut enim proprias cujusque res possidet cupiditas, ita & sanctissimæ Congregationis bona possidet, vel potius administrat charitas. Possidet virtus, possidet vitium: sed ipsa possidendi ratio, & finis distat immane quantum. *Expedit facultates Ecclesiæ possideri, & amore perfectionis proprias contemni. Non enim propria sunt, sed communes Ecclesiæ facultates, &c. Sine detrimento perfectionis, possunt quæ sunt communia Ecclesiæ possideri. Hilarius Arelatensis Episcopus, non solùm quod illa tunc habebat Ecclesia possedit, sed etiam acceptis fidelium numerosis hæreditatibus ampliavit. De vita Contempl. l.2. c.10.* Ita potest charitas terrenas substantias non retinere tantùm & possidere, sed & amplificare, ubi res sunt Congregationis sanctæ, & quidem pauperum. Nullæ hìc sunt cupiditatis partes, propterea quod qui possidere hìc videtur, patrimonii sui is jam abdicatione approbavit, quàm alienus esset ab afflatu qualicumque avaritiæ; nec possessorem se, sed dispensatorem fore bonorum communium: *Hoc est enim possidenda contemnere, non sibi, sed aliis possidere.*

XVI. Nec Ecclesiæ tantùm, & communes, & pauperum res possideri, & augeri possunt citra contagium cupiditatis; sed & propriæ res possunt & hæreditates obtineri & amplificari, uno cœlestis charitatis instinctu & Evangelicæ paupertatis ingenio, si eo tantùm consilio, studioque retineantur, ut effundantur in pauperes, ea fide & integritate incorrupta, quasi essent res pauperum. Non jam dominus, non possessor quisquam amplius est earum rerum, quas charitati, & misericordiæ in pauperes dicavit, sed Procurator, Villicus, Dispensator. Non ergo possunt ex Sanctis Patribus Clerici Procuratores se agere rerum, vel negotiorum laicorum, cum ne suis quidem ipsorum rebus carnali affectu affigi debeant. Unde Hieronymus ad Nepotianum; *Procuratores & dispensatores domorum alienarum atque villarum, quomodo possunt esse Clerici, qui proprias jubentur contemnere facultates;* Cujus rei & alibi causas aperit, ubi agit *De evitando suspecto Contubernio.* Sic enim ibi: *Dispensator & dominus & prævenions officia servulorum, quem omnes rodant famuli; & quæcumque dominus non dederit, illum clamitent subtraxisse. Querulum servulorum genus est, & quantacumque dederis, super. eis minus est.* Famulorum maledicentia in Clericum laicæ domus Procuratorem, à Clerico in Clerum ipsum, & in Ecclesiam resilit. Hilario Pictaviensi Episcopo illa curarum & sollicitudinum procella, quæ Procuratoribus & conductoribus sæcularium nobiliumque virorum jugiter incumbit, parum consentire videtur Clericis, quorum lux, pax, tranquillitas fidelibus omnibus solatio & præsidio esse debet. *Ingenti periculo Sacerdotes, qui Ecclesiæ oculi sunt, negotiis sæculi, curis pecuniæ, & familiarium rerum incrementis & conviviorum luxibus occupantur. Ecclesiæ enim lumen sunt, id est, corporis oculi. Et si lumen ipsum avaritiæ & lasciviæ nocte tenebrescit, corpori, id est Ecclesiæ, cui per naturam suam tenebræ sunt, quantæ insuper tenebræ de exemplo tenebrosi luminis invehentur? In Psal.* 138. Præclarè & Basilius ad Chorepiscopum scribens, *Ep.*340., demonstravit, quàm non facilè conciliari possit illa alienarum rerum administrandarum servitus cum libertate ea, qua Clericos decet à terrenis omnibus vinculis expeditos esse.

XVII. Nihil est tamen quod obstrepat ei libertati, pacique mentis, ubi propriarum etiam quis rerum possessionem & administrationem retinet, quarum fundos fructusque alendis pauperibus consecravit. De eo amicissimè suavissimeque certatum est B. Paulinum inter & Severum Sulpitium, utrum perfectioni, & paupertati Evangelicæ magis concineret, sua statim omnia vendidisse & distribuisse pauperibus: an servasse fundos eorum, Oeconomum se & Villicum pauperum agere; nec suas tantùm res, earumque proventus, sed & curas, vigilias, operas sollicitudinesque pauperibus donare. Primam rationem tenuerat Paulinus, *Ep.*2., alteram Severus Sulpitius, perfectionis palmam eorum unusquisque sibi abdicabat, alteri concedebat. Ita humilitas, ita charitas contendere & repugnare amat. Inde porrò illud emicat in rei hujus nostræ illustrationem, eundem saltem perfectionis apicem attingi ex sententia Beati quidem Paulini, si quis procurator & villicus fiat suorum ipsius agrorum, postquam illos pauperum usibus transcripsit, atque si omnia simul & semel pauperibus erogasset. Emicat rursus quantumvis prohibuerit Ecclesia, ne Clerici curam sibi induerent, & procurationem terrenarum quarumcumque rerum, posse eam indui & sustineri, si res sint Ecclesiæ; vel propriæ quidem, sed pauperum alimentis adscriptæ. Emicat denique menti & consilio Canonum serviendum esse, non literæ, amorem castum & infucatum paupertatis ab Ecclesia commendari; eum amorem facillimè coalescere cum administratione ingentium bonorum, si bona ea sint religiosæ, unique Deo addictæ Congregationis; quin & cohærescere posse cum proprii cura patrimonii, si illud etsi clam, efficacissimè tamen Deo dicatum sit, & pauperum necessitatibus.

XVIII. Quæ toto hoc capite congesta sunt, ea uno Canone complecti videtur Concilium Calchedonense, ubi Clericis, peræquè ut Monachis prohibet, ne sæcularibus se negotiis implicent, aut procurationi domorum, aut terrarum administrationi; quanquam nihil vetet, quin pupillorum tuitionem in se recipiant, si legibus eò adigantur; ac multò lubentius rerum & causarum Ecclesiæ jubente Episcopo administrationem subeant, orphanorum item, & viduarum, omniumque, quos probis omnibus sua commendat, conciliatque calamitas. *Decrevit Concilium, non Episcopum, non Clericum, non Monachum, aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se immiscere, præter pupillorum, si fortè leges imponant inexcusabilem curam, aut civitatis Episcopus Ecclesiasticarum rerum sollicitudinem habere præcipiat, aut orphanorum & viduarum, quæ sine ulla defensione sunt, &c. Can.*3.

CAPUT XVIII. *P.2. l.4. c.4.*

Negotio Clericis interdicitur, uti & administratione rei, & causarum sæcularium. Immunitas tutelarum, sæculo VI. VII. & VIII.

I. In Gallia Clerici majores negotia arcentur.
II. In Hispania Clerici prorsus omnes.
III. IV. V. Nec secus erat in Italia, & in Ecclesia Alexandrina. Erant tamen ibi Ecclesiæ naves complures ad comportanda frumenta.
VI. VII. VIII. His navibus plura Reges & Imperatores privilegia annuerunt.
IX. Clerici ipsi res Ecclesiæ administrabant, charita-

pitate & tranquillitate mentis illibata.

X. Oeconomus vicet gerebat Episcopi in administratione temporali.

XI. Secularium res & causas administrare Clerici vetabantur.

XII. Exceptiones aliquæ ex Legibus Justiniani.

XIII. Quàm aliena sint hæc munia, à singulari Clericorum pietate, humanitate, & mente in Deum semper arrectu.

XIV. Quàm dolendum sit ex animo, quod Clerici litibus vacent.

XV. XVI. A' Tutorum & Curatorum oneribus immunitas Clericorum.

XVII. XVIII. Qua nimirum ex Conciliis & ex Legibus illi demum ntuntur Clerici, qui in Ecclesiis suis resident.

I. QUanto io honore erant Ecclesiæ artes illę liberales & occupationes innoxiæ, quæ manus & corpus distinent; mentem liberam in cœlos evolare sinuot, & à cupiditatum nexibus procul se subducere: tanto fuere contemptui & horrori, quæ animos exagitant, vanisque opum & dignitatum implicant & spinosissimis desideriis. Diaconos & superiorum omnium Ordinum Clericos, ne ementito quidem aliorum nomine, voluit Concilium Aurelianense III. negotiari posse. *Ne in exercendis negotiis, ut publici, qui ad populi responsum negotiatores observant, turpis lucri cupiditate versetur, aut sub alieno nomine interdictu negotia audeat exercere. Can 27.* Quantum in eo flagitii esset, declarat, quæ transgressoribus intorquetur pœna depositionis. *Concessa communione ab Ordine regeudetur.*

II. Eadem pœna Clericis indiscriminatim omnibus irrogata est à Concilio Tarraconensi. *Can. 2. Cunenum statutis firmatum est, ut quicumque in Clero esse voluerit, emendi vilius, vel vendendi carius, studio non utatur. Certè si hæc voluerit exercere, cohibeatur à Clero.* Nec Beatum Isidorum Hispalensem Episcopum fefellit hæc desperatissima societas Clericatus & negotiationis. *Usuris nequaquam incumbunt, neque turpium occupationes lucrorum, fraudisque cujusquam studium appetunt, amorem pecuniæ quasi materiam cunctorum* (Fortè addendum *vitiorum*) *fugiant; secularia officia negotiaque abjiciunt, honorum gradus per ambitiones non subeant. De Offic. Eccl. l. 2. c. 2.*

III. Cum Eulogio Alexandrino Patriarchæ mitteret Gregorius Magnus naves lignis onustas, ad naves alias construendas, pretium earum repudiavit; non uno familiaris sibi largitatis stimulo, sed summa quadam alienatione animi à lucro & lucri, aut negotii specie qualicomque. *Quod autem dicitis, quia si majora transmittimus ligna, pretium dabitis, largitati quidem gratias agimus, sed accipere pretium Evangelio interdicente prohibemus. Nec enim ea quæ transmittimus ligna, non emimus, & quomodo possumus pretium accipere, cum scriptum sit, gratis accepistis, gratis date. L. 4. Ep. 60. L. 5. Ep. 60. L. 7. Ep. 29. 78. 79. L. 8. Ep. 42. L. 8. Ep. 64.*

IV. Naves porrò de quibus Epistolis his omnibus agit Gregorius, nec ab Eulogio Alexandrino, nec ab Abbatissis, nec ab Episcopis, quorum joria erant, negotio qualicumque addicebantur, sed convehendis alimentis pauperum innumerabilis cujusdam multitudinis. Si construere naves statuisset Eulogius, quæ terrenæ cuiquam cupiditati famularentur, non is erat Gregorius, qui inultum id sineret, multò minùs qui profanum negotium cura & largitione sua promoveret. Unde & idem sanctissimus Pontifex Episcopum quendam Campaniæ acerbissimè objurgavit per Nuntium suum, quòd Pastoralis officii munia perfunctoriè obiret, totus ipse in construendis navibus esset. *Rebus, quæ ad Pastoris curam pertinent prætermissis, ad fabricandum naves tote se studio inutiliter occupate. L. 11. Ep. 31.*

V. Ad Ecclesiam Alexaodrioam redeo, cujus in Patriarchalem sedem sublimatus est biennio post Eulogii mortem Joannes Elemosynarius. *Ann. 610.* Sanctissimo huic Patriarchæ cum præter numerosissimum suum Clerum alenda essent pauperum septem millia & quingenti, uti ex descriptione patuit, quam primo ipso ordinationis suæ die sibi voluit exhiberi: *Erant autem plusquam septem millia quingenti;* erant onerariæ naves ingentes, quæ frumenta ex longinquis illis sibi regionibus advehereot, ubi vilior erat tum annona. Harum navium unam aliquando mutuam dedit Mercatori, qui propriis navibus naufragia semper patiebatur & qui navi Ecclesiæ tum usus, ejus expertus est clementiam præpotentem, qui maria sedat concitata, & cœlum tranquillat. *Mox jussit tradi ei unum magnum navim, plenam frumento viginti millium modiorum, de illis navibus, quæ sanctissimę Ecclesiæ subjecta ministrabant. Vita ejus c. 11.* Ejus negotii non apparet consortem utcumque fuisse beatissimum Patriarcham. Quin postea subjicitur ingentes eas naves in Siciliam proficisci solitas ad frumenta advehenda. *Nunciatur ei duas Ecclesiæ magnarum navium ad terram esse submissas, quas miserat in Siciliam propter frumentum. Cap. 12.* Aliàs rursus ejusdem Ecclesiæ tredecim naves, quæ singulę decem milla modiorum tritici capiebant, tam atroci jactatæ ac convulsæ sunt tempestate in mari Adriatico, ut io mare necesse fuerit onus omne ejici. At ne tantillam quidem animi perturbationem beatissimo Patriarchæ ea vel tempestas creavit, vel rerum jactura. *Plus enim erant, quàm tredecim naves, sapientes per singulas decem millia modiorum. Cap. 27.*

VI. Theodosii & Valentiniani lege sancitum fuerat, ut siquæ naves supra duo millia modiorum caperent, eæ ordinariis exactionibus subessent, quantumvis ditionis assent Ecclesiæ. *Jubemus nullam navim ultra duorum millium modiorum capacem, &c. Religionis intuitu excusari posse, &c. Cod. l. 1. de sacr. Eccles. leg. 10.* Ægrè mihi persuaserim, Alexandrinæ Ecclesiæ naves alèndorum pauperum famulas & ministras, ordinariis fuisse exactionibus obnoxias, etsi ultra decem millia modiorum caperent. Ratio est, quod tam egebat Ecclesia Alexandrina his majoribus & capacioribus navibus, quàm cæteræ Ecclesiæ minoribus, non ultra duo millia capientibus, ad pauperum necessitates. Itaque ot paribus donentur Ecclesiæ privilegiis, pro suo quæque modo, si cæteris Ecclesiis permittebaotur duorum millium modiorum oaves, æquum erat, ut & ultra decem millium Alexaodrinæ annuerentur.

VII. Communicatum voluit Theodoricus Rex cum Ecclesia Mediolanensi privilegium, quo jam potiebatur Ravennas, in gratiam pauperum, quibus nullæ non prærogativæ indulgendæ sunt. Ejusmodi erat autem privilegium, ut oneribus & exactiooibus omnibus absolveretur mercator aliquis unus, Ecclesiæ obsequiis & utilitatibus astrictus. Ita enim leges apud Cassiodorum. *lsg. 1. Epist. 30. Defensores sacrosanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, pro expensis pauperum, quæ sub lucri exaggeratione funduntur, unum sibi ex negotiatoribus urbis suæ desiderant oportere præstari, qui emptoris functus officio, exceptis negotiationis oneribus, debeat implere quod suscipit. Hæc enim nos & Ravennati Ecclesiæ commemorant tribuisse, &c.* Ejus annuendæ immunitatis rationes admirationi certè erant, calamo scilicet & ingenio Cassiodori consonantes, qui Theodorico à Consiliis erat. *Beneficulem esse Principem licet, nec intra regulas constitui potest munificentia regalis affluxi. Clementia non habet legem, nec debet sub angustis terminis benigna sequi, quem decet sine fine laudari.*

VIII.

VIII. Ex his porrò Regiis & Imperatoriis legibus manifestum est, Ecclesiis fuisse naves ingentes nec paucas, nec inde tamen negotii vel suspiciones existere posse, cum illæ omnes pauperum utilitatibus sacræ essent: denique etsi quid suboleret negotii, flagrabat ibi charitas, non cupiditas. Illud verò intercedit discriminis utriusque rebus & negotiis, quod in ipsa jactatione indeclinabilium quandoque sollicitudinum tranquilla semper & serena charitas est, cupiditas cœlo marique fileote fluctuatur semper intestinis suis procellis.

IX. Inde est quod in votis Ecclesiæ semper fuit, ut Oeconomi & Procuratores rerum Ecclesiæ & Patrimonii Christi, è Clero adoptarentur. Quamquam enim difficillimè ab eo munere elui possint curæ & tumultus omnes, constat tamen indubitatissimè, charitatem, quæ nos bis objectat molestiis, ipsam per sese in penetralibus animi lætam & tranquillam conquiescere. Amor Christi sine fuco, spes æternorum vegeta, fides vivax, ac præsensio & prægustatio quædam bonorum & gaudiorum cælestium, inter ipsas tempestates pacem & suavitatem ineffabilem quandam ipsis animæ medullis infundunt. Eò compulsus est B. Gregorius Papa, ut Laicos omnes ab administratione rerum Ecclesiæ temporalium summoveret. *Nemo laicorum quodlibet Palatii ministerium, vel Ecclesiasticum patrimonium procurabat; sed omnia Ecclesiastici juris munia Ecclesiastici viri subibant.* L.1. c.25. vitæ ejus. Epistolarum Gregorii plures sunt ad Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos & Clericos minores, administrando Ecclesiæ patrimonio præfectos. Nec suavitas tantùm & charitas his à Pontifice commendabatur erga villicos, rusticosque agris Ecclesiæ affixos, sed & solatia his, & blandimenta, necnon & onerum levamenta subinde concedebantur. Audi quid ab eo perscriptum sit ad Subdiaconum, patrimonio Ecclesiæ Romanæ in Sicilia præpositum, ut rusticis largiretur authentica, vel exemplaria immunitatum à Pontifice eis concessarum. *Scripta mea ad rusticos quæ direxi, per omnes massas fac relegi, ut sciant quid sibi contra violentias debeant defendere ex authoritate nostra, eisque vel authentica, vel exemplaria eorum dentur.* Lib.1. Ep.42.

X. Concilium Hispalense, innovato Calchedonensi Canone, quo prohibebatur, ne Episcopi laicos sibi vel Ecclesiæ suæ Oeconomos asciscerent, ejus statuti pulcherrimam hanc suggerit rationem. Quòd videlicet rei temporalis administrator Vicarius sit Episcopi; & lites dirimat omnes ex temporalium regimine frequentissimas. *Indecorum est laicum vicarium esse Episcopi, & seculares in Ecclesia judicare, &c. Qui in administrationibus Ecclesiæ Pontificibus sociantur, discrepare non debent, nec professione, nec habitu.* Can.9.

XI. Contrà verò nihil tam inimicum est Clericatui, quàm Laicorum terras litesque procurandas suscipere. Quod vel ex Justiniani lege patebit, canonicis regulis ita succinente. Novel.123. c.6. *Sed neque fieri susceptorem, aut exactorem fiscalium functionum, aut conductorem publicarum, aut alienarum possessionum, aut curatorem domus, aut procuratorem litis, aut fidejussorem pro talibus causis Episcopum, aut Oeconomum, aut alium Clericum cujuslibet gradûs, aut Monachum proprio nomine, aut Ecclesiæ, aut Monasterii sinimus; ut non per hanc occasionem & sanctis domibus damnum fiat, & sacra ministeria impediantur.* Ne per leges quidem ergo licet Clericis, Conductoribus esse Agentibus, vel Procuratoribus, vel cavere pro Laicorum rebus, litibusque, publicis, privatisque.

XII. Subjiciuntur tamen à Justiniano, *Ibidem*, exceptiones eæ, quæ prætermitti omnino non possunt. Si enim Ecclesiæ vel Cœnobio conducibile sit conducere, vel emphyteotico jure suscipere agros; agris suis conjunctos, aut vicinos, jus fasque erit, si modò Clericorum vel Monachorum Collegium assentiatur. 2. Ecclesiæ uni conceditur aliarum Ecclesiarum vel locorum Deo sacrorum emphyteoses accipere, vel locationes. 3. Nec molestè fertur, si Clerici ipsi conductores fiant agrorum Ecclesiæ suæ, Episcopo vel Oeconomo assentiente.

XIII. Huic utique referri potest, quod à Ferrando proditum est in vita B. Fulgentii. Cum enim ineunte juventa Fulgentius Procurator fuisset: *Procurator ordinatur, hinc initium sumens imperandi, & consulendi, ac gubernandi quamplurimos.* C.1. 2. Eo munere fungi cœpit insita sibi humanitate & suavitate ingenii; quæ tamen minùs consentiebat officio quod sustinebat. Hinc ejus brevi pertæsus, ejusque rigoris & sævitiæ impatiens, quam munus flagitare videbatur, mentem tandem appulit ad innocentiam Monasticæ professionis amplectendam. *Accepta tamen hac potestate, dum clementer utitur, & neminem lædere pro ingenita sibi bonitate desiderat, atque in exigendis pensionibus crudelitatem jubetur exercere, cœpit secularium negotiorum gravis apparere sarcina, & displicere felicitas vana paulatimque vitæ spiritualis amor exurgere.* Eò etiam adducti sunt Ecclesiæ Patres, adductæ Episcopales Synodi, ut Clericos arcerent à secularibus his functionibus, quibus & avaritiæ servitur, & à sævitia non receditur.

XIV. Cum spinosior sit litium & impacatior procuratio, quàm rerum, ideo vehementius ea Clerici interdicuntur. Fulgentium perhibes idem Ferrandus Episcopatu auctum, non esse passum, ut terrenis se negotiis Clerici innecterent, quòd iis à sacro ministerio mens alienetur. *Summam diligentiam præbuit, ne quis Clericus negotiis secularibus occupatus, ab officio Ecclesiastico diutius vacaret.* Cap.29. Idem prohibuit Concilium Tarraconense Monachis omnibus, quoad res & lites secularium; res enim & lites Monasterii commendari illis possunt ab Abbate. *Nonnullus Monachorum forensis negotii susceptor vel executor existat, nisi quod Monasterii exposcit utilitas, Abbate, sibi nihilominus imperante.* Cap.11. Quam suprà laudavimus Justiniani Novellam, ea promiscuè Clerici Monachique ablegantur à negotiis & litibus secularium. *Aut procuratorem litis.* Nov.123. c.6. Dolebat vehementissimè Gregorio Magno ea mentis alienatio, inanitasque Clericorum, qui mundi negotiis sese immiscent. *Ecce jam pene nulla est seculi actio, quam non Sacerdotes administrent. Dum ergo in sancto habitu consistunt, exteriora sunt, qua exhibent, quasi sanctuarii lapides foris jacent, &c. Non solùm in plateis, sed & in capite platearum dispersi sunt, quia & per desiderium mundi hujus opera peragunt, & tamen de religioso habitu culmen honoris quærunt.* In Ev. hom.17.

XV. Quod ad Tutores spectat & Curatores, his muneribus Episcopos & Monachos summovet Justinianus, nec his illigari sinit Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos, nisi sua sponte assentiantur, & quibus ea cura impendenda est, ii sint proximitate conjunctissimi; unius tantùm denique, non plurium Tutores esse sinit, aut Curatores. *Deo amabiles Episcopos & Monachos ex nulla lege tutores aut curatores cujuscumque personæ fieri permittimus; Presbyteros autem & Diaconos & Subdiaconos jure lege cognationis tutelam aut curam suscipere hæreditatis permittimus: proprio & solo gradu cognationis ad tutelam & curam vocatis, hujusmodi suscipere administrationem permittimus, si tamen intra quatuor menses, ex quo vocati sunt, apud competentem Judicem scripto declarent talem administrationem propria voluntate suscepisse. Et si quis eorum forsan hoc fecerit, nullum ex hoc in alia tutela aut cu-*

cura præjudicium patiatur. Nov.123. c.5.

XVI. His postremis verbis, *si quis eorum forsan*, manifestè proditur Justinianum, vel Episcopos, quos ille his commentandis colendisque legibus non adesse tantùm, sed & præesse volebat, in votis habuisse, ut servitutibus his mortalium Clerici sese ipsi nunquam subjicerent, ut quæ mirum in modum alienæ sint à cœlestibus Clericatus muniis. Inde est, quòd eam immunitatem Imperator illis nulla prorsus exceptione confirmavit. *Generaliter sancimus omnes viros reverendissimos Episcopos, nec non Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos & præcipuè Monachos, licèt non sint Clerici, immunitatem ipso jure omnes habere tutelæ, sive testamentariæ sive legitimæ, sive dativæ, & non solùm tutela eos esse expertes, sed etiam cura, non solùm pupillorum & adultorum, sed & furiosi, & muti, & surdi, & aliarum personarum, quibus tutores & curatores à veteribus legibus dantur.* Cod. l.1. de Epis. & Cler. leg.51.

XVII. Sed ut indubitatissimè constet eam immunitatem Clericis & Monachis non concedi, nisi ut libentius liberiusque sanctissimas Ecclesiastici ministerii functiones amplexentur; ad illud privilegium aditus illis tantùm patet, qui Ecclesiis suis, vel Cœnobiis affixi resident, procul ab ejus participatione amandatis Clericis, Monachisque erronibus & vagis. *Eos tamen Clericos & Monachos hujusmodi habere beneficium sancimus, qui apud Sacrosanctas Ecclesias vel Monasteria permanent, non divagantes, neque circa divina ministeria desides; cum propter hoc ipsum beneficium eis indulgeamus, ut aliis omnibus derelictis, Dei omnipotentis ministeriis inhæreant.* Ibidem.

XVIII. Eidem coarctationi subscripsit Aurelianense Concilium IV. ad Clericos majores, Ecclesiis suis, & Altarium ministerio adglutinatos; cum & iniquum foret & impium, veri summique Dei Ministros non iisdem saltem uti immunitatibus, quibus Ethnici Principes suos sacrilegos Sacerdotes gaudere voluere. *Si quis Judicum Clericos de quolibet corpore venientes, atque altario mancipatos; vel quorum nomina in matricula Ecclesiæ tenentur inscripta, publicis exactionibus applicare præsumpserit, cognoscat se pacem Ecclesiæ non habere. Similiter & à tutelæ administratione Pontifices, Presbyteros atque Diaconos ideo excusatos esse decrevimus, quia quod lex sæculi etiam Paganis Sacerdotibus & ministris antè præstiterat, justum est, ut erga Christianos specialiter conservetur.* Can.13.

XIX. Quanquam administratio Civitatum, Provinciarum & Regnorum, curis & molestiis longè gravioribus implicata sit, quàm illæ de quibus hactenus egimus procurationes; non tamen æquè pugnat Clericatus professioni, cum uno sinceræ charitatis imperio, ei mancipantur Præsules. Confessus est suprà Gregorius se Imperatorem veluti arcarium esse, aut fisci præfectum: Longobardorum se potiùs, quàm Romanorum Episcopum. Idem ipse ea cura Episcopos oneraverit, ut munirent urbes, mœnia restaurarent, & custodirent; quin & ad Exercitum & ad Civitatem Neapolitanam militum agmina subministravit. Ita omnibus omnia fiebat charitas pastoralis, & è cœlis in terras dilabebatur; ut cælesti quodam instinctu & inflatu terras administraret. Ea nimirum charitas B. Arnulphum Metensem Episcopum, & postea B. Conibertum Episcopum Coloniensem adduxit, ut Imperium Gallicanum cum Pipino majore adgubernaret. Audi quid antiquissimus Scriptor de Pipini pietate scripserit. Baron. an. 631. n.8. 11. 12. *Sed quia Sanctarum Scripturarum scientia minùs eruditus erat, prudentes quosque viros, quos in timore ac dilectione Dei noverat excrevisse; omnium consiliorum vel Negotiorum suorum socios assumebat. Nam & Arnulphum Metensem Pontificem, qui ante Pontificatum hanc eandem dignitatem irreprehensibiliter administraverat, & postmodum eo defuncto B. Cunibertum Coloniensem Antistitem pari sanctitatis fama illustrem, in hac negotiorum administratione curabat, adhibere participem.* Quàm grave & molestum sibi esset in Palatio diutius commorari; apertissimè tradidit B. Arnulphus, cum venia secedendi petita, nec impetrata, clam in eremum secessit, & Aulæ domicilio & Episcopatu abdicato: ut intelligerent aliquando tandem mortales, quo tædio & fastidio Sanctissimi Præsules Aulam incolant, quo gaudio inde discedant, & quàm verè humilitas peræquè ut charitas, non ullo se facilè sinat limite circumscribi. Ascitus fuerat Arnulphus, ut ei Dagoberti I. Regis institutio commendaretur. *A genitore traditus est Arnulpho Metensium urbis Episcopo, ut eum secundùm suam sapientiam erudiret, eique tramitem Christianæ Religionis ostenderet, atque ei custos & bajulus esset.* Hæc ex Authore historiæ ejus Regis. Du Chesne. Hist. Franc. Tom.1. p.574. Tandiu in Aula commoratus Arnulphus, ipsa quoque benevolentiæ Regiæ vincula aurea abrupit, ut se optatissimo secessui redderet.

CAPUT XIX. *P.3. l.4. c.4.*

Negotiatio Clericis prohibita & Monachis ab anno octingentesimo ad millesimum.

I. Deterritos à negotio & quæstu Clericos, Monachosque exemplis probatur.

II. Exempla negotii, quod Concilia non respuunt.

III. Pulcherrima Capitularium placita, de licito, & illicito quæstu, & de cupiditate Evangelicis præceptis & doctrinis frenanda.

IV. Exempla his Regulis contraria.

V. Usura cum præstigiis & artibus suis damnata.

VI. In Oriente usura damnatur.

VII. Clerici eam palliant tribus contractibus à Balsamone commemoratis, & jam inde damnatis.

VIII. Clerici minores nullis non vacabant artibus. Itaque sigillatim iis interdicendi erant, quas minus cum Clericatu convenire Præsules judicabant.

IX. Animadversiones de usura juxta Græcos.

X. Medicina Clericis prohibita.

XI. Tres contractus diu ante damnaverat. Zonaras, quàm Balsamon.

XII. Progressus proscriptæ apud Græcos usuræ.

XIII. Illa etiam damnabatur usura, quæ ipsos inter diviter grassabatur.

I. IN Concilio Moguntino sub Carolo Magno, damnato qualicumque negotio Clericorum, & notatis quibusdam peculiariter ejusmodi artibus, quæ Altarium ministerio, & Monasticæ professioni apertius adversantur: agnoscitur illud tamen, posse honesto quæstu aliquo & negotio egestatem levari Clericorum, illæsa & intaminata ejus ordinis sanctimonia. Ita quippe ibi anno 813. Can.14. *Ministri Altaris Domini, vel Monachi nobis placuit, ut à negotiis sæcularibus omnino abstineant. Multa sunt ergo negotia sæcularia, de his tamen pauca perstrinximus, ad quæ pertinet omnis libido, non solùm in immunditia carnis, sed etiam in omni concupiscentia carnali. Quod plus justo appetit homo, turpe lucrum est. Munera injusta accipere, vel etiam dare, &c. Pondera injusta, vel mensuras habere, negotium injustum exercere.* Ita negotium intercluditur Clericis & Monachis, quod eo quæstus

ap-

appetatnr, aut iniquus, aut immodicus ab iis, quos prnfessin sua à cupiditatum contagin summovisse debuit.

II. Sed & insinuatur ibidem negntium quoddam, non inculpatum mndò, sed laude dignum, cum innitatur Regulæ B. Benedicti, & exempln Apostolorum. *Nec tamen justum negotium est contradicendum propter necessitates diversas; quia legimus Sanctos Apostolos negotiatos esse, & in Regula Sancti Benedicti præcipitur providere, per quorum manus negotium Monasterii transeat.* Nascitur hoc quidquid est negntii, ex labore manuum, quode superins. Si enim Clerici manibus operentur exempln Petri, qui post receptum etiam à mnrte & ab inferis Christum ad piscatinnem rediit: & exemplo Pauli, qui tentoria consuebat; hinc necesse est vendi opera ipsa, quorum pretin & ipsi aluntur Clerici & pauperes. Nemn nescit antiquissimns nmnes Mnnachos eo negntii genere usos. Atqui nnn dispar ratin & prn Clericis militat.

Nec Clerici porro, nec Mnnachi, aut agros excnlere poterant, aut eornm fruges divendere, nisi ut negotii species quædam interveniret. Verùm in eam rem egregium hnc illis annn 813. Cnncilinm Cabilnnense præceptum commendavit; Ne fructus reconderent in extrema anni tempora, ubi charius venduntur; ne ex necessitate & calamitate publica npes ipsi sibi aggerarent; sed studinm omne suum, omnem industriam conferrent in solatia pauperum, nec alios meditarentur, quàm operum misericordiæ thesauros. *Oportet etiam ut si quando Sacerdotes, fruges, vel quosdam reditus terræ congregant, & protelant; non ideo hoc faciant, ut carius vendant, & thesauros congregent; sed ut pauperibus tempore necessitatis subveniant. Can.8.*

III. Laicos ipsos ab invidioso hoc quæstu absterruerunt Carnli Magni Capitularia; messium aut vindemiæ tempnre frumentum, aut vinum ne vili emerent, qund carn venderent postea, & pretium conduplicarent. Inculpatum enim illud demum negntium est, ut hnrum tantum emas, quantum necesse est, ut & tibi habeas quod satis est, & aliis impertiare. *Quicumque tempore messis, vel tempore vindemiæ, non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam aut vinum: verbi gratia, de duobus denariis comparat modium unum asque dum venumdare possit contra denarios quatuor, aut sex, seu amplius, hoc turpe lucrum dicimus. Si hoc propter necessitatem comparat, ut sibi habeat, & aliis tribuat, negotium dicimus. Leg.1.c.131.* Quę moderatin ac sobrietas fidelibus omnibus pernecessaria, qui qualiacumque negntia attingunt, divinis innititur Scripturis, quæ vetant ex iisdem Capitularibus, ne tantum se quisquam lucri & npum augmentis dedat, quantum vel cupiditas, vel ratin forsan ipsa expeteret: monentque his frænos injiciendos esse ex Evangelicæ Legis præscriptn, quo jubemur, non in terris corruptibiles, sed immnrtalitatis & sempiternæ sapientiæ thesaurns in cœlis nobis acervare. *Placuit, ut admoneantur omnes fideles, qui negotiis ac mercationibus rerum invigilant: ut non plus terrena lucra, quàm vitam accipiant sempiternam. Nam qui plus de rebus terrenis, quàm de animę suę salute cogitat, valde à via veritatis aberrat, & juxta sapientem quendam, in vita sua perdidit intima sua. Leg.6.c.228. Theod. Capital. c.35.*

IV. His sanè necesse erat Evangelicæ sapientię muniri laicos præsidiis, cum nec Clerici ipsi, nec Monachi eo vel sapientiæ illustrarentur lumine, vel mediocritatis amore ferverent, quo regendæ ac moderandæ erant administrationes rerum suarum temporalium, agrnrumque locandnrum conventinnes. Res èxempln isto elucidabitur. Centnlensis, sive Sancti Ricarii Abbas Notkern Episcopo Leodiensi in annos viginti vendidit agros Leodin propinres, à Centula autem remotos, acceptis ab eo triginta libris, quas ei restitueret expletn en annnrum numero, restitutis tum & suis sibi agris. Erat ea enimvero mera agrnrum nppigneratin, mutuam Episcopn Abbati pecuniam dante. Unde & Episcopum jus fasque fuisset, quns percepisset agrorum fructus, eorum ratinnem habere, & tantundem de restituenda sibi pecunia detrahere. His contractibus usuræ infamia manifesta inhærebat, & nnn mediocri tamen celebrantur illi snlemnitate. Et mirum est autem & dnlendum, quòd eorum ad nns propagata memoria sit. Ejusmndi contractum innovarunt postea sæpius Episcnpi Notkeri successnres, instantibus Centulæ Abbatibus. *Spicileg. tom.4. pag.537. 546.*

V. Nnn immerito ergn tum in Capitularibus & Conciliis iterata atque inculcata sæpius est priscorum Cannnum authoritas, qua usura damnatur, ejusque fraudes & ludificatinnes prnscribuntur omnes. *Quoniam venerandi Canones & divina prohibet authoritas, usuras accipere, ideo nullus Clericorum hoc facere præsumat, & in quantum poterunt, laicis vetare studeant. Leg.6. c.201. Capital. l.6. c.201.* In Concilin Aquisgranensi anni 816. *Cap.40. 75. 92. 93.* novus vigor additus Decretis Conciliorum Nicæni & Laodiceni, adversùs Clericos usuris implicatos, uti & Decretis Leonis & Gelasii Pnntificum adversùs enrum lucri sordidi cupiditates; cum non alia Clericis meditanda sint fœnora, & aucupanda, quàm quibus pauperibus gratificantur, & centupli debitnrem sibi Deum constituunt. *Fœnus hoc solum aspirere & exercere debemus, ut quod hic misericorditer tribuimus, ab eo Domino, qui multipliciter & in perpetuum mansura retribuet, recipere valeamus.*

Damnavit & Concilium Parisiense VI. anni 829. *multifarias calliditates* Clericnrum & Laicorum usuris studentium. Nec illud in præteritis reliquit fraudulentiæ genus, quod modò carpebamus in Episcopo Leodiensi, & Abbate Centulensi, ubi creditor fructus agrnrum sibi oppigneratorum accipit, nec subducit summæ pecuniæ à se mutuo datæ. *Sunt & alii crudelissimi fœneratores, qui tempore necessitatis, nihil commodare pauperibus volunt, nisi messellas suas, & vineolas, & pratella, ea ratione in pignus dederint, ut quidquid frugum in hisce colligi poterat, pro parvo, quod mutuum acceperunt, ex asse amittant. Can.53.*

VI. Venin ad Græcns, ubi advertit Photius ex Nnvellis Justiniani, quamvis Clerici usuris interdicerentur, potuisse tamen illos aliquid ultra snrtem accipere, si bona fide commodassent, & ex mnra restituendi detrimentum incurrerent. *Prohibitio ne Clerici usuras accipiant, mihi videtur omnino loqui de iis, quæ ex mutuo, seu ex pactu dantur, non de iis, quæ tacitè ex mora debentur, in bonæ fidei actionibus. Nomoc. Tit.9. c.27.* Ex iisdem Novellis Ecclesia ipsa usuras exigebat legatorum pinrum, si in mora essent debitores. *Certè Novellarum Constitutio dicit, in piis legatis, ex mora peti usuras & fructus.* Cui Photii interpretatinni lubens accedit Balsamon. *Gratias age Photio Patriarchæ, qui rectè interpretatus est, Episcopos & Clericos posse usuras, tanquam id quod interest, petere.*

At idem alibi Balsamon fidentius insurgit in Clericos, qui snrdidioribus lucris & negntinlis sese, Clerumque omnem dehnnestabant: *Nota Canonem propter Sacerdotes, qui vina cauponantur, & balnea conducunt, & quædam alia hujusmodi faciunt, & quæ Canoni non subjicitur, paupertatem prætenunt.* S *In Can. Nicæ. num. 17.* A' quibus ideo culpa non aberat, quod aliæ essent honestinres artes, levandæ ne-

necessitatibus accomodatæ.

VII. His adde quod idem alibi Balsamon denudat Clericorum quorundam ludibrium, anfractumque sinuosum, quo latitare se posse & usuras dissimulare confidebant. Mutuas enim dabant mercatoribus pecunias suas, constituto antè certo lucro, quod ad ipsos rediret, cum & lucri & sortis periculum in se mercatores reciperent. Itaque simulatæ societatis fuco obumbrabatur usura, eum lucri consortes essent Clerici, exortes periculi. Eo certè circuitu ludificari posse sperabant Nicænum Canonem, in usuras qualescumque & indecoros quæstus fulminantem. *Quidam Sacerdotes Canonem intelligentes, & ipsum circumscribentes, eique fraudem facientes, verba quidem servant, mentem autem negligant. Dant enim nonnullis pecuniam, & tanquam ex lucro partem se captaros paciscuntur periculum autem ugnitaros, qui eum accipiunt, & eum fiat revera fœneratores, verbo tamen societatem prætexuat. Hoc ergo Canon aversatur, & eoc, qui hujusmodi quid faciunt, depouit. Ibidem.*

VIII. Priscis his Canonum institutis aliqua fiet lucis accessio, si memoria repetamus, Clericos olim minorum Ordinum pene omnes, licèt Ecclesiasticis obsequiis illigati essent, conjugatos tamen fuisse, & alendæ familiæ onus sustinuisse. Facilè ergo in artes quaslibet quæstuosas exardescebant, nisi obviam issent Concilia, & eas explosissent, ex quibus infamiæ aliquid aspergi Clero potuisse. Eodem Balsamone authore Lucas Patriarcha Constantinopolitanus cauponis eo ablegavit, nec non & balneis, atque unguentariis officinis; quin immo si Presbyteratu vel Diaconatu fulgerent, medicinam illis interclusit: molestissimè videlicet ferens, qui sacris ad aras vestibus splenderent, eos sæculari post in veste cum Medicis aliis in conventibus publicis conspici. *Sanctissimus Patriarcha Lucas unguentarius quoque officinas & balnea turpis esse questue dicebat, ut quę mendacii quoqae causa essent. Sed nec Archiatros fieri sinebant Diaconos & Sacerdotes: diceas non esse ferendam, ut qui cum infulis & casulis sancta tractant, sæcularibus vestibus induantur, & cum laicis, viris scilicet Medicis, incedant. Juris Orient. Tom.1. pag.35. 325. In Can.16. Cart.*

IX. Nec illud fas est à nobis sileri, quod idem observat Balsomn, *In Can.14. Basil.*, admissos ad Clericatum fuisse à Basilio eos, qui usuris nuntium remisissent, erogato in pauperes lucro, quòd ex eis corraserant: id eò factum esse, quòd per leges usuris Laici non arceantur. Nam, ut idem alibi pluribus persequitur, Lege civili Senatoribus concedebatur, ut è centum quatuor lucrarentur; Laicis aliis & mercatoribus, ut è centum sex; usuram nauticam exercentibus ex centum duodecim, quæ centesimæ illæ ipsæ sunt, quibusde agitur in Canone Nicæno, inde nomen nactæ, quod singulis mensibus exigerentur. Ut ab his omnibus deterrerentur Clerici. *Juris Orient. Tom.1. p.364. T.2. p.19. 20.*

Cum nummulariorum Officia Clerici sibi pretio comparassent, Manuel Comnenus, ut perhibet Balsamon, illis eos excussit, quòd ejusmodi munia cum Clericatu conjungi & cohærere non possent. Cujus ea erat conflictationis ratio, quòd civili jurisdictioni eos Clericatus ipse subduceret, atque ita si quid ab eis peccatum esset in eo munere defungendo, legitimis pœnis coerceri non possent. *Vobis, cum sacerdotes sitis, talem artem exercere non licet, quia nec potestis convenienti castigatione coercere, si quid præter præfectoriam definitionem faciatis, cum sitis sacrati. Ibidem p.374. 375.*

X. Jam quod ad Medicinam pertinet, hæc luculentè Balsamon disputat: Medicos cuncta præclarè polliceri, sed & falli ipsos & fallere; atque adeo Clericos, maximè verò Diaconos & Presbyteros abhorrere ab his & allucinationibus & mendaciis debere, totos autem se impendere ei vitiorum medicinæ, & salutis animarum procurationi, quæ regulas consectatur sempiternæ & incommutabilis Sapientiæ & Veritatis. *Ars autem Medica, licèt à Philosophis definiatur Conciliatrix sanitatis, id tamen necessariò non fit. Fallacia enim sunt hominum consilia. Cui igitur abscedat Clericus, multòque magis Sacerdos & Diaconus ab attributo sibi ministerio, irreprehensibili & firmo, & ad id, quod lubricum & ambiguum, sæpè etiam periculosum est, se conjiciat? Ibidem.*

XI. Aliquandiu ante Balsamonis tempora idem ipsum Zonaras observaverat in Nicænum Canonem, *Can.17.*, jam tum pervulgatus fuisse illos tres contractus, à Clericis videlicet excogitatos, qui usuris expressiùs, instantiùsque arcebantur. Illi ipsi nimirum sunt contractus tres, nostro hoc ævo innovati, ante tempora Zonaræ usurpati olim, à Zonara & Balsamone jam tum exsibilati. Primus erat contractus societatis, secundus certi lucri, tertius quo sortis periculum in se mercator recipiebat. *Nec se fœnatores, sed socios dicunt; ac emolumentorum solùm tantummodo participes, nullam interea jacturæ periculum subeunt.*

XII. Ad calcem denique hujus capitis adjiciemos, ecquid causæ esset, quamobrem tam crebra Conciliorum decreta in usuras Clericorum sævirent, cum divina lege & sacris ipsis Codicibus tam disertè usura proscriberetur. Id nos edocebit Leo Philosophus Imperator, singulari Constitutione illa sua, qua ait parentem suum Imperatorem, gnarum quàm Scripturarum oracula inimica sint usuris, consilium iniisse earum funditus exstirpandarum, & ea mente Constitutionem promulgasse. Inauspicato sanè exitu, & qui piis ejus consiliis minùs responderet. Tum enim divites jam abhorruisse à mutuo pauperibus dando, eoque perfectum esse, ut qua lege levationis non parum pauperibus accessurum spes erat, ea ad majores angustias adigerentur. *Atqui propter paupertatem res illa, non in melius, quem tamen finem Legislator proposuerat, sed contrà in pejus vergit. Qui enim antea usurarum spe ad mutuandam pecuniam prompti fuerant; post latam legem, quod nihil lucri ex mutuo percipere possent, in eos, qui pecuniis indigent, difficiles atque immites sunt. Quia etiam ad facilè jurandum, atque jusjurandum abnegandum, id occasionem præbuit. Breviter propter redundantem in humana vita perversitatem, non modò non profuit legis virtus, verùm etiam obfuit. Constit.3. Leonis.*

Leoni itaque abroganda necessariò fuit paterna Constitutio, & usuræ moderandæ; quando penitus eludi non poterant. Constitutio ergo ab eo edita est, qua exigi fas esset quatuor è centum, quę Nobilium priùs & Senatorum usura erat. *Quanquam igitur legem culpare nequeamus, propterea tamen quod humana natura ad illius sublimitatem non perveniat, egregium illud præscriptum abrogamus; ac in contrarium statuimus, ut æris alieni usus ad usuram usque procedat, idque quomodo veteribus legislatoribus placuit, ad trientes centesimæ nempe.* Centesimæ usuræ dicebantur, ubi è centum duodecim capiebantur, quòd nempe menstruæ essent eæ usuræ. Ita tertia pars centesimæ, quatuor è centum lucro apponebat.

Si Imperatoriæ leges, divinis legibus præsidio cum essent, Laicorum usuras torrentis in modum grassantes cohibere non potuerant, ut temperando jam morbo, non persanando studeretur, ne acriori curatione integrasceret, necessum utique erat, ut Episcopi in Concilia sua conglabati Clericos saltem coercerent, circumscriberentque, delineatis quibusdam quasi limitibus artium earum innoxiarum, & negotii inculpati, cui divina lex non repugnat.

XIII.

XIII. Lex porro illa Basilii Imperatoris, cujus Leo meminit, & qua funditus usura auferebatur, & justitiæ & legi divinæ omnino consentiebat, quanquam ex ea ansam captarent divites, jam pauperes omnes mutuo excludendi, quo his pernicies accelerabatur. Tum verò Laoni ne in mentem quidem venit, usuram non prohiberi, nisi in pauperes, divites autem ea nequaquam arceri inter sese mutua. Quin ex adverso Leo usus est eo temperamento, quo divites pauperesque hac quidem in re æquabantur, moderandis usuræ lucris, quæ prorsus extincta ipse quidem maluisset, ut legi divinæ cumulatiùs satisfaceret. Aberrant ergo vehementer, qui eas tantùm aversantur usuras, quibus affliĉtantur pauperes.

CAPUT XX. *P.3. l.4. c.5.*

Nec procuratores, nec Conductores, nec Agentes erant Clerici sæcularium causarum & rerum eodem medio ævo Carolinæ stirpis regnantis.

I. II. Nec causas agere, nec lites persequi fas est Clericis apud sæculares Judices, nisi permittente Episcopo, ad orphanorum & Ecclesiæ causas.

III. Administrationes, Tutelæ, & munera varia, quæ fas, nefasve est Clericos sustinere.

IV. Exempla varia sanctissimorum Præsulum, in Palatio diversis Officiis, & ministerio ipsi addictorum.

V. Græcarum Ecclesiarum Decreta de Officiis, in qua Clericis patet aditus.

VI. Ut causidicos esse Clericos antè fuerit vetitum, post concessum sit, quando Curia Judicum cœpere partim Clericis, partim Laicis constare.

VII. VIII. De Cautionibus & Tutelis.

IX. Quæ Clericis munia possint Episcopi demandare, vel Imperatores, nec non & Monachis.

X. Restringitur ea Principum potestas.

XI. De tutela Principum impuberum.

I. NEgotiis, vel artibus, quibus Clerici non abducebantur, utpote decoris, aut tolerandis saltem, nunqoam annumerata fuit procuratio, sive Actio litium coram Judice sæculari; nisi pauperum, viduarum, orphanorum, vel Ecclesiæ causa verteretur. Non avaritia, non ambitio enim, sed sincera & publica charitas extimulat ad opem pauperibus ferendam, Christique membris, & ejus Ecclesiæ. Ita sanè statutum est anno 755. in Concilio Verno. *Can.16. Ut Clerici conductores non sint, hoc est, ut non habeant actiones sæculares, nisi pro causa orphanorum, vel viduarum, vel Ecclesiarum, ordinante Episcopo suo, vel Abbate.*

Non patet ergo aditus Clericis Monachisque ad sæcularium Judicium Tribunalia, ex hoc Concilii Verni Canone, nisi vel Episcopi aut Abbatis jussione: & ubi non sua privatim, sed publica pauperum vel Ecclesiæ causa defensitanda sit. Publicam dixi, quòd Ecclesiæ res tunc omnes in commune possiderentur conjunctim ab universis. Postquam enim sectum fuit Ecclesiæ patrimonium in alia & alia Beneficia, non satis liquet, an qui suum sibi vendicandum Beneficium forum frequentat, eodem agatur spiritalis instinctu charitatis, quo qui lites persequuntur sanctissimæ alicujus Congregationis, cui & ipsi devincti sunt, cujus etiam stipendiis haud sanè opimis vitam tolerant & ipsi, ut cæteri pauperes.

II. Ne istud quidem in præteritis reliquit Concilium Moguntinum anni 813. ubi artes pernumeravit Clericatui adversas. *Contentiones & lites, vel rixas amare, in placitis sæcularibus disputare, excepta defensione orphanorum & viduarum, conductores, aut procuratores esse sæcularium rerum. Can.14.* Sed his non paulò plura recensuerunt Caroli Magni Capitularia, congestis in unum locum iis omnibus laqueis, quibus sæculo rursùs implicari possunt Clerici, quibus sese antè expedierant. Non lites ergo, non cautiones, non procurationes permitti possunt domorum, negotiorum, exactionum publicarum. Si ei Statuto deroget Episcopus, res ejus omnes, etiam patrimonia ipsius fisco Ecclesiæ adjudicantur. Si cæteri Clerici, pecuniaria mulcta in eos animadvertent Episcopi; in eos leges agere non poterunt, qui suas illis causas delegaverint: si publica sint negotia, aut debita, penes eos erit periculum, qui hanc eis curam demandaverunt. *Clericus, vel Monachus neque exactor publicarum* (Supple *Exactionum*) *neque conductor, aut vectigalium Magister, vel Cura domus, vel Procurator litis, vel Fidei jussor in talibus causis fiat. Si quis contra hæc statuta fecerit, si opus est, omnes eorum res ex quacumque causa, vel persona, sive ante Episcopatum, sive postea ad eum pervenerint, Ecclesia sua eas vindicare faciemus. Si verò alii Clerici hoc fecerint, pœnam pecuniarium, quam Episcopus existimaverit exigere, Ecclesiæ vendicandam. Hi verò qui actiones suas ei commiserint, vel fide jussores eos pro supradictis causis acceperint, nullum contra Ecclesiam, vel administratores ejus, vel adversùs ipsas personas, quas crediderunt, habeant actionem. Leg.6. c.121.*

III. Vetuit Concilium Cabilonense II. anni 813. *Can.12. 44. ne Presbyteri, neque Diaconi, vel Monachi, villici fiant*, rerum videlicet & causarum sæcularium. Vetuit & idem Concilium Presbyteros *Cancellarios publicos esse, nundinas insolenter peragrare*. Soli Presbyteri hic arcentur Officio Cancellarii, sive Notarii publici, uti & Procuratoria munere summoveri non videntur, nisi Presbyteri, Diaconi, & Monachi. In Concilio Parisiensi VI. anno 929. idem Presbyteris & Monachis prohibetur. *Can.28. Comperimus nonnullos Presbyteros & Monachos, desertores ordinis sui, adeo villicationes & negotiationes, & diversa turpia lucra sectari, &c.*

Capitularibus Episcopi, Clericique alii Tutores & Curatores agere sinebantur, dum intra menses quatuor publicè contestarentur, sua se sponte id oneris subiisse, & ne aliud quidvis ejusmodi muneris eis posset præterea imponi. *Si tamen intra quatuor menses per competentem Judicem in scriptis manifestaverit, quod hujusmodi munus sua sponte susceperit; & tum circa aliam tutelam præjudicium non patiatur. Addit.3. c.24.*

Loco ipso Natalium suorum Carolus Magnus magnificentissimam Ecclesiam exædificare adgressus, quæ nominis & imperii ejus amplitudini responderet, nec magnificentiæ olim Romanæ concederet, ei operi præfecit Abbatem, cujus fidei totus innitebatur, quanquam minus perspectum illum haberet. Ita enim Sangallensis Monachus. *L.1. c.30. Ad cujus fabricam de omnibus cismarinis regionibus Magistros & Opifices omnium id genus artium advocavit: super quos unum Abbatem, cunctorum peritissimum ad executionem operis, ignarus ejus fraudium constituit.* Otii saltem abundantia superabat is Abbas Frotarium Tullensem Episcopum, qui à Ludovico Pio Imperatore jussus, famoso Aquisgranensi Palatio elegantias aliquas artis novas adjicere: non commissurum se existimavit in colendissimum sibi & carissimum Principem, si machinas & artes tentaret omnes, quo ei se tumultuosissimæ curæ sub-

traheret, sarcinamque excuteret, Episcopali & dignitati & officio minimè consentaneam. Abbatis Hilduini ope & gratia apud Ludovicum Pium id se consequi posse speravit. *Præcipimur, ut in Aquis Palatio operemur, & laboribus ibidem peragendis insudemus. Sed ab hoc opere alia servitia & necessitates nos revocant, & si vestra pietati libet, etiam opportunam satis excusationem prætendunt.* *Du Chesne To.2. pag.716.* Tam illustria virtutum documenta semel iterumque inculcari nihil vetat.

IV. Quem idem Imperator adhibuit Presbyterum & Abbatem; ut cum Comitibus incumberet sedandis Marchæ Hispanicæ tumultuationibus, exemplo Frotarii importunam eam provinciam deprecari certè, aut etiam detrectare potuisset. *Ibidem pag.270. 351.* Nec idem temerè dixerim de Angilberto Abbate, Capellæ Caroli Magni Præfecto, & ad omnia ejus Consilia asciri solito, cum suprà ostensum sit Regiorum Consiliariorum munera & Episcopales infulas ultro citroque & ornamento sibi fuisse & præsidio. Plures ille obiit Legationes, cum Centulensem adhoc gereret Abbatiam. De eo hæc Adrianus Papa in Epistola ad Carolum Magnum. *Engilbertum Abbatem & Ministrum Capellæ, qui pene ab ipsis infantiæ rudimentis in Palatio vestro ennutritus est, & in omnibus Consiliis vestris receptus.* Consanguineus Pipini Brevis Beatus Adelardus, quanquam Corbiensis jam Abbas, à Carolo tamen Magno delegatus est ad regendum & Regem ipsum Italiæ Pipinum, & Regnum ejus, quo munere præstantissimè functus est, ut non homo, sed Regni præses, & custos Angelus passim omnium ore celebraretur. *Justitiam verò quantum sectatus sit, testis est Francia & omnia regna terrarum consultu sibi summissa: maximè tamen Italia, quæ sibi commissa fuerat, ut regnum & Regem ejus Pipinum juniorem ad statum Reipublicæ, & ad Religionis cultum utiliter, justè atque discretè honestius informaret; ubi tantam promeruit laudem, ut à quibusdam, ita ut fertur, non homo, sed pro virtutis amore Angelus prædicaretur.* Verba ea sunt Paschasii Radberti in ejus vita. *Seculum Benedict. Tom.4. pag.314. 318. 454. 502.* Inter ipsas Aulæ tumultuationes, & ex ipsis Principis Consiliis, mens ejus suffurabatur se terris, & lectione, vel prece in cœlos devolabat. *Inter ipsas Palatii populorum frequentias, dum Rex & consiliarii ejus aliud quid intenderent, & turba more solito undique perstreperet, sæpè eorum in medio positus legebat, quasi ad agonem flendi huc venisset. Itaque ibi residens, alibi cælorum Regi secretius assistebat.* Ejusdem Regni clavum adgobernasse fertur, impubere adhuc Bernardo Rege Pipini filio. Germanus ejus Vala Corbiensis ejusdem Cœnobii primum Monachus, postea & Abbas fuit. Paschasius idem vitæ ejus Scriptor, affirmat illum junioris Imperatoris Lotharii instituendi magisterio & cura ornatum fuisse, & ad omnia Regni consilia à Ludovico Pio solitum accersiri. *Consiliarius totius Imperii.* Eo & meritorum, & gratiæ aulicæ cumulo fratres ambo, non poterant non invidorum dentibus lacerari. Aula ergo extrusi, post in eam revocati, posse se demonstrarunt Aulæ pompa carere, non posse Aulam suo ministerio. *Le Coint. Anno.810.*

Abbas & Marchio Hugo ille cujus meminere Annales Bertiniani sub Carolo Calvo, tuendis & ipse Imperii Marchis & limitibus addictus fuisse videtur, sicut & Medonius Episcopus Augustodunensis, qui defensionem & Præfecturam Aquitanicæ Provinciæ in duos comites partitus fuerat. Rodolphus Sancti Ricarii Abbas à Carolo Calvo nepote suo Præfecturam & Comitatum accepit Oræ Maritimæ. *Regis Caroli, sui scilicet nepotis dono & prece Comitatum Maritimæ Provinciæ suscepit.* *Du Chesne To.3. p.249. Lupus Ep.28.* Successores ejus, Abbates Centulenses, Comitum & ipsi, ac Provinciæ Præfectorum partes sustinuere, adversus infestationes Danorum frequentissimas. *Chronic. Centul. lib.3. c.9. 10. Spicileg. Tom.4.* Cum receptissima tunc Regni consuetudine & lege, alerent ii Abbates numerosas militum cohortes ad Regni defensionem, non est quod tantopere miremur, si & Præfecturas quandoque & ipsi gererent, altiusque sese immergerent in bellicas quandoque expeditiones, quàm eorum propositum desideraret. Eo non semel objurgavit Hincmarus Remensis Archiepiscopus Laudunensem Episcopum nepotem suum, quod & se, & Episcopis Provinciæ inconsultis in Palatio Regis administrationem capessivisset; unde & non multo post tempore ab ea illum Rex excussisset. *Sine mea vel Coepiscoporum conscientia administrationem in Palatio Domini regis obtinuit, donec administrationem Palatinam Rex auferret.* *Hincmar. Tom 2. pag 391.* Potuerat forsan ea administratio non penitus cum Episcopali dignitate confligtari. Unde nec probro dat Metropolitanus, nisi quod eam iniisset Hincmarus Laudunensis Metropolitani & Coepiscoporum injussu.

Sub Ethelvulpho Angliæ Rege, circa annum 837. referente Vvillelmo Malmesburiensi, Ecclesiæ & Regno extrema incubuisset pernicies, nisi Regi & Regno titubanti lapsantique affuissent Suviothunus, & Alstanus Voreestreosis & Sireburnensis Episcopi, alter consilio, sapientia & religione, alter fisci & rei bellicæ cura in se traducta. *Hi videntes Regem crassioris & hebetis ingenii, sedulis admonitionibus ad scientiam regnandi stimulabant, Suvithunus ad cœlestia informabat, Alstanus forensia quoque non negligenda ratus, eundem contra Danos animabat, ipse pecunias fisco sufficiens, exercitum ipse componens.* Vitam jam Monasticam Beatus Dunstanus profitebatur, cum Edmundus Angliæ Rex illum in Palatium accersitum, ad regni gubernacula sedere jussit, & principem ministerii Regii locum tenere. Rem ille publicam ea integritate gessit, ut impiorum factione exturbatus sit, mox eodem cum ingenti gloriæ fœnore revocatus. *Dunstanus Regi quasi præcellenti secundùm Apostoli præceptum, obediendum esse perpendens, Regem adiit, & salva in omnibus reverentia ordinis sui, ejus imperio se subjecit. Ipse suo consilio Regni negotia disponebat, ipse lites & contentiones, si quando oriebantur, destruebat, ipse pacem & concordiam inter omnes nutriebat. Nullus in qualibet causa unquam de injuria sibi illata conquestus est, si ad comprobandam judicii sententiam Dunstanus mediator aut arbiter sederet.* Ita perantiquus Scriptor vitæ Dunstani. *Surius die 19. Maji c.13.*

Nec solus Dunstanus obtemperandum sibi necessariò duxit Principi ad summa hæc & ardua munia vocanti. Beatus Herbertus Coloniensis Archiepiscopus Othoni III. comes fuit in Italiam proficiscenti, ut Primarius Regni administer. *Ierat cum illo tunc quoque Sanctus, utpote ad disponenda pernecessarius maxima regni negotia.* *Surius die 16. Mart. c.10.* Cessit & Brono sanctissimus Coloniensis Archiepiscopus Imperio Otthonis, sarcinam illi injicientis Regni administrationis. Exarsere obtrectatores virulenti, qui negarent Præsulem animarum operoso regimine distentum, clavo Reipublicæ tractando vacare posse. Horum obtrectationes strenuè refellit ejus vitæ author, objecto Samuelis & Danielis exemplo, qui Sacerdotis & Prophetiæ munia pulcherrimè consociarunt cum summo Reipublicæ & Regni ministerio. *Cogente Imperiali authoritate suscepit tractare negotia regni; & cum unicuique de Principibus & Magistratibus suum partiretur onus, unicuique sibi congruum imperaret opus,*

nihil

nihil tamen erat, quod non ipse obierit, hoc maxima vivacitate providens, quod omnibus expediret. Causantur fortasse aliqui divinæ dispensationis ignari, quare Episcopus rem populi & pericula belli tractaverit, cum animarum tantummodo curam susceperit, &c. Nec verò nova fuit hujusmodi gubernatio, aut Sanctæ Dei Ecclesiæ antè inusitata; cujus exempla si quis requisierit, in promptu sunt. Nemo igitur super hac re culpabilem eum dicat, cum Samuelem sanctum & alios plures, Sacerdotes pariter legamus & Judices; & Danielem Prophetam, &c. Surius die 11. Octob. c.26. Missum facio beatissimum virum Bernardum Hildesheimensem Episcopum, qui non modica ex parte Regum adgubernavit, pace, belloque sub Ottone III. Imperatore, cujus institutioni ante Episcopatum præfuerat. Exarsit & in illum flamma invidiæ, & maledicentiæ, quasi non posset Episcopus civili administrationi tamdiu & tam splendidè immorari. *Multorum invidiam in se commovebat, qui indignabantur illum vigilantiori studio Reipublicæ negotia obire. Idem Nov. die* 20. Sed Episcopali charitati quis jure limites figet, quæ limitis & repaguli insolens, temporali etiam civium se impendit saluti, ut hinc occasiones venetur ad æterna eos provehendi.

V. In Orientem trajiciemus, ubi obvius prodibit Photius, cujus ex Nomocanone, *Tit.8. c.13.*, perdiscemus, quod supra explanatum est à nobis Caroli Magni Capitulare, id ex Justiniani Novella depromptum esse, nonnihil interpolata, ut nostris usibus accomodaretur. Vetat enim Episcopos, aut Monachos, Tutores & Curatores constitui; à reliquis Clericis non vetat tutelas adiri, dummodo tunc etiam juridicè testatum faciant, sua se sponte in id consensisse. Cætera mitto, quæ Novellæ & Capitulari communia sunt. Ratione autem ea videri potest Græcos intercessisse, ne Episcopi Tutores essent, cum id Capitularia permitterent; quod apud Græcos nulla prorsus esset bonorum Ecclesiæ partitio, sed in commune omnia obtinerentur, summam eam administrationem circumgestante Episcopo, atque nulla alia administratione implicando. Cum inter Latinos persæpè jam sectæ essent Ecclesiasticæ res, & sua Clerus, sua Episcopus portione gauderet.

Addit porrò Balsamon, *Ibidem*, à Michaele Anchialo Patriarcha, Synodali Constitutione, vetitos esse Lectores, & cœteros Clericos minores, ne publica ea & sæcularia adirent officia, quæ Præsbyteris hactenus & Diaconis solis fuerant interclusa. Joannes verò Patriarcha Monachis, Diaconis, Clericisque omnibus prohibuit, ne causas ipsi actitarent. Leo Philosophus Monachis & Clericis tutelis interdixit, quanquam per illum eis liceret, executoribus esse ultimarum voluntatum, si quæ maximè pia essent legata. *Porrò Novella LXVIII. Leonis Philosophi jubet, ne Clerici, vel Monachi orphanorum tutelas, vel curas suscipiant; permittit autem ut sint tutores, vel administratores ultimarum voluntatum, & maximè si ad animam pertinentes donationes sunt ab eis processuræ. Et nota hoc. Hanc enim distinctionem non alibi situm invenies.*

VI. Est autem non paulò memorabilius, quod à Balsamone subjicitur. Cum Lucas Patriarcha Diacono prohibuisset ne in foro sæculari causas ageret, cum id & Leges, & Canones exploderent, stitit se Diaconus ad tribunal Imperatorium, & præsente Luca ipso Patriarcha vehementissimè peroravit, ut pervinceret, Causidicorum officio non arceri Clericos per Leges Canonesque, nisi qua ratione olim, non qua nunc causæ agebantur. Olim enim Causidici à Magistratu Civili insignia accipiebant Officii sui, illi obnoxii erant in obeundis functionibus suis, certa frumenti quantitate donabantur ab Imperatore, causas quascumque civiles actitabant. Horum verò nihil prorsus Clericis affingi posse id muneris fungentibus. Unde & Episcopi non raro amicos & conjunctissimos sibi viros in foro defensitant; quin & legibus permittuntur Ecclesiæ suæ apud tribunalia patrocinari. His argumentis expugnatus Patriarcha, à sententia recessit concessitque Diacono, ut pristino suo more causas ageret. *His dictis admissus est, eique fuit permissum à Patriarcha, ut causas velut antè defenderet. Juris Orien. part.5. pag.227.*

Est autem cum primis probabile, novum eum usum inde irrepsisse, quod sacrum & civile Forum ultro citroque commisceri cœpit, unde ortu illud venit, ut & Clerici causidicos agerent; & ubi postea bipartita ea Tribunalia cœpere sæcularibus magis, quàm Ecclesiasticis causis frequentari, ab agendo non destiterint. Certum est enim leges & Canones, quæ eo munere Clericos expunxerant, cum necdum ea Tribunalia Christiani & Orthodoxi Judices obtinebant, vigorem suum sospitem nihilominus retinuisse, ubi ne sæcularia quidem judicia, nisi fidelibus & orthodoxis sunt permissa. Ad id quidem argumenti satis est vel in exceptionibus ipsis, quas Canones adhibuere. Erant enim utique Christiani Judices & fideles, cum in eorum foro sinerent Canones à Clericis defensitari causas Ecclesiæ viduarum & orphanorum. Non ergo aditus patuit Clericis ad causas qualeslibet agendas, nisi postquam mixta invaluere Tribunalia.

VII. Ex Novellis Justiniani & Basilicis, quibus non aliud, quàm Apostolici Canonis interpretatio contineri videtur, tradit alio loco Balsamon, gradu suo dimovendum esse Clericum, si sordidi lucri spe ductus, pro quoquam caveat; si caveat autem pro pauperibus, vel pietatis causa, hinc laudes ei potius decerni debere, quàm pœnas. *Si Clericus lucri gratia, pro aliquo fidejusserit, deponatur, propter fidejussionis turpitudinem: sin autem pro aliquo paupere fidejusserit, propter misericordiam, vel propter aliquam piam causam se ipsum pro alio ingesserit, non deponetur. In Can.20. Apostol. Juris Orient. Tom.1. p.32.*

VIII. Non ita forsan facilè quis assentietur eidem Balsamoni, ajenti Novellam Justiniani priscamque legem Episcopos & Monachos Tutores, aut Curatores fieri omnino prohibentem, conciliandam ita esse cum Canone Calchedonensi, quo id fas est, ubi per leges ad id vocantur, ut Canon exceptio quædam legis sit. *Balsam. in Can.3. Calche.* Similius veri videri potest, tum passos esse Calchedonenses Patres, legibus obtemperari, quod non id sibi tum quidem sumerent, eas ut leges emendarent. At eas leges contraria hac edita Constitutione utique antiquavit Justinianus, vetuitque, ne iis cogerentur sive Episcopi, sive Monachi Tutores sese aut Curatores agere. Tutores, ut ait Balsamon, pueris dantur usque ad annum ætatis decimum-quartum, puellis usque ad duodecimum, Curatores utrisque ad quintum usque supra vigesimum. At ex dictis Balsamonis intelligitur saltem, qui esset ejus temporis usus.

Usu receptum erat illud quoque, ut Presbyteri Clericique Tutelas gestare possent, cum legibus jubebantur proximorum causâ, quando ne Episcopi quidem licentia opus erat. Permittente Episcopo poterat & alias obire Tutelas, earumque causas actitare. *Ibidem*. Quo ipsi videbantur obstrepere Legi Justiniani, quæ proximorum tantùm Tutelas annuerat, jubente lege.

Usu quoque magis, quàm vigore legum obtinuerat, ut Episcopi testamentorum executores essent, & ultimarum voluntatum; cum Novella Leonis Philosophi ea facultate non donasset nisi Clericos & Monachos, addita copia lites omnes persequendi. Nec abnuit ferè Balsamon, quin ita sit,

etsi

etsi Episcopos refcrat hinc sibi defensionem parasse, quòd universim Leges & Canones ipsos præcipiant, curæ habere dona & largitiones omnes, quæ in Ecclesias & io pauperes fiunt.

IX. Cum Concilium Calchedonense potestatem faciat Episcopis, ut res & causas suas Monachis delegent, sive Ecclesiasticas, sive civiles, hinc Balsamon more Græcis perquam familiari argumentatur, multò potiori jure posse Imperatorem aidem sarcinæ Monachos subjicere; ex quo & rursus id exprimit posse Imperatorem Episcopis causas Imperii demandare. Rem exemplis probat. Sub Michaele Duca Metropolitanus Sidæ Imperium administravit. Metropolitano Neocæsariensi commendata est Præfectura oræ maritimæ. His addi posse & exempla alia idem confirmat. *Et alii etiam Antistites & Monachi, imperatoria & publica ministeria similiter exercuerunt. In Can.4. Calched.* Negotiis & causis Imperii interest non parum discriminis. Sunt quę ministerio Episcopali non pugnent, suot quæ repugnent maximopere.

In Concilio Constantinopolitano I. & II. id quoque prohibitum est, *Can.4.*, ut Monachos possent Episcopi Claustris educere, & regendæ alicujus Optimatis familiæ præficere. Quanquam id enim literę & cortici Canonum minùs consentiat, ipsi tamen Canonum menti & medullæ prorsus concordat, quidquid saluti hominum conducit. Audiendus Balsamon: *Quod in sæculari domo Monachus ab Episcopo collocetur, ad eorum salutem, qui ibi sunt, ne novum tibi videatur. Sacris enim & divinis Canonibus solius animæ hominum salutis cura est, & nullius alius. Qui ergo secundùm Deum conversatur, à loco non læditur, & eis, qui unà sunt, admodum prodesit.* Exemplum laudat Balsamon Lucæ Patriarchæ, qui Monachum Presbyteratu initiatum, & singulari sapientia & religione clarum Ministro Imperatorio concessit, ut à Consiliis illi & à Secretis esset. Ex quo rursus id elicit, multò minùs ea potestate frustrari posse Imperatorem.

Eodem Concilio Constantinopolitano confirmati sunt antiqui Canones, quibus abdicationis pœna plectuntur Presbyteri, Clericique ioferioras, qui Magistratus, vel Officia Reipublicæ induerint, *vel eas, quæ in Magistratuum ædibus dicuntur curationes. Can.11.* Quo hic arcentur Clerici, eo avaritiæ & honorum libidini serviebant. Quod antè vel Monachis ipsi permittebatur, eo promovabatur salus Magnatum, & eorum familiæ. Cum invenisset autem Patriarcha Lucas Clericos complusculos sæcularibus his compedibus implicatos, ut domorum & terrarum curam agerent; ut tributa & capitationes exigerent, & marium vectigalia, Magistratuum denique civilium functiones obirent; pristinum ille vigorem antiquis restituit Canonum institutis, ut corruptelæ ei intercederet, qua adversùs antiquissimas & irretractabiles Ecclesiæ leges præscribi nequisset; præsertim cum nihil patrocinii accersi posset à decretis Patriarcharum, Imperatorum, Conciliorum. *Et si enim longa consuetudine confirmari stabilirique existimant, quod non pauci ante eos illa susceperint, non trahetur tamen ad exemplum. Non enim interciderunt Canones, &c. Balsamon. in Can.16.Carthag.* A' Joanne Patriarcha publicatum est diploma sacrum; ne Clerici vel Monachi aliorum causas in se reciperent defensitandas in foro sæculari, vel sacro; nisi id oneris Patriarcha ipse illis imponeret, ut Ecclesiasticæ alicujus causæ adessent. Civilibus omnibus Judicibus Edictum suum Patriarcha significatum voluit, ne quem Clericum sinerent posthac cujusquam alterius causam agere. *Juris Orien. Tom.1. pag.214. 221. 222.*

His Patriarcharum decretis duplex suffragabatur ratio. Primum quòd calliditatibus causidicorum, & negotiorum tumultu Clerici avocentur à sacris Ordinis sui functionibus. *Impediunt, ne possit Ecclesiasticis negotiis vacare.* Et rursus quòd ejusmodi lucris sordescat Clericatus. *Id enim est apertè mercenaria opera: ergo labia. Ibidem.* Utramque eam rationem perstrinxerat Canon Carthaginensis: *Ne turpi aliquo vel vili negotio victum sibi quærant: Debent enim ad id quod scriptum est respicere, Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.*

Quod autem rursum contendit Balsamon, *In Can. 4. Con. Calch.*, cum per Canones Calchedonenses Episcopis liceat permittere vel præcipere, ut Monachi vel negotia, vel munia aliqua sæcularia exerceant: eadem potestate certissimè impartiendum esse Imperatorem; rursum & nos monemus, ex esse Græcorum hominum præjudicia & verba, jam inde ab hoc ævo medio frequentissima; & ab ejusmodi sive potestate, sive licentia semper abhorruisse Carolum Magnum. Nunquam id Carolus arrogavit sibi, sua ut unius auctoritate, Episcopatus Metropolitica augeret dignitate, novos crearet Episcopatus: Episcopis copiam faceret Pontificalium munium exercendorum in alterius Episcopi inconsulti Diœcasi. Quę hic omnia Balsamon Imperatoriæ astruit potestati. *In Can.16. Carthag.* Procul erat ab hac sibi facultate viodicanda, qui ne Episcopum quidem voluit in Palatio Archicapellani munus sustinere: nisi Pontifice Romano, & Concilio Francofordiensi dispensante.

X. Nonnibil tamen patrocinii ex eo conciliari forsan posset Balsamoni, quòd ea potestate non donet Imperatorem, ut Clericos vel Monachos muneribus officiisque civilibus abdicat, nisi ex dispensationa. Atque illa demum dispensatio legibus consentit, quæ utilitati sarvit publicæ, vel urgenti necessitati. Si ea potestas non aliter exeratur, minùs dolendum erit. Potest rursus & aliunde levari error Balsamonis, quòd vel ipse minus spatiari sinat hanc Imparatoriam potestatem, nec velit dignitates omnes civiles, militares, Palatinas Clericis aptari tribuique posse, quanquam dispensatio Imperatoria interveniat. *Sæcularem autem dignitatem Clericum assequi, vel singularis exercitûs ductorem effici, per Decretum Imperiale, & nominari fortè Augustum, vel præsidem, vel Magnum Domesticum, non mihi videtur. Supplem. pag.1124.*

XI. Uno verbo attingam Tutelas Regum & Imperatorum ipsorum impuberum. Alexander Basilii filius in Imperio succassorem habuit Constantium ex fratre nepotem septeonem, eique Tutores designavit non paucos, quos inter principem tenebat locum Nicolaus Patriarcha, qui & Imperium eo nomine administravit. *Nicolaus nepoti unus Tutorum clavum Reipublicæ tenuit*, ut habet Cedrenus.

CAPUT XXI. *P.4. l.4. c.5.*

De negotio & mercimonio Clericorum & Monachorum post annum Christi millesimum.

I. Mira Tyronensis Cœnobii fundatio, ex confluente opificum omnis generis multitudine, Monasticam Regulam profitente, operas suas & earum pretia in communes usus conferente.

II. Concessum Clericis negotium, quo vitæ necessitatibus consulitur: vetitum, quo congeruntur opes. Probationes ex Conciliis & Pontificibus superioribus.

III. Argumenta alia ex nuperis Conciliis.

IV. Nova documenta & elucidamenta, ad liciti & illiciti negotii delectum.

V.

V. *Quid Bernardus, quid Petrus Blesensis de negotio Clericorum.*

I. NEgotii jam diximus genus esse, laboris & operis manuum venditionem, Codicum etiam, quos exscripsissent. Tyronensis Monasterii in Diœcesi Carnotensi exædificatio, ut ab Orderico refertur, *Hist. Eccles. anno* 1094. *pag.*715., manifestè declarat, quàm non mediocre negotium possit ex operis manuum distractione, lucrumque comparari. Quinciensis in Pictonibus Abbas impatientissimè ferens Cœnobium suum à Paschali II. Cluniacensi mancipatum fuisse, inde secessit, & ad Ivonem Carnotensem Episcopum cum commigrasset, Tyronensem ab eo sylvam accepit, jaciendis novi Cenobii fundamentis. Ea ille eloquentiæ suavitate & vi fuit, ut ad se opifices pertraheret, ea & multitudine & varietate, qua urbes ab iis frequentantur. Eos omnes admisit, artibus quemque suis insistere jussit, multa orationis, & totius Monasticæ institutionis interpolatione, jussos in primis lucrum omne in commune conferre. *Illuc multitudo fidelium utriusque Ordinis confluxit, & prædictus pater omnes ad conversionem properantes charitativo amplexu suscepit, & singulis artes, quas noverant legitimas, in Monasterio exercere præcepit. Unde libenter conveneeant ad eum fabri, tam lignarii, quàm ferrarii scriptores & aurifabri, pictores & cæmentarii, vinitores & agricolæ, multorumque officiorum artifices peritissimi. Sollicitè quod ei jussio Senioris injungebat, operabantur, & communem conferebant ad utilitatem, quæ lucrabantur.* Grande id erat & amplum Monasterium, modica urbs, ubi tot artificum lucro & mercedibus ingens opum copia parari potuisset, nisi charitas ejecta cupiditate præfuisset. Illud enim credi par est. Conversos ejusmodi ad opus compulsos non fuisse, nec operum accumulatas mercedes, nisi quantum juberet necessitas alendorum tum Monachorum, tum pauperum: multùm feriari ab opere his opificibus permissis, ut & Monachos se esse meminissent, nec temporali tantùm, sed cælesti pani parando insudandum esse, & orationis frequentia, & Monasticæ totius professionis diligentia.

II. Illa nimirum discrepantia est liciti & illiciti Clericorum ac Monachorum negotii. Negotium quo ad opes anhelatur, septum illis & interclusum est. Pervium est, nec illaudatum, quo vitæ necessitatibus servitur. Ita perspicuè diffinit Concilium Londinense anni 1175. quòd ea priscæ disciplinæ constantissima traditio sit. *Secundùm instituta Patrum nostrorum, sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi vel Clerici causa lucri negotientur.* Can.10. Prohibebatur ergo negotium *causa lucri*. Hoc verò Decretum totidem verbis decerptum est ex Epistola Decretali Alexandri III. ad Episcopum Londinensem, quæ Decretalibus Gregorianis intertexta est. *L.3. Decret. Tit.*50. *c.*6. *Tit.*1. *c.*15. In Concilio Lateranensi IV. universim negotium Clericis prohibitum est. *Clerici officia vel commercia sæcularia non exerceant.* Can.16. Sed cum Pontivi in Picardia nostra Comes querelis suis Honorium III. fatigasset, de Clericis, Laicorum more & pari æstu negotiantibus, & patrimonii tamen sui terras confidentibus oneribus publicis eximi posse, obtentu immunitatis Ecclesiasticæ. *Comes Pontivi supplicavit vel compelli hujusmodi Clericos ad serviendum Ecclesiæ, illicitis sæcularibus negotiationibus postpositis mandaremus, vel pateremur eos quoad facultates eorum statutis & consuetudinibus patriæ subjacere.* Acquievit Pontifex his querelis, & per Epistolas Ambianensi Episcopo mandavit, ut istiusmodi Clericos privilegio exueret Clericali, nisi ab eo negotio se abstinerent; ne verò tuitione sua eos dignaretur, si iisdem ac Laici subjicerentur vectigalibus. *Tu quominus dum his se implicant, de suis facultatibus statutis & consuetudinibus patriæ subjaceant, non defendas eosdem.* L.3. Tit.50. Hæc nos delibavimus ex Juris hodierni Canonici Decretalibus, quibus intextum est & Decretum, vel Compilatio potius antiqua Decretorum Concilii cujusdam Moguntini, ubi omne negotium proscribitur illud quidem, & legitimi tamen aliquid negotii esse posse non dissimulatur, quod & ab exemplo approbatur Apostoli, & à Regula Beati Benedicti. *Nec tamen justum negotium est contradicendum propter necessitates diversas, quia legimus Sanctos Apostolos negotiatos fuisse, & in Regula Beati Benedicti præcipitur provideri per quorum manus negotia Monasterii procurentur.*

In Concilio ad Pontem Audemari anno 1267. prohibitum est, Can.2., negotium Clericis conjugatis indiscriminatim, & non conjugatis: quo nisi discederent, concessum est dominis temporalibus, eos ut publicis oneribus, non secus ac laicos manciparent. In Concilio Coloniensi anno 1260. pronunciatum est, non aliter Clericos negotio, quàm laicos usuris interdici. *Cum negotiatio in Clerico, & usura in laico, quasi unius generis censeantur.* Dedecorari verò & sordescere res Ecclesiæ, quæ sacrosanctæ & Deo dicatæ sunt, ubi avaritię & cupiditatibus carnalibus famulari coguntur. *Quia verò isti turpis avaritiæ sectatores, non Deo, sed Mammonæ lucrifacere elegerunt, & malis inhiando lucris, Christi similiter patrimonio & bonis Ecclesiasticis sunt nisi illicitè & indignè.* Vilissima denique hæc cupiditatum mancipia, labem eam sarcire debere, quam Ecclesiæ negotii sui infamia invexerunt. *Eos proinde teneri ad satisfaciendum Ecclesiæ, in cujus non fideliter, sed potius fraudulenter negotiati sunt bonis.* Cujus statuti ea ratio certissima est, quod de rebus Ecclesiæ non aliter fas sit negotiari, quàm ut iis in pauperes sparsis æterna in cœlis merces comparetur.

In Concilio verò Londinensi anno 1268. placuit, Can.52., ut cum difficillimè inter laicos ipsos culpa vacare possit negotiatio, ea Monachi & Moniales arcerentur, qua demumcumque ratione illam explicarent, emendis vendendisque mercibus. *Venalium commercia rerum, quibus cupiditas dandi minus, vel plus recipiendi expetit captiones, vix aut nunquam sine interventu peccati etiam inter laicos fieri dignoscuntur. Quantò magis eorum manus, qui sanctæ Religionis habitu & observantia sunt à terrenis actibus elevati, sordidum & fœdum existit à talibus inquinari. Hoc igitur contra illos quasi abominabilem lepram officio debitæ sollicitudinis insequentes, arctius inhibemus, ne Monachi vel Moniales, aut Religiosi quilibet cujuscumque Religionis existant, mercationes, quæ in emendo vel vendendo consistunt, in nundinis, vel mercatis, vel alibi audeant in quibuscumque rebus aliquatenus exercere.*

In Concilio Avenionensi anno 1279. novo vigore donari placuit, Can.12., decretum Concilii superioris Provincialis, ubi anathema intortum fuerat in Clericos, & Beneficiarios, qui frumentum emerent vilius, carius vendituri, quam tamen pœnam fas erat Episcopo multis pecuniariis commutare. *Nullus Clericus Beneficiatus, nullus etiam in sacris Ordinibus constitutus, per se vel per alium emat bladum vel vinum, causa revendendi, vel negotiandi, neque huic statuto fraudem aliquam faciat. Quod si facere præsumpserit, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto.* Prius hoc erat statutum, cui Concilio sequenti modus aliquis pœnarum adhibitus est. Concilium autem illud prius fuit Arelatense anni 1275. ubi & hoc legitur statu-

tutum, ubi excommunicationis solvendæ facultas integra servatur Episcopo Diœcesano, à quo ea suspendetur, donec fabricæ Ecclesiæ persolvatur frumenti & vini ea copia, quæ negotiationi permissa fuerat, vel ejus pretium. *Et tunc puniatur in amissione bladi & vini, seu pretii convertendi in fabricam Ecclesiæ Parochialis.* Can.14. 15. Eadem rerum proscriptio Canone sequenti Clericis indicitur majoribus, & Beneficiariis, qui ita vinum, vel frumenta distrahent sua, ut usuræ infamia, vel suspicio gravis adhærescat. *Nullus Clericus Beneficiatus, nullus in sacris ordinibus constitutus, vendat bladum vel vinum seu alia victualia sub ea forma, quod contractus usurarii verisimiliter præsumantur.*

Ex hoc Canone exprimitur, quid satisfactionis supra laudatum Coloniense Concilium à Clericis negotiantibus exigeret Ecclesiæ dependendum, cujus illi res Deo sacras contaminassent negotio suo. Ea satisfactio insinuari hic videtur, ut quidquid negotiationi permissum fuerat, id vel tantundem fabricæ Ecclesiæ addicatur. Quod ad negotium autem attinet usuræ sordibus oblitum, quod Concilium Arelatense damnat in Clerici frumenta & vinum divendentibus, illud ipsum non immerito suspicamur esse, quod in Synodo Excestrensi exploditur, anno 1287. ubi propter dilatam solutionem carius venditur. Tum enim tempus venditur, non nostri negotii res. *Quanquam Clericis sit interdicta negotiatio, illa negotiationis species in ipsis præ cæteris, ubi tempus venditur, quod omnibus est commune. Unde ipsis inhibemus sub pœna suspensionis officii & Beneficii, ne cuicumque dare præsumant suam substantiam ad usuram, &c. Inhibemus etiam ipsis, ne vilius emant, aut carius vendant, pro dilatione temporis non venalis.* Cap.24.

III. Concilium Coloniense anni 1536. Clericos & Monachos deterret à negotio & quæstu, eo potissimum cui usuræ virus infusum est. *Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit. Quare multa providentia olim vetitum est, ne Clerici vel Monachi mercatores, tacemus fœneratores, sint lucri causa.* Part.2. c.31. In Concilio I. Mediolanensi sub Beato Carolo, paulò accuratius & minutius denudatæ sunt negotii species eæ, quæ cum Clericatu colliduntur. Tabellionatus publicus, professio medicinæ, negotiatio, mercimonia, villicatio, & procuratio causarum, litiumque alterius cujuscumque. *Clericus sacris initiatus, aut Ecclesiastico Beneficio præditus, ne in profanis negotiis officium Tabellionatûs exerceat, ne artem medendi faciat, ne in negotiationibus & mercaturis se interpretem & medium interponat: negotiationem etiam omnis generis prohibemus. Ne aliena prædia lucri causa conducat; ne pro aliis fidejubeat, &c.* *Act. Ecc. Mediol.* p.10. Et ex eo tamen Concilio honestiore alicui arti operam dare fas est, ut necessariis vitæ commodis ne destituamur. *Artes verò honestas concedimus, ut aliquid manibus suis lucretur, quo sibi quæ ad victum necessaria sunt, comparare possit.* In Concilio Aquensi anno 1585. innovatum ex parte hoc decretum est. In Concilio Melodunensi, sive Conventu Cleri Gallicani post concessas eas artes, quæ nihil indecorum præ se ferunt, negotio Clerici & Monachi absterrentur. *Jure tamen olim & providenter vetitum est, ne Clerici, vel Monachi mercaturam, ne fœnus & dicamus, exerceant.* *C. de vita. & honest. Cleric.*

IV. Ex hoc autem Concilii Mediolanensis Canone, antiquissimis Ecclesiæ legibus accomodato, rursum ad alias delabemur negotii species, ubi Clerici procuratione illaqueantur litium, vel terrarum quorumcumque laicorum. Ex eo porro rursum liquet, quàm finitimæ & conjunctæ sint quæstiones de distributione redituum Ecclesiasticorum, de labore manuum, & opere Clericorum, quas & nos ideo unum in hunc locum conjecimus. Id ipsum observare est & in Gratiano, *D.*95., qui eandem retinuit Concilii Mediolanensis mediocritatem, ut opus manuum Clericis proponeret, in morem consilii Evangelici, quanquam negotium prohibeatur. *Qui autem turpi lucro, vel inhonesto negotio victum sibi quærere prohibetur, de oblationibus Ecclesiæ stipendia consequatur. Quod si Ecclesia ei sufficere non potuerit, proprio artificiolo vel agricultura, exemplo Apostoli, qui de labore manuum vivebat, sibi necessaria inveniat: ita tamen, ut occasione sui operis vigiliis non desit.*

Ex Decretali *Conquerente, De Clericis non residentibus*, probat Fagnanus, *In l.3. Decret. part.*5. *p.*39., obligari Clericum lege residentiæ, & recitandi Canonicorum Officiorum pensi, etsi permodici sint Beneficii ejus reditus, quod ea semel se ipse induerit necessitate, possitque vel negotiolo, vel labore manuum sibi adesse, ubi minus est redituum Beneficii. *Ex quo semel consensit, quamvis paupertate laboret, non potest modo dissentire, sed debet propriis manibus sibi victum quærere.* Et postea: *Ex hoc notabiliter infero, ut tenuitas Beneficii non excuset Beneficiatum à recitatione divini officii. Quod efficaciter probat hoc caput. Quia sicut non excusatur à residentia, ex eo, quod ex Beneficio vita necessaria non percipiat, ut hic patet; ita nec excusatur ab horis dicendis.* Totam verò eam de negotio & opere Clericorum disputationem præstantissimè Fagnanus idem persecutus est in *C. Multa. Ne Clerici, vel Monachi.* Plurium quæstionum solutiones & declarationes protulit Congregationis Concilii, super ea re. Ipsum adibis, sibi vacat. *Ibid. part.*2. *p.*396. *& seq.*

V. Ad Clericum, vel potius contra Clericum negotiatorem literas vehementissimas exaravit, & aculeatissimas Petrus Blesensis. Exordium modò earum hic adscribam, ut vel ex eo pateat enormitas ejus flagitii, & velut in compendium mittantur, quæ superius à Conciliis, à Patribus, & à Pontificibus disputata in hanc rem, & statuta sunt. *Si tuæ professionis ordinem, & gratiam divinæ vocationis attenderet, te potius electione, quàm negotiatione, artibus, quàm mercibus occupares. Periculosum quidem est in laico, sed perniciosum in Clerico, negotiationibus augere peculium, atque rerum ambitiosa venalitate seipsum diabolo venalem exponere. Clericus, qui leviore comparat pretio, ut vendat charius, filius est avaritiæ, idololatra pecuniæ, servus mammonæ, & venumdatus sub peccato. Cum enim species usuræ sit, minus proximo dare & plus ab eo accipere, non video Clericum ab usurarum crimine & à nomine criminoso immunem, qui sibi cum alieno dispendio lucrum quærit.* Epist.17. Reliqua omitto, ubi admonet rursum, quanti sit periculi Christiano, quanti exitii Clerico, corruptibiles concupiscere divitias, iis amplificandis studere, aliorum decremento crescere velle, minuendis aliorum opibus suas augere: cum Clericum deceat necessario contentum esse, superfluum omne refundere in egenos; nec crimina tantùm, sed & criminum invitamenta declinare. Tum verò Petrus Blesensis vehementius intonat, nisi negotium rejiciat Clericatui adversarium, statuisse Episcopum Canonum sævitiam in eum distringere, quod jam facere maturassent, nisi suis ipse precibus moræ aliquid ipsi exorasset. *Et nisi pro te humiliter supplicassem, te tanquam damnatissimi fructus arborem succidissent.*

Apud Claram-vallem Beatus Bernardus Monachum suscepit, qui Cœnobio suo discesserat, quòd ab Abbate compelleretur sæcularibus medicinam facere, in quo salutem ejus periclitari viri doctrina & pietate præstantes monuissent. *Abbas meus ha-*

habebat me non Monachum, sed Medicum. Cogebat servire, immo ipse serviebat per me, non Deo, sed saeculo, quando ne saecularium malevolentiam incurreret Principum, mederi me compellebat etiam tyrannis, raptoribus, excommunicatis. Quod animae meae periculum cum ei nunc privatim, nunc palam suggessissem, nec profecissem; quorundam tamen sapientium virorum consilio fretus, fugio meam damnationem, non congregationem; perditionem, non Religionem. Epist.67. His pii desertoris querelis aures obturare se non posse existimavit Bernardus.

CAPUT XXII. *P.4.l.4.c.6.*

Non possunt Clerici laicorum fieri Procuratores, Agentes, Villici. An possint Judices creari, vel Consiliarii Curiarum saecularium, post annum Christi millesimum.

I. Vetant Concilia Clericos adglutinari Aulae, Nobilibus dominis vel Matronis, vel injussu Episcopi, vel alio scopo, quàm qui spectet ad aeternam salutem eorum.

II. Quae Concilia Clericos avocent à procuratione rerum, & causarum saecularium.

III. Judicum Officia ad quae detur, ad quae non detur aditus Clericis, ex Canonum norma.

IV. In eam rem sententia Petri Blesensis.

V. Contexuntur rursus Concilia, quae saeculares Clericis occludunt Magistratus.

VI. Quae nupera Pontificum Decretales, quae Concilia remisisse videantur, nec damnasse Clericos, nisi qui capitalibus causis adsunt.

VII. Continuata series Conciliorum, ei temperamento accedentium.

VIII. Tridentina, & Conciliorum Mediolanensium Decreta super eadem re.

IX. Conventus Mediolanensis statuta. Querimonia pia Gersonii. Quid gestum sit sub Carolo VI. Rege, quando Abbates & Beneficiarii alii in Parlamento conscripti, ad Ecclesias suas ablegati sunt.

I. JAM superiùs patuit non eo solùm negotio interdici Clericis, quo emitur, venditurque, nec enim sola ea ratio est ingentes opum cumulos coacervandi. Sunt & aliae, & longè diversissimae negotiandi artes. Latiùs etiam longiùsque porrigitur illud Pauli, *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.* Id ergo hoc Capite expedire conabimur. Exaestuavit Concilium Melfense sub Urbano II. anno 1089. adversùs Clericos Acephalos, qui inconsulto Episcopo Principum se addicebant Palatio, vel Procerum & Matronarum obsequiis. Veriti sunt & laici, ne Clericos hos degeneres, Cleroque contumeliosos, ab Episcopis resilientes, diutius secum retinerent; si quibus opus esset Capellano, vel interiore conscientiae rectore, hunc ab Episcopo flagitarent; ne in Aula Clerici essent, nisi alternantibus vicibus; denique vetiti sunt Clerici hi ipsi, ne Nobilium decimas, quorum se obsequiis mancipassent, ipsis sibi usurparent. *Quia novum hoc tempore Clericorum acephalorum genus emersit, qui morantur in Curiis, & viris, & faeminis ad sui ordinis dedecus subditi; sum in Canonibus cautum sit, ut quis sine licentia Episcopi Clericus, nec Episcopus Metropolitano Curiam adeat, praecipimus, & prohibendo prohibemus, ne quis ulterius oetiusat hujusmodi. Sed Proceres ab Episcopis animarum suarum Procuratores postulent, sic Episcopi jussione pro tempore ac vicissim in Curiis conversentur. Ipsis itaque omnino interdicimus, ne decimis Procerum sine concessione sui Episcopi abutantur. Can.9.* Ubi perspicis, Clericos hos cum in se procurationem reciperent rerum & causarum, decimas quoque sibi arrogasse terrarum ejus domini, cui se devovissent; denique conscientiae eorum administrationem & curam suscepisse. Quibus in omnibus instar erat quoddam beneficii. Nec damnantur in hoc Concilio Clerici saecularium procuratores, si solam animarum salutis procurationem suscepere. Sed duplici de causa carpuntur. Primùm quòd injussu Episcopi, in cujus potestate erant omnes Clerici, his sese Proceribus obligarent. Secundò quòd praeter voluntatem Episcopi Decimas sibi vendicatum irent. Ea duo magnopere canonicis Regulis adversabantur, quibus Episcopo subjiciebantur, & Clerici omnes, & Ecclesiarum Decimae.

II. Caeterùm & res & causas Laicorum per Clericos procurari, recentiora etiam Concilia pari cum antiquis consensu prohibuere. Concilium Londinense anni 1102. *Ne quilibet Clerici sint saecularium Praepositi vel Procuratores, aut Judices sanguinis. Can.8.* Concilium Remense anno 1131. prohibuit, ne Monachi, vel Canonici Regulares, Juri civili, aut Medicinae operam navarent, ne in foro saeculari causas agerent, & ne Medicinam exercerent; quòd quanquam liberales & laudatissimae sint artes eae: plerumque tamen terrenae cupiditati & avaritiae ancillari cogantur; quin & innocentiam vitae, atque continentiam iis objectant periculis, à quibus procul summoveri Clericos consultissimum est. Quanquam verò eo Canone nominatim Monachi soli & Clerici Regulares contineantur: quae tamen ibi promuntur argumenta, videntur in omnes Clericos peraequè valere. *Prava consuetudo & detestabilis inolevit, quoniam Monachi, & Canonici, post factam professionem spreta beatorum Benedicti & Augustini Regula, leges temporales & medicinam gratia lucri temporalis addiscunt. Avaritiae namque flammis accensi, se patronos causarum faciunt; justum & injustum, fas nefasque confundunt: Attestantur verò Imperiales Constitutiones absurdum, imò etiam opprobrium esse Clericis, si peritos esse se velint disceptationum forensium. Ipsi quoque Canonici & Monachi neglecta animarum cura, ordinis sui propositum nullatenus attendentes, pro detestanda pecunia sanitatem pollicentes, humanorum curatores se faciunt corporum. Cumque impudicus oculus impudici & cordis sit nuntius, ille etiam, de quibus loqui erubescit honestas, non debet Religio pertractare. Can.6.* Episcopis, Abbatibus, Prioribus posthac depositio intentatur, nisi his malis occurrant. Procuratio salutis animarum à Concilio Melfensi Clericis permittebatur, dum ne quid Episcopi injussu fieret. Hoc autem Remensi Concilio Procuratio corporeae valetudinis, & rerum causarumque ita praescribitur, ut & in Episcopos saeviant Canones, nisi eam pestem propulsent. In Concilio II. Lateranensi totidem verbis eum Canonem innovari placuit, *Can.9.*, solis Monachis, & Canonicis regularibus perstringendis, sed iis allegandis rationibus, quae Clericos omnes complectantur. Concilium Turonense anni 1163. *Can.8.* aequè exarsit in Regulares omnes, qui necdum cessaverant à studiis Juris civilis, & medicinae, à causis agendis, à cura aegrotantium. Illos diro anathemate innodavit Concilium, nisi intra duos menses sua se in Claustra referrent. Ab Honorio III. instauratum est hoc Decretum, ut Gregorianis liquet Decretalibus. *Decretal. l. 3. Tit.50. c.10. 9.* In Concilio Lateranensi IV. Innocentius III. Subdiaconos, Diaconos, Presbyteros vetuerat Chirurgiae vacare, quae ferrum & ignem adhibet.

III. In Concilio Abrincatensi anno 1172. prohibiti

biti sunt Clerici, ne sæcularium sibi Judicum Officia indui sinerent. Aliàs Beneficiis suis exauthorandi. *Clerici Judices non ponantur, ad jurisdictiones potestatum sæcularium exercendas. Qui autem hoc præsumpserint, à Beneficiis Ecclesiasticis arceantur.* Can. 12. Concilium Londinense anno 1175. breviore se gyro conclusisse videtur, quando solis capitalibus judiciis Clericos summovit, & Clericos quidem majores. *His, qui in sacris Ordinibus constituti sunt, judicium sanguinis agitare non licet. Unde prohibemus, ne aut per se membrorum mutilationes faciant, aut inferendas judicent. Quod si quis tale fecerit, Concessi Ordinis privetur officio & loco.* Can. 3. Non ergo hoc Canone arcentur Clerici judiciis, nisi iis, quæ reorum mutilatione, vel morte Judicibus ipsis irregularitatis notam affricarent. Eodem mox Canone vetantur Clerici sacrati, ne Vicecomites se, vel Præpositos sæculares creari sinant. *Inhibemus etiam sub interminatione anathematis, ne quis Sacerdos habeat Vicecomitatum, aut Præpositi sæcularis officium.*

Integrum ergo erat Episcopis & cæteris majoribus Clericis, ut Judices & Consiliarii crearentur sæcularium Curiarum, dum ne addicendis morti reis adessent, & ne investirentur officiis Vicecomitum, aut Præpositorum, quibus cruenta & capitalia judicia exercenda imminent. Si quid verò ougnæ sit & conflictationis inter Canonem hunc Londinensem, & Abrincatensem triennio ante editum, ex eo id proficisci potuit, quòd cum Abrincatensi Concilio præessent Pontificis Legati, & prisci Juris retinentiores essent, sacratos omnes Clericos voluerint abigere sæcularibus Curiis, ut toti postmodum essent in spiritalibus functionibus suis. At Concilium Londinense non judicarit tantopere diviari à receptis usibus posse, sine aliqua Reipublicæ perturbatione; idque, adeo lenimenti adtulerit Decreto Legatorum, ne sæcularibus omnibus Curiis & Judiciis Clericos ejiceret, sed capitalibus tantùm.

IV. Asperget forsan aliquid lucis Petrus Blesensis nostris his in Concilium Abrincatense & Londinense animadversionibus. Vicem ille dolet Episcoporum, qui Scacarii, sæcularis ea erat Judicum Curia, labyrinthis & implicamentis involuti sunt, confirmatque, non aliud quidquam inimicum magis esse Clericatui, quàm tumultuationes & negotiorum procellas, Curiis sæcularibus undequaque ingruentes. *Si te Curialium, & maximè Scacarii labyrinthis immerseris, magna spiritualis exercitii dispendia patieris. Nemo potest duobus dominis servire, Deo & Mammonæ. Non excedat à te, quomodo in tonsura capitis, quando electus es in sortem Domini, renuntiasti ignominiæ laicali.* Ita ille pulcherrimo tractatu de Institutione Episcopi. Ubi non video quid Petro Blesensi, quid Clericis omnibus ordinis sui sanctitudinem spirantibus dignius sit, quàm ut religiosa veneratione prosequantur sæculares Magistratus, & sacerdotii tamen sui regiam amplitudinem ab ipso Christo summo Pontifice derivatam tanti faciant, ut in humanas & terrenas has dignitates deponi & dejici se molestissimè ferant. *Ignominiæ laicali renuntiasti. In die consecrationis tuæ super abrenuntiatione sæcularium emisisti vota, quæ distinxerunt labia tua. Alligatus es verbis oris tui, ubi ad consecrantis interrogationem sine exceptione aliqua promisisti, quod de cætero à terrenis negotiis & à turpibus lucris te alienares, tuamque sollicitudinem divinis semper negotiis mancipares.* Ita contendebat vir doctrina & sapientia clarissimus, aurea illa vincula, officia, negotia Aulæ, quibus implicantur quandoque Episcopi, ei penitus adversari solemni professioni, qua cum primùm divino sacerdotio initiati sunt, terrenis se negotiis renuntiaturos spoponderunt. Nec consentanea magis Prælatis est fiscalis Curia quævis, & ærario Regio imminens. *Quid tibi ad fiscales reditus, ut vel horula brevi curam postbabeas animarum? Numquid Christus te ad telonium elegit? Matthæus semel inde assumptus, denuo ad ipsum non rediit.* Illud Petrus maximopere ingemiscebat, quòd horum aliqui Clericorum agitantis versandisque intererant judiciis capitalibus, tumque dumtaxat se subducebant, cum mortis vel mutilationis sententia intonanda erat. *Illud cœlestem exasperat iram, & plerisque discrimen æternæ damnationis accumulat, quod quidam Principes Sacerdotum & Seniores populi, licèt non dictent judicia sanguinis, eadem tamen tractantes disputando & disceptando de illis, seque ideo immunes à culpa reputant, quod mortis aut truncationis membrorum judicium decernentes, à pronunciatione dumtaxat & executione pœnalis sententiæ se absentant. Sed quid hac simulatione perniciosius est? Numquid discutere & definire licitum est, quod pronuntiare non licet?*

V. Is tum erat status, ea conditio Scacarii, Parlamenti, & Curiæ cujuscumque sæcularis in Anglia, & in Gallia. Mixtæ & bipartitæ erant eæ Curiæ, partim Laici, partim Clerici jus dicebant. Clerici non antè sibi discedendum arbitrabantur, quàm mors vel mutilatio indicenda cuipiam esset. Petrus ex adverso urgebat, capitalibus causis omnino abesse illos debere; nec eo contemptus, omnibus eos Curiis sæcularibus & Judicum officiis abigebat. In eam Blesensis sententiam nonnulla jam propendebant Concilia, ut suprà diximus. Nec minùs apertè Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. anno 1179. cum Subdiaconos vetuit, Clericosque omnes superiores, causidicorum partes agere, vel causas defensitare coram Judice sæculari, nisi ut sibi ipsis, vel Ecclesiæ, vel pauperibus adessent, & miserabilibus quibuscumque. *Coram Judice sæculari Advocati in negotiis fieri non præsumant, nisi propriam vel Ecclesiæ suæ causam fuerint prosecuti, aut pro miserabilibus fortè personis, quæ proprias causas administrare non possunt.* Can. 12. Ubi rursum prohibetur, ne Clerici iidem vel Beneficiarii procurationem sustinerent villarum, vel jurisdictionis Principum Procerumque sæcularium. *Sed nec procurationes villarum, aut jurisdictiones etiam sæculares sub aliquibus Principibus, vel sæcularibus viris, ut justitiarii eorum fiant, Clericorum quisquam assumere præsumat.* Can. 12. Non immeritò autem gradu suo moventur, qui jam vocationis suæ cælestis fastigio excussisse seipsos videbantur, infimo terrenoque hoc ministerio. *Si quis adversùs hoc tentaverit, quoniam contra doctrinam Apostoli est, dicentis, Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, & sæculariter agit; ab Ecclesiastico fiat ministerio alienus pro eo, quod officio Clericali neglecto, fluctibus sæculi, ut potentibus sæculi placeat, se immergit.* Asperioribus denique pœnis subjiciuntur Monachi, si qui eo se piaculo obstrinxerint.

At verò Concilium Parisiense anno 1212. & Clericis & Beneficiariis liberam annuere videbatur facultatem causas agendi; unde & unum hoc illis commendabat, ut ne de salario pascicerentur, si Beneficii proventibus commodè possent vitam tolerare; ne quid nimis autem exigerent, si Beneficio carerent; id denique præscripsit, quod nullis non causidicis & causarum patronis religiosissimè observandum est, ne causas juri adversas agerent, & ne eas unquam malitiosè protraherent. *Inhibemus arctiùs, ne Canonicus aliquis, vel alius Clericus sufficiens habens Beneficium Ecclesiasticum, pactione interveniente advocationem exerceat, nec causas penitus desperatas scienter assumat, &c. Ne Advocati Beneficia Ecclesiastica non habentes, immoderata salaria exigere aut extorquere præsumant.*

Part. I.

Part.1. n.6. Non exprimitur quidem eo Canone, de Ecclesiastica, an de sæculari hic agatur Judicum Curia. Sed ex inveterato usu Regni plus satis patet de seculari agi.

Remisisse enim nonnihil, & indulgentiùs consuluisse videntur Concilia & Pontifices post annum Christi millesimum ducentesimum. In Gregorianis quidem Decretalibus, *L.3. Tit.50.*, Concilium Moguntioum à primævo rigore non videtur recedere; ubi universim Clericos vetat sæcularium rerum & causarum procurationem agere. *In placitis saecularibus disputare, excepta defensione orphanorum & viduarum. Conductores saecularium rerum, aut procuratores esse.* Id ipsum probibet Eugenius Papa, simtqoe sæcolaribus & judiciis & pœnis eos permitti, qui in jus vocati fuerint propter civiles has Administrationes. *Ne ministri laicorum fiant, nec in rebus eorum procuratores existant. Quod si postmodum facere præsumpserint, & occasione ipsius administrationis propter pecuniarum causam deprehendantur in fraude, indignum est iis ab Ecclesia subveniri, per quos constat in Ecclesia scandalum generari.* Idem advertit Petrus Blesensis de Episcopis Siciliæ, qui sæcularia hæc obibant officia, & hinc in carceres nonnunquam contrudebantur, nihil opis aot præsidii à Pontifice assecuturi ad libertatem recuperandam, nec enim iis eximendi vinculis videbantur, quibus se ipsi induissent. *Animabus prælatus es, non corporibus. Nihil Prælato commune est cum Pilato. Christi villicus es & Vicarius Petri; nec oportet te respondere Cæsari de commissa tibi jurisdictione, sed Christo. Quidam tamen per usurpatas sæculi administrationes se curiali vinculo obnoxiant, & quasi renuntiaverint sua privilegio dignitatis, calculum durioris eventus expectant. Nam pro causa hujusmodi hodie in Sicilia mancipati sunt Episcopi quidam carceralibus vinculis, nec aliquod expectant ab Ecclesia Romana solutium. Quibus improperatur à Romano Pontifice, ut bibant de calice, quem sibi temerè miscuerunt. De institut. Episc.*

VI. Revocandus est ad Decretales Juris hodierni Canonici sermo, quibus intexti sunt superiores Canones adversùs Regulares, qui Juris Civilis, vel Medicinæ studiis operam dabant, vel ejusmodi aliquo fungebantur officio; aut Justitiarios, Vicecomites & Præpositos sub Principibus temporalibus se agebant. Notarios publicos Innocentius III. qui Subdiaconi sint, fieri vetat. At ubi idem ipse in Concilio Lateranensi IV., *Can.18.*, unom id prohibet, ne cruentis judiciis intersint Clerici, nonne Judicum Civilium reliquas functiones & sæculares Curias illis patere assentitur; *Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet, aut proferat; sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur intersit. Nec quisquam Clericus literas dictet aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas. Unde in Curiis Principum hæc sollicitudo non Clericis, sed Laicis committatur.* Gregorius verò IX. mirabili quadam ratione his abducit Clericos functionibus, quòd nempe *Sacerdotis sit officium nulli nocere, omnibus autem prodesse velle. C. Cum Sacerdotis. Extra. De postulando.* Mox annuit ut causas agant Ecclesiæ, pauperum, suas, proximorum, urgente necessitate, si hos transiliant limites, impunè abire non sinit.

Nec temerè tamen suspicabitur quis, tum toleratum fuisse, quod prohiberi non posset; ubi facultas aderat, ad pristinam austeritatem lubentiùs revocatum esse gradum. In Concilio Valentino in Gallia anno 1248. ubi præerant Cardinales Legati duo, suspensi, ac denique abdicati sunt Officio & Beneficio Clerici majores, si qui posthac in Curiis sæcularibus Officia Judicum, Consulum, Assessorum, & ejusmodi alia sibi adsciscerent. *Nulli Clerici in sacris Ordinibus constituti, seu Canonici Cathedralium Ecclesiarum, seu Beneficiati, Judicatum, Consulatum, Assessorium, vel alia Officia publica in Curia sæculari, electi à populo, vel à persona sæculari recipiant; & si receperint, nisi infra mensem dimiserint, ab Officio & Beneficio suspendantur; & si per annum persiterint, sine spe restitutionis priventur. Can.3.* Cui Canoni accessit & Concilii Albigensis, *Can.45.*, assensio atque authoritas anno 1254. Video in mentem venire posse alicui, interclusa hic fuisse Clericis ea tantùm Officia, quibus unus tantùm præficitur, putà Præsidum, Consulum, Assessorum; non ea autem quæ Collegiis pluribus demandantur, putà Consiliariorum, sive Senatorum Curiæ sæcularis. Possunt enim hi, non possunt illi sese suffurari, ubi capitalia incurrunt judicia. Verùm postrema hæc plurium Collegarum & Senatorum munia, his quoque ibidem verbis constringi, & excludi videbantur. *Vel alia Officia publica.* Quod & manifestius expressum est in Concilio Provinciæ Burdigalensis anno 1258. ubi, *Can.6.*, prohibitis Beneficiariis ne causas agerent nisi suas, proximorum, Ecclesiæ miserabilium quorumcumque, anathema vibratur in hujus statuti transgressores, parique pœna animadvertitur in Regulares & Clericos, qui Assessorum vel Consiliariorum munera sibi ingeri paterentur. Id enim tum obtinebat, ut etiam inopinis hæc officia imponerentur. *Et eidem excommunicationi supponimus omnes Religiosos & Clericos, qui Assessores vel Consiliarii fuerint, contra Ecclesiæ libertatem.*

VII. Ex Concilio autem Londinensi aono 1268. intelligitur, quàm facilè, sive ex tolerantia, sive ex privilegio, his se canonicis regulis subtraherent Clerici, functionesque Judicum in sæcularibus Curis obirent. Innovatis enim antiquis Decretis, ne Clerici causas actitarent in foro sæculari, nisi ubi per regulas Juris fas est; mox eis interdicitur intentata aliàs suspensionis pœna, ne Judices, vel Assessores se unquam agant, ubi mortis vel mutilationis judicium agitatur. *In eisdem sanguinis causis, in quibus mortis, aut mutilationis membrorum judicium agitur, similiter inhibemus, ne quis in Clero constitutus Judex, seu Assessor esse præsumat: Quisquis contra fecerit, præter suspensionis pœnam, &c. Can.6.7.* Ex hoc ergo Canone sepositis capitalibus & mutilationum judiciis poterant Clerici in Curiis sæcularibus Judicum partes sustinere. Ex proximo tamen mox Caoone prohibetur, ne Justitiarios se creari patiantur, sive administros & Vicarios jurisdictionis sæcularis quorumvis Procerum temporalium. *Jurisdictionem à Laicis recipiunt sæcularem, & Justitiarii nuncupantur, ut ministri fiant justitiæ, quam non possunt sine canonicæ dispensationis & Clericalis ordinis injuria ministrare.* Magna est & cum primis perspicua discrepantia Judicis, qui unus officio fungitur, & princeps, idque toto anno, quo volvente fieri vix, aut nec vix potest, quin scelerosos aliquis aut vita ejiciendus sit, aut membris truncandus; & ejus qui Collegio Judicum allectus est, cui integrum est, ubi primùm perstrepit judicium capitis secedere, & paucos tantùm forsan menses officio fungi. Prioris illius generis Officia longè infestiora sunt Clericatui, quàm posterioris. Postremò denique Regiis privilegiis honos habitus est in eodem Concilio, hoc est, ei singulari, quo Reges pollere poterant, ut Clericis Officia Judicum sæcularium delegaret. *Salvis dominii Regis privilegiis in hac parte.*

Rursus prisco quidem ex usu Concilium Andegavense, *Can.2.*, annn 1269. Clericos omnes superiorum Ordinum & Beneficiarios deterruit à causis actitandis, & à munere Advocatorum fungendo in foro sæculari. At Concilium Avenionense anni 1279. lenimenti aliud adjiciens Canoni, *Can.9.*, Concilii Arelatensis anni 3260. quo permissi tantùm fuerant

Clerici causas agere suas, proximorum, pauperum, Ecclesiæ; constituit ut Beoeficiariit & Clericis majorum gentium fas esset munia suogi & Advocati, & Judicis, quod id oneris ab Episcopo illis suo imponeretur. *Hoe moderantes statutum, volumus statuendo, quod hujusmodi Clericus de sententia sui Episcopi generali, vel speciali, possit liberè Advocationis, vel Judicatura officium ubilibet exercere.* Can. 13. Paulò antè in Concilio Londinensi privilegia Regum confirmabantur, hic astruuntur jura Episcoporum, ut privatim universim Clericis & Beneficiariis copiam faciaot Judicum, vel Causidicorum muneris fungendi in foro sæculari. His hauddubio statutis duplex aditus patefactus est Clericis in Curias sæculares.

Io Concilio Avenioneosi anno 1326. Beneficiarii regimen gerentes aoimarum, Clericique sacrorum Ordinum prohibiti sunt in Curia sæculari munus adire Procuratoris, Syndici, Judicis, & Baillivi. *Ne Procurator, Syndicus, vel Actor, vel Judex, aut Baillivus in exercenda jurisdictione domini temporalis pro aliquo laico possit esse.* Can. 26. Quod idem decretum rursus instaurari placuit in Concilio Avenionensi anni 1337. *Parte* 31. Quorum sententia Canonum paulò eliquatior in Concilio Lavaurensi anno 1368. *Ne possit esse Procurator, Syndicus, vel Actor pro aliquo laico, nisi in casibus à jure expressis, vel Judex etiam, vel Baillivus in exercenda jurisdictione domini temporalis.* Can. 32. Quo sanè nihil derogatur vel privilegiis Regum, vel permissioni Episcoporum, nec ei discrimini, quod interponendum ostendimus Judicibus unius oumerosi Collegii consortibus, & totum singulatim munus suum exercentibus. Quod ad officium Advocati attinet, id Constitutiones synodales Vuillelmi Parisiensis Episcopi sinebant à Parochis sustineri, in causis Ecclesiæ suæ, pauperumque, & Parochianorum eorum, quibus abesse cogebat charitas. C. 4.

VIII. In Concilio Tridentino innovatum est, quidquid olim Canonum & Decretorum Clericos à negotiis sæcularibus ablegabat; *Nec non sæcularibus negotiis fugiendis.* Sess. 22. c. 1. *De Refor.* In Concilio Mediolanensi I. anno 1565. vetiti sunt. *Constitut. Part. 2. c. 2.*, Clerici majores, & Beneficiarii, Advocatos vel Procuratores se agere in foro sæculari, nisi ubi per Canones licet suprà congestos, & *ab Episcopo facultate prius scripto concessa.* Vetuit eadem Synodus, ne Principis alicujus negotiorum susciperent administrationem, nisi facultate ab Episcopo per literas concessa, & singulis annis innovanda. *Ne alicujus Principis aut ulterius negotiorum Procurator sit, sine facultate prius ab Episcopo per literas impetrata, singulis annis renovanda.* Vetuit & ne servilibus se obligationibus in ædibus Magnatum vinciri finerent, aut quibuscumque demum, oisi cum bona Episcopi venia scriptis consignata, & anno quolibet confirmanda. *Neve parum memor ordinis ac dignitatis suæ, sit in famulatu Laicorum, etiam Principum, eorumve quibusvis aliis obsequiis, nisi cui ex causa & ad officium munere Sacerdotali non indignum Episcopus hujus rei potestatem ante scripto dederit. Hujusmodi autem licentia scripto permissa quotannis renoventur, alioquin irrita & nulla sint.* Eo denique Concilio prohibiti sunt Clerici, ne nobilibus fœminis ejusmodi vilia præstarent obsequia, quæ in Cleri dedecus resilirent. *Neve præcursor aut Assecla fœminarum, aut eisdem discumbentibus adsistat: aut ancilletur.* Nihil aptius, oihil prudentius præscribi poterat. Nec tamen potuit Beatus Carolus non Episcopis facere potestatem, ut Presbyteris, ac Beneficiariis quibuslibet permitterent procurationem rerum & negotiorum alicujus Principis, quod prope abest ab Officio Judicum suprà explanato.

Io Concilio Mediolanensi IV. ad Clericos minorum Ordinum ampliatum est, quidquid in I. decretum fuerat, si in veste essent Clericali, quanquam Beneficii expertes essent. Ea utebatur Concilium ratione, quod à teneris, ut ajunt, unguiculis, Clericos necesse sit innutriri odio & aversationi negotiorum temporalium, & unius Ecclesiæ disciplinis. *Cum præsertim jam inde usque à teneris annis se religionis pietatisque institutis & disciplina Ecclesiastica moribus imbuant, oportet, qui in sortem Domini vocati sunt.* Acta Eccl. Mediol. pag. 20. 268. Hoc verò tantò memorabilius est Beati Caroli statutum, quòd ab aliquot retro sæculis, ut ex continuata supra patuit serie Conciliorum & Canonum, ad solos Beneneficiarios, & ad Clericos majorum Ordinum coarctatum fuerat, quod Pauli præceptum & primigenia Ecclesiæ disciplina Clericis omnibus indiscriminatim præscripserat, ut ne Clericalis & profanæ, & belli, forive militiæ officia & functiones copulare, unàque iis defungi possent. Ut posterioribus his sæculis relaxata est minorum Ordinum Clericis ea stabilitatis lex, qua olim promiscuè cum Clericis superioribus tenebantur, & inultum eis fuit, si Clericatui valedicerent ante Subdiaconatum; ita ne his quidem illi Decretis implicati fuerant, quibus sæcularis fori officiis & muneribus Clerici arcentur. At Carolus veteris & castissimæ disciplinæ ardore inflammatus, suis in Conciliis connixus est, ut hæc duo magni omnino ponderis capita restauraret, ut ne qui minoribus Ordinibus initiari se vellent, nisi certo, & irrevocabili proposito sese Altarium ministeriis mancipandi; & ne possent minores Clerici terrenis officiis & functionibus in susceptis cœlestem contaminare Clericatûs sui nobilitatem. Quantivis enim splendoris esse videantur carnalibus hominum oculis fori & Judicum publicorum dignitates; humana, terrenaque ea sont culmina, quibus quantum terris cœlum, tantundem eminet Christi cœleste Sacerdotium.

IX. Diximus jam Comitiis Cleri Gallicani apud Melodunum absterritos esse Clericos à fori functionibus & officiis, nisi quatenus sinunt Leges Canonicæ. *Abstineant Sacerdotes primùm à terrenarum cura, & omni etiam nepotum tutela & curatela, nisi aut religionis causa, aut necessitas aliud suadeat. Caveant à litibus & processibus. Servos Dei non oportet litigare. Multò magis à forensi, à procurationis, aut causidico munere, nisi quantum per Canones licet, abstinere debent.* Varias sacræ sui ævi Disciplinæ labes enumerare aggressus Gersonius, ne hanc quidem prætermisit, quòd Episcopi, Abbates & Monachi Aulas Principum & Curias sæcularium Judicum ita frequentarent. *Quid est quod hodie Episcopi, Abbates, Monachi plus sunt Officiales fisci, quàm Christi: totis nisibus militantes mundo in Curiis Principum, & sæcularium judiciorum, seu Parlamentorum.*

Facilè assentientur iure meritissimo in has querelas erupisse Gersonium, quibus ob oculos versabuntur quæ suprà ex Monacho Sandionysiano attigimus in vita Caroli VI. Regis. *Necessaria tandem illa insedit animo cogitatio, & cura, ut fontes ipsi jurisdictionis sæcularis expurgarentur, in suprema videlicet Camera Senatus Parisiensis. Et quoniam tum in mentem venit in hanc celsiorem Curiam illapsos esse Abbates, Clericosque alios, qui à Monasteo secessu, & à cura Cœnobiorum atque Ecclesiarum suarum confluxerant, ad hæc munia ambienda, quibus non paulo impensius delectabantur, quàm professionis suæ functionibus sacris: statutum est, ut Regis nomine eis indiceretur, suas ut se in Ecclesias reciperent: religioni nempè obesse, eos tandiu à statione sua sacra abduci, ubi eorum opera atque industria pretium majus & illustrius esset in imbuendis sacra* do-

doctrina populis; & in procuranda animarum salute. An. 1388. In 8. c. 12.

CAPUT XXIII. *P. 4. l. 4. c. 7.*

Rursum de Clericis, iisdemque Judicibus & Consiliariis in Parlamentis & aliis Curiis sæcularibus.

I. Episcopi & Abbates ex officio suo Parlamentis antiquis aderant, quando necdum certa alla sedes illis erat, nec totum anni tempus eis consumebatur.

II. Quando Philippus Pulcher Parisiense suum Palatium statam & solemnem voluit esse Sedem Parlamenti, ex quo factum est, ut statis temporibus haberetur, jam nec Episcopi, nec Barones tam frequentes eis adesse potuere.

III. Exinde tamen etiam complurimi fuere hujus Senatus Consiliarii Clerici, ad causas Ecclesiasticas, quæ ibi passim ventilantur.

IV. Edicto Blesensi multum imminutus est is numerus Consiliariorum Clericorum. Hinc crebræ Cleri Gallicani expostulationes in Comitiis suis Generalibus, quibus nonnulla ex parte satisfactum est.

V. Observationes novæ aliquæ in antedicta.

I. EXpostulabat modò Gersonius de Episcopis, Abbatibus & Clericis, quorum conferta multitudine frequentabantur Curiæ sæculares, & ipsa Judicum subsellia insidebantur. Sandionysiana Caroli VI. historia paulò ante memorabat, anno 1388. ei malo medicari cœptum esse, ablegatis in suas Ecclesias Clericis, solo Cœnobii Sandionysiani Abbate, ex ipsorum Parlamenti Senatorum & Officialium testimonio, demonstrante, se Majoresque suos ei semper Curiæ adscriptos & adgregatos fuisse. His video luminis præterea aliquid aspergendum esse, & ab ipso capite arcessendam esse originem hujus Disciplinæ, cum Carolus Magnus & augustissimæ ejus prosapiæ Reges atque Imperatores Episcopis & Abbatibus contulere & pinguissima quæque sui regni latifundia, & primarias in Regiis Consiliis sedes. Erant porrò duplicis generis hæc Consilia. Erat enim Consilium, quod postea Strictum dici placuit, & privatum, ubi Princeps diebus singulis de incidentibus negotiis consultabat. Erant præterea Consilia, sive Placita publica & generalia, quæ bis anno quolibet indicebantur à Principe, loco & die, quo ei collibitum esset, alterum verno, alterum autumnali tempore, ubi tum de publicis Regni negotiis, tum de majoribus causis, sacris, & civilibus disceptabatur. Ad hæc Consilia asciscebantur Episcopi & Abbates omnes. Tum quidem *Placita*, *Synodi*, *Colloquia*, *Conventus* dicebantur, postea Parlamenta, & Comitia Regni. Non diu Conventus hi protrahebantur; poterantque, qui affuerant Clerici, iis solutis, suas in Ecclesias properare, ibique residere, uti etiamnunc fit in iis Galliæ Provinciis, ubi quotannis, vel biennio saltem quolibet generales habentur Conventus, quibus intersunt Episcopi, incolumi & intemerata residentiæ lege.

II. At postquam Philippus Pulcher Parlamenti sedem Lutetiæ defixit, postquam etiam lapsu temporis perpetuum illud esse cœpit, hoc est postquam duo illa uniuscujusque anni Parlamenta, alterum ad Beati Martini festum, alterum ad Pascha, ita produci & prolatari cœpere, ut toto pene anno sessiones & judicia celebrarentur; jam non ita facilè potuere hæc Judicum Officia cum Episcoporum necessaria in Ecclesiis suis residentia cohærescere. Posset enim illud familiari imputari maledicentiæ Monachorum medii ævi in Clericos, quòd Caroli VI. vitæ Scriptor ajebat ab eis prehensatas fuisse sub Carolo VI. Rege dignitates Judicum & Consiliariorum in Parlamentis. Ea quippè erat Prælatorum prærogativa, jam inde à temporibus Caroli Magni, ad tempora & ultra tempora Hugonis Capetii propagata, ut suprà declaratum est, cum sermo esset de Conciliis Nationalibus, de Comitiis Generalibus Regni, & de Parlamentis. Quin & primas obtinebant sedes ante Duces, ante Comites & Barones. Cum necdum plebeii in ea Comitia admitterentur; & literarum studiis minus dediti essent Nobiles, hinc consequens erat, ut judicia ferè omnia, quæ viros literatos desiderabant, per Clericos expedirentur. In causa ergo non fuit nisi nova conditio & disciplina Parlamentorum, fixorum jam Lutetiæ & perpetuorum, ut rarius illis Barones, Episcopi, & Clerici interessent, potioribus videlicet sibi propriis alibi occupationibus distenti, illi bellicis, hi sacris. Angliæ regni usus moresque Gallicanis finitimi, & perquam simillimi in his erant, ut qui ab his manassent. Inde adverrit Matthæus Paris, *An. 1095.*, agitata fuisse consilia de Vulstano Episcopo Wigorniensi, incredibili sanctitate viro, exauthorando, quòd cum Franciæ linguæ imperitus esset, novi Regis Willelmi Nothi Consiliis interesse non posset. *Cum simplicitatis & illiteraturæ accusatus esset, & quasi homo idiota, qui linguam Gallicanam non noverat, nec Regiis Consiliis interesse poterat, ipso Rege consentiente, decernitur deponendus.* Non ergo ambitiosius prehensari necesse erat, ut Parlamentis Prælati interesse possent.

III. Postquam ad stata & continua jam Parlamenta Episcopi, Abbates, Parochi advolare jam difficilius & rarius potuere, aliam & novam formam Senatui Reges induerunt. Tempora alia ab aliis secernenda ait Tilletius. *Fuere enim tempora, cum Archiepiscopi & Episcopi omnes, statim atque confirmati fuerant, patentibus Regis literis donabantur, quibus aditus illis aperiebatur, tum ad Consilium Privatum, tum ad Parlamentum. Fuere & tempora, quibus nihil ejusmodi factitatum est, & solo nomine Consiliariorum Regis, ac nominis gloria gavisi sunt Episcopi. Erant & Abbates & Priores, quibus jus esset consessus & suffragii in Parlamentis. Eos summovit Carolus V. Caroli VI. pater excepto Abbate Sandionysiano in Francia. Recueil part. 2. 5. pag. 14. 56. 57.* Hæc Tilletius, qui & Edictum promit Caroli VI. anno 1388. quo sancitur, triginta ut sint Consiliarii majoris Parlamenti Cameræ, quindecim Clerici, totidem laici, præter Præsides, quadraginta in Camera Inquisitionum, viginti-quatuor Clerici, sexdecim laici; Sex ad libellos supplices Palatii, duo Clerici, quatuor Laici. Id quoque ibidem edicitur, jugem ut omnes residentiam præstent, ideoque Episcopos, Abbates & Priores jam non admittendos, nisi nominatim à Rege retineantur.

Affirmat porrò Thuanus, *Hist. l. 10.*, in Tabulario Senatus Parisiensis inveniri chartas, quibus constet, anno 1344. sub Philippo Valesio, Parlamentum Parisiense, quod desultorium hactenus fuerat, statum fixumque fuisse, hoc est, ex Deambulatorio Sedentarium factum, quæ verba sunt Gallicanæ consuetudinis: & tum centumviralem fuisse Senatum, conscriptis scilicet Præsidibus tribus, sex Magistris libellorum supplicum, quindecim Consiliariis Clericis superioris Cameræ, totidem laicis; viginti-quatuor Consiliariis Clericis Cameræ Inquisitionum, sive ut tunc loquebantur, Patriæ Consuetudinariæ, septendecim laicis; quinque Consiliariis Clericis, tribus laicis, ad causas disceptandas Offi-

cia-

cialium Regis, à quibus erat provocatio ad Parlamentum. Quibus ubi duodecim Pares adjiciebantur, jam Centumviralis exurgebat Senatus. Additi sunt à Francisco I. viginti Consiliarii, & octo Magistri supplicum bellorum. At is numerus mirum in modum crevit, ubi consilium idem Rex iniit, ut semestrem eam faceret Curiam. Quade modò agebat Thuanus, Constitotio Philippi Valesii Regis, ea publicata fuit in Opusculis Antonii Loiselli, *Pag.* 559., nec ab ea vel tantillum dissentiunt ejus apud Thuanum excerpta.

Doctissimus vir Pasquerius in Collectaneis suis, *L.*2.*c.*3.5., profert Constitutionem Philippi Pulchri, à quo sanciebatur duo quotannis cogi Parlamenta, alterum ad octavas Paschæ, alterum ad octavas omnium Sanctorum, singula bimestria: affore illis duos Prælatos, Archiepiscopum Narbonensem, & Episcopum Redonensem; duos similiter laicos, Comitem Drocensem, Comitem Burgundiæ; præter tredecim Clericos, totidemque laicos. In Camera Inquisitionum Episcopi Constantiensis & Suessionensis cum quinque aut sex aliis essent. In Inquisitionibus Linguæ Occitanæ Prior Sancti Martini de Campis & alii numero quinque. Ad Inquisitiones Linguæ Franciç, Magister Rodulphus Melior, & alii quinque. Ad Scacaria Rotomagensia, quç bina etiam singulis annis habebantur, Episcopus Narbonensis & alii decem. Ad extraordinarias Inquisitiones, quas vulgò vocant Magnos Dies Trecenses, bis etiam anno quolibet celebrandas, Episcopi Suessionensis & Aurelianensis, Cantor Aurelianensis, & alii, non plures omnino, quàm octo. At Constitutio Philippi Longi anno 1319. ita jubebat, *Nulli ut Prælati ad Parlamenta legarentur, quod religio esset Regi, eos à residentia & spiritualibus functionibus suis abducere;* adesse autem præter Cancellarium, & Abbatem Sancti Dionysii, octo Clericos, & duodecim laicos. Inquisitionum Cameræ octo Clericos, laicos totidem; litium & caussarum judicandarum Relatores (Rapporteurs.) viginti quatuor. Parlamento anni 1320. præter viginti Consiliarios majoris Cameræ, ad inquisitiones delecti sunt viginti Consiliarii Clerici, triginta laici. Anno 1356. Carolus V. Rex Parlamentum vetuit interpolari; nec tamen id executioni mandatum est, nisi sub Carolo VI. Rege, quando vel ob impuberem ejus ætatem, vel ægritudines animi, vel Principum impotentissimas functiones, ne in mentem quidem venit, novi ut sublegerentur Consiliarii à Rege. Itaque protractum tum quidem est Parlamentum, sed & eligi cœpti sunt Consiliarii. Parlamento Philippus Longus Prælatos expunxerat. Carolus V. Rex anno 1359. ad tricenarium numerum coarctans Consiliarios, quibus Regia stipendia suppeditabantur; Prælatos, Principes & Barones excepit, quorum ipse numerum arbitratu suo definiturus esset, quòd nihil illi acciperent stipendiorum. Itaque aditus patuit Prælatis in Parlamentum usque ad annum 1401. cum Senatusconsulto exclusi sunt Abbates. Exin de Archiepiscopi & Episcopi omnes consessu gaudent in Parlamento, non suffragio, præter sex Pares Ecclesiasticos, Episcopum Parisiensem, & Abbatem S. Dionysii, penes quos jus est etiam suffragii. Erat & ab exortu suo bipertita Computorum Camera, ex Clericis Laicisque. Ita ex Pasquerio, uno amplius sæculo opus fuit, ut nova illa Parlamentis inveheretur consuetudo, intercluso Episcopis & Abbatibus aditu, qui residentiæ compede astricti non possent prestò esse Parlamentis toto jam anno celebrandis.

Jam verò idem ille suprà laudatus vir doctus Loisellius in Opusculis suis, *Pag.* 470., confirmat ex duobus Advocatis Regiis Clericum alterum esse debuisse. *Etiam nunc primus Advocatus Regius proprio munitur dispensationis diplomate, ut possit id muneris, laicus cum sit, capessere & obire.* Addit porrò idem ipse, *Pag.* 691., Clementem IV. Papam ad Carolum Provinciæ tum Comitem, postea & Siciliæ Regem Epistolas dedisse, pulcherrimis monitis refertissimas, ac præ cæteris, ut si Parlamentis suis Prelatos inscriberet, stipendiis etiam Regiis illos instrueret, nec diutiùs remoraretur; cum nec Ecclesiis suis diu possent abesse, nec Regiis obsequiis Ecclesiæ sumptu immorari. *Si Prælatos de tuo Parlamento feceris, ad certa Parlamenta veniant annuatim, quibus certa vadia constituas; cum nec Ecclesias suas deserere diu debeant, nec in tuo servitio suis stipendiis militare.*

Nec pigebit ex Guimerio quoque didicisse, quæ prima fuerit Parisiensis Parlamenti institutio. *Curia Parlamenti Parisiensis fuit instituta de centum Consiliariis, scilicet duodecim Paribus Franciæ, octo Magistris Requestarum domus Regis, & octoginta aliis Consiliariis, quadraginta laicis, & quadraginta Clericis, inter quos sunt quatuor Præsidentes laici.* Ita ille in Pragmaticam Sanctionem paulò ante finem. In responsione Oratorum Caroli VII. Galliæ Regis ad expostulationes Pii II. Papæ adversùs hoc Parlamentum, eadem explanatur constitutio illustrissimi hujus Senatorum Collegii, & quàm dulces uberesque fructus effloruerint ex eo mirabili utriusque Ordinis temperamento, ac connexione ad libertates Ecclesiæ tuendas, ad Christi pauperumque patrimonii defensionem, denique ad dirimendas gravissimas tot controversias, ubi conspirare necesse est cum civili hominum jurisprudentia Evangelicæ doctrinæ lumina, & Ecclesiasticas Constitutiones. Ex quo & illud usu venit, ut ad augustissimum hunc cœtum referrentur causæ quandoque gravissimæ ex aliis Regnis. *Hæc Curia Parlamenti ex Ecclesiasticis & sæcularibus viris jurisprudentiam habentibus constituta usque ad numerum octoginta personarum, absque duodecim Paribus Ecclesiasticis & sæcularibus, & octo Magistris Hospitii Regis, qui omnes de corpore ipsius Curiæ existunt, quamplurimùm necessaria est ad conservationem Ecclesiarum, & jurium suorum, & de quibuscumque ad eos querimonia defertur, sive de Officiariis Regiis, sive de quibuscumque aliis in ipso Regno quantumcumque potentibus, per ipsam cuique justitia ministratur. Quod si ita per omnes regiones orbis Christiani fieret, non ita multis patrimonia Ecclesiarum direpta & delapsa forent, sicut proh dolor! esse referuntur. Tantaque ab antiquo fama est illius Curiæ quod nedum subditi aliorum Regnorum Christianorum in causis privatis ad judicium illius Curiæ recurrere voluerunt, prout & adhuc multi faciunt; sed etiam interdum infideles hoc idem fecerunt. Spicil. Tom.* 9. *c.*327.

IV. Edicto Blesensi Henricus III. non modicam partem expunxit Consiliariorum Parlamenti Parisiensis, parique ratione & modo aliorum, quæ ad ejus formam fuerat temperata. Illud verò eo Edicto præcipitur, ut cum vacuæ fuerint hæ sedes, vel morte, vel facinore, vel ex alio quopiam munere insociabili, restringatur numerus in Parlamento quidem Parisiensi ad quatuor Præsides, sexdecim Magistros libellorum supplicum, quatuor Consiliarios Clericos, sexaginta laicos. In parlamento Tolosano ad quatuor Præsides, decem Consiliarios Clericos, viginti-quatuor laicos. In Burdigalensi ad tres Præsides, sex Consiliarios Clericos, laicos duodeviginti. In Burgundiæ Parlamento ad duos Præsides, sex Consiliarios Clericos, sexdecim laicos. In Parlamento Britanniæ ad quatuor Præsides, octo Consiliarios Clericos, viginti-quatuor laicos. In Parlamento Rotomagensi ad tres Præsides, sex Consiliarios Clericos, duodeviginti laicos. In Parlamento Delphinatus ad duos Præsides, quatuor

Con-

Consiliarios Clericos, duodecim laicos. In Parlamento Provinciæ tres Præsides, sex Consiliarios Clericos, duodeviginti laicos. Ita Edicto Blesensi, *Art.212. 213. &c.* imminutus est numerus Consiliariorum Clericorum, ut vix jam ternam partem attingeret numeri laicorum, cui quondam par fuerat, vel etiam superior. Tam acerbo vulnere accepto ingemuit Ecclesia Gallicana, dignitatemque suam infringi, libertates labefactari conquesti sunt Præsules Comitiorum Generalium Cleri Gallicani apud Regem. *Cum nulli supersint pluribus in Parlamentis Consiliarii Clerici, putà Burdigalensi, Britannia, Gratianopolitano. Aquensi, Divionensi, præter primævum formam & institutionem ejusmodi Senatûs, quo Clerici & Laici, Nobiles & Plebeji continentur, uti Collegia mixta sint, & Parlamenta, seu Comitia generalia in compendium missa; cui ubi obest Clerus, jam non potest vel nomine, vel authoritate pollere Parlamenti is cœtus, dignissima sui & amplissima parte, cum Capite destitutus. Nec enim Edicti Blesensis vestris articulo XXI. & XXII. augerumur à Majestate vestra extinctos fuisse Consiliarios Clericos & laicos, donec ad pristinum numerum redigantur. Nec enim consentaneum id fuisset; cum nec vos, nec Majores vestri alium solemnem numerum Consiliarios unquam Clericos adoptaveritis; sed suppresses tantùm volueritis eos Consiliarios, qui ultra primævum numerum excrevissent.*

Hic verò animadverti æquum est, 1. ita imminutum tunc fuisse uniuscujusque Senatûs numerum, quòd & ultra modum amplificatus antè fuisset, in summa tunc quadam Reipublicæ perturbatione. Cum verò amplificatus ultra æquum non fuisset, nisi cœtus laicorum Consiliariorum, jure suo flagitabat Clerus, ut Clericorum numerus retineretur sospes & indemnis, quantus fuerat ante Comitia Blesensia. 2. Illud Regi significatur, jam Parlamenta non fore, hoc est, compendiarias quasdam Statuum Generalium repræsentationes; nisi ut in Comitiis & Statibus Generalibus, suus ibi Clero constet principatus, numerus, vigor. 3. Additur vero nec posthac discuti ac diffiniri posse in Parlamento causas graviores complurimas Ecclesiarum, nisi Curia summa Judicum ea foret, partim Clericis, partim ex laicis Senatorum coagmentata. Unde & mox ibidem in hunc modum subjiciebatur: *Penterquam quod permagni interest ad Cleri dignitatem, ne ea Clericorum Senatorum Officia extinguantur: refert etiam mirum in modum, ut eo præsidio ne spolientur libertates Ecclesiæ, immunitates Cleri.* Articulo denique proximo instatur pro Officiis Consiliariorum Clericorum in Curiis Præsidialibus, quæ Carolus IX. Rex creaverat. His postulatis assensus est Rex, & facturum se satis pollicitus.

Anno 1596. rursus Comitia Cleri Gallicani Henricum IV. Regem ea de re interpellarunt, cujus & Edicto ejusdem anni res ita composita est, ut ex his ejus verbis liquet. *Art.11.12. Quæ posthac vacaverint Officia Senatorum, tum Clericorum, tum Laicorum in Parlamentis, quibus nulli nunc sunt Clerici Consiliarii, ea his addicentur, donec legitimus eorum numerus impleatur, nec verò possint ea officia aliis, quam sacratis Clericis obvenire.* Edicitur & Articulo proximo, ut in Parlamentis & Præsidialibus Curiis Officia Clericorum Consiliariorum ita Clericis adjudicentur, ut nec possint unquam ad Laicos devolvi, etsi subreptitia quæpiam ad id diplomata à Regibus extorqueantur. Conventûs Generalis Cleri anni 1610. à Ludovico XIII. simillimum expressit Edictum, ut ne Laici unquam invadere quærentur in ea Officia, sive Præsidium in Cameris Inquisitionum, sive Consiliariorum in Parlamentis & Præsidialibus Curiis, quæ primæva ab institutione sua Clericis adjudicata fuere. Ejusdem Regis dicto anno 1629. confirmatum hoc ipsum est, ut Clericis integra & illibata servarentur ea Senatorum Officia, quibus primùm investiti fuissent. Cum denique anno 1635. Comitia Cleri Generalia ab eodem Rege flagitassent, quod Articulo XVIII. continebantur. *Ut quoniam causæ plerumque Ecclesiarum graviores in superioribus Cameris Parlamentorum definiuntur, quarta saltem pars Senatorum ex Clericis deligatur. Art.37.* Respondit Princeps Clericis vendicatum servatumque iri ea Officia, quæ hactenus obtinuissent. Si promissis his statum fuisset, si vel maximè revocatæ res fuissent ad primariam Curiæ cujusque institutionem, cumulatissimè Cleri votis satisfactum fuisset. Qui prima enim sæcularium istiusmodi Curiarum instituta literis mandavere, ii pari saltem numero Clericos fuisse Senatores affirmarunt.

V. Non tanta nervorum contentione certassent Conventus isti Generales Cleri Gallicani, ut à Regibus vindicaretur, restitueretur, amplificaretur numerus Consiliariorum Clericorum, vel Præsidum in Cameris inquisitionum; nisi persuasissimum exploratissimumque eis fuisset, nihil adversari antiquis Conciliis, Jurique Canonico, vel Ecclesiarum libertati, vel Cleri sanctimoniæ eam disciplinam. Nec toto forsan sæculi unius decursu easdem preces machinasque admovissent, nisi id adprimè necessarium aut conducibile intellexissent, ad tuitionem libertatum & rerum Cleri, Clericorumque ipsorum.

His illud adde eas toties preces & interpellationes ingeminatas non fuisse, nisi ad Officia Consiliariorum in Parlamentis & in Præsidialibus Curiis, aut Magistrorum libellorum supplicum. Causam ejus rei superiori Capite non semel indigitavimus, quòd ea Consiliariorum munia neminem implicent capitalibus judiciis, aut truncationibus membrorum; cum integrum eis sit tum se subducere, quod non peræquè fas esset Judicibus aliis compluribus.

Postremo denique loco his illud addemus, cum hunc tandem exitum habitura esset nostra disputatio, ut Generalibus totiesque iteratis Cleri Comitiis assentiremur: non potuisse nos superiùs non in hanc eandem sententiam molliusculè inclinare priscorum quorundam Conciliorum Canones. Nec enim dissimulabo, nonnihil quandoque mollitos à nobis & inflexos fuisse antiquos Canones, qui in cortice nonnihil à nobis dissidere videbantur, nec nisi subiniquè ferebant Clericos saltem majores, quibuscumque sæcularium Judicum muniis obligari. Eam indulgentiam Conciliis extorsit tandem ineluctabilis quædam necessitas. Itaque alienum non erat, ut amica eis quædam vis aliquando fieret, ut iis accomodarentur decretis, quæ Clerus Gallicanus toties congregatus expetivit. Quin posterioribus Conciliis hæc approbata est tandem disciplina, quæ si ad tempora Caroli Magni retro volveremur, una ferè tunc in Ecclesia dominabatur.

CAPUT XXIV. *P.4. l.4. c.8.*

De Prælatis & Clericis aliis, quibus aditus patuit ad Consilia Regum, & ad ipsum Regni Ministerium primarium.

I. Sugerius Sancti Dionysii Abbas, Administer primarius Regni, & Rector, B. Bernardi laudibus, Eugenii III. Papæ encomio honestatus.

Id

II. Quid Bernardus jure meritissimo exploserit in Stephano de Garlanda, Archidiacono & Præfecto Prætorii, seu Magno Magistro Palatii Regii.

III. Episcopi, Abbates, Monachi clavo Regni præpositi sub Philippo Augusto & Ludovico IX.

IV. Lanfrancus sub Vuillelmo Notho Angliæ Rege primas partes gessit Regii ministerii.

V. Exempla alia Archiepiscoporum & Episcoporum Angliæ, qui Consiliarii, Ministri Regum, Regni rectores fuere.

VI. Episcopi nonnunquam etiam demandatum Magni Justitiarii munus; quod tandem connitentibus Pontificibus Romanis retractatum est.

VII. De Officio Vicecomitum. In genere sæcularibus his Officiis, in quæ nimis cupidè, nimis multi se Episcopi intrudebant quod à Pontificibus tandem vitio datum est.

VIII. Rursus exempla plurima Prælatorum Angliæ Consiliariorum & Ministrorum Regni partes sustinentium.

IX. In Germania altiùs etiam penetrarunt Præsules in Consistoria Principum, & in Administrationem Imperii. Nec secus fuit in Septentrionalibus Regnis.

X. Huic Regnorum & Imperiorum generali disciplinæ una ferè imminet, dominatur summi Numinis sapientia, nutu suo hæc omnia librans & versans. Clericorum & officii & potestatis est, ut quibusvis sæcularibus officiis sanctitatem ipsi sui Ordinis illinant, non eorum, vel sæculi affinia illi inquinentur.

XI. Præstantissima Petri Blesensis monita ad Clericos Aulam frequentantes.

XII. In Hispania Veremundus Rex Regno nuntium remisit, & uxori, quod Diaconus esset. In Lusitania Henricus Archiepiscopus Eboracensis, Cardinalium Romano inscriptus Collegio, Regnum capessit; nuptias meditatur. Duorum horum Regum inter se collatio, & cum Casimiro, qui ex Monacho & Diacono, creatus est Poloniæ Rex, quò sui illum natales invitabant. Geisa Episcopus, post Rex Hungariæ.

XIII. De Ximenio Cardinali, & de Archiepiscopis Toletanis.

XIV. De Patriarchis Constantinopolitanis.

I. NE jejuni nimis fuisse videamur in tam copiosa messe, rursum hic nova acervabimus exempla Sanctissimorum Præsulum, qui in Consistorio Regum primariis sessitavere sedibus quin & gubernacula interdum Regni tractarunt, vel impuberibus, vel absentibus Regibus: non aliud interim vel hortantibus, vel optantibus Conciliis, Pontificibus, piis & eruditis quibusque, quàm ut religiosè munere fungerentur, & convenienter præsumptæ de Cleri sanctimonia opinioni. Pervagatissimum est Sugerium Abbatem Sancti Dionysii Ministrum fuisse Statûs principem, & Regias vices obtinuisse sub Ludovico Juniore Rege, dum is in Palæstina peregrinaretur & Sarracenos oppugnaret. Excelso, & infracto semper animo Beatus Bernardus adversùs quasvis morum & disciplinæ pestes, adeo non Sugerio obtrectavit, ut & laudibus eum cumularet, Regio hoc fungentem ministerio, datis ad Eugenium III. literis, quo ei missos à Sugerio Romam legatos commendaret. *Si quod magna domus magni Regis vas in honorem apud nostram habetur Gallicanam Ecclesiam, meo quidem judicio ipse est venerabilis Abbas Sancti Dionysii. Novi siquidem virum, quod & temporalibus fidelis & prudens, & in spiritualibus fervens & humilis; in utrisque, quod est difficillimum, sine reprehensione versetur. Apud Cæsarem est tanquam unus de Curia Romana, apud Deum tanquam unus de Curia cæli.* Quo encomio, Bernardi ab ore & stylo profecto, videri potest Sugerius Abbas Regni administer, non tam hominibus commendatus, quàm cœlitum albo inscriptus fuisse.

Eugenius ipse Papa datis ad Sugerium literis præcipiebat, ut significaret sibi, qui ex Episcopis ipsi minùs ope & consilio, & opera adessent ad Regni defensionem, ei absente Rege commendatam. *De Episcopis verò, qui pro defensione Regni tibi opem ferre & adesse recusant, ne omnes simul in culpam inducere videamur, nobis de aliquibus nominatim significes, ut eos Apostolicis affatibus corripiamus, & exhortemur; quatenus ad conservandum statum Regni promptiores existant, & ad ea, quæ Regni honori & utilitati expediunt, vires & consilium subministrent. Porro quod loca Regni tibi commissi pro voluntate nostra ad celebrandum Concilium obtulisti, devotionem tuam in Domino collaudamus. Du Chesne. Tom. 4. pag. 493. & seq.* Itaque in potestate Abbatis Proregis erant Civitates, ut earum Pontifici copiam faceret ad celebrandum Concilium, & Episcopos omnes sibi collaborare in Regni defensione præciperet. Majestatis nomine illum coluit Episcopus Andegavensis, & ad obsequium se præsto esse professus est ei, qui vicem Regis impleret. *Qui in loco Regis estis.* Per literas ei gratulatus est Episcopus Aurelianensis, quòd Regnum ei universum obtemperaret. *Quoniam Regnum Francorum sub dispositione & protectione vestra discretionis divina providentia constitutum est, sicut dignum est, non minimum gaudemus.* Rex ipse ex transmarinis Provinciis per literas hanc illi summam potestatem, ratam firmamque constare voluit: *In manu quippe vestra sunt omnia, quæ tanquam vestræ dispositioni vestræ atque sollicitudini per totum Regnum providenda commisimus.*

Ministerio Regni præfuerat idem antè Sugerius Abbas, quàm Rector crearetur. Tunc temporis ad eum Bernardus & ad Episcopum Suessionensem scripsit, ut ad Principes & primarios Ludovici Regis Consiliarios. Ad eos inquam scripsit Bernardus, Censor inexorabilis, cum priùs Regem ipsum, in Ecclesias atrocius exæstuantem objurgasset. Hos autem Bernardus lacessivit, non quod Regiis interessent Consiliis, sed quod vel iis præsentibus tam acerba in Ecclesiis designarentur Consilia; aut si se his amoliendis impares sentirent, non Aula discederent, non caput suum pro Ecclesiæ & justitiæ tuitione in extremum discrimen conjicerent. *Dignum duxi vobis, qui de Consilio Regis estis, insinuandum, &c. An vos ei consulitis talia, &c. Si quis Ecclesiæ filius est profectò stabit & opponet se, quod poterit, murum pro domo Dei. Nam & vos ipsi, quomodo non dicam tractatis ea, sed vel interestis consiliis tam malignis? Quidquid enim mali fecerit, merito non Regi juveni, sed Consiliariis senibus imputatur. Epist. 221.* Episcopum hunc Suessionensem & Sugerium simile veri est seipsos Bernardo purgasse, cum tam præclaro postea Bernardus præconio Sugerium exornarit, quod hujus Capitis exordio præfiximus. Enimvero non in omnes, qui Consiliis Principum adsunt, derivari potest invidia eorum, quæ ibi statuuntur, si illis dissentientibus, si multum diuque obluctantibus statuantur. Nec verò prorsus liquet, an vel tum consultissimum sit viros religiosos & pios discedere. Etsi enim uni alicui procellæ propulsandæ impares fuerint, aliàs pares, aliàs superiores erunt; denique nec intutius, nec imprudentius quidquam est, quàm sæviente maximè procella, tum abjicere navis gubernacula. Mirum est, nec prætereundum nobis hoc loco; quod habet Otto Frisingensis Episcopus de Regni regimine Sugerio concrediti per absentiam Regis. Eam enim affirmabat prærogativam fuisse Sandionysianis Abbatibus affixam: *Sugerio Abbati Sancti Dionysii, qui Regni negotia ob*

ab-

absentiam Regis in Occidentali Francia, juxta illius Cœnobii prerogativam administrabat, &c. L. 1. c. 55. De gestis Fridrici. Tunc Regum plerumque filii à puero instituebantur in Regio bocce Cœnobio; & proclive etat, ut quos habuerant juvenilis institutionis suæ parentes & magistros, eos postea ubi regnum capessiverant, vellent habere ministros, eisque Regni delegarent quandoque admioistrationem, quibus & sui, & filiotum curam commendaverant.

Redeo ad Bernardum, & ad literas ab eo perscriptas ad Sugerium Abbatem. Quid bis potuit dici amplius ad splendotem & immortalem gloriam Regii bujus Mioistri, Consiliarii, Rectoris. *Omnium Ecclesiarum custodia vobis commissa dignoscitur, &c. Consulo & supplico sublimitati vestra, quin maximus Princeps estis in regno, &c. Epist.* 356. 357. 358. 359. Et ubi Sugerius Conventum adgregavit Episcoporum & Baronum Regoi, ut eos de Regni regimine percootaretur, & statutum tandem est, ut ipsemet Regni Provincias perlustraret, abigendis, aut opprimendis turbulentis quibusdam hominibus, hæc ad illum gratulabundus scripsit Bernardus. *Visitet vos Oriens ex alto, qui visitare disponitis regnum gloriosissimi Regis nostri, ut sic respirare possit à tribulatione malorum & dolore. Profecto consilium Dei fuit, ut ad Consilium tam Curia, quàm Ecclesię Principes vocaretis, ut sciant omnes, qui habitant terram, quia remansit & regno & Regi amicus dulcis, consiliarius prudens, adjutor fortis.* Denique nemo sanus inficiabitur, nullis in Episcopis insimulasse Bernardum, quod approbabat in Archiepiscopo Senonensi, ut Curiæ & Consiliis Regiis frequens adesset. *Si Cæsaris successeri, id est, Regi sedulus in suis Curiis, Consiliis, Negotiis, Exercitibusque adestis. Epist.42.* dum officium implerent, ea religione, constantia, iotegritate, quam in Sugerio commendabat.

II. Nec est quod quisquam objectet, quæ idem Bernardus tam piè, fortiterque scripsit, *Epist.78.*, adversùs Stephanum de Garlanda, qui Diaconus cum esset, & bene multa acervasset Beneficia, Magni Senescalli dignitatem induit, quæ summa erat, sed militaris & armata Præfectura, id omne complexa, quod postea Comitibus Stabuli attributum est. Eam dignitatem dilucidum est sociari & cohærere non potuisse cum Clericatu, cum Diaconatu, & aliis Beneficiis. Atquiii demum erant fontes querelarum Bernardi. Nec enim molestè ferebat, quòd Diaconus & Beneficiarius Regio præesset Consilio & Ministerio. At militaris professio, & totius militiæ summa Præfectura, non immerito illi videbatur Clericatui repugnare, & collidi. *Cujus cor non indignatur, Diaconum sic sublimatum bonoribus Ecclesiasticis, ut nec Episcopis inferior videatur; sic implicatum militaribus officiis, ut praferatur & Ducibus?. Quis non detestetur unius esse persona, & armatum armatam ducere militiam, tuba indicere bellum, & in medio Ecclesia pronuntiare Evangelium?* Fateor & impatientius tulisse Bernardum, quòd idem Stephanus cum Diaconatu Dapiferum se Regis ageret. Verùm id Bernardum potissimum mordebat, quòd multò pluris faceret Stephanus hanc sæcularem quamlibet eminentissimam dignitatem, eique Clericatum & Diaconatum posthaberet. *Cumque sit Archidiaconus, Decanus, Præpositusque in diversis Ecclesiis, nihil eorum tam eum delectat, quàm Regis vocari dapiferum. O' nova & exosa perversitas! Itane plus decet hominis, quàm Dei famulum nominari? ac terreni, quàm cœlestis Regis dici officialem, altioris ducitur dignitatis.* Si Bernardum audias, si cum ipso sapias, longè præcellentior dignitas est Archidiaconi, Decani, vel Præpositi Ecclesiæ, quàm Majoris Palatii, Comitis Stabuli, & Senescalli majoris. Adde quod authore Bernardo, Diaconum officio affigi sæculari, ex quo nihil valde est utilitatis ad Ecclesiam redit; & cui proposita non est, nisi gloria & pompa mundi fumosa, satis id quidem causæ habet, ut utriusque ejus dignitatis fibula & conjunctio dissolvatur. Nec par ratio militat in Consiliario Ministro, & Rectore Regni. His muniis persunctus noo est Sugerius, nisi ut Ecclesiæ Regno prodesset magis, quàm præesset; non alia unquam nominis gloria se exornari passus, quàm ut Abbas Sancti Dionysii diceretur. *Par utrobique abusio, sive quod Diaconus mensa Regię deputetur ministerio, sive quod Regis dapifer mysteriis altari inserviat. Ergo pulchrius est vocari dapiferum, quàm Decanum, quàm Archidiaconum?*

III. Cum anno 1190. Philippus Augustus transmarinam adornaret expeditionem, Regni, filiique regimen Adelæ Reginæ, & Willelmo concredidit Archiepiscopo Remensi avunculo suo. *Accepta licentia ab omnibus suis, Adela charissima matri sua, & Vuillemo Archiepiscopo Remensi avunculo suo pro tutela & custodia totum Regnum Francorum cum filio suo Ludovico dilectissimo commendavit.* Hæc Rigordus, qui rursus ad annum 1213. Varinum narrat Equitem professum Sancti Joannis Jerosolymitani, postea Sylvanectensem Episcopum creatum fuisse, unàque Consiliarium & Ministrum Regni primarium. Nulli non ille Gallorum & amori fuit & admirationi, qua erat virtutum omnium laude, qua sapientiæ copia; insatigata vigilantia Ecclesiarum amantissima tuitione. *Cui successit Frater Garinus, qui cum esset Frater professus Hospitalis Hierosolymitani Regis Philippi magnanimi specialis Consiliarius effectus, in aula Regia propter prudentiam & incomparabilem consilii virtutem, & alias animi dotes multiformes ita laudabiliter se habebat, quod quasi secundus à Rege negotia regni inculpatè tractabat, & Ecclesiarum necessitudines tanquam vir literatus ad plenum nihilominus omni studio procurabat, libertates, & privilegia earum modis omnibus, quasi sub chlamide conservans indemnes. Du Chesne tom.5. pag.29. 55. 521.*

Apud Beatum Ludovicum & Philippum III. ejus filium gratia & authoritate in Reipublicæ administrátione præ cæteris floruit Matthæus Abbas S. Dionysii. Audiendus bic Gestorum Philippi III. Scriptor. *Et maximè tunc usus est consilio & disciplina Reverendi Patris Matthai Abbatis Sancti Dionysii in Francia, viri Religiosi & sapientia floribus adornati; cui super omnes Assessores Palatii Regii causas & universa negotia regni sui, sicut & pater suus fecerat Ludovicus Rex, expedienda tradidit.* Fidem facit Nangius Beatum Ludovicum initia regni sui dedicasse delectum Consiliariorum sapientia & virtutibus spectatissimiorum, ex Clericis, Laicisque. *Consiliarios, & Assessores, tam Clericos, quàm laicos electissimos tam fidelitate, quàm vita & sapientia habere voluit, & undequaque poterat, eligi faciebat. Rainal. ann.1236. n.43.* Vel Pares Franciæ Cleri, totidem quot laici, qnorum profecto antiquissima institutio est, declarant maoifestissimè, cujusmodi essent Regum jam olim Consiliarii. Eos omnes anno 1458. voluit Carolus VII. Rex adesse Capitali judicio Ducis Alencooii, *cum omnibus Consiliariis, in Curia Parlamenti Parisiensis, tam laicos, quàm Clericos, unà cum Episcopo Parisiensi, & Abbate Sancti Dionysii:* ut perhibet, qui ejus Regis historiam exaravit Joaones Cartherius. *Pag.304.*

IV. Adeunda nunc nobis Anglia est, ad rimanda ejusdem disciplinæ vestigia. Consiliarii & Ministri nomine & gloria meritissimò induetur Lanfrancus Cadomensis Abbas, postea auctus Archiepiscopatu Cantuariensi sub Vuillelmo Notho. *Ut patrem venerans, ut præceptorem verens, diligens*

Xxx ut

ut germanum, aut prolem. Illi consulta animo sua, illi speculam quandam, unde Ordinibus Ecclesiastici per omnem Normanniam prospiceretur, commisit. Scriptor. Norm. pag.194. Cum Angliæ Regno discedebat Rex, tum ei regendo Lanfrancum præfuisse refert Matthæus Paris, ad annum 1099. *Angliam Rege absente custodivit.* Idem confirmat Scriptor vitæ Lanfranci paulò prolixius, *Cap.15.*, ut explicaretur eximia illa, quæ illi hoc nomine conciliabatur, potestas in omnes Regni Optimates. *Quando gloriosus Rex Vuillelmus morabatur in Normannia, Lanfrancus erat Princeps & Custos Angliæ, subjectis sibi omnibus Principibus & juvantibus in his, quæ ad defensionem & dispositionem vel pacem pertinebant regni secundùm leges Patriæ.* Willelmum Nothum excepit Willelmus filius, cognomento Ruffus, à quo Regni administrationem perhibet Willelmus Malmesburiensis Willelmo Dunelmensi Episcopo esse cummendatam. *Nam Vuillelmo Dunelmensi Episcopo commendata erat rerum publicarum administratio. L.4. pag.120.*

V. Minaces & aculeatas dedit Alexander III. Epistolas ad Richardum Cantuariensem Archiepiscopum, quòd Vintoniensem, Eliensem, & Norvicensem Episcopos pateretur diutius mores trahere in Aula, longumque suas Ecclesias oblivisci. Alibi jam suprà diximus Archiepiscopum Petri Blesensis calamo & opera vicaria usum, rescripsisse Pontifici, nulla non virtutum laude clarere hos Episcopos, nulla non strenui Pastoris munia obire in suos greges. Porro novum non esse, esse quinimo in primis utile, & pernecessarium, cum Regno, tum Ecclesiæ, ut frequentes sint Episcopi in Consiliis Regum. *Non est equidem novum, quod Regum à Consiliis sint Episcopi. Sicut enim honestate & sapientia cæteros antecedunt, sic expeditiores & efficaciores in Republica administratione censentur. Baron. an.1176. n.27.* Alio loco excerpsimus, quæ mox ibi subjiciuntur, de servitute & calamitate creberrima, quam vix effugerent Ecclesiæ, *nisi familiares & Consiliarii Regum essent Episcopi.*

Ubi primùm Angliæ Regni habenas tractare cœpit Richardus I. Regni totius administratio delegata ab eo est Eliensi Episcopo Willelmo. Germani fratres Regis præter ejus jussionem ex Normannia in Angliam trajecere, quo novi Ministri & Rectoris consilia & authoritatem labefactarent. Literas ad eos dedit Cœlestinus Papa, quibus hortatur, ut sacrosanctam Regum dignitatem, in Ministris etiam & Vicariis suis coruscantem revererentur, utque Episcopi Regios ipsos fratres excommunicatione percellerent, si quid insolentius auderent in Episcopum Eliensem Regni Rectorem, dum Richardus Rex in Palęstina sacro bello distineretur. *Venerabilem Patrem vestrum Eliensem Episcopum, Apostolicæ Sedis Legatum, cui Regnum tradidit Rex gubernandum. Baron. an.1191. n.21.* Interim invidia & maledicentia in Præsulem Regni Rectorem bacchabatur; complures ad ejus defensionem scriptitavit Petrus Blesensis Epistolas, nonnullas & quibus mœrorem, si quis hinc ei illideretur, abstergeret. *Ep.1.* Porrò jam non semel testatum nobis fecit Blesensis, quàm non ipse quidem soleret blandiri Episcopis in Aula commorantibus, nisi justissimis causis adigerentur. Usque adeo tamen excanduit invidorum malevolentia, ut Rector gubernaculis tandem excuteretur, Archiepiscopo præ cæteris Rotomagensi illi adversante, *Baron. anno 1192. n.4.* Moris tum erat usitatissimi, ut qui expeditionem sacram adgrederentur Reges & Principes, ii se tuitioni committerent Sedis Apostolicæ. Quo factum ut ultro citroque ad Pontificem delegarentur Oratores pro Eliensi, & contra Eliensem. Insusurrabant clam aliqui Pontifici, revocatam fuisse à Rege administrationem Regni Episcopo crediti. Frustra illi fuere, gnaro Pontifice, quàm singulari Rex amore, Eliensem Episcopum cumulatum voluisset, & vicaria Regni Præfectura; & munere Cancellarii, & Legatione Sedis Apostolicæ. *Rex ipsum fecit non modò Episcopum, sed & Cancellarium suum, sed & Regnum Angliæ universum ejus solius custodia commendavit.* Longa ea fuit injuria, longæ ambages, in quas minimè necessum est, ut nos diutiùs implicemus.

VI. Interim verò redux è Palęstina Richardus, translato Huberto Salisberiensi Episcopo in Ecclesiam Cantuariensem, Angliæ Regno illum præfecit. *Cujus industria ex præcepto Regis Richardi Regnum Angliæ & ejus administratio commissa est.* Ita Matthæus Paris ad annum 1193. Nec verò adeo alienum est, Episcopos, Consiliarios Regni creari, vel Ministros, vel etiam Rectores, aut Proreges, quàm Justitiarios, sive Magnos Justitiarios, quod non semel usuvenit. Quippè fidem facit pervetustus Anglicanæ Historiæ Scriptor, Henricum II. Regem, quo jus diceretur religiosiùs, & accuratiùs, tres Episcopos præstituisse & præfecisse omnibus Anglię Judicibus, & Gubernatoribus urbium ac Provinciarum, qui Justitiarii, vel Magni Justitiarii vocitabantur. Episcopi Vintoniensis, Eliensis & Norvicensis ad id potestatis & gloriæ culmen evecti sunt, illi ipsi, de quibus paulò antè expostulabat Papa, quibus authoritate & gratia non defuit Archiepiscopus Cantuariensis. Ea spe ducebatur Rex, fore ut Episcopi juris & æquitatis observantiores essent, quàm Laici; nec posse eos hinc avocari eorum authoritate Canonum, qui sæcularibus Magistratibus Clericos interdicunt; cum non sua sponte ipsi prosiliissent, sed concessissent tandem voluntati & authoritati Regis, quem zelus & amor justitiæ inflammasset. *Transcensis omnibus, quæ mutabilitati poterant subjacere de facili, Rex ad Sanctuarium Dei recurrens, Vintoniensem, Eliensem, Norvicensem Episcopos Archijustitiarios Regni, sed certis in locis ex forsan consideratione constituit, ut si cæteri, quos longè prius præmiserat, ipsum regnantem in terris minùs veriti fuerint, isti saltem Deum Regem Regum, Judicem conscientiarum revererentur attentiùs, nec opprimerent in judicio pauperem. Itaque si se negotiis sæcularibus contra Canonum instituta Præsules immiscuerint, & ob hoc trahantur in causam, Regis instantiam, Regis intentionem piam, suam actionem Deo placendam, plurimis profuturam, ab hominibus collaudandam rigori Canonum instanter opponant: Sic reatum culpa fraternæ charitatis intuitus poterit mitigare. Scrip. antiq. Angl. T.6. pag.606.*

Epistola in illa, quam defensitandæ trium horum Præsulum innocentiæ Cantuariensis Antistes ad Pontificem destinaverat, de hoc Magni Justitiarii Officio verbum erat nullum. Eo nondum forsan investiti fuerant, aut fuerant jam spoliati. Non facilè persuaderi mihi patiar, tam apertæ calumniæ sacris Canonibus irrogatæ patrocinium in se recipere voluisse Petrum Blesensem. Et tamen hic ipse historiæ Scriptor vetustius commemorat ejus rei exemplum; & si certa ei fides sit, non paulò majori authoritate suffultum. Rogerium enim Salisberiensem Episcopum narrat ille abhorruisse constantissimè ab eo munere Justitiarii, donec ad id subeundum constringeretur præcepto Pontificis Anselmi, hujusque successorum in Sede Cantuariensi. *Non se priùs professus est Regni justitiarium, quàm ab Ecclesia Romana, quàm ab Anselmo, Radulpho, Vuillelmo Cantuariensibus Archiepiscopis juxta temporum successionem, cum obedientia virtute sibi fuerit hoc onus impositum. Ibid. p.651.* Id ille objectat tanquam repagulum Episcopis sui ævi sub Richardo Rege, ubi effrænata ambitione Reges circumveniebant, ut ab illis expugnarent Comitatus, Vicecomita-

mitatus, & Castellanias, quæ sęculares sunt dignitates. *Episcopi temporis hujus se negotiis sæcularibus immiscentes, & Comitatus affectantes, seu Vicecomitatus, vel Castellanias, Rogerium Salisberiensem Episcopum revocent ad memoriam.*

Non facilè cordatus quisque assentietur unquam Pontifici & Anselmo probari potuisse, ut Episcopus Magnus Regni Justitiarius institueretur. Cælestinum III. vidimus studio patrocinio suo fovisse Episcopum Eliensem, Legatum, & Regni Rectorem. At in ejus literis de Magni Justitiarii dignitate litera nulla est. Et tamen Episcopus Eliensis præter complures alias ea etiam dignitate tumebat. Ita enim apud Matthæum Paris ad annum 1190. *Vuillelmus Dei gratia Eliensis Episcopus, domini Regis Cancellarius, totius Angliæ Justitiarius, & Apostolicæ Sedis Legatus.* Qui idem ipse ad annum 1197. affirmat eo munere auctum fuisse Archiepiscopum Cantuariensem; quanquam proximo post anno simultatibus susceptis cum Monachis Capituli sui Cantuariensis, re ad Pontificis judicium traducta. Monachi ex hoc ipso Officio ansam arripuerint, eum proscindendi, ut qui propterea capitalibus judiciis intervenisset. *Romam profecti Innocentio Papæ conquesti sunt, quod Archiepiscopus contra ordinem dignitatis suæ gerebat se Justitiarium Angliæ, & Judicem sanguinis: ita quod omissis Ecclesiasticis negotiis, sæcularibus plùs æquo intendebat.* Sensit Pontifex cruentas & sententias & executiones ei Officio inhærere, unde & Regem interpellavit, quo Archiepiscopum eo absolveret. *Papa Regi Anglorum dedit in mandatis, quatenus statim visis literis sub pœna interdicti præfatum Archiepiscopum ab officio Justitiarii removeret: præsertim cum non liceat Episcopis negotiis sæcularibus se implicare. Amoto igitur Archiepiscopo, &c.* Eodem Justitiarii munere Henricus III. Rex complures Ordinis Sancti Benedicti Abbates oneravit ac deturpavit; nec sanè dissimulat Matthæus Paris ad annum 1254. ingens & Ordini suo inde inustum esse dedecus, & non mediocre Ecclesiis detrimentum. *In enormem suæ Regulæ & professionis, & damnosam suarum Ecclesiarum læsionem.*

VII. Nec ab his multùm abludebat Vicecomitis munus in Anglia. Conjungi & sociari eum Episcopatu nulla prorsus ratione poterat: & eo tamen innecti se avebant Episcopi quidam Angli, potiusquam honestari: eo enim jam sæculari foro mancipabantur. In Parlamento anni 1194. sub Richardo Rege, cum Rex de Episcopo Conventrensi expostulasset, ut Regni perduelli: statutum tandem est, Episcopum Episcoporum subesse judicio; sed Regiis Judicibus subjiciendum esse, ut qui fuisset Regis Vicecomes. *Subjacere judicio Episcoporum, in eo, quod ipse Episcopus erat, & judicio laicorum, in eo, quod ipse Vicecomes Regis extiterat.* Pag. 737. 548. 550. Hæc ex Rogerio, qui alibi luculentè descripsit functiones Justitiariorum & Vicecomitum Angliæ, tanquam delegationes quasdam & executiones à verecundia & innocentia ac dignitate Cleri alienissimas. In Præfatione Conciliorum Angliæ affirmat Spelmanus, fuisse non pauciores, quàm duodecim Magnos Angliæ Justitiarios ex Prælatis, & multò plures futuros, nisi eo officio exui curasset Innocentius III. Archiepiscopum Cantuariensem. Eduardus I. eam dignitatem in duas partitus est, atque ita vim ejus infregit. Addit autem idem Spelmanus fuisse in Anglia septem Regni Rectores ex Prælatis, impuberibus, vel absentibus Regibus, & sub Rege Eduardo III. omnes propemodum Palatii Officiales & Regni Clericos fuisse, Magnum Cancellarium, Magnum Thesaurarium, Custodem parvi sigilli, decem Magistros Cancellariæ, & innumeros alios. Voluisse tum Urbanum V. eorum numerum ad se perferri, quo tantæ mederetur Cleri prolapsioni in sæculares curas. Quocirca exinde Regum Regnique Ministros frequentius ex Laicis accersitos fuisse.

VIII. Acquievit Gregorius IX. Henrico III. Regi Angliæ, ut prisco more, quos vellet Episcopos in Consiliis suis retineret. *Pia devotione Progenitorum tuorum, asseris introductum; quod Reges Angliæ semper consueverunt Consiliarios habere aliquos Episcopos Regni sui, de cujus statu cum consilio disponerent eorundem, &c. Nos piam in hac parte intentionem tuam esse credentes, & tam Regni tui sperantes, quàm Ecclesiæ utilitatibus providere, Episcopis, quos ad hoc duxeris evocandos, assistendi tibi in Consiliis, prout utilitas exigit & honestas, liberam authoritate præsentium concedimus facultatem.* *Rainal. an.* 1231. *n.* 51. Hic ipse Rex Justitiarii munere Abbates donavit, sed adeo non his accedebat consensus Papæ, ut Episcopus Lincoliensis per literas pio zelo & eruditione scatentes, Archiepiscopum Cantuariensem excitare & incendere conatus sit, ne rem pietati & sacris regulis inimicam inultam pateretur. *Rainal. an.* 1236. *n.* 51. Rex propositi sui tenacior, minis Lincolniensem absterrere conatus est, quem & demulsit Cantuariensis hoc responso, ferendum modicè esse, quod emendari nunc quidem non posset, usque ad futurum Concilium. Nec tamen à sententia deductus est Episcopus Lincolniensis; sed ingenti Canonum & testimoniorum cujusvis generis congerie, Archiepiscopo demonstravit, ne Clericis quidem ipsis, nedum Monachis concessas esse illas secularium judiciorum functiones. Quò res ea tandem desierit, tacet historia. Sed facilè auguramur; ut justitia & æquitate, ita & causa vicisse tandem Lincolniensem Episcopum. *Rainal. an.* 1237. *n.* 51. *& seqq.*

Anno 1298. ex Polydoro Virgilio Cantuariensis Archiepiscopi instigatione Eduardus Rex Concilium, sive Parlamentum indixit, ubi statutum est, innovandas & suo vigori reddendas priscas Regni leges, ne quid tributi exigeretur, nisi assensu Concilii, hoc est Parlamenti, quod jamdiu Reges minùs observassent. Ea Constitutio à Rege, Regisque filio confirmata est. *Ne Regi tributum ullum proprio Anglico in posterum tempus indicere liceat id, quod Reges antea suo arbitratu sæpè fecerant, nisi ex Consilii authoritate.* Affirmat Polidorus, *anno* 1298. *n.* 1., constantissimè posthac ei Decreto obtemperatum fuisse anno 1296. Tradit Valsingamus Monachus, electos fuisse à Scotis duodecim Pares, Episcopos quatuor, Comites quatuor, quatuor Barones, qui Regi Rempublicam regenti consilio & opera sua adessent. *Scoti elegerunt sibi duodecim Pares, quatuor videlicet Episcopos, quatuor Comites & quatuor Barones, quorum consilio Rex Regnum suum gubernare debebat.* Anno 1376. petiit Parlamentum, ut propter devexam & ingravescentem Regis senectutem, administraretur Regnum ab Episcopis aliquot, Comitibus, & probis aliis viris. *Ad petitionem Communitatis extitit ordinatum, quod certi Episcopi & Comites & alii Domini conversationis laudabilis Regem & Regnum de cætero gubernarent eo, quod Rex jam vergebat in senium, & gubernatoribus indigebat hujusmodi.*

IX. Ex Anglia in Germaniam deflectemus, ubi in Principum Consiliis, & in Regni administratione multò potiores fuere semper, suntque etiamnunc Episcoporum partes, quàm vel in Anglia, vel in Galliis. Erat Henrico II. Episcopus Eistetensis Gebehardus princeps Regni administrator, ex Leone Ostiensi. *Vir singulari prudentia, gerendarumque rerum peritissimus, Regis Consiliarius erat. Baron. an.* 1053. *n.* 3. Beatus Anno Archiepiscopus Coloniensis impubere Henrico Rege Imperium administravit, Regemque ipsum Imperatrici parenti suæ subfuratus est, quo sanctioribus illum institutionibus im-

imbui curaret, Eo visus est Anno & Ecclesiæ & Reipublicæ salutem in tuto collocasse; unde & per literas ei congratulatus est Petrus Damiani, ut qui io vestigia ingrederetur summi olim Pontificis Jojadæ, qui Jonam Regem Regnumque ab extremo vindicaverat exitio, & memorando eo exemplo evicerat, nec Sacerdotes Regum, nec Reges ipsos quandoque Sacerdotum tuitione carere posse. *Sciebat enim quod utraque dignitas alterna invicem utilitatis est indigens; dum & Sacerdotium regni tuitione protegitur, Sacerdotalis officii sanctitate fulcitur. Sed quid mihi per sacra lectionis seriem currere, nisi in te video ejusdem operis similitudinem nostro tempore convenire? Servasti, venerabilis Pater, relictum tuis manibus puerum, firmasti regnum, restituisti pupillo paterni regni Imperium. Ad Sacerdotium quoque manus tua prudentia protinus extendisti, &c. Baron. an.* 5062. *n.*19. 5660. *n.*4. 5073. *n.*2. 3. Non Anno tantùm Jojadam, sed & Henricus Joam imitatus est ulteriùs etiam quàm sperasset, aut verò voluisset Petrus Damiani. Excidit enim Anno postea pristinæ apud eum gratię & authoritatis gradu, & illi in Regni administrationem subrogatus est Archiepiscopus Magdeburgensis. Quem & ipsum non multò post suorum desectione ablegare compulsus est Rex. Anno venia ejus haud ægrè impetrata, Aula discedere maluit, quam ejici: at ubi ille semel Palatio excessit, in eam se flagitiorum licentiam Henricus præcipitem egit, & in eas libidines, quæ juventæ intemperantiam summa potestate fretam comitari solent. Unde Lambertus: *Ubi Archiepiscopus se in sua recepit, Rex tanquam severissimo Pædagogo liberatus, statim in omnia genera flagitiorum, ruptis omnibus modestiæ & temperantiæ frænis se præcipitem dedit.*

Ad annum verò 5062. observatur ab eodem Lamberto, quod præteriri nefas sit. Ubi Henrici Regis impuberis compos factus est Anno, ne tam audacis facinoris invidiam solus sustineret, constitui fecit, ut is Episcopus Reipublicæ clavum regeret, in cujus Diœcesi Rex tum versaretur. *Statuit ut Episcopus quilibet in cujus Diœcesi Rex tunc temporis moraretur, ne quid detrimenti Respublica pateretur, provideret; & causis, quæ ad Regem delatæ fuissent, potissimum responderet.* Addit porro idem ipse ad annum 1063. Regis, Regnique curam, atque administrationem penes Archiepiscopos & Episcopos fuisse. *Educatio Regis atque ordinatio omnium rerum publicarum penes Episcopos erat, eminebatque inter eos Moguntini & Coloniensis Archiepiscoporum authoritas. A quibus cum in partem consilii Adalbertus Bremensis Archiepiscopus assumptus fuisset, &c.* Anno 5066. Bremensis Archiepiscopus, qui uous tum ferè summa potestate Regnum moderabatur, Palatio extrusus est, atque ita rursus ad Episcopos revoluta est per vices Regni administratio. *Sic iterum rerum publicarum administratio ad Episcopos redit, ut singuli suis vicibus quid Regi, quid Reipublicæ facto opus esset, providerent.*

Septentrionalium plagarum Reges, mendicata ferè à Germanis sacra, civilique disciplina sua, Episcopos & ipsi ferè habuere, & Consiliorum suorum & Regni Ministros ac Moderatores. Daniæ Regem Joannes Salisberiensis ait suo ævo primum quidem in Archiepiscopum succeosuisse, & rerum guberoaculis eum abegisse, sed & mox revocasse, & ejus deinceps Consiliis paruisse, tanquam optimi parentis. *Rex Danorum suum revocans Archiepiscopum, consilio ejus agit omnia, compescit inimicos, & colit ut patrem. Baron. ann.*1167. *n.*53. In Historia Gothorum Joannes Magnus testatum facit, *L.* 59., Ericum Regem io Regni tractandis negotiis, Henrici Upsalensis Archiepiscopi consiliis usum esse. *Ad cujus consilia & pias exhortationes pius Rex omnem vitæ suę cursum ordinavit, quasi menti suæ illud divinę Legis præceptum à natura insitum habuisset, quo Deus pręcepit, ut Principes populi sui nihil ardaum sine Summi Sacerdotis consilio adgrederentur.* De omnibus denique Regnis ad Boream projectis, & Germaniæ olim legibus & moribus imbutis, meritissimò dici potest, quod de Germania ipsa Paschalis II. Papa ajebat, Ministros Altaris jam Palatii Principum Ministros evasisse, à quibus scilicet locupletati, exornatique essent Urbibus, Ducatibus, Marchionatibus, & ornamentis demum omnibus sæcularis, ac pene Regiæ amplitudinis. *Ministri Altaris Ministri Curiæ facti sunt, quia civitates, Ducatus, Marchionatus, monetas, turres & cætera ad regni servitium pertinentia à Regibus acceperunt. Epist.*22.

X. Id tum consilii iniit Pontifex, ut Prælati fastus humani hæc omnia semel abjicerent instrumenta, & cœlestis sacerdotii sui functionibus fructibusque contenti, ac pacati degerent. Sed non multò post à proposito hoc suo ipse descivit. Seu nollet Ecclesiam eo privari splendore, qui in ipsam ex tanta cum Regibus necessitudine & conjunctione resilit, nollet & ipsa Imperia & Regna, Regumque Palatia, & sæcularium insignia dignitatum eo sanctimoniæ odore & afflatu orbare, quem eis Pontifices Christi aspirant. Seu desperaret posse à se perfici tanti momenti immutationem in universalis Ecclesiæ disciplina, & labefactari uno temporis puncto ea temporalis potentiæ & amplitudinis munimenta, quæ tot sæculorum lentissima quędam incrementa in tantum fastigium excitassent. Indubitatissimum verò has sive sacræ, sive civilis politiæ vicissitudines arcanis lentissimisque perfici machinis, quas una summa versat Numinis Providentia, quæ neminem non in sui admirationem rapiunt, dum ad exitum res perducta est non aliter, quàm amnes & torrentes quidam, quorum & ortus, & interitus latet, decursus ipse aquarum ubertate & vi plus satis nonnunquam sentitur. Sorti olim suæ illachrymabatur Gregorius Magnus, quod temporali sollicitudine obrueretur & Urbis & Italiæ contutandæ, cum Christi Pontificis una cura, una functio obeunda esset æternorum contemplatio, æternæ fidelium omnium cura salutis. Si ad Gregorii mores sese effingerent, ac conformarent omnes Episcopi; si tota sæcularium dignitatum, opum administrationum sarcina, gemitus illis eosdem afferret, quos Gregorio, & uni charitati servientes sollicitudines: hæc Sacerdotii & Regni societas utrique compendiosa, honorifica & gratulanda esset. Nec enim sæculares dignitates Clericis sæcularia illinerent vitia, sed hic potius vitiis per eos emacularentur.

XI. Nec ea elegans commentatio est, ad deliniendos, aut admiratione afficiendos animos, constantissima res est, cujus non rara in Christiani nominis Regnis exempla effulsere. Præter illa enim, quæ hactenus deprompta sunt, unum hic rursus attingam ex Chronico decerptum Abbatis Uspergensis. Brunonem fratrem suum Otto I. Imperator Archiepiscopatu Coloniensi donavit. Cum gravis mox perturbatio in Germania emersisset, partem ejus mediam ei regendam delegavit, dum ipse alteram perpacaret. Occidentalis Germaniæ administrator hic & unà Pontifex Christi, ea munia tam solerter tam religiosè consociavit, explicuitque, ut non immeritò iisdem laudibus cumulatus sit ab ejus vitæ Scriptore peraotiquo, quibus sacri ipsi Codices eos ornarunt, qui his iisdem virtutibus olim effloruerant. *Otto dum post patris excessum regeret Imperium, hunc omni literarum scientia imbutum Pręsulem ferit Coloniensem. Facta dehinc nimia perturbatione in Regno, Rex Otto ad disponendum Regnum secedens in partes Orientis, fratri Brunoni Prasuli*

suli providendas commisit Occidentis. Itacum magna religione usus est officio Sacerdotis, & exigente necessitate jussis Regis functus est virtute magnanimi ducis. Nemo autem super hac re illum culpabilem ducat, cum Samuelem sanctum & alios plures Sacerdotes pariter legamus, & Judices. Surius die. 21. Octob. c. 20.

Sed armatos munitosqoe nos esse convenit adversùs insidias obrepentis ambitionis. In genere enim certissimum est, quod à Blesensi admonemur, qoæ in aula geruntur omnia, contagio nescio quo infici & aura pestilentissima malevolentiæ, ambitionis, adulationis, obtrectationis, fraudulentiæ, invidiæ, inhumanitatis, avaritiæ, & multiplicis cupiditatis. *Quidquid in Curiis agitur, ferè peremptorium est salutis, ambitiosum, adulatorum, fictum, detractorium, subdolum, invidum, crudele & impium, & generaliter temporalis quæstus, & avaritiæ venativum. Epist. 139.* Itaque qui se cumque specialibus quibuslibet vinculis induerunt, ut sese moresque suos sanctitudini consecrarent, iis tota contentione fugitanda est Aula, nisi expressius à Deo illuc revocentur: & defæcatissimæ charitatis stimulo uno agantur, quo se Ecclesiæ, & Reipublicæ saluti totos impendi velint. Terrena cupiditas illudit plerumque, per cuniculos irrepit, præstigias agit, charitatem ementitur. Velis omnibus, remisque, quod ajunt; hinc aufugiendum est, ubi tantum periculum aditur æternę salutis. Quos una & sincera charitas illigat Palatio & aulæ, nec nisi charitati, & oecessitati serviunt, ii & suæ & alienæ salutis curam agere tutò possunt. At qui sua sponte ibi versantur, aut qui ea necessitate inde non discedendi delectantur, & cupiditatibus furtivis carnalibusque ancillantur, illi à suo & ab aliorum exitio prope absunt. Unde rursum Petrus Blesensis. *O' Clerice Curialis, nunquid Dominus misit te ad Regem? In obsequium ejus te misit, aut potius intrusit ambitio. Certè post signa in Rubo, in serpente, in manu leprosa, ab injuncta legatione Moyses se excusat. Si tibi legatio etiam impossibilis à Rege injungitur, sponte te offers, magna dicis, & majora promittis. Cupienti enim animo nil grave videtur, nihil ambitioso difficile. Ideoque ambitio est quadam simia caritatis. Caritas enim patiens est pro æternis; ambitio patitur omnia pro caducis. Caritas benigna est pauperibus, ambitio divitibus. Caritas omnia suffert pro veritate, ambitio pro vanitate. Utraque omnia credit, omnia sperat, sed longè dissimili modo, hæc ad gloriam hujus vitæ, illa ad gloriam sine fine.*

XII. Sentio doleoque me longum esse. Paucis ergo Hispanias perstringam. Longè memorabilius adhuc est, quod Rodericus Archiepiscopus Toletanus de Veremundo Legionis Rege narravit. *L. 4. c. 7.* Erat ille magno & excelso animo, iisque virtutibus circumfulgebat, quæ summis Regibus ornamento sunt. Nullo tamen magis ille facinore Regoum suum illuminavit, quàm ipsius Regni spontanea abdicatione. Recurrit aliquando ejus animo, & graviter illum concussit illa cogitatio, quod olim Diaconatu initiatus fuisset. Vidit dignitatis ejus sacræ munia cum Regno difficillimè copulari posse. Cessit ergo Regno, sibi suffecit Alfonsum consanguineum suum, in cujus contubernio plures postea annos egit, summa animorum cum eo consensione, summa concordia; summota etiam priore conjuge, ut ne sacri Cœlibatus officio deesset. Paucis id annis gerebatur ante annum Christi octingentesimum. Porro etsi hujus temporis præterita à me esset mentio, facilè lector subodorari potuisset, ante tempora dispensationum id gestum esse, dispensationum inquam, earum, quæ postea & passim depósci, & facillimè annui cœpere, fateor Deus, ut quàm facilè, tam tutò. Non facilè id præsumendum, nisi eas vel publica extorqueat utilitas, vel urgens necessitas. Annon satis momenti erat in illa dispensandi ratione, ubi sceptrum vel retinendum, vel dimittendum erat? At Veremundi ea fuit animi magnitudo, ut non minus belle regnare posse Alfonsum senserit, non posse verò se non Diaconatus semel suscepti & sanctimonia, & vinculis quibusdam constringi, quibus sæcularis vita & regia pompa terrenarumque sollicitudinum immensa quædam moles haud saoè consentiret. *Veremundus filius Froila in Regem eligitur, & quamvis magnanimus, regnum tamen sponte dimisit: recolens se olim Diaconi ordinem suscepisse; & duobus annis vixit in regno, & sobrinum suum Aldefonsum, qui ad Navarros confugerat, revocavit & in Regno substituit successorem, & cum eo aliis quatuor annis & sex mensibus dulcissimam duxit vitam; & propria morte vitam finivit; sepultus Oveti cum uxore sua Imilone, quam vivens à se propter consecrationem Ordinis separavit.*

Principem hunc Conciliis & Canonibus pervolutandis operam aliquando navasse, ne simile quidem veri est, & ne Episcopos quidem ei canonicarum aliquid institutionum instillasse. Sed ea ille animi magnitudine, & nativa quadem probitate, quæ præcelsis ingeniis ingenita est, & quasi naturaliter informata virtutis indoles, cui ipsi Canones & Leges omnes superstruuntur, ea inquam adductus est, ut sibi lex ipse monitor & doctor esset, ipse Canonum interpres, ut eam toto pectore complecteretur sacri Ordinis professionem, qua se totum Deo semel consecrasset.

Non Diaconatu tantùm, sed & Monastici apud Cluniacenses Ordinis professione constrictus erat Casimirus Poloniæ Princeps, quando dispensante Pontifice, in avitum Poloniæ regnum restitutus est. Sed eam dispensationem non exoravit, ne oravit ipse quidem, sed tota labanris Poloniæ Respublica, sed extrema Regni calamitas, jamdiu turbulentissimis & cruentissimis dissensionibus dilacerati, inter diutini interregni difficultates. Publica ergo Regni & Ecclesiæ, tum utilitas, tum necessitas dispensationem Casimiri extorsit, ubi dispensationi Veremundi prætexi non potuisset nisi privata utilitas. Sapientissimè denique Veremundus intellexit, quo distaret Rex & Regni Consiliarius Regnique Administer. Diaconus cum esset vidit, regnare se una non posse, posse tam in Regni arcana consilia admitti. Regis est quandoque reis mortem indicere, hostibus bellum inferre, quæ inimica sunt Clericatui. Sed Regni Consiliarius & Administer haud ægrè potest his se fundendi sanguinis causis subducere.

Altero quidem vertente abhinc sæculo Henricus Lusitanici sanguinis Princeps, & Cardinalis, Eboracensis denique Archiepiscopus, in Regnum Sebastiani Rege morte vacuum successit. Non is ego sum, qui in hæc regnorum penetralia subeam. Nec præcipitabo tamen sententiam, si dicam esse in Veremundo, quam in Henrico Cardinali quod admiremur vehementius, & quod lubentius osculemur. Veremundus in ipso juventæ flore, Regno se exuit, quòd Diaconatus esset; Henricus jam gravis annis, Presbyter & Archiepiscopus, & concupivit regnum, & capessivit. Veremundus vegeta ætate cum esset, ab uxore se divulsit, ne Diaconatum contaminaret. Henricus pene septuagenarius dispensationes aucupabatur, ut Presbyter & Archiepiscopus uxorem duceret. Henricus Regni non degustavit ferè nisi coras & amaritudines sollicitudinum, quibus non multò post accelerata ei inopina mors est; Veremundus non ejecit nisi spinas & molestias regnandi, decus & suavitatem retinuit; & non paulò plus laudum & gloriæ carpsit abdicato regno, quàm qui diutissimè, & ut res humanæ fuot, beatissimè regnarunt. Di-

Dixi lubentius abstenturum ab excutiendo jure Henrici Cardinalis in Regnum Lusitaniæ, quod opus alioqui esset altius nos assurgere ad perscrutandam plurium retro sæculorum memoriam, quod longum est, à proposito nostro subalienum. Paucis monebo olim Regnum spectatum fuisse, ut quod non magis sacerdotio Ecclesiæ illigari posset, quàm ductandorum exercituum, & gerendi belli Præfecturas. Regia enim dignitate functiones hæ militares, bellatrices, cruentæ continentur. Galli, & Juliani exemplis vetustissimis, filiorum item Clodomiri in Gallia & non paucis aliis admonemur, tonsura olim Clericali suscipienda, juri speique regnandi renunciatum fuisse. Exempla eorum, qui sacris ultro Ordinibus initiari se properavere, vel qui ad id illubentes adacti sunt, ut Imperii ambitione vel suspicione eximerentur, magno prorsus sunt numero, eademque perspicuè declarant, quàm persuasum & præjudicatum omnibus esset, jam regnare non posse, quicumque Sacerdotio innexus esset. Universim militiæ sæcularis & armatæ munia omnia Clericis septa & occlusa fuisse, nemo nescit, nisi valde hebes & rudis sit. Hæc antiquissima & vulgatissima, certissimaque tum præjudicia evanescere cœpere, ubi increbuere Episcopi Comitatibus & Ducatibus insignes; quando & militaribus cohortibus præfuere, ad Regios exercitus deducendis. His lentissimis & inopinis innovationibus factum est, ut nihil magnopere mirarentur homines, Cardinalem & Episcopum Henricum Regnum excepisse.

Nec nullum tamen præluxerat tum exemplum Episcopi ad Regnum vocati. Narrat enim Longinus in historia Polonorum anno 1095. Ladislaum Regem Hungariæ obiisse, nullis liberis, nullis fratribus superstitibus. Colomanum filium Geisæ Regis, Episcopum Varadinensem, dispensatione Pontificia in Regnum suffectum esse. *Regnum Hungariæ cæteris fratribus morte absumptis Summo Pontifice dispensante gubernabat.* Anno 1040. præluserant Pontifices ejusmodi dispensationi in Casimiro. Hanc ejus generis primam fuisse affirmat Longinus. *Dona Apostolica exemplar non habentia, nec unquam alicui personæ aut Religioni concessa.*

XIII. His exemplis non pigebat subjungere Ximenium Cardinalem & Archiepiscopum Toletanum, perdiu verò Regni Ministrum & Rectorem. Ex Franciscani Ordinis successu religiosissimo ad Toletanum Archiepiscopatum accersitus fuerat; unde nec temerè dicemus, eo illum postea summam nactum esse authoritatis & potestatis gloriam in Palatio Regum, & in Regnis Hispaniæ, quòd in eo revivíscere visæ essent illa virtutum & sanctitatis ornamenta, quibus Archiepiscopi olim Toletani diutissimè inclaruerant. Hoc illi perhibet testimonium Gomecius ejus vitæ scriptor. *L.1. Archiepiscopi Toletani authoritas tanta semper apud Hispanos fuit, ut si quando de rebus ad Rempublicam pertinentibus ageretur, is statim post Regem sententiam diceret, nihilque unquam illo inconsulto rogatum, aut decretum sit. Unde & maximus Regni Cancellarius, & Pontificum Hispanorum Primus, ingenti potentia & dignitate jam olim creatus, adhuc his titulis suo jure nominatur.* Scitè Gomecius notat Magni Cancellarii & Primatis titulum, nominisque gloriam retinuisse Ximenium extincta jam pridem utriusque muneris potestate. Inde tamen utcumque patet, Archiepiscopos olim Toletanos gradu ipso suo & officio primos Regni Castellæ Consiliarios fuisse & Ministros. Non faces ambitionis, sed religio Regum, pietas & fides Prælatorum, utrorumque ardor & contentio ad defendendam & recuperandam Ecclesiæ & Regni dignitatem, fundamenta jecerant miræ hujus Præsulum authoritatis. Postea verò, quàm nulli jam debellandi Mauri superfuere, incessit ambitio, & potestatem pietate parta minùs explicans, ea tandem excidit.

XIV. Vastissimus nobis superesset campus decurrendus, si Constantinopolitanorum Patriarcharum toto Orientali Imperio effusissima potestas dicenda foret. Protovestiarius Georgius Pranzez, cui tantum tributum est in Regni regimine, & cui præsens affuit, cum Constantinopolis à Mahomete II. Turcorum Imperatore expugnata est, in Chronico suo narrat, *L.1. c.1. 2.*, Michaelem Palæologum coram Theodoro Lascari Imperatore Trapezuntino affectatæ tyrannidis accusatum, causam dixisse in Conventu Judicum, cui Arsenius Patriarcha præerat. Voluisse eum ferro candenti sese purgare, id repudiasse Arsenium, ut barbaricum, & à Romanis moribus alienum. Acquievit Imperator, ut se purgaret jurejurando. Fato suo tum obiit Lascaris, Patriarchæ delegato Imperii regimine, & Gregorio Muzaloni Protovestiario, dum filius pubesceret, sex annos tunc tantùm natus. *Cum procuratores & Administratores rerum Imperialium fieri jussisset, Arsenium Patriarcham, &c. Ibid. c.3.* Novem post diebus Muzalone inter sacrorum solemnia contrucidato, Imperii habenas solus moderatus est Patriarcha, qui sibi & clavo rerum Michaelem Palæologum admovit, Despotæ dignitate non multò auctum. Paucu post tempore Michael idem proclamatus est Imperator, quem & ideo Arsenius Patriarcha sacris summovit, cum fautoribus. *Ibid. c.4.* Nec multò post conducibilius visum est Patriarchę, Michaelem juramento constringere, fore ut ne unquam vita & Imperio Joannem spoliaret: quo juramento ritè perfunctum, imperatorioque illum cinxit diademate; dum videlicet Joannes pubertatis annos assequeretur. *Nec tamen potestatem illi perennem largitur, sed quoniam necessitas ita flagitaret, eo usque dum hæres & successor legitimus ætatem maturiorem attigisset.* Michael Constantinopolin expugnatis ejectisque Latinis recepit: sed cum Joanni oculos effodi curasset, illum Patriarcha anathemate confixit, atque ita successit in Monasterium. *Cap.5.6.* Subrogatus est illi à Michaele Germanus Archiepiscopus Hadrianopolitanus; qui invisum se omnibus dolens, quod viventis in Patriarchæ Sedem irrupisset, loco cessit, successoremquo habuit Josephum, quem post annos tredecim excepit Beccus. Sed cum in fastigio summo potestatis solus ex Episcopis sederet Patriarcha, non diutiùs Græcæ hic immorabimur historiæ. Satius est operosiùs expendi sequenti Capite, quod hic strictim attigimus de Magni Cancellarii munere Toletanis Archiepiscopis attributo; & inquirere, an & in aliis Regnis aliqua ejusmodi lex vigeret.

CAPUT XXV. *P.4. l.4. c.9.*

Cancellarii Magni munus aut semper affixum, aut sæpiùs tributum Clericis, variis in Regnis Reipublicæ Christianæ.

I. De referendariis sub priori Regum Galliæ stirpe, qui tum Cancellarii munere obibant.

II. De eodem rursus. Referendarii Episcopi non erant, sed ex iis persæpè Episcopi creabantur.

III. Sub secunda Regum stirpe Capellani, Notarii, Protonotarii Archicapellani in Referendariorum locum successere.

IV. Ea dignitate tam adornati fuere primùm Presbyteri & Abbates, postea etiam Episcopi, qui &

tum

tum quandoque Archiepiscopi vocati sunt, & Archicancellarii.

V. Cancellarii vel Archicancellarii munus Archiepiscopis Remensibus tributum conjunctumque fuit, toto posteriore sæculo Dynastia Caroli Magni.

VI. VII. Eam culpam revulsit Hugo Capetius. Eadem rursus dignitate Philippus I. Rex Gervasium exornavit Remensem Archiepiscopum, à quo inauguratus fuerat; sed nomine magis, quàm officio illum eo ornavit, invecto tum more, ut diplomata omnia ab omnibus majoribus Regni Officiariis subscriberentur. Cœpere etiam Reges Cancellarios sibi sublegere, plerumque Episcopos, qui & Archicancellarii vices obibant. Varia exempla Episcoporum Franciæ, qui Cancellarii fuere.

VIII. Summa capita vicissitudinum ejus Officii regnantibus tribus Regum Franciæ Dynastiis.

IX. In Anglia Episcopus fit Cancellarius & Rector Regni, voluntate Regis, Papæ, & Episcoporum.

X. Ut Cancellarii munere functus sit B. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis.

XI. De Episcopo Eliensi Cancellario, Magno Justitiario, & Rectore Angliæ.

XII. Continuata series Cancellariorum ex Episcopis delectorum, sub Regibus Joanne Sine-terra, & Henrico III.

XIII. Quanti tunc referret id muneris ab Episcopis administrari.

XIV. Exempla Episcoporum Cancellarii dignitate auctorum sub posterioribus Regibus.

XV. In Scotia quoque Episcopi ad Cancellarii munus adsciti.

XVI. In Germania fuere Archicancellarii, qui in Anglia & Gallia nulli leguntur, post Hugonem Capetum.

XVII. In Germania fuere primò Archicapellani: quibus suberant Cancellarii, sive ex Episcopis, sive ex aliis. Dicti fuere postea Archicancellarii. Ii honorem titali Archiepiscopis dicati. De Polonia.

XVIII. XIX. In Hispania Cancellarii munus Archiepiscopis Toletanis adscriptum. Car.

XX. Depressio ejus dignitatis in Archiepiscopis Toletanis. De Lusitania.

XXI. De Oriente.

I. QUI aliquot ab hinc sæculis Cancellarii dicuntur, ii sub prima Regum Francorum Dynastia Referendarii appellitabantur. Meminit Gregorius Turonensis Baudini, qui ex Referendario Clotarii I. Regis Archiepiscopus factus est Turonensis. *Ex Referendario Clotarii Regis ordinatur Episcopus. L.10. c.31.* Agit & alibi de alio Referendario ejusdem Regis, nomine Charigisilo. Concilium II. Valentinum anno 584. de Asclepiodoro verba facit, Referendario Guntranni Regis. At duo alii præterea à Gregorio Turonensi recensentur, Flavius & Licerius, quorum prior Cabilonensi auctus est Episcopatu, posterior Archiepiscopatu Arelatensi. *De Mirac. L. c.25. L.5. c.45. L.8. c.39.* Sigeberto Regi Referendarius fuit Sigon, de quo Gregorius Turonensis in hæc verba. *L.5. c.3. Sigo quoque Referendarius, qui Annulum Regis Sigeberti tenuerat.* At sub eodem Rege idem munus obiit Theutarius, qui postea sæculo abdicato Presbyter ordinatus est. *Theutarius, qui nuper ex Referendario Sigeberti Regis conversus, Presbyterii honorem accepit. L.9. c.33.* Childebertus Rex Austrasiæ Charimerem Referendarium suum ad Episcopatum Virdunensem evexit. *Charimerem Referendarium cum consensu civium Regales decrevit authoritas fieri Sacerdotem. L.9. c.23.* Otto Referendarius Chilperici Regis falsi & imposturæ convicit chartas quasdam, quibus mentiebantur à Chilperico terras quasdam domini sui Ægidio Remensi Archiepiscopo donatas. Ille constanter negavit à se obsignatas, & adulterinæ manûs mendacium retexit. *Otto qui tunc Referendarius erat, cujus ibi subscriptio meditata tenebatur, negat se subscripsisse. Conficta enim erat manus ejus in hujus Præceptionis scripto. L.10. c.19. L.5. c.28.*

Non liquet ex Gregorio, dignitate quapiam Ecclesiastica an floruerint hi Referendarii. Minus simile id quidem veri est. Nec secus sentiendum de Marco Chilperici Referendario, qui tantùm non à Lemovicibus confossus est, quod invidiosæ exactionis executionem aggressus esset. Sed manifestè idem Gregorius testificatur, Ursicinum Reginæ Ultrogothæ Referendarium Cadurcensem Episcopum fuisse creatum, quòd ab Episcopo Maurilione paulò ante mortem antepositus fuisset multis ejusdem dignitatis candidatis. *Cum Episcopatum ejus multi expeterent, ipse Ursicinum, qui quondam Referendarius Ultrogothæ Reginæ fuerat, elegit. L.5. c.42. L.6. c.38.* Perspicuè etiam idem affirmat Sapaudo Archiepiscopo Arelatensi terris demigrante, suffectum ei fuisse Licerium Guntranni Regis Referendarium. *In cujus locum Licerius Regis Guntranni Referendarius ascitus. L.8. c.39.*

II. Ex his exemplis tumultuariè congestis duo elicimus non contemnenda. 1. Cum tot Referendarii ad Episcopatûs culmen provecti sint, erat ergo conjunctio & cognatio non mediocris functionum & virtutum utriusque dignitatis. Doctrinæ copia non mediocris, & spectata probitas atque integritas utrobique desiderabatur. 2. Probabile illud quoque cum primis erat, semel Episcopali sarcina oneratos, exoneratos fuisse Referendarii functionibus. Nusquam à Gregorio Turonensi insinuatum est, Referendarios sedem & dignitatem pristinam retinuisse, ubi ad Episcopatum eligebantur. Contrà autem ille testatum facit, Theutarium Referendarium Sigeberti sæculo valedixisse, atque adeo muneri suo ut Presbyter ordinaretur. *Ex Referendario Regis conversus, Presbyterii honorem accepit.* Quibus apertè satis innuitur, repudiatum Referendarii munus fuisse, ut Presbyteratu donaretur. Denique canonica illa lex, & necessitas, quæ Referendarium Principi ipsi conglutinabat, alienissima erat ab Episcopi necessaria residentia in Ecclesiæ suæ sinu, eo certè tempore, quo residentiæ Canones religiosiùs observabantur. Fateor tamen plures sub Referendario Cancellarios fuisse, qui possent ejus absentis vices implere. De his Cancellariis alicubi agit Gregorius Turonensis. *Nobis cum Rege morantibus, Claudius quidam ex Cancellariis Regalibus à febre corripitur. De Mirac. L.4. c.28.*

Beatus Audoenus, qui & Dado dicebatur, quem postea Rotomagensis Ecclesia Præsulem sibi ascivit, Referendarius & ipse fuerat Dagoberti I. Regis ex Aimoino. *Referendarius fuit Dagoberti.* Quod paulò explicatius apud Frigebodum vitæ ejus scriptorem. *L.4. c.41. Auricularii locum & munus in aula Regis obtinuit, itemque ad obsignanda scripta, vel edicta Regia, quæ ab ipso conscribebantur, sigillum, vel annulum Regis custodiebat.* Sunt antiquissimæ chartæ, ubi pro Referendario Audoenus Cancellarius & Archicapellanus dicitur: nimirum qui libros exscribebant, eos quandoque sui posterioris ævi stylo & usui accomodabant. Bonitus, qui Arvernus postea fuit Episcopus, Clodovæi II. Referendarius fuerat, ex ejus vitæ coævo Scriptore. *Annulo ex manu Regis accepto, Referendarii officium adeptus est.* Beatus Ansbertus Regii primo Referendarii officio insignitus, postea Archiepiscopatu Rotomagensi sublimatus est, authore Aigrado in ejus vita: *Cœpit esse Aulicus, scriba doctor conditorque Regalium Privilegiorum, & gerulus annuli Regalis, quo eadem privilegia signabantur.* Posteriorum Regum diplomata à Cancellario plerumque subscribuntur, ut fuerant ante à Notario. Go-

de-

degrangus, quem postea sibi Episcopum Metensis Ecclesia accivit sub Rege Pipino, Resereodarius antè suerat Caroli Martelli. Ita sanè Paulus Varnefridus, qui vulgò dicitur Paulus Lombardus, io Catalogo Episcoporum Meteosium. *Hinc in Palatio majeris Caroli, ab ipso eautritus, ejusdemque Referendarius extitit, ac demum Pipini Regis temporibus Pontificale decus promeruit.*

III. Ex qua rursus Exemplorum strue perspicua est affinitas Referendarii & Episcopi muoerum & virtutum: & rursus ea distantia, ut difficilimè uttoque unus & idem officio desuogi posset. Sub Pipino, Carolo Magno, & reliquis secundæ Dynastiæ Regibus jam nulla usquam Referendariorum mentio. Itaque dignitas ea cum Clodovæi Regia stirpe interiit. Sub Pipino Rege diplomata subscribuntur ab aliis aliisque, quorum tacentur officia. Est & sub Pipino Charta à Bonifacio Archiepiscopo Moguotino Archicancellario subscripta. Ithierius ei muneri præfuit sub Carolo Magno, qui & Capellanus & Notarius ab Anastasio Bibliothecario dicitur in vita Adriani I. Papæ. *Promissionem Carolus Francorum Rex adscribi jussit per Etherium seligiosum ac prudentissimum Capellanum ac Notarium suum.* Habes hic ergo Capellanum & Notarium Referendariis substitutum ipsis secundę, seu Carolinæ Regum Gallorum stirpis primordiis. Cœperat eoim sub Pipino Ithierius eas partes agere. Ei sub Carolo Magno successit Rado, qui Abbas & Protonotarius vocatur ab Adriano I. in Epistola ad Carolum Magnum. *Regales Missos, Bernardum Episcopam, necnon Radonem dilectissimum Protonotariam vestrum atque Abbatem. Du Chesne Tom.5. pag.87.* Notarii ergo ipsi, qui alias Capellani Regum, vel Abbates erant, in dignitatem & officium subrogati suot Referendariorum. Ab Agobardo Archiepiscopo Lugdunensi in Tractatu de Dispensatione rerum Ecclesiæ, celebratur, *Pag.260.*, Helisacharus Abbas. Atqui is ipse Halisacharus est, qui Chartis Imperatoriis subscripsisse invenitur. Sub Carolo Calvo passim Notarii, Cancellarii, Diaconi scribunt, & subscribunt obsignantque literas & rescripta Principum, in vicem Ludovici Abbatis sancti Dionysii, qui eius erat Archicancellarius. Ex iis Cancellariis fuit Gauslenus, de quo in Capitularibus Caroli Calvi: *Et tunc jussit Gauslenum Cancellarium ut hac sequentia Capitula in populum recitaret.* Subscripsit & Pontigonensi Concilio idem Gauslenus anno 876. indutus etiam nomine Abbatis & Archicancellarii. *Gauslenus Abbas & Archicancellarius.* Videri ergo non injuria forsan possit Archicancellarii nomine primus ille clarus fuisse. Nec enim ullo satis firmo constare potest argumento, præcessorem ejus Ludovicum Abbatem Sancti Dionysii ejus nominis gloria ornatum fuisse, quanquam ejus gradum & officium obtioeret. Potuit Gauslenus diu inter Ludovici Abbatis Cancellarios versatus, ubi in ejus munus subrogatus est, Archicancellarii sibi nomen induisse. Ludovici porro honoris prærogativa elucet, dum ante Episcopus nominatur, qui ei adjunctus fuerat in Missi Dominici munere obeundo anno 854.

IV. Post Abbates, qui nihilo tamen minus in Cœnobiis suis residere jubebantur ex Canonicis institutis, Archiepiscopi ipsi & Episcopi ad Cancellariorum & Archicancellariorum munera defungenda cooptati sunt. Sub Carolo Simplici Rege Fulco Remensis Archiepiscopus Cancellarius, vel Archicancellarius creatus est. Aschericus Parisiotum Episcopus post Gauslenum Cancellarius fuerat, & quando aberat, ejus loco subscribebat unus ex Notariis. *Raubertus Notarius ad vicem Aschrrici Cancellarii recognovit.* Fulconem excepit Herveos in Archicancellarii munere, uti & in Archiepiscopatu Remensi; cui & ipsi Notarii fuere, qui eo absente subscriberent. *Hugo Regia dignitatis Notarius ad vicem Herrvei Archiepiscopi recognovi & subscripsi.* Et alibi: *Gauslenus Regia dignitatis Notarius ad vicem Hesrvei Archiepiscopi summique Cancellarii recognovi.* Missos facio complures & Episcopos & Archiepiscopos alios, qui Cancellarii fuisse dicuntur. Certè Remenses Archiepiscopi, Hugo, Arctaldus & Odalricus eam dignitatem sustinuere sub Regibus Galliæ Ludovico Ultramarino, & Lothario. In utramque dignitatem suffectus est illis Adalberon. Chartæque multæ subscriptæ leguntur à Notariis & Cancellariis io vicem horum Archiepiscoporum. *Ad vicem Archiepiscopi, summique Cancellarii. Hist. de Tournus pag.280.*

V. Ab eodem Adalberone inauguratus est novus Rex Hugo Capetius, Adalberoni successor datus in utramque dignitatem ille eruditionis fama celeberrimus Gerbertus. Ante annum 900. cœperat Fulco Archiepiscopus Remensis Archicancellarii munere splendere & fungi, eodem Gerbertus claruit ad annum usque ferè millesimum. Cum ergo Remenses Archiepiscopi septem perpetua successione Fulco, Herveus, Hugo, Arctaldus, Odalricus, Adalbero & Gerbertus Archicancellarii munus annis admodum centum obtinoerint, fuit ea dignitas Archiepiscopali Remensi sedi illigata quodammodo. Ex quo rursus id coocluditur, primæ Regum Gallorum Dynastiæ temporibus Referendarios hoc ipsum munus obeuntes, finitimos & affines Episcopis fuisse illos quidem: at sub secunda, sive Carolina dynastia Clericos tantùm, Capellanos, Abbates, Episcopos Archiepiscopos id munus defunctos fuisse, & nomine tandem Magni Cancellarii, sive Archicancellarii claruisse.

VI. Io ea verò, quæ non ita pridem prodiit, consarcinatione variorum monumentorum ad illustraodam Cancellariorum Galliæ historiam, declaratum est, hoc munus sustinuisse sub Hugone Capetio, Roberto Regibus, Adalberonem & Gerbertum Archiepiscopos Remenses, Renoldum & Franconem Parisienses Episcopos, Rogeriom Campanum Episcopum Bellovacensem, Abbonem Episcopum N. & Fulbertum Episcopum Cantuariensem. Sub Henrico I. & Philippo I. Gervasium Archiepiscopum Remensem, Petrum Abbatem Sancti Germani de Pratis, Rogerium Episcopum Bellovacensem, Godefridum de Bononia Episcopum Parisiensem, Ursionem Episcopum Sylvanectensem. Sub Ludovico Crasso Stephanum de Garlanda, Archidiaconum Parisiensem, inde Bellovacensem Episcopum. Sub Ludovico Juniore Stephanum de Sylvanecto Episcopum Parisiensem, Natalem Abbatem Resbacensem in Provincia Briæ, Hugonem de Campostorio Episcopum Suessionensem. Sub Philippo Augusto Fratrem Varinum, Equitem Hierosolymitanum, postea Episcopum Sylvanectensem. Sub Beato Ludovico Simonem de Bria Cardinalem Legatum in Gallia, postea Romanum Pontificem, Martinum IV. Sub eo Rege quatuor aut quinque alii fuere Custodes Sigilli Regii, qui omnes Episcopatu, vel aliis Beneficiis ornati fuere. Sub Philippo Audacii Cancellarii fuere Petrus Barbetta Archidiaconus Duoensis in Carnotensi Ecclesia, & Henricus Vizeliacensis Bajocensis Ecclesiæ Archidiaconus. Sub Philippo Pulcro Joannes de Vassogne Episcopus Tornacensis, Willelmus de Crepiaco Archidiaconus Parisiensis, Petrus de Mornaco, & Petrus de Bella-pertica Episcopi Altisiodorenses, Ægidius Aiscelinus Archiepiscopus Narbonensis, Petrus de Latiliaco Archidiacoous Catalaunensis. Sub Philippi Pulchri filiis, Stephanus de Mornacho Canonicus Altisiodorensis, Petrus de Arablaco Cardinalis, Petrus de Chappes Episcopus Carnotensis & Atrebatensis, Petrus le Rodier Episcopus Carcassonensis, Joannes de Cherchemont Epis-

co-

copus Noviodunensis. Sub Philippo Valesio Willelmus de Sancta Maura Decanus Sancti Martini Turonensis, Guido Baudetus Episcopus Lingonensis, Firminus de Coquerel Episcopus Noviodunensis, Petrus de la Foreft Archiepiscopus Rotomagensis. Sub eodem Rege Sigilli sive Annuli Regii custodia concredita aliquandiu fuit Petro Rogerio Episcopo Atrebatensi, qui Archiepiscopus deinde fuit Senonensis, Cardinalis, & tandem Romanus Pontifex, sub nomine Clementis VI. Sub Joanne Rege Joannes des Dormans Episcopus & Cardinalis Bellovacensis; Ægidius autem Aiscelinus de Monteacuto Cardinalis Episcopus Tervanensis custodiæ præfuit Annuli Regii. Sub Carolo V. Rege Millius des Dormans Episcopus Bellovacensis. Sub Carolo VI. Nicolaus du Bois Episcopus Bajocensis, Joannes de Monteacuto Archiepiscopus Senonensis, Eustachius de Laistre Episcopus Bellovacensis. Sub Carolo VII. Ludovicus Luxemburgius Episcopus Tervanensis, Martinus Gouges Episcopus Carnotensis, inde Claromontanus, Reginaldus de Chartres Archiepiscopus Remensis. Sub Carolo VIII. Robertus Briconnetius Archiepiscopus Remensis. Sub Ludovico XII. Stephanus Poncherius Episcopus Parisiensis, inde Archiepiscopus Senonensis, custodia donatus est Sigilli Regii. Sub Francisco I. Antonius du Prat Cardinalis Archiepiscopus Senonensis Cancellarii dignitatem gestavit, Matthæus de Longuejoue Annuli Regii Custodię præfectus est, Episcopus idem ipse Suessionensis. Sub Henrico II. Joannes Bertrand Cardinalis Archiepiscopus Senonensis, Sigilli Custodiæ præfuit. Sub Carolo IX. Joannes de Morvilliers Episcopus Aurelianensis idem munus gessit. Sub quo & Renatus Biragua primùm Sigilli Custos, post & Cancellarius & Cardinalis fuit. Sub Ludovico XIII. Willelmus du Vair Episcopus Lexoviensis Custodiæ Sigilli præfectus est. Nuperrimè verò Duchesnius publicata Cancellariorum Franciæ Historia, supra laudatis complures addit, qui & Cancellarii munus obiere, & sacras Prælaturas.

VII. Nec dissimulabo equidem longissimam hanc seriem & contextionem Cancellariorum, & Sigilli Custodum ex Clero adscitorum, intermissam aliquando fuisse & interpolatam Cancellariis & Custodibus Sigilli non paucis, ex laicorum Procerum Collegio intertextis. Sed ex ea recensione plus satis liquet, geminas eas dignitates cohærere & habitare simul semper potuisse cum Clericatu, atque ita semper omnibus persuasissimum fuisse: quin imò & decori, & compendio esse potuisse horum dignitatum conjunctionem cum Clericatu & cum Prælaturis, tum Regno, tum Ecclesiæ.

His adde quod pene exciderat de Gervasio Remensi Archiepiscopo, à quo Philippus I. Rex inunctus & inauguratus est; quod scilicet illi ex vetusto Chronico Sancti Theodorici juxta Remensem Civitatem innovavit confirmavitque Philippus dignitatem Magni Cancellarii, ipsi & Ecclesiæ ejus. Ejus Chronici hæc sunt verba: *Gervasius verbum habuit coram Rege, quia esse deberet, sicut sui Antecessores fuerant, summus Regis Cancellarius. Quod eodem Rege gratissimè annuente, &c.* Quæ quidem si satis firma sunt, poterit ergo non temerè subscribi eorum sententiæ, qui Hugonem Regem Capetium opinantur, Arnulpho irascentem, qui præter ejus voluntatem ei sedi restitutus fuerat, detruncasse eum, & munere Magni Cancellarii viduasse. Et sanè cum eo propemodum ipso tempore Magni Cancellari nomine & dignitate infinitæ fuerint nobilissimæ Metropoles in Hispania & Germania, non abludit à verisimilitudine id à Gervasio quoque tentatum fuisse. At si id à Philippo I. Rege verè concessum fuit, mera ea fuit nominis & tituli gloria, cum tot supra pernumerati sint Cancellarii, qui Remensi Ecclesiæ nunquam præfuere. Ne illi quidem Archiepiscopi Remenses, quos hic permiscuimus, eo specialiter munere Cancellarii donati fuissent, si Sedi & Ecclesiæ suæ ea dignitas affixa & adglutinata fuisset.

His adde eundem Regem Philippum I. id moris invexisse, ut Regiis Chartis subscriberent quatuor Primarii Regni Officiarii, quod ajunt aliqui ducentis admodum annis retentum fuisse, donec in parlamentis publicarentur. Potest verò & illud rursus nonnihil concutere fidem ejus concessionis Philippi I. quòd sub eodem Rege Magni quandoque Cancellari nomine exornatus sit Episcopus Parisiensis Goffiridus, ut ex hac liquet subscriptione. *Ego Gislebertus Notarius ad vicem Gaufridi Parisiensis Episcopi, summi Cancellarii relegendo subscripsi.*

VIII. Ex his porro omnibus illud patet, si Cancellarii Franciæ sub prima Regum prosapia ex Laicis omnes provecti sint, si sub secunda ex Clero omnes, partim ex laicis, partim ex Clericis sub tertia adoptatos fuisse. Sub prima stirpe Referendarii dicti sunt; sub secunda Notarii, Protonotarii, Capellani, Archicapellani, donec Archiepiscopi Remenses de Regibus diutiùs optimè meriti eam dignitatem velut hæreditariam Ecclesiæ suæ conciliassent, & ad posteros transfudissent, accito nomine Archicancellariorum, vel Magnorum Cancellariorum. Sub tertia denique prosapia ipso Archicancellariorum nomine in desuetudinem abeunte, & ad Cancellarios revoluta tota illa potestate, quę Vicarii priùs & Ministri erant Archicancellariorum, eisque absentibus subscribebant, jam pro Archicancellariis soli Cancellarii summam eam ad se potestatem traduxere. In Germania, Hispania, & Anglia nomina Magnorum Cancellariorum perennanavere in Archiepiscopis insignium quarundam Ecclesiarum; sed ea sunt tantummodo gloriæ & pompæ nomina, potestate translata in eos, quos sibi Reges Cancellarios accersunt, arbitratu suo. A' Cancellariis Laicis nominatim describendis consultò abstinui, ne à proposito longius aberrarem. Ne secundi quidem omnes ordinis Cancellarios Clericos recensui, vel sigilli Custodes, quod & longum id fuisset, & non semel in ancipiti res sit.

Illud denique observari potuit, à Pipino habenas Regni capessente abolitum fuisse Referendarii nomen, & munus, ejusque functiones minoribus Officialibus delegatas, subrogatis Cancellariis, minorum antea gentium Ministris: quod & Pipini successores secuti sunt. Nec secus Hugo Capetius ubi regio sedere primùm solio incepit, ab eo extinctos fuisse Archicancellarios, quo amplissimo munere annis jam admodum centum Archiepiscopi Remenses intumuerant: nec ei muneri adhibitos, nisi Cancellarios, quos nutu suo delegisset, non passurus eam dignitatem postbac ulla in Ecclesia, vel Procerum familia perpetuari. Ut Arnulphus Remensis Archiepiscopus Hugoni Capetio visus est Carolinæ stirpis reliquiis devinctior, quàm ut tuto posset Magni Cancellarii dignitatem circumgestare; non secus ex Majore Palatii Pipinus Rex Francorum creatus, intutum sibi existimaverat fore, si Referendarii sinerentur usque potiri amplissima illa nominis & muneris sui gloria ac potestate.

IX. In Anglia quoque videtur Cancellarii munus Clericis & Prælatis attributum fuisse. Henricus I. Rex fidem incorruptam expertus, & dexteritatem, atque prudentiam Rogerii Cancellarii sui, antequam Regno potiretur; illum postea Salisberiensi Episcopatu decoravit, compulitque tandem, ut Regias vices gereret, tum in Anglia, tum in Neustria. Singulari & sapientia & moderatione Præsul, tantum oneris detrectavit in se recipere, nisi Anselmus, Radulphus & Willelmus Archiepiscopi Can-

Caotuarienses, autbores sibi essent, nisi denique Pontifex Romanus præciperet. Ab Archiepiscopis & à Pontifice id præcipi exoravit Rex; Eam porro immensæ molis administrationem Rogerius tam iuculpatè & tan sanctè obiit, etiam triennium, aut quadriennium absente Rege, ut vel invidia ipsa conticucrit, & nec tantisper obtrectare ausa sit. En ipsissima Willelmi Malmesburiensis verba. *De Henrico I. L.5.p.161. Habebat Henricus Rex Episcopum Saresberiensem Rogerium à Secretis, cujus maximè nitebatur consilio. Nam & antè regnum omnibus suis præfecerat Rex: primum Cancellarium, mox Episcopum constituerat, prudentiam viri expertus. Solerter administrati Episcopatus officium spem infudit, quod majori dignus baberetur munere. Itaque totius Regni moderamen illius delegavit justitia, sive ipse adesset Anglia, sive moraretur Normannia. Refugit Episcopus tantis se curiis involvere, nisi Archiepiscopi tres Cantuarienses Anselmus, Radulphus, Vuillelmus & postremò Papa injuaxissent ei munus obedientia. Sategit ita fieri Henricus, non nescius quia fideliter sua tractaret commoda Rogerius. Nec defuit ille spei Regia, sed tanta integritate, tantâ se agebat industria, ut nulla contra eum conflaretur invidia.* Nihil dispensationis vel obtinuit, vel expetiit Præsul consultissimus, ut Cancellarium Episcopumque simul ageret, gnarus nihil opus esse; sed & expetiit, & impetravit, ut Proregis & Regni amplissimi Rectoris munus gereret. Nondum ea erat tum, quæ postea fuit Cancellarii vel amplitudo, vel potestas. Inde est quod Cancellarius primò fuit Rogerius, postea ad Episcopatum vocatus. Idem & in Gallia observavimus. Ut novo dignitatis gradu eveherentur Cancellarii, Episcopi creabantur. De Magnis Cancellariis nullum in Anglia verbum fiebat; nempe tum in Gallia nulli jam amplius erant.

X. Thomæ invictissimi Martyris exemplo res illustrior fiet. Arcbidiaconi adhuc & Canonici quibusdam in Ecclesiis partes substinebat, cum illum Henricus II. Cancellarium designavit. Ita enim Matthæus Paris ad annum 1155. *Eodem tempore Thomas, Cantuariensis Arcbidiaconus, Beverlacensis Præpositus & Canonicus in diversis per Angliam Ecclesiis ascriptus, factus est Regis Cancellarius.* At aliquot post annis cum unanimi consensione Thomas Cancellarius ad Aechiepiscopatum Cantuarieosem electus fuisset, anno 1162. ubi consecratus & Pallio donatus fuit, illico Cancellariæ renuntiavit, & Sigilla ad Regem remisit. Subiniquo id quidem animo tulit Rex; at Archiepiscopo certum erat, fixumque, totum ut se novæ suæ sponsæ dicaret, quod consequi se non posse existimabat, nisi Aulicis vinculis & negotiis sese prorsus expediret. *Archiepiscopus habitum sic mutavit, ut & animum permutaret. Nam Curia curie interesse renunciant, Ecclesia sua negotiis & lucris spiritualibus intendebat. Siquidem Nuncios ad Regem in Normanniam direxit, Cancellaria renuncians & sigilium resignans. Quod in cor Regis ultius descendit, &c.* Cæterum Episcopali jam pectore & sanctimonia Cancellarium explicuerat Thomas, adversum sese palam & constantissimè objicieos rapinis omnibus & contumeliis, quas io Ecclesiam & Regnum circumvento Rege meditabantur. *Cancellarii fungens officio, audaciam milvorum sapienter depressit, qui Regi adulantes, diripere conspiraverant tam Provincialium, quàm Ecclesia facultates.* Quæ Matthæi Paris verba dilucidè probant, quanti ad Ecclesiæ commoda & salutem referret, ut id muneris Clerici potissimum obireot.

XI. Cancellariatu postea ornatus fuit Vuillelmus Episcopus Eliensis, quem & Justitiarium creavit Richardus Rex dimidii Regni, alterius dimidii Justitiario ei adjuncto Episcopo Dunelmensi, ut idem Matthæus Paris narrat ad annum 1188. Circa annum 1190. Eliensis unus jam fuit Angliæ totius Magnus Justitiarius, Cancellarius, & Legatus Apostolicæ sedis. Tam inusitatæ potestatis amplitudini non respondebat par amplitudo sapieotiæ & virtutum. Anno 1191. jam Richardum Regem pertædescere cœpit sui Cancellarii. Moxque ut itineri se dedit ad sacram properans in Palæstinam expeditionem, tot lacessitus & pene obrutus est literis, & criminationibus in Eliensem inteotatis, ut Epistolas rescripserit, quarum vel authoritate, vel occasione, spoliatus illico fuit Cancellarius, & ad eas contrusus angustias, ut in Normaniam aufugeret. Messina Rex Anglus Archiepiscopum Rotomagensem cemiserat, ut in locum Cancellarii subrogaretur, si cujusvis culpæ macula Eliensi inhæreret. Ita enim Rogerius. *Pag.702. Mandavit Rex à Messana, si fecisset quodcumque Cancellarius in detrimentum Regni, deponeretur, & loco illius institueretur Rotomagensis Archiepiscopus. Deposuerunt Cancellarium, & in loco illius instituerunt Rotomagensem Archiepiscopum*, Cancellarii patrocinium Petrus Blesensis calamo aggressus est, Cælestinus Pontificia autboritate.

XII. Ubi primum Joannes Sine-terra Richardo suffectus fuit germano suo, Hubertum Cantuariensem Archiepiscopum ad Cancellariæ apicem sublimavit. Non hunc ab eo munere amplectendo deterroit aut Thomæ exemplum perillustre abdicationis, aut imago tristissima collabentis Eliensis; quin ex adverso gestiens, & vanissimo gaudio pene ineptiens, oec sine sui ostentatione ad id munus veoit. Fuit enimvero nescio quis piissima fretus audacia, qui illi palam occinuerit, si satis perspectam atque exploratam haberet Archiepiscopatus Cantuarieosis amplitudinem, fore ut nollet tam splendidè coronatum Sacerdotii sui verticem oneri & jugo subjicere Cancellariæ: plures enim jam à Cancellariatu ad Arcbiepiscopatum conscendisse, ab Archiepiscopatu ad Cancellariatum hactenus descendisse neminem. Audiendus hic rursum Rogerius. *Qui dum gloriaretur de potestate illa & multa jactaret de familiaritate Regis, Hugo Bardulphi dixit ei. Domine, salva pace vestra loquar, certè si bene consideraretis nominis vestri potentiam & honoris dignitatem, non deberitis jugum servitutis vobis imponere. Quia unquam audivimus vel videmus de Archiepiscopo fieri Cancellarium, sed de Cancellario videmus fieri Archiepiscopum. Pag.794. Rainal. an. 1199. n.48.*

Consultissimum sanè id fuisset, insistere vestigiis B. Thomæ, prædecessoris nuper sui. Porrò Henrico III. Cicestrensis Episcopus Cancellarius fuit. Cum jam Cancellarius esset, Episcopatu auctus est anno 1222. Quin & totius assensione Regni creatus est Cancellarius, ut nec nisi pari authoritate exauthorari posset. *Antea custos & bajulus Regni sigilli fuerat, Regis fidelissimus Cancellarius, assensu totius Regni, ita scilicet ut non deponeretur ab ejus sigilli custodia, nisi totius Regni ordinante consensu & consilio. Qui post susceptum Præsulatum mansit Cancellarius.* At ei tandem stomachatus Rex, quod æqui, rectique tenacior esset, & infracto pectore, pro justitia decertaret, sigilla Regia abeo repetiit; quæ excelsi & indomiti aoimi vir restituturum se negavit, nisi eadem, qua ea receperat Parlamenti autboritate. *Sigillum quoque suum ab Episcopo Cicestrensi Cancellario suo, qui officium suum irreprebensibiliter administravit, existens columna singularis veritatis in Curia, exigit Rex instantissimè. Sed idem Cancellarius hoc facere renuit, videns impetum Regis modestia fines excedentem, dixitque se nulla ratione hoc posse facere, cum illud communi Regni consilio suscepisset; quapropter nec illud similiter sine communi assensu Regni alicui resignaret.* Ita

Mat-

Matthæus Paris ad annum 1236. Reſtituit tandem Epiſcopus ſigillum; at eum anno 1239. Rex præcipitis & inhumani conſilii ſui jam pœnitentia ductus, eum revocaret: deduci ſe jam de ſententia non eſt paſſus, ne recuperato tandem ſacro otio ſuo ſollicitudines amariſſimas anteponeret, & in eoſdem ſe rurſus laqueos implicaret. *Ipſe malens quietem, quàm curas, noluit incidere in laqueos, quos evaſit.* Si eandem triviſſet ſemitam Archiepiſcopus Cantuarienſis, induſtriamque ſuam & laborem ad id contuliſſet, ut æquitati & juſtitiæ inviĉtiſſima quædam præſidia adderet, non iis ille reprehenſionibus patuiſſet, quas ſuprà attigimus.

Poſt aliquot annos in Parlamento Angliæ cum pleriſque id maximè doleret, quòd ex inconſulta Cancellariorum licentia pleræque Regni calamitates ſcaterent, ut qui ſigillo Regio munirent, quæ exitio futura erant; deliberari cœptum eſt, ut ne Juſtitiarii, aut Cancellarii poſthac à Rege crearentur, niſi quos Parlamenta ipſa delegiſſent. *Nullus ſubſtituatur Cancellarius, vel Juſtitiarius, niſi ſolummodo per ſolennem & univerſalem omnium convocationem & liberum aſſenſum, &c. Ut quemadmodum omnium negotia ſunt tractaturi, ſic etiam in eorum electione concurrat aſſenſus ſingulorum.* Diſplicuit Regi ea conſultatio, quæ non multò poſt tamen rurſus innovata eſt, multis impatienter ferentibus, quòd Cancellarium, Juſtitiarium & Theſaurarium deſignaret Rex, non more Majorum ſuorum, Procerum priùs voluntates & ſuffragia ſerutatus, ſed pro ſuo libitu, ut eos projectiores haberet ad ſua obſequia; ex quo & illud proficiſcebatur, ut & ipſi impuniùs privata commoda publicis utilitatibus anteferrent. *Univerſis non mediocriter concurrentibus eo, quod ſicut magnifici Reges prædeceſſores ſui habuerunt, nec Juſtitiarium, nec Cancellarium habet, nec Theſaurarium per commune conſilium Regni, prout deceret & expediret, ſed tales, qui ſuam qualemcumque, dummodo ſibi quæſtuoſam ſequuntur voluntatem; nec qui Reipublicæ, ſed ſingularem quærunt promotionem, pecuniam colligendo, cuſtodiat & reditus ſibi primitus procurando. Ibid. anno 1244.* 1248. Cum ea tunc munia obirent ii, quos Rex inſtituerat, non poterant ii gradu ejici, & alii ſubſtitui, niſi convulſa & quaſi labefactata Regia Majeſtate. Id Rex ſatis disertè Comitiis ſignificavit, unde & eorum tunc quidem irritus cecidit conatus. Altero rurſus poſt anno cum rurſus Nobilitas coiret & id urgeret, verbis humaniſſimis eos deliniebat Rex, & ſpe lactabat, cum ea tandem incidere, quibus res ea tota diſturbaretur. Anno rurus 1255. inſtare Parlamentum ut priſco more ab ipſo Parlamento eligeretur Juſtititiarius, Cancellarius & Theſaurarius, nec niſi graviorum convicti facinorum in Parlamento exauthorari poſſent. *Exigebant, ut de communi conſilio Regni Juſtitiarum, Cancellarium & Theſaurarium eligerent, ſicut ab antiquo conſuetum & juſtum. Qui etiam non amoverentur, niſi clareſcentibus culpis, & de communi Regni convocati conſilio & deliberatione.* Id Rex tum quidem conceſſit, at anno 1263. Cancellarius & Juſtitiarius, quos Barones elegerant, ab eo amoti ſunt, aliis in eorum locum ſuffectis. Hinc novæ rurſus turbæ, quas non ſiluit Matthæi Paris Continuator.

XIII. Ex his Matthæi narrationibus nemo non videt, quantùm in poteſtatis faſtigium evolaſſent Cancellarii Angliæ, & quanti ad Reipublicæ ſalutem intereſſet, quanti ad Regni & Sacerdotii tuendam concordiam, ut id munus non delegaretur, niſi ſpectatiſſimis pietate & integritate viris. Ab antiquiſſimo Hiſtoriæ Anglorum Scriptore memoriæ commendatum eſt, *Tom. 2. pag. 7.* 1377., Theobaldum Cantuarienſem Epiſcopum Henrici II. Regis juventæ verſatili & fluctuanti timentem, ne quando eum Aulici adulatores tranſverſum agerent, ſuaſiſſe ei ut Thomam Archidiaconum aſciſceret in Cancellarium, cujus ſibi exploratiſſima eſſet religio & ſapientia alendæ Regum & Eccleſiarum concordiæ accomodatiſſima. *Videns venerandus Pontifex Regiæ mentis, utpote juvenilis mutabilitatem, timebat ne adulatorum malignantium tabe inficeretur, &c. Egit apud Regem, ut ſtatim in initio Regni Cancellarium ſuum crederet Clerico ſuo Thomæ Londonienſi, cui anno præterito Cantuarienſis Eccleſiæ dederat Archidiaconatum, &c. Talem Aulæ dignum & Aulæ gratum futurum non immeritò arbitrabatur, ſperans exinde iſtius ope & opera inter Regnum & Sacerdotium deinceps pacis gratiam & vinculum firmam.* Novus ſanè ſtatim Cancellarius in gratiam, in arcana quæque Regis conſilia admiſſus eſt. *Ut in brevi Regis Rector efficeretur, & quaſi Magiſter.* His rationibus, his demum ſtimulis incitati ſuere infucati Eccleſiæ, pacis & juſtitiæ amatores, ut ad Clericos devolveretur Cancellarii dignitas, vel Cancellarii ipſi ad Epiſcopatum promoverentur.

Novo eam rem exemplo communiet Thomas Valſinghamus. Anno 1313. mortalitatis exuvias abjiciente Archiepiſcopo Cantuarienſi, Clemens V. eam ſibi dignitatem reſervavit nutu ſuo conferendam. Ad electionem tamen ventum eſt. Electum confirmare Pontifex recuſavit, & ad Cantuarienſem Eccleſiam ipſe Epiſcopum Vigornienſem tranſtulit, qui Cancellarius jam erat Regis; ut ſicut Cancellarii officio perſunctus ſuerat ea probitate & ſapientia, qua ſibi admirationem & amorem conciliaſſet Regis, Baronum, & totius Regni; ita jam Archiepiſcopus & Primas Angliæ creatus, ſtrenuiſſimè conniteretur ad levandam plebem; quæ jamdiu oppreſſa gemebat, & ad Eccleſiæ Regnique diſciplinam reſtaurandam. *Et quia conſtabat Papæ Eccleſiam Anglicanam multis laborare tribulationibus, cogitabat ſollicitè providere Eccleſiæ viduatæ de viro, per quem vexationes meliùs ſedari poſſent. Habito ſuper his tractatu provido, tandem in dominum Valterum Raynalde Vigornienſem Epiſcopum Domini Regis Cancellarium oculos dirigebat, conſiderans nimirum quantam gratiam coram Domino Rege præ cæteris Regni Prælatis inveniebat; quàm maturè ſe in ſuo officio Cancellarii & quàm ſapienter habebat: quanta directione motus & rancorem inter Regem & Proceres temperabat; ſperans talem virum Eccleſiæ & Regno plurimum profuturum. Huic igitur honorem Cantuarienſis Eccleſiæ gratis cum pallio conferebat.*

XIV. Eo exemplo, uti & illo Cicestrenſis Epiſcopi ſuprà relato facilè adducimur, ad id ſemper propenſiores fuiſſe Reges, ut ex Epiſcopis maximè aſciſcerent ſibi Canſellarios, & vel ſic ſuis ſe Parlamentis gratiſſimam rem facere confiderent. Epiſcopus enim Cicestrenſis Parlamenti ipſius votis ad eam dignitatem vocatus ſuerat. Idemque non temerè de hoc auguramur Vigornienſi Epiſcopo, qui tam providæ & inconvulſæ inter Regem & Proceres conſenſionis author & conciliator ſuerat. Novum ab eodem Valſinghamo ad id argumentum ſuppeditabatur ad annum 1371. ſub Eduardo III. Ejus enim anni Parlamentum neſcio qua perverſitate in Eccleſiam exulceratum, Epiſcopos ſpoliavit Officiis Cancellarii & Theſaurarii, quin & Sigilli minoris cuſtodem Clericum ſecundi Ordinis ea quoque dignitate excuſſit. *In iſto Parlamento ad petitionem dominorum in odium Eccleſiæ amoti ſunt Epiſcopi de Officiis Cancellariæ & Theſaurariæ, & Clericus de privato ſigillo.* Uſitatiſſimum ergo hactenus ſuerat ut Epiſcopi Cancellarii Regni fierent, ipſius ſuffragiis Parlamenti. Cum enim hujus Parlamenti authoritate gradu motus ſit Cancellarius, erant

erant ergo partes ejus aliquæ in instituendis & destituendis Cancellariis. Illa autem Baronum in hoc Parlamento concitata in Clerum odia, non immeritò incensa tum fuisse creduntur à Viclefi alumnis, pestilentissimum virus suum in Clericos tum passim omnes evomentibus.

Verùm quàm apertè iniqua, tam necessariò brevis fuit illa animorum à Clericis alienatio. Statim enim anno 1380. cum Richardus Cancellarius amplissimo se eo munere abdicasset in Parlamento, protinus ad eam allectus est Archiepiscopus Cantuariensis. Nonnullis tum visum est evilescere Archiepiscopi dignitatem, subeundo Cancellarii & defungendo munere. Non inscitè super ea re Valsinghamus: *Archiepiscopus Cantuariensis contra gradum sua dignitatis, ut plurimi conclamabant, illi officio militaturus accessit. Sed si ipse illud procuraverit, aut sponte susceperit, Deus scit.* Quasi diceret, reprehensionibus non injuria obnoxium futurum fuisse Archiepiscopum, si dignitatem eam exambisset, qua in sæculares molestias, & sollicitudines resorberetur, & summo Sacerdotio suo impar esset; at à culpa & vituperatione procul fuisse, si Regio Imperio, & publicæ utilitati, non suæ cupiditati obsecutus esset. Anno 1389. Richardus II. Rex jam sui juris factus primitias Regni sui insignivit, Archiepiscopo Eboracensi Cancellariatu & sigillo Regio cedere jusso, quo utroque statim ille Vintoniensem Episcopum, quamlibet invitum & renitentem investivit. *Jubeo ut in primis Cancellarius sigillum mihi resignet. Cumque Eboracensis Archiepiscopus sigillum reddidisset, &c. Rex tradidit sigillum Episcopo Vintoniensi, faciens eum Cancellarium, quamvis plurimùm renitentem.*

XV. Nec ab Anglorum moribus Scotia dissentiebat. Episcopis plerumque demandabatur Cancellarii munus. Habes apud Raynaldum, ut de Episcopo Glascuensi Cancellario Regis Scotiæ Jacobi voluerit Papa judicium institui per Legatos suos, ob Regias Constitutiones aliquas Ecclesiæ libertatibus inimicas, quas ille Regio muniverat sigillo, & publicaverat. Rex Cancellarii sui defensionem amplexus est.

XVI. Ad Germaniam venio, ubi non Cancellarii tantùm, sed & Archicancellarii obvio se dabunt, cujusmodi nullos Anglia hactenus exhibuit, nullos Gallia sub Capetii stirpe, unum si excipias Gervasium Archiepiscopum Remensem. Id porro in Germania manaverat à Carolo Magno & posteris ejus Augustis, quorum in Palatio Hincmarus suprà nobis Magnos Cancellarios indigitavit. In Anglia frequentiùs Episcopi, quàm Archiepiscopi Cancellarii creabantur; quin & ejus dignitatis additamento decrescere persæpè visus est & obscurari Archiepiscopus Cantuariensis. Denique Cancellarii ipsi non rarò ad Episcopatum, ut ad præcelsius aliquod columen attollebantur. Nec aliter res habebat in Gallia. At in Germania summi quique Archiepiscopi, & Electores ipsi Imperii Cancellariatûs dignitate cohonestati sunt, & Archicancellarii dicti. In Anglia denique ubi ex Parlamenti consensione instituti fuere Cancellarii, ne destitui quidem ii potuere, nisi eodem interveniente Parlamento; quanquam posset Rex Sigilla illis auferre & transferre ad alios. Nec abhorrebat forsan aliquandiu ab eo usu Gallia. Ex adverso autem in Germania Archicancellariatûs dignitas à tribus Metropolibus Electorum Imperii nunquam sejungi potuit, aut alienari. Cujus rei ea subest ratio, quòd singulis his Archicancellariis Cancellarii subessent, quos arbitrio suo Imperator summoveret, aut Sigillis Regiis spoliaret.

XVII. In Chronico Episcoporum Mindensium plurima congesta sunt privilegia ei Ecclesiæ ab Imperatoribus concessa, & à Cancellariis subscripta, qui Archicancellariorum horum Imperii vices gerebant. Ejusmodi est Ottonis I. anno 961. *Liutolphus Cancellarius ad vicem Brunonis Archicapellani recognovi.* Ejusmodi Ottonis II. anno 976. *Egbertus Cancellarius ad vicem Villigisi Archicapellani notavi.* Ejusmodi Ottonis III. anno 991. *Hildevaldus Episcopus & Cancellarius Villigrius Archiepiscopi recognovit.* At Henrici I. anno 1009. *Guntherus Cancellarius vice Actbonis Archicapellani recognovit.* Conradi verò anno 1029. & 1031. *Odolricus Cancellarius ad vicem Actbonis Archicapellani recognovit.* Et rursus anno 1033. *Burchardus Cancellarius ad vicem Bardonis Archicapellani.* Et anno 1049. *Vintherius Cancellarius vice Bardonis Archicancellarii.* Rursum sub Henrico III. anno 1059. *Gebehardus Cancellarius in vice Lintpaldi Archicancellarii.* Et anno 1063. *Fredericus Cancellarius vice Sigefridi Archicancellarii.* Et tamen illud Henrici III. anno 1059. ejusmodi erat. *Vanterus Cancellarius vice Leopoldi Archicapellani.* Posteriorum Chartæ Imperatorum nec à Cancellariis, nec ab Archicancellariis, nec ab Archicapellanis subscribebantur, ut parvo sigillo munitas facilè conjicias fuisse.

Itaque priores omnes Imperatores Rescripta sua subscribi fecerant ab Cancellario, qui Vicarius erat Archicapellani, sive Magni Cancellarii. Semel tantùm advertimus, ubi Cancellarius cum esset Episcopus, Vicarium se dixit Archiepiscopi. Decet enim, ut Episcopus Archiepiscopo subjiciatur potiùs, quàm Magno Capellano, vel Archicapellano; inde est, quòd Archiepiscopos persæpè vocari placuit, qui Episcopi tantùm erant, cum Archicapellani munere fungebantur. Quandiu Henricus III. Regis, necdum Imperatoris nomine usus est, diplomata quoque sua subscribi fecit à Cancellario vices gerente Archicapellani; postea verò Archicancellarius non Archicapellanus ejus Chartis subscripsit. Guibertus Parmensis Episcopus Cancellarii officio functus fuerat sub eo Rege. At cum Ecclesia Regno collideretur perversis ejus consiliis, ubi primùm Anno Coloniensis Archiepiscopus renuntiatus est Regis impuberis Rector, eo abacto Vercellensem Episcopum subrogavit. *Baron. anno 1052. n.17.*

Jam inde ab ævo Caroli Magni Archicapellani erat recognoscere signum vel sigillum Principis, ut patet ex fundatione Episcopatûs Bremensis anni 788. *Signum domini Caroli Regis invictissimi Hildebaldus Archiepiscopus Coloniensis & sacri Palatii Capellanus recognovi. Baron. n.3.* Henrico II. Imperatori duo erant Cancellarii. Hunfridus Cancellarius erat Italiæ, & hunc Ravennatem designavit Archiepiscopum. In aliis ejus Regnis Cancellarius erat Theodoricus, idemque Archicapellanus, quem & Constantiensi donavit Episcopatu. Ita enim Hermannus in Chronico ad annum 1407. *Ravennati Ecclesia Hunfridum Cancellarium suum constituit; Constantiensi Theodoricum, per alias Provincias Cancellarium suum, & Archicapellanum, & Aquisgrani Præpositum. Adam. Hist. Eccl. c.9.*

Author coævus vitæ B. Annonis Archiepiscopi Coloniensis, Romanorum illum vocat Archicancellarium, ubi de ejus Romano itinere verba facit anno 1070. *Romam ingressus est Romanorum Archicancellarius.* Anno 1073. cum Gregorius VII. ad Petri sedem electus fuisset, misit Henricus Rex ex Germania Episcopum Vercellensem Cancellarium Italiæ, qui ejus electionem confirmaret. *Rex electioni assensum prabuit, & Gregorium Vercellensem Episcopum, Italia Regni Cancellarium ad Urbem transmisit, quatenus electionem ejus authoritate Regia confirmaret. Baron. n.27.*

Anno 1157. Fridericus I. Imperator Archiepiscopos

copos Viennenses Archicancellarios Imperii declaravit in Regno Burgundiæ, quo tunc adhuc utcunque Germani Imperatores potiebantur. *Ut in Regno Burgundiæ sacri Palatii nostri Archicancellarius & summus Notariorum nostrorum semper existas, & post te successores tui, Bibl. Flor. Part.3. pag.87.* Anno 1213. Charta quædam Friderici II. Imperatoris ab Episcopo Metensi & Spirensi subscribitur, vicem gerente Archiepiscopi Moguntini Archicancellarii Germaniæ. *Ego Conradus Dei gratia & Apostolicæ sedis Metensis & Spirensis Episcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, Vicedominus Sigefridi Moguntini Archiepiscopi, & Apostolicæ sedis Legati, ac totius Germaniæ Archicancellarii recognovi. Baron. an.1097. n.76.* Henrico V. Friderici II. parenti Cancellarius fuerat Conradus Episcopus Hildesheimensis, cui olim per absentiam suam Siciliæ administrandæ præfecturam demandaverat. *Præfectus est Classi Cancellarius Imperatoris Hildesemensis electus, tunc verò consecratus Episcopus: cui olim absente Imperatore cura regni Siciliæ fuerat demandata. Arnoldus apud Baron. anno 1197. n.4.*

Possent id genus & alia coacervari innumera. Sed ex his plus satis intelligitur, 1. Quà latissimè patuit Imperium, nec Cancellarios fuisse, nec Archicancellarios delectos, nisi ex Clero. 2. Utplurimum eam dignitatem Episcopos adiisse. 3. Archicancellarios non fuisse, nisi Archiepiscopos. 4. Quibusdam Metropolibus affixas fuisse Archicancellariorum dignitates, nec ad alias migrasse. 5. At Episcopos nunc harum, nunc illarum Ecclesiarum ad Cancellariorum munus evectos. 6. Sola consessus & honoris prærogativa, & gloria nominis gavisos fuisse Archicancellarios, munus ipsum fungentibus Cancellariis. 7. Quatuor Regnis illis, quæ Imperium complectebatur Germaniæ, Italiæ, Franciæ Orientalis, sive Germanicæ, & Burgundiæ, suos cuique proprios fuisse Cancellarios, & Archicancellarios.

Quod ad Poloniam pertinet, ex Edicto Sigismundi Regis anno 1507. facilè liquebat, quàm solemne semper fuisset, ut nonnisi ex Clero Cancellarii deligerentur. Aliqua enim perpendens Sigismundus esse, quorum executio Clericis mandari non posset, constituit ut posthac Officia Cancellarii, & Vicecancellarii gererent duo semper aliqui, quorum alter Clericus, alter Laicus esset. *Ut in futurum in Cancellariatus & Vicecancellariatus officiis, cum aliquod eorum vacare contigerit, nos & successores nostri ad unum ex illis spiritualem personam, & ad aliud sæcularem præficere debeamus, propter actiones, quæ interdum tales eveniunt, quod spirituali personæ earum executionem committi non convenit. Statutu Polon. pag.58.*

XVIII. In Hispaniæ describendis moribus finem faciemus dicendi. Ex perantiqua Historiæ Arragonicæ Epitome constat anno 1326. Alfonsum Castellæ Regem Archiepiscopum Toletanum Sigillis Regiis spoliasse. Exacerbatus ea contumelia Antistes, innexum enim erat Archiepiscopatui Toletano Cancellarii munus, ea quidem abdicavit se Ecclesia; Tarraconensis autem administrationem in se recepit, Alexandrini denique Patriarchatus titulo & dignitate exornatus est. *Alfonsus Castellæ Rex Toletano Regia signa, quibus tabulæ publicæ literæque obsignantur, adimit: quæ Toletanis Archiepiscopis tradi moris vetusti fuit: & ejus muneris functione, Cancellarios se Castellæ nominant. Hispan. illustr. to.3. pag.169.* Ejusmodi Archiepiscoporum Toletanorum dignitatem altiori ab origine arcessit Mariana. Narrat enim paulò post annum 1200. cum gravi fame & annonæ penuria laboraret Hispania, sollicitudinis, charitatis, largitatis suæ mira edidisse documenta Rodericum Toletanum Præsulem, largissimè effudisse ipsum res suas in pauperes, exemplis suis & hortamentis omnes incendisse. Cum enimvero ab Alfonso Rege prædiorum & latifundiorum ingens prorsus copia Ecclesiæ Toletanę accumulata fuisset, quòd ea jam cœpisset Ecclesia publicum quoddam haberi totius Hispaniæ egenorum & miserabilium ærarium, atque inexaustum charitatis penu. Ac tum præterea à Rege confirmatam Archiepiscopo dignitatem Cancellarii, qua ante annos septem antecessorem ejus Martinum decoraverat, nec ipsi tantum quoad adviveret, sed & successoribus ejus adjudicatam. Porro secundùm Reges, in ea dignitate summam fuisse & cardinem totius authoritatis. *Quo tempore in Hispania fame gravissima laboratum est. Inde crebra in vulgus mortes, eam necessitas res etiam obscænas in cibum verteret. Rodericus Præsul Toletanus suis opibus, aliosque facris concionibus adhortando, ut egenorum calamitate moverentur, multum contulisse visus est. Prorsus ut Alphonsus Castellæ Rex in extrema ætate Ecclesiam Toletanam, quoniam apud eam tanquam in ærario publico optimè deponi thesauros cogitabat, nova multorum oppidorum ditione auxerit. Toletanum Præsulem jure perpetuo legeque in omne tempus lata, Regni Cancellarium esse confirmavit, datum ante septem annos Martino decessori, uti ejusdem Alphonsi diploma declarat. Quo Magistratu supremus & maxima authoritas secundùm Regiam olim continebatur. L.12. c.3.*

Non piguit hæc paulò prolixius narrasse. Ut hinc intelligas: 1. Non ea fuisse incunabula Cancellariorum dignitatis, sed ejus perpetuæ, & posthac individuæ conjunctionis cum Ecclesia Toletana. 2. Vel hinc conjecturam duci, penes Clericos eam antè semper fuisse dignitatem. 3. In Ecclesiam Toletanam non paulò plus splendoris & gloriæ accessisse ex ratione & causa adglutinandæ ei amplissimæ dignitatis, quàm ex dignitate ipsa. Ex munificentia videlicet illa Præsulis Toletani in publicas necessitates effusissima. Sapientissimè enim tum Rex judicavit, eos demum Præsules, qui infinitæ quodammodo beneficentiæ ita studerent, ei dignitati, summæque potestati admovendos, cujus specialis muneris est, ut oppressorum & miserabilium omnium calamitates, inopiam, contumelias præverat, propulset, levet. 4. Eodem ipso tempore Rex Ecclesiam Toletanam nova complurium terrarum & ditionum accessione locupletavit, expertus quidquid ei daretur, Ecclesiæ pauperum & calamitosorum omnium parenti piissimæ, & nutrici benevolentissimæ dari. 5. Ex quo rursum patet non recondendis & accumulandis, sed benignius effundendis opibus suis Ecclesias locupletatas fuisse. Cum eo ex fonte promanaverint immensæ illæ opes Ecclesiæ Toletanæ, quæ omnium Orbis Christiani, si Romanam demas, Ecclesiarum opulentissima est. Incredibilis quippe illa opulentia non aliud magis, quàm eleemosynarum strues est, quæ iis semper crevit largitionibus, quibus decrescere videbatur. *Quoniam apud eam Ecclesiam tanquam in publico ærario optimè deponi thesauros cogitabat, nova eam oppidorum multorum ditione auxit.* 6. Nec proventus tantum agrorum, aut agri ipsi Ecclesiis dati, aut decimæ, ad eleemosynas, sed dominia amplissima, Comitatus, Ducatus, ipsa Cancellariatus officia. Opes, dignitates, ditiones istæ omnes, eo tantum fine Prælatis attributæ sunt, ut tam piè, justè, sanctèque & sacerdotaliter impenderentur, quàm ab Episcopis jure sperator, à laicis non æquè sperarur impendi debere.

Cancellariorum autem munus post tempora Caroli Magni Prælatis pene universim reservatum, aut eorum etiam Ecclesiis illigatum fuit, ea nempe de causa, quòd summa quædam illa doctrina, fides, probitas, quæ ei præ cæteris officio adhibenda est,

in

in Prælatis sæpius & cumulatius insit. Eodem pene tumulo, quo Romanum, obrutum & consepultum fuit literarum & scientiarum imperium. Victrices illæ Nationes, quæ Borealibus ex regionibus geluque rigentibus, in has se lætiores insudere Provincias, ubi florentissima tunc vigebat Ecclesia, omnem animi sui contentionem atque industriam ad sola armorum bellorumque studia contulere; unde & literarum quidquid erat, ac mitiorum disciplinarum fastidientibus Nobilibus, in Ecclesias illæ & Cænobia ablegatæ sunt. Itaque præter rationes superius delibatas, ea quoque necessitas incubuit, ut ne possent quidem Cancellarii, & Archicancellarii nisi ex Clero cooptari. In Hispanias non solum inundarunt ex Borea Vandali, Alani, & Gothi primum, sed & postea ex Africa Sarraceni, qui diuturnam ei regno cum servitutem, tum altissimæ ignorantiæ noctem invexere. Unde & affectatius ibi Cancellarii munus Episcopis dicatum fuit.

XIX. Sed enarrata ejus Tolatani Cancellariatus origine, amplitudineque, pergendum jam nobis est ad ejus extenuationem eodem duce Mariana. Diximus Alfonsum Castellæ Regem anno 1326. sigilla abstulisse Joanni Archiepiscopo Toletano, Arragoniæ Regis filio. Impatiens Præsul ejus injuriæ, ad patrem se Regem contulit, & à Toletana ad Cæsaraugustanam Metropolin transferri se pervicit. Castellæ Rex Toletanum Archiepiscopatum, & Sigilla non uni, ut prius, sed duobus contulit, quorum natales non usque adeo clari erant. Inde cœpit ea Cancellariatus dignitas minui & obscurari in Archiepiscopis Toletanis, penes quos exinde solius pene nominis amplitudo & splendor fuit, potestatis exors. *Inde initium ejus Magistratus imminuendi obscurandique obscuris ministris. Nostra ætate debilitata authoritate, ac nulla fremè, quæ labes magna fuit, nomen tantum Cancellarii à Toletanis Præsulibus retentum est.* L. 15. c. 18.

Ex his verò facili conjectura assequimur, Cancellarios Portugalliæ Regni, Clericos & ipsos fuisse. Qui redintegrationem descripsit Lusitaniæ cum Castella Conestagius mandavit literis capita plura & vota Lusitanorum, ut Philippo II. Hispaniarum Regi subjici se acquiescerent. In his illud erat, ut ubicumque demum Rex versaretur, haberet in comitatu suo Clericum, qui præfectus esset Ærarii, Magnum Cancellarium, & duos Consiliarios Status. *Semper secum habeat aliquem Ecclesiasticum supremum Præfectum Ærarii Cancellarium magnum & duos Consiliarios Palatii.* L. 4. Si Thesaurarius seu Præfectus Ærarii publici ex Clero deligebatur, multo potiori jure Cancellarius.

XX. Non arma tantum & militiam, sed & disciplinam sacram Orienti nostram inveximus, dum sacra Palæstinæ bella conflagrarent. Narrat Wilhelmus Archiepiscopus Tyri, ut Hierosolymitani Regni Cancellarius ipsemet institutus sit, post obitum Bethleemitici Episcopi, qui eas antè partes gesserat, *Quia Radulphus Bethlehem ita Episcopus Regni Cancellarius ex hac luce migraverat, ut esset, qui Regiarum Epistolarum curam haberet, de consilio Principum suorum nos ad prædictum vocavit officium, & Cancellariis nobis tradidit dignitatem.* L. 22. c. 15. *An.* 1173.

Res Ecclesiæ, res & patrimonia sunt pauperum. Earum Beneficiarii non domini sunt, sed dispensatores.

CAPUT XXVI. P. 1. l. 4. c. 5.

Agros & proventus Ecclesiæ patrimonia esse pauperum ex Conciliis & Patribus Ecclesiæ Latinæ, per quinque priora Christiani nominis sæcula.

I. Huic doctrina res Ecclesiæ omnes patrimonia esse pauperum innitebantur superius disputata.

II. Ei astipulantur pleraque Augustini gesta & decreta.

III. Vetabat Sanctus Pater condi opes Ecclesiæ in futuros usus, ubi præsens, urget necessitas.

IV. Ex Hieronymo Beneficiarii omnes meri sunt dispensatores.

V. Turpius & deformius nihil, quàm ut Clericus bonis pauperum locupletetur.

VI. Divitiæ in Clericatu partæ, rapina sunt, & præda in pauperes acta, quibus debetur, quidquid Beneficiariis superest.

VII. Varii Canones Concilii IV. Carthaginensis. Penes Beneficiarios non est proprietas, non dominium, sed depositum, & administratio patrimonii Ecclesiæ & pauperum.

VIII. IX. Quam sententiam, quam in his rationem sequeretur Ambrosius. Crimini data sunt et largitiones.

X. Juliani Pomerii doctrina.

XI. Gallicanorum Episcoporum effusissima largitates.

XII. Nec non & Episcoporum Africæ.

XIII. Ex Augustino ad Ecclesias venere res Episcoporum Donatistarum quando ejus secta plebes pauperesque Catholicæ se unitati reddidere.

XIV. XV. Mira quædam Exuperii Tolosani Episcopi gesta.

XVI. XVII. XVIII. Item B. Honorati Episcopi Arelatensis & Hilarii alumni, & successoris ejus.

XIX. Pauperes ut suo quodam modo Ecclesiæ Beneficiarii, si quo se crimine obligarent, gradu & Beneficio ejiciebantur.

I. Constituenda jam nobis hic superest ea doctrina, quæ superioribus compluribus capitibus dominari visa est, & quam necesse est huic de distributione & usu bonorum Ecclesiæ commentationi nostræ prælucere. Ejusmodi porro ea est, Ecclesiæ res omnes patrimonia esse pauperum, utpote primum pauperibus erogatas, Ecclesiæ commendatas, ut matri & altrici pauperum; ab Ecclesia denique rursus Beneficiariis concreditas, ut sint & ipsi pauperum provisores, ubi suis semel, si verè pauperes & ipsi sunt, necessitatibus prospexerint. Hinc illud consequens erat, quod suprà ostensum est, Clericos, quibus propria sunt & hæreditaria bona, rebus pauperum ut alienis abstinere debere, quod nefas sit divitem quenquam stipendiis pauperum ali. Hinc illud quoque pertinebat, quod & Episcopi & Clerici cujusque Ordinis præstantissimi suprà demonstrati sint functionibus sacratis suis opus manuum addidisse; quod existimarent ipsi quidem, confirmatæ & robustæ valetudinis opes esse

non

non mediocres, & qui vel sic divites essent, eos pauperum ægrorum rebus & cibis arcendos esse. Hinc deoique manabat & illud suprà, quod diximus posse Cleticos procuratores esse, & villicos, & administratores rerum Ecclesiæ temporalium, quod eæ res sint pauperom, & sanctissimæ Congregationis, quibus non incubat cupiditas, sed charitas invigilat, quæ non sibi, sed aliis ea vel possidet, vel potius admioistrat.

II. Altissimè insederat Augustini animo, & moribus, & disciplinæ ea doctrina, qualescumque demum Beneficiarios bonis Ecclesiæ abuti non posse, nisi ut pauperes rebus Pauperum, atque adeo suis ubi necessitatibus provisum est, tum reliqua debere omoia in pauperes dispergere. Altissimas, ioquam, ea persuasio tadices egetat in animo Augustini, cum Possidius eum dicat, non alia ratione Pauperes, quàm se ipsum Clerumque suum aluisse. *Pauperum vero semper memor erat, eisque inde erogabat, unde & sibi suisque omnibus secum habitantibus erogabatur, hoc est, vel ex reditibus possessionum Ecclesiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium Cap.* 23. Cum ex eodem oculato teste, non ædes onquàm coemerit ullas, non tertas, quo Ecclesiæ suæ reditus amplificaret, alendorum pauperum cupidior, quàm ditandi Cleri: *Domum verò, vel agrum, seu villam nunquam emere voluit. Cap.*24. Cum obi exaruerat fiscus Ecclesiæ, plebi tum demum significaret, non posse jam se angustiis pauperum succurrere. *Interea dum Ecclesia pecunia deficeret, hoc ipsum populo Christiano denunciabat, non se habere quod indigentibus erogaret. Ibidem.* Cum vasa sacra confringeret redimendis captivis, & levandis egentibus: *Nam & de vasis dominicis propter captivos & quamplurimos indigentes, & frangi & conflari jubebat, & indigentibus dispensari.* Pia certè quorundam fidelium simplicitas subinique ferebat ita violari res sacras. Sed admonet scitissimè Possidius suo jam Ambrosium exemplo his obtrectatoribus os obturasse & invictis argumentis docuisse, ubi gravis incubuisset necessitas, non alia tutiora esse consilia. *Quod non commemorassem, nisi contra carnalem sensum quorundam fieri pervidere. Et hoc ipsum etiam venerabilis memoriæ Ambrosius in talibus necessitatibus indubitanter esse faciendum & dixit, & scripsit.*

Cum rursum Augustinus quamvis à terrenis cupiditatibus alienissimus, fideles tamen concionibus suis ad pias largitiones & collectas incenderet, ut ad Altarium & Templorum restaurationem aliquid stipis conferrent, si quando ea spoliari necesse fuisset, ut viventia Christi templa necessario vestitu & cibo ne destituerentur. *Sed & inde de neglecto à fidelibus gazophilacio & secretario, unde Altari necessaria infecuntur, aliquando in Ecclesia loquens admonebat, quod etiam beatissimum Ambrosium se præsente in Ecclesia tractavisse nobis aliquando retulerat.* Cum denique Saoctissimus Episcopus palam profiteretur, nihil auri, oihil unquam ab Episcopo recondi & accumulari argenti debere, quandio sunt in Ecclesiæ membris, qui egeant. *Enthecam nobis habere non licet. Non enim est Episcopi servare aurum & revocare à se mendicantis manum. Quotidie tam multi petunt, tam multi gemunt, tam nos inopes interpellant, ut plures tristes relinquamus; quia quod possimus dare omnibus, non habemus. Non habemus enthecam.*

III. Si ex Augustino nefas est Episcopum quidqoam in futurum servare, ubi non desunt egeni; nefas est & alios quosvis Beneficiarios. Erat enim tum Episcopus provisor & administrator proventuum omnium Ecclesiæ, eique imminebat cura Clericorum & pauperum omnium sustentandorum. Si Cleri universi alendi providentia prætexi ab Episcopo non poterat, ut aliquid seponeret & servaret in futuros casus, quid æstimandum de privatis Beneficiariis, qui propriæ tantùm salutis curam agunt? Si res omnes Ecclesiæ ad pauperum, & ad Cleri necessarios usus datæ sunt, tam Beneficiariis omnibus, quàm Episcopis ea lex imminebit, ut superflua omnia, commodè sustentatis Clericis, in pauperes erogentor. Si massa & congeries tota bonorum Ecclesiæ patrimonium est pauperum, cujusque portionis inde decerptæ eadem natura & conditio est. Qui sua Ecclesiæ commendarunt, ot in pauperes dispensatentur, ipsimet illa potius dispensassent, si incidisset illis ea cogitatio, fore ut Beneficiarii ea quasi sibi propria vindicarent, hostiis Deo oblatis avaritiæ suæ & ambitioni fomitem suppeditareot. Ita sentiebat Hieronymus ad Nepotianum de vita Clericorum. *Amico quippiam rapere furtum est. Ecclesiam fraudare sacrilegium est. Accepisse quod pauperibus erogandum sit, & esurientibus plurimis vel cautum esse velle, vel timidum: aut quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat. Ego fame torqueor & tu judicas quantum ventri meo satis sit? Aut divide statim quod acceperis; aut si timidus dispensator es dimitte largitorem, ut sua ipse distribuat. Nolo sub occasione mea sacculus tuus plenus sit. Nemo me melius meа servare potest. Optimus dispensator est, qui nihil sibi reservat.*

IV. Mirum quantum momenti sit in his extremis Hieronymi verbis; ut elucescat primo, Beneficiarios dispensatores esse eleemosynarum, quarum eis custodia & distributio à fidelibus concredita est. Secundò dispensatoris hoc esse fidelis & inculpati, nihil ur ipse sibi seponat, nihil sibi servet. *Optimus dispensator est, qui nihil sibi reservat.* Impatientissimè ibidem fert Hieronymus proprio nomine Clericis hæreditates, vel Episcopis legari. Vult filiorum suorum omnium hæredem scribi Ecclesiam, ut parentem communem, & omniom miserabilium procuratricem. *Sit hæres, sed mater filiorum, id est, gregis sui Ecclesia, quæ illos genuit, nutrivit & pavit. Quid nos inserimus inter matrem & liberos? Gloria Episcopi est pauperum opibus providere. Ignominia omnium Sacerdotum est, propriis studere divitiis.*

V. Ex Hieronymo, *In Michæam, ignominia omnium Sacerdotum est propriis studere divitiis.* Nihil tam fœdum & pudendum, quàm à Clericis luxui & avaritiæ impendi ea bona. quæ temperantiæ & amatoribus paupertatis addicta fuere. *Apostolus Paulus, Qui altari, inquit, serviunt, de altari participant, & vivunt. Permittitur tibi ô Sacerdos ut vivas de altari, non ut luxuries.* Qui & mox subjicit, habitu & professione ipsa sua Clericos id præ se ferre, id quodammodo vociferari, se paupertati studere & frogalitati, quo jam taoto flagitiosius sit, si ea modestiæ simulatione divitias tegant, pauperum fame & sanguine partas. *Si tales pauperes sunt, accipiant. Si autem sub occasione pauperum pauca ditantur domus & in vase fictili aurum comedimus, aut enim thesauris mutemus & vestes, aut pauper habitus non quærat divitias Senatorum. Quid juvat præferre habitu paupertatem, cum marsupium nostrum universa pauperum turba suspiret.*

VI. Rursum destomachatus est idem Hieronymus in Episcopos & Clericos omnes, qui in Clericatu ipso novis in dies opibus augentur. Nec enim id fieri potest, nisi expilatis pauperibus, quibus utique subtrahitur, quidquid rerum superfluarum non erogatur. Uode idem subjungit, si quis Clericus post ordinationem suam locupletior evadat, quàm priùs fuerat, nihil ab eo proximis legari posse novi hujus opum additamenti, sed omnia pauperibus restituenda. *Suggillat Propheta non solùm illius temporis Sacerdotes & Principes, sed nostri quoque, qui*

qui ditiores fiunt Sacerdotii dignitate, & præter ea, quæ sibi Domini dispositione debentur, tollunt à pauperibus per violentiam, vel sub honoris nomine divites spoliant. Ut ipsis quoque filiis suis, quibus paterna debetur hæreditas, nil debeant derelinquere, nisi quod sibi à parentibus derelictum est. Ergo qui ditior est Sacerdos, quàm venit ad Sacerdotium, quidquid plus habuerit, non debet filiis dare, sed pauperibus, & sanctis fratribus, & domesticis fidei, qui vincunt merita liberorum, ut reddat ea, quæ Domini sunt, Domino suo. In Ezech. c.64.

VII. Jubet Carthaginensis Concilii IV. Canon ut Episcopus Archipresbyteros & Archidiaconos deleget ad curam & gubernationem viduarum, pupillorum & peregrinorum. *Ut Episcopus gubernationem viduarum, & pupillorum ac peregrinorum, non per seipsum, sed per Archipresbyterum aut per Archidiaconum agat. Can. 17.* Ex quo id efficitur, si cura & providentia pauperum Episcopo impendebat, ad cæteros Clericos & Beneficiarios eam manasse, quorum jure suo Episcopus opera vicaria & subsidiaria utebatur ad rerum Ecclesiæ gubernationem. Jubet idem Concilium ut qui pro fidei defensione, & pro causa Ecclesiæ exagitati ac divexati fuere, ii sportulas & alimenta idonea à Diaconis accipiant, *Etiam & per Diaconum victus ei administretur. Can.43.* Itaque Episcopi Archidiaconorum, Archidiaconi Diaconorum ministerium & industriam adhibebant, ne quo pauperibus usquam deessent. Ita Beneficiarii omnes administri erant & cooperatores charitatis & provisionis Episcopalis omnium egenorum. Episcopus ipse ex eodem Concilio non dominari, non ad libitum frui rebus Ecclesiæ debebat, sed velut commendatis parcere, & pauperes, quibus seposita ea deposita fuerant, alere. *Ut Episcopus rebus Ecclesiæ, tanquam commendatis, non tamquam propriis utatur. Can.31.* Quanquam charitati & largitionibus Ecclesiæ nec modus, nec finis delineari possit ullus, volunt tamen hujus Concilii Patres liberaliùs pauperibus Catholicis & senibus consuli. *Pauperes & senes Ecclesiæ plus cæteris honorandi sunt. Can.33.* Videbatur Paulus Viduas & Diaconissas tum demum stipendiis & distributionibus Ecclesiasticis honestasse, cum annorum sexaginta ætatem attigissent. Sed cum & juniores quædam sint viduæ, quas ægritudo commendat Ecclesiæ, nec sinit manibus operari; hæ quoque in hoc Concilio ad stipem Ecclesiæ admittuntur, dum orandi studio non intermisso, & piorum operum infatigato fervore adsint Ecclesiæ, quæ illis non deest. *Viduæ adolescentes, quæ corpore debiles sunt, sumptu Ecclesiæ, cujus viduæ sunt, sustententur.* Et alio Canone: *Viduæ, quæ stipendio Ecclesiæ sustentantur, tam assiduæ in Dei opere esse debent, ut & meritis & orationibus suis Ecclesiam adjuvent. Can.101. 103.*

VIII. Non proventus tantùm annuos rerum Ecclesiæ Ambrosius, non tantùm quidquid auri & pecuniæ sepositum ac reservatum fuerat, effudit in pauperes; sacra etiam vasa confregit, ut quæ tum demum pollui & profanari posse desinerent, cum alendis pauperibus & redimendis captivis impenderentur. Ariani quàm fidei, tam morum Ecclesiæ & charitatis extorres & imperiti, hinc illi conviciati sunt, non paulò majore ejus & gaudio & laude, quàm si congratulati essent. Abundè fuit Ambrosio, ut suis se purgaret ovibus, ac suaderet, multò compendiosius esse, servari animas, quàm aurum. *Tamen ita populo professi sumus, ut confiteremur, multoque fuisse commodius astrueremus, ut animas Domino, quàm aurum servaremus. Offic. l. 2. c.28.* Nec enim habet aurum Ecclesia, ut habeat sed ut prodiga sit in egenos. *Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus.* Ipso usu explendescit argentum, situ obscuratur: inutile jacet cum reconditur, tum prodest, cum spargitur & dissipatur. *Quid opus custodire, quod nihil adjuvat?* Aurum templi Hierosolymitani olim Assyrii expilarunt; Ecclesiæ aurum pauperibus erogatum jam prædæ non patet. Nonne satius est, ubi cætera desunt subsidia, aurum Ecclesiæ conflari ad recreandam pauperum esuriem, quàm ut diutiùs obnoxium sit insidiis hominum avaritiæ & rapinis servientium. *An ignoramus quantum auri atque argenti de Templo Domini Assyrii sustulerunt? Nonne melius conflat Sacerdos propter alimoniam pauperum, si alia subsidia desint; quàm sacrilegus contaminata asportet hostis?* Thesaurus Ecclesiæ, hoc est, pauperes Beatus Laurentius ostendit tyranno, rapacibus ejus manibus tutissimos. *Hi sunt thesauri Ecclesiæ, & verè thesauri, in quibus Christus est.*

Hoc Ambrosii sermone confirmatur, quod addocuerat jam nos Augustinus, & quod hic mox rursum Chrysostomus illustrabit, de rerum Ecclesiæ administratione Episcopos voluisse populos informari, quò & ipsi vicissim incalescerent ad proventus & fundos Ecclesiæ amplificandos, eo zelo, quem non omnes Episcopi imitarentur. Quo quid pulchrius, quid laudabilius fieri poterat, quàm ut pari fervore & arderent laici fideles ad exaggerandas opes Ecclesiæ, & Clerici ad easdem in egenos profundendas? constantissima autem illa est Ecclesiæ forma & morum norma, *Aurum Ecclesia non habet ut servet, sed ut eroget.* Ea est conditio rerum Ecclesiæ omnium, quæ cum fructus sint ex largitate & charitate fidelium pullulascentes, semina quoque sunt novarum in dies singulos largitionum. Quod totum inde manat, & eò redit, quòd Episcopi & Beneficiarii, non domini, non possessores sint, qui servent & recondant; sed dispensatores, qui expendant & erogent. Postremò denique hos potissimos alibi prædicat Ambrosius esse thesauros Ecclesiæ, fidem, charitatem, virtutes, largitiones, nihil sibi, omnia omnibus habere. *Nihil Ecclesia sibi nisi fidem possidet. Hos reditus præbet, hos fructus. Possessio Ecclesiæ sumptus est egenorum. Numerent quos redemerint templa captivos, quæ contulerint alimenta pauperibus, quibus exulibus vivendi subsidia ministraverint. Ambros. Epist.31.*

IX. Qui Ambrosii & invidebant laudibus, & obtrectabant, illi apud Justinam Imperatricem, ei infensissimam, utpote Arianà furentem insania, has ejus largitiones arrodebant, & hinc illi invidiam in Aula faciebant, unde populi major in illum favor amorque flagrabat. Has criminationes Ambrosius sibi laudi vertebat, ut qui in egenis & thesauros sibi collocasset, & patronos. Et Affirmabat ille, & experiebatur plus sibi esse præsidii in cæcis, claudis, vetulis ægrisque Christi pauperibus, quàm in invictissimis quibusque munimentis. *Invidiam faciunt, quia aurum erogatur, nec ego hanc invidiam perhorresco. Habeo ærarios. Ærarii mei pauperes sunt Christi. Hunc novi congregare thesaurum. Utinam hoc mihi semper crimen ascribant, quia aurum pauperibus erogatur. Quod si objiciunt, quod defensionem ab iis requiram, non nego, sed etiam ambio. Habeo defensionem, sed in orationibus pauperum. Cæci illi & claudi, debiles & senes, robustis bellatoribus fortiores sunt.*

X. Semel iterumque jam inculcavit Julianus Pomerius, res opesque Ecclesiæ omnes vota esse fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum: id persuasissimum esse piis omnibus Clericis, qui

proin-

proinde fateantur, non dominium se, sed administrationem assecutos esse earum, & dispensandi provinciam. Sic enim ille in libris de vita Contemplativa. *L.2. c.9. Et idcirco scientes nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum; non eas vendicaverunt in usus suos, ut proprias; sed ut commendatas pauperibus diviserunt.*

XI. Non iidem porro fines erant præstantissimis quibusque Episcopis largitionum suarum, qui diœceseon. Postquam Galliarum, Italiæque Provincias depopulati fuere Gothi, incredibilem quandam frumenti copiam in illas sparsit distribuitque S. Patiens Archiepiscopus Lugdunensis. Non Rodanus, non Sequana largitionibus ejus evehendis pares fuere; terras & maria illæ tranavere Patientis erogationes. Audiendus hic Sydonius Apollinaris Arvernæ civitatis Episcopus, qui & ipse eo largitionum torrente irrigatas Ecclesias suas Patienti gratulabatur. *Post Gothicam depopulationem, post segetes incendio absumptas, peculiari sumptu inopiæ communi per desolatas Gallias gratuita frumenta misisti. Vidimus angustas tuis frugibus vias. Vidimus per Araris & Rodani ripas, non unum, quod unus impleveras, horreum. Tu ut de Mediterranea taceam largitate, vidimus civitatibus Tyrrheni maris erogataras, granariis tuis duo potius flumina, quàm duo navigia complesti. L.6. Ep.12.*

XII. Si patrimonium est pauperum quidquid opum habet Ecclesia, ubi Cleri & pauperum cujusque loci necessitatibus provisum est, jam non possunt reliqua aut justius, aut sanctius dispensari, quàm ut in egenos aliarum ubivis Ecclesiarum disseminentur. Paulus ipse Hierosolymitanis pauperibus opitulabatur, corrasis ex aliis passim Ecclesiis & regionibus eleemosynis. Unum est corpus Ecclesia universa, quæ uno maximè animatur & vegetatur charitatis spiritu. Quantacumque sit unius corporis membrorum intercapedo, & condolent illa sibi, & congaudent. Non ergo potest Beneficiarius segregare quidpiam, & recondere ex sacris Ecclesiæ proventibus, quin egentibus Ecclesiæ suisque ipsius membris id suffuretur. Non recondebat nisi in cœleste penu Eugenius Carthaginensis Episcopus, quem testatur Victor Vitensis in Africa Episcopus in libro de Vandalica persecutione, eo ipse die, quo quodvis oblatum fuerat, in pauperes erogasse, nec in crastinam diem sibi reservasse quidquam. *Pecuniam apud eum nunquam mansisse probatur, nisi fortè tali hora offerretur, quando jam sol diei explicans cursum, nocturnis tenebris ordinem daret & locum. Tantum sibi reservabat, quantum diei sufficeret, non quantum cupiditas expetisset; Deo nostro subinde quotidie ingentia & majora donante. L.2.* Quæ tantò mirabilior erat Eugenii ratio, quòd ejus erat muneris totum ut sustentaret Clerum, cujus tunc res omnes in commune possidebantur, sub Episcopi maximè moderamine & providentia. Numerosissimæ alendæ Congregationis necessitas, non illum habebat sollicitum, non timidum, non tenacem præstabat; hujus suæ Congregationis cœtui pauperes ille omnes annumerabat, nec sine flagitio existimabat posse se, quò futuris aliorum adesse posset necessitatibus, horum præsenti inopiæ deesse. Namque ut supra ajebat Hieronymus: *Accepisse quod pauperibus erogandum est, & esurientibus plurimis, vel cautum esse velle vel timidum, omnium prædonum crudelitatem superat.*

XIII. Nec minùs altè descenderat in Augustini pectus, pauperes omnes ei accensendos Congregationi sacræ, cui res omnes Ecclesiarum dicatæ sunt ita, ut ne Clerici quidem vel Episcopi possint earum consortes & participes fieri, nisi jure & modo suæ paupertatis. *Si pauperum compauperes sumus, & nostra sunt, & illorum. Si autem privatim quæ nobis sufficiant possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus. Epist.50.* Ex quo Sanctus Pater argumentatur, jure posse ab Ecclesiis Catholicis possideri, quæ priùs ab Episcopis Donatistis obtinebantur: cum populi, pauperesque eorum in gremium Catholicæ matris convolarint, pauperes inquam quorum solatiis eæ res fuerant consecratæ. *Cum nobiscum sint plebes earundem Ecclesiarum, nobiscum pauperes, qui ab eisdem possessiunculis alebantur, &c.*

XIV. Superstes tum adhuc Beatus Exuperius Tolosanus Episcopus, consecratus & ipse quodammodo est ore & calamo B. Hieronymi, qui de eo refert, se ipsum necessarii cibi parte fraudasse, quò alios aleret; fame laborasse, qua eximebat alios; auro Ecclesiæ pauperibus erogato, corpus illum Christi in canistro vimineo, & sanguinem in vitro portasse; Episcopatu denique ipsum & pauperiorem evasisse, & humiliorem. Ita enim Hieronymus ad Rusticum: *Sanctus Exuperius Tolosæ Episcopus, viduæ Sareptensis imitator, esuriens pascit alios, & ore pallente jejuniis, fame torquetur aliena, omnemque substantiam Christi visceribus erogavit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro. Hujus sectare vestigia, & cæterorum, quos Sacerdotium & humiliores facit, & pauperes.*

XV. Quasi præsagus Exuperius vastandarum paucis post mensibus à Septentrionalibus plerisque gentibus Galliarum, pro virili parte sua adproperavit thesauros suos omnes in cœlum per pauperum manus comportare; cumque intra Galliarum angustias cohibere se non possent ejus largitiones, illas in Monachos & Moniales propagavit Hierosolymæ, Palæstinæ & Ægypti, Nilo ipso liberalior & effusior, qui eo anno arva sua sitientia destituerat. Audiendus hic rursum Hieronymus. *Gavisus sum te esse sospitem & memorem mei, omniumque fratrum, qui in sanctis locis Domino serviunt, in quorum refrigeriis facis tibi amicos de iniquo Mammona, &c. Audio te imitari Domini paupertatem, at cum illo dives fias, & in te reclinet caput, & per singulos dies suscipiatur, visitetur, alatur, vestiatur.* Et alio loco: *Frater Sisinnius Ægyptum ire festinat, ut odorem bonæ fragrantiæ, qui à te missus est sentribus, illuc quoque perferat & nequaquam Æthiopiæ flumine, sed Galliarum largissimis aquis eigentur arva sitientia. Præfat. in l.1. & 2. Zachariæ.*

XVI. In Lerinensis Cœnobii sanctissimis institutionibus diu versatus B. Honoratus, Arelatensis postea Episcopus, iis quoque imbutus fuerat Regulis, quibus res Ecclesiæ, quæ & pauperum res sunt, in pauperes sunt dispensandæ. Tam largè effundebat ille in egenos, quæ in potestate habebat omnia, ut certatim ad illum conferrent omnes, quæ eleemosynis dicassent; & ea ille tam promptè & tam liberaliter erogabat, ut ne Conventui quidem suo quidquam in crastinum reservaret. Non is erat qui propriis hæreditatibus pridem pauperes locupletaverat, ut Ecclesiæ res sibi, suisve reservaret. Exhauriebantur quandoque Cœnobii proventus; charitatis promptuaria semper redundabant. Hæc Hilarius ejus in sede Arelatensi successor, & vitæ Scriptor. *Aderat munificenti animo par substantia, pari fide ministrata. Nam qui libenter audierat, Vende omnia tua & da pauperibus, & veni, sequere me; huic libentissimè unusquisque, siquid munificentia animo devoverat, dispensandum ingerebat: securus illi sua committens, cujus in relinquendis omnibus secutus fuerat exemplum. Huc ad eum frequens ille ex diversarum*

rum regionum vastitate concursas. Et verè is ille erat, qui non ut parcus dispensator & timidus respectu sibi credita & crescentis quotidie Congregationi aliqua tribueret, plura servaret. Sed quid quotidie in ulicao non faceret, quod semel in suo non fecerat? Hoc est, nihil sibi, nihil suis præter præsentium dierum victum & vestitum reservaret. Exhaustu est aliquando dispensatione substantia, fide nunquam. Surius die 16. Januar. c.17. Ita qui se tunc abdebant in Cœnobia, se suasque res Abbati contradebant; non tam Cœnobio vendicandas, quam spargendas in pauperes, sibi, Cœnobioque servatis dumtaxat, quæ ad victum & vestitum necessarium desiderarentur. *Nihil sibi, nihil suis, præter præsantium dierum victum & vestitum reservaret.*

XVII. Sanctissimo hoc Cœnobii tyrocinio perfunctus Honoratus Abbas, ad Archiepiscopatum vocatus Arelatensem, pari studio temporales Ecclesiæ suæ thesauros effudit, meliores virtutum & religionis opes acervavit. Disciplina Canonum cum eo in illam Ecclesiam illabi, & dominari visa est, unde & mox in pios & sanctos usus ejectæ sunt opes jamdiu ibi reconditę; ut ne jam otiosæ & steriles jacerent, sed & pauperibus, & iis, qui obtulerant fructuosæ essent. *Floruit sub illo Christi Ecclesia, sicut Monasterium ante floruerat. Crevit gratiis, decrevit metallis. Ingressu videlicet disciplina, tanquam domum suam Dominu, mammonu iniquitatis exclusit, & quæ otiosè diu congesta fuerant, dignis tandem usibus deputavit; dudum defunctis thesauros suos misit; & iterum qui obtulerant, oblationum suarum refrigeria senserunt. Hoc solum quod ministeria sufficiens erat, reservavit; sed si exegisset usus, nec ministerio, ut reor, pepercisset. Ibid. c.21.*

XVIII. Non sedis tantum successor Honorati fuit Hilarius, aut vitæ Scriptor elegantissimus, sed & virtutum sedulus imitator, in primis autem effusæ in pauperes munificentiæ. Denique manibus & ipse operari voluit, quò pauperes aleret, non pauperum tantum patrimonio, sed & suis ipsius laboribus. Captivos quoque redemit divenditis vasis sacris, ut ex iisdem manaret poculis sacris libertas, ex quibus toties fluxerat sanguis Liberatoris. Vitreos ille ostentabat calices, auro charitatis radiantes; fideles denique vehementissimè ad dandum inflammabat, tam pio & religioso usu eorum, quę darentur. Hęc narrat Honoratus Episcopus Massiliensis, ejus ęvi suppar, & vitæ Scriptor. *Quidquid argenti omnes Basilica habuerunt, captivorum redemptioni protinus deputavit. Cumque omnia cognovisset expensa, exultans atque congratulans, quia vota fidelium dispensatione sua videbat cœli in sedem præmissa. Usque adeo credidit omnia distrahenda, quousque ad patenas, vel calices vitreos veniretur. Accendi studia offerentium dispensatione laudabili. Offerentum devotio grata optavit, ut oblatio sua primo sacris Altaribus postmodum membrorum Christi redemptionibus militaret. Surius die 5. Maji.* Narravimus alibi, quę Gennadius de Hilarii opere manuum scripsit.

XIX. Splendidius forsan adhuc elucescet, quàm verè pauperum sit proprietas & dominium bonorum, quorum Beneficiarii sunt dispensatores: vel quam vere pauperes inscribendi sint albo Beneficiariorum ab Ecclesia alendorum, si spectemus pauperes his suis Beneficiis spoliatos fuisse, & gradu ejectos, peræquè ut Clericos Clericato, si quo graviori facinore essent contaminati. Id nos docebit Augustinus, qui tres eas copulat pœnas, ut sibi valde finitimas, sive fideles laici excommunicarentur, sive Clerici deponerentur, sive pauperes expungerentur canone eorum, qui sumptu alebantur Ecclesię. *Sed quàm facile de gradu Clericorum quisque ab Episcopo vel de numero pauperum, quos pascit Ecclesia, vel de ipsa Congregatione Laicorum, sive ab Episcopo sive à Clero, vel à quocumque Præposito, cui est potestas, eximitur. Contra Parmen. L.3. c.2.*

CAPUT XXVII. *P.1. l.4. c.6.*

De eodem, res Ecclesiæ patrimonia esse pauperum, ex Patribus & Conciliis Orientalibus per priora quinque sæcula.

I. Argumenta ex Apostolicis Canonibus, & Antiochenis.

II. Jus Episcopi in res Cœnobiorum vacantium, at quæ pauperum essent.

III. Vetat Chrysostomus in futurum reservari quidquam.

IV. Quanto numero pauperes aleret Ecclesia Antiochena.

V. VI. Hospitalitas Ecclesiæ. Alia ex Chrysostomo probationes.

VII. Ecclesiæ Alexandrinæ largitiones ex Athanasio.

VIII. IX. X. Variæ probationes ex Isidoro Pelusiota. Ejus zeli actus in Presbyteros, Oeconomos, Episcopos, qui res Ecclesiæ compilabant.

XI. Ex Isidoro Episcopi laicos hortabantur, pauperes ut potius sustentari, quàm Ecclesias condecorari cuperent.

XII. Miræ B. Epiphanii largitiones.

XIII. De Acacio Episcopo Amidæ, qui Persarum captivorum septem millia redemit.

XIV. De B. Cyrillo Episcopo Hierosolymitano.

XV. De Attico Constantinopolitano.

XVI. De Flaviano Constantinopolitano.

XVII. Quanta Imperatores Ecclesiis & pauperibus largirentur.

XVIII. Alia largitionum exempla.

I. NEC remissiores, aut vero indiscretiores fuere Græci Patres in eadem propugnanda doctrina, nec Clericos, nec Beneficiarios ullos ad rerum Ecclesiæ, ad patrimonii pauperum participationem admittendos, nisi pauperes essent. Exprompsimus suprà Antiochenum Canonem, quo Canon Apostolicus primævo vigori suo restituebatur, ut in pauperes erogaret Episcopus proventus Ecclesiæ omnes nec sibi servaret, si egeret, nisi juxta Apostolum, quo vesci & regi posset. *Episcopus habeat rerum Ecclesię potestatem, ut eas in omnes egentes dispenset. Can.25.*

II. Actione I. Concilii Calchedonensis refertur Epistola Monachorum Eutychetis Archimandritæ Constantinopolitani, in ejus defensionem ab eis perscripta ad Pseudoconcilium Ephesinum, adversùs Flavianum Archiepiscopum Constantinopolitanum, qui Eutychetem gradu moverat, jusseratque *res Monasterii sibi custodiri sub nomine pauperum.* Unde liquet excubias egisse Episcopos in res Monasteriorum; vacante Abbatis sede eas custodisse, ejus verò disciplinæ caput illud esse & principium, quòd eę sint res pauperum, quorum Episcopus provisor, parens & defensor est.

III. Vehementer iis irascebatur Chrysostomus, qui rebus pauperum, opibus Ecclesiæ parcebant, ut eas seponerent & reservarent, cum profundi potiùs illico oportuisset, nec alios concupisci aut parari thesauros, quàm eorum benevolentię & pieta-

tatis, qui his donis conciliantur. Nec minore tamen prudentia vult Chrysostomus esse dispensatores rerum Ecclesiæ, quàm munificentia; quo ita largiantur, ut quod largiantur, semper supersit. Verùm aam Sanctus Pater interpretatur boni dispensatoris prudentiam, quæ non tam rebur parcit, & largitionibus moderatur, quàm quæ piis prestigiis divites circumveoit, ut sine fine & sine modo dent. *Magna igitur provisione opus est, ut Ecclesia facultates neque redundent, neque rursus desint. Sed qua Ecclesia erogantur, continuò indigentibus sunt dispartienda; caterum in subditorum animis ac benevolentia Ecclesia thesauri sunt collocandi, &c. Perfectum ipsum largitorem decet esse circumspectum ac prudentem, ut eos, qui bonis abundant, animet ad certatim etiam atque bilariter bona sua eroganda. De Sacerd. L.3. c.16.*

IV. Quo Laicos magis acueret Sanctus Pater, ut si minùs imperare sibi possent, ut quasdam fundorum & terrarum facerent erogationes, saltem proventus annuos conferrent, vel tertiam, quartamve, saltem denique decimam eorum partem: exemplum Ecclesiæ Antiochenæ iogerebat, quæ tria virginum, aut viduarum millia alebat, catalogo inscriptarum Ecclesiæ, & ingenti præterea numero captivos, hospites, peregrinos, mendicantes, Clericos, quibus alimenta & vestes suppeditabat. *Cogita tecum, quot viduis, quot virginibus quotidie succurrat. Jam enim numerus earum in Catalogo prascriptus ad tria millia pervenit. Et praterea multis, qui carcere habitant, auxiliatur; multis in Xenodochio laborantibus, multis advenis, multis leprosis, omnibus, qui altari assistunt, cibaria & indumenta prabet, multis etiam, qui quotidie ad petendum accedunt. In Matth. hom.7.* Ubi observa, Chrysostomum non Clericos tantùm & cæteros Benaficiarios eidem classi inscribere, atquo reliquos pauperes: sed & diserte profiteri, non eis ab Ecclesia suppeditari, nisi quibus nutriri & vestiri possint. Qui potuisset ille Laicos incendere exemplo Beneficiariorum, eosque pellicere, ut non ex parte tantùm, sed omnes omnino proventus suos largirentur, atque adeo fundos pauperibus: si tam infanda opum siti Clerici ingentes earum acervos accumulassent ex Ecclesiasticis suis proventibus?

V. Alibi rursus idem Chrysostomus negat tergiversari posse Laicos, & eo prætextu subducere se hospitibus excipiendis, quòd eos exciperet Ecclesia, quæ inde nomen nacta erat, & urnon dicebatur. Cum enim una omnibus par non sit Ecclesia, æquum esse, ut fidelis quisque Xenodochiolum sibi domi extruat, quæ Dei mansio sit & hospitium Christi. *Faciat sibi quisque Xenodochium in domo, &c. Habe domum, in qua veniat Christus, dic, Hac cellula Christi est, &c. Non ut ne gravetur Ecclesia, sed ut tu ne graveris, &c. In Acta. hom.45.*

VI. Opulentissimus quisque pauperes teste Chrysostomo ablegabat ad thesauros Ecclesiæ, tanquam ad communem eorum patrimonium. *Habet commune Ecclesiarum*, Nec negat rem ita esse Chrysostomus, sed illud contendit, aleemosynam præcipi, non tam ad temporalis pauperum, quàm ad æternæ divitum salutis procurationem. *Quid hoc ad te? Neque enim si ego dedero, tu salvus eris; neque si prabuerit Ecclesia, tu sua peccata delebis. An nescis, quod non tam propter pauperes de eleemosyna legem tulit Deus, quàm propter vos, qui prabent. In Epist. 1. ad Corint. hom.21.* Denique non inficiatur Chrysostomus ingentes esse divitias Ecclesiæ, sed onera graviora esse contendit: innumerabiles pene turbas eorum esse, quos alit, & quorum nomina Matriculæ ioscripta sunt: denique præsto se & paratum esse ad rationes coram faciendas, & ad demonstrandum, multò plura expendi, quàm recipi. *Ne hoc proferamus prætextu, quòd Ecclesia multa possideat. Quando ejus facultatum videris magnitudinem, cogita etiam inscriptorum pauperum greges, agrotantium multitudinem, innumerabilium expensarum occasionem: Sumus etiam parati vobis reddere rationem. Quando reddiderimus rationem, & ostenderimus sumptus non esse minores proventibus, sed aliquando etiam majores, &c.*

VII. Arianorum io fideles Alexandrinos immanitatem & persecutiones, ubi explanat Athanasius, pauperes viduasque ab illis electos memorat locis iis abditis, quò eos Clerici subduxerant in tutum, cum eos Ariani Ecclesiis ejecissent, hasque ipsi invasissent; illos denique affirmat eò insaniæ evasisse & furoris, ut oe à viris quidem quibusdam piis eos finerent sustentari. *Cum enim Ecclesiae Arianis Dux tradidisset, & in eis sedere jam non possent pauperes ac vidua, ac proinde in locis per Clericos, in quorum tutela essent vidua, assignatis versarentur, & in eos benignè à fratribus eleemosyna conferrentur, &c.* Vides pauperes, & maximè viduas tutelæ & curæ Diaconorum committi.

VIII. Piissimo zelo refertas & ardentes ad Cyrillum Alexaodrinum Episcopum dedit literas Isidorus Pelusiota, ut illum extimularet adversùs Eusebium Pelusii Episcopum, & adversùs Presbyterum Martinianum, qui eam Ecclesiam compilaverant, proventus abligurierant, oe minimam quidem eorum partem delibantibus saltem pauperibus, *Quod pauperum ipsis nulla cura fuerit, verùm Ecclesia opes diripuerint, atque in suas ambitiones sumpserint. L.2. Ep.127.* Cum fuco & simulatione probitatis Martinianus imposuisset & Presbyteratu initiatus esset, irrepserat postea in Oeconomi munus, pollicitusque quidquid sibi rei pagasset, id se Ecclesiæ legaturum, ea pietatis obumbratione scelestissimum dissimulaverat votum suum expilandæ Ecclesiæ. *Nam cum acerbam sibi ipsi visam esse duxisset, nisi pauperum etiam opes averteret, pollicitusque fuisset, se omnia ea, qua acquireret, Ecclesia relicturum: hujus spei illecebra eam adduxit, ut se quoque Oeconomum constitueret.* Infando nundinatori parum fuit res Ecclesiæ sacras divendere; & Ordinationes pretio addicere; ita denique rationes suas instruxit, ut in ære ejus esset Ecclesia, quam compilaverat; ratiocinitis bis subscripsit Episcopus, nullo præmisso examine, nullo teste aut arbitro adhibito, nimirum socius ipse & particeps sacrilegæ deprædationis. *Cum in latebris, nec communicatis cum quoquam rationibus subscripserit, perspicuum est eum non deceptum, aut circumscriptum fuisse, sed Ecclesiastica bona versutè labefactasse.* Alexandriam profectus est Martinianus, anto multo Episcopatum aliquem expugnaturus. Cyrillus certior factus ejus molitionum, ultra minas non sæviit. Simulatè recessit Martinianus, mox rediit, nec incœptis destitit. Urgere Isidorus Cyrillum, quò his malis efficaciùs mederetur, & infidelem Oecooomum Pelusium remitterat cum Episcopis quibusdam æqui amantibus, quibus ille rationes faceret administrationis soæ, rapinas restitueret, palam faceret, quantam in furti sui partem venisset Episcopus Pelusii. Negat autem dubitari à quoquam, quin exauthorandus sit Episcopus, tot prædatiooum conscius & consors, aut qui certè infidelis Oeconomi ratiociniis subscripsit. Denique si Episcopum indulgentiùs habere velit, at Oeconomum saltem alium subroget, fidum & intrepidum, qui posthac ejusmodi facinoribus obluctetur. *Aut si veniam ipsi imperties, procuratorem saltem, qui ipsi graviora, quàm quibus ignosci debeat, scelera perpetrare, minimè permittat, instituas.*

IX. Epistolæ ejus summa hæc capita memoranda hoc loco duxi, quòd ex iis illustria quædam emi-

emineant Disciplinæ veteris vestigia in rerum Ecclesiæ temporalium administratione. Commendabantur enim illæ ut hic vides Oeconomo, plerisque in Ecclesiis Presbytero, qui accepti & expensi rationes referebat Episcopo, adstantibus & aliis probis quibusdam viris. Hæc ratiocinia ad calculos vocabat, & examinabat Episcopus, & subscriptione sua rata faciebat. Sed in hac narratione illud splendidissimè emicat, quod hic qua maxima possumus diligentia stabilire connitimur, res Ecclesiæ omnes pauperum esse, Oeconomos Ecclesiæ provisores esse pauperum; pauperes fraudari, si quid Episcopi, si quid Presbyteri sibi privatim seponant, præter necessariam sustentationem; si quibus familiaris rei nihil erat, ii postea ditescant ex Ecclesiæ proventibus, ea esse damnabilia furta. *Unde enim ei tanta opes, qui extrema paupertate laboravit, atque ab Ecclesia facultatibus divitius sibi comparavit, haud quaquam dubium est.* Liqoet ex his denique, si vel ignavia sua Episcopus, vel sceleris conscientia, sineret res Ecclesiæ aliò derivari, aut expilari. Metropolitani partes tum fuisse, ut ei malo medicaretur, vel exauthorato Episcopo, vel addito ei incorruptæ fidei dispensatore rerum Ecclesiæ, qui ejusmodi posthac rapinis & corruptelis intrepidè intercederet.

X. Erat & Maton ejusdem Ecclesiæ Præsbyter, qui & ipse ejusmodi prædationibus rerum Ecclesię locupletatus fuerat. Dedit & ad illum literas idem Isidoros eodem igne charitatis inflammatas, quibus illum admonebat; execrandæ esse avaritiæ, quod domum in suam converteret, sibique uni vindicaret, quæ pauperum erant in commune bona, cum Apostolorum contra olim discipuli domos suas divenderent, pretiumque congererent ad pedes Apostolorum, ut pauperes quique hinc alerentur; Oeconomi nomine donatum eum fuisse, ut quod pauperum erat, pauperibus dispensaret; nec enim controversiam, à quoque duci posse, quin bona Ecclesiæ bona sint pauperum. *Olim discipuli venditas facultates ad Ecclesiam pauperum causa deferebant: at tu contrà omnino faciens, Ecclesia ac pauperum bona domi tua impiè ac nefariè colligis. Hunc igitur impietati finem impone. Oeconomus enim hic dictus est, quòd pauperibus quæ ipsorum sunt tribuat. Propria autem ipsorum meritò sunt Ecclesiastica bona. L.1. Ep.260.* Erat & Zosimus Presbyteris avaritiæ mancipatis, sibi accumulantibus, quæ pauperibus subtrahebant, Unde ad illum Isidorus: *L.2. Ep.44. Quin tu saltem pauperum bona rapiens erubescis;* Alibi verò, *L.5. Epist.210.*; piaculare flagitium esse demonstrat, lascivire & epulari iis opibus, quas viri pii ad levamenta pauperum contulerunt. *Dum quæ à piis hominibus in alimoniam pauperum sunt relicta, in assumendo tuum ea epulum consiris.* Enimvero si dives epulo in damnationis baratrum præceps datus fuerat, quòd bonis suis pauperes non impertisset; quid non pœnarum ei ingerendum, qui pauperes suis ipsorum bonis expoliat? *Qui quæ sunt pauperum, sibi per nefas usurpat, ecquid patietur?*

XI. Docuit nos denique summum eremi decus Isidorus, quàm sequerentur formam & rationem præstantissimi Episcopi in eleemosynis ipsi dispensandis; vel in fidelibus ad religiosam hanc dispensationem instituendis. Si qui enim consilium iniret rei alicujus Deo dedicandæ, & Ecclesiis, atque interim Episcopum consuleret: tum verò Episcopum hortari solitum, ut in pauperes potiùs expenderet. Sed si res jam Ecclesiæ oblata fuisset, ab eo proposito non recedendum, nec ab Ecclesia oblationem respuendam, ne quid hinc offensionis emergeret. *Atque ad hunc modum faciunt nunc probatissimi Sacerdotes. Nam si quis dicat, consecrare atque appendere aliquid volo, id eum pauperibus dare jubent. Sin autem id jam ipse fecerit, non modò eum non increpant, verùm etiam blandè ac leniter admittunt. Non quod hoc illo melius ac præstantius esse ducant, non enim propterea Christus venit, ut Ecclesiam auro & argento impleat; sed ne eum, qui hoc denarium obtulit, animi anxietate afficiant. L.2. Ep.88.*

XII. Quàm sibi persuasum esset res Ecclesiæ omnes pauperum esse, satis superque declarabat Beatus Epiphanius, ubi irasci sibi & stomachari Oeconomos suos malebat, ob effusiores erogationes suas, quàm suam eorumque parcimoniam Deo displicere. Hæc narrat Socrates, qui & illud non tacet, tantas Ecclesiæ opes non aliis ex fontibus abundasse, quàm ex largitionibus fidelium, qui ut peccata sua eleemosynis redimerent, quæ ipsi in pauperes eroganda statuerant, ea Presbyteris & Oeconomis Ecclesiæ consignabant. *Nam cum largus esset in pauperes, & in eos, qui naufragiis, vel aliis infortuniis afflicti erant, postquam jam olim suas ipsius facultates insumpserat, exigente necessitate etiam pecunias Ecclesiæ erogabat. Fuerant hæ sanè multa. Undique enim multi, quibus opes suas in pios usus convertere decretum fuerat, & viventes illius Ecclesiæ tradiderunt, & morientes reliquerunt. Considerabant enim, quod ille, qui & rerum dispensator & Numinis divini cultor bonus esset, munera, quæ contulerant, ex ipsorum sententia distributurus esset. Ajunt igitur quodam tempore paucis admodum reliquis pecuniis, Ecclesię dispensatorem indignatum fuisse, & quasi nimis profusum reprehendisse; sed illum ne sic quidem abstinuisse à munificentia sua erga egenos declaranda. L.2. c.26.*

Hic verò advertimus 1. non proventuum tantùm Ecclesiæ curam & administrationem subiisse Oeconomos, sed & concreditas eis plerumque fuisse eleemosynas singulorum fidelium, illorum fidei incorruptæ facilè incumbentium, quos Ecclesia ipsa dispensatores elegisset; nec nescientium eis vel maximè exploratas esse pauperum necessitates, quàm celerrimè relevandas. 2. Cœpisse Epiphanium sua omnia primùm pauperibus elargiri, & tum pari largitate Ecclesiæ proventus in eosdem erogasse. A` quo procul sunt certissimè, qui ut patrimonio parcant, rebus Ecclesiæ interim vesci se gaudent. 3. Exhorruisse Epiphanium carnalem Oeconomi sui prudentiam, in futuras necessitates aliqua coacervantis, quasi diffideret ejus vel omnipotentiæ, vel bonitati, qui aviculas nihil sollicitas nisi suorum concentuum copiosè pascit, & lilia vestit murice, cui nec Salomonis purpura certare potuisset.

XIII. Perinsigni victoria Romani de Persis reportata, septem millia captivorum vinculis & carceribus constrinxerant. Acacius Amidæ Episcopus, rescito eos non libertatis tantum amissæ tædio, sed & fame cruciari, Cleri sui consensionem elicuit, ut aurea & argentea Ecclesiæ suæ vasa conflaret, ut captivos hos omnes vinculis & fami eximeret. Ita libertati restitutos, commeatu & pecunia donavit, ut in Persidem se reciperent quamproperè possent. Confessus est Rex Persarum nobilius & gloriosius se Romanorum Beneficiis, quàm armis superatum fuisse. *Res ab Acacio gesta; Regi Persarum maximam creavit admirationem; quod Romani his rebus utrisque, & bello, & beneficiis hostes vincere laborabant. Socrat. l.7. c.21.* Voluit Persarum Rex conspectu frui Præsulis, cujus victoria tantò præclarior & memorabilior erat, quòd & victis ipsis profuisset.

XIV. Narrat Sozomenus à Cyrillo Hierosolymitano Episcopo divenditos fuisse thesauros, atque sacros ornatus Ecclesiæ suæ, quò plebi adesset, annonæ penuria & fame laboranti & Episcopi

ma-

maximè sui præsidio effuefectæ calamitates plerasque suas propulsare. *Multitudo rebus ad victum necessariis destituta, ad Cyrillum, utpote Episcopum, opis implorandæ causa confugit. Cui enim pecuniæ ad eam sublevandam non suppeterent, thesaurum Ecclesiæ & sacra aulæa vendidit. L.4. c.24.*

XV. Atticum Episcopum Constantinopolitanum tantæ in pauperes largitatis fuisse narrat Socrates, ut ad finitimas Civitates grandem persæpè pecuniam mitteret ad pauperes recreandos. Cum ad Calliopum Ecclesiæ Nicænæ Presbyterum aureos solidos mitteret trecentos, quos in pauperes erogaret, misit & saluberrima monita ad eleemosynas opportunè & cautè dispertiendas. Monuit enim illis ut daret, non quibus mendicitas ipsa ars, lucrum, & quæstus est, qui otiosi languent & pinguescunt; sed quos pudor quidam ingenuus mendicare prohibet, *Velis autem in eos conferre, non qui ventris causa quasi mercaturam per totum vitæ tempus mendicando exercent; sed qui mendicare erubescant. L.7.c.25.* Monet rursus ut universis indiscriminatim opituletur, nec sectarum discrepantia deterreatur; cum ea stipe dignus sit, quisquis homo, quisquis egenus est. Hæc prætermittere non potui, quibus pulcherrimè declaratur infinita quædam vis, & amplitudo charitatis Episcopalis, quæ non cohibet se, quin miseris & egenis quibusque, unde unde toto ex orbe affluentibus, vel utcumque notis sinum pandat pietatis & beneficientiæ suæ.

XVI. Flavianus Patriarche Constantinopolitanus, urgente Chrysaphio, qui gratiæ & authoritatis palmam obtinebat apud Theodosium Imperatorem Juniorem, ut aliquid muneris Principi offerret, post suam in tantum Ecclesiæ fastigium provectionem; panes ad illum puros misit, velut Eulogias pias, & admonuit eum, aurum non esse Ecclesiæ præter vasa sacra, quæ Dei & pauperum essent. *Ecclesia sacra vasa Deo & pauperibus esse consecrata. Niceph. L.14. c.47.*

XVII. Agimus alibi de distributo omnibus Ecclesiis frumento per omnes Imperii Civitates, dono Constantini Imperatoris, ad Cleri & pauperum alimenta. A' Juliano Apostata revocatum id donum Jovianus ejus successor tertia ex parte restituit tum quidem, totum restituturus, si vel tum per Imperii incredibiles calamitates licuisset, vel postea per vitæ brevitatem. Id donum annuum confirmavit postea Marcianus Imperator, ne victu necessario pauperes destituerentur. Quo ex Edicto id quoque liquet, pauperum esse, quæcumque Ecclesiæ conferuntur. *Et quia humanitatis nostræ est egenis prospicere, & dare operam, ut pauperibus alimenta non desint: Salaria etiam quæ sacrosanctis Ecclesiis in diversis speciebus de publico hactenus ministrata sunt, jubemus nunc quoque inconcussa, & à nullo prorsus immutata præstari, liberalitatique huic promptissima perpetuam tribuimus firmitatem. Cod. l.1. Tit.2. leg.12.*

XVIII. In Actis sanctissimè pœnitentis Pelagiæ illud memorabile occurrit; ubi se mundo, auro, omnibus denique rebus suis spoliavit, Episcopum Nonnum id quidem accepisse depositum, at decernere nihil prorsus inde voluisse, quod sibi privatim, vel Ecclesiæ suæ cederet; sed omnia profusè jussisse in pauperes profundi. *Qui statim vocavit Custodem Ecclesiæ seniorem, & ipsa præsente omnem substantiam ejus in manus illius tradidit dicens. Adjuro te per inseparabilem Trinitatem, ut quid hinc vel in Episcopium, vel in Ecclesiam inquietatur, sed magis viduis & orphanis & pauperibus erogetur; ut quod malè acquisitum est, benè custodiatur, & divitiæ peccatricis fiant thesauri justitiæ. Apud Rosweidum. pag.370.* Centum argenti pondo cum accepisset B. Martinus à viro nobili, quem miris & prodigiosis quibusdam beneficiis affecerat; quanquam inculcarent aliqui Monachos ipsius proprios necessaria & veste & esca frequenter carere; propositi sui tamen retinentissimus, præcepit eam omnem pecuniam redimendis dependi captivis, ne teruncio quidem suis Monachis deciso, quibus ut & sibi unam reservatam volebat absolutissimæ abdicationis laudem. *Nos, inquit, Ecclesia & pascat, & vestiat, dummodò nihil nostris usibus quæsisse videamur. Sev. Sulpit. Dial.3.*

CAPUT XXVIII. *P.1. l.4. c.7.*

Beneficiarii & Episcopi ipsi, nec domini, nec possessores sunt propriè, sed dispensatores omnium Ecclesiæ bonorum. Probationes ex quinque prioribus Ecclesiæ sæculis.

I. Probationes ex Augustino, cui non placet, ut quibus sunt res propriæ, ii res Ecclesiæ delibent, pauperibus addictas.

II. Ingemiscebat sanctissimus Præsul, sarcina gravatus rerum Ecclesiæ, quarum administrator erat.

III. Laici plerique apud Clericos deponebant, ex Hieronymo, quas pauperibus erogari vellent eleemosynas.

IV. Eo probro & convitio verberabat Briccium Beatus Martinus, quod in Clericatu divitias cumularet.

V. VI. Clarè & perspicuè ex Juliano Pomerio, ut non sint Episcopi, nisi dispensatores.

VII. VIII. Quæ semel Deo consecrata fuere bona, uti & vasa sacra, jam non possunt ad profanos sine ingenti piaculo revocare usus.

IX. Ex Concilio Carthaginensi.

X. Ex Ambrosio.

XI. Ex Patribus Græcis.

XII. Privatorum eleemosynæ apud Episcopos deponebantur.

I. ETsi abundè patefactum sit, ex Capitibus superioribus, & Episcopos & quoscumque demum Beneficiarios, patrimonii pauperum Christique meros esse dispensatores, & administros, non propriè possessores, non dominos; operæ tamen pretium duximus paulò operosius eam rem hic elucidari, ex qua videlicet tota & religata pendet, tota in his Ecclesiæ disciplina morumque norma. Ab Augustino jam accepimus, si Clericis nullæ sint res propriæ, eorum esse res Ecclesiæ; non secus, quàm omnium sunt pauperum, quorum classi eos vel nascendi conditio adscripsit, vel professio. At si propriæ sint illis quantùm satis est res suæ, tum nihil ad eos pertinere res Ecclesiæ, sed ad pauperes; quarum non sint ipsi quidem nisi dispensatores; proprietatem vendicare sibi non possint, nisi damnabili usurpatione. Ipsissima hæc sunt Augustini verba. *Epist.50. Quæ tamen si pauperum compauperes sumus, & nostra sunt, & illorum. Si autem privatim quæ nobis sufficiant, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vendicamus.*

II. Quibus non erant oculi nisi carnales, & carnalibus affectibus referta mens: illi Episcopos suspiciebant, velut dominos ingentium Ecclesiæ prædiorum, videbant, & invidebant. At Episcopi ipsi, Apostolico imbuti cœlitus spiritu, procuratores dumtaxat sibi videbantur esse alienæ quodammodo rei,

rai; cujus administratione & sarcina optatissimum fuisset illis expediri se, nisi Pastorali sollicitudine & charitate, quàm necessaria & ineluctabilis, tam dulcis ei ipsis servitus fuisset. Audiendus hic Augustinus, animi sui sensus & intima pandens penetralia. *Epist. 225. Vix vigesima particula rei meæ paternæ existimari potest, in comparatione prædiorum Ecclesiæ, quæ nunc ut dominus existimor possidere, &c. Nos rebus Ecclesiæ dominari existimamur, nos opibus frui, &c. Deus testis est istam omnem rerum Ecclesiasticarum procurationem, quarum credimur amare dominatum, propter servitutem, quam debeo charitati fratrum & timori Dei, tolerare me, non amare; ita ut ea, si salvo officio possim, carere desiderarem.*

III. Id quoque ex Hieronymo hausimus, Clericis commendatum esse, quod Laicis seposuissent, ad pauperes levandos, ad seipsos peccatis exonerandos. Ideo rei commendatæ non dominos, sed dispensatores esse Clericos; denique dispensatori eam esse legem inexorabilem præfixam, ut summa fide dispenset creditas sibi pecunias, sibi nihil reservet. En rursus ejus verba. *Ad Nepot. de vita Cler. Accepisse quod pauperibus erogandum sit, & esurientibus plurimis, vel cautum esse velle, vel timidum, aut quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat. Ego fame torqueor, & tu judicas quantum ventri meo satis sit! Aut divide statim quod acceperis; aut si timidus dispensator es, dimitte largitorem, ut sua ipse distribuat. Nolo sub occasione mea sacculus tuus plenus sit. Nemo me melius mea servare potest. Optimus dispensator est, qui nihil sibi reservat.* Ex his planum est Laicorum eleemosynas Clericis constantissimè concreditas fuisse, ut eas erogarent; at hos eum inficiari non possent, inanes in prætextus declinasse, & multa recondidisse, quasi in futuras pauperum necessitates, cum præsentibus potiùs fuisset succurrendum. Quorsum enim torqueri nunc fame finas, cui in posterum opem feras?

IV. Non tacuit Severus Sulpitius, quibus verbis castigaret B. Martinus Bricium, opes sibi accumulantem, equos, servosque comparantem, cum ante Clericatum inops prorsus, & in Cœnobio à Martino ipso enutritus fuisset. *Objurgatus pridie ab eo fuerat, cur qui nihil unquam ante Clericatum, quippe in Monasterio ab ipso Martino enutritus, habuisset, equos aleret, mancipia compararet. Dialog. 3.*

V. Docuit & Julianus Pomerius, qui res suas vel abdicarint, vel pauperibus distribuerint, posse eos posteà dispensatores fieri rerum Ecclesiæ, nullo carnalium cupiditatum contagio afflatos, ut quas ea renuntiatione prorsus conculcaverint. *Quisquis, omnibus, quæ habuit, dimissis aut venditis, fit rei suæ contemptor, cum præpositus fuerit factus Ecclesiæ, omnium, quæ habet Ecclesia, efficitur dispensator.* Subdit verò Paulinum, Hilarium, & non paucos alios hac terrenorum omnium despicientia spectatissimos viros res Ecclesiæ postea possedisse, tanquam non possiderent; ut procuratores, non ut dominos. *Non ut possessores, sed ut procuratores facultates Ecclesiæ possidebant.* Sacri quippe depositi custodes sibi videbantur, qua cura absolvi se gestiebant. *Non eas vendicaverunt in usus suos, ut proprias, sed ut commendatas pauperibus diviserunt.* Omnium sibi pauperum provisores visi sunt, tam suæ immemores utilitatis, quàm alienæ studiosissimi. *Hoc est enim possidendo contemnere, non sibi, sed aliis possidere: nec habendi cupiditate Ecclesiæ facultates ambire, sed eas pietate subveniendi suscipere. De vita Contempl. L. 2. c. 9.*

VI. Nec ambigit pius hic Scriptor, quin verè deposita hæc sint publica Episcopis credita, & quidem meritissimo, quippe qui cum sua aut reliquerint, aut distraxerint, & pauperibus erogarint, & pauperum se collegio adgregarint castissimo paupertatis Christi consectandæ amore, facillimè intelligantur hæc in egenos largissimè dispensaturi, nec sibi, nisi quantum egenis satis est, servaturi. *Itaque Sacerdos, cui dispensationis cura commissa est non solum sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis accipit populo dispensanda, & fideliter dispensat accepta, qui omnia sua aut parentibus reliquit, aut pauperibus distribuit, aut Ecclesiæ rebus adjunxit, & se in numero pauperum paupertatis amore constituit; ita ut unde pauperibus subministret, inde & ipse tanquam pauper voluntarius vivat. Ibidem c. 11.*

VII. Sed quod invictius rei, quam urgemus argumentum, quàm quod idem Pomerius subjicit, res quascumque Deo semel oblatas, jam res Dei, portionem Dei esse, patrimonium Christi esse, quod non aliæ citra sacrilegium contrectare possint manus quam charitatis, liberalitatis, temperantiæ, frugalitatis. Nec ea dona Deo semel oblata, augusta minus, aut sacrosancta sunt, quam sacra vasa altarium; nec minus impia & sacrilegè in profanos usus vocabuntur; quid si avaritiæ, aut infamis quibuscumque servire cogantur cupiditatibus? *Nunc autem quod Christiani temporis Sacerdotes magis sustinent, quàm curant possessiones Ecclesiæ, etiam in hoc Deo serviunt; quia si Dei sunt ea, quæ conferuntur Ecclesiæ, Dei opus agit, qui res Deo consecratas, non alicujus cupiditatis, sed fidelissimæ dispensationis intentione non deserit. Quapropter possessiones, quas oblatas à populo susceperunt Sacerdotes, non sunt inter res mundi deputari credenda, sed Dei. Quoniam si vestes ac vasa, & cætera, quæ in sacro usu ministrantibus erant, sancta vocabuntur nec in usus humanos revocari jam poterant, divinis semel ministeriis consecrata: quomodo non ea, quæ conferuntur Ecclesiæ, sacra credenda sunt, quibus non ut sæculi rebus luxuriose, sed sanctè ut Deo consecratis utuntur ad necessaria Sacerdotes. Ibidem c. 16.*

VIII. Quàm pie hæc, tam & constanter dicuntur quæ Ecclesiis data & erogata sunt omnia, ea Deo jam tum dicata, & sacra fuisse; tam sacrosancta & incontaminata proinde ea deinceps fuisse quam vasa sacra, quam altaria, quam hostias ipsas Deo oblatas, nec ea jam contrectari posse nisi ab iis, qui se non dominos, non possessores, sed custodes & administratores profiteantur; non iis denique jam quemquam nisi ut rebus sacris abuti posse, ad pauperum ad Templi ministrorum necessitates, non ad pompam, non ad delicias.

IX. Hæc uno Canone luculentissimè complexi sunt Patres Carthaginensis Concilii IV. jusso Episcopo res Ecclesiæ tractare, ut apud se depositas, ut charitati suæ commendatas, non ut proprias, non ut avaritiæ profana quædam irritamenta. *Ut Episcopus rebus Ecclesiæ tanquam commendatis non tanquam propriis utatur. Epist. 31.*

X. Cum instaretur Ambrosio, ut Imperatori, vel Imperatrici potius Ecclesia permitteretur, Arianorum Conventibus annuenda; Episcopali constantia, & infracta fortitudine responsum ab eo est, si qui sibi fundi, vel agri residui essent, eos se non posse Imperatori recusare; at rerum Ecclesiæ se custodem dumtaxat, & procuratorem esse; ideoque nec ab Imperatore eas invadi, nec à se tradi posse, cum penes Deum unum illarum omnium proprietas, & dominium, jusque sit. *Respondi, si à me peteret, quod meum esset, id est, fundum meum, argentum meum, jus hujusmodi meum me non refragaturum, quanquam omnia quæ mea sunt, essent pauperum. Verum ea quæ divina, Imperatoriæ potestati non esse subjecta. Epist. 33.*

XI. Non potuit autem non & Græcis Patribus ap-

approbari doctrina, quam tanta Latinorum consensio tueretur. Illacrymatur Isidorus Pelusiota sui ævi fæcibus, & collapsæ disciplinæ, cum præsules deliciis, opibus, honoribus inhiarent; nec jam sibi dispensatiooem rerum Ecclesiæ creditam esse, sed proprietatem & dominationem jactareot: cum nuper Chrysostomus, Nazianzenus, aliique Episcoporum, & Ecclesiæ Patrum priocipes, vel speciem & umbram hujus domioationis summa conteotione effugerent, paupertatis studium præ se ferrent; non alios magis, quam jejunii & secessûs delicias degustarent. *Tunc virtute præditi sacerdotio admovebantur, nunc avari & pecuniæ cupidi. Tunc imperia dignitatesque ob rei magnitudinem defugiebant, ut Nazianzenus, Chrysostomus, & alii; nunc vero sponte assumunt ob delitiarum copiam, atque invadant. Tunc voluntaria paupertate gloriabantur, nunc habendi cupiditate spontanea quæstum faciunt. Residisse jam sacerdotii dignitatem ad regnandi cupiditatem apparet, ab humilitate ad superbiam, à jejunio ad delitias prolapsam; à dispensatione dominatus ad dominium venisse. Non enim ut dispensatores administrare rem volunt, sed ut domini, sibi propria vendicant. L.5. Ep.21.*

XII. Narrat Theodoretus ingens illud & admirandum Eremi columen Zenonem, cum patrimonia sua distrahi jussisset, & pauperibus ipsemet ea ex parte non mediocri distribuisset; jamque sentiret piæ largitatis suæ cursum morte interceptum iri Episcupum loci invitasse, & in ejus manus deposuisse; quidquid sibi eleemosynarum supererat erogandum, quod omnium in commune pauperum provisor sit Episcopus, & procurator. *Adesdum, inquit, ô venerandum mihi caput, esto istarum quoque pecuniarum optimus dispensator, eas juxta Dei voluntatem distribuens, tanquam ipsi judici rationem redditurus. Harum te de dispensatorem instituo, quo & Pontifex es, & Pontificatu dignam vitam agit. Pecunias ergo velut divina quæstori tradidit, &c. Hist. Relig. c.13.*

CAPUT XXIX. *P.2. l.4. c.5.*

Res Ecclesiæ omnes patrimonia esse pauperum, quorum non sint Clerici & Beneficiarii quique nisi dispensatores. Probationes ex Ecclesiæ Latinæ monumentis, ab anno Christi quingentesimo ad septingentesimum.

I. II. III. IV. Argumenta ex Conciliis Ecclesiæ Gallicanæ, qua res Ecclesiæ omnes addicenat alendis Clericis & pauperibus, redimendis captivis, instaurandis templis. Ad id excubat in Episcopos provinciæ Concilium Provinciale, quod nonnunquam coit ad consultandum super pauperum necessitatibus; præcipit, ut singulis urbibus, Parochis, Laicis proprios alat pauperes. Quibus ita integra sunt pauperibus vires corporis, ut manibus operari possint, nefas est eleemosynis eos sustentari.

V. VI. VII. VIII. Probationes ex Gregorio Turonensi. Summam ille pecunia confert, ad familiam recreandam, & sopiendam litem. Alias Episcopus mutuam sumit pecuniam, quam civibus suis mutuam det, quo negotientur, & victitent.

IX. Anno vertente jubet B. Aureliani Regula Monachos Pauperibus erogare, quidquid reditaum, vel annona superat.

X. De Hispania & Germania.

XI. XII. Miranda B. Audoeni & S. Cæsarii exempla.

XIII. XIV. XV. Gregorii Magni stupenda largitiones. Multiplex & perillustre specimen ejus in omnes charitatis.

XVI. Toto orbe diffusum Ecclesiæ Romana patrimonium, idem ipsum erat quasi publicum ærarium universi orbis pauperum.

XVII. XVIII. Largitionum ejus mirabilia documenta alia. Quàm arderet, ut eadem charitatis viscera reliquis Episcopis impartiretur.

XIX. Plerumque administrandis pauperum rebus præficiebantur Diaconi.

XX. Diaconia *ea dicebatur. Ex publico penu aliqua conferebantur.*

XXI. De fœminis, quæ Matriculæ *dicebantur.*

XXII. XXIII. Erant ejusmodi charitatis hospitia, ubicumque porrigebatur Ecclesiæ Romanæ patrimonium, Quàm prisca sit ea vox Diaconia.

XXIV. Per sese Episcopi res Ecclesiæ non attingebant, uti nec Apostoli.

XXV. XXVI. De Oeconomis & Vicedominis. Quo illi differebant.

I. CAput illud est, & principium, ex quo religata pendet universa de distribuendis, utendisque Ecclesiæ rebus, sive proventibus doctrina, res Ecclesiæ qualescumque patrimonia esse pauperum, quorum penes ipsos dominium & proprietas sit, penes Beneficiarios administratio; io idque consentire Concilia & omnium ætatum Scriptores antiquos orthodoxos. Concilii Agathensis Patres uno verbo rem conficiunt; qui res Ecclesiæ legatas retinent & suffurantur, eos pauperum homicidas esse. *Velut necatores pauperum. Can.4.* Concilio Aurelianensi I. jubentur Episcopi proventus Ecclesiæ suæ omnes expeodere io fabricas Ecclesiarum, io Clericos & pauperes alendos, in redimendos captivos; si officio tam religioso & tam necessario desint, à Provinciæ Concilio graviter objurgandos, tum verò semotum ipsosmet iri à reliquorum Episcoporum communione & charitate. *Justissimum definimus, ut in reparationibus Ecclesiarum, alimoniis Sacerdotum & pauperum, vel redemptionibus captivorum, quidquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit, expendatur; & Clerici ad adjutorium Ecclesiastici operis constringantur. Quod si aliquis Sacerdotum ad hanc curam minùs sollicitus ac devotus extiterit, publicè à comprovincialibus Episcopis confundatur. Quod si nec sub tali se confusione correxerit, donec emendet errorem, communione fratrum habeatur indignus. Can.5.*

II. Cooociliorum ergo id muoeris erat Provincialium, ut gnaviter expenderent, qua Episcopi fide, qua charitate expendissent ipsi Ecclesiæ suæ proventus. Ab eodem Concilio id oneris imponitur Episcopis, ut debiles ut ægros in se recipiant alendos omnes, & quicumque labore manuum vitam tolerare non possunt. *Episcopus pauperibus vel infirmis, qui debilitate faciente non possunt suis manibus laborare, victum & vestitum, in quantum possibilitas habuerit, largiatur. Can.16.* Ubi palam fit, flagitiosum id esse, si qui viribus pollent pauperes, ii invalidorum stipendiis alantur. In Concilio V. Aurelianensi verba ipsa usurpantur Concilii Agathensis, qui res Ecclesiæ datas retinent, eos pauperum interfectores haberi debere. *Tanquam necator pauperum.* Edicitur ibidem, ut fidum instituat Episcopus ministrum, cui vinctorum in custodiis publieis cura mandetur. *Atque à Pontifice instituta fideli & diligenti persona, quæ necessaria provideat, competens eis victus de domo Ecclesiæ tribuatur. Can.13. 16.* Sed leprosi hic tanto diligentius Episcopis commendantur, quantò alieniores erant plerumque fideles ab eorum cura. *De domo Eccle-*

sia

sta juxta possibilitatem victui & vestitui necessaria subministret unusquisque Episcoporum. Can.20. Quod & in Concilio Lugdunensi III. innovatum est. Can.21. 6.

III. Charitati & munificentię Episcopali non alios hæc Concilia limites delineavere, quàm eorum potestati & reditibus. At ubi demum à Concilio Turonensi II. animadversum est, Episcopales reditus omnes pares non esse sustentandæ pauperum multitudini vastissimę quandoque Diœceseos, præceptum ibidem, atque statutum est, ut suos pauperes alerent Parochi, urbes, cives. *Ut unaquaque civitas pauperes & egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundùm vires; ut tam vicani Presbyteri, quàm cives omnes suum pauperem pascant; quo fiet, ut ipsi pauperes per civitates alias non vagentur.* Can.5.

IV. Non coaluit Concilium Valentinum II. nisi ut necessitatibus pauperum prospiceret. *Cum nostra mediocritas pro diversis pauperum querimoniis convenisset.* Mox ubi confirmatione sua munivit donationes Guntranni Regis, Reginæ ejus conjugis & natarum, anathema dixit in eos, qui compilando pauperum patrimonio, eos necarent. *Veluti necator pauperum anathemate plectatur*. Can.10. Nec ab his verbis recessit Concilium Remense, vel sententiis; hoc etiam addito, eò vendi, aut alienari non posse res Ecclesię, quod patrimonia sint pauperum. *Neque per quoscumque contractus, unde pauperes vivunt, alienare præsumat.* Denique eo Concilio non permissi sunt Episcopi sacra vasa frangere, nisi redimendis captivis. *Excepto si ardua evenerit necessitas pro redemptione captivorum.* Cap.22.

V. Agens de furto Gregorius Turonensis in Ecclesia perpetrato, direptum fuisse air penu pauperum. *Res pauperum, quæ ibidem fuerant adgregatæ diripiunt*. L.3. c.12. Ubi nonnisi forsan de depositis pauperum verba facit. Alibi verò, L.6. c.20., de Crodinn differit, miræ opulentiæ viro, mirabilioris in Ecclesias munificentię. Delectabatur enim ędibus magnificentioribus extruendis, decorandis, ornandis, locupletandis ingenti quadam terrarum & vinearum addita dote, ut in eas tum, qui re tenui essent, invitaret Episcopos, tanquam secum pransuros, reapse verò iisdem ædibus & tota dote donandos, quo pauperes ii, quos sustentasset inde Episcopus, aditum sibi ad ęterna cœli Palatia aperirent. *Sint hæc Ecclesiæ data, ut dum de his pauperes reficiuntur, mihi veniam obtineant apud Deum.* Docet & idem alibi pauperum nomina matriculę inscripta fuisse, ut qui suo modo & ordine Beneficiariis annumerarentur. *L.7. c.29. Nonnulli Matricularíorum, & aliorum pauperum*. Quæ verba Gregorio sunt prorsùs familiaria. *De Mirac. B. Mart. l.2. c.22. L.2. c.37.*

VI. Rursum alibi Gregorius idem narrat, ut civibus suis pacis se sequestrem & conciliatorem interponeret, post effrænam quandam furtorum & homicidiorum audaciam: utque ne vel ipsi homicidiorum authores neci dederentur, ingenti Ecclesiæ pecunia demeruerit, ac exarmaverit proximos eorum, qui interempti fuerant, vel quorum compilatæ res, ædesque fuerant: juramento constrictos, omnem à se injuriæ, vel damni memoriam bona fide obliteratum iri. *Ibid. L.7. c. ult.*

VII. Sed illud ex eodem vel maximè memorandum est, quod de Desiderio Virdunensi Episcopo narratur; qui cum acerbissimum dolorem caperet ex inopia quadam summa, qua urbis suæ cives conflictati languebant, quibus nec ipse satis succurrere posset, longis Theodorici Regis insectationibus fatigatus, & exhaustus: aliquando tandem mutua accepit à Theodeberto Rege septem millia solidorum aureorum, atque in cives dispensavit, ut negotiationis pristinas ruinas suas sarcirent, & aliquando restituerent, quod mutuassent. Cum ergo postea præsto esset Episcopus ad illam pecuniam Theodeberto Regi repræsentandam, magni & verè Regii animi Rex, cumulatissimè sibi factum fuisse satis declaravit, tum lætitia, tum gloria levatæ tantæ civium suorum miseriæ, & paupertatis. *Sufficit mihi, si dispensatione tua pauperes, qui opprimebantur inopia, per tuam suggestionem, vel per meam largitatem sunt relevati*. L.3. c.34.

VIII. Referuntur & alibi ab eodem Gregorio verba, sive Parochi, sive Abbatis Sancti Nazarii juxta Nannetas ad eos, qui oblationem quandam opulentissimi viri ibi appensam auferre machinabantur: *Dei res hæ sunt, & ad reficiendos pauperes Sancto Martyri sunt collata, ut famem pessimam patiantur, qui huic templo fideli devotione deserviunt. De Mirac. L.2. c.6. 5.* Unde & illud existit, nec Clericos ipsos obtrudere se debere ad capienda stipendia Ecclesiastica, nisi verè pauperes sint.

IX. Quod erat more receptissimum in omnibus Monasteriis, id Regula à se conscripta sancivit B. Aurelianus Arelatensis Episcopus, ut Monachis non modesto, & frugali, sed parcissimo & jejuno victu dempto, quæ superessent omnia annui proventus, ea vertente anno in pauperes erogarentur. *Si quid verò superfuit expensis aut usibus fratrum in auro, aut in vestibus, vel cellario Sanctus Abbas per manus Provisoris, aut per quamlibet fidelem personam pauperibus, peregrinis, aut captivis faciat dispensari. Regula. c.44.*

X. In Concilio Toletano IV. Hispaniarum Episcopi, primos quidem collocarunt Clericos, Monachosque in eorum censu, quos sportulis Ecclesię sustentari æquum est; at secundùm eos, omnes mox recensuerunt pauperes & ærumnosos, ne uno quidem excepto. Quin & Clericis ac Beneficiariis anteposuisse videri possunt eos, qui rebus suis Ecclesię collatis, egestate post inopina oppressi essent, ipsi, vel eorum liberi. *Si enim Clericis vel Monachis seu peregrinis, aut quamlibet necessitatem sustinentibus, pro solo Religionis intuitu, in usum res Ecclesiastica largiuntur: quanto magis his consulendum est, quibus retributio justa debetur*. Can.38.

XI. Otlondus Presbyter, à quo scriptis mandata est vita Beati Bonifacii Episcopi Moguntini, Apostolos primò confirmat, & Apostolicos viros prioribus sæculis, cum Ecclesiarum conditores, & parentes essent, possessiones illis & decimas assignasse, quòd ab illis postea in pauperes distribuerentur. Ex quibus ille post argumentatur, potuisse B. Bonifacium Cœnobio Fuldensi, in quo tumulari se voluit, conferre non mediocrem agrorum & decimarum copiam, qua proinde non possint posteriores Episcopi Monachos spoliare, cum penes hos non sit nisi administratio & dispensatio rerum pauperibus fovendis addictarum. *In Prologo*. Non hic ego austeriore lance examinabo antiquissimi hujus Scriptoris doctrinam; sed illud sanè ne trahi quidem potest in controversiam, decimas terrarum, & terras ipsas Ecclesiis, vel Cœnobiis concreditas fuisse, ut largitionum in pauperes inexhausti hi fontes quidam essent.

Beati Audoeni Archiepiscopi Rotomagensis vitæ Scriptor, quo addoceat, quàm piè & sanctè ab eo administrarentur res & proventus Ecclesiæ, ita illum oculis subjicit, quasi parentem, fundatorem, & provisorem longè plurimorum per Gallias Monasteriorum, in sua verò potissimum Diœcesi, præter Xenodochia complurcula, & charitati dicatas ædes, quas ille *matriculas* vocat. En ipsa ejus verba. *Ardebat summo studio Monasteria & loca sacra per omnes Franciæ Provincias construendi, maximè verò in propria Diœcesi, &c. Xenodochia quoque & ma-*

matriculas extruxit, annonam sufficientem illic habitantibus suppeditans. Surius die 24. August. c.16. Quin & illud audet hic Scriptor, etsi ut opinor, paulò exaggeratius, utriusque sexus Cœnobia ab Audoeno in Rotomagensi Diœcesi esse constructa non pauciora, quam olim essent in Ægypto superstite vel authore Beato Antonio. *Tantus ibi erat numerus Cœnobiorum diversi sexus, puta Monachorum & Monacharum, ut & multitudine & Religione Ægypti Monasteria, ab Antonio quondam instituta, aequare viderentur.* Et porro consentaneum, non fundata, non donata aliter ab Episcopis fuisse tum Monasteria, quàm ut illis & fundos & decimas adjicerent. Unde & præsidii aliquid accedit superiori Otloni doctrinæ.

XII. Nihilo parcior fuit Cæsarius, aut illiberalior, in explicanda Episcopali charitate, ubi aurum, argentumque à prædecessore suo reconditum dispersit in pauperes, ac demum aurea, argenteaque Ecclesiæ, sive vasa, sive ornamenta confregit & distraxit, ad redimendos captivos. *Donec omnes ab eo essent redempti eo argento, quod venerabilis Eonius antecessor ejus Ecclesiæ mensæ reliquerat, observans illud, quod Dominus in paropside intinxit panem, non in vase argenteo; Apostolisque præcepit, ne possiderent aurum, vel argentum, &c. Thuribulis, calicibus, patenis pro eorum redemptione datis, incussisque à cancellorum columnis ornamentis argenteis. Surius die 27. August. c.14.* Addit hujus vitæ Scriptor, eam esse verissimam, elegantissimamque ditandorum & decorandorum templorum rationem; permirum autem id esse, quod tot habeat Præsules sui hujus facinoris admiratores, imitatores tam paucos. *Ornavit igitur & defendit, non deformavit Ecclesiam, &c. Nos verò videmus quosdam laudare in sancto viro, quod ita fecerit, nec tamen ullo pacto velle imitari. Cap.16. 20.* Cum Rex Italiæ Theodoricus Cæsarium grandi cratere argenteo donasset, non eum ille in templum intulit, sed in redemptionem captivorum distraxit. Aliàs Cæsarius cum non esset ad manum quod daret, nec indonatum vellet abire pauperem; casula & alba illum sua donavit.

XIII. Vestes quotannis & pecuniam missitabat Symmachus Papa ad Episcopos in Africa & Sardinia exulantes. Unde Anastasius Bibliothecarius & Ado in Chronico. *Hic omni anno per Africam & Sardiniam Episcopis, qui in exilio erant retrusi, pecunias & vestes ministrabat.* Tam charitas, quàm potestas & providentia hujus Pontificis nullo circumscribebatur terrarum limite. In Concilio IV. Romano sub eodem Pontifice apertissimè declaratum est, pauperibus donare fideles, quidquid Ecclesiæ donarent, ad æternæ salutis suæ procurationem. *Ut quæ pro salute, vel requie animarum suarum unusquisque venerabili Ecclesiæ pauperum causa contulerit.* Si quid secus fiat, id sacrilegio non carere. *Iniquum est, & sacrilegii instar, &c.*

XIV. At inter Romanos ipsos Pontifices, non alius quisquam plura edidit, quam Gregorius Magnus, aut illustriora charitatis & munificentiæ Episcopalis documenta. Fidem facit Joannes Diaconus, censum & descriptionem eum fecisse omnium Ecclesiæ proventuum & fundorum, ut quater anno quolibet solemnes præstaret largitiones, non solùm Pontificii Palatii sui ministris, sed Clericis prorsus omnibus Monachis, Monialibus, Parochiis, & Xenodochiis. *Cunctorum patrimoniorum prædiorumque reditus adaravit, eorumque pensionibus in auro argentoque collatis, omnibus ordinibus Ecclesiasticis, vel Palatinis, Monasteriis, Ecclesiis, Cœmeteriis, Diaconiis, Xenodochiis urbanis, vel Suburbanis, quot solidi singulis, quater in anno distribuerentur. Pascha scilicet, Natali Apostolorum, natali Sancti Andreæ, natalitioque suo; per polypticum, quo hactenus erogatur indidit. L.2. c.24.*

XV. Singulis quoque annis ipso die Paschæ in publicum prodibat summo mane, ut omnes osculo pacis impertiretur, quo etiam tempore bene multis aureos largiebatur, quod ille idem ita describit. *Ad impertiendum pacis osculum residens, cunctis Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, aliisque axiomaticis aureos erogabat. Ibid. c.25.* Erat & cum peregrinis aureos & vestes donaret, nempe Apostolorum natali, & suo, hoc est, quo ipse die Pontifex ordinatus fuerat. *Natalitio Apostolorum vel suo, minutos solidos offerens, peregrinis nihilominus vestimenta donabat.*

Primo cujusque mensis die pauperibus erogabat ex iis propemodum esculentis & poculentis, quibus vita fovetur. Ea ille idem sic enumerat. *Ibid. c.26. Omnibus omnino Kalendis, pauperibus generaliter easdem species, quæ congerebantur ex redditibus, erogabat, & suo tempore frumentum, suo vinum, suo caseum, legumen, suo laridum, suo manducabilia animalia, suo pisces, vel oleum paterfamilias Domini discretissimè dividebat.* Defluebat ad delicias quasdam veluti materna teneritudine charitas blandiens sanctissimi Pontificis Nobilesque pigmentis aliquando & hujusmodi delicatioribus condimentis recreabat. *Pigmenta vero, aliaque delicatiora commercia primoribus honorabiliter offerebat ita, ut nihil aliud, quàm communia quædam horrea communis putaretur Ecclesia.*

At non alio magis delectabatur ejus charitas, quàm alendis tribus millibus Monialibus. Quindecim semel auri pondo eas donaverat ad ædes instruendas rebus quibusque necessariis, & domestico instrumento; at annis singulis octoginta rursus pondo dabat ad parandum cibum. *Cap.27.* Jam audivimus eum narrantem, harum sanctitatis & pœnitentiæ veluti propugnaculo quodam inexpugnabili muniri Ecclesiam Romanam adversùs arma & sævitiam Longobardorum. *Si ipsæ non essent, nullus nostrum jam per tot annos in loco subsistere inter Longobardorum gladios potuisset. Reg. l.6. Epist.23.* Ægrotantibus *per constitutos veredarios*, & parte aliqua corporis captis, aut truncatis, necessaria quæque subsidia submittebat. *Cap. 28.* Honestioribus autem & verecundis pauperibus mensæ suæ quotidie suggerebat ferculum aliquod. Cum aliquando rescisset pauperem Romæ inter urbis vicos ipsos inventum esse mortuum non aliter doluit, quam si author necis ipse fuisset, unde & per aliquot dies sacrorum celebratione abstinuisse se dicebatur. *Æstimans eum stipis inopia periisse, ita per aliquot dies, ut dicitur à Missarum celebratione vacando tristatus est, tanquam si eum propriis manibus, quod dictu nefas est, peremisset. Cap.29.* Affirmat denique idem Joannes Diaconus suo adhuc ævo ostendi solitum in Palatio Lateranensi Regestum, cujusvis ordinis hominum, cujusvis ætatis, & sexus ex Urbe, & ex Suburbanis, vicinis, & transmarinis ex urbibus distributionum denique & sportularum quibus donabantur, tam incredibili multitudine, ut eam silere maluerit, ne exaggeratus ultra fidem veri numerus Lectori videretur. *Quorum summam, ne videlicet fastiditus transiliar, ego transferre diffugio. Cap.30.*

XVI. Cum Ecclesiæ Romanæ patrimonium toto orbe diffunderetur, in omnes quoquo versus regiones mittebat Nuntios & Administratores, non tam ut proventus colligeret, quàm ut in omnes egenos spargeret. *Qualiter sanè Gregorius per Procuratores Ecclesiasticorum patrimoniorum, velut Argus quidam luminosissimus per totius mundi latitudinem, suæ Pastoralis sollicitudinis oculos circumtulerit, non abs re forsitan duxerim perstringendum. Ait enim in Epistola Anthemio Subdiacono: Discedenti tibi mandavimus, & postmodum præceptis dis-*

currentibus injunxisse me memini, ut curam pauperum gereres: & quos illic egere cognosceres, scriptis recurrentibus indicare; & vix de paucis hoc facere curasti. Cap.55. His verò subtexit Joannes idem Diaconus Epistolas Gregorii complurimas, quibus Procuratoribus his suis præscribebat, quantum cuique egeno, vel miserabili admetiendum esset cujusque rei. *Reg. l.2. Epist.37.* Largitiones certè vix mente complecti, calamo autem ne vix quidem se posse; sed summatim affirmari debere, pluribus eum dedisse, qui non peterent: nulli non dedisse petenti summa quadam animi lætitia exhilaratum. *Longum est, nimisque difficile, si eleemosynarum ejus saltem hujusmodi prosequar actiones: hoc breviter assero, quia & non petentibus altro distribuit, & omnibus sibi petentibus hilariter ministravit.* Cap.56.

XVII. Hactenus ex Joanne ferè Diacono; at si Pontificis Epistolas ipsimet perlustremus, undique radiabunt vestigia propensissimę in pauperes omnes charitatis. Annua voluit in Sicilia haberi Concilia, non modica ex parte, quò egenis & oppressis prospiceretur. *Sive ad necessitatem pauperum, oppressorumque sublevandum.* L.1. Ep.1. Mintuenensem Episcopatum Formiensi copulavit, ut quod superat redituum, pauperibus prodesset. *Quatenus deinceps quod persro nunc usque potuit, pauperum Ecclesia tua utilitatibus plerisque proficiat.* L.1. Ep.8. Disertis ipsemet verbis testatum fecit, ut Clericos ad patrimonium Ecclesiæ administrandum mitteret, impelli se, non tam ut reditus annuos colligerent, quàm ut in pauperes disseminarent. *Ut illic vice nostra non tantùm pro utilitatibus Ecclesiasticis, quantum pro sublevandis pauperum necessitatibus fungeretis, & eos magis à cujuslibet oppressionibus vindicares.* L.1. Ep.53. Ipsis Dedicationis Ecclesiarum solemnioribus diebus, copiosiores volebat fieri largitiones. L.5. Ep.54. In Africę regionem Barcam misit Presbyterum, qui captivos vinculis eximeret repręsentato pretio. L.2. Ep.16.56. Cum infortunatissimus parens ei renuntiasset, solvendo non esse se, eoque filios suos à creditoribus distineri: Diacono rescripsit patrimonii rectori, ut primùm expenderet diligentissimè, an verè solvendo non esset, & eo comperto, quidquid illud erat æris alieni, exolveret de patrimonio pauperum. Summa enim quadam diligentia utendum est, in rebus pauperum dispensandis. *Quia de rebus pauperum dandis agitur; causam ejus cum summa subtilitate perquiras.* L.3. Ep.43. Debitori huic Cosmę nomen erat. Nummos debebat centum quinquaginta, summæ totius spe abjecta, octoginta tantum deposcebant. Gregorius sexsaginta offerri jussit, nec enim per leges fas eis fuisse hominem liberum, ęre tantùm alieno gravatum, capere & distinere. Vides quam providè parceret rebus pauperum. Episcopo Sipontino præcepit, ut pretium solveret redempti Clerici, cui una ex Ecclesię arca spes erat solvi posse centum & duodecim nummos, quanto pretio erat redemptus. *Si ita est, nec eum, unde pretium in se datum reddere possit, habere cognoveritis, supradictos solidos de Ecclesia Redemptori ejus restitue.* L.3. Ep.27. Monuit Episcopum Gregorius, ita cavisse Canones Legesque, ut Episcopis incumberet onus redemptionis captivorum. *Qualiter succurrendum sit redemptionibus captivorum & sanctorum Canonum, & mundanarum legum sanctio evidenter edocuit.* Vix ipsum se capere testificabatur, quo tandem modo Ecclesia Romana tam incredibiles expensas, & tantum undique oneris sustinere posset. *Et tamen hac Ecclesia, quæ uno eodemque tempore Clericis, Monasteriis, pauperibus, populo, atque insuper Longobardis tam multa indesinenter expendit, ecce adhuc ex omnium Ecclesiarum afflictione premitur.* L.4. Ep.34.

XVIII. Ad Reginam Gallię datis literis id profitebatur, & in Galliis, & alibi gentium Ecclesiæ Romanæ patrimonium pauperibus totum addici. *Patrimoniolum ipsum, quod pauperum constat expensis proficere.* L.5. Ep.5. Cum Candidum Presbyterum ablegasset ad regendum Gallicanum Romanæ Ecclesiæ patrimonium, id præcepit, ut illud totum in pauperes Galliæ ipsius insumeretur. *Quatenus solidi Galliarum, qui in terra nostra expendi non possunt, apud locum proprium utiliter expendantur.* L.5. Ep.10. Patrimonii hujus Romani perdiu administratores fuerant Archiepiscopi Arelatenses. Episcopi etiam Aquensis opera usus est Gregorius, ut plurium retro annorum nondum soluti reditus repeterentur, quòd res eæ Beati Petri essent, & pauperum. *Ne res Sancti Petri, & pauperum ejus apud se retinere debeat imminete.* L.5. Ep.53. 55. Mendicos ipsos percontabatur, ut resciret; quinam liberalius largirentur. Rescito autem Marinianum Episcopum nihil dedisse, illum per literas objurgavit, commonuitque, lectionem & orationem sterilescere, nisi eleemosynis fœcunditas eis aliqua accedat; alienas calamitates dolere eum debere ut suas, adeoque & levare: nisi humanitatem, & viscera misericordiæ Episcopalis obtineret, vana eum deludi imagine & umbra Episcopatûs. *Non sibi credat solam lectionem & orationem sufficere, ut remotus studeat sedere, & de manu minime fructificare; sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat; quia si hæc non habet, vacuum Episcopi nomen tenet.* L.5. Ep.29. At Episcopi contrà Syracusani largitiones mirabatur, cui cum alenda incumberet innumerabilis pauperum suæ Diœceseos turba, Romam ipsam & longinquas regiones donis & erogationibus suis irrigabat. *Ut qui illic apud vos innumeros pauperes habetis, pro explenda largitate misericordia etiam loca alia & longè posita requiratis.* L.6. Ep.9. Cum Fanensis Episcopus grandem pecuniam mutuatus esset ad captivos redimendos, concessit illi Gregorius, ut convenienter Legibus & Canonibus divenderet tantum sacræ templorum supellectilis, quantum deberet. *Usque ad quantitatem debiti distrahi.* L.6. Ep.13. Permittunt Leges & Canones divendi vasa sacra, redimendis captivis: at Gregorius contendebat tam scelerosum esse recondi & retineri, quando urget necessitas gravissima, quàm divendi, quando minimè necesse est. *Nam sicut omnino grave est frustra ministeria Ecclesiastica venundare, sicut iterum culpa est imminenti ejusmodi necessitate res maximè desolata Ecclesię captivis suis præponere; & in eorum redemptione cessare.* L.6. Ep.35. Clericos duos Ecclesiæ Firmanæ sollicitos anxiosque habebat is metus, ne vel ipsi, vel hæredes eorum cogerentur aliquando eam restituere pecuniam, qua illos Ecclesia à vinculis abstraxisset. Hunc illis metum exemit Gregorius, nec enim quod piè factum esset priùs, inhumanitate postea contaminandum esse. *Quia ratio pietatis exposcit, ut quod studio pietatis impensum est, ad redemptorum onus vel afflictionem non debeat pertinere.* L.6. Ep.14. Quæ terris Ecclesiæ tuitio impenditur, ea in Eleemosynæ numero est, si eæ terræ pauperibus addictæ sunt. *Sicque salva ratione pauperum pactet attendat, ut eleemosyna vices impleat servata justitia.* L.8. Ep.6. Rescito quendam Ecclesiæ villicum Hospitalitatis studiosissimum esse alias quoque terras adjici illi voluit, nulla nova pensione solvenda, quò tantò liberalius hospites exciperet. L.9. Ep.16. Parco tempori & operæ, ne innumeras pertexam ejusdem Gregorii Epistolas alias, ubi paternam explicat ille sollicitudinem suam, ut cujusque generis pauperum, ægrorum, mutilorum necessitatibus prospectum sit, & quantum singulis pecu-

cuniæ, quantum esculentorum largiendum sit. *L.2. Ep.23. 44. L.3. Ep.28. 32. L.5. Ep.4. 34. L.6. Ep.21.*

XIX. Jam quod ad rationem spectat subveniendi pauperibus, ea plerumque cura Diaconi fungi ab Episcopis jubebantur. Inde est quod ipsa pauperum administratio, locus eorum domicilio destinatus, *Diaconia* vocabatur. Ei muneri cum virum quendam probum præficeret Gregorius, has ad eum literas exaravit. *Quia te mensis pauperum, & exhibendæ Diaconiæ eligimus præponendum, &c. L.9. Ep.24.* Ut hujus charitas in pauperum curam & solatia lætior & liberior esset, Deo uni illum voluit rationes suas referre. *Constituentes, ut de hoc quod ad mensas pauperum, vel Diaconiæ exhibitionem perceperis, nulli unquam hominum cogaris ponere rationem.*

XX. Alibi rursus innuit Gregorius his charitatis officinis pias nonnunquam ex ærario publico erogationes, atque adeo ex Imperatorum fisco factas fuisse. Inde est quod cum Proconsul Italiæ Joannes ejusmodi largitiones circumcidisset Neapoli, per literas illum sanctissimus Pontifex hortatus sit, ne Ecclesiæ auferret, quæ antecessor ejus ei contulerat, qui largitatem eximiam quandam suam reliquis virtutibus vincebat. *Fertur quod annonas atque consuetudines Diaconiæ, quæ Neapoli exhibeatur, Eminentia vestra subtraxerit, &c. Ind.3. l.8. Ep.20.*

XXI. Viderint alii, an quas vocat Gregorius. *L.2. Ep.44. 45. Matriculas, Mulieres de Matriculis,* Ex his Diaconiis acciperent stata sua stipendia. Certè eas perspicuum est proventibus Ecclesiæ sustentatas fuisse. Quippe matriculis inscribebantur, qui sumptu alebantur Ecclesiæ.

XXII. Verum ad Diaconias redeamus, observat Gregorius ejusmodi fuisse domicilia charitatis, ubicumque patrimonii aliquid assecuta erat Romana Ecclesia. Ea sanè ab illis Diaconis & Subdiaconis administrabantur, ad quos Gregorii tam crebræ manarunt Epistolæ de eleemosynis pauperum.

XXIII. Erat autem ea Diaconiæ vox Gregorii ævo vetustior, cum ea usus sit in Collationibus Cassianus, ubi docet, eum, qui ei muneri præficiebatur in Orientis Cœnobiis, accepisse decimas, primitias, & oblationes, quæ eò inferebantur; & meritorum virtutumque suffragiis deligi solitum fuisse ex Monachorum cœtu. *Venit ad Abbatem Joannem, qui tunc temporibus merito sanctitatis electus, Diaconiæ præsidebat. Non enim ad hunc gradum quilibet propria voluntate, aut ambitione provehitur; sed is, quem cunctorum seniorum cœtus, ætatis prærogativa, & fidei atque virtutum testimonio, excellentiorem omnibus sublimioremque ostenderit. Collat.21. c.1. 2.*

XXIV. Hinc colliges quanto in pretio esset in Cathedralibus, uti & in Cœnobiis Oeconomi munus, sive Diaconis illud sive Presbyteris commendaretur, cum nonnisi virtute & religione præstantissimi ad id cooptarentur. Ex his illud quoque exsistit, nec Episcopos, nec Abbates per sese temporalia bona administrasse; sed exemplo Apostolorum obsecutos fuisse, qui Diaconis eam curam delegarunt, ut una ipsi orandi & prædicandi verbi functione occuparentur.

XXV. Nec tamen his Diaconis delegabat Episcopus nisi portionis pauperum administrationem; ipse porro Oeconomum sibi asciscebat, qui fundos & proventus Ecclesiæ omnes adgubernaret. Hunc videtur Gregorius *Tabularium* vocare, quod singulis semel annis rationes suas redderet publicè, & à Clero eligeretur. Vide ut de eo Gregorius scriberet ad Episcopum Panormitanum. *Tabularium una cum consensu Seniorum & Cleri memineris ordinandum, qui annis singulis ad amputandam fraudis suspicionem solenniter suas debeat rationes exponere. L.11. Ep.51.* Idem præceperat Justinianus, non eligi Oeconomum, nisi diu probatum, & singulis annis Episcopo rationes facturum. *Singulis annis rationes referent Episcopo. Cod. De Episc. & Cler. L.42.* In Concilio Toletano IV. innovatus est Canon Concilii Calchedonensis, quo jubentur Episcopi Oeconomos sibi asciscere. *Quos Oeconomos Græci appellant hoc est, qui vice Episcoporum res Ecclesiasticas tractant. Can.48.* In Concilio II. Hispalensi convenienter eidem Canoni Calchedonensi, prohibetur, ne ex laicis Oeconomos sibi Episcopi accersant. *Indecorum est enim laicum Vicarium esse Episcopi: & seculares in Ecclesia judicare. Can.9.* Erant ergo Oeconomi Episcoporum Vicarii Generales in temporalibus, legitima muniti jurisdictione. Eodem denique ex Concilio, *Si sine testimonio Oeconomi* Episcopus ipse per sese res Ecclesiæ dispenset, patrimonii pauperum abligurritor, ac dissipator habendus declaratur. *Ut fraudator rerum Ecclesiasticarum.*

XXVI. Meminit & Vicedominorum Gregorius, qui ab Episcopis adhibendi erant ad administrationem temporalium, hoc est ejus portionis, quæ propriè Episcopo addicebatur. Id nimirum discriminis inter Oeconomos, Vicedominos, & Diaconos statuendum est, quod Oeconomi omnes prorsus res Ecclesiæ regerent ac dispensarent, antequam ullæ ejus partitiones fierent: Vicedomini ea instituta partitione portionem administrarent Episcopi cui potissimum hospites commendabantur: Diaconi denique curam agerent pauperum portionis. *L.6. Ep.55. L.9. Ep.66.*

CAPUT XXX. *P.2. l.4. c.6.*

Bona Ecclesiæ pauperum patrimonia esse; quorum Beneficiarii sint dispensatores, ex Ecclesiæ Græcæ Patribus & Conciliis, ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. Joannes Patriarcha Alexandrinus dominos suos appellabat pauperes, eorum descriptionem habebat, numero septem millium & quingentorum, qui sumptu Ecclesiæ alebantur.

II. Nec extraneos quidem arcebat, nec Christi ærarium exhauriri, ac ne minui quidem posse censebat, quantacumque pauperum multitudine.

III. Qua esset ille humanitate, suavitate, sui contemptione, in his stupendis largitionibus.

IV. Leges Justiniani ad confringenda & distrahenda vasa sacra, ubi graves & inusitatæ incumbunt necessitates.

V. VI. Anastasii Sinaitæ, & Ephræmi Patriarcharum Antiochenorum placita & exempla.

I. ETsi pauciora supersint Orientalis Ecclesiæ, ejusque in pauperes largitionum monumenta, nihil illam tamen Latinorum munificentiæ concessisse, ex una abunde colligetur Joannis Alexandrini Patriarchæ vita, cui quam justum, tam splendidum additum est cognomen ab eleemosynarum incredibili copia. Ubi primùm ille unanimi suffragatione electus fuit, non antè ordinari se, aut consecrari voluit, quam sibi ab Oeconomis Ecclesiæ suæ, & ab Archidiacono recensio & catalogus omnium orbis pauperum exhiberetur, quos non aliter ille, quam *dominos* suos designavit, ut penes quos esset dominium rerum Ecclesiæ, & per quos spes suberat beatæ patriæ fores sibi pandendas esse.

Quos vos egenos & mendicos vocatis, illos ego dominos & auxiliatores prædico. Ipsi enim nobis verè & auxiliari, & Cœlorum Regnum donare poterunt. Vita ejus c.2. Allata est descriptio septem millium & quingentorum; præcepit ut singulis quolibet die necessarius sumptus erogaretur, & tum demum consecrationis munus assecutus est.

II. Cum Syriam Persæ popularì essent, captivorumque turbas innumerabiles abduxissent, ingens prorsus omnis ætatis, sexûs & conditionis hominum multitudo Alexandriam confugit. Amplissimo charitatis sinu omnes excepit Patriarcha ægros & valentes, omnibus cibo necessario & pecunia affuit; cumque à suis admoneretur, nonnullos veste splendida homines accedere ad eleemosynas & escas, quæ dispensabantur; respondit, se Christi dispensatorem esse, à quo hocce manavit mandatum, *Omni potenti te da*, proinde à se arceri posse neminem. *Cap.2.* Adeo non autem ea se multitudine deterreri, aut animo concidere ajebat, ut cum Christi se dispensatorem intelligeret, etsi totus orbis ad stirpem mendicandam afflueret, Christi Ecclesiæque ærarium speraret nunquam exarescere, vel exhauriri posse. *Si quæ dantur, mea existerent, & meorum nata essent, fortasse bene in meis tenax extiterem. Si vero quæ dantur Dei sunt, utique ea suis præceptum suum custodiri vult. Et si Dei beneplacito actum est, ut essem ego indignus dispensator ejus munerum, si totus mundus congregaretur Alexandria, eleemosynas indigens, immensos thesauros Dei non angustabunt neque sanctam Ecclesiam.* Non tacuit vitæ ejus Scriptor, *Cap.19.*, quanta munificentia prosecutus sit Modestum Hierosolymitanæ Ecclesiæ Patriarcham ad pauperes recreandos, & ad templa resarcienda, quæ Persarum furor vastaverat.

III. Mira sunt hæc; sed non paulò mirabilior suavitas, humilitas, humanitasque, quibus tantæ largitiones condiebantur. Delectabatur magnopere, cum sermones conferret privatim cum suis, narrationibus eorum, qui multò plura multò liberalius in pauperes profudissent. Nec illaudatum prætermittebat Serapionem Abbatem, qui cum pauperem alterum pallio donasset suo, alterum tunica, cum residuum non haberet nisi Codicem Evangeliorum hunc quoque tandem vendidit, ut pretio in pauperes erogato, ei ipsi tunc potissimum obsequeretur, hortanti, scilicet, ut venderet, & daret. *Quia dixit mihi, Vende, quæ habes, & da pauperibus, ipsum vendidi & dedi eis. Cap.22.* Seipsum denique erogavit paupereculæ viduæ, ut ipsum Comœdis venderet Græcis, quos ille paucis post diebus ad meliorem frugem revocavit. Suavissime tum & arridens Patriarcha ajebat, videre se, quam nihil admodum hactenus profecisset, & quam longo ex intervallo sequeretur, non unquam assecuturus eos, qui datis suis omnibus, seipsos denique dedissent, *Credite mihi quia usque hodie putabam, quod vel aliquid facerem, datis quæ habere possum pecuniis; nesciebam autem, quod & seipsos venderent, quadam compassione superati.* Cum semel autem honesta suffusum verecundia pauperem videret, ob doni amplitudinem mira cum humilitate, tum sapientia confirmavit illi, necdum se proprium impendisse sanguinem, quanquam & hoc Christus mandasset. *Nondum sanguinem meum pro te, frater, effudi, sicut mandavit mihi Dominus meus, & omnium Christus Deus. Cap.29. 36.* Cum ministri ejus efferbuissent in egeni cujusdam effrænem petulantiam, qui etiam convitiabatur, quòd stipe non pinguiori, quam decem nummis minutioribus donatus esset; illos Patriarcha his verbis cohibuit: Æquo & pacato hæc animo ferenda sibi esse, cum sexaginta jam Christus annis perversitates suas patientissimè & humanissimè ferret. Tum verò crumenàm ipsam mendico offerri jussit, ut acciperet, quantum vellet.

IV. Id Justiniani Leges Ecclesiis concessere, ut redimendis captivis fundos alienare possent, dum non ejusmodi essent fundi, qui ea cautione donati essent, ut nunquam alienarentur. Nec id patitur tantùm Justinianus, sed & præcipere videri potest. *Sanctissimas Ecclesias præcipimus alienare res immobiles pro captivorum redemptione. Nov.120. c.10.* Spectabat ea quidem tum lex ad Ecclesias Thraciæ, quarum tunc angustiæ erant extremæ. Mox concedebat & Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ut domos quasdam extra urbem distraheret, dum id fieret *non minori pretio, quàm de pensionibus ejus in quinquaginta annis colligitur*, idque pretium in alios utiliores proventus expenderetur. *Cap.30.* Confringi denique & vendi sinit sacra vasa ad redimendos captivos, aut quæ in illis superflua sunt, distrahi ad exolvenda Ecclesiæ debita, si non suppetat alias unde exolvantur. *Nov.7. c.8.* Idem denique alibi concedit sæviente fame, & regiones populante. *Excepta videlicet causa captivitatis & famis. Cod. l.1. de sacr. Eccle. Leg.21.*

V. Percontantibus, an conducibilius sit Ecclesiis largiri, quàm pauperibus, vel contrà, respondit Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus, *Quæst. 52.*, electos suos Christum designasse, & hac veluti tessera indicasse, prolixiore quadam in pauperes largitate, in peregrinos, in hospites & captivos: esse & tenuiores Ecclesias, quibus vasa sacra dentur, si quibus destituuntur; at iis dari, quæ tam abundant, non aliud id quidem esse, quàm hæc incuriæ ministrorum, aut prædæ objicere furum, vel barbarorum.

VI. Affirmat Evagrius, *L.4. c.5.6.*, eò ad Antiochenæ Pontificatum Ecclesiæ cœlitus vocatum fuisse Ephremium illum tot virtutum ornamentis, tot Scriptorum certatim encomiis illustratum, ut justissima hac mercede & gloria pensaretur charitas illa & diligentia admirabilis, qua cum Præfectus esset Provinciæ, ad instaurandos urbis ejus muros incubuerat. Nemo non augurabitur, Episcopatum iisdem artibus & virtutibus ab eo gestum esse, quibus illum assecutus fuerat.

CAPUT XXXI. *P.3, l.4. c.6.*

Res Ecclesiæ pauperum esse patrimonia, quorum dispensatores tantum sint Beneficiarii, à temporibus Caroli Magni ad annum Christi millesimum.

I. Pleraque hujus libri superiora capita argumentis referta sunt hujus doctrinæ.

II. Probationes novæ ex Concilio Aquisgranensi.

III. Ex Concilii Parisiensis VI. doctrina, nunquam nimiæ possunt esse Ecclesiæ opes, dum is earum usus sit, qui Canonicis institutis respondeat.

IV. Monachis pauperibus erogabant decimas earum, quæ ipsis dono dabantur.

V. Ludovici Pii decreta de eleemosynis.

VI. Ex Capitularibus Beneficiarii dispensatores sunt tantummodo rerum Ecclesiæ.

VII. Nova ad id firmandum probationes.

VIII. Primæva ab origine & institutione sua, egentium sunt res Ecclesiæ omnes. Probatur ex Concilio VI. Parisiensi.

IX. Probationibus novis efficitur, superflua Beneficiorum omnia pauperibus jure deberi.

X. Matricularii, veluti pauperes Beneficiarii, non

sint

sine titulo quodam, non sine fundis sibi assignatis.

XI. Exempla pia quorundum Episcoporum prodigalitatis in pauperes.

XII. Græcorum placita Latinorum doctrinæ consentiebant.

I. PRæjudicatæ, & omnium in animis altissimè defixæ huic doctrinæ, bona, fundos, & proventus Ecclesiæ, pauperum esse patrimonia, nec rerum ad Clericos pertinere nisi dispensationem; huic, inquam, serviebant religiosi olim Beneficiarii, qui vix, supremis digitis attingebant res Ecclesiæ, si idoneum ipsis suppeteret patrimonium. Huic se accomodabant, qui manibus se suis transigebant, quo rebus pauperum parcerent. Huic multò flagrantius obsequebantur Monachi & Moniales, qui opere manuum victum quærebant. Huic morem gerebant & ii Clerici, qui non artificio, sed negotiolo quopiam sustentabantur; ex quo delapsi sumus ad investigationem dignitatum, munerumque & functionum, quas obire possent Clerici, Legum, Canonumque sive concessione, sive indulgentia. Huic etiam pertinebunt quæ reliquo hoc libro persequemur, de usu bonorum Ecclesię Canonico. Is enim semper usus esse debebat, qui patrimonii pauperum.

II. In Concilio Aquisgranensi anno 816. hæc Patrum hæc Conciliorum doctrina prædicata est quę dicuntur Ecclesię res, pauperum res esse, quod oblationes nempe eę sint & hostię fidelium, hae Scripturarum doctrina imbutorum, non aliis aptius hostiis vel Deum placari, vel peccata redimi, quàm eleemosynis. *Res Ecclesiæ, sicut à sanctis Patribus traditur, vota sunt fidelium pretia peccatorum, & patrimonia pauperum. Fideles namque fidei ardore & Christi amore succensi, ob animarum suarum remedium & cælestis patriæ desiderium, suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam, ut his & milites Christi alerentur, & Ecclesię exornarentur, pauperes recrearentur, & captivi pro temporum opportunitate redimerentur.* Can. 116. Non ergo congesta in ęrarium Ecclesię sunt hęc omnia, nisi alendo Clero, restaurandis templis, levandis pauperibus, redimendis captivis, ut ne Clericos quidem fas sit hinc sibi quidquam arrogare, quàm ut familiari pauperum modestia alantur. *Ut milites Christi alerentur.*

III. Hinc illos acerbiùs reprehendit Concilium VI. Parisiense, anno 829. quibus displicebat augescere semper & cumulari Ecclesiæ divitias; cum illa reapse semper egeat, quandiu egeni sunt usquam, quorum alendæ multitudini innumerabili ne multò quidem majores opes satis pares essent. Non ergo cumulus tanquam nimius opum dolendus est, sed earum usus degener & præposterus. Quot enim sunt pauperes totidem argumenta sunt, aut non satis illi esse patrimonii, aut non satis bona fide illud dispensari. Porro vel in ipsa meridiana Solis luce cœcutiant illi necesse est, quibus vel nimiæ charitatis opes & possessiones esse videantur, vel non satis amplæ ex adverso cupiditatis. Cum huic tam perversè abutenti, vel minima quæque nimia sint: & illi pauperes omnes suo sinu, & calamitosos complectenti, nimiæ esse possint nullæ, quantumvis exaggeratæ. *Cesset ergo ambitio qua dicere solet, nimis rerum habere Ecclesiam Christi, & perpendat, quia quantacumque sunt res Ecclesiæ, si eo modo, quo dispensanda sunt, dispensentur, nimia non sunt. Cupiditas quippe, immo negligentia quorundum dispensatorum, non Ecclesiæ ampla res in vitio sunt. Mira namque res, ambitio mundialis satis non habet, & Ecclesia Christi nimium habet.* Can. 18.

IV. In Abbatum generali Conventu Aquisgranensi anno 817. statutum est, omnium eleemosynarum, quæ Ecclesiis conferentur, aut Monachis, decimæ in pauperes erogarentur. *Ut de omnibus in eleemosynam datis tam Ecclesiæ, quam fratribus, decima pauperibus dentur.* Cap. 49. Parum esset pauperibus decimas dari, nisi id perpendendum foret, eas eleemosynas Monachis paupertatem profitentibus, & verè pauperibus erogatas fuisse. Ita ergo statuendum est, pauperes ipsos erogatarum sibi eleemosynarum decimas in alios pauperes dispergere.

V. His roboris aliquid & præsidii accedet ex Capitularibus Caroli Magni, sive Ludovici Pii, qui jubebat, ut in opulentioribus Ecclesiis duæ partes ex tribus proventuum & oblationum, pauperibus distribuerentur, reliqua tertia pars alendis Clericis, vel Monachis reservaretur, in iis verò, quæ non ita locupletes essent, æquæ essent Cleri & pauperum partes, nisi si à fundatoribus declaratum sit, quid suæ specialiter sit voluntatis. *Statutum est, quidquid tempore Imperii nostri, à fidelibus Ecclesiæ sponte collatum fuerit, in ditioribus locis duas partes in usus pauperum, tertiam in stipendia cedere Clericorum, aut Monachorum; in minoribus verò locis æquè inter Clerum & pauperes fore dividendum. Nisi fortè à datoribus, ubi specialiter danda sint, constitutum fuerit.* Conc. Gall. Tom. 2. pag. 429. *Capitular. Car. Mag. L. 1. c. 87.* Concilium Turonense III. anno 813. Episcopalis voluerat esse sapientiæ, & judicii, ut partiendæ essent inter Parochos & pauperes decimæ. *Ut decimæ, quæ singulis dabuntur Ecclesiis, per consultu Episcoporum à Presbyteris ad usum Ecclesiæ & pauperum summa diligentia dispensentur.* Can. 16. Quasi dicatur, quantum sibi, quantum pauperibus decimarum Parochi vendicarent, judices & arbitros esse debere Episcopos, omnium ejusmodi partitionum moderatores.

VI. Novo vigore quodam ex Capitularibus Caroli Magni convaluere prisci illi Apostolici, & Antiocheni Canones, quibus sanciebatur, Episcopum non esse nisi dispensatorem rerum Ecclesiæ, & provisorem pauperum, ut qui ipsemet inter eos pauperes connumerare seipsum debeat, & rebus Ecclesiæ uti, perinde ut indiguerit. *Episcopus Ecclesiasticarum rerum potestatem habeat ad dispensandum, erga omnes, qui indigent, cum summa reverentia & timore Dei; participet autem & ipse quibus indiget si tamen indiget.* L. 7. c. 58. Et rursum alibi: *Licitum sit Episcopis præsentibus Presbyteris & Diaconibus de thesauro Ecclesiæ, familiæ & pauperibus ejusdem, secundùm canonicum institutionem, juxta quod indiguerint erogare.* Addit. 3. Cap. 46. Non Clericis ergo delibandæ res erant Ecclesiæ, nisi egerent: *Juxta quod indiguerint.* Nec eo vinculo Legis sacræ absolvebatur Episcopus; *Si tamen indiget.*

Si novæ quæpiam angustiæ, temporumque difficultates emergerent, maximè famis, censum edebant Episcopi, & singulis indicebant Clericis, Abbatibus, Abbatissis, Comitibus, Laicis, quantum quisque conferret ad pauperes sublevandos. Gravi in annonæ difficultate diffiniit Carolus Magnus, quantos quisque pauperes alere cogendus esset, & quo pretio frumenta vænirent. *Capitul. l. 6. c. 136. L. 1. c. 132.*

VII. Ex his autem perspicuum fit, quàm verè rursum mediæ hujus ætatis Concilia & Capitularia pronunciaverint, non esse Beneficiarios quoslibet & Episcopos, nisi administros & procuratores rerum Ecclesiæ communium, quæ proprię sunt res pauperum, quod nemo iis uti possit satis tutò, nisi ea sobrietate, & verecundia, quę pauperes & paupertatis amatores redoleat. Unde Concilium Turonense III. *Rebus Ecclesiæ ita utuntur, ut non pro-*

propriis, sed ut sibi ad dispensandum commissis. Can. 10. Et alibi: *Oblationes fidelium, unde pauperes recreari debent, vel Ecclesia restaurari, seu Clerici vivere, seu Episcopi recipi, hospites & peregrini pasci ac venerari, &c. In prædictis rebus eas fideliter subministrent, & sciant se non suarum, sed dominicarum rerum esse dispensatores: Propterea quasi dominicas res, fideliter eas conservare & utiliter dispensare Domini Sacerdotes oportet: & si quod absit, aliter fecerint canonica invectione districtè feriantur. Addit.* 3. *cap.* 45. *Capitul. lib.* 7. *c.* 152. Et Concilium Cabilonense II. *Can.*6. *Ecclesia sancta non solum fideles spoliare non debet, quin potius inopibus opem ferre, ut debiles, pauperes vidua, orphani, & cæteri necessitatem patientes à Sancta Ecclesia, utpote à pia matre & omnium gubernatrice subsidium accipiant. Quia res Ecclesiæ, quibus Episcopi, non ut propriis, sed ut commendatitiis uti debent, pretia sunt peccatorum, patrimonia pauperum, stipendia fratrum in communi viventium.*

VIII. Summo ab ipso Capite arcessivit Concilium Parisiense VI. anni 829. originem bonorum Ecclesiæ, eorum ut naturam, jura legitima, usumque canonicum indagaret. Ut enim hoc errore careas exitiali prorsus, Proventus Ecclesiasticos à Beneficiariis in quoscumque volent usus converti posse; unum sedulò recolendum est, quæ primum Ecclesiæ res sunt collatæ, eas ad Apostolorum pedes abjectas fuisse, & illico egentibus distributas, pro modo ipso egestatis. Ea origo, ea natura & conditio, ea lex bonorum Ecclesiæ, in venturas etiam omnes ætates. *Quod nulli Sacerdotum liceat res Deo dicatas, sibique commissas, ut proprias tractare, & ad multifarios secundùm libitum suum eas usus retorquere, sed potius secundùm canonicam authoritatem sanctorumque Patrum dicta & exempla, administrare, vel dispensare. Initio nascentis Ecclesiæ vota fidelium ante pedes ponebantur Apostolorum, eorumque judicio, unicuique prout opus erat, distribuebantur. Et licèt crescente fidelium devotione copiosissimis ac munificentissimis eorum liberalitatibus, sancta donata sit Ecclesia, eundem tamen usum Apostolorum successores in tractandis & dispensandis Ecclesiasticis rebus se servare debere meminerint.* Can. 15.

IX. Alienissima autem ab antiquis, & probatissimis moribus ac regulis foret exceptio, quæ superius dicta sunt à nobis, ad Episcopos & Abbates pertinere eos, quibus concrediti fuere interim proventus & fundi, in alios postea sive Clericos, sive pauperes partiendi, quos proinde necesse sit summa sapientia & charitate, & tantum non ut res alienas, non ut proprias administrari. Hic autem quæri da singulis Beneficiariis, qui portione sibi propria ab Episcopo admensa, jam in potestate habent, ut arbitratu & libitu suo utantur. Hæc ut ludificatoria explodatur causatio, revocanda sont ob oculos tantisper mentis illa veritatis lumina, superius obiter ostensa. Si enim omnium Ecclesiæ rerum hæc primigenia origo, hæc natura, & indoles est, ut necessitatibus fidelium sint dicatæ, non superfluitati: *Prout cuique opus erat:* ea lege implicantur Beneficiarii omnes, quibus largitur Ecclesia, ea, quibus opus habent, ut sibi habeant: si plura largitur, non alio facit fine, quam ut in eos dispensent, qui his opus habent. Ne Episcopus quidem ex his Ecclesiæ rebus potest quidquam decerpere, nisi opus habeat. *Si tamen indiget.* Eadem lege constringuntur & alii Beneficiarii. Parochis cura imminet pauperum, ut in eos etiam derivent suis eleemosynis partem aliquam sacrorum proventuum, & hinc rationes Episcopo suo faciant, ut supra ostensum est, & uberius mox ostendendum superest. Nec cæteri ergo Beneficiarii ea legis necessitate absolvi possunt. Vel illa saltem cogitatio, res Ecclesiæ omnes hostias esse pro eluendis peccatis Deo oblatas, & qui rebus eis vescuntur, eos onus illud in se recipere, ut expiandis aliorum peccatis semet impendant: vel una hæc, inquam, cogitatio invictissimè probat, qua sanctitate & religione, his rebus, his hostiis utendum sit.

Manifestissimè rursus ab Herardo Archiepiscopo Turonensi declaratum est, & Deo, & Episcopo Parochos pauperum omnium sustentationem præstare debere, ut & homicidæ quodammodo sint, si eis victu necessario cum possint, non adsint. *Ut hospitalitatem ante omnia diligant, & ut viduarum, peregrinorum, orphanorum atque infirmorum curam & sollicitudinem habeant.* Et inferius: *Ut decima & fideliter à populis dentur, & canonicè à Presbyteris dispensentur, annis singulis rationem suæ dispensationis Episcopo, vel suis ministris reddant; ne fortè damna fraudium subigant, aut necatores pauperum, subtrahendo utilia, quod absit, existant. Capitular. Herard. c.*18. 35. Idem paucioribus verbis præcepit Concilium Pontigonense anno 876. *Ut decima conlaborationum & animalium Domino offerantur, & in potestate Episcopi maneat, qualiter à Presbyteris dispensentur canonicè.* Can. 11. Itemque Concilium Trosleianum anno 909. *Unusquisque Presbyter in sua ordinatione ac dispositione curam habeat Parochiam suam, cum dote & decimis Ecclesiæ videlicet cum sui Episcopi consilio ac dispositione, secundum regulas antiquitus, & divinitus constitutas.* Can. 6. Et Concilium denique Nannetense: *Instruendi sunt Presbyteri pariterque admonendi, quatenus noverint, decimas, & oblationes, quas à fidelibus accipiunt, pauperum, & hospitum, & peregrinorum esse stipendia, & non quasi suis, sed quasi commendatis uti. De quibus omnibus sciant se rationem posituros in conspectu Dei, & nisi eas fideliter pauperibus administraverint, damna passuros.* Can. 10.

X. Cujuscumque Parochiæ Pauperibus & mendicis jus erat in portionem aliquam decimarum, quas Parochus colligebat, & quidem tam certum & inconcussum, ut id instar haberet Beneficii, & eorum numerus certus esset ac definitus, matriculisque, seu Regestis Ecclesiæ inscriptus, unde & matricularii dicebantur. Denique ne venalia quidem hæc Beneficia haberi poterant citra simoniæ dedecus. Audiendus hic Hincmarus ad Parochos suos. *Sæpè vos admonui de matriculariis, quales suscipere debeatis, & qualiter eis partem decimæ dispensare debeatis. Interdixi enim vobis Dei authoritate, ut nemo Presbyter pro loco matriculæ quodcumque xenium, vel servitium in messe, vel in quocumque suo servitio præsumat requirere, vel accipere; & matriculariis debitam partem decimæ, quam fideles pro peccatis suis redimendis Domino offerunt, nemo præsumat vendere. Conc. Gall. Tom.*3. *pag.*638. *Hincmar. Tom.*1. *pag.*734.

Docuerat illos alias Hincmarus, quibus hæc pauperibus beneficia conferenda essent: non iis, qui viribus integris & valentes erant, ac vel hinc satis opulenti videri poterant; sed iis, qui verè pauperes erant, nec re tantùm, sed & viribus, ac valetudine destituti. Integrum denique non erat Parocho proximis suis gratificari, nisi quibus & res, & vires ad operandum manibus deessent. *Ut matricularios habeat juxta qualitatem loci, non bubulcos, aut porcarios, sed debiles & pauperes, & de eodem dominio. Nisi fortè ipse Presbyter habeat fratrem, aut aliquem propinquum, debilem, aut pauperrimum, qui de eadem decima sustentetur. Reliquos autem propinquos, si juxta se habere voluerit, de sua portione vestiat, atque pascat. Hincmar. Tom.*1. *p.*717. *Flodoard. L.*3. *c.*26.

Re-

Retulimus alio loco quibus objurgationibus castigaverit Hincmarus Comitem, qui Matricula Ecclesiæ expunxerat nomina pauperum, quos Episcopi ministri inscripsissent, aliosque subrogarat, postquam nescio quid pecuniæ ab iis emunxisset. Hinc concluditur, 1. horum Beneficiorum duas fuisse species, alia enim Episcopus, alia Parochus conferebat. 2. Ea Beneficia indigenis destinata & consecrata fuisse. *De eodem dominio*. Quid enim æquius, quàm cujusque regionis decimas, & eleemosynas conterraneis addici? Quin & olim id vigebat & usu, & lege canonica cautum, ut Clerici, sive Beneficiarii ex ipso eodem loco oriundi essent. Quod ad id valebat quoque, ut cujusque loci oblationes & hostiæ, ibidem absumerentur.

Matriculariorum & Immatriculatorum hujusmodi pluribus locis meminit Hincmarus. *L.1.c.20.24. L.2.c.11. L.3. c.2.* Sed præstat hoc loco referre, quod ille alibi narrat de Beato Remigio, cum ex loco aliquo juxta urbem impudicas exegisset mulieres, substituisse in earum locum viduas quadraginta, adsignatis & fundis, quibus idem semper numerus aleretur. *Subversis fornicibus in viduarum quadraginta congregationem permutasse, sumptusque quotidiano victui necessarios instituisse, ipsumque numerum viduarum perpetim manere, ut adhuc quoque manet, decrevisse.* Narrat & alibi speciales donationes matriculis Ecclesiarum factas. Postremo denique illud commemorat, Fulconem Archiepiscopum, cum fundos Ecclesiæ & proventus in tot partes secaret, quot erant diversi ordines, quibus prospiciendum erat, post Canonicos, Monachos & Sanctimoniales, proximum locum assignasse matriculariis, ante hospites & pauperes alios. *Qua Præsul Fulco de villis Ecclesia hujus, vel facultatibus earum, usibus Ecclesiasticorum ornamentorum vel luminarium, seu sub stipendiis Canonicorum ac Monachorum, atque Sanctimonialium, seu Matriculariorum, & hospitum, vel pauperum constituerat.*

Ex Chronico Centuleosi constar Clericos quandoque ipsos matriculariis permisceri voluisse. *In Bajocensi Ecclesia Clericus nomine Avitianus Matricularius habebatur.* Cum certi fundi Matriculariis adsignati essent, ea quandoque ambibant & Clerici Beneficia, aut cum ea arte Clericarum obtinuissent, non facilè postea patiebantur se iis ejeci. *L.3.c.28. Spicil. Tom.4. pag.531.*

XI. Sentiebat B. Elphegus, Vintoniensis primò Episcopus, postea & Archiepiscopus Cantuariensis, quam verè res Ecclesiæ patrimonia essent pauperum; quando passus non est sanctissimus Præsul à piratarum Danorum potestate revocari, atque redimi se: sed vincula, carceres, cruciatus, & ipsam denique mortem experiri maluit, quàm ut res pauperum in suam redemptionem expenderentur, id verò supra ipsam administrationem positum est in summo quodam Episcopalis & Apostolicæ magnanimitatis fastigio. Hinc autem vel maximè perspicuum fit, quàm non sint proventus Ecclesiarum in profanos & viles usus absumendi. De Elphego plura inferiùs.

Imitationi propria sunt, quæ in vita B. Adelardi Abbatis Corbiensis referuntur, mutuas ipsum sæpissimè accepisse pecunias, quibus pauperes donaret. Tam illius in vestigia insistere possunt alii, quàm ipse ex Radberto Paschasio hujus vitæ scriptore, Sylvestri Papæ exemplo se accomodabat. Solebat autem Adelardus virtutum etiam splendore, non natalium tantùm clarissimus, eos avaritię reos agere, quos pœniteret plus nimio dedisse: eum ea sit demum germana Clericorum libertas nunquam ut sibi videantur satis dedisse, & omnes largitatis numeros implevisse. *Surius die. 2. Janu.*

Nihil autem vel sapientiam, vel ad animi magnitudinem accommodatius, quàm quod narrat Agobardus de compluribus, qui cum repentinis & quasi cælestibus quibusdam terroribus & plagis percussos se sentirent, morbo sontico, & consimilibus aliis, ad Ecclesias confugiebant, & præcipiti atque inconsiderato consilio, rerum suarum omnium donationes faciebant, cum debuissent eas potiùs pauperibus & peregrinis dilargiri, atque ita ad Ecclesias ventitare, quo Pœnitentiæ sacramento initiarentur. *Ad Ecclesias concurrunt, & quidquid possunt, donant, perdito meliore consilio. Melius enim facerent, si sua pauperibus & hospitibus erogarent, & ad Presbyteros Ecclesia currerent ungendi oleo, &c.*

Nec tacet Agobardus quibus hæc Clericis tam inconsideratè donabantur, eos non satis liberaliter his pauperes bonis impartiisse, atque adeo nec eis illa fuisse commendanda Eleemosynarum deposita, quæ pauperum utique solatiis consecrabantur. *Sicut enim reprehensibile est, rem pauperum pauperibus distribuere; sic infructuosum, si ea, qua deberent Ecclesiæ debitam reverentiam exhibentibus erogari, cupiditatis æstu anhelantibus, avarè servanda, vel abutenda prodigè consecrantur.*

XIII. Quàm inconcussa denique hæc haberetur doctrina, ex Græcorum etiam conspiratione intelligetur. Canonem enim Apostolicum authoritate sua confirmavit Concilium VIII. generale, *Can.12.*, quo videlicet permittitur Episcopis, ut proximis suis aliquid largiantur ut pauperibus, si verè pauperes sint. Cum verò Trullanus Canon Concilio VI. ascriptus edicat, *Can.48.*, ut uxor ejus, qui Episcopatu auctus & inauguratus est, in Monasterium secedat, & ab Episcopo alatur: à Balsamone additur, Si modò illa indigeat. Nam si res illi sit familiaris, nihil potest Episcopus rerum Ecclesiæ illi impertiri, cum ne ipse quidem degustare res Ecclesiæ posset, si privatim dives esset. *Mulierem quidem ab Episcopo existimari dignam providentia corporali si sit pauper; sin autem sit locuples, nihil ei ab Episcopo dabitur, quoniam nec si ipse quidem; sit locuples, ex Episcopatûs reditibus quidquam potest in se ipsum expendere. In Can. 59. Apost.* Alibi denique idem Balsamon constantissimè affirmat, Episcopos & Parochos seposito necessario sui, Clerique sui cultu, reliqua omnia pauperibus erogare teneri.

CAPUT XXXII. *P.4. l.4. c.10.*

Res & proventus Ecclesiæ patrimonia esse pauperum, etiam post annum Christi millesimum.

I. II. III. Ex Conciliis superflua omnia Monasteriorum eroganda sunt pauperibus. Nec secus in aliis Beneficiariis.

IV. Abundantiores fuere distributiones & portiones Canonicorum, ut residua pauperibus cederent.

V. Episcopi nonnunquam definierunt, quantas erogationes facere tenerentur Parochi Regulares.

VI. Hospitalitas in divites etiam effusa.

VII. Quid senserit, quid secutus sit Petrus Damiani.

VIII. Beati Bernardi doctrina.

IX. Innocentii III. Papa mira largitiones.

X. Itemque B. Hugonis Episcopi Gratianopolitani.

XI. Et B. Elphegi Archiepiscopi Cantuariensis.

XII. Exempla alia.

XIII. Ab exemplis reflectitur oratio ad Decreta Conciliorum ac potissimum Tridentina.

XIV. Decreta Conciliorum Mediolanensium.

XV.

XV. Multa animadvertuntur in Concilia hæc Mediolanensia. Quando in justitiam, quando in charitatem peccet avaritia Beneficiariorum. Quæ sint superflua Clericorum.

XVI. Doctrina Sancti Thomæ.

I. IN Concilio Parisiensi anno 1212. multa constituta sunt ad moderandam Cœnobiorum disciplinam, quæ non injuria ad omnes Beneficiarios trahi possint, ut qui ejusdem generis bonorum administratores sint. Pronuntiatum est autem ab hujus Concilii Patribus, cum Christi lege & præcepto constringantur Laici ipsi ad eleemosynas erogandas, multò magis teneri Monachos ac Regulares omnes, ut pauperibus & infirmis, ægrisque nulla re desint, nec de usitatis hactenus eleemosynis quidquam decerpant. *Cum ad opera misericordia indigentibus exhibenda, non solùm Regulares, verùm & sæculares ex præcepto Domini teneantur: Religiosis maximè præcipimus, curæ infirmantium & debilium adhibeant operam diligentem, & reditus assignati eleemosynæ nullatenus imminuantur, vel aliis usibus deputentur, & subtracti restituantur. Idem de infirmariis duximus statuendum. Part. 2. c. 4. 5.*

II. Sectanda quoque hospitalitas est, qua non divites tantùm excipiantur, sed maximè pauperes, in quos dispensabuntur reliquiæ mensarum, vestium, & ejusmodi aliorum, nihil ut hinc possit à quoquam in propriam domum derivari, aut privatis indulgeri affectibus. *In hospitalitate quoque exhibenda, non tantùm potentibus & familiaribus, sed pauperibus & magis egentibus, secundùm uniuscujusque conditionem & loci facultatem, præcipimus, ut in necessariis adhibendis curam adhibeant. Præcipimus etiam ut eleemosyna pauperibus deputata secundùm uniuscujusque domûs constitutionem, sive in cibariis, sive in veteribus indumentis, vel calceamentis nullatenus eis subtrahantur, vel causa familiaritatis illicitè aliis conferantur.*

III. Operæ pretium est autem hîc observari, hujusmodi statuta, non Regulæ aut professioni inniti Monasticæ, sed naturæ ipsi Beneficiorum, & inexplicabilibus legum nodis, quibus Beneficiarii omnes vinciuntur. In Beneficiis enim jure etiam meritoque Monasteria numerantur, & nativam singuli Monachi præ se ferunt imaginem Beneficiariorum primæve Ecclesiæ, quibus non alii proventus erant, aut fundi, quàm menstruæ, vel diurnæ sportulæ ac distributiones, quarum ea essent copia moderatissima, ut victui ac vestitui sufficeret, non deficeret, non redundaret. Nullum hic onus Monachis imminet præcipuum, quod non & aliis incumbat Beneficiariis omnibus, nisi singularis quædam & addictior professio sacris legibus Ecclesiæ obsequendi. 2. Ex quo id efficitur, Si peculiares Monasticorum Ordinum Constitutiones, Legesque Conciliorum id Regularibus indicant, sanciantque, ut propria quædam & justa redituum portio seponatur, hæc quidem eleemosynis pauperum, hæc infirmis, alia denique hospitibus; si ad id jubeant esse in Monasteriis Administratores proprios, qui hæc curent, Eleemosynarios, Infirmarios & Hospitalarios, quas voces idem usus emolliet, qui invexit, & pervulgavit: si illud caput esse velint, ut in hac tota dispensatione pauperum maximè ratio habeatur, totumque charitati detur, nihil propriæ cupiditati, nihil carni & sanguini: si præcipiant reliquias omnes mensarum & vestium Monasticarum pauperibus erogari, cum se suaque Monachi omnia paupertati devoverint; si postremo superflua omnia Cœnobiorum declarent, sejuncto cultu frugali Monachorum, pauperibus deberi: id totum ex eo manare fonte, quòd bona Ecclesiæ omnia ex eleemosynis derivata haustaque sint, eum saporem gustumque retineant, eam naturam suam esse vociferentur, nec alium in usum ritè vocari nequeant, quàm in quem eleemosynæ omnes referuntur. 3. Jubet hoc Concilium, ut si quo in Monasterio detortum, & ad alios usus inflexum sit, quod Eleemosynarii juri & functioni destinatum fuerat, non modò id corrigatur vitii, sed & pauperibus restituatur, quidquid eorum solatii subtractum succisumque fuerit. Ex quo Beneficiariis omnibus forma præstituitur, ad quam seipsos effingere & elimare debeant; ut si quid ab eis ejusmodi commissum sit, in seipsos piè & salubriter sæviant; cum hæc à Concilio Monachis, non ut Monachis, sed ut Beneficiariis præscribantur. 4. Hinc vetat idem Concilium, ne in Prioratibus numerus minuatur Monachorum, quandiu nec reditus minuentur. Imminuendo enim Monachorum numero, decresceret & numerus pauperum *Indignum nimis est, quod in quibusdam Prioratibus numerus Monachorum ibidem Deo servientium diminuitur, vel adnihilatur, cum ipsæ facultates Ecclesiæ non sint imminutæ. Can. 22.*

IV. In Concilio Mompessulano anni 1214. decretum est, ut quidquid superesset reliquiarum post prandia & cœnas Monachorum, vel Canonicorum communi vitæ societatem sectantium, id pauperibus distribueretur. *Quæ de justitiis in pane, vino, vel pulmentis supersunt, nullus de servientibus alicui largiri præsumat; sed universa colligantur ab eo, qui curam refectorii obtinet, & juxta ordinationem Abbatis vel Prioris pauperibus tribuantur. Can. 22.* Cui si Regulę religiosè servitum fuisset, non in eum scopulum impegisset Petrus Damiani, ut calamo censorio suo sæviret in Concilium Aquisgranense, & in nonnullas Constitutiones alias, quæ exuberantes quasdam panis & vini, totiusque annonæ distributiones Canonicis adjudicavere. His enim infundebatur copiosissimè, non solùm quo ipsi, sed & quo per ipsos alii vescerentur, dabatur, quod darent; ut his religiosis largitionibus, & veluti sanctissimis charitatis hostiis manus ipsi suas consecrarent.

Voluit & Oxfordiense Concilium anni 1222. ut Monachis Monialibus copiosissimè subministraretur & redundaret, quidquid hactenus solitum fuisset distribui, & mensæ apponi, ut reliquiarum quidquid erat incunctanter in pauperes spargeretur, nec vel Abbas, vel Eleemosynarius ex ea abundantia quidquam posset aliò detorquere. *Omnia etiam victualia Religiosis apponenda sine subtractione eis apponantur, tam in Conventu, quàm alibi, ubi reficiuntur de omnibus appositis. Totum residuum sine diminutione aliqua cedat in eleemosynam indigentibus fideliter erogandam, ita quod nec Abbas, nec Prior, nec Eleemosynarius possit hoc dispensare. Can. 43.* His graves quædam pœnæ attexuntur in transgressores ejus Canonis, quo patet multa superflua consultò illata fuisse mensis, ut in pauperes ea effunderentur, quorum jure suo sunt omnia superflua.

Non alia est natura & conditio annuorum & statorum proventuum Beneficiarii cujusque, quàm distributionum manualium: utrobique quidquid reliquiarum est, honestè & frugaliter sustentato Beneficiario, hic jam proprius est & legitimus pauperum census. Ejus rei invictissimum quoddam videtur ex Gratiano proferri posse argumentum. *12. q. 1. post. cap. 25. 27.* Quærit ille an potuerit mensa communis scindi in plures Præbendas. Respondet autem innoxiè id fieri potuisse propterea quod ut superflua communis mensę, post Canonicorum omnium frugalem in commune sustentationem, pauperibus distribuebantur: ita Præbendæ cujusque superfluum omne, Canonici victu & cultu seposito, in pauperes effluit, quibus æquè compendiosa est utraque hæc superfluorum in eos effusio. *De rebus verò Ecclesiæ quæritur, an liceat eas per Præ-*

Præbendas dividi, ut annuos reditus quisque sibi specialiter vendicet? His ita respondetur: Sicut perfectione charitatis manente secundùm discretionem Ecclesiarum, distributio fit Ecclesiasticarum facultatum; dum aliis possessiones hujus Ecclesiæ ad dispensandum committantur; ex quibus licèt res Ecclesiæ omnibus debeant esse communes, primùm tamen sibi, & suæ Ecclesiæ deservientibus necessaria Episcopus subministret, reliqua quæ supersunt fidelium usibus ministraturus; ita & Præbendæ Ecclesiarum eadem charitate manente piè & religiosè possunt distribui: nec tunc rebus Ecclesiæ ut propriis, sed ut communibus utilitatibus deservitneis; ut ex his, quæ sibi assignata sunt, primùm sibi necessaria percipiat; si quæ verò suis necessitatibus supersunt, in communes usus Ecclesiæ expendat. Quod eodem redit, acsi diceretur, portiones singulas mensæ communis ita in Præbendas sectæ, ejusdem esse naturæ, iisdemque subesse legibus, quibus tota ante sectionem mensa ipsa; utrobique Beneficiariis primò necessaria vitæ præsidia addicuntur, reliqua vendicantur Ecclesiæ & pauperibus. Aliàs ea partitio iniqua & injuriosa fuisset, damnosaque pauperibus.

V. Ex Synodo Excestrensi in Anglia anno 1287. manifestissimè similiter demonstrabitur, æquè obligari Clericos, atque Monachos, superflua Beneficiorum ut in pauperes effundant. *Et licèt Ecclesiastici quidquid vitæ suæ necessitati eis superfuerit, de patrimonio Jesu Christi in usus pauperum, quorum dispensatores existunt, teneantur ex debito erogare, &c. Can.18.* Clara hæc sunt, nec cavillandi locus est ullus. Tenentur & sæculares Beneficiarii, non aliter, quàm Regulares, pauperes suis impartiri superfluis omnibus, non ubi superfluitati ipsi suæ, sed ubi necessitati fecerint satis. *Quidquid vitæ suæ necessitati superfuerit, de patrimonio Jesu Christi in usus pauperum, quorum dispensatores existunt teneantur ex debito erogare. Can.4.*

In Concilio Londinensi anno 1342. Patribus ibi congregatis displicuit, quòd Regulares, qui Parochiales regebant Ecclesias; nullis Parochianos suos eleemosynis recrearent, quo eò tandem adducti sunt, ut sancirent ab Ordinariis certas definiri eleemosynas ab illis erogandas, & Episcopalem interponi authoritatem, quo huic statuto omnes morigerarentur. *Statuimus, quod Religiosi Beneficia appropriata obtinentes Ecclesiastica, secundùm Beneficiorum hujusmodi facultates, annis singulis pauperibus Parochianis certam eleemosynæ quantitatem, ipsorum Ordinariorum moderandam arbitrio, per ipsos Episcopos distribuere compellantur, sub pœna sequestrationis & subtractionis fructuum.*

VI. Si reprehensa non est à Concilio Parisiensi modò laudato ea hospitalitas, quæ ne divitibus quidem aditum intercludit, quanquam impensius pauperes excipi commendatum sit; non inde inniti poteris, non pauperum tantum patrimonia esse res Ecclesiæ. Sed illud altiùs consulens vidit Conciliorum sapientia, pauperibus dari, quod divitibus impenditur, quorum illis conciliatur protectio, amor, custodia, liberalitas. Longius latiusque propagabantur Vuani Archiepiscopi sanctissimi Hamburgensis largitiones, ut ex Adami Chronico patet; Reges ipsos Septentrionalium Regionum muneribus colebat, & sua sibi munificentia conciliabat, effuso in hæc opulentissima dona Ecclesiæ suæ ærario locupletissimo, quibus delinimentis illos habebat sibi, Ecclesiæque propitios, & dicto audientes. *Ut serenissimos Reges Aquilonis hilaritate suorum munerum ad omnia, quæ voluit, benignos obedientesque haberet. Baron. an.1013. n.8.* Qua de re nos alibi plura.

VII. Ineluctabilibus porro argumentis constat, in pauperes potissimùm profundi debere res Ecclesiæ. Petri Damiani vitam ex alumnis ejus, qui literis consignavit, non siluit, qua ille charitate, qua largitate esset in pauperes, egenos, nudos, ægros. *Quis in vestiendis nudis, in reficiendis egenis, in visitandis ægrotis, promptior illo potuit esse unquam?* Fores ejus semper obsidebant pauperes: *Turba pauperum Episcopalia limina quotidie frequentante*, Hospites semper adhibebat, quandiu Episcopatu functus est, sed nec egeni ægrique excludebantur. *In suis conviviolis, quæ semper ex more cum hospitibus communicabat, si qui egeni circumquaque per regionem lectulis decumbebant, oblivisci ab eo minimè poterant.* Largiri se negabat quidquam, sed debita exolvere, ut qui res Ecclesiæ commendatas, non suas haberet: dispensatorisque, non domini & possessoris partes impleret. *Ajebat enim se dominicarum rerum constitutum fore ministrum non dominum; dispensatorem, non possessorem. Bollan. die 23. Febr. c.8.*

Si quid ergo præciperet Episcopis Damianus; exemplo ipse Episcopus quoque prælucebat. Datis quippe Epistolis ad Episcopum rerum Ecclesiæ dilapidatorem, illum contestabatur, tot pauperum interemptorem illum esse, quot pauperes his ejus expensis, viduæ, orphanique ali potuissent: *An ignoras quia ad hoc Ecclesiis prædia conferuntur, ut ex eis pauperes sustententur, indigentes alantur, & ex eis viduis atque pupillis subsidium procuretur?* Addebat & illud, qui primum Ecclesiæ agri fundique donati fuerant, eos divenditos fuisse, ut illorum pretio indigentibus succurreretur; exinde verò servatos fuisse, ut ex eo velut inexhausto charitatis fonte rivuli manarent perennes piarum largitionum. *Procedente tempore Ecclesiarum Rectoribus visum est, ut ipsa potius prædia venderentur, unde scilicet non modo Clericos sacris excubantes officiis Ecclesia pasceret, sed & refrigerii stipem diversis indigentibus & inopia laborantibus ministraret.* Homicida ille pauperum execrandus est, qui debito illos pane defraudat. *Perpende ergo quantorum homicidiorum in die judicii reus erit, qui modo tot viduis, tot orphanis, diversisque pauperibus, unde vivere debeant, subtrahit? Si damnatur ille, qui vel unum perimit hominem ferro; qua sententia dignus est, qui bona Ecclesiæ profligando, complures interficit, famis & inopiæ gladio? Baron. an.1055. n.2.* Peræquè frustrantur pauperes, si nulla ad eos derivatur pars rerum Ecclesiæ, & si ejus fundi alienantur. Si vita ejiciuntur, dissipatis fundis, quorum fructibus victitabant: æquè inhumaniter interimuntur, ubi fundorum fructibus penitus arcentur.

VIII. Id videtur Bernardo persuasum fuisse, non posse templa, maximè Regularium, auro, argentoque, & splendidioribus ornamentis ultra modum congestis condecorari; quod non aliter ferè id fieri possit nisi templis viventibus dilabentibus, nisi pauperibus, in quibus Christus habitat, inedia deficientibus. *O vanitas vanitatum, sed non vanior, quam insanior! Fulget Ecclesia in parietibus, & in pauperibus eget. Suos lapides induit auro, & suos filios nudos deserit. De sumptibus egenorum servitur oculis divitum. Inveniunt curiosi, quo delectentur, & non inveniunt miseri, quo sustententur. Apolo. c.12.* Multò impatientius tulisset Bernardus, res pauperum necessitatibus dicatas divitum Clericorum luxu & voluptatibus disperdi.

IX. Cum gravi annona conflictaretur Urbs Roma, octo mendicantium millia aluit Innocentius III. præter eos, quos certis in ædibus sustentabat. Jam inde ineunte Pontificatu suo pauperibus addixit oblationes omnes, quæ sibi obveniebant ex Ecclesia Sancti Petri, decimam omnium aliorum proventuum, ac denique oblationes omnes, quæ ad pedes ipsius prisco more effundebantur. *Universasque*

que oblationes proveniebant ad pedes ipsius secundum antiquam consuetudinem accipiebat eleemosynarius erogandas. Rainal. an.1202. n.31. 32. Reliquis supersedeo enumerandis ejus charitatis monumentis, quę in ejus Gestis describuntur; unum addo in quo plurimum momenti sit: constructum ab eo Romę fuisse Xenodochium Sancti Spiritus, quòd omnium toto orbe Xenodochiorum opulentissimum est, & excipiendis hospitibus miserabilibusque maximè obvium.

X. Beatus Hugo Gratianopolitanus ille Episcopus, cujus vitam scriptis mandavit Guigo V. majoris Prior Carthusiæ, *Surius die 5. April.*, verbis, an exemplis incertum, vehementius omnes ad eleemosynas conduplicandas incendebat; ubi suæ familiæ necessitatibus fecerat satis, reliqua omnia in paoperes expendebat, ne successoribus suis acervatas dimitteret, aut litium, aut voluptatum sementes. Cum gravi aliquando penuria & fame laboraret regio, vasa sacra confregit & dilargitus est. Vide quàm procul esset à liguriendo pauperum patrimonio; inter pauperes Ecclesiæ suæ se quoque ipsum numerari volebat, quin & seipsum & familiares suos eo verberabat probro ac convitio, quòd non cum egenis aliis egerent & mendicarent. *Eleemosyna sanè fuit & per se diligens executor, & in aliis etiam fervidus exhortator. Exceptis enim domus sua dumtaxat necessitatibus, cuncta pene qua consequi poterat, non in thesauros congerebat, posterorum, vel dissipanda litibus, vel consumenda luxibus; distribuit latus egentibus. Denique annulos aureos & gemmatos, calicem etiam similiter aureum tempore famis magna vendidit, & alendis impendit pauperibus, &c. Non aquum putabat Ecclesiarum bona, qua patrimonia sunt astimanda pauperum, in aliorum expendi prasertim malorum usibus hominum: immo magis semetipsum tanquam ex pauperibus unum graviter accusabat, quod sibi ac sociis de rebus sibi commissis competentem sumeret copiam, ac non potius sustineret cum pauperibus & ipse pauper inopiam. Cap.27.*

XI. Elphegus de quo non pauca jam delibata sunt, Vintoniensis primo Episcopus, postea Archiepiscopus Cantuariensis, neminem unquam Diœcesanorum suorum mendicare passus est, alienarum Diœceseon mendicantes nunquam indonatos rejecit; palam profitebatur, qui Christi membris non condolerent, eos se ab ejus corpore divellere; sacra vasa & ornamenta opulentissima Ecclesię suæ coacervaverat, quæ postea urgente gravi publicaque penuria pauperibus erogavit: iis enim Ecclesiam ornari, dum rerum copia exuberat: his necessitates levari, dum famis angustiæ urgent. Aures hic adhibendæ Osberto Ecclesiæ Cantuariensis Monacho. *Nullum Parochianorum suorum publicè mendicare permisit, nec alterius loci pauperem vacuum abire sivit: immane horrendumque nefas reputans, si quod natura commune constituit, hoc velit homo ceu proprium usurpare. Quapropter nec Dominici Corporis membrum esse, qui pauperum indigentiis nollet subvenire, diligenter disputabat. Nam si patiente uno corporis membro compatiuntur catera, compertum est ejusdem corporis membrum non esse, quod patiente alio compassionis affectum nescit habere. Ubi vero illa defecerunt, qua ex jure Ecclesię ministerio pauperum competere potuissent, thesauros Ecclesia, quos multiplices paraverat, jubet distribui, docens ex hoc ornatissima quęque Ecclesias possidere, ut tempore fœlicitatis sint honestati, tempore verò necessitatis sint utilitati. Surius die 19. April.*

XII. His possent longè plura accumulari exempla. Beati Antonini Archiepiscopi Florentini, B. Thomæ de Villanova Archiepiscopi Valentini, Beati Laurentii Justiniani primi Venetiarum Patriarchæ, Beati Caroli Archiepiscopi Mediolanensis pastoralis sollicitudinis laudibus & experimentis innumeris accedere nihil potest, ejus videlicet, quæ Pastoris ipsius penuria oves pascit, nuditate vestit; & eleemosynas non aliter interpretatur, quàm ut æs alienum, quod exolvatur, aut ut deposita commendata, quæ bona fide restituantur. Testis locuples & idoneus Giossanus de B. Carolo affirmat, de patrimonio suo nihil unquam illum laborasse, curam ejus omnem abjecisse, augmenti nihil unquam fieri passum esse; frequens hoc illi & familiare fuisse. *Dispensatorem tantummodo esse Episcopum, non dominum rerum Ecclesia; ideoque nec arbitratu suo posse eum sumptum facere, maximè in saculi pompas & delicias; denique expendi ab eo nihil posse, nisi in utilitates Ecclesia, & Dei cultum. L.8.c.25.* Occurret & infra ubi de his sanctissimis Pontificibus aliquid specialius memoretur. Unum hic illud addam ex Thoma Cantipratensi, de Cancellario Ecclesiæ Parisiensis Philippo, qui post mortem visendum cum se præbuisset, eo etiam nomine æternis se ignibus addictum fuisse confessus est, quod Ecclesiasticos proventus suos recondidisset, non in pauperes statim effudisset. *Quod excrescentes fructus annuos contra pauperes timidè reservavi. L.1. c.19. n.6.*

XIII. Utque unde recessit, eò revocetur oratio, rursum ad Concilia revolvamur. Concilii Ravennatis Patres 1311. ita pronunciarunt. Cum res Ecclesiæ res sint pauperum, Episcoporum, Capitulorum, & Cœnobiorum muneris esse, ut pro charitatis, pro abundantiæ suæ modo eleemosynis largissimis studeant; ut Episcopi certo numero pauperes quotidie prandio adhibeant; denique ut in omnibus Civitatibus, Diœcesços & Provinciæ regionibus, spectatæ sapientiæ & religionis viri deligentur, qui Collectis præsint faciendis pro iis, quos mendicare verecundia prohibet; qui in has Collectas aliquid pecuniæ contulerint, iis quadraginta vicissim dierum indulgentias consecuturos, si non simulata animi pœnitudine peccata sua in aures sacerdotum effuderint. *Cum bona Ecclesiarum sint pauperum, statuimus quod de catera, & prout sapius & melius poterint, fiant juxta possibilitatem eleemosyna generales per Episcopos & Capitula Cathedralium Ecclesiarum, & Abbates, seu Conventus Monasteriorum habentium sufficientes reditus ad ea. Et quilibet etiam Episcopus secundum suum beneplacitum & possibilitatem quotidie in prandium reficiat aliquos pauperes. Et ut pauperibus verecundis valeat provideri, &c. Can.30.*

Inter ea repurgandæ, & ad puriorem formam refingendæ sacræ disciplinæ Capita, promulgata quæ sunt in Anglia à Cardinali Polo Apostolicæ sedis Legato anno 1566. Beneficiariis præcipiebatur ne avaritiæ sordibus imputari posset, quæ eis commendabatur frugalitas,, omnia eorum superflua largè spargerentur in alendos pauperes, vel instituendos Clericos juniores, ut olim B. Gregorius Augustino Anglorum Apostolo præceperat. *Decreto 5. Ne sumptuum moderatio avaritia tribuatur, quidquid ex fructibus Ecclesiarum, deductis eis, qua earum oneribus sustinendi & ipsis atque ipsorum familiaribus necessaria sunt, superierit, id omne juxta illa, qua Beatus Gregorius Papa Augustino Episcopo de fructibus Ecclesia dispensandis rescripsit, ad pauperes Christi suscipiendos & alendos, ad pueros & adolescentes in scholis & studiis educandos, atque in alia pia opera ad Dei gloriam & proximi utilitatem & aliorum exemplum distribuant. Sint patres pauperum, sint orphanorum, viduarum & oppressorum refugium & tutela.*

In Concilio Tridentino Episcopis, cæterisque Beneficiariis innovatus est Apostolicus Canon, quo vetantur res Ecclesiæ proximis largiri, quod ee res

sint pauperum, & Christi patrimonium, quo arcendi proinde illi sint, nisi sint pauperes; nec nisi pro paupertatis modo donandi. *Omnino eis interdicit Synodus, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant. Cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant. Sess. 25. c. 1.* Quin disertè confirmatur, usque adeo fiscum Ecclesiæ fiscum esse pauperum, ut ne in consanguineos quidem Episcopi, nisi ut in pauperes delibari inde quidquam possit.

XIV. Sed nusquam disertius enucleari potuit voluntas Concilii Tridentini, & innovata ibi Conciliorum antiquorum disciplina, quàm in Concilio Mediolanensi I. anni 1565. ubi sancitum est, constantissima & ineluctabili antiquitatis Ecclesiasticæ traditione, cum res Ecclesiæ temporales donatæ non fuerint, nisi ad modicum & parcum Cleri cultum, ad Sarta tecta, & ornamenta Ecclesiarum, atque ad alimenta pauperum, eam esse bonorum Ecclesiæ incorruptibilem legem, nullos ut in alios, quàm in charitatis & sanctitudinis usus derivari possint. *Si quidem ubi primum Ecclesiæ bona esse cœperunt, eam naturam & conditionem consecuta sunt, ut in alium, quàm sacrum & pium usum eorum fructus converti nefas esset. Acta Eccl. Mediol. pag. 39.* Tum seriò admonet Concilium eos, qui ea gestant Beneficia, quibus onera incumbunt aliqua, sive ipsa in genere natura rerum Ecclesiæ, sive ex speciali quapiam institutione, sive legibus eorum provisioni additis, nisi his oneribus satisfaciant, gravi eos sacrilegio irretiri, & ad restituendum obligari: eamque in rem excubaturos vicissim Metropolitanos & Episcopos, & in alios pariter Beneficiarios, ut vel oneribus fiat satis, vel fructus restituantur. Qui verò ea obtinent Beneficia, quorum proventus haberi possit veluti justa & æqua merces laboris & obsequii eorum, si redundent hi proventus ultra necessitatis & parci modestique cultus modum, hanc omnem indubitatissimè redundationem ad ornandas Ecclesias, & alendos pauperes effundi debere. Si tum verò his superfluis suis pauperum necessitatibus non succurrant, tum verò homicidii nexu eos implicari, & gravissimè adversùs charitatis legem committere. *Si verò qui Ecclesias & Beneficia Ecclesiastica quæcumque obtinent, quorum fructus ad eos velut divinorum obsequiorum Ministros honestè sustentandos propriè sunt attributi; si uberiores sint, quàm ad tuendam vitam conditionisque suæ rationem requiratur, dubitare non debent, ad eum finem hanc copiam illis esse attributam, ut præter ea, quæ ad victum & cultum eorum satis essent, suppeterent etiam quibus divini cultus ornatus ac splendor conservaretur, & pauperum inopia & indigentia sublevaretur; quemadmodum etiam Deus plerosque divitiis cumulat, ut amicos sibi faciat, à quibus cum defecerint, in æterna tabernacula recipiantur. Quapropter per viscera misericordiæ Jesu Christi obtestamur, atque monemus, ut meminerint ea bona non sibi esse credita ad luxum, neque ad augendos consanguineos, sed ad vitam honestè, ut fidelem Dei ministrum & pietatis Christianæ Magistrum decet, traducendam. Ex eo verò, quod supererit, si necessaria pauperibus alimenta denegaverint, intelligant se quos non paverint, occidisse; atque ob violatam sanctissimæ charitatis legem mortale peccatum commisisse, quo sibi iram in die iræ thesaurisaverunt.*

XV. Siquid ex hujus contextus prolixitate emerserit tædii, id facillimè abstergebitur, his pernecessariis observationibus. 1. Beneficiorum & Beneficiariorum duplicem hic classem sejungi. Aliis enim onera imminere & impensas quasdam certas, vel communibus rerum Ecclesiæ legibus, vel specialibus conditionibus fundationis Beneficii ipsius, aut peculiaris provisionis suæ. Aliis nulla incumbere propria onera, sed affluere proventus, in eum usum adsignatos, ut iis honestè & commodè alantur Clerici, qui qua par est fide & frequentia divinis officiis & altaribus insistent. *Quorum fructus ad eos tanquam divinorum obsequiorum Ministros honestè sustentandos, propriè sunt attributi.* 2. Ex hoc discrimine discrimen extitit aliud; priores illos sacrilegio obligari, & restituendi necessitate, si minùs fungantur officio; posteriores hos gravi constringi quidem illos piaculo adversùs charitatis leges, ni superflua erogent in pauperes omnia; sed non juberi hoc Concilii Canone, ut restituant. 3. Ea autem ratione nititur hoc Concilii Decretum, quod origo, institutio, natura, lex Beneficiorum & bonorum Ecclesiæ ea sit, ut sicut donata fuere, ita & necessariò expendenda sint in alendos pauperes, & restaurandas, ac ornandas Ecclesias. Hoc ergo Concilio innuitur esse eleemosynas, quæ fundatione ipsa Beneficii, vel institutione Beneficiarii nitantur, quibus adeo defraudare pauperes nemo queat, quin graviter peccet, & restituere teneatur. At ubi ejusmodi Beneficia sunt, quæ instituta fuerint ad alendos Clericos eos, qui Ecclesiæ interim obsequiis vacarent, utpote Canonicatus, Præbendæ, portiones, Capellæ, & id genus alia, tum ubi in pauperes non erogantur superflua, peccari tantummodo contra charitatem, sed criminosè peccari, & in charitatem committi, quod facinus non aliàs facilè, quàm operibus charitatis eluatur.

Mox verò idem Concilium definit, quæ sint hæc superflua, modicè & frugaliter sustentato Beneficiario, & qui sit hic modicus & honestus Beneficiarii cultus, victus, vestitus, ut superflua jam sint cætera, & pauperibus largienda. Eum verò honestum pronunciat cultum, cui moderatur non ambitio & luxus, non origo & nobilitas Beneficiarii, sed decreta Pontificum, & Canones Conciliorum, super frugalitate editi, & moderatione Clericorum in epulis, supellectile, vestibus, & toto domestico instrumento. *Modum autem & rationem, qua metiri se pro conditione & gradu unumquemque oporteat ad vitam suam fructibus Ecclesiasticis honestè ducendam, eam esse omnes debent intelligere, quæ ab iis non discrepet, quæ in sacris Canonibus, & præsertim in his nostris Constitutionibus de Clericali frugalitate & modestia constituta sunt. Quæ verò de fructibus Ecclesiasticis dicta sunt, eadem etiam de supellectili omni, cæterisque rebus, quæ iisdem fructibus comparata sunt, dicta esse intelligantur; ne quæ de domestico Ecclesiasticorum hominum cultu & ornatu per nos in hac Synodo decreta sunt, aut ad propriam avaritiam, aut ad propinquorum splendorem statuta esse videantur.*

XVI. Id quoque affirmat grande Scholæ Theologicæ lumen, decusque B. Thomas, summos quosque Principes ea Prælatis esse largitos, quæ largiebantur, ut in pauperes transfunderentur, quorum videlicet procuratores sint & provisores Episcopi. *Videtur quod malè fecerint Principes & alii dando divitias Prælatis. Responsio; Dicendum est, quod non dederunt Prælatis propter se, sed propter pauperes. Et ideo non dederunt eis, sed pauperibus. Prælatis autem dantur, tanquam pauperum dispensatoribus. In Epist. 2. ad Corint. c. 12. lect. 5.* Quod & alibi luculentius ubi docet Prælatos proprii quidem dominii sui dominos esse: *Propriorum bonorum verum dominium habent;* at bonorum Ecclesiæ Dispensatores dumtaxat eos esse. *Ecclesiasticorum bonorum sunt dispensatores, vel procuratores. 2. 2. q. 185. art. 7. in corp. & ad. 2.* Denique hoc ipso eodem loco illud diffinit, quod fecisse esse, & corroborasse videntur Patres Concilii I. Mediolanensis supra laudati. Declarat enim sanctissimus Doctor, si quid

Episcopus ante bonorum Ecclesiæ factam partitionem in suom penu detorqueret eorum, quæ reparandis Ecclesiis, vel solandis destinata sunt pauperibus, aut alendo Clero, tum illum lethali piaculo obligaturum præterquam quod restituere teneretur. At si rerum communium partitione semel instituta jam non ea sobrietate & abstinentia utatur Episcopus, ut pauperibus opitolari possit: commissurum eum adversùs præcepta charitatis. Denique incunctanter pronuntiat Sanctus Doctor, Episcopos, & omnes indiscriminatim Beneficiarios parcimoniæ suæ fructus ex proventu quolibet sacero, & ex propria etiam portione, proximis dilargiri non posse, nisi pauperes sint, tanquam pauperibus, non ut ditiores fiant. *Et ideo si de eo, quod usui Episcopi, vel alicujus Clerici est deputatum, velit aliquas sibi subtrahere, & consanguineis, vel aliis dare, non peccat, dummodo illud faciat moderate, id est, ut non indigeant; non autem ut ditiores inde fiant.* Si ex his autem argumenteria non dispensatores ergo tantùm, sed & dominos esse Beneficiarios proventuum Ecclesiasticorum, nec meros esse provisores pauperum, sed possessores; cum ex B. Thoma nec adversùs justitiam peccent sua in pauperes inhumanitate, nec restituere ex justitia teneantur. Respondeo abludere te & à vero & à B. Thomæ sensu, & verbis; disertissimè enim ille modò pronuntiabat Episcopos, *propriorum bonorum verum dominium habere, Ecclesiasticorum bonorum dispensatores esse, vel Procuratores; Principes temporalia bona Prælatis dedisse, non propter se, sed propter pauperes; non dedisse Prælatis, sed pauperibus. Prælatis dedisse, tanquam pauperum dispensatoribus;* His utique & sententiis & verbis inhærendum est, quibus quàm consentanei sint Sancti Patres & Conciliorum Canones, supra abundè ostensum est non frigidis distinctiunculis à doctrina Patrum & Conciliorum alienis.

CAPUT XXXIII. *P.4. l.4. c.11.*

Res & proventus Ecclesiæ patrimonia esse pauperum, quorum Beneficiarii dispensatores sint, post annum Christi millesimum.

I. Pontificias damnabat Petrus Damiani epulas, quibus Episcopi divites excipiunt de patrimonio pauperum.

II. Vituperat Anselmus eos Abbates, qui pareunt rei, & congerunt, nec statim in egenos effundunt.

III. Stomachatur Bernardus eu profundi, quæ pauperum necessitatibus dicata sunt.

IV. Pulcherrima Petri Blesensis præcepta ad filium Comitis, qui in Episcopalem sedem electus fuerat, super impendiis rerum Ecclesiæ.

V. Primævæ Cisterciensium Constitutiones tuendæ paupertati Monasticæ in sacra etiam Ecclesiasticam supellectili.

VI. Carthusiani & Canonici Regulares iisdem se propemodum Constitutionibus accommodavere.

VII. Nil vetat harum Congregationum bonis & proventibus multa accessisse intaminato & insoluto paupertatis amore, dum quæ par est diligentia & fide superfluum omne in pauperes effundant.

VIII. Admiranda Innocentii III. Papæ distributio rerum & proventuum Ecclesiæ, ejus mensa, supellex, ministri.

IX. Petri Alliacensis, & Jacobi Papiensis Cardinalium placita, de necessaria ipsi summo Pontifici Palatinorum sumptuum moderatione; & necessaria quadam Episcoporum supra Abbates pompa majore, quo & majori sint populis venerationi.

X. Dominus, an dispensator sit Papa rerum Ecclesiæ; doctrina ejusdem Petri Alliacensis.

I. NEmo nisi valde hebes & insanus Petrum Damiani suspicari poterit, aut Episcopis, aut Cardinalibus invidere, aut obtrectare potuisse, cum utriusque ejus Ordinis eminentissimi & illustrissimi potissimum decus ipse fuerit. Sed non ea observantiæ lege cohiberi se posse ille existimavit, quin censoria quadam virga insectaretur splendidiores quasdam epulas, ex rebus Ecclesiæ in ædibus Cardinalium & Episcoporum tunc valde frequentes; dum pauperes, quorum illi provisores erant, patrimoniique procuratores, inedia & ærumnis conflictarentur. *Quotidie regales epulæ, quotidie apparatus, quotidie nuptiale convivium. Et unde refrigerari debuerant indigentes, rubentiam trabearum reficiunt gestatores; & cum Episcopus dispensator debeat esse promptus pauperum, ad eorum mensam affluentibus deliciis alieni ructant, cum & illi, quorum est tota substantia, procul exclusi, famis inopia contabescant. Baron. an. 1061. n. 43.* Ita manifestè res Ecclesiæ res sunt pauperum, *quorum est tota substantia:* & pauperum dispensatores sunt Episcopi. *Cum Episcopus dispensator debeat esse pauperum.*

II. Cum B. Anselmus Monachum adhuc tantùm ageret, longè diverso vitio laborare sui Ordinis Abbates molestissimè ferebat, diverso inquam vitio, nec minus pauperibus infesto & exitiali. Adeo non enim res & reditus Monasteriorum dilapidabant, ut in eam se unam intenderent curam, ut nova in dies illis incrementa aggerarent. Non studebant tantum artibus fraudibusque litigatorum arcendis, variis ipsimet calliditatibus partes circumveniebant. Longissimè certè aberant à disseminandis in egenos sacris proventibus, qui ne rapinis quidem abstinebant, ut eos amplificarent. *Sunt multi Prælati nostri Ordinis, qui quasi solliciti, ne destruantur res Dei in manibus eorum, agunt, ut dissipetur lex Dei in cordibus eorum. Nam tantum conantur esse prudentes, ne decipiantur ab aliis; ut fiant astuti ad decipiendum alios. Adeo sunt cauti, ne fiant prodigi, & quæ habent irrationabiliter perdant; ut avari fiant, & quæ servant, inutiliter putrescant. Sic studiosè servis & pauperibus Dei & sancta loco semper satagunt aliquid acquirere, ut dolosè semper alicui tenent aliquid auferre. Sic animantur zelo corrigendi stultos, ut accendantur crudelitate aut cupiditate colligendi nummos. Leg. 1. Ep. 71.* Fatetur Anselmus bona Cœnobiorum res esse Dei & pauperum: *Res Dei, &c. Pauperibus Dei satagunt acquirere.* Sed cum ipsamet justitiæ lex Deus sit, vetat ille patrimonia injustis amplificari augmentis, vel rapinis. Cum Charitas ipsa Deus sit, displicet ei si hæreditas ejus cupiditatibus hominum sua debeat incrementa. Quin hæc jubet esse æraria charitatis, ut in quæ suas res congesserit pietas divitum, quò eas in pauperes effunderet charitas Beneficiariorum.

III. Elegantissimis illis aureisque B. Bernardus literis ad Senonensem Archiepiscopum datis, querimonias edisserebat pauperum, quorum ob oculos Prælati cæterique Beneficiarii in vanas & ridiculas pompas lasciviasque effundebant opes Deo dicatas ad pauperum & calamitosorum omnium levamen. Tam detestabilem perversitatem Aulici Magnates ridebant, pauperes execrabantur; cum abundaret & superflueret divitibus Clericis in æquos, epulas canes, id ipsum, quo ejusdem corporis membra fraudabantur, ejusdem Ecclesiæ filii, ejusdem æternæ consortes hæreditatis: & si quo deberent, res essent loco, jam nunc ejusdem Ecclesiastici patrimonii participes. *Dicite Pontifices, non quidem in sancto, sed in freno quid facit aurum? Quam tu-*

le-

lerabilius cernitur in sancto, quàm in freno. Hoc me etiam tacente, etsi non nucia Regum, tamen penuria pauperum clamat. Sileat licèt fama, sed non fames. Fama quidem silet, quia non potest mundus adisse vos. Nam quomodo arguet mundus peccatum, à quo potius laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur? Clamant verò nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicunt; Dicite Pontifices, in freno quid facit aurum? Numquid aurum in freno repellit frigus, aut esuriem? Nobis frigore & fame laborantibus quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis. Et nos enim Dei plasmatio, & nos Christi sanguine redempti sumus. Nos ergo fratres vestri. Videte quale sit de fraterna portione pascere oculos vestros. Vita nostra cedit vobis in superfluas copias. Nostris necessitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus vestris. Duo denique mala de una prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitando peritis, & nos spoliando perimitis. Epist.42. Addit Bernardus conticescere nunc quidem pauperes, quod inaccessæ & obstructæ sint eorum querelis Judicum aures in terris, sed fore ut aliquando ad aures æterni Judicis vociferentur, & exaudiantur.

IV. Cum ad Carnotensem Episcopatum electus fuisset filius cujusdam Comitis, & ad eum litteras ac præcepta exararet Petrus Blesensis, illico in mentem venit, quam gravis ex hoc natalium splendore extimescenda esset tentatio, adversùs modicum & temperatum Ecclesiastici patrimonii usum. Unde & statim Blesensis admonet, Episcopis non tam curæ esse debere, quantus sit census, quanti proventus Ecclesiæ suæ, sed qui mores, quæ civium esset ad virtutem indoles, pronitas ad pietatem. *Hodie in promotione quorundam prima quæstio est, quæ sit summa redituum, non quæ sit conversatio subjectorum. Veruntamen Deus non irridetur. Ep.15.* Adscitum illum esse à Deo ad amplissimam dignitatem, ut dignitatem ipsam ornaret, & ab ea vicissim ornaretur; ut fidelibus vias panderet salutis non ut proximos opibus augeret, vel honoribus. *Ad honorem vocavit te Deus propter onera, non ad multiplicandum numerum familiæ aut equorum, non ad dandas parentibus dignitates, sed ad dandam scientiam salutis plebi ejus.* Exemplo etiam Servatorem ipsum non solum verbo docuisse Episcopos, ut ministrare, quam ministrari malint, utque pauperum patrimonium ipsis communicatum velint quippe cujus rationes ab eis ipse districtissimè flagitaturus sit. *Si te illius discipulum profiteris, qui venit ministrare, non ministrari, sic ministra tu pauperibus, ut non vituperetur ministerium tuum; ut patrimonium Christi & pauperum ejus, quod tibi commissum est, in egentium necessitatem, non in usus extraordinarios expendatur. Patrimonii hujus zelator est Dominus, rationem tecum districtissimam positurus.*

Si consanguinitas autem illa Regum regio quoque eum apparatu & sumptu splendere cogeret: non è Christi & pauperum patrimonio regificas has expensas sustinendas esse: quin Pontificis potius modestia Christiani totum illum detumescere fastum debere. *Si quia filius Comitis, aut consobrinus Regis es, manu effusiore teneris expendere, necessitas hæc Christi patrimonium non contingit. Expensas, quas de rebus mundanis ferisses, aliàs fortassè enormes pro tua generositate, debet in rebus Ecclesiasticis Episcopalis modestia cohibere.* Usque adeo verò postea Carnotensis hic Episcopus beneficientiam & largitatem coluit, ut vel Petrus ipse modum aliquem poni optaverit, saltem quoad delectum eorum, quos tam largè donaret. Quanquam enim modus Episcopalium largitionum is esse debeat, ut sine modo detur, in pauperes tamen solos eas exundare debere. Quod crucifixi ea sit hæreditas, cujus dispensationem gerunt Episcopi. *Beneficiorum quæ pauperibus conferuntur, mensura debet esse immensitas. Non militibus, sed pauperibus erogare tenetur patrimonium crucifixi, cujus ipse non dominus, sed tutor est, ut misereatur & commodet ad usus egentium, tanquam testamentarius dispensator. Ep.20.*

V. Ut de Cœnobiis atque Abbatibus intertexam aliquid, Decretum hic referam Cisterciensis Abbatis anno 1109. editum, *Annal. Cisterc. Tom. 1. p.51. 273.* nec cruces, ne candelabra, ne thuribula ex auro vel argento in Ecclesiis suis haberent, nec ex serico sacras vestes, vel auro & argento decoras, sive cappas, sive Dalmaticas, sive tunicas. Exæstuavit postea vehementissimè B. Bernardus adversùs Cluniacensium in Ecclesiis suis incredibilem quandam opulentiam, lampadas rotasque stupendas, plus admirationis, quam pietatis intuentibus aspiraturas. Ita enim suspicabatur opes ostentari permagnas, quo etiam majores allicerentur: quo ne fingendo quidem cogitari quidquam posset religiosæ paupertati magis inimicum. *Dicite pauperes, in templo quid facit aurum, &c. Expenditur, ut augeatur, & effusio copiam parit. Ipso quippe visu sumptuosarum sed mirandarum vanitatum, accenduntur homines magis ad offerendum, quam ad adorandum. Sic opes opibus hauriuntur, sic pecunia pecuniam trahit, quia nescio quo pacto ubi amplius divitiarum cernitur, ibi offertur libentius. Ostenditur pulcherrima forma Sancti, currunt homines ad osculandum, invitantur ad donandum. Bernar. in Apolo.*

Idem statutum est in Capitulo Generali Cisterciensi anno 1134. quo vel in Ecclesiis ipsis longè pulcherrima splenderet paupertas Monastica, nec aurum usquam ibi, nisi in Calicibus esset. Confirmatum ibidem est & antiquum illud quoque Decretum, abdicandarum earum ingentium opum, quibus enervata tandem fuerat, & labefactata Cluniacensium disciplina, hoc est Primitiarum, decimarum, Parochialium Ecclesiarum, & nobilium ditionum, solis autem acquiescendi agris, quos colerent, & sylvis, quas excolerent, subigerentque. Sed non multo post tempore refrixit hic Evangelicæ paupertatis ardor vel apud ipsos Cistercienses; unde & anno 1171. Alexander III. Papa ad universos Ordinis ejus Abbates literas perscripsit stomachosas, querimoniisque & objurgationibus refertas, quod & ipsi defluxissent in eas disciplinæ corruptelas, quas Majores eorum non ita pridem Cluniacensibus exprobrabant. Jam enim cœpisse eos inhiare Parochiis, ditionibus, hominiis, jurisdictionibus, vastissimis latifundiis, ex quo tantæ opulentiæ luto exhalassent lites & rixæ quædam interminabiles in sæculari foro. Hinc compertissimum utriusque tum hujus Ordinis remissam & labefactatam disciplinam, non in alios fontes refundendam esse, quam in exaggeratos ultra modum divitiarum cumulos, hoc est in proventus annuos non, ut æquum erat, ipsosmet eodem anno in pauperes effusos, sed in plures annos, & in immensas moles coacervatos. Ex ea Alexandri III. Epistola pauca hæc excerpam. *Ab illa sancta institutione dicitur declinatum, in tantum ut aliqui ex vobis patria institutionis obliti contra Ordinis vestri Regulam villas, Ecclesias & Altaria possident: fidelitates & hominia benignè suscipiunt: justitiarias & tributarias tenent, & omne studium adhibent, ut termini eorum dilatentur in terris, quorum conversatio in cœlis debet esse: Inde est, quod vobis ab aliis, qua foris sunt contentiones & litigia suscitentur; & Abbatibus in causis forensibus occupatis ut plurimum, in commissis domibus & tepor ordinis, & dissolutio nascitur charitatis; maximè quia cum paupertate charitas plus proficit. Hortamur* qua-

quatenus domus illa, quæ à prima sui origine in ipso ordine sunt fundata constitatis terminis sint contenta; nec velint inordinatè ad ea manus extendere, quę sine laboribus & periculis multis, & deinde sine criminibus & magna confusione non poterant retinere. Annal. Cisterc. Tom.2. p.320.

VI. Canonicis Regularibus eadem instillabat præcepta Hugo Victorinus, ut terras & greges possidere mallent, quàm decimas, oppida, vicos, dominia, jurisdictiones: quin immo ne agros quidem ultra nescio quem sobrietatis modum finemque, quem transilientes necesse est incurrere in spinosissimas & innumerabiles lites, non sine crebra concussæ justitiæ invidia. *Agros, vineas, pecorum greges, hortos, prata, lacus nutriendis piscibus aptos, fratribus habendos concedimus; hæc enim victui necessaria præbent. Decimas verò non recipiant, nisi de illis quos colunt agris; non villas, non earum reditus, non jura fori, non telonei nummos, &c. Non obtineant Judicis vices, nec more Principum militibus dominentur, sed oppressis subveniant, &c. Ne multa quamvis licita possideamus, &c. Multa possidere propinquum est cupiditati, & sic quandoque quod nimium diligitur, malè defendi solet. De Claustro Animæ. L.2. c.5.*

Eodem testimonio ornavit Petrus Cluniacensium Abbas primordia Chartusianorum, ut ne in eas delaberentur molestias & difficultates, anxietates, rixasque, quæ individuæ sunt comites nimiarum opum, statuisse eos ne numerus cujusque Cœnobii Monachorum ultra duodecim excresceret, decimotertio addito Priore; huic respondebat & Conversorum, & conductitiorum numerus, modusque agrorum illis alendis consentaneus, constantissimo inito proposito intra hos sese limites cohibendi, ut ne implicarentur negotiis, litibus, discursationibus, & litigantium periculosissimis calliditatibus. *Cupiditatem, quæ radix omnium malorum dicitur, & avaritiam, quæ idolorum servitus vocatur, ita radicitus evulserant, ut certos terminos juxta locorum suorum fertilitatem aut sterilitatem in circuitu cellarum suarum majores minoresve præfigerent, extra quos etiamsi totus eis offerretur mundus, nec saltem quantum pes humanus occupat, terræ spatium acciperent. De Mirac. L.2. c.28.*

VII. Cautissimè tum quidem hæc & sapientissimè constituebantur; nec his tamen sanctissimis Congregationibus nos irasci fas est, si lapsu temporis ea secutæ sunt consilia, quæ his capitaliter pugnare videantur; dum ne unquam desciverint ab ea incommutabili pietatis & sobrietatis regula, quod & illæ semper professæ sunt, ut singuli necessario & modico cultu contenti essent, superflua pauperibus erogarent. Non ita magni refert, modicas, an ingentes opes Beneficiarii, Episcopi, Abbates obtineant. Non semper satis fida comes hæret virtuti paupertas. Non semper in vitio sunt opes. Est & ubi ex opibus heroica quædam virtus exurgat, & supra modum resplendeat. Sed permagni omnino interest, ut de quocumque, & de quantocumque proventu Ecclesiastico non delibet, qui frugi se esse vult, nisi necessarium victum, reliqua incunctanter in pauperes dispergantur, non seponantur unquam in futuros usus, non augeantur, non accumulentur fundi reditusve. Qui eo sunt animo, & quibus familiaris est is rerum usus, ii in summa opum abundantia paupertatis Evangelicæ retinentissimi sunt; quorum non is usus, non hic animus est, ii ne in ipsa quidem paupertate divitum vitiis & laqueis satis expediti sunt.

VIII. Intelligebat Innocentius III. quàm penes se depositum esset rerum Ecclesiæ, non dominium; nec vel se iis, nisi ut pauperem uti debere: cum abjecta aurea & argentea suppellectile, ligneam, vitreamque adhibuit; cum pretiosis pannis, armenisque muribus repudiatis, agni pellibus vestiri se maluit; cum mensæ suæ inferri vetuit ultra tria fercula, Capellanis suis duo, cum ejectis Nobilibus qui ei ante ministrabant, Clericos adscivit; cum denique seposita mediocri quantitate pecuniæ, quæ in necessitates Ecclesiæ ipsius reservari posset, reliqua omnia effudit in Monachos & Moniales, rerum necessariarum penuria laborantes. His Pontifex voluit usus sanctissimi rerum Ecclesiæ, non verbis tantùm, sed factis magisterium orbi Christiano, & futuris sæculis repræsentare; & majore posthac fiducia in Prælatos pertonare, qui suis ab exemplis & vestigiis longius aberrarent. Audieodus Scriptor vitæ ejus. *Rainald. an.1216. n.15. Quia verò superfluitas multa nimis abundat in sæculo, maximè in Prælatis, ut eos corripere posset liberius & corrigere, illius exemplo, qui cœpit facere & docere, ad talem se mediocritatem reduxit, quod vasa aurea & argentea in lignea & vitrea commutavit; pelles armelinas & griseas transtulit in agninas. Mensam suam tribus ferculis voluit esse contentam, & Capellanorum suorum duobus, nisi magna solemnitas, aut ulla urgens necessitas amplius postularet. Remotisque laicis viros religiosos adhibuit ad quotidianum ministerium mensæ, ut ei à personis regularibus honestius serviretur; consuetis tamen officiis viris Nobilibus reservatis, qui festivis diebus secundùm morem deserviebant in eis. Quandam moderatam summam de thesauro Ecclesiæ separavit, & in sequestro deposuit pro argenti necessitate, si qua forsitan immineret; reliquum verò thesaurum pene totum erogavit hoc modo.*

IX. Patrocinatus est Petrus Alliacensis singulari illi animi moderationi, suique dejectioni, & totius Prælatorum pompæ fastidio, quo Cœlestinus V. Pontifex Romanus iter ingredi, & urbes intre voluit, asello vectus, cujus hinc & hinc regebant habenas Siciliæ & Hungariæ Reges, cum frustra & Cardinales & Reges dehortari illum & à proposito abducere tentassent. Addit verò Alliacensis quanquam justissimis laudibus cumulanda sit hæc Cœlestini humilitas & moderatio: sua tamen laude non fraudandos Præsules vulgò alios, qui ad Christi & Ecclesiæ gloriam referunt mediocrem illum apparatum, ornatumque, quo si se spolient, facilè in contemptum venient plebis, quæ pro carnali consuetudine sua non paulò majori habet & templa, & altaria, & ipsos eorum Ministros veneratione, ubi magnificentia hos viderit singulari circumfulgere. Ita certè sensit Bernardus, qui eo quoque discrimine distare voluit Episcopos ab Abbatibus, qui cum in religioso secessu suo sedeant, nihil opus habent plebium veneratione. En ipsa Petri Alliacensis verba: *Hos magnificos apparatus, sive in equis, sive in vestibus, ac aliis exterioribus ornamentis, quod plerique pompas vocant, à tempore Beati Sylvestri Papæ, non solùm Summi Pontifices, sed & alii minores Episcopi non ad suam, sed ad Christi & Ecclesiæ ejus gloriam extollendam introduxisse credendi sunt: quos exterius cum temperantia moderamine observare, interius tamen servata humilitate, non est vanitatis aut vitii, sed est virtutis ac meriti. Unde graviter increpandi sunt illi & præcipuè Monachi, qui sub prætextu humilitatis, propter hujus consuetudinis observantiam statui Episcopali superbè detrahunt. Multa namque in talibus decent Episcopos, quę non decent Monachos, aut eorum Abbates, vel Prælatos: sicut Beatus Bernardus testatur dicens: Alia quidem est causa Episcoporum, alia Monachorum. Scimus enim quod illi sapientibus & insipientibus debitores cum sint, carnalis populi devotionem, quia spiritualibus non possunt, corporalibus excitant ornamentis. Rainald. an.1294. n.55.* Duo hic obiter illa perstringuntur, quibus tota hæc Episcopalia pompæ ostentatio ad pietatis & sobrietatis leges re-

revocari possit: nimirum ut & ipsi pompæ & apparatus gloriæ modus tamen aliquis adhibeatur, nec sinatur ultra legitimos fines lascivire; utque interim & tumor omnis animo ejiciatur, & inhæreat altissimus humilitatis sensus. *Exterius cum temperantia moderamine, interius servata humilitate.* Id præcipit lex humilitatis, ut ad Christi gloriam & Ecclesiæ omnia referantur; jubet moderatio, ut necessitati & decori serviatur, cum res pauperum in hanc pompam expendantur. Interest ad pauperum ipsorum salutem, ut religio, qua sustentantur, sustentetur & fulciatur ipsa, populorum in Prælatos maximè observantia, & aliis rationibus nonnullis, quæ non sine sumptu aliquo expediuntur.

Cum ad sui nominis memoriam æternitati consignandam, ea meditaretur Paulus III. Pontifex, quę Romano Imperatori, quam Christi Vicario magis consentirent: luculentissimas ad illum dedit literas Jacobus Cardinalis Papiensis, quibus admonebat confidentius, quàm hæc sæcularis gloriæ cupiditas abhorreret à Christianæ religionis Pontifice, cui non alia aptius munificentia æternum glorię decus conciliaret, quàm quæ ipsius Ecclesiæ utilitati & gloriæ serviret, morum repurgationi, & calamitosorum solatio. *Opera æternitatis in Pontifice sunt, lapsum Ecclesiæ disciplinam erigere, nihil suum credere quod Christi non sit, miseris Christianis, qui infidelibus proximi sunt præsidia mittere, incitare Principes ad capessenda pro fide arma, ducatam si opus sit illis præstare. thesauros in piam hanc causam effundere.* Epist.281. Non perfunctoriè transilienda hæc sunt postrema Jacobi verba, quibus docet etiam tum piè & religiosè expendi res Ecclesiæ, cum in bella sacra effunduntur; utpote quę ad Ecclesiæ tuitionem & propagationem gerantur, omnium pauperum nutricis, & ad eorum ærumnas fidelium levandas, qui tot jam sæculis jugo gentilitiæ dominationis premantur.

X. Sed quando ad explananda Petri Alliacensis placita delapsi sumus, minimè committendum est, ut nos hic ea effugiant, quæ de Pontificis Romani potestate ab eo disputantur, in rerum Ecclesiæ temporalium dispensatione. Erant enim utique qui Episcopos & Beneficiarios cæteros prædicarent, meros esse temporalis Ecclesiarum substantiæ dispensatores, non dominos ac possessores: at ejusmodi dominium & proprietatem uni vendicarent Romano Pontifici. Assentatoriam hanc opinationem concerpit Alliacensis, ipsissimis verbis Principum Apostolorum, quorum potestatis hæreditas ad Pontifices transfusa est Romanos. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores, &c.* His ita constitutis, mox argumentatur ille, Papam dispensatorem & ipsum esse omnium Ecclesiæ bonorum, ad Ecclesiæ ipsius utilitatem & ędificationem. *Cum sit minister & dispensator bonorum Communitatis, in quo requiritur bona fides, non habet collatam sibi potestatem super bonis ipsis, nisi ad necessitatem, vel communem Ecclesiæ utilitatem. De auth. Eccles. part.2. pag.915. apud Gers. Tom.1.* Ex quibus & illud denique ab eo concluditur, si in alios usus hæc derivet dispensator, eum non gravissimo tantum constringi flagitio, sed & ad restituendum teneri, si qua aliunde illi bona suppetant. *Unde ulterius concluditur, quod si Papa pro libito distribuat bona Ecclesiæ, & non dispenset bona fide, de jure non tenet, & non solum tenetur ad pœnitentiam de peccato, quasi propter abusum rei, sed infideliter agit, & ad restitutionem tenetur, si aliunde haberet, cum sit defraudator rei alienæ. Secus si esset dominus, quia in re sua quilibet est ultimus moderator & arbiter.*

De usu moderato & religioso proventuum Ecclesiasticorum.

CAPUT XXXIV. P.1. l.4. c.8.

Cum Episcopi & Beneficiarii dispensatores sint patrimonii pauperum, eos æquum est, veste, mensa, supellectili, paupertatis amorem præ se ferre, ex Patribus Latinis quinque priorum Ecclesiæ sæculorum.

I. Ex antedictis patet, quàm frugi & parcos esse deceat Beneficiarios in veste, instrumento domestico, mensa.

II. III. In eam rem B. Hieronymi doctrina, & adversùs opiparas epulas ad Proceres excipiendos.

IV. V. Ut cursus idem effervescat in rerum Ecclesiæ usum præposterum.

VI. Quæ sint germana Episcopi ornamenta.

VII. Ambrosii placita. Quàm frequentia ejus essent jejunia.

VIII. Ut Optimatibus epulas instrueret Ambrosius. Cur Martinus in eo ejus imitatorem se noluerit esse.

IX. Nunquam aliena domi vescebatur Ambrosius.

X. XI. Ambrosii leges de sumptibus Episcopo faciendis; maximè in extruendis ædibus.

XII. XIII. Ut Ecclesias condecorari & ornari deceat.

XIV. Qua moderatione Episcopus proventus Ecclesiæ inter Clericos partiri debeat.

I. SI non sunt Episcopi, & Beneficiarii quicumque demum omnes, nisi dispensatores patrimonii pauperum: si ex eo carpere nec ipsi possunt nisi ut necessitati & inopię suę consulant; si eo abstinendum omnino illis sit, si quid eis patrimonii privati suppetat: si Evangelicę & Ecclesiasticę perfectionis sectatores opere manuum vita non pauci tolerarunt, ut ne quid ipsi delibarent de patrimonio pauperum. Ex his certè omnibus, quibus illustrandis confirmandisque superiora capita impensa sunt manifestissimum est eximium quendam paupertatis amorem, tum Episcopos, tum Beneficiarios omnes prę se ferre debere in mensa, in veste, in instrumento toto, ut in his omnibus enitescat Apostolicę paupertatis amor aliquis, & frugalitatis.

II. Nepotiano Hieronymus Clerici numeris suis omnibus absoluti effigiem adumbrans, eam vult esse mensam ejus, qua pauperes excipi possint, qua Christus ipse. *Mensulam tuam pauperes & peregrini & cum illis Christus conviva noverit.* Vetat epulari Clericos in ędibus Magnatum, multò magis verò deterret eos, ne epulas ipsi illis instruant. Cum enim paupertate & cruce potissimum illustretur gloria & ornatus Clericorum, alienissimum & cum primis vituperandum erit, si opulentia & sumptuosis epulis delectentur; denique si Magistratuum & Procerum gratiam, non aliter, quàm dedecorando ministerio suo demereri possunt, multò prę̨stabilius est, ut ea funditus careant, & una summi Christi Imperatoris tuitione potiantur. *Convivia tibi vitanda sunt sæcularium, & maximè eorum, qui honoribus tument. Turpe est ante fores*

Sa-

Sacerdotis Christi crucifixi & pauperis, & qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores Consulum & milites excubare, Judicemque Provinciæ melius apud te prandere, quàm in Palatio. Quod si obtenderis te facere hæc, ut roges pro miseris, atque subjectis: Judex sæculi plus deferet Clerico continenti, quàm diviti: & magis sanctitatem tuam venerabitur, quàm opes. Aut si talis est, qui non audiat Clericum pro quibuslibet tribulatis, nisi inter phialas, libenter carebo hujusmodi beneficio, & Christum rogabo pro Judice.

III. Indubitatissimum prorsus haberi debet, quod hic commendat Hieronymus, famam gloriamque Clericorum ex humilitate & temperantia efflorescere, non ex prodigalitate; exaggerari eorum laudem & authoritatem modesta paupertate, non vana vanissimarum divitiarum ostentatione. *Judex sæculi plus deferet Clerico continenti, quàm diviti: & magis sanctitatem tuam venerabitur, quàm opes.* Oblectari ergo eos potiùs decet consolandis misellis & ærumnosis quibuslibet, quàm frequenti eorum contubernio, quibus prospera affluunt & arrident omnia; nunquam non invitatos accedere, invitatos plerumque alienis epulis abstinere; comperto, eos, qui Clericum invitant ad dapes, ejus dissensu non offendi, sed allici potiùs ad amorem & admirationem impensiorem; ad fastidium verò & contemptum provocari, si obsequentiores experiantur. *Consolatores potiùs nos in mœroribus suis, quàm convivas in prosperis noverint. Facilè contemnitur Clericus, qui sæpè vocatus ad prandium, ire non recusat. Nunquam petentes, rarò accipiamus rogati. Beatius est enim magis dare, quàm accipere. Nescio enim quomodo etiam ipse, qui deprecatur, ut tribuat; cum acceperis, viliorem te judicat; & mirum in modum, si eum rogantem contempseris, plus te posterius veneratur.*

IV. Exarsit freqoentissimè idem Hieronymus in Episcoporum eorum munificentiam, qui verbis Apostolos, vita Principes sæculi emulantur: qui concionantur ad crucem & paupertatem Christi commendandam, ipsi interim sæculi luxum & voluptates consectantur; qui Apostolorum successores sese jactant, qui pauperum se provisores & procuratores profitentur, orphanorumque & viduarum, cum ipsi summos Magistratus & Provinciarum Præsides epulis splendidissimis æquare studeant, aut superare; ea denique coemant ad regios mensæ suæ apparatus, quibus locupletissimi quique sæculares abstineant, pretii enormitate deterriti. *An non confusio & ignominia est, Jesum crucifixum Magistrum pauperem atque esurientem fartis prædicare corporibus? Jejuniorumque doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre? Si in Apostolorum loca sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed conversationem quoque & abstinentiam amplectamur. Sanctum utique est & Apostolicum ministerium viduis & pauperibus ministrare. At nunc non dico pauperes, non dico fratres, & qui rursum invitare non possint, ex quibus excepta gratia nihil aliud Episcopalis speret manus; sed militantes & accinctos gladio, & judices excubantibus ante fores suas centurionibus & turmis militum, Christi Sacerdos invitat ad prandium. Tota Clerici urbe discursant, quærant exhibere Judicibus, quæ illi in Prætoriis suis aut invenire non possunt, aut certè inventa non coemunt. In Michæam. c. 1.*

V. Id rursus & observat & inculcat Hieronymus, per sacros Codices Clericis licere, ut de Altari vivant, non ut luxurientur. *Apostolus Paulus, Qui altari, inquit, serviunt, de altari participant & vivunt. Permittitur tibi, ô Sacerdos, ut vivas de altari, non ut luxuries.* Mox rursus commonefacit pauperibus consacratum esse totum Christi patrimonium, detestandæ porro simulationis esse, ubi veste paupertatem profitentur, & præ se ferunt; furtim autem opum acervos recondunt: una uti tunica, linteolis quibus colli sudores detergentur, abstinere; at incubare ingenti pecuniæ, ex pauperum rapinis corrasæ. *Si tales pauperes sunt, accipiant. Si autem sub occasione pauperum pauca ditantur domus, & in vitro ac vaso fictili aurum comedimus, aut cum thesauris mutemus & vestes; aut pauper habitus non quærat divitias Senatorum. Quid prodest circa collum ad abstergendos sudores linteolum non habere? Quid juvat esse Monochitonas, & præferre habitu paupertatem, cum marsupium nostrum universa pauperum turba suspiret. Ibid. c. 3.*

VI. Alibi denique eas excutiens Hieronymus, quibus Apostolus Episcopum delineavit virtutes, studendum quidem illi esse fatetur, ut non irreprehensibilis tantùm sit, sed & ornatus: *Irreprehensibilem, ornatum*: sed ornamenta virtutum ab Apostolo commendari, non inania hæc ludibria, quæ delicatuli homines aucupantur in veste, mensa, supellectili, incessu, ut malè feriatis quibusdam Prælatis visum est; cum his elegantiis deturpetur potiùs Episcopi vita, fama inquinetur. Audiendus hîc Hieronymus in Epistola ad Oceanum: *Qui vitia non habet, irreprehensibilis appellatur; qui virtutibus pollet, ornatus est. Caput est artis, decere quod facias. Sunt enim quidam ignorantes mensuram & tantæ stoliditatis ac vecordiæ, ut & in motu, & in incessu & in habitu, & in sermone communi risum spectantibus præbeant; & quasi intelligentes quid sit ornatus, comunt se vestibus, & munditiis corporis, & lautioris mensæ epulas parant, cum omnes istiusmodi ornatus & cultus sordibus fœdior sit.* Et infrà rursum: *Non ut opes augeat, non ut regias paret epulas, non ut cælatas patinas struat non ut phasides aves lentis vaporibus coquat, quæ ad ossa perveniant, & superficiem carnis non dissolvant, artifici temperamento, &c.* Hæ jam tum erant cupediæ, hæc lenocinia hominum, voluptatis aucupio mancipatorum, quorum gregi jam tum quidam Præsules annumerari poterant.

VII. Mirum quantum ab his alienus erat Ambrosius, qui hunc honorem, has delitias Episcopatus degustabat, jejunia, vigilias, preces; omnibus enim hebdomadæ diebus jejunia contexebat, excepto die Sabbati Dominico, & Festis Martyrum. *Ipse venerabilis Episcopus multa erat abstinentia & vigiliarum multarum, & laborum, quotidiano jejunio macerans corpus; cui prandendi nunquam consuetudo fuit, nisi die Sabbato & Dominico, & cum natalia celeberrimorum Martyrum essent. Orandi etiam assiduitas magna die ac nocte. Paulinus in vita Ambr. c. 19.*

VIII. Nec dissimulabimus invitatos quandoque ad prandium Optimates fuisse ab Ambrosio. Venditavit aliquando Comes Arbogastes, quòd ab eo sæpiùs mensæ adhibitus fuisset. *Nosse se virum, & diligi ab eo, atque frequenter cum illo convivari solitum. Ibid. c. 15.* Unde & tunc ei adgratulati sunt amici, hinc in illum derivatas esse tot victorias, qui conjunctus esse peculiari necessitudine cum eo Episcopo, cui cœli propitii essent, cujus ad jussionem Sol staturus esset. *Ideo vinci omnes, quia ab illo viro diligeris, qui dicit soli, Sta & stat.* Quales essent Ambrosii epulæ æstimari potest ex frequentissimis ejus jejuniis; potest & ab ea sanctitatis ejus opinione, quæ inde in omnium animis inhærebat. Potest & ex narratione Severii Sulpitii de Vincentio Galliarum Præfecto, à quo interpellatus est aliquando Beatus Martinus, ut in Monasterio prandio ab eo adhiberetur, exemplo Ambrosii, qui Consules & Præfectos domo frequenter & convivio excipiebat. *Memini Vincentium Præfectum virum egregium, & quo nullus sit intra Gallias omni virtutum genere præstantior, dum Turonos præ-*

to-

teriret, à Martino sæpiùs poposcisse, ut ei convivium in suo Monasterio daret: in quo quidem exemplum B. Ambrosii Episcopi præferebat, qui eo tempore Consules & Præfectos subinde pascere ferebatur; sed virum altioris ingenii, ne qua ex hoc vanitas atque inflammatio obreperet, noluisse. Dialog.2. c.17. Ejusmodi prandii condimenta requirebat Vincentius à B. Martino, quę Ambrosius principibus Imperii viris exhibebat, nisi malis tales fuisse Ambrosii epulas ad Pręfectos excipiendos, quales exhibuisset Martinus in Cœnobio suo. Si verò non acquievit Martinus, eum ultrò obvius prodiret Ambrosius Optimatibus secum pransuris: nihilo magis id stupendum est, quàm quod Joannes nec manducans, nec bibens, & Christus mensę cum Publicanis accumbens, eodem tamen utrobique collimabant, ut omnibus omnia fierent, quò omnes Deo lucrarentur. Ambrosius civilem & humaniorem vivendi rationem, Monasticam Martinus profitebatur, mores in speciem diversissimi ab una charitatis cœlesti radice efflorescunt.

IX. Verùm etsi Magnates quandoque invitaret Ambrosius, hoc tamen mordicus retinebat, ut ne apud quemquam Mediolani unquam vesceretur, ut ne temperantiæ & sobrietatis lineas vel tantillum transilire periclitaretur. Facilè intelligis, hac eadem abstinentiæ fibula illum constringi se voluisse, cum alios mensæ adhiberet. Eam Ambrosii regulam Possidius scriptis mandavit in vita B. Augustini, qui ejus in eo imitatorem se professus est. *Servandam quoque in vita & moribus hominis Dei referebat, quod in institutis sanctæ memoriæ Ambrosii compererat. Ne in sua patria penitus iret ad convivium. Ne per frequentium in patria conviviis, consititus temperantiæ amitteretur modus. Cap.27.* Ex quo id non temerè conjicimus, rariùs & frugaliùs convivas ab Ambrosio exceptos fuisse; tum quòd aliàs intemperantiæ laqueos non facilè effugisset, tum quòd ne se ipse quidem audisset, ubi Clericis alicubi præcipit, ut hospites malint habere pauperes, & ne unquam alienæ domi epulentur: quòd ejusmodi plerumque convivia intemperantia, curiositate, maledicentia & obtrectatione condiantur. *Convenire Ecclesiasticis, & maximè ministrorum officiis arbitror, declinare extraneorum convivia, vel ut ipsi hospitales sitis peregrinantibus, vel ut ea cautione nullus sit opprobrii locus. Convivia quippè extraneorum occupationes habent, tum etiam epulandi produnt cupiditatem. Surrepunt fabulę frequenter de sęculo; claudere aures non potes; prohibere, putatur superbię; surrepunt etiam pręter voluntatem pocula.*

X. Sed ab ipso Ambrosio hausisse juvabit leges castissimas expensarum ab Episcopo faciendarum. Propè abest enim à verò, illum dum præcipit quę gerenda sint, enarrare quæ ipse gereret. Liberaliter & largè vult ille pauperes ab Episcopo donari, sed aurea ea moderatione servata, quæ omnibus dominatur virtutibus, ne aliis desint necessaria, dum his superflua redundant; & ne inconsideratis profusionibus gloriolam futilem & iniquam aucupentur. *Quandoquidem etiam bonorum operum sumptibus immoderatum esse non decet. Pulchra liberalitas ergo ipsos quoque pauperes mensuram tenere, at abundes pluribus, non conciliandi favoris gratia ultra modum fluere, &c. Impensas misericordiæ convenientes frequentare, quantam oporteat largiri peregrinis, non superflua, sed competentia, non redundantia, sed congrua humanitati, ne sumpta pauperum alienam sibi quærat gratiam. Offic. l.2. c.21.*

Cum dispensator sit Episcopus, ut & Beneficiarius quisque, eum necesse ex officii sui constantissimis legibus scopulos hinc inde adversos æquè declinare, ut ne his largior, aliis ęquo parcior sit; ne illis exuberare velit, quo alii destituantur.

XI. Eadem in extruendo retinenda mediocritas; nequid necessarium prætermittatur, nequid tentetur & excitetur non necessarium. *Non superfluas ædificationes aggredi, non prætermittere necessarias.*

XII. Dandum est & aliquid exteriori templorum cultui & ornatui. Decus illorum primarium pietas est, sed ei ferè exterior quoque mundities & nitor cohærescit. *Et maximè Sacerdoti hoc convenit, ornare Dei templum decore congruo, ut etiam hoc cultu Aula Domini resplendeat. Ibidem.* Expingens Hieronymus in Nepotiano Presbyterum omnibus virtutum numeris expolitum, ubi primum quæ primaria sunt pietatis & virtutum insignia edisseruit; illud affirmat eundem religionis fervorem in hæc extrema & extrinseca propagari; Nepotianum minima quæque accuratione maximâ in divino cultu persecutum esse. *Ad comparationem quidem superiorum, modica sunt quæ dictari jamus sed & in parvis idem animus ostenditur, at enim Creatorem non in cœlo tantum miramur & terra, sed & in minutis quoque animalibus, eandem in cunctis veneramur solertiam. Ita mens Christo dedita æquè & in majoribus & in minoribus intenta est. Erat ergo sollicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si janitor creber in porta, vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, & in omnes cæremonias pia sollicitudo disposita, non minus, non majus negligebat officium.* Et inferiùs: *Quod Basilicas Ecclesiæ & Martyrum Conciliabula diversis floribus & arborum comis vitiumque pampinis adumbravit, ut quidquid placebat in Ecclesia, tam dispositione, quam visu, Presbyteri laborem & studium testaretur. Macte virtute, cui talia principia, qualis finis erit? Hieron. in Epist. Nepotiani.*

XIII. Illud obiter admonebimus, & Ambrosium, & Hieronymum ita statuisse, & officium Beneficiarii, & Templi ornatum, non in eo situm esse, ut auro & argento plurimo magnificisque vestibus templa resplendeant, sed ut modesto nitidoque cultu. *Ornare Dei templum decore congruo.* Ornat enim templa decentius mediocritatis ipse decor, & simplicitas, ut admirationi potius sit Ministrorum sacrorum diligentia, zelus, pietas, innocentia, quàm magnificentia & superfluitas quædam, quæ oculos pascat & illudat vanissimo spectaculo.

XIV. Redeo ad Ambrosium, qui eandem Episcopi sapientiam & moderationem desiderat, in partiendis inter Beneficiarios Ecclesię reditibus. Peræque abhorrere ille debet ab avaritia & prodigalitate; quod inhumanum sit, non ei omnia necessaria vitæ præsidia subministrare, cui alias omnes intercludis artes & vias rei parandæ, vel augendę. Ex adverso autem periculosissima ea profusio est si Clericis suppeditetur materies, vel illecebra voluptatum, quibus valedixerunt. *Ne restrictiorem erga Clericos, aut indulgentiorem se præbeat. Alteram enim inhumanum, alterum prodigum, si aut sumptus desit necessitati eorum, quos à sordidis negotiationis aucupiis retrahere debeas, aut voluptati superfluat.*

CAPUT XXXV. *P.1. l.4. c.9.*

Rursum ex Patribus Latinis priorum quinque Ecclesiæ sæculorum; De moderatione & frugalitate Beneficiariorum in mensa, supellectili, veste.

I. Mira Augustini frugalitas, ejus mensa, supel-

lex

lex, vestis, instrumentum totum.

II. Communem eam Clericis suis vitam vivebat, summa omnium æqualitate.

III. Ab acquirendi & ædificandi libidine æquè alienus erat.

IV. V. Placita quædam ejus summi ad pietatem momenti. Quid in Concilio IV. Carthaginensi statui curaverit.

VI. Beati Martini, & Severi Sulpitii abstinentia mirus amor & paupertatis.

VII. Beati Paulini frugalitas.

VIII Quæ hujus generis encomia texuerit Sidonius Apollinaris, ut sanctissimos quosdam ornaret Episcopos.

IX. De Sancto Epiphanio Episcopo Ticinensi.

X De Sancto Germano Episcopo Altisiodorensi.

XI. De Sancto Hilario Episcopo Arelatensi. Varia ratio peregrinandi, aliis & aliis temporibus & regionibus.

I. CONveniendus jam nobis est Augustinus, cujus non minùs admirabilitatis habet vita, quàm doctrina; & qui eo maximè consecutus est orbis Christiani summum Magisterium, quo totum se ante contulerat ad Ambrosii disciplinam. Author est Possidius id ipsum potissimum studuisse in veste & domestico instrumento, ut illam sectaretur laudatissimam mediocritatem, quæ eo maximè spectabilis est, quod nihil affectet spectabile. *Vestis ejus & calceamenta & lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum: quia his plerumque vel jactare se insolenter homines solent, vel abjicere, ex utroque non quæ Jesu Christi, sed quæ sua sunt iidem quærentes. Cap.22.* Jam quæ mensæ ejus esset frugalitas, quæ temperies, ut nequid nimis, ut nequid minus esset, sic ille ibidem. *Mensa usus est frugali & parca, quæ quidem inter olera & legumina, etiam carnes aliquando propter hospites, vel quosdam infirmiores continebat; semper autem vinum habebat.* Jam mensæ supellex quantæ modestiæ, quantæ ad paupertatem propensitatis, ut opum magis contemptus, quàm penuria intelligeretur. *Cochlearibus tantum argenteis utens, cætera vasa, quibus mensæ inferebantur cibi, vel testea, vel lignea, vel marmorea erant; non tamen necessitatis inopia, sed proposito voluntatis.* Suavissimum autem mensæ condimentum erat illi lectio semper quædam sacra, vel sermo pius, quo maledicentia expungeretur. Illam affixo etiam proscripserat epigrammate in loco ubi prandebatur. Si quis verò Coepiscoporum inopinus aliquando effutiret aliquid in quempiam, protinus Augustini zelus erumpebat, ut vel silere cogeret, vel se discessurum comminaretur. *Et in ipsa mensa magis lectionem & disputationem, quàm epulationem potationemque diligebat. Et ideo omnem convivam à superstuis & noxiis fabulis & detractionibus sese abstinere debere admonebat. Ibidem.*

II. Una domo cum suis Clericis, una veste, una mensa utebatur, iisdemque cibis. Diffinitus erat singulis numerus poculorum, qui & ipse tum minuebatur, si quid juramenti alicui excidisset. *Cum ipso semper Clerici una etiam domo, ac mensa sumptibusque communibus alebantur & vestiebantur. Si quis juraret, unam de statutis perdebat potionem. Numerus enim erat suis secum commorantibus & convivantibus poculorum præfixus.*

III. Castissimus paupertatis & Apostolicæ vitæ amator, animo & corde semper ad cœlestia sursum arrecto, & ad æterna religato, nullas unquam terras Ecclesiæ suæ adjecit, aut domos novas; à novis ædificationibus semper abhorruit, ne illis se curarum laqueis indueret, quibus mens à supernis abducitur, & illiditur in hæc terrena, cum Episcopales functiones animum desiderent ad cœlestia semper suspensum. Nec vitio tamen vertebat, si qui ad novas ædes construendas animum adverterent, dum id ea facerent animi moderatione, quam tantopere commendabat Ambrosius. *Domum verò, vel agrum, seu villam nunquam emere voluit, &c. Fabricarum novarum nunquam studium habuit, devitans in eis implicationem animi sui, quem semper liberum habere volebat ab omni molestia temporali. Non tamen illa volentes & ædificantes prohibebat, nisi tantum immoderatos. Cap.24.*

IV. Hæc ipsa jam ab Augustino ipso ediscenda, ut iisdem vestiretur pannis, atque Presbyteri, Diaconi, atque Subdiaconi sui Seminarii. Si quid pretiosæ vestis ei privatim offerretur, id distrahi jubebat, pretiumque addici vel collegio ipsi Clericorum suorum, vel pauperibus. Cum nascendi conditione pauper esset, ut affirmat ipse quidem, cumque Episcopatus ipse professio quædam sit paupertatis & humilitatis, negabat se commissurum, ut exprobrari posset, pretiosiori se in veste fuisse in Clericatu, quàm ante Clericatum esse potuisset. Vide ut de his Augustinus aliquando ad plebem suam concionaretur. *Nolo talia offerat sanctitas vestra, quibus quasi ego decentius utar. Offeratur mihi verbi gratia byrrhum pretiosum, fortè decet Episcopum, quamvis non deceat Augustinum, id est, hominem pauperem, de pauperibus natum. Modo dicturi sunt homines, quia inveni pretiosas vestes, quas non potuissem habere, vel in domo patris mei, vel in illa sæculari professione mea. Non decet, talem debeo habere, qualem possum, si non habuerit, fratri meo dare. Qualem potest habere Presbyter, qualem potest decenter habere Diaconus, & Subdiaconus, talem volo accipere, quia in commune accipio. Si quis meliorem dederit, vendo, quod & facere soleo: ut quando non potest vestis esse communis, pretium vestis sit commune. Vendo & erogo pauperibus. Si hoc eum delectat, ut ego habeam talem, det unde non erubescam. Fateor enim vobis, de pretiosa veste erubesco; quia non decet hanc professionem, hanc admonitionem, hæc membra, hos canos. De diversis Serm.50.*

Quo in Episcopali, & verè Apostolicam redolente sanctitudinem sermone, advertes. 1. Erubescendum revera Episcopis, Clericisque omnibus probrum & dedecus esse, si pretiosius vestiantur in Clericatu, quàm in sæculari professione. Nec secus existimandum de mensa, de instrumenti domestici nitore. Ita enim quis sæculi abdicatione altius se in sæculi sordes demersit; ipsa contemnendæ vanitatis professione vanissimæ pompæ amantior factus est; & patrimonio pauperum abutitur, quo paupertati Clero imprimis consentaneæ contumeliam faciat. 2. Sentio ab Augustino dici, quod pretiosior vestis *forte decet Episcopum*, quamquam Augustinum non deceat. Sed moneo quasi dubitanter id ab eo dici, quod tum ei rei immorari nollet, cum ad alia magis properaret. Et mox tamen apertissimè contra nititur: *De pretiosa veste erubesco, quia non decet hanc professionem.* Enimvero Clericorum professio, & maximè Episcoporum despicientiam secum adfert hujusmodi præstigiarum, quibus pascitur & illuditur carnalium hominum insania; adfert & amorem infucatum nuditatis & Crucis Christi. Eo scilicet adductus est Augustinus, ut communione sua ejiceret Episcopum, qui cum rebus propriis renunciasset, eas denuo recuperaverat: *Ut etiam rebus, quibus renunciasti, te post renunciationem inserueris:* qui plura expenderet, quàm sinerent res Ecclesiæ suæ: *Et in ea professione vivere diceris, cui fragilitas Ecclesiæ tuæ sufficere non possit. Ep.220.*, qui denique Episcopatum spectabat, ut facultatem largius & commodius traducendæ vitæ. *Non est Episcopatus artificium transigendæ vitæ fallacis.*

V.

V. Carthagioensis IV. Concilii Patres impulerat, ut opioor, Augustinus, ad eos sanctissimos Canones faociendos, ut ædicula sit Episcopo juxta Ecclesiam, ut vile sit omne ejus instrumentum, mensa pauper; amplitudinem verò Episcopatus dignitate vitæ, morum innocentia, fidei puritate ostentet. *Ut Episcopus non longè ab Ecclesia hospitiolam habeat. Ut Episcopus vilem supellectilem, & mensam ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ authoritatem fide & vitæ meritis quærat.* Can. 14. 15. *Ferr. c. 71.* Poterant ea sanctimonia Episcopi io Ecclesia ipsa cum hospitibus epulari, qui mos fuit antiquissimus, cum harum epularum suavitas à charitate & frugalitate dimanaret. *Ut Episcopi, sive Clerici in Ecclesia non conviventur, nisi transeuntes.*

VI. Specimen edidit perinsigne Severus Sulpitius in Beato Martino, quàm lognè expeditius & iovitius Episcopi dignitatem suam tueantur, humilitate, paupertate, pomparum sæcularium fastidio, quàm societate & studio earundem vanitatum, quas vituperant, & vitiorum, quæ insectantur. Martinus Episcopatu auctus, idem fuit, qui ante. Nec humilitati cordis decerptum quidquam illi est, nec vestium vilitati & modestiæ quidquam additum. Episcopatus authoritatem Monasticis virtutibus non infregit, sed illustravit. *Idem constantissimè perseverabat, qui prius fuerat. Eadem in corde ejus humilitas, eadem in vestitu ejus vilitas erat, atque ita plenus authoritatis & gratiæ, implebat Episcopi dignitatem, ut non tamen propositum Monachi virtutemque desereret. De vita B. Martini c. 7. 26.* Erant etiam ex Episcopis, qui electioni ejus ægrè assentirentur, ob personæ & vestium despicabilem vilitatem. *Scilicet contemptibilem esse personam, indignum esse Episcopatu, hominem vultu despicabilem, veste sordidum, crine deformem.* His tam Præsulibus oculatior fuit plebs, & simplici fide perspicacior, vidit his convitiis ornari Martini virtutes, & delitescentem in his vestium sordibus Apostolicam sanctitudinem tantò splendidius radiare. *Ita à populo sententia sanioris hæc illorum irrisa dementia est, qui illustrem virum dum vituperare cupiunt, prædicabant.* Mensa Martini Monasticæ ejus respondebat professioni. Ea tamen excipiebat hospites, aquam infundebat manibus, pedes abluebat. Hæc piè humanitatis officia descripsit, qui subinvitus expertus erat idem Severus Sulpitius. *Cum me sancto convivio suo dignatus est adhibere, aquam manibus nostris ipse obtulit, ad vesperum autem ipse nobis pedes abluit; nec renisi ad hoc, aut contraire constantia fuit; ita authoritate illius oppressus sum, ut nefas putarem, si non acquievissem.* Æquum certè erat ut discipulorum humilitas concederet tandem tanti magistri humilitati. Quàm dissimiles autem Beati Martini essent Clerici quidam tum alii, & quam flagitiosè proventus sacros abligurirent, sic rursus alibi Severus idem. *Dial. 1. Dilatat continuo fimbrias, & qui ante pedibus, aut asello ire consueverat, spumante equo superbus invehitur, erigit celsa laquearia, vestem respuit grossiorem.*

VII. Divitiarum copia & splendore eminebat in sæculo antè Paulinus, qui post idoneo teste Augustino, splendidius multò inter Christi pauperes eminuit. *Paulinus noster ex opulentissimo divite voluntate pauperrimus, & copiosissimè sanctus. Civit. l. 19. c. 20.* Ubi & idem subjicit, expugnata à Gothis urbe Nola, incidisse Paulinum io manus eorum, & clam in sinu orasse eum in cujus manus thesauros suos omnes deposuerat, quemque unum sibi incorruptibilem delegerat thesaurum, Ne propter aurum & argentum torqueretur, quæ in cœleste ærarium per manus pauperum jam deportaverat. *Domine non excrucier propter aurum & argentum; ubi enim sunt omnia mea tu scis: ibi enim habebat omnia sua, ubi thesaurizare ille monuerat, qui hæc mala mundo ventura prædixerat.*

Severum aliquando Paulinus scutella lignea muneratus est, ut consimilis illum opulentiæ & metalli amore incenderet. *Misimus testimonialem divitiarum nostrarum scutellam buxeam; ut apophoretum voti spiritualis accipies, habiturus exemplo, si necdum simili argento uteris. Epist. 1. ad Sev.* Eadem illum orabat Epistola, ut in beneficii vicem fictilium aliquid vasorum sibi mitteret, quibus nostræ originis memoria refricaretur. *Amamus enim vasa fictilia, quia secundùm Adam cognita nobis sunt, & Domini thesaurum in talibus vasis commissum habemus.* Supellectili opulentissimi quondam Senatoris mensa ipsa consentiebat. Pauca ibi pocula, multum leguminum; hinc & ipse hospites suos non multi sanè cibi laudabat: *Assiduus mensulæ nostræ particeps, ita se ad mensuram nostri gutturis arctavit, ut nec olusculα, nec pocula nostra vitaverit. Epist. 17.* Jocatur alibi de coquo suo, qui mira quadam arte ita legumina sibi condiebat, ut Senatoris Romani fastidioso palato mederetur. *Quo citiùs Senatorium poneremus fastidium. Epist. 3.* In alendo corpore coquus iste languoribus animæ medebatur; delicias cibis omnibus aspergebat, & sal pœnitentiæ. *Sed pultes tanto gratiæ sale, tanta dulcedine charitatis condiebat, ut coquos & conditaras non desideraremus, &c. Verùm spiritalis coquus interiorem hominem cibare doctior, quo destrueret escam gulæ, &c. Sed in benedictione dulcedinis animæ delicias habeamus. Ad Aman. Ep. 6.*

Ne Paschalibus quidem Festis jejunia sua intermittebat Paulinus. Ædificationibus se quoque studuisse testatur, sed Basilicæ Martyrum. Post verò quàm Ecclesiæ gubernacula ei sunt credita, sic commendatas Ecclesiæ sibi opes dispensavit, ut decebat eum, qui avitos & hæreditarios ingentes fundos pauperibus erogaverat. Hoc enim illum testimonio ornat Julianus Pomerius: *Sanctus Paulinus ingentia prædia, quæ fuerant sua, vendita pauperibus erogavit; sed cum postea factus esset Episcopus, non contempsit Ecclesiæ facultates, sed fidelissimè dispensavit. De vita Contem. L. 2. c. 9.*

VIII. Fausti Lerinensis Abbatis laudes, postea Regiensis Episcopi, celebravit Sidonius Apollinaris, quem & testatur in Episcopatu ipso Abbatis disciplinam retinuisse, Monachi macerationes. *Nil ab Abbate mutatus per sacerdotem. Quippe sum novæ dignitatis obtentu, rigorem veteris disciplinæ non relaxaverit. Leg. 9. Epist. 3.* Erat & alius, qui ab eo dictus est *Antistes & Monachus. Leg. 9. Epist. 9.* Luculento alibi prosequitur encomio Lupum Episcopum Tricassinum, *Sanctum Episcopum Lupum, facilè principem Pontificum Gallis nostram.* Erant ejus creberrima jejunia, & summa tamen humanitas vescendi cum Collegis, ut jam minus pœnitendi austeritas repugnaret Episcopi suavitati. *Jejuniis delectatur, edulibus acquiescit. Illis adhæret propter consuetudinem crucis, istis flectitur propter gratiam charitatis. Summo utramque moderamine, quia comprimit, quoties prandere statuit, gulam; quoties abstinere, jactantiam. Leg. 7. Epist. 13.*

IX. Edocuit nos Ennodius, quas B. Epiphanius Ticinensis Episcopus sibi ipsi præscripsit leges inter ipsa Episcopatus sui primordia, quas & deinceps religiosissimè observavit. Statuit primo balneis omnino abstinere se, ne molliretur anima corporis cura impensiore, & ne carnis plus æquo quæsita munditie mens inquinaretur. Decreverat nunquam prandere, id est, jejunia usque continuare; at ne ostentationi & singularitati janua panderetur, maloit nunquam cœnare, ut vel sic semel tantum die quolibet reficeretur. Vili & communi cibo delectabatur, uno palatum ejus offendebatur, si quid aromatibus condiretur. Leguminibus tantum vescebatur,

tur, & ne iis quidem, nisi citra satietatem. Vino Timothei instar utebatur, ex Pauli præcepto, pari causa, pari modulo. *Mox ubi B. Antistes proprio ore leges, quibus se posset tenere, dictavit. Primum statuit non lavandum, ne nitorem animæ & interioris hominis fortitudinem balnea magis sordibus amica confringerent. Deinde decreverat nunquam esse prandendum; sed ne propositi sententiam supervenientium vis ulla removeret, & aut jactantiæ nebulis, aut avaritiæ fama læderetur, diffinivit nunquam sibi cunctandum, ut commutatio horarum ac per hoc semel in die reficiendi tempus afferret. Cibos jussit sibi placere viliores, nihilque in apparitione fercolorum nares saporemque suum posse offendere, nisi quod aromatibus condiretur. Olerum & leguminis pascebatur epulis, sed neutrum horum ad satietatem caperet, vini quidquam parum, quam tamen exiguitatem Apostolica admonitionis memor sumebat, ob stomachi cavendam debilitatem.* Orante Errico Gothorum Rege, ut in palatio secum pranderet, usitatum sibi morem excusavit, alienis nunquam assidere epulis. *Dixit sibi non esse in more positum, alicuis aliquando prandiis vesci.*

X. Ineunte statim Episcopatu suo B. Germanus Altisiodorensis Episcopus patrimonium omne in pauperes distribuit, nec Apostolicæ tantum devovit se paupertati, sed & Monachorum pœnitentię. Audiendus hic est Constantius Presbyter, ei coævus, in ejus vita. *Suscepit sacerdotium invitus, coactus, addictus, sed repente mutatur ex omnibus. Substantia dispensatur in pauperes, paupertas ambitur. Ex ea die, qua sacerdotis sumpsit exordium, usque ad terminum vitæ, nunquam panem frumenti, non vinum, non acetum, non oleum, non legumen, nunquam vel salem ad usum condiendi saporis accepit, in refectionibus primum cinerem prælibavit, deinde panem hordeaceum sumpsit, &c. Nunquam nisi in vespere cibus ponebatur, &c. Indumentum cuculla & tunica indiscretis fuere temporibus. Spatium vero lectuli sui trabeculæ dolatiles ambiebant, injectos cineres usque ad marginem continentes. Surius die 5. Jul.*

XI. Parcitate, abstinentia, opere manuum, pedestri itinere, & ejusmodi macerationibus aliis Hilarius Arelatensis Episcopus non mortem, sed immortalitatem ipse suam acceleravit. *Abstinendo victu, operi insistendo, itinera pedibus conficiendo, ita se tenuavit, fatigavit, exhausit, ut vix quadragesimi octavi anni curriculum adimpleret. Surius die 31. Maji.* Proximè sequenti capite obvii erunt Episcopi asello vecti, & ita iter facientes, quo resuscitatur memoria Authoris Quæstionum utriusque Testamenti, quæ falso Augustini nomine inscribuntur. Referuntur ab eo Scriptore aliæ aliarum gentium rationes in evectionibus. Vehebantur plerumque Judæi mulis, equo Romani, Persæ curru, Medi camelis, bobus Afri quidam, alii asinis. *Nam Regibus Judæorum mulæ placuerunt ad sessam, Romanorum autem non mulæ, sed equi; Garamantum autem, qui supra Tripolim Afrorum sunt, Regibus tauri placent ad sessam; Persarum vero Reges vehiculis feruntur; Reges Madian camelis delectabantur ad sessum, & per Africam asinis malunt insidere, quàm equis. Cap. 115.* Poterat & hic Scriptor addidisse, ante inventos mulos, quod Davidis demum Regis ævo contigisse creditur, quod nulla antè, frequens deinceps in Scripturis mentio fiat mulorum: asellis dumtaxat vehi solitos Hebreos. Ei se humilitati ac modestiæ accommodavere non pauci Ecclesiæ Patres; Hilarius ultra progressus Apostolicas missiones suas pedes obibat.

CAPUT XXXVI. *P. 1. l. 4. c. 10.*

De eodem ex Patribus Græcis, de Beneficiariorum temperantia in mensa, supellectili, veste, prioribus quinque Ecclesiæ sæculis.

I. Quam impensè Constantinus Episcopos in veste vili veneraretur.

II. Athanasii in his moderatio.

III. Nec non & Basilii in instrumento domestico & mensa.

IV. V. Quam exhorruerit Nazianzenus quorundam sui ævi Præsulum epulas opiparas & redundantem supellectilem.

VI. De B. Gregorio Thaumaturgo.

VII. De Gregorio Nysseno, & de curru, quo peregrinabatur. Quæ hoc loco & tempore fastum & opulentiam sapiunt, alio non sapiunt.

VIII. IX. Quàm frugi & modesta Chrysostomi mensa & tota vitæ ratio.

X. Quam aversaretur profanos usus rerum Ecclesiæ.

XI. Ut paupertati ex animo studeret.

XII. Ardor ejus in expensas superfluas & delitias Beneficiariorum.

XIII. Patrocinatus est ille tamen Clero suo, adversùs acerbiorem in eos laicorum censuram.

XIV. Quam provida & suavis ejus in omnibus moderatio.

I. Ad Orientales jam Patres & Episcopos iter molimur, ut perpendamus, quo illi modo patrimonium Crucifixi Domini sui dispensarint, quæ eorum fuerint ædes, quæ mensa, quæ supellex, qua munificentia & pompa usi sunt in instrumento, toro, in veste, in equis & curribus, in extruendis ædibus. Convocato Nicæno Concilio qua reverentia & religione Constantinus Imperator Episcopos prosequutus sit, narrat Eusebius, nec silet sanè quantum splendoris eorum virtutibus accederet ex vestium vilitate & indiligentia. Oculis fide illuminatis pervidebat Constantinus tectam involutamque illis vestium sordibus incomparabilem quandam sapientiam, & Apostolicas virtutes; cum hac ipsa paupertatis obscuritate maximè referrent & quodammodo repræsentarent Apostolos Christi, & Christum ipsum. Utcumque vili veste & cultu toto uterentur hi Præsules, tanto magis & mensæ & Aulæ suæ ornamento eos fore interpretabatur Constantinus. *Proinde mensæ ipsius adhibebantur homines, externo, quidem habitu ac vestitu despicabiles, sed quos ille minimè despicabiles judicabat; quippe qui non externam hominis speciem, quæ oculis subjecta est, sed Deum ipsum introspiceret. Ad hæc quocumque iter faceret, eos secum deducebat. De vita Const. L. 1. c. 42.* Ut ad Concilium sive Nicænum, sive Arelatense ventitarent Episcopi, publicas illis evectiones concessit Imperator, gnarus non alendis equis, non curribus ornandis impendi res, aut proventus Beneficiorum.

II. Revocatus ab exilio Athanasius, & triumphali quadam pompa iniens Alexandrinam civitatem, eo vectabatur pullo, quo & Rex gloriæ Christus Hierosolymæ triumphum explicuit paupertatis & modestiæ clementiæ & humilitatis. *Pullus eum vehebat, non secus ferè ac Jesum meum pullus ille. Orat. 21.* Ea sunt Gregorii Nazianzeni verba de Athanasii reditu triumphali. Jejuniis, vigilis, & orandi infatigata assiduitate Athanasius successo-

rem

rem se Marci approbabat. *Hic illius velut corpore vacantis ac materia expertis in jejuniis & orationibus assiduitatem laudibus vehat; ille insuperabilem in vigiliis ac psalmodiis vigorem.*

III. In describendis Basilii gestis & virtutibus idem Gregorius elegantissimè versatus est, ubi nec illud prorsus celare potuit, quæ sibi esset cum Basilio virtutum & laudum societas. Quanquam longè amplissimæ & splendidissimæ præesset Basilius Ecclesiæ, non eò tamen sperabat vel tantillum deviare se posse ab æmulanda ejus paupertate, qui Ecclesiarum omnium conditor & sponsus est. Una illi tunica, unum pallium erat, lectum humus ipsa præbebat, panis & sal cibum, fontes potum exhibebant. His macerationibus ægritudines creabantur, iisdemque post sanabantur. *Hinc illi tunica una, & pallium unum, & stratus humi lectulus, & illuvies, & vigilia, illa ejus decora & ornamenta: & suavissima cœna & obsonium, panis & sal, novum nunquam illud condimentum: & potio sobria & uberrima, quam nobis nihil laborantibus fontes profundunt. Ex quibus, imo cum quibus morbi & morborum curationes promanarunt, quod commune utriusque nostrum studium fuit.* Orat.20. Sugillat Nazianzenus præposteros Basilii imitatores, qui exteriora quædam cum eo sectabantur, quæ ille non magni pendebat; at ab ejus animi penetralibus, & sanctis mentis virtutumque recessibus longissimè aberant. *Cujus generis sunt pallor, barba, certus incedendi modus, vestis genus, & lectuli species, & cibi sumendi modus, quorum nihil ille dedita opera, sed simpliciter ac fortuitò factitabat.* Quàm casto & infucato amore Basilius prosequebatur pœnitentiam, paupertatem, humilitatem, despicientiam sæcularium deliciarum, opum, dignitatumque, tam procul erat ille ab illis singularibus agendi rationibus, quas ementiebantur malè feritati quidam imitatores.

IV. In Basilii adumbranda imagine Nazianzenus præter opinionem & spem suam sese exprimebat. Tabellam rursus ille Basilii elucubravit, cum retundendis obtrectationibus necesse ipsimet fuit, ut aspersa immerenti sibi varia diversis refelleret virtutibus. Molestissimè ferebat Clericorum epulas sumptuosas, cum totus demum ille fastus vanescat, & dedecori atque horrori sit. Simplex & parabilis illi erat cibus, qualem natura desiderat. Vestis, conversatio, incessus, species, sermo, quò totius sæculi fastus confutaretur. Hinc illi faciebant invidiam, hinc convitia ingerebant, quæ ille perfuavissimum habebat gloriæ sibi cessura. *Nec enim quidquam eorum laudamus, qua semel in fauces transmissa, pari postea honore sunt, vel ut rectius loquar, pari ignominia. Verùm simplici atque illaborato victûs genere utimur, nec à bestiis, quarum vita supellectilis atque omnis apparatus expers est, multùm dissidemus. An mihi quoque vestis asperitatem objicis, vultusque situm haud satis elegantem? Rusticitatemne meam & insulsitatem non accusabis, quodque asperum quiddam & agreste loqui videor? Domi ut plurimum maneo, tristis ac tetricus, merum ipse, hoc est, cum germano actionum mearum censore consuetudinem habeo.* Orat.25. 27.

Ejusmodi erant Episcopi, quos sua ætas admirabatur, qui ætati posteræ faxit Deus, ut & admirationi sint & imitationi. Unus illis scopus erat propositus, in eo illis erant omnia, ut consectarentur toto pectore, quæ mundus odit & contemnit; contemnerent & odissent, quæ ille colit. Unæ illis hę cordi, hæ in oculis erant divitiæ. Apostolica paupertas. *Paupertatem objicient? Meas scilicet opes, & copias.* Vegetus & corpulentus corporis habitus parum illis concinere videbatur cum præcone crucis & pœnitentiæ: *Ne tu quidem jucundum spectaculum prabes, ita vegetus & corpulentus. Atque utinam tibi quoque canitiei & palloris quidpiam affusum esset, ut fidem saltem & existimationem sapientia & vera Philosophia colligeres.* Orat.28. Uno ut verbo rem efficiam, unum id profitebatur Gregorius, damnare, quæ, laudat sæculum; laudare, quæ damnat. *Ea, qua aliis voluptatem gignunt, mihi molesta sunt; qua autem aliis tristia & injucunda videntur, ea animum meum oblectant.* Orat.32.

V. Non omnes ejus ævi Pręsules in Nazianzeni vestigia, & exempla ingrediebantur; nonnulli eorum cœnarum sumptu immenso certabant cum Gubernatoribus Provinciarum, eoque confidebant Episcopatum honestari; eodem consilio, aut errore magis fœdissimo, in veste, in famulitio, in supellectili, in equorum, servorumque grege vincere nitebantur, ubi vinci & compendiosius fuisset & honorificentius sibi quidem; vel potius ne certasse quidem. Gregorio contra exploratissimum erat, quàm non deberent oblationes altarium inquinari sæculari eo usu, aut alimenta pauperum Pręsulum luxu dilapidari. *Quin hęc quoque fortasse nobis exprobraverint, jam enim exprobrarunt, quod nec mensa lauta, & opipara, nec magnifica veste utimur, nec splendidè in publicum prodimus, nec ad eos, à quibus convenimus, gravitatem & fastum adhibemus. Nesciebam scilicet nobis cum Consulibus & Præfectis, clarissimisque belli ducibus, qui tot opibus copiisque circumfluunt, ut quo sua projiciant, non habeant, æmulationem & certamen esse: illud oportere, ut & nobis, pauperum bonis ad luxum & delicias abutentibus, venter undique comprimatur; & necessaria in res superfluas effundantur, atque Altaria ipsa ructibus nostris contaminentur. Nesciebam nos equis insignibus & lascivis ferri, sellisque & curribus magnificè attolli, ac cum pompa & fastu deduci, atque omnes nobis perinde ac belluis de via decedere, aut etiam tantam præcursium turbam esse, ut procul conspicuus incessus noster sit.* Orat.32. Erant ergo jam tum Episcopi, qui Consulum Romanorum Principumque splendorem inanissimum imitari mallent, quàm Apostolicæ institutionis formam; qui necessaria pauperum subsidia superfluis disperderent expensis; qui Altaria ipsa intemperantię suę sordibus contaminarent. Has easdem Aulicorum Pręsulum imagines fœdissimas rursum exhibuit Nazianzenus in Carminibus de vita sua, *Carm.11.*, ubi tota eloquentię vi & majestate declarat, quàm Pręsules illi arderent, quàm ipse totus indignaretur in sacrilegas eas intemperies, in effusissimas ex re pauperum epulas, in servorum, equorum, curruum numerosos greges in omnes denique sæculi delicias, & fœdissimę pompę ostentationes, quas fideles laici fastidire, Clerici exhorrescere debent,

VI. Nec ab his recessit Gregorius Nyssenus in Gregorii Thaumaturgi sanctimonia & paupertate verè Apostolica oculis subjicienda. Ejus enim ille vitam literis mandavit. Nihil unquam possessionis sibi esse voluit Thaumaturgus, dum superstes fuit, ne mortuum quidem se nisi emendicato condi optavit sepulcro. Ut individua illi semper fuerat rerum communio, & vitæ societas cum pauperibus, communi quoque se voluit tumulari cœmeterio, non passus rei cuiquam terrenæ nomen suum inhærere, aut usquam inscribi, quam cœlis. *E vita migrat obtestatus necessarios suos, ne peculiarem sibi locum sepultura compararent. Nam si vivus nullius loci dominus vocari voluisset, sed in alienis tanquam inquilinus & peregrinus habitans, vitam transegisset; ne post mortem quidem inquilinatum sibi dedecori fore putare; sed insequenti inquit sæculo prodatur, quod Gregorius nec vivens ab aliquo loco cognominatus sit, & post mortem alienorum locorum fuerit inquilinus: cum ab omni terrena possessione se se abstinuis-*

nuisset, adeo ut ne sepeliri quidem in proprio loco sustinuerit: solum enim illum pretiosum & expetendam possessionem putasse, quæ fraudis & avaritiæ vestigium in sese non admittit.

VII. Alicubi rursus idem Gregorius testatur, *Epist. ad Fluv.*, quo celerius perveniret ad locum, quo illum charitas pergere urgebat, curru exiliisse se, quo vehebatur, & reliquum itineris equo vectum confecisse. Observat & Palladius Chrysostomum jumento vehi solitum. *Jumentum cui sedere consueverat.* An jumentum hic mulus, vel asinus capiendus sit, viderit Lector. Contendit enim Chrysostomus Christum asello vectum fuisse, dum ovaret Hierosolymæ, quo Ecclesiæ Præsules exemplo suo informaret, his ut potius modestiæ & humilitati congruis uterentur adjumentis, utpote alumni crucis, cum necessitas cogeret evectiones aliquas sibi asciscere. *In asinu sedisse videtur, ut vivendi Philosophia nos erudiret, &c. Quoniam jumentis opus esse imbecillioribus non ignorabat, modum exemplo dedit, ne aut equis, aut mulis junctis sublimes feramur, sed asino, quando res cogit, insidere: neque ulterius progredi, sed ubique usum necessitate terminare. In Matt. hom.* 77. De Lucio Episcopo Ariano Theodoretus verba faciens, *Hist. l.*4. *c.*14., asino illum vehi facit. Nec ex Severo Sulpitio magnificentior Beati Martini quadrupes. *Statim eum asello imposuimus. Dial.*2. *c.*4. Non ii erant vel Martinus, vel Chrysostomus, qui Gregorium Nyssenum insimularent, curru & equo invectum, cum ipsi asello sederent. Christus semel tantum asello usus legitur. Hi Præsules sæpius utebantur. Non ergo ab his nexa, aptaque pendet germana virtus exterioribus usibus, sed ab humilitate sincera, & fuga pompę sęculi. Potest & equus adhiberi, & currus exemplo Gregorii Nysseni, integra & illibata modestiæ lege, eo vel loco, vel tempore, quo infimæ vel mediocris sortis homines his utuntur; & quando nec tam rara, nec tanti sumptus hæc sunt, ut hinc notabiles spectabilesque fiant, qui his utuntur. Fuere forsan & loca etiam, & tempora, quibus & Martinus & Chrysostomus recusassent asini pullo vectari, ne Magnatum sæculi fastum æmulari, & æquare viderentur. In eo ergo posita est moderationis regula, ut nihil non necessarium præsumatur, & necessitati ipsi fiat satis, eadem ipsa ratione, qua pauperes soleut, aut certè mediocres quoque.

VIII. Abhorrebat ex eodem Palladio Chrysostomus à qualicumque deliciarum contagio; impium & sacrilegum ratus, in eas insumi res Deo sacras, & Ecclesiæ proventus. Seorsim solus vescebatur, ut minore sumptu id faceret; & ne administratoribus rerum Ecclesiæ ansam daret, expensas exaggerandi, & ex rebus Ecclesiæ suas augendi. Illud quoque sentiebat, si quos ex Proceribus ad prandium invitaret, fore ut eo alii obsequerentur; si omnes alliceret, hinc temporis, pacis, & substantiæ Ecclesiasticæ ingentem & luctuosam jacturam. Denique Episcopis omnibus formam hanc præmonstrasse Apostolos, & exemplo suo quodammodo sanxisse, ut orationi, & prædicationi verbi totos se dedant, curæ mensarum & epularum nuntium remittant, quo illa cumque fuco & colore oblinatur. *Frugi erat nimium, deliciarumque omnino adversarius, sacrilegium existimans, si quid in ejusmodi impenderetur, simul ut dispensatoribus quoque furti occasiones amputaret, ne obsoniorum pretia in brevibus suis multiplicantes, quę erant in usus pauperum deputata, sibi ipsis vindicarent. Præterea civitatis ingenia cogitans, considerabat oportere se, ut Christi dispensatorem, aut dignitates omnes ex æquo honorare, aut se subjicere nemini. Inspiciens autem & mensæ tumultus, & impensarum magnitudinem, exhorruit rem. Cap.*12.

IX. Optabile quibusdam fuisset, Episcopos ut saltem, Clerum saltem suum mensæ adhiberet Chrysostomus. Respondet Palladius, nec hęc quidem nisi magnis expensis profligari posse, in quas nollet sanctissimus Pater effundi pauperum alimenta, solatia ægrorum. *Si quam celerrime illi multo cum apparatu exquisitas epulas sectarentur, iniquum & indignum erat, infirmorum & pauperum cibos, eorum, qui sani essent libidini exponere. Cap.*13.

X. Multò alienior erat Chrysostomus ab eorum vecordia Præsulum, qui morbum morbo curari, vulnus vulnere novo curari posse confidebant; famamque suam & opinionem longa ignavia labefactatam, epulis & ædibus extruendis redintegrari. Cum in mentem potius venire deberet Salomonis, qui regia opulentia Palatiis exædificatis, eorum vanitatem singulari & cœlesti damnavit sapientia. Non quo molestè ferret Chrysostomus extrui, aut reparari ex officio Ecclesias. Sed impatientissimè ferebat patrimonia pauperum non dispensari, sed dissipari in hortorum amœnitates, in aquæductuum & balnearum structuras magnificas, aliorumque locorum effęminatis deliciis dicatorum, quo fanè fit, ut criminibus & criminum architectis dęmonibus famulentur, quę majorum pietas divino cultui dicaverat. *Multi namque ex his, qui dicuntur Episcopi, rationabile ipsorum odium, & divinarum rerum negligentiam amputare dum volunt, vitium vitio commutant, cupiditatem scilicet vanitate, instruentes mensas & sublimium ædificiorum moles erigentes, ut ex hoc studio boni & industrii esse videantur, ac pro ignominia honorem consequuntur; Ecclesiastici immemores, qui ista & construxit & odit, atque ea manifestè interdixit dum scriberet. Feci mihi domos & pomaria, & ecce omnia vanitas, & odivi omnem laborem, quo ego laboro sub sole, &c. Hæc autem dixerim, non ut eos denotem, qui probabiliter & necessario Ecclesias aut condunt, aut reparant; sed illorum causa, qui pauperum opes in hortos pensiles, in aquæductus aereos, in lavacra parum pudica consumunt, quod omnia ad voluptatem peccantium faciunt. Ibidem.*

XI. Hactenus placita & mores Crysostomi Palladius Episcopus pari facundia & eruditione edisseruit. Tempestivum jam reor esse, ut & ipsi aures accommodemus, ut nos ipse doceat, quæ ipsum edocuerat Christus, summa & accuratissima Præsulum disciplinæ & doctrinæ quæ sit forma. Observat Chrysostomus Christum ipsum, ut addoceret nos necessario & parabili cibo contentos esse, superfluaque ejicere, summam quandam secutum esse paupertatem in delectu matris, natalium, educationis, vestium, discipulorum, per quos in posteras transfundere voluit ętates locupletissimam paupertatis suę hęreditatem. *Regulas nobis præbet, ne majora, quàm necessarius usus exigit requiramus. Itaque quando etiam nascebatur, non magnificas ædes, non locupletem matrem, sed pauperrimam elegit; sic discipulos, non oratores, aut sapientes, nec genere, aut fortunâ claros, sed inopes valde atque ignotos. Mensa sua hordeaceis nonnunquam panibus, nonnunquam quos discipuli è foro emerent, referta erat. Recumbebat præterea in fœno, vestes viles nec conditionem vulgi excedentes induebatur. Domum nullum habebat, pedibus iter faciebat, &c. In Matt. Hom.*67.

XII. Aureę linguæ pennęque idem Pontifex alibi observavit gregibus quidem à Christo imperatum esse, ut Pastores suos pascant; sed & ab eodem Pastoribus ipsis pręscriptum fuisse, ut facili & parabili, ac necessario cibo sint contenti. Nemo suis militat stipendiis, sed pręter justa stipendia nihil miles requirit. Ali ex vineis laborant, qui eas excolunt, non ditescere; non de grege negotiari, & ditari avet Pastor, sed lacte ejus pasci. His

sacri Codices exemplis Clericos admonent & Beneficiarios omnes, ut tam invicti sint, quàm milites; tam infatigati, quàm viotores: tam vigilantes, quàm Pastores; hac una mercede & spe sibi proposita, ut necessario cibo non destituantur. *Apostoli erant & milites, & agricolæ & pastores. Non dixit Paulus Quis militat & non est dives? Sed, Quis militat suis stipendiis unquam? Neque dixit, Quis plantat vineam & aurum non colligit, aut fructum integram non vindemiat? Sed, Ex fructu ejus non comedit. Neque dixit, Quis pascit gregem, & de agnis non exercet mercaturam? Sed, Et ex lacte ejus non comedit. Non ex agnis, sed ex lacte. Oportet enim habere & fortitudinem militis & agricolæ diligentiam, & curam pastoris, & post hæc omnia nihil amplius quærere, quam necessaria. In Ep. 1. ad Cor. Hom. 21.* Hæc Paulus ab ipso Christo acceperat: *Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. Vivere, non mercaturam facere, nec thesaurizare. Dignus est enim, inquit, operarius mercede sua. Hom. 22.*

XIII. Quantocumque autem flagraret Chrysostomus amore Ecclesiasticę abstinentię & paupertatis: non potuit non tamen defensionem in se & patrocinium recipere sui Cleri, cui insolentius laici convitiabantur, opibus, luxu, deliciisque Clericorum, ultra ęqui verique lineas calumniando exaggeratis. Declarabat Chrysostomus, *In Epist. ad Phil. Hom. 9.* non paulò opulentiores fuisse Sacerdotes & Levitas Mosaicos ipsius Dei jussione, nec tamen Judęos hinc dicteriis & fannis in eos sęvisse. Perversum est, ut qui nihil largiuntur Ecclesiis, aliorum largitates arrodant. Quamlibet tenui stirpe & re sint Clerici, in laude tamen jure merito esse, quòd cum artes eas amplecti possent, quibus divitiæ comparantur, piam elegerint professionem, cui victus & vestitus sufficit is, quos natura carere non potest. Denique contestatur Chrysostomus, se ante alios omnes debacchaturum esse in Clericos, si quos eorum videret, aut serica veste superbientes, aut magno servorum satellitio cinctos, si equis veherentur sublimes, si domos extruerent sibi novas, cum non deesset, ubi habitarent. Fatetur Clero eximendos, si qui his laborent vitiis, cum superfluarum rerum amore extricare plebem non possint, quo ipsimet irretiti sunt. At si necessario contenti sint, neminem eis jure irasci posse. *Dic mihi num sericis induitur vestibus. Num sectatorum multitudinem per forum incedens circumducit? Num equo vehitur? Num ædes extruit, habens ubi habitet? Si hæc facit, ego etiam reprehendo, neque illi parco, sed sacerdotio indignum esse affirmo. Nam quomodo monere alios poterit, ne rebus istis inutilibus vacent, qui se ipsum monere non potest? Sin autem rebus tantùm ad vitam necessariis non eget, hoc ipso crimen injustitiæ in ipsum intrudis.* Addit si publicè Clericus quis mendicare sineretur, tum de Christianæ pietatis legibus conclamatum fore. Si quando verò Laicis doleat, Clericis omnino nihil auri esse, & non una eos tunica contentos esse, præter Evangelica, ut videri posset, præcepta: Respondet sanctissimus doctor, qui in suis cæcutiant vitiis, eos non oportere tam acutos & perspicaces esse in alienis: porro quod Paulus præcepit, ut habentes quibus tegamur, & alamur, his contenti simus, id non propriè Clericis, sed fidelibus universim omnibus præceptum fuisse. *Cum Paulus ait, Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus, ad solos Magistros verba facit? Minimè, sed ad omnes homines.*

XIV. Atrociùs etiam insaniebat in Clericos Laicorum censura: iniquo ferebant animo Pastores suos balneis uti, servulum habere, jumento vehi, quippe his vitæ commodis Apostolos sese abstinuisse. Hæc tum convitia in Clericos jactabantur, ex quibus, ut nunc res sunt, eorum commendatio & laus non mediocris exprimi potest. His enim criminationibus ipsis proditur eorum tunc modestia singularis. Unde non illis tantùm patrocinio suo adest Chrysostomus, sed & Apostolis ipsis ministrasse demonstrat utriusque sexûs nobilissimos & ditissimos, qui nullo non officio, nulla non re adessent & eorum obsequiis ac defensioni sese impendere percuperent. *Atque ille, Lavat, inquit, at ego; comedit, bibit, vestimentis operitur, domûs curam gerit atque familiæ. Cujus ergo rei gratia ille mihi prælatus est? Sed & famulos habet, qui illi ministrent, & asello vehitur, cur præesse mihi debet? Numquid Apostoli liberos homines, qui sibi servirent, habuerant?* Et postea: *Vis nosse quomodo Apostoli se habuerint, dum essent in vita? Peregrinationes obibant, & viri nobiles illustresque mulieres pro illorum refrigerio & quiete, & animas suas & capita sua sæpè porrigebant. Audi quid Paulus commoneat: Hujusmodi, inquit, in honore habetote, quoniam propter opus Christi usque ad mortem appropinquavit, non parcens animæ suæ, ut impleret quod ex vobis deerat adversùm me in ministerio. In Epist. ad Titum. hom. 1.* Itaque quàm æquum est proscribi delitias, tam iniquè irascuntur laici Pastoribus, qui mediocrem sui corporis curam agunt, ut ne fatiscant oppressi pondere & labore visitationum, concionum, aliarumque functionum complurium, quę nec sine labore & defatigatione obiri, nec sine exitio præteriri possint. *Si delitiis inservit, & hoc licitè culpare poteris. Porro si corpus curat, ut ministerium exhibere possit, culpandus non est. Si enim præ ægritudine lectulo decumbat, quam subire peregrinationem poterit, quo pacto visitare Ecclesias?*

CAPUT XXXVII. *P. 1. l. 4. c. 11.*

De eodem pio & canonico usu rerum & proventuum Ecclesiæ ex Patribus Græcis per quinque priora sæcula. Item rursus ex Latinis.

I. Mira præcepta Theodoreti, & exempla.

II. In publicam utilitatem exædificavit ille porticus, balneas, Pontes, Aquęductus.

III. Exempla alia ab ipso Theodoreto commemorata.

IV. Exempla ab Athanasio relata.

V. Placita Concilii Antiocheni.

VI. Exempla S. Basilii.

VII. An conducat sumptibus Beneficiorum decorari Ecclesias. Quanto Christianæ Religioni & præsidio fuerint, & ornamento, magnificentissima illa, quæ Constantinus excitavit templa.

VIII. Approbatus magnopere est Patribus Græcis ille pius sumptuum dicandi & decorandi Ecclesias.

IX. Huic sententiæ astipulatur ipse Chrysostomus.

X. Laudatur & à Christo Magdalenæ pietas, quanquam ille potiùs author fuisset aromatum pretia pauperibus dilargiendi.

XI. Ornare templa in laude est; pauperibus succurrere majore in laude est.

XII. Laudat & Hieronymus expensas in decorandis templis, dum ne contemptui sit decor & ornatus virtutum.

XIII. Unus omnium ex Hieronymo Vigilantius, pretiosiores & gemmatas Martyrum thecas deridebat.

XIV. Rursus in eam rem sententia Hieronymi.

XV. XVI. XVII. De Paulino, Lactantio, Leone Pa-

Papa, qua super his eorum doctrina.

XVIII. Objectio ex Severo Sulpitio petita.

XIX. Nova probationes ex Sidonio Apollinari, & Augustino.

I. LUculentissimas illas leges Chrysostomi, de rerum & proventuum sacrorum dispensatione, moribus jam & exemplis suis Theodoretus illustrabit. Literis enim datis ad Leonem I. Papam, cum & doctrinæ illi, & vitæ anteactæ rationes aperirer, contestatus est, ab annis jam se viginti sex ad clavum Ecclesię suæ sedere; nec acquisisse se tamen quidquam, nec possedisse, aut proprietatem nactum rei quantulæcumque, nec enim domum sibi esse, non agrum, non argentum, adeoque nec tumulum, edita videlicet paupertatis professione, & opibus Ecclesiæ adeo non reconditis à se ullis, ut & patrimonium in pauperes totum dispersit, ubi primum illud in potestate habuit. *Quodque Episcopatu tot annis gesto, non domum acquisierim, non agrum, non obolum, non sepulcrum, sed spontaneam paupertatem amplexus sim, & ea, qua à parentibus ad nos pervenerant, post mortem illorum statim distribuerim, ut sciunt omnes, qui habitant in Oriente.* Ep.113. Id ipsum ille perscripsit ad præpotentem quendam virum, cui & gestorum suorum seriem paulò altius exorsus est. Narrat enim à parentibus se ante natales ipsos Deo oblatum fuisse, atque ut hostiam altaribus dicatam, traduxisse se in Monasterio totum vitæ tempus ante Episcopatum. Invitum se ei dignitati admotum fuisse; exinde autem nec convenisse se quemquam, nec à quoquam conventum fuisse apud Judices, nec passum se, ut Clericorum quisquam suorum in foro sæculari litigaret: abhorruisse semper se à muneribus, ab iis & Clericos suos deterruisse, non possedisse se quidquam, nisi viles pannos, quibus tegebatur, hæc se tacuisse semper, donec jam tacere per calumniatores non liceret. *Enimvero dicere me cogunt Sycophanta. Priusquam me conciperent, oblaturos se Deo polliciti sunt parentes: atque ab incunabulis, ut promiserant, devoverunt, & hoc modo educarunt: in Monasterio tempus quod Episcopatum præcessit, eam exegissem, invitus Episcopus ordinatus sum. Annos viginti quinque ita vixi, ut neque in jus vocatus sum à quoquam, neque ipsò unquam accusarim. Nullus religiosissimorum Clericorum, qui sub me fuerunt, Tribunalia tot annis frequentavit. Non obolum, non vestem à quoquam accepi. Panem unum vel ovum nullus domesticorum meorum accepit unquam. Præter panniculos, quibus amictus sum, nihil possidere volui.* Epist.79. 81. 138.

II. Tam eximia virtutum species in Theodoreti gestis effulgescens, nullas patietur, ut spero, residere in animo nostro obliquiores suspiciones, de ea, quam ille sequebatur proventuum sacrorum expendendorum ratione. Confitetor enim ipsemet, non sine quadam verecunda tamen sui venditatione, exædificatas à se esse publicas porticus, extructos Pontes duos, restauraras balneas publicas, Aquæductus à se in urbem invectos, & aquas eò corrivatas. *Publicas porticus ex reditibus Ecclesiasticis erexi; pontes duos maximos extruxi: balneorum publicorum curam gessi; aquaductum condidi, & carentem aquis civitatem aquis replevi. Ibid.*

Erar Theodoretùs tum omni eruditione clarus, tum maximè Canonum peritia, cum compilatio Caoonum ab eo fuerit consarcinata. Non ergo verendum nobis est, ne cum bæc in sui defensionem publicaret, novis in se telis sycopbantas suos instrueret. Erat ergo illi persuasissimum opera hæc omnia in publicam utilitatem excitata, non tantùm reprehendi à nullo posse, sed & hinc laudes eximias in se refundi posse cum in ea non effudisset, nisi quę necessariis in Clerum & pauperes omnes largitionibus superfuissenr. Non insimulabat paulò superiùs Palladius, nisi eos, qui balneas viris fęminisque commuoes exrruerent. Id eoim perspicuè sonant ejus verba. Si reprehendantur autem ab eo Præsules, qui favorem populi emercabantur, vel præteritæ suæ ignaviæ iofamiam bis ædificationibus publicis eluebant, jure id fit meritissimo. Uti & meritò ab eo laudibus extolleretur Tbeodoreti in Rempublicam pietas, largitas, & beneficiorum vicissitudo, si ex immensis largitatibus Ecclesiæ suæ aliquid derivaret in publica commoda & innoxias amœnitates civitatis suæ. Eo enim exemplo æternæ animarum salutis restitutor Cbristus, in corpora ipsa nostra gratiarum suarum rivulos redundare voluir, ut æmuli tantæ caritatis Episcopi, paterna quadam in plebes sibi creditas benevolentia, & animarum saluti, & corporum etiam levamentis consultum velint.

III. Venio ad alios Episcopos, quorum nomina & virtutes in Religiosa Historia sua æternitati consecravit Thedoretus. Si enim ipse in Episcopatu eandem retinuit, atque prius in Monasterio temporalium omnium contemptionem, eandem mensæ frugalitatem, paupertatem in veste, jejuoia macerationes carnis, Jacobum Nisibenum æmulatus est, quem ipse author est, Cœnobii austeritatum nihil remisisse, Pontificalium functionum labores his accumulasse. *Montanam illam habitationem cum mutasset, urbanamque non ex animi sententia suscepisset, nec cibum mutavit, nec vestitum sed mutatis locis vita institutio nullam cœpit mutationem. Ad jejunium & humicubationem & saccum, quo induebatur, accesserunt cura indigentium omnium.* Cap.1. Æmulatus est & Aphtonium præstantissimæ sanctitatis virum, quem eodem ipse ornavit testimonio. *Divinus ille Aphtonius cum annos amplius quadraginta choro Monachorum præfuisset, sedem ascendit Pontificalem, nec pallium mutans asceticum, nec tunicam capearum è pilis contextam, cibisque iisdem utens, quibus ante Episcopatum utebatur. Gregis tamen nihilo secius curam gerebat.* Cap.5. Æmulatus est & Abraamem, cujus hæc gesta fidem superarent, nisi rei incredibili incredibiliora complura alia fidem astruerent. *Admirabilis iste vir, nec panem Episcopatus sui tempore gustavit, nec legumina, nec olera igni cocta, nec aquam, qua apud eorum istarum peritos prima è quatuor elementis ob necessitatem est habita; sed lactucas, intybu & apiu, fructus autumni tempore. Has autem post vespertinum officium sumebat.* Cap.17.

IV. Imitabatur denique Theodoretus Episcopos illos complures, quos Dracootio proponebat Athanasius, ut hunc adhortaretur ad Episcopalem sarcinam subeundam, cum horum exemplo constaret Episcopalem sollicitudinem Monasticæ professioni baud sanè repugnare. Id confirmat Athanasius numeroso examine Episcoporum, qui utriusque status hujus perfectionem quandam eminentissimam fuerant consectati. *Licebit tibi in Episcopatu esurire, sitire, sicuti Paulo, vinum non bibere, sicuti Timotheo, &c. Novimus Episcopos jejunantes & Monachos comedentes. Epist. ad Draconti.* Elias & Elisæus, Paulus & cæteri Apostoli, ut ibidem perhibet Athanasius, Episcopales & ipsi curas Muoasticæ paupertati vitæque austeritati incredibili consociarunt. *Nosti Serapionem Monachum, nosti Agathonem, &c. Et tamen isti Episcopi constituti non contradixerunt, sed habentes pro exemplari Elizaum, & conscii quid Elias egerit, quid discipuli Christi Apostolique fecerint, susceperunt hanc curam, &c.*

Agit & Cassianus de sanctissimo Monacho Archebio, qui cum annos triginta septem contrivisset in stadio Monasticarum macerationnm, post ad

Epi-

Episcopalem Cathedram provectus, ita secum statuit, non se Episcopatui intrusum, sed eremo & claustro extrusum fuisse, cujus virtutes & perfectionis apicem ne tanto quidem annorum decursu assecutus esset. Unde & adeo non remisit, ut priori vitæ asperitati aliquid addendum sibi existimarit. *Archebius raptus de Anachoretarum cœtu, & Episcopus Panephisi oppido datus tanta districtione omni ævo suo propositum solitudinis custodivit, ut nihil de præterita humilitatis tenore laxaverit, aut de adjecto sibi honore blanditus sit. Non enim tanquam idoneum se ad istud officium testabatur ascitum, sed velut indignum ab illa anachoreseos disciplina querebatur expulsum. Eo quod triginta septem annis in eadem commoratus, ad puritatem tantæ professionis nequaquam pervenire potuisset. Coll.11. c.2.*

V. Jubet Concilium Antiochenum communicari cum Episcopo proventus Ecclesiæ, si ipse quoque egeat; tum enim æquissimum esse ex Apostolo, ut necessariis alimentis & vestibus cum suis omnibus donetur. *Ipsum quoque ex eis percipere atque uti debere, quibus indiget, si tamen indiget, vel ad suas necessarias expensas, vel fratrum, qui apud eum hospitalitatis gratia commorantur, ut nulla ex parte per inopiam defraudentur, juxta Apostolum dicentem, Habentes victum quotidianum & tegumentum corporis, his contenti simus.* Can.25. Si his sportulis à Paulo definitis minus acquiescat Episcopus, ut pauperum patrimonii defraudatione suos locupletet, tum verò & ipse, & Presbyteri ejusdem facinoris conscientia constricti, in Synodo Provinciæ causam dicent. *Quod si contentus istis minimè fuerit, convertat autem res Ecclesiæ in suos usus domesticos & ejus commoda & vel agrorum fructus non cum Presbyterorum & Diaconorum conscientia pertractet, sed horum potestatem domesticis suis aut propinquis aut fratribus, filiisque committat, ut per hujusmodi personas occultè lædantur Ecclesiæ, Synodo Provinciæ pœnas iste persolvat.*

VI. Exciderat nobis prop[illegible]um Basilius, qui defensionem ipsemet lucubraemod[illegible].371., suæ publicorum Ecclesiæ redituum administrationis, ex quibus construxerat Ecclesiam oppidò magnificam, Episcopales ædes, Seminarium, sive Cœnobium, quo & ipsi Provinciæ Præsides excipiebantur, hospitalitatis Ecclesiasticæ jure, Xenodochium peregrinorum, Nosocomium ægrorum, cum ea & officialium & redituum copia, quam tantæ ædes desiderabant.

VII. Ex hoc Basilii contextu occasione data, paulò operiosiùs inquiremus, an satis canonicè & religiosè proventus Ecclesiæ copiosiores effundi possint ad extruendas Ecclesias magnificentiores, & splendidiùs exornandas. Ante ipsum Constantini Imperium narrat Eusebius fideles ipsos, jam & numero & opibus præpollentes, Ecclesias excitare cœpisse amplissimas & opulentas. *Quo factum est ut priscis ædificiis jam non contenti, in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis extruerent Ecclesias. Leg.8. c.1. 2.* Excidit & complanavit templa hæc omnia Diocletiani persecutio; at ubi post illuxit iterum Ecclesiæ pax, illuxit & Imperium Constantini, rursus Ecclesiæ instauratæ sunt aliæ longè magnificentiores, tanquam victricia quædam trophæa Christi, de principibus sæculi triumphantis & tanquam prævia quædam simulacra invisibilis ac cælestis templi, ubi cum Sanctis suis Deus æternum regnaturus est. *Hoc magnificum Dei altissimi templum, quod sub aspectum cadit, ad exemplum præstantioris illius templi, quod cerni oculis non potest, quàm fieri potuit, simillimum fabricavi.* L.10. c.4. Hæc Eusebius de opulentissimo templo, quod Tyri excitavit ejusdem urbis Episcopus. *Eusеb. de vita Const. L.2. c.45. 46.*

Est enimverò conspicuus hic orbis universus magnificentissimum utique Templum, splendidissimumque, quanquam ejus tantum umbra sit inconspicui & inintelligibilis templi, quod æterna & incommutabilis Veritas inhabitat. Hoc exemplo imbuit nos & illexit Deus, ut templa illi construeremus. Constantinus Episcopis statim faces admovit, ut restaurandis incumberent Ecclesiis, excitavit & ipse *regali magnificentia*, quasi cruci Christi triumphum quendam perpetuum instrueret ejusque pedibus subjiceret quidquid toto orbe magnificentissimum est. *L.3. c.29.* 30. Marmora, argentum, aurum, quidquid est pretiosorum lapillorum & gemmarum certatim ibi radiabant, at materiam pretio incomparabiliter superabat ars & industria, operumque tum elegantia incredibilis, tum majestas. *Cap.31. 32. 33. 40. &c.* Nec Hierosolymæ tantùm, sed & Nicomediæ, Constantinopoli, Romæ Constantinus pietatis & religionis suæ inexhaustas opes explicuit, compluribus Ecclesiis excitandis. *L.4. c. 58.* Sanctissimis tunc Episcopis volupe erat, pulcritudinem & pompam orbis totius prospicere absolutam à profana dæmonum servitute, cui tamdiu fuerat mancipata, & uni jam libertatis & suæ venustatis authori consecratam. Si illustre enim & magnificum est ad Christi gloriam, ex Augustino cæterisque Patribus, ut ad opprobrium crucis ejus, ad tumulum eorum, qui suo ei sanguine litaverunt, procumbant coronata Regum & Imperatorum capita, eodem certè perspicacissimo fidei oculo fulgurantem ejus gloriam intuemur ex universa mundi opulentia jam & superbia ejus crucis & humilitatis mysteriis famulante. Descripsit ædem magnificam Evagrius, *L.1. c.14.* qua concludi placuit & coli columnam, qua Simeon Stylites de sæculi insanissimis pompis triumphaverat.

VIII. Miratur Gregorius Nyssenus sumptuosissimum Theodori Martyris templum. *Tom.3. p.578.* Qui rursus alibi *Tom.2. p.41.* ex aureo & cæruleo ejus tabulato ac fornice occasionem arripit propellendæ mentis ad æternorum pulcritudinem contemplandam. Gallum & Julianum testatur Nazianzenus cum ordine Lectorum initiati fuissent, suum in Christum amorem & cultum commendatum voluisse, magnificentissimis templis ei extructis, donisque opulentissimis. *Sumptuosissimis Martyrum monumentis, & votivorum donorum magnificentiis sapientia studium Christique amorem declarabant. Orat.3.* Nazianzenæ Ecclesiæ amplitudinem & opes vix idem alio alibi sermone complecti potuit. *Orat.19. Cathec.14.* Commendat & Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus, tantum opum, aurique & argenti effusum in ea templa, quæ Hierosolymis Imperatores extruxissent. Opulentioris structuræ artes in Martyrum tumulis elegantissimè executus est Theodoretus, sed multò accuratius gloriam ex ipso triumphantis Christi, quod ejus servorum Martyrumque cineribus tanti impenduntur honores, cum situ, silentio, & oblivione obruti jaceant Imperatores, Heroes, & Philosophi gentilitiæ superstitionis. *Græcan. affect. serm.8.*

IX. Nec prætermisit Chrysostomus incrustata marmoribus & in incredibilem quandam altitudinem fornicata templa, in quibus concionabatur. *Tom.5. Serm.16.* Qui rursus idem alibi fidem fecit, non displicere sibi aurea vasa, quæ altaribus offerrentur, nisi cum ea offerrent manus rapinis contaminatæ, aut ubi non æquè laboraretur ad offerendum Deo pectus cœlesti charitatis auro locuples. *Si anima tua palumbo ac testa deterior est, quid tibi proderunt vasa aurea? Non igitur laboremus ad aurea vasa offerenda solum, verum etiam multo magis de justo labore acquisita offeramus. Hæc enim aurea sunt & pretiosa, quæ avaritia non maculantur. In Matt. Hom.41.* Non argentea mensa,

non aureo calice Christus Corpus primò suum & sanguinem consecravit, inæstimabili tamen ibi prætio omnia renitebant, & splendore ex supersusa Spiritus Sancti plenitudine. *Non erat illa ex argento mensa, nec ex auro calix quo Christus discipulis sanguinem prabuit; pretiosa tamen erant omnia, quia Spiritu abundabant.* Caput ergo est, ut Deo offerantur primò pretiosissimæ virtutum hostiæ, quibus accedant velut simulacra earum quædam aurea & argentea vasa. *Non est opus vasis, sed animis aureis. Hæc dico, non quia vetare velim talium vasorum oblationem, sed quia dignum putem ante omnia misericordia esse incumbendum in pauperes: nam & vasa Deus suscipit, sed illa multo magis sunt gratiosa.* Cumque rursus superbos templorum ornatus oculis perlustrasset, fatetur, justis laudibus impartiendam esse eam pietatem, sed multò justioribus cumulandam eam, quæ in pauperes effunditur. *Vermiculato blemate pavimenta ornas, lychnos argenteis catenis dependere facis &c. Nec prohibeo magnifica templa condere, sed hæc cum illis, immo verò hæc ante illa facere moneo.*

X. Observat divinus idem Orator reprehensam ab Apostolis fuisse Magdalenam, quod aromata non potius ad levationem pauperum contulisset, quàm ad Christi pedes ungendos? at Christum infinita quadam sapientia & charitate, illam purgasse, sed & laudibus affecisse; ut eo nos imbueret documento, non damnare eos, qui sumptuosa condunt templa, quanquam si nos antè illi percontarentur, invitandi potius essent, ad pauperum levandas necessitates. *Itaque & tu si videris quosdam praparasse vasa sacra, aut ornatum quendam alium circa parietes Ecclesiarum aut pavimenta confecisse; noli reprehendere aut venundari jubere aut destrui quod factum est, ut animum ejus, qui fecit perturbes. Sin verò antequam fecerit, te consuluerit, pauperibus offerre jubeto. Ibidem Hom.*80.

XI. Hæc justissima Sanctorum Patrum arripienda nobis est mediocritas; solidæ virtutis ornamenta longè chariora Ecclesiæ & splendidiora sunt; sed quæ in sensus cadunt, & his visibilibus spectaculis mentem sursum abducunt, aspernanda non sunt. Prioribus illis totos se dedunt perfecti; imperfecti quorum est copiosissimus Ecclesiæ grex in his posterioribus hærent, vel non hærent, ut ad superiora illa connitantur: utrisque Deus colitur & delectatur; illis impensius, quàm his: sed utrisque tamen, ut è cujus bonitatis fontibus bona scaturiant non summa tantùm, sed & mediocria; & in cujus summam gloriam redundet hæc contextio temperatissima mediocrium & ingentium bonorum. Eo sensu capiendus Isidorus Pelusiota, *Leg.*2. *Ep.*246. cum illum concerpit Episcopum, qui manu altera Ecclesiam ædificabat, altera viros probos abigebat, quibus pretium & decus potissimum Ecclesiæ adjicitur. Unde & totus ille Chrysostomo assentitur, ejusque judicio de Magdalena ab Apostolis reprehensa, à Christo collaudata, omnibus postea sæculis collaudanda. Non aliter argumentatur Isidorus congratulandum esse eorum pietati, qui templa exornant, quanquam optatius esset, ut pauperibus opitularentur. *Ad eum modum faciunt nunc probatissimi Sacerdotes; si quis dicat, consecrare aut appendere aliquid volo, id eum pauperibus dare jubent. Sin autem id jam ipse fecerit, non modo eum non increpant, verùm etiam blanda ac leniter admittunt. Non quod hoc illo melius ac prestantius esse ducant non enim propterea Christus venit, ut Ecclesias auro & argento impleat; sed ne eum, qui hoc donarium obtulit, animi anxietate afficiant. Leg.*2. *Epist.*88.

XII. Frustra sunt, quibus persuasum est, ab Hieronymo improbari sumptus, aurum, opes ingentes templorum. Longè alia sunt in sententia, qui in ejus verbis, consiliis, lucubrationibus omnibus explorandis plusculum operis & industriæ posuerunt. In Epistola ad Nepotianum spiritales ille quidem Ecclesiæ ornatus & venustates longo semovet intervallo, ab auro & cultu toto Synagogę, & eos perstringit, qui studium omne suum collocant in auro gemmisque in Ecclesias inserendis; sed eo tantum id ille facit, quod non pari ardore certaretur ad eligendos Ministros, & Presbyteros, quorum pietas & templi & ministerii sacri sanctimoniæ responderet. *Multi ædificant parietes & columnas Ecclesia substruunt, marmora nitent, auro splendent laquearia, gemmis altare distinguitur, & Ministrorum Christi nulla electio est.* Summis quidem ille laudibus prosequitur beati Exuperii Episcopi Tolosani opulentissimam paupertatem, qui *Corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portabat in vitro:* sed ea certè tempestate, iisque difficultatibus molestiisque temporum, per quas confringenda fuissent vasa sacra, ad solandas non pauperum tantùm, sed & Nobilium necessitates, quos ipsos pares præmebant angustiæ. *Caterum juxta miserias hujus temporis & ubique gladios savientes satis dives est, qui pane non indiget. Ad Rust.*

Suadebat quidem Paulino Hieronymus, ut egenis potius alendis, quàm templis ornandis studeret; sed non statim minori obtrectatur virtuti, ubi commendatur præcellentior aliqua. *Verum Christi Templum anima credentis est, illam exorna, illam vesti, illi offer donaria, in illa Christum suscipe. Qua utilitas est, parietes fulgere gemmis, & Christum in paupere fame periclitari; Ad Paulin. de institut. Monast.* Duo hic comparantur invicem bona, quorum alterum semper antecellit, immo & quandoque necessario præponendum est, ubi pauperes inopia cruciantur. Laudat & Paulam Hieronymus, quod viventibus, quàm lapideis templis impensius studuisset; *Nolebat in his lapidibus pecuniam effundere, [illegible] cum terra & seculo transituri sunt, sed in vivis lapidibus, &c. In Epit. Paula.* Sed ejusdem generis id quidem est, atque illud, quod ad Julianum scribit, ut se potius, quàm sua Deo dedicet; & Monachorum potius, quàm Monasteriorum numerum auctiorem velit. *Nolo tantum ea offeras Domino, qua potest fur rapere, &c. Extruis Monasteria, & multus à te per insulas Dalmatia sanctorum numerus sustentatur. Sed melius faceres, si & ipse sanctus inter sanctos viveres. Consolatio ad Julian.*

XIII. Ne poterat quidem Hieronymus illis conspergi erroribus, quos ipsemet à Vigilantio disseminatos extirpare & elidere studuerat. Illum enim novellæ hæreseos architectum apertè damnat, quòd gravatè ferret coli Martyres, & eorum corpora vasculis aureis circumferri. *Dolet Martyrum Reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis vel cilicio colligari, &c. Omnes Episcopi non solum sacrilegii, sed & fatui judicandi, qui rem vilissimam & cineres dissolutos in serico & vase aureo portaverunt?* Omnes ergo Episcopi Reliquias portabant Martyrum aureis thecis inclusas; & hinc tela promit Hieronymus ad configendam Vigilantii impietatem. Noo quo non sentiat pietati ipsi fidelium modum aliquem poni debere in hoc ipso pietatis officio, & religiosæ largitionis; sed confitetur tamen & ipse, & hæc dona inconsideratius à sęcularibus reprehendi, sicut ab Apostolis vitio vertebantur aromata Magdalenæ; & eorum patronam aliquando & defensatricem fore sempiternam Dei veritatem, Christum. *Quod si aliqui propter imperitiam & simplicitatem secularium hominum, vel certè religiosarum faminarum, de quibus verè dicere possimus, Confiteor, zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam, hoc pro honore Martyrum fa-*

faciunt, quid inde perdis? Causabantur quondam & Apostoli, quod periret unguentum, sed Domini voce correpti sunt. Neque enim Christus indigebat unguento, & tamen illa mulier in honore Christi hoc fecit, devotioque mentis ejus recipitur.

XIV. Habes hic ergo & Hieronymum & Chrysostomum, tum in patrocinium Magdalenæ conspirantes, tum sibi mutuò consentaneos in hoc quidem negotio toto. Dilucidius & alibi mentem suam aperit Hieronymus, ubi non dissimulat in rebus hoc genus varios esse posse & dissimillimos instinctus, atque affectus, alios quidem aliis laudabiliores, sed inculpatos ultro citroque, adeoque & laude dignos. *Alii ædificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles advehant, earumque deaurent capita, pretiosum ornatum non sentientia, ebore argentoque valvas, & gemmis aurata distinguant altaria; non reprehendo, non abnuo; unusquisque in suo sensu abundet; melius est hoc facere, quàm repositis opibus incubare. Sed tibi aliud propositum est, Christum vestire in pauperibus, &c. Ad Demetr. de Virg. serv.*

Jam inde à sæculo Ecclesiæ tertio senescente author est Optatus Milevitanus *fuisse Ecclesiæ ex auro & argento quamplurima ornamenta. Leg.1.* Eorum in Ecclesia Carthaginensi breviculum Mensurius Carthaginensis Episcopus ante mortem suam commendavit Viduæ fideli, quod illa Cæciliano recens ordinato reddidit. At Presbyteri illi duo, quibus commissa fuerat eorum custodia, pestilentissimo schismate conflato, furtum & sacrilegium suum sperarunt Ecclesiæ ipsius ruina obrui & delitescere posse.

XV. Beatus Paulinus, ad quem modò diximus super hac quæstione Epistolas dedisse Hieronymum, Magdalenæ patrocinium in se quoque ipse recepit, censuitque rerum esse & temporum causas, & vices inusitatas, ubi possit ipsum Christi corpus in sacramento adorandum, ipsi præferri Christo pauperum personam induto. *Verùm proditor antequam proderet Dominum, perfidiam suam prodidit, quem non pauperum, sed furtorum suorum cura commoverat, & livor mentis infida, ut unguentum illud quamlibet pretiosum, Dominici tamen sanguinis comparatione vilissimum, pretiosius corpore salutari judicans, indignaretur in fœminam piè prodigam, quam ipse Dominus bonum in se opus testatur operatam; docens gentium curam esse posthabendam, sed sibi tantum. Epist.4. ad Severum.* Et quando rerum exemplorumque, quàm verborum major est eloquentiæ vis, facilè intelliges, quem in seorsum Paulinus flexerit verba Hieronymi Epistolæ, ex Basilicis illis magnificis, quas extruxit, & ex tabellis, quas summa arte in iis expingi fecit, quas & ipse rursus longè pulcherrimis carminibus suis illuminavit. *Epist. 12. Natali 9.*

XVI. Quæ ad enucleandam Hieronymi sententiam commentati sumus, ea, & Lactantii aptanda sunt contextibus quibusdam, quas expressisse videbatur Hieronymus. *De Orig. erroris Leg.2.* Templa, Altaria, eorumque ornamenta nullis non convitiis proscindenda erant, quandiu sacrilega Gentilium superstitio illa contaminabat. Sed de iis non aliter argumentandum, quàm de sacrificiis gentilium philosophatus est Augustinus: non ea à dæmone divina sibi usurpante usurpanda fuisse, nisi ea uni summo Deo deberi intellexisset. Ut iisdem literis, verbisque Dei veri & adulterinorum numinum nomina, vel fando, vel scriptitando exprimimus; ita & iisdem exterioribus tesseris signisque exprimunt pii quid summo Deo, impii quid reverentiæ & obsequii iis impensam velint, quos in vicem summi Dei colunt.

XVII. A' Leone Magno illud observatum est, solemnioribus & festis diebus familiare fuisse fidelibus, ut gestientis animi lætitiam ad Christi carnis mysterium proderent paulò exquisitiori cultu & veste, uti & Presbyteri tum pretiosiori ornatu Ecclesias vestiebant. Hæc enim ipsius naturæ sponte, & insito impetu prosiliunt ex intimo illo, & tum concitatiore sensu, quo divinas res prosequimur. *Si enim rationabile & quodammodo religiosum videtur, per diem festum in vestitu nitidiore prodire, & habitu corporis hilaritatem mentis ostendere: Si ipsam quoque orationis domum propensiore tunc cura & ampliore cultu, quantum possumus adornamus: nonne dignum est ut anima Christiana, quæ verum vivumque templum est, speciem suam prudenter exornet. Serm. 3. De Quadrug.* Ita ornatus isti Ecclesiarum decentiores, muta sunt quodammodo magisteria, quibus subinde admonentur fideles, ut animæ venustatis cupidiores tantò sint, quantò hæc una verè venustas est, quæ à virtutibus proficiscitur.

XVIII. Commemoratus est à Severo Sulpitio. *Dial.1. c.1.* Presbyter ille pauperculæ Ecclesiæ, *vilibus texta virgultis Ecclesia*; qui aurum sibi oblatum recusavit, quippè *Ecclesiam auro non strui, sed destrui*. Sed ea id ille de regione narrat, in qua aurei & pecuniæ usus erat nullus, mercium commutatione omnia transigebantur. At verò ut optari possit, non tamen utique sperari, fieri posse, ut eo deveniatur toto orbe terrarum. Interim ergo necesse est Ecclesiam ad Sponsi sui incorruptibilis formam sese effingere, & indulgentius humanis infirmitatibus se accommodare.

XIX. Hinc facilè persuadeor eo humanitatis & indulgentiæ sensu, ad carnalium animos sensibili templorum decore ad invisibile incorruptæ & incommutabilis sapientiæ decus traducendos, B. Patientem Lugdunensem Episcopum exædificasse opulentissimam Lugduni Ecclesiam, quam & æternæ posterorum memoriæ commendavit suis carminibus Sidonius Apollinaris; aurum ibi & marmora, lapilli & gemmæ certatim fulgebant. *Intus lux micat atque bracteatum sic Sol sollicitatur ad lacunar, fulvo ut concolor erret in metallo. Distinctum vario nitore marmor, percurrit cameram, solum, fenestras, ac sub versicoloribus figuris vernans herbida crusta saphiratos vertit per prasinum vitrum lapillos. Leg. 2. Epist.10.* Ubi perspicis sanctissimos Episcopos non approbasse tantum superbæ templorum structuræ magnificentiam, sed excitasse ipsosmet, ornasse, amplificasse. Ad laicos enim supra Hieronymus verba faciebat, ubi monebat, non hinc eis æternum imminere exitium, quòd templa non construant: sed ex eo, quod in paupere nihil, aut malignius erogent. At ex officio quodam speciali tenentur Beneficiarii extruere, decorare, reparare Ecclesias, pro reditiuum suorum modo, & templorum ipsorum necessitate. Atqui antiquissimi iidem sanctissimi Ecclesiæ Patres ita constituebat, cum longè maximam partem fideles simpliciores, & sensibilibus additiores sint, eos ad intelligentiam qualemcumque & amorem pulchritudinis incorruptibilis alliciendos esse, nitore & majestate quadam exterioris cultus, quo æterna & intelligibilia adornantur. Ne eo quidem vacare culpa censebat Augustinus Manichæos, quod solemnioribus festis nullo præcipuo & eximio cultu templa ornarent. *Nullo festiviore apparatu. Cont. Ep. Manich. c.8.*



CAPUT XXXVIII. *P.2. l.4. c.7.*

Beneficiarios mensa, veste, instrumento, famulitio modestiore esse debere, velut meros bonorum Ecclesiæ Procuratores, ab anno quingentesimo ad octingentesimum.

I. II. III. Beneficiarios custodes & procuratores esse patrimonii Ecclesiæ apud se depositi.

IV. V. Frequentiora Episcopi convivia Gregorius Magnus reprehendit, refellit & nugatoriae ejus excusationes.

VI. Ut ad mensam Episcoporum legerentur sacri Codices.

VII. VIII. IX. Mira exempla paupertatis, modestiæ, frugalitatis Episcoporum, in supellectili, veste, evectionibus. Gregorius ipse Magnus ab extructionibus alieno erat animo.

X. XI. XII. XIII. Mira exempla BB. Germani, Cæsarii, Fulgentii.

XIV. XV. De B. Aidano, aliisque Angliæ Episcopis, Gregorii Magni virtutum æmulis.

XVI. Laicorum etiam superflua omnia pauperibus deberi contendit Cæsarius.

XVII. XVIII. Tergiversatio eorum, qui quarta bonorum Ecclesiæ portione semel pauperibus adjudicata, negant eis deberi superflua, si qua sint portionis ipsius Beneficiarii. Responsio ad eam objectionem.

XIX. An qui gradu dignitatis eminentiore sunt Beneficiarii, illis condonandi sunt largitiores sumptus.

XX. XXI. Exempla Episcoporum, qui opera quædam publica moliti sunt.

I. CONceptis verbis alicubi superius affirmabat B. Joannes Eleemosynarius, delectum aliquem forsan à se fieri potuisse pauperum, quibus donaret: at cum Christi dispensator esset, nihil discriminis à se interponi posse, & omnes sibi necessario atque indiscriminatim donandos esse. *Si Joannis, immo Christi dispensatores vultis esse, divino præcepto, sine calliditate obedite, dicenti, Omni petenti te da. Vita ejus c.6.*

II. Ad nobilem quendam virum datis literis Gregorius Magnus, quem pudor à petendo avocabat, commonuit eum, intempestivam esse petendi verecundiam, ubi qui dat, non dat, sed dispensat bona ad dispensandum sibi credita. *Non debet esse verecundia, ei aliquid de eleemosynis importunè dicere, quem constat, non suas, sed ad dispensandum res pauperum habere. Postquam enim & nos gloriam nostram omnino diligimus, & dispensatoris locum in rebus, sicut scitis pauperum tenemus, vestra fateor verecundia valde accusabilis fuit. Joan. Diac. in ejus vita. L.2. c.57.*

III. Leonem Episcopum Agathensem ita inducit loquentem Gregorius Turonensis, ut ex ejus verbis illucidum fiat, quam Gallicanis tum Episcopis persuasum esset, & Episcopis Beneficiariis omnibus non esse commendatam nisi procurationem patrimonii pauperum, cujus & ipsi participes fierent, si egerent, & quantum egerent. En ipsa Leonis verba ad nobilem virum, qui prædium aliquod invaserat Ecclesiæ Agathensis. *Relinque ô fili res pauperum, quas ordinationi nostræ Dominus commendavit, ne tibi sit noxium, & à lachrymis egentium, qui de fructibus ejus ali consueverant, eruteris. De Gloria Martyr. l.1. c.79.*

IV. Quo semel principio ita fixo & constabilito, jam facilè concluditur, qua tandem sobrietate & religione Episcopi & Beneficiarii tum quique officii sui memores uterentur rebus Ecclesiæ, patrimonio pauperum, hostiis Deo dicatis. Acerbissimè objurgatus est à Gregorio Magno Natalis Episcopus Salonæ, quòd qui in lectione, prædicatione verbi, & oratione esse debuerat totus, non vacaret nisi instruendis conviviis, & Archidiaconum suum exauthorasset, quòd adversarium illum experiretur, cum sacris vasis & ornamentis Ecclesiæ consanguineos suos donare vellet. *Dicitur pastorali cura derelicta, solis te conviviis occupatum, &c. quia nequaquam lectioni studeas, nequaquam exhortationi invigiles, ipsum quoque usum Ecclesiastici ordinis ignores, &c. Archidiaconus pro nulla tibi re displicuit, nisi quod vasa sacra & velamina tuis te parentibus dare prohibebat. Leg.2. Ep.14.*

V. Convivia sua Natalis Gregorio approbare conatus est, cum & hospitales mensas epulasque Scriptura testetur ab Abrahamo ejusmodi fuisse instructas ad quas & Angeli ipsi hospites devolarent; nec ab Isaaco mysticam illam benedictionem Jacobo impertitam fuisse, nisi post dapes; Christum ipsum dicteriis incessitum esse, quasi gulæ deliciarum amantior esset; cum tamen honestioribus his oblectamentis charitas alatur. Verùm eas cavillationes strenuè confutavit Gregorius, *Leg.2 Ep.37.*, inculpatas nimirum fore & istas Natalis Episcopi epulas, si iis Angeli intervenirent quandoque, aut si ab his ipse digrederetur spiritu quodam prophetico, & afflatu cœlesti correptus; conviviis Patriarcharum præmonstratas esse nostras ex Scripturarum meditatione delicias spiritales; posse illum exemplo uti Christi, si mera ea esset calumnia, qua impetitus fuisset; denique æquo se animo passurum dapes aliquas mutuæ charitatis, si dominaretur ibi charitas, si proximi vita non laceraretur, si inutiles & probani inde sermones abigerentur, si sacra lectione cibi omnes condirentur, si serviretur non voluptati gulæ, sed necessitati reficiendi & sustentandi corporis, quòd exinde fieret vegetius, ad quarumlibet virtutum labores adeundos. *Convivia autem communia, quæ ex intentione impendendæ charitatis fiunt, rectè sanctitas vestra in suis epistolis laudat. Sed tamen sciendum est, quia tunc ex charitate veraciter prodeunt, cum in eis nulla absentium vita morditur, nullus ex irrisione reprehenditur, & nec inanes in eis sæcularium negotiorum fabulæ, sed verba sacræ lectionis audiuntur; cum non plus, quam necesse est, servitur corpori, sed sola ejus infirmitas reficitur, ut ad usum exercendæ virtutis habeatur.*

VI. Sacrorum porrò librorum lectio, qua personabat Episcopalis mensa, frænum erat disciplinæ, fibula abstinentiæ, modestiæ, frugalitatis, cum harum fontes virtutum ex libris sacris perennes manent. Sibi ad mensam legi jusserat libros ipsos Gregorii Magni Episcopus Syracusanus. Gregorii modestiam pupugit ea res; rescripsit ergo, ut eam lectionem intermitteret, prælegi autem sibi faceret opuscula antiquorum Patrum, quorum authoritate frangeretur maledicorum audacia. *Audio quod aliqua de his, quæ scripsisse me memini, fraternitas vestra ad mensam suam coram extraneis legi faciat. Quod mihi non videtur esse faciendum: quia hoc, quod vos pro charitate facitis, possunt quidam, quantum ad me est vanæ gloriæ deputare. Ideoque coram extraneis antiquorum dicta legite, ex quorum authoritate valeant, qui audierint informari. L.6. Ep.9.* Ubi perspicis lectionem mensæ adhiberi, etiam ubi hospites adsunt, nec adhiberi nisi librorum piorum, denique in more positum fuisse, ut libri Sanctorum Patrum legerentur.

VII. Suppeditata sunt ab eodem Gregorio exempla complusculа alia, suavissimæ cujusdam paupertatis, temperantiæ, moderationis, parcimoniæ proven-

ventuum sacrorum, quibus virtutibus maximopere Episcopi ipsi studebant. Cum Eulogius Clusinus Episcopus gravissimo ex morbo recreatus esset, missus est ad eum à Gregorio equus, qualis reperiri potuit, ut eo in perlustrandis maximè Parochiis suis uteretur, donec satis confirmata & vegeta esset valetudine. *Unum caballum vobis, qualem invenire potuimus de benedictione S. Petri transmisimus, ut habeatis post infirmitatem, cum quo vectari possitis. L.6. Ep.46.* Perspicuum ergo est, dum viribus integris hic esset Episcopus, illum pedibus ingressum esse, etiam in visitandis Parochiis. Nec multò splendidiores Gregorii ipsius erant evectiones; quanquam multò opulentissimæ præesset Ecclesiæ, & perillustri satius esset prosapia. Nec enim illi videbantur alii Episcoporum majores esse, quam ejus in eadem Episcopali Sede antecessores, ad ipsos retro usque Apostolos; Ecclesiam verò opulentiorem non alio eminere aliis, quàm quòd numerosioris pauperum multitudinis patrimonium administret. Cum Petrus Subdiaconus patrimonii in Sicilia Romani Rector, Gregorio misisset equum & quinque asinos; rescripsit Pontifex, nec eo equo sedere posse se, quod miser esset: nec iis asinis, quod asini essent. *Unum nobis caballum miserum, & quinque bonos asinos transmisisti. Caballum illum sedere non possum, quia miser est: illos autem bonos sedere non possum, quia asini sunt. Sed petimus ut si nos continere disponitis, aliquid vobis condignum deferatis. L.12. Ep.30.* Jejuniis crebrioribus Marinianus Ravennæ Episcopus corpus affligebat, quamquam vomitu sanguinis cruciaretur, cui inimica prorsus sunt jejunia. Crebrioribus itaque Gregorii jussionibus compellendus tandem fuit, ut ne sæpius, quàm semel aut bis qualibet hebdomade jejunaret, ubi pristinæ valetudini restitutus fuisset. *Si adeo melioratum se esse, ac virtutem suam sufficere posse cognoscit, semel aut bis in hebdomada jejunare permittimus. L.e.e. Ep.34.*

VIII. Illud à Joanne Diacono in Gregorii vita adnotatum est, illum quantum studeret reparandis Ecclesiis veteribus, tantum à novis condendis abhorruisse. *Qui videlicet omnì vita sua tempore, sicut novas Basilicas minimè fabricarat, ita nimirum fabricatarum veterum sarta tecta cum summo studio annualiter reparabat. L.4. c.68. 69.* Nec tamen inter gesta Gregorii Magni quidquam fuit, quod majori flagraret invidia & calumniatorum licentia proscinderetur, quàm quod immoderatis largitionibus fiscum Ecclesiæ exhausisset. *Sicut à Majoribus traditur, cum calumniarum veterum inventores Gregorium prodigum dilapidatoremque multiplicis Patriarchatus thesauri perstreperent, &c.* Si verè fiscum omnem Gregorius exhauserat, idemque tamen alienissimus erat à magnificentia insolentiore extructionum; non ergo ærarium Ecclesiæ publicum effuderat, nisi in templa viventia, in pauperes.

IX. Non quo sanctissimi complores Episcopi non consenserint reditus Ecclesiasticos tutò & cum laude conferri ad extruendas, dotandas, ornandasque Ecclesias. Sed non eædem divinitus inspirantur omnibus etiam sanctioribus Episcopis cogitationes voluntates, virtutes; quin & longè pulcherrima varietas cœlesti Spiritus afflatu in Episcoporum gestis subinde spectari potest. Sexcenties Gregorius Turonensis templorum & vasorum sacrorum sui ævi magnificentiam prædicavit. Sed Episcopis, & Beneficiariis, officii sui, & Canonum non ignaris nunquam venit in mentem, posse reditus Ecclesiasticos impendi nisi ad usum Ecclesiæ, pauperumque, quibus ab origine sui consecrati sunt. Id contestatur Concilium Agathense, qui Ecclesiæ quidpiam largiuntur quò delictorum suorum maculæ eluantur, non eos sanè largiri quidquam velle Clericorum luxui & deliciis. *Ille qui donat pro redemptione animæ suæ, non pro commodo Sacerdotis probatur offerre. Can.6.* Unde fit ut Beneficiariis reditus proprii, non verè proprii, sed illis commendati sint. *Non quasi suum proprium, sed quasi dimissum Ecclesiæ.* Unde & eodem Concilio præcipitur Clericorum tum vestimenta, tum cætera omnia ita temperata & mediocria esse debere, ut religionem spirent. *Vestimenta & calceamenta etiam eis, nisi quæ religionem deceant, uti vel habere non liceat. Can.20.*

X. Beati Germani Parisiensis Episcopi viam literis commendavit Fortunatus Pictaviensis Episcopus, ubi palam profitetur, ne calamo quidem posse se assequi immensas ejus in pauperes largitiones; una illum tunica, vel pallio usum esse, quo cilicium tegeretur; ut plures posset pauperes, & in eis Christum vestire; dum equo regiones peragraret, aut divina celebrare cantica, aut divina solitum meditari: denique piam semper aliquam lectionem ejus dapes condiisse, quo anima potiùs, quàm corpus pasceretur. *Cæterùm quantum eleemosynis fuerit prodigus, explicari non poterit, nec si totius populi vox in unum se conglutinet. Qui frequenter post juge cilicium, contentus una tantùm casula, vel tunica quidquid erat residui, nudo pauperi tribuebat, ut inops calefieret largitore algente, &c. Qui equitans in itinere, semper de Deo aliquid aut verbo contulit, aut cantavit. Cursum nudo capite dicens, etiamsi nix aut imber urgeret. Cum verò venit ad mensam, confestim recitans adfuit minister divina colloquia, ut inter cibi fercula, animi pastus alimento plus saturaretur conviva, nullumque tempus interpolans, quo non aut aliis prodesset, aut non ipse proficeret. Apud. Sur. Maji die 28. Cap.75.78.*

XI. Suis aliquando Clericis exprobrabat Beatus Cæsarius, quod inter prandendum minùs attentos illos prætervolaret sacra lectio: quod secus tamen fieret si ea tantum oblectarentur, quantum corporali cibo. *Illud nobis quod retinemus dulciter sapit: Illud verò quod non retinemus, saporem cordi nostro nullum præstitit.* Hæc ex vitæ ejus Scriptore, qui & linteis eum prorsus abstinuisse testatur. *Ille benedictus non linteum, sed pannos in usu habuit. L.2. c.19. 21.*

XII. Nihil verò accedere potest iis, quæ Ferrandus Diaconus narrat de B. Fulgentii Ruspensis Episcopi macerationibus, abstinentia, paupertate. Non modesta modò, sed vilis erat ei vestis, quod negaret Monasticis virtutibus Episcopatum dedecorari. *Nunquam pretiosa vestimenta quæsivit, &c. Una tantum vilissima tunica sive per æstatem, sive per hyemem est patienter indutus. Orario quidem, sicut omnes Episcopi nullatenus utebatur. Sic studio humilitatis ambitionem vestium corporalium fugiens, ut nec ipsa calceamenta susciperet Clericorum. &c. Cap.18.* Quotidiana nunquam intermisit jejunia, nec hospitalitatis prætextu lautiores unquam epulas usurpavit. *Nusquam quotidiana jejunia prætermisit; aut conditos suaviter cibos vel inter hospites manducavit.* Carnes nunquam attingebat, ultra legumina & ova nihil sibi unquam indulsit; vino usus, dum infirmitate gravaretur quapiam, & tum quoque bene limphato. Oleo tandiu abstinuit, dum ingravescens ætas metum ei attulit, ne oculis orbaretur, & illæ sibi excuterentur cælestes ex sacra lectione deliciæ. *Huic beatissimo Sacerdoti nullus aliquando extorsit cujuslibet generis carnes accipere; sed sola simpliciter olera, ptisanas, & ova, quandiu fuit juvenis sine oleo; postquam verò senuit superfuso oleo manducavit; ideo plus suasus oleum accipere, ne caligo prævalens oculorum lectionis impediret officium. A vino autem semper sanus abstinuit. Si quando verò compellente infirmitatis necessitate, vino modico uti compulsus est; calicibus plenis aqua*

sa-

superfundens quidpiam meri, nec saporis ejus, nec odoris jucanditate fruebatur. Ibidem. Quo postremo laboravit morbo, balneis constantissimè abstinuit, quamvis multum urgerent medici: ipse contra reponebat, Balneis nullis elui posse mortalitatem; cumque mors propulsari non posset, ejus prolotandæ specula infringendum non esse, aut debilitandum susceptæ pœnitentiæ propositum. *Nunquid Balnea, inquit, facere poterunt, ne homo mortalis expleto vita sua tempore moriatur? Si verò proximam mortem nec aquarum calidarum possunt fomenta repellere, cur mihi obsecro persuadetis, ut rigorem diu servata professionis in fine dissolvam? Ibid. c.30.*

XIII. Illud vero potissimum memoriæ commendandum, quod sanctissimus, Præsul antequam animam ageret, quidquid sibi reliquum erat proventuum Ecclesiasticorum, pauperibus erogari jusserit, singulos ipse nominatim designans orphanos, hospites, viduas, calamitosos, & quanta cuique numeranda esset pecunia, haud sane prætermissis Clericis, si quiegestate præmerentur. *Pauperum curam gerens, requisita summa pecunia, de qua fidelissimus dispensator, quotidie egentibus ministrabat, totam jussit expendi, per se ipsum memoriter recolens, viduarum, pupillorum, peregrinorum, cunctorumque illic indigentium nomina, quibus quod singillatim daretur, propria deliberatione constituit. Sed nec suos Clericos debita benedictione fraudavit, ipsorum paupertati misericorditer consulens. Ibid.*

XIV. De sanctissimo Episcopo Aidano illud à Beda narratur, cum ei Rex Osuvi equum donasset regiis instratum ornamentis, ut eo uteretur, sicubi necesse esset, pedibus enim ille viam conficiebat; illo Aidanus pauperem donavit; cumque Rex peramanter quereretur, hoc ille eum responso placavit: *Num tibi charior est ille filius equæ, quam ille filius Dei?* Vidit Rex quid peccatum à se esset, supplexque ad genua accidit Episcopi, vehementissimè stupentis, ut qui Regem animo demissum & humilem nunquam à se conspectum meminisset, *Nunquam enim vidi antehac humilem Regem.* Unde & statim ominatus est, terris non multò post demigraturum Regem, cœlestium contubernio digniorem. Aidanus porro Episcopus eodem authore Beda, *Erat multum misericors, & cultor pauperum, ac velut pater miserorum.* Nec nisi ut ne qua re pauperibus deesset, pedibus regiones peragrabat, antequam illo à Rege donaretur equo. *Donaverat Rex equum optimum Antistiti Aidano, in quo ille quamvis ambulare solitus, vel amnium fluenta transire, vel alia quelibet necessitas insisteret, viam purgare posset. L.3. Hist. c.14.*

XV. A' veri similitudine non recedit, reliquos Angliæ Episcopos ad hujus Aidani Præsulis mores sese accommodasse, aut certè Gregorii Magni Papę de quo testatur Beda: cum alii Pręsules nomen & famam æternitati consignatam vellent sumptuosis ædificiis, vel decorandis Templis, totum Gregorii studium & laborem in eo versatum esse, ut viventia & immortalia Deo templa adjiceret conversione infidelium, memoriamque sui Pontificatus ad posteros traduceret, temporalibus Ecclesiæ suæ rebus omnibus in egenos effundendis. *Nam alii quidam Pontifices construendis ornandisque auro vel argento Ecclesiis operam dabant, hic autem totus erga animarum lucra vacabat. Quidquid pecunia habuerat, hoc sedulus dispergere ac dare pauperibus curabat; ut justitia ejus maneret in sæculum sæculi. L.2. c.1.*

XVI. Redeo ad Episcopos Gallicanos, ex quibus Cæsarius Arelatensis Archiepiscopus laicis etiam intonabat Evangelicam illam præceptionem, pauperibus deberi omnia divitum superflua; & tum à divitibus enecari pauperes, cum quę eorum necessitatibus levandis donanda fuerant, ea ipsi deliciis & luxui impendunt, vel liberis ad ampliores fortunas & dignitates protrudendis; cum divinum illud depositum à Deo accepissent, pauperibus erogandum. Cum hæc laicis Cæsarius instillaret documenta obscurum jam esse non potest, quibus ab eo Clerici & Beneficiarii stimulis ad frugalitatem & temperantiam, ad pauperum curam agendam urgerentur. *Non solum decima non sunt nostra, sed Ecclesiæ deputata: verum quidquid amplius, quam nobis opus est, à Deo accipimus, pauperibus erogare debemus. Si quod eis deputatum est, nostris cupiditatibus, vel vanitatibus reservamus, quanti pauperes in locis, ubi nos sumus, fame vel nuditate mortui fuerint, noverimus nos rationem de animabus illorum in die judicii reddituros, Hom.9.* Quod ipsum alibi etiam disertiùs pronuntiat: *Quæcumque Deus excepto mediocri & rationabili victu & vestitu, sive de quacumque militia, sive de agricultura contulerit, non tibi specialiter dedit, sed per te pauperibus eroganda transmisit. Si nolueris dare, noveris te res alienas auferre; quia sicut dixi, hoc solum est nostrum, quod nobis vel nostris rationabiliter sufficit, Hom. 21.*

XVII. Cum quadripartita fieret distributio proventuum Ecclesiæ, in pauperes, in Clericos, in Episcopum, & in Fabricas; ne hinc sibi vel Episcopi, vel Beneficiarii quicumque assententur, quasi pauperes sua jam donati sint portione, nec teneantur rursum suis eo superfluis Beneficiarii cæteri impertiri. Namque 1. Quarta illa pars satis probabiliter Episcopis & Beneficiariis commendata fuisse conjicitur, cum nulla, vel rara alibi appareant ejus vestigia. 2. Inconcussa quoque illa viget vigebitque æternum regula, Nec Episcopos, nec Clericos de rebus & proventibus Ecclesiæ decerpere posse, nisi egeant, & pro modo egestatis suæ. 3. Natura sua res Ecclesiæ & primigenia institutione, res sunt pauperum, pretia peccatorum, hostiæ fidelium. Itaque ubi Beneficiarii necessitati factum est satis, quidquid superfluit, id conditionis suę lege patrimonium est pauperum, hostia sancta, quam scelestum & sacrilegum sit pompis sæculi & deliciis profanis conspurcari. 4. Si ne laici quidem, ubi quod satis est donarint, non mollibus carnis deliciis, sed naturæ necessitati, superflua cętera vendicare sibi possunt: quantò id manifestius est de Beneficiariis, qui pauperum sunt provisores?

XVIII. Sunt & alia apud Cæsarium, quæ valde intersit commendari animo, altissimèque infigi. Ex ejus sententia bonorum suorum decimas debent laici Deo, Clero, & pauperibus. Sed non eo uno omnes impleverint officii sui numeros. Debent pauperibus, quidquid residui superat, postquam ipsi sibi cibos vestesque paraverint, Christianæ frugalitati consentientes. *Hoc solum est nostrum, quod nobis & nostris rationabiliter sufficit. Quidquid superfuerit, Deus noster pauperibus erogandum transmisit. Ac sic non solum decimas dare debemus; sed etiam de novem partibus, quidquid solutis, vel expletis sumptibus nostris remanserit, quasi aliis transmissum fideliter erogare debemus, &c.* Et paulò inferiùs: *Sufficiat nobis habere victum & vestitum rationabilem, non pomposum, non deliciosum, & quidquid amplius Deus dederit, non negetur usibus pauperum, quia per nos ipsis probatur esse transmissum: Et si id, quod nobis superfluum est, non dederimus, res alienas invasimus. Hom.21.* Si præter decimas pauperibus debent laici superflua omnia novem reliquarum partium patrimonii sui; eccui dubium esse poterit, multò inexorabiliori lege Clericos omnes teneri, non quartam tantum partem, sed superflua prorsus omnia sua pauperibus erogare?

XIX. Nec de eo quidem controversia fieri potest ulla, quin ubi Proceres, aut natalium gloria, vel dignitatibus clari Clericatu initiantur, quidquid

ino-

inusitatarum expensarum ab illis fieri necesse est, ex patrimonio id proprio, non ex fisco Ecclesiæ, vel sacris proventibus sit hauriendum. Sed in eo major exarsit contentio, an qui sacris splendent dignitatibus, illi largiùs sumptum facere possint ex rebus Ecclesiæ in mensam, vestem, totumque domesticum apparatum. Prolixioris operæ & indaginis quæstio hæc foret. Sed paucis ea tamen à nobis expedietur, si eam hactenus satis superque illustratam & enucleatam diximus, coacervatis tot exemplis sanctissimorum Episcoporum, qui qua in sententia versarentur, ipsa vitæ suæ & gestorum constantia disertissimè testificati sunt. Assentiebantur illi profectò omnes Beato Eligio Noviodunensi Episcopo, qui ut author & testis est cum primis idoneus Beatus Audoenus Archiepiscopus Rotomagensis, Episcopatu ipso sentiebat se arctius obligari abdicandis sæculi pompis, deliciis, sumptibusque vanis & superfluis, profitendæ quin etiam ostentandæque Evangelicæ paupertati & humilitati, convenienter ei formæ, quam Apostolis primum, tum etiam Episcopis omnibus Christus præmonstravit. *Eadem mentis constantia eidem permanebat, nisi quod Episcopalis ambitio, qua cæteris pompa fomentum subministrare solet; et plus studium abjectionis exhibuit; & unde alii ad tempus videatur extolli, inde is amplius studuit humiliari, &c. Erat itaque humilitate summus, hospitalitate præcipuus, nutritor gregis piissimus, Pastor Ecclesiæ providus, dispensator fidelis, &c. Denique omni Episcopali pompa postposita, populorum agmine contempto, Clericorum frequentia spreta, famulantium obsequiis relictis pauperum semper captivorumque delectabatur consortiis. L.2. c.2.* Missa facio illa sigillatim minutissima, quæ ille pauperibus exhibebat obsequia, ægrotantibus, sauciatis, omnibus denique, quos ipsa calamitas chariores Christo & conjunctiores facit.

XX. Nec me fugit fuisse hoc quoque medio ævo Episcopos, qui operibus iis publicis, quibus Regum magnificentia tantumnon æquaretur, sacros Ecclesiæ proventus impenderint. Felicem Episcopum laudibus celebravit & carminibus Fortunatus & ipse Episcopus, quòd valles æquasset, complanasset montes, aggeres objecisset fluminibus, quorum antea exundationes vastitatem & sterilitatem opimis & lætissimis agris invehebant. At ex ejusdem Fortunati testimonio, non is erat Felix Episcopus, qui hinc sibi gloriæ fumosos titulos aucuparetur: una illi cura, una sollicitudo erat, ut sistendo, & intra ripas suas coercendo Ligeri, agricolarum labores annuos tueretur. *Quæ prius in præceps velut sine fruge rigabant, ad victum plebis nunc famulantur aquæ. Altera de fluvio metitur seges alma virorum, cum per te populo parturit unda cibum. Poem. l.3.*

XXI. Æmilianum Episcopum hortabatur Cassiodorus, ut quos impulsione sua acceperat Aquæductus, iis extremam manum adjiceret, ut sitientes irrigaret populos: & quod Moyses miraculo perfecerat, ipse largitate & charitate consequeretur. *Sanctitas vestra, quæ in aquæductu reficiendo, probabili cura ex nostra authoritate suscepit, celeriter ad effectum faciat pervenire. Nam quid aptius, quam ut sitienti plebi provideat aquas sanctissimus Sacerdos? & humana providentia satiet, quos etiam matriculis pascere debuisset. Imitaris enim antiquissimum Moysen, &c. Hoc labore tuo præstas populis, quod ille miraculis. Leg.4. Ep.31.*

CAPUT XXXIX. *P.2. l.4. c.8.*

De usu pio proventuum Ecclesiæ à quingentesimo ad octingentesimum annum in Oriente.

I. Admiranda Joannis Eleemosynarii Patriarchæ gesta.

II. De Eutychio Constantinopolitano, & Gregorio Antiocheno Patriarchis. Hujus in militem largitates.

III. Per leges Justiniani nefas est Episcopis proventus Ecclesiasticos in alios, quàm Ecclesia usus dispendere; cum non eligantur ferè Episcopi, nisi ea spe, ut Ecclesiam patrimonio suo donent.

IV. Mira paupertas Joannis Jejunatoris, Patriarchæ Constantinopolitani.

I. Diximus jam unum Joannem Eleemosynarium Patriarcham Alexandrinum, cum Occidentalibus omnibus Episcopis certare posse de charitate & largitate Episcopali in pauperes, & de usu santissimo rerum ac proventuum Ecclesiæ. Privatim Joannes nihil Patriarchalis pompæ retinebat, vilissimis stratis vestibusque contentus. *Quod in infimo strato recumberet, & vilibus operimentis in cellula sua uteretur. Cap.20.* Contigit aliquando, ut ditior aliquis civis lectuli ejus operimentum adverteret laneum & lacerum, coemptumque triginta sex nummis aliud illi submitteret, etiam atque etiam interpellans, ut si se amaret, eo uteretur. Una non amplius nocte acquievit ejus voluntati Joannes, & ea ipsa inaudierunt illum domestici ejus, hoc sese subinde probro & convitio lacessentem, quod tam molliter cubaret, dum tot interim pauperes frigore & nuditate cruciarentur; quòd piscibus vesceretur & leguminibus, vinoque vires reficeret, dum tot egenos torqueret fames; denique quòd stratis tegeretur, quibus tegi possent centum & quadraginta quatuor fratrum & dominorum suorum. Eo pauperes nomine decorabat. *Quanti desiderant saturari de foliis olerum, quæ projiciuntur de coquina mea, &c. Tu expectans etiam æternam jucunditatem assequi, & vinum bibis, & pisces immanes devoras, &c.* Tum sanctissimus Præsul veritus, ne quando summus & æternus Judex illud sibi occineret, quod diviti epuloni. In delitiis hujus vitæ hanc ipsum vitam traduxisse, pauperes in miseriis; quò æquum esset jam vice versa his delitias, sibi miserias refundi sempiternas futuræ vitæ. Hoc metu perculsus, ut primùm diluxit, stratum illud pretiosum distrahi fecit. Idque cum redemisset, eique restituisset idem civis; rursum distrahi fecit, certus toties id distrahere, quoties ad se rediret. Delectabatur enim magnopere deglubendis divitibus, maximè autem avaritiæ deditis; nec enim aut religiosius, aut jucundius quidquam est, quàm ejusmodi homines ita spoliare, ut ne interius quidem illis indusiolum dimittatur. *Suaviter quasi vindemiabat eam ille sanctus, paulatim ab eo multa auferens, & dicebat semper, quod posset aliquis intentione dandi pauperibus expoliare divites, & ipsam etiam hypocamisium ab eis benevolè auferre; & maximè si sint aliqui immisericordes & avari.* Utebatur autem Sancti Epiphanii exemplo, quem ajebat pari arte & ingenio spoliasse Joannem Episcopum Hierosolymitanum, ejusque pecuniam in pauperes effudisse.

II. Eutychius ille sacris Annalibus commendatissimus, Patriarcha Constantinopolitanus, longo per-

persunctus exilio, & sedi tandem suæ redintegratus, atque solemni pompa iniens civitatem, vili vectabatur asello; ex quo reliqui ejus cultûs, apparatûs, instrumentique domestici magnificentiam facili conjectura assequi datur. *Sur. die 6. April. c.52.*

Gregorio Antiocheno Patriarchæ tum alia complurima meritorum suffragia, virtutumqe singularia affluebant ornamenta. Sed nullo ex capite largior in illum manavit gloria & laus, quàm ex inusitatissimis largitionibus suis. Omnibus indiscriminatim largiebatur; & hæc erant aurea vincula, quibus ad illum ingentes semper turbæ pertrahebantur. *Ita poero magnificas pecuniarum fecit largitiones, liberalitate namque & beneficentia in quemque usus, uti cum aliquò prodiret, ingens multitudo eum sequeretur, &c. Evagr. leg.5. c.6. l.6. c.11.* Velim equidem, ut tot nunc præcones habeat Gregorius iste, quot olim habuit admiratores profusæ in exercitus Duces, militemque pecuniæ. Inde certè tanta ei conciliata & adglutinata est authoritas in milites, ut ille unus toto imperio par fuerit exercitui à rebellione abducendo, & ad officium, atque ad Imperatoris obsequium revocando. Excelsi animi & singularis prudentiæ viro videbantur forsan milites, non Imperii tantùm propugnacula esse invictissima, sed & Ecclesiæ; cujus proventus proinde non temerè in ejusdem expenderentur defensionem. *Multum honoris ei jure debebat exercitus, quippe nonnulli milites ab eo pecunia liberaliter donati erant, alii vestitu, cibo, & aliis rebus adjuti, tum cum in album militum relati & per eum admissi fuerant.*

III. Certum est tamen, ne ipsi quidem Justiniano placuisse, reditus sacros, & quidquid Episcopis, vel Beneficiariis aliis legabatur, sive testamento, sive donatione, in alias, quam in publicas Ecclesiæ necessitates insumi. Apertissimè enim ab eo pronuntiatur, adeo non posse Episcopos & Beneficiarios alios sibi propriè vendicare, quæ eis dimittuntur, aut donantur, tanquam rerum Ecclesiæ administratoribus; ut ne ipsi quidem ad eas dignitates electi sint, nisi ea spe, ut necessitatibus Ecclesię & pauperum solatiis patrimonia ipsa sua dedicarent. *Quis dubitaverit eos, qui ipsis propriae res relinquunt, non potius ipsum sacerdotium contemplari, quàm personam: cogitantes quia non solùm ab ipsis relicta piè insument, sed & suas ipsorum res adjicient?* Hæc de Episcopis; jam de Xenodochiorum Rectoribus, qui tum in Beneficiorum album referebantur. *Quis enim tali cura peapositum, non existimet ideireo eam suscepisse, ut non solum qua extrinsecus ad eum pervenient, sed etiam omnia, qua habere eum contigerit, in eam rem impendat? Cod. l.1. De Ep. & Cler. leg.41.* Quæ hic rursum à nobis non frustra inculcata sunt.

IV. A' quibus Joannis Jejunatoris vita litterarum monomentis mandata est, ii paupertatis & pauperum amatoris ardentissimi tabellam videntur expinxisse. Exhausto Ecclesiæ in pauperes ærario, ingentem persępè pecuniæ vim ab Imperatore ipso mutuam sumpsit, pignori obligatis patrimoniis suis. Illo extincto deprehensum tandem est, patrimonium ejusmodi aut omnino fuisse nullum, ut in pauperum necessitates absorptum. Delectatus est Imperator fuco ad eum modum & tam piè sibi facto; cumque chirographa ejus omnia conscidisset, instrumenti saltem aliquid domestici voluit sibi rependi. At id patrimonii perquam simillimum erat. Itaque ligneum lectulum, & laneas vestes quaspiam sibi vendicavit, quod totum amplissimi Patriarchę spolium tunc fuit, quantocumque thesauro locupletius jucundiusque Pio Imperatori visum. Unde & ligneo hoc lectulo decumbebat iis diebus, quos Ecclesia specialius jejunio & pœnitentiæ dicavit. *Baron. ann.596.n.12.*

CAPUT XL. *P.3. l.4. c.7.*

Non Episcopis, non aliis Beneficiariis fas est proventibus Ecclesiæ uti, nisi ut re pauperum. Mensas, domos vestes, supellectilem necesse est paupertatis odore aliquo perfundi. Ab anno octingentesimo ad millesimum.

I. Statuta Concilii Cabilonensis III. & Parisiensis VI. super moderatione epularum & vestium.

II. Agobardi Lugdunensis Archiepiscopi pracepta.

III. Pracepta Isaaci Episcopi Lugduaensis.

IV. De Hincmaro Archiepiscopo Remensi. Mira ejus abstinentia, mira maceratio, cujusmodi fuerat, cum Claustri septis adhuc concluderetur.

V. Castigata vestium luxuries sub Carolo Magno & Ludovico Pio.

VI. Exemplum eximium B. Ludgeri Episcopi Monasteriensis.

VII. In Oriente Tarasius Patriarcha auro & sericis vestibus Clericos exuit.

VIII. Efferbuere & Concilia ipsa Orientis in vestes ejusmodi sumptuosiores.

IX. Zonara sententia de luxu laicorum, & de eo per Clericos ejiciendo.

X. De Episcopis, qui pedibus iter emetiuntur, adversa Petri Damiani, & Balsamonis sententia.

I. Quibusdam modestiæ radiis, frugalitatis, humilitatis, & amoris in paupertatem propensioris, perfundi consentaneum est gesta, sermones, incessum, vestesque tam Episcoporum, quàm aliorum Beneficiariorum, si audiamus Concilii Cabilonensis II. anni 813. Præsules, cui placet, ut vultu ipso & cultu toto corporis publicam Clerici censuram circumferant, bonis sui similibus blandi, cæteris terribiles. *Opportunum ducimus, ut humilitatem atque religionem, & in vultu, & in opere, & habitu & vultu demulceant; malè agentibus verò ipso suo vultu terribiles fiat. Can.4.*

In Concilio Parisiensi VI. eorum Patres doluere vicem Præsulum, qui gloriolam venabantur ex ipso dedecore suo; & qui longæ consuetudinis præsidio freti, quo nunquam tamen divinis potest præscribi legibus, amplitudinem Episcopatus metiebantur vanissimis sumptibus & superfluitatibus profanis, quibus satius fuisset observari exempla & documenta priscorum Episcoporum, & ipsius potissimum Gregorii Magni, Ambrosii, Augustini, quo ad eorum imitationem mensis, vestibus, impensisque, suis omnibus moderarentur. *Irrepsit in nonnullis Ecclesiarum Prasulibus miserabilis temporis nostri inepta immo corrigenda consuetudo, qua jam ita pro lege tenetur, ut sanctitatis & religionis nomen sibi adscribere non vereatur. Scilicet super diversarum rerum innumeris superfluitatibus, & vanitatibus quas enumerare longum est, nec non in avaritia & tenacitate, &c. Quàm moderata autem discretio in vestium cultu, & mensa apparatu Sacerdotibus tenenda sit, dicta beati Gregorii in expositione Evangeliorum, nec non & vita sanctorum virorum Augustini & Ambrosii plenissimè doceat. Can.19.*

II. Conatus est & Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus modum aliquem ponere luxui, ostentationi, & expensis Clericorum; eo oculis auribusque inculcato, Si laicis præcepit Paulus, viduas

ut

ut suas alerent, ne oneri essent Ecclesiæ, quæ tantæ aliàs pauperum multitudinis curam sustinent: quantò evidentius est non posse Abbates, Episcopos, Clericos, in canes & equos: in Ministros & servorum greges, in epularum lautitias, in supellectilis & poculorum elegantias ea profundere, quæ Ecclesiis donata sunt ad membrorum Christi, pauperumque necessitates explendas. Sic ergo ille in libello de Dispensatione circa finem. *Si vidua cujuslibet fidelis ab illo est sustentanda, ne gravetur Ecclesia multò magis aliunde subministrandum est canibus & caballis, caterisque jam hominum, quàm animantium ministris, qua vel ad delicias vel ad pompas, turpesque jocos à divitibus possidentur. Et hoc ideo, ne Ecclesiam Dei non solum gravent, verum etiam vastent, funditusque pradentur. Non hac nos de solis laicis dicimus, sed etiam de Episcopis, Abbatibus, sive quibuslibet Clericis, qui aliud faciunt de rebus sacris quàm quod faciendum est, aut aliter eas, quam à Deo & sanctis Patribus ac Rectoribus constitutum est, tractant.* Nec multò post de laicis agens, qui fundos Ecclesiæ possidebant. *Quanto malo suo convivia splendida, de sacris rebus, quibus gementes & mærentes in tribulatione paupertatis debuerunt consolari, epulatur cum divitibus epulantibus gaudens, ridensque, & opus Domini non respiciens.* Ea est conditio, ea lex rerum Ecclesiæ, ad quoscumque devenerint, res sunt pauperum.

III. Scitissimè ab Isaaco Episcopo Lingonensi affirmatum est, res Ecclesiæ oblationes & hostias esse pietatis & religionis fidelium, eoque teneri Clericos iis vesci, iis uti quomodocumque, eo sobrietatis modo, eo pietatis sensu, qui sacrificiis consentaneus sit, hostiarumque sanctitudini; cum citra insaniam ne dubitari quidem possit quin execranda & detestabilis illa profanatio sit, si hostiæ Deo semel oblatæ comessationibus, & intemperantiæ immolentur. *Fige cultrum in gutture tuo. Cultrum quippe abstinentia & inedia quasi in guttura figimus, dum qui totum victum nostrum obtulimus, de eo postmodum parcè & timidè quasi de altario Dei ad necessitatem sumimus. Nam qui altari deserviunt, ordinavit Dominus de altario vivere. Alioquin si post oblationem talem iterum deliciosè, & luxuriosè, quasi de nostro absumimus, totum quod offerimus, auferimus; & de rapina jam pejus vivimus. Num sic jam non Domino, sed nobis vivimus & morimur, & sive sic vivimus, sive morimur, jam verò non Domini, sed nostri, immo non nostri, sed diaboli sumus. Spicileg. Tom.1. p.350.*

IV. Vir Canonum & Legum consultissimus Hincmarus Archiepiscopus Remensis, nil sibi remittendum duxit de Monastica priore sua disciplina, ubi sacris infulis redimitus fuit. Vix mitius sibi aliquid & indulgentius annui voluit, cum ex gravi morbo recreatus esset. Normam quandam vitæ illi Pardulus Lugdunensis Episcopus dictaverat, per illud periculi plenissimum tempus, quo convalescebat: ex qua perdiscimus, quantum Hincmarus abhorreret, non ab epulis tantum & deliciis, sed à valetudinis etiam tuendæ, aut reparandæ sollicitudine, iisque rebus, quæ bene multis necessariæ videri solent. Præcipit porro, ut tuendæ valetudini, ex qua tantum utilitatis in Ecclesiam proficiscitur, & quæ singulari illi Dei beneficio reddita fuit, abstineat frequentioribus jejuniis, quæ sectabatur, & à pisciculis, quos deperibat; ne illos unquam eo esitaret die, quo capti sunt, uti nec aviculis, pullis, feris, & terrestribus animantibus eo quo occisæ sunt die, aut antequam sale conspergantur, & siccentur; ne quadrupedibus abstineat cum non alia ratione possit sese & pristinas vires recuperare: author est denique ut usitatas temperet abstinentias suas, ut confirmatis aliquando viribus, ad pristinos claustri cibos revocare se possit. *Quapropter si more solito vos despicitis, & corporis sanitatem vestri causa minimè curatis horum reminisci debetis, redditam vobis per divinam gratiam sanitatem, studiosius custodire & à cunctis, qua huic infirmitati contraria esse videntur penitus abstinere. A nimio scilicet jejunio, & à pisciculis minutis, quibus libenter vesci soletis, ab omnibus quoque recentioribus cibis, ab his scilicet, qui eadem die, quando comedi debent, ab aquis levantur; aut si de volatilibus & quadrupedibus cibus efficitur, eadem quando occiduntur die, minimè sumuntur. Qua oportet primum exenterare, & diligenti cura sale humores exsiccare, & sic postea quemque, qui sanitatem habere cupit, salubriter sumere. Sed neque à lardo, sive quadrupedibus abstinere, quoniam sine his stomachum difficilè quilibet poterit reparare. Abstineatur praterea ab omnibus, qua cruda comedi possunt, & ab ipso appio, quo sapè uti soletis, donec vobis à Domino reddita sanitas plurimum confirmetur, & sic ad siccos & miseros sardinesque Monasticos cibos redeatur. Hincmarus Tom.2. p.838.* Etsi non ea mihi mens fuerit, sunt hic tamen non pauca, quibus delectari possit Lectoris curiositas, si vacet, aut libeat tantisper expendere, quæ eo ævo essent medicorum artes & lenocinia, ad conquassati corporis vires blandius restituendas. Id unum commonstrare volui quàm lautitiæ istæ opulenti Archiepiscopi, ad vires jamdiu afflictas, paululum reficiendas, quam essent, inquam, hæ lautitiæ à sumptu & mollitia alienæ; quàm ægrè Hincmarus ita usurpandis assentiretur; quàm Monasticarum institutionum retinentissimus esset, cum hæc temporaria tantum proponantur blandimenta, quo brevi vegetior reddat se claustralibus abstinentiis. His utique Hincmari consentiebat vestis & supellex.

V. Clero invexerat Ludovicus Pius purgatiorem quandam disciplinæ formam, ex qua amputata & circumcisa fuerant complurima sæcularia luxus ornamenta & Episcopis Clericisque excussa, in vestibus, baltheis aureis, cingulisque, in auro & gemmis. *Denique, tunc cœpere deponi ab Episcopis & Clericis cingula balteis aureis & gemmeis cultris onerata, exquisitaque vestes, sed & calcaria talos onerantia, relinqui. Du Chesne Tom.2. p.298. 313.* Legere est apud Sangallensem Monachum, sannas & dicteria Caroli Magni in eos, qui ex patrimonio pauperum sumptus incredibiles faciebant in nugatoria, & puerilia nescio quæ ornamenta, non dico à provisore omnium pauperum, sed à viro gravi & sobrio alienissima. *Vos Patres & Provisores nostri Episcopi, pauperibus, immo Christo in ipsis debuistis ministrare, non inanibus rebus inhiare. Nunc autem in contrarium cuncta vertentes, cenodoxia vel avaritia super omnes mortales intenditis. L.1. c.18.19.*

VI. Facilè abstersit B. Ludgerus Monasteriensis Episcopus criminationes, quibus apud Imperatorem insustus fuerat; & ex quibus ipsis sanè non paulò plus gloriæ, quàm dedecoris in eum redundabat, quòd scilicet de Episcopali pompa & magnificentia non retinuisset, nisi quæ vetabat necessitas ejici, reliqua pauperibus esset largitus. *Omnem censum, qui in hareditate ejus propria, vel in Episcopio colligebatur, mox distribuere studuit, nihil omnino prater solum necessarium usum super angustioribus adificiis, vel ambitiosis ministeriis curans. Quapropter cum à quibusdam Regis Primatibus, quasi extirpator Episcopii criminaretur, & qui nullas adificiorum honestates, nec ipsis metallorum ornatus Ecclesiis congruos providere sciverit, &c. Surius die 26. Martii.*

VII. Constantinopoli ubi primum Patriarchali solio sedere cœpit Tarasius, cingula statim aurea Clericis abstulit, & sericas vestes, quibus sacræ professionis suæ splendor obscurabatur. Audi quid

de eo dicat Ignatius Monachus in ejus Encomio. *Multi Clericorum lumbos cingebant zonis aureis, & ornati erant pretiosis & variis vestibus sericeis, his aurum quidem ademit, fecit autem succingere lumbos cingulis contextis ex pilis caprarum. Iis vero, qui toti corpori contexta ex iisdem filiis purpureas vestes habebant, excogitat tunicas remotas ab omni curiositate nimia & deliciis, ut quæ essent vestitus honestus, & convenirent iis, qui profitentur humilitatem. Surius die 25. Febr.*

VIII. Ubi Commentariis suis illustrat Balsamon Canonem Concilii Trullani, *Can.27.*, quo indecori habitus Clericis prohibentur in Urbe & ruri; negat indecoram eam vestem hic, dici, quæ militum propria sit: ejus enim usus facinorosus Clericis & ulciscendus foret; sed ornatus sericos, purpureos, aureos; his enim Clerici nequaquam possunt indui, nisi antè pudorem & modestiam exuerint. *Vestitus Clero nequaquam conveniens est, non vestes militum, &c. Sed sumptuosa & auro intexta vestimenta. Virtutis enim & honestatis exemplum debent esse Clerici, non stolida & inhonesta vita.* Quod idem disserit Balsamon in alium Canonem ejusdem Synodi, *Can.92.*, in eos, qui crines calamistris inurunt, ornant, expinguot, vel adulterinis & ascititiis coloribus vultum commaculant; id sanè non videtur posse nisi in laicos cadere. Nec enim in mentem venerat, vel Clericis, vel Episcopis tam insana placere posse nugamenta, vel naturæ etiam ipsius adulteria.

Palam illud pronunciarunt Coocilii VII. Generalis Patres, ditiores veste & ornatiores Clericis congruere non posse: nec ipsos tantùm, sed & Episcopos pœnis subesse canonicis, si in veste pretiosa, aut unguentis delibuti procedant. *Omnis jactantia & ornatus corporeus est à Sacerdotali ordine & statu alienus. Episcopos ergo vel Clericos, qui se splendidis & insignibus vestibus exornant, se corrigere oportet: sin autem permaneant, pœnis coerceri, similiter eos, qui sunt unguentis delibuti. Can.16.* Convitiis proscideraant Iconoclastę Orthodoxos, *qui vilem & modestum amictum induti erant.* His Concilium patrocinatur, profiteturque hactenus semper Clericos mediocri veste usos, à sericis semper abhorruisse, & ab iis elegantioribus additamentis, quibus pretii & splendoris non parum vestibus accedere existimatur. *Sed nec ex sericis texturis variatum quis vestimentum habebat; neque in vestimentorum fimbriis adjecta erant alieni coloris additamenta.*

A Balsamone narratur in eundem Canonem, Clericos sui ævi, qui necdum extricati erant à vanissima hac vecordia, hinc sibi quæsisse patrocinium, quòd pompa vestium honestaretur sacerdotium, & à Laicis impensiùs coleretur. Sed confutatas esse cavillationes, eo demonstrato, Canonem huoc latissimè manare, nèc ullo locorum temporumve limitu arctari, atque adeo nec conculcari posse, quin canonicæ pœnæ incurrantur. *Audiverunt se non rectè dicere. Est enim Canon universalis; & quæ inscripta sunt, debent in sæcula sæculorum observari & vim suam obtinere; & qui pręter eum vitam instituant, rectè puniuntur, nisi corrigantur.*

Ne quis verò iniquo ferat animo immodicam Balsamonis tetricitatem, addam hoc loco, quod ille in Canones Laodiceoos & Sardicenses commentatus est. Si his probibitum sit, ne Episcopi ordinentur in vicis, vel in locis infrequentioribus, ne evilesceret, & contemptui pateret Episcopalis dignitas, verè illum existimasse, fore ut vilesceret Episcopatus, si Episcopi regiones pedibus peragrarent, & ideo minoribus in vicis constitutos fuisse Periodeutas, seu Presbyteros, qui Parochias perlustrarent. *In Can.57. Laod. & 4. Sardicensi.*

IX. Vereor ut probari possit Zonaræ quædam zeli æstuatio inconsiderata. Eundem enim Canonem Trullanum, *Can.96.*, expendens, non in Laicos tantùm acriter stomachatur, qui crines calamistrant, fucant, flagrantissimis Solis ardoribus æstate objiciunt, quo color quidam flammeus his inuratur aut qui denique ascititiam sibi cæsariem adsciscunt; qui tam pressè barbam abradunt, ut nec barbati unquam fuisse videri possint: aut qui propter devexam ætatem radere barbam non audent illi quidem, at testa candente ejus longitudinem ita aduruot, ut propiùs absint ab eorum specie juvenum, quibus pili fruticescere incipiunt. Ubi Zonaras, inquam, ita in Laicorum hanc multiplicem insaniam debacchatus est, tum irasci incipit Patriarchis, Episcopis, Monachis, qui nec aditu interdicunt Ecclesię hęc vanitatis & mollitiei mancipia, nec benedictione eos sua, aut sacramentorum participatione arcent. Hinc conjice quàm sęviturus fuisset Canonum hic Commentator in Pręlatos, vel Clericos si quos deprehendisset eidem servientes lenocinio formę, & effęminatis delitiis. Quod radentes barbam sugillat, hoc ad Gręcos & Orientales spectat, quorum patrius & antiquissimus is mos est, barbam alere.

X. Quod verò opinatur Balsamon sordescere posse Episcopatum, & contemptui objici sanctissimam toto orbe dignitatem, si in eis collocarentur locis Episcopi, ubi rerum eos cogeret inopia pedibus ingredi; id sanè non omnes Scriptores Ecclesiastici ei assentiuntur. Commemorans enim Petrus Damiani, iter Romanum illustrissimi Martyris Bonifacii, qui Ottoni III. Imperatori carne conjunctus erat, ut Archiepiscopus ibi ordinaretur, illum pedibus, & quidem nudis totum iter confecisse narrat, domesticis comitantibus, quibus semper præibat, Psalmisque decantandis vacabat. Ea humilitate Archiepiscopi, suique dejectione plus venerationis & gloriæ accedebat Episcopatui, quàm Imperatoria consanguinitate. *Toto illo itinere vir venerabilis cum omnibus, qui illum sequebantur, pedester ibat, sed ipse jugiter psallens, & cæteros longè pręcedens nudis semper pedibus incedebat.* Nec exquisitior erat ejus vescendi ratio. Aqua & pane victitabat, diebus festis aliquid præterea herbarum, aut pomorum adhibebat. *Pro labore quidem itineris, quotidie comedebat, sed per singulos dies de medio pane & aqua vivens, in diebus festis, quotidiano victui poma qualibet, vel herbarum radices addebat. Petrus Dam. in vita Sancti Romual. c.28. Surius die 19. Junii.*

CAPUT XLI. *P.4. l.4. c.12.*

Qua fruge, qua modestia Beneficiarios esse oporteat in mensa, veste, supellectili, post annum Christi millesimum.

I. Dolebat B. Fulberto, quod Episcopis non paucis agmina & expensa ministrorum auferunt res pauperibus dispensandas.

II. Episcopię officere paupertatem fatebatur Ivo Carnotensis; sed omnes tamen Ecclesiæ res Dei & pauperum esse profitebatur.

III. Invehitur Petrus Damiani in luxum & sumptus immodicos Prælatorum sui ævi.

IV. Nec Petrus Damiani, nec B. Bernardus succensuere pretiosis Ecclesiæ ornamentis, pedis, mitris. Quam illi in his normam legemque pręscripserint.

V. Doctrina B. Bernardi, non posse Beneficiarios ex re-

reditibus sacris, nisi necessarii victus & vestitus impendia decerpere. Admiranda quędam de Episcopis Evangelica paupertatis studiosissimis.

VI. Rursum succenset Bernardus superfluitati Beneficiariorum in veste, ornatu, instrumento.

VII. Petri Abbatis Cluniacensis sententia.

VIII. Petrus Blesensis in luxum & delitias Clericorum invehitur.

IX. Ex Arnulpho Lexoviensi Episcopo, ut possint Beneficiarii inter opes ipsas Evangelica paupertatis amorem fovere. De Vuillelmo Parisiensi Episcopo.

X. Doctrina Jacobi Cardinalis Papiensis de lege & conditione bonorum Ecclesia, & eorum usu.

XI. Exempla B. Antonini Archiepiscopi Florentini, & B. Laurentii Justiniani Patriarcha Venetiarum.

XII. Exemplum B. Malachia Archiepiscopi Armachani, quo Bernardus objecto Clericorum insanas castigat expensas.

XIII. Beati Caroli Archiepiscopi Mediolanensis exempla, pracepta.

XIV. Exempla Ximenii Cardinalis Archiepiscopi Toletani.

XV. In Concilio Tridentino novus vigor omnibus additus est priscis Canonum Constitutionibus de frugalitate Clericorum mensa, vestis, supellectilis.

XVI. Decreta Conciliorum Mediolanensium in eandem rem.

XVII. Aliorum Conciliorum decreta.

XVIII. Bellarmini monitu de lectione ad mensam.

I. DAmnavit Beatus Fulbertus invectum ab Antecessoribus suis morem tam numerosæ alendæ familiæ, ut jam hospitibus excipiendis & alendis pauperibus copiæ non suppeterent. Ei tamen necessitati serviri aliquandiu saltem ipsemet compulsus est. Deprædationibus enim & incendiis ad eas angustias adducta fuerat Ecclesia Carnotensis, ut & ipse Fulbertus necesse habuerit, sibi ipsi necessarios sumptus subtrahere. Illud ægrius tolerabam, quod res Ecclesia in superfluorum domesticorum victualia sic expendere compellebar ex prava consuetudine prædecessorum meorum, ut officium hospitalitatis & eleemosyna, sicut mea interest, administrare non possem. Nunc autem res ipsas quæ malæ erant inimici diripiunt, additur his malis incendium Ecclesia nostra. Quoniam unde restaurem, sicut decet, non habeo, nihil quoque necessarios sumptus indulgeri detrecto. Ep.90.

II. Paupertatem Episcopis sui ævi & dedecori & detrimento futuram sentiebat utique Ivo Carnotensis Episcopus, cum ad Paschalem II. Papam perscribebat, hac ipsa de causa non esse Tornacensi Ecclesiæ Episcoporum proprium adsignandum, & ita truncari non oportere Noviodunensem Episcopatum, ne paupertate premerentur duo illi Episcopi, atque contemptui haberentur. Præterea cum dignitas Episcopalis paupertatem his diebus honestè ferre valeat, providendum est, ne ista divisione uterque Episcopatus fiat pauperior, quod testantur Noviomenses, qui utriusque Ecclesia experti sunt facultates. Ep.140. Quo Ivonis contextu tantò plus momenti est, quantò & eruditione & pietate ille abundabat, gnarusque erat, quantum gloriæ & venerationis olim Episcopis sanctissimis accessisset ex Evangelicæ paupertatis amore, quo & ipse Ivo ardebat. Sed quam persuasum erat ei Episcoporum sui ævi eam esse conditionem, ut paupertate vilescerent, tam indubium habebat, res Ecclesiæ patrimonia esse Christi, nec posse nisi in usus sanctissimos expendi. Res enim Ecclesiastica, sicut testantur etiam sæculi leges, quia divini juris sunt, in nullius bonis sunt, & ideo prorsus errat, qui pro suis occasionibus eas, aut Principum jussionibus, à quibus eas maximè servari convenit, usurpat & malè tractat.

III. Jam semel iterumque contestatus est Petrus Damiani, acerbissimum se ex eo dolorem capere, quod cum Episcopus provisor esset pauperum, extranei divitesque cum eo epulas frequentarent, deglutirentque opes pauperum sustentationi olim consecratas. Et cum Episcopus dispensator & promus debeat esse pauperum, ad eorum mensam affluentibus deliciis alieni ructant, & cum illi, quorum est tota substantia, procul exclusi, famis inopia contabescant. Lib.1. Ep 10. Ita ille ad Pontificem. Jam vide ut ad Cardinales Episcopos edisserat, qui ex Paulo, Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desideret; hoc est opus, laborem, & ministerium sanctissimum; non pannos ingentis pretii, non pelles peregrinas, non cuneos Ministrorum, militumque, non cætera pompæ & deliciarum instrumenta, sed infatigatam vigilantiam, constantiamque laboris & muneris sacris defungendi. Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. His evidenter ostendit, nihil aliud esse Pontificem, quàm boni operis sectatorem. Non ergo constat Episcopatus in turritis zebellinorum transmarinarumve ferarum pileis, non inflammantibus martorum submentalibus rosis, non in bractearum circumfluentium phaleris, non denique in glomeratis constipantium militum cuneis, neque in frementibus ac spumantium frena mandentibus equis, sed in honestate morum, & sanctarum exercitatione virtutum. Lib.2. Ep.112. Ingemiscit & alibi Prælatorum lectus magnificentius sterni & ornari, quam augustissima quęque templa; crucem Christi adorandam coli iis locis, quibus carnales hi ne somnum quidem capere velint; cum sola frugalitas possit Episcopis laudem & commendationem conciliare, gloriam eos venari ex sumptuosis epulis; excogitatos illis esse ornatus ipsa Regum purpura splendidiores, denique domesticos pannos eo viles haberi, quod vili pretio sint; longinquis ex regionibus invectos amori & admirationi esse, quod pluris constent. Cui non dissimilis & illa creditur esse dementia, dum lectulus tam operosis decusatur impendiis, ut ornamentum sacrosanctè cujuslibet, vel etiam ipsius Apostolici præcellat altaris. Et quàm videtur absurdum, ut stratus ille diligentius excolatur, ubi corruptibilis caro soporis quiete resolvitur; quàm ara Crucis, in qua videlicet hostia dominici Corporis immolatur. Hoc ergo modo cum sobrietas soleat commendare Pontifices, effusis nunc opibus facti sunt helluones. Regalis itaque purpura, quia unicolor est, vilipenditur; pallia verò diversis fucata nitoribus, ad sublimes lectulos deputantur ornatum; & cum domestici murices aspectibus nostris sordeant, transmarinorum pelles, quia magno pretio coemuntur, oblectant. Ovium itaque simul & agnorum despiciuntur exuviæ, Ermelini, Zebelini, Martores exquiruntur & vulpes. Exęstuat denique inexorabilis censor in annulos, in Tiaras, in baculos Pastorales auro gemmisque fulgurantes & immensi pretii. Irascitur verò illis potissimum mediocrum urbium Episcopis, qui cultûs magnificentia vix ipsi concedunt summo Pontifici, quanquam eorum perversitas eò tandem aliquando erumperet, ut gradu dejicerentur, tantò majore ignominia, quantò magis pompæ & ostentationi servivissent. Tædet cætera vanitatis attexere; non ridenda, sed gemenda ridicula. Fastidium est tot ambitionis ac prodigiosa vesania dinumerare portenta. Papales scilicet infulas, gemmis micantibus aureisque bracteolis per diversa loca corruptas. Omitto annulos enormibus adhibitos margaritis. Prætereo virgas non jam auro gemmisque conspicuas, sed sepultas. Nunquam certè vidisse me memini Pontificales baculos tam continuo radiantis metalli nitore confectos, sicut erant, qui ab Esculano atque Fanensi gestabantur Episcopis. Uterque tamen, alter in Apulis finibus Nicolao præsidente, alter in Lateranensi

si Ecclesia coram Alexandro Romanis scilicet Pontificibus sunt dejecti. Nec eis profuit, quod Pontifices linguæ nutricasi sunt baculis.

IV. Non eo sanè collimabat Petrus Damiani, quo haberet, vel haberi vellet ludibrio Pastorales baculos, tiaras annullosque pretiosores Antistitum, Pontificum maximè Romanorum. Ea ille præfatus erat, ex quibus abundè constaret, vehementer illum assentiri templorum & altarium ornamentis splendidioribus. Sed eos ille sugillabat non immerito Præsules, qui modi impatientes sunt, nec intervalli quidquam esse voluit inter Episcopos alio & alio civitatum & potestatis atque jurisdictionis fastigio evectos. Super ea re autem omnium præstantissimè versatus esse nobis videtur B. Bernardus, in aureolo de Consideratione ad Eugenium III. Papam libello, ubi pulcherrimè docet, illam magnificentissimam pompam proficisci potius ex communicata à Constantino Imperatore cum Pontificibus Christi Imperatoriæ majestatis amplitudine & gloria, quàm ex Beati Petri successione. Et tamen ita statuit, ita consulit, ne quid hic mutet, ne quid novet Eugenius, sed eum totum splendorem toleret magis, quàm amet; nec inde gloriandi, sed sui dejiciendi potius ansam captet. *Ne cujus sedem tenes, te neges heredem. Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando, vel gemmis ornatus, vel sericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. In his successisti non Petro, sed Constantino. Consulo toleranda pro tempore, non affectanda pro debito.*

Quando verò alibi convellitur ab eodem Bernardo Cluniacensium exaggerata opulentia in Ecclesiis suis; fatetur ille tamen etsi in reprehensionem hinc non immerito Monachi incurrant; inculpatam tamen esse Episcoporum, Ecclesiarumque Episcopalium & Collegialium diligentiam in ejusmodi cultu sumptuosiore: propterea quod qui has, non illas frequentant Ecclesias populi, & carnales omnes, sensibili hac pulchritudine ad intelligibilium & æternorum amorem facilius incendantur. *Dicite pauperes, si tamen pauperes, in sancto quid facit aurum? Et quidem alia est causa Episcoporum, alia Monachorum. Scimus namque quod illi sapientibus & insipientibus debitores cum sint, carnalis populi devotionem, quia spiritualibus non possunt, corporalibus excitant ornamentis, &c. At nos quorum quæso devotionem in his excitare intendimus. Apolo. c.12.*

V. Sed quod ad expensas attinet Ecclesiæ opes, in alia qualiacumque, quàm Ecclesiarum ornamenta, ea de re vehementissimas & aculeatas dedit Bernardus literas ad Clericum juniorem, quem seriò monet, etsi posset de altari vivere, non posse tamen luxuriari & lascivire vestibus, pannis, equis, sellis, alioque ejusmodi vanissimæ superfluitatis instrumento, immo nec citra sacrilegium posse in hæc effundi, quæ Deo in alimenta pauperum dicata semel fuere. *Dignum est, ut qui altario deservit, de altario vivat. Conceditur ergo tibi, ut si bene deservis, de altario vivas, non autem ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, ut inde compares tibi frena aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia griseaque pellicia, à collo & manibus ornatu purpureo diversificata. Denique quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. Contenti simus vestimentis, quibus operiamur, non quibus lasciviamus, non quibus superbiamus, non quibus mulierculis, vel similari, vel placere studeamus. Epist.2.* Meritò contremiscent Clerici & Beneficiarii non pauci, si seriò perpendant hæc Bernardi verba, an fulmina; *Quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retineas, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Quanquam & magis terrificum videri possit, quod respondet Bernardus ad ejus Beneficiarii querimonias. Non eo se gyro tam angusto circumscribere cæteros, à quorum moribus si discederet, tum offensioni se fore, ut qui singulari & notabili cultui hæreret. Ad hæc respondet Bernardus, facessere ergo illum, & divelli à sæculo penitus debere, ne ejus damnatione inevitabili implicetur, postquam & eidem vitiorum luto immersus fuerit. *Sed hoc facio, inquis, cum quibus habito. Si non facio quod cæteri, de singularitate notabor. Propterea, inquam, exi de media eorum, ne aut in urbe notabiliter vivas, aut exempla peccas aliorum.*

Eo responso eum Beneficiarium monet Bernardus, sæculo & Beneficio renunciandum illi esse, ut in aliquod se conferat Cœnobium: hinc facilè suspicamur exploratam sanctissimo Patri fuisse ejus Clerici mollitiam animi, & infirmitatem, quam sæculi tentationes facillimè prosternerent. Verè enim ubi quis specialiter ita afficitur, ei una ad salutem janua patet Monasticæ professionis; quod & jam olim occinebat Gregorius Magnus, esse, quibus ad cœleste regnum aditus non daretur ullus, nisi per Monasticas exercitationes. At in genere, monendi sunt Beneficiarii, nunquam non esse in Clero viros & quidem numero haud pœnitendo, iis virtutum insignibus instructos, quos imitari possint in expendendis Beneficii sui proventibus; & quanquam ii vel rariores essent, vel nulli, leas Ecclesiæ leges nihilominus & sanctas, & faciles, & necessarias esse.

Atto Tricassinus Episcopus gravissimo morbo decumbens, non testamento tantum sua legavit omnia pauperibus, sed & superstes adhuc erogavit. Pristinis postea restitutus viribus, tanto excelluit paupertatis amore, ut hinc illi jam tum plus laudis & sinceræ gloriæ compararetur, quam ex opulentia & nobilitate quantacumque accedere potuisset, si qua Bernardo habeatur fides, idoneo cum primis rerum æstimatori. *Super omnes regnos thesauros hic vos titulus nobilitat amplius & reddit illustrem.* Et paulò inferiùs: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. Denique Sacerdotes Dei induuntur justitia, & multo utique decentius & ditius, quàm auro & serico. Epist.33.* Ulterius eluctatus est Gilbertus Episcopus Londinensis; non morte, non morbo commonitus, territusve abjecit ea, à quibus ejiciendus mox ipse erat: statim omnia sponte sua in pauperes dilargitus est, & non moriturus tantùm, sed quandiu vita suppeditavit, paupertatis delicias experiri voluit. Eximium hoc virtutis & singulare specimen non potuit non aliquo Bernardi testimonio consecrari. Pauca hæc accipe ex ejus ad eum Epistola. *Non magnum fuit Magistrum Gilbertum Episcopum fieri, sed Episcopum Londinensem pauperem vivere, id planè magnificum. Nec enim tanto nomini quidquam augere gloria potuit sublimitas dignitatis, auxit autem plurimum humilitas paupertatis. Pauperiem æquo animo ferre virtus patientiæ est; sponte appetere sapientiæ laus est. Epist.54.*

VI. Ex Bernardi sententia, res esset longè pulcherrima gloriæ studere, si ad veram gloriam anhelarent, non ad fumum, & inania quædam ejus ludibria. Tota hæc quæsita longius, & operosius elaborata pompa mensarum, vestium, ædium supellectilium, non famulatur nisi præposteræ & insulsissimæ gloriæ, propterea quod Beneficiarii & Clerici cujuscumque laus, apta & religata tota sit ex pietate & religione, ex justitia & largitate in pauperes, ex terrenorum contemptu. His virtutibus trophæa, his sempiterna gloriæ monumenta istiusmodi extruuntur, qualia nunc Bernardus Attoni Trecensi, & Hilberto Londinensi Episcopis excitavit.

tavit. Ex adverso autem non potuit idem ipse non insectari probris, vel mordacibus instruere præceptionibus Archiepiscopum Senonensem Henricum, quem hoc primum perculit monito. Quam suffundi deberent Episcopi, quibus ea jam ingerenda essent præcepta, quæ Paulus olim matronis recens ad fidem conversis inculcabat, *Non in veste pretiosa. Ep.42.* Quam non addecerent Episcopos illæ ingentis pretii pelles, quibus Episcopi manus, pectus, collum exornabant, cum illis non alia asciscenda essent decora, quam virtutum Sacerdotalium, sapientiæ, pietatis, moderationis, & bonorum operum. Hujusmodi sunt enim nativa ejus oris, & earum manuum ornamenta, quæ consecrant, tractantque, & Deo offerunt sanctam & immortalem hostiam incommutabilis sapientiæ, humanam carnem indutæ. *Despiciant jam tentricum, sive pellificum, & non propriis operibus glorientur. Horreant, & murium rubricatas pelliculas, quas gulas vocant, manibus circumducere sacratis, & sacrantibus tremenda mysteria. Respuant & opponere pectori quod decentius ornat gemma sapientiæ. Pudeat & collo circumtexere, quod honestius atque suavius Christi jugo submittitur. Non Christi stigmata sunt hæc; quæ isti Martyrum exemplo corpore circumferant suo; muliebria potius esse noscuntur insignia.*

Probro illud quoque vertit Episcopis Bernardus, quòd equos ipsos superfluis, & perridiculis onerarent ornamentis, cum interim cibo & vestitu necessario pauperibus non adessent. Hinc illę pauperum ejulationes: *Jumenta gradiuntur onusta gemmis, & nostra non curatis crura nuda calligulis? Annuli, catenulæ, tintinnabula & clavatę quædam corrigiæ, multaque talia, tam speciosa coloribus, quàm ponderibus pretiosa, mulorum dependent cervicibus; fratrum autem lateribus nec semicinctia miserantes apponitis?* Nec in has expensas effundebatur pretium laboris manuum, aut negotii, aut patrimonii Beneficiariorum, sed hæreditatis Christi, & sanguinis pauperum. *Huc accedit quod hæc omnia nec negotiationis studio, nec proprio manuum exercitio vobis elaboratis, sed nec jure hæreditario possidetis, nisi fortè & vos in corde vestro dixeritis, Hæreditate possideamus sanctuarium Dei. Et hæc pauperes, &c.* Non nesciebat Bernardus fieri non posse, ut Episcopi, & Beneficiarii omnes egeni essent, sed illud erat ei omnino compertissimum, studio & charitate pauperum fervere eos debere, adeoque & paupertatis ipsius, ex eoque germanam eorum gloriam efflorescere. *Hoc planè decet Episcopum, hoc sacerdotium vestrum commendat, ornat coronam, nobilitat dignitatem, si quem ministerium prohibet esse pauperem, administratio probet pauperum amatorem. Non enim paupertas virtus reputatur, sed paupertatis amor. Denique beati pauperes non rebus, sed spiritu. Ep.100* Denique vel ipsum Eugenium Papam noluit Bernardus, familiæ quemquam suæ inscriptum habere, cujus in vestibus & gestis omnibus non enitesceret eximia quædam moderatio; exulare voluit nobiles illos & comatulos pueros, quorum affectata formositas & ornatus gloria Pontificiæ Aulæ minimè consentiret: ut in Summi Pontificis vestigia insistere cæteros Episcopos non pœniteret. *Domum Episcopi decet sanctitudo, decet modestia, &c. Sacerdotes domestici, aut cæteris honestiores, aut fabula omnibus sunt. In vultu, in habitu, in incessu illorum, qui circa te sunt, nihil residere impudicum nihil indecens patiaris. Discant à te Coepiscopi tui comatulos suos pueros & comptos adolescentes secum non habere. Certè inter mitratos discurrere calamistratos non decet. De Consid. L.4.*

VII. Inania illa pompæ sæcularis ludibria, in quæ excandescebant Petrus Damiani, & Bernardus, temporis diuturnitate exoleverunt pleraque, sed non sine fœnore forsan alia inoleverunt; pari Clericorum flagitio & pudore, nec dispari dispendio pauperum. Non jam candicantes pelles Armeniæ, non nigricantes martes, quas ideo Sabulinas vocant, non *pelles rubricata*, quas ideo vernaculo sermone *gulas* vocant, alia jam sunt insanientis luxus insigna; quas æquè depereunt, æquè circumgestant vecordes insaniæ suæ ostentatores. Goffridus Catalaunensis Episcopus eorum choro inscriptus erat Præsulum, qui harum nugarum contemptu ad immortalitatem grassabantur, & pia sollicitudine, ut in omni instrumento & apparatu ac comitatu suo, cum non Episcopi tantùm, sed & Principes, ac domini temporales essent, renideret frugalitas ac modestia religiosa. Hoc enim illum præconio celebravit Petrus Venerabilis Cluniacensis Abbas. *Quid & illud, quod cum tanta urbi non solum Episcopum, sed & Principem necessario vos esse oporteat, nihil de Monacho Pontifex vindicet, nihil de Religione Princeps usurpet, nihil de prisco ordine Mundus furetur. L.2. Epist. 43.*

Nec præteribit nos statutum sanctissimi hujus Abbatis, ex quo liquidum erit, quàm pronus esset ille, pedibusque, ut ajunt, & manibus in sententiam descenderet Bernardi, quanquam verbis, & specie tenus dissidere nonnunquam viderentur. Morientibus suis osculandam dari vetuit crucem, nisi ligneam. Nec enim aureas fabricatas esse cruces, nisi ut simplicioribus & carnalibus indulgeretur, quorum tarditati ex auro pretium crucis ipsius crescit. At spirituales lignea magis afficiuntur & delectantur cruce, quòd ligno, non auro affixus sit Christus cruci; unde & Ecclesia, quo die augustissimo ritu & cultu pronissimo Crux adoratur, ligneæ advolvitur cruci, in qua immortalis Vita pendens, ipsi morti mortem attulit. *Num non dicitur, Ecce aurum crucis, & argentum crucis, sed ecce lignum crucis, in quo salus mundi pependit, venite adoremus, &c. Aliud est metalli pretiositas, quæ mentes simplicium excitat ad majorem Crucis venerationem; aliud ligni vilitas, quæ spiritualium animos commoveat ad vehementiorem erga Crucem, & Crucifixum devotionem. Bibl. Clun. p.1371.*

VIII. Ad Bangorensem scribens Episcopum Petrus Blesensis, nec ignarus pauperi illum præesse Ecclesiæ, hortabatur, ut Episcopalem ageret vitam, hoc est, permodestam & pauperem, cum eundem gerat Episcopatum, quem Petrus, Paulus & Augustinus, cumque vivere debeat de Evangelio, quo fastus omnis damnatur vestium; equorum, & numerosissimi comitatûs. *Non oportet vos sic abhorrere Ecclesiæ paupertatem, quam in alienum gravamen tota die coram hominibus allegatis. Titulus paupertatis gloriosus est apud Christum, & quæ Filium Dei decuit vos dedecore non debuit. Princeps Apostolorum & Præsulum dixit, Aurum & argentum non est mihi. Magnus etiam Augustinus ideo testamentum nullum fecit, quia unde faceret, pauper Christi non habuit. Vestri instituti est vivere de Evangelio, sicut constituit vobis Dominus, non incidere pompaticè in vestium cultu, in equorum fastu, in multitudine clientelæ. Decet vos tanquam sacerdotalis & Episcopalis sanctimoniæ professorem prævidere omnino vestigia conversationis antiquæ. Ep.147.*

Alibi autem rursus deflet inevitabilem eorum Beneficiariorum damnationem, qui in luxum, in epulas, in vitiorum fomites ejusmodi abliguriunt Christi patrimonium, ejus paupertate, sanguine, cruce & morte partum, eisque interim commendatum. *Bona Ecclesiarum in victum & vestitum concessa, bona, inquam, pauperum Christi, in superfluos usus consumimus. Qui sunt enim, qui epulantur quotidie splendidè? Clerici. Qui sunt qui exquisitis nece & mari & terra vescuntur cibis? Clerici. Qui sunt, qui omni tempore pacem & securitatem ha-*

habentes, in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur? Clerici. Nos itaque falsi fratres Christi sumus. Patrimonium enim quasi de jure fraternitatis possidemus; sed quàm falsi simus, lippis & tonsoribus patet. Patrimonium enim, quod sibi tam gloriosè comparavit, nos gulosè consumimus. Ipse emit illud colaphis & flagellis, & nos consumimus illud in cyathis & scutellis. Ipse in opprobriis & persecutionibus, nos in conviviis & ebrietatibus. Ipse morte crucis, nos in luxu carnis. Vide quomodo ex opposito respondeat falsitas veritati. Timeo ne cum redierit ille frater noster, qui quasi peregrè modò profectus est, rationem ponat nobiscum super patrimonio nobis credito. Quid autem poterimus dicere? Serm. 12. In Quadr. Illacrymatur denuo & alibi Prælatis illis, qui cum nullo fungantur pro Ecclesia labore, ejus absumunt patrimonium. *De Evangelio vivat, sicut constituit Dominus. Proventum Evangelii voco, quidquid pro evangelizata fide tua contulit Ecclesiæ liberalitatis antiqua devotio. Alii multitudine gravi hominum aut equorum otiosè panem comedant alienum, tu verò ambules cum paucis, & in omnium ædificationem panem circumferas Angelorum. De instit. Epis.*

IX. Vehementissimè peroravit Arnulphus Lexoviensis Episcopus in Concilio Turonensi sub Alexandro III. anno 1163. ubi cum multa alia versavit, quæ magna afferant ad Ecclesiæ disciplinam momenta, tum illud etiam de usu proventuum Ecclesiasticorum. Nec sanè is erat Arnulphus, qui sacri ærarii & pauperum substantiæ, quàm turpem, tam frequentem dissimularet dilapidationem. *Sustinemur in equis & curribus ambulare, in magnis quandoque & mirabilibus super nos, epulari splendidè, pretiosis indui, honoribus & divitiis abundare. Paupertatem Christi verbo prædicamus, sed minus exhibemus exemplo.* Sed nec illud tacuit, posse ipsos inter opum acervos paupertatis amorem integrum incolumemque retineri; nec enim prohiberi opum etiam ingentium possessionem, sed cupiditatem & amorem; in ipso cumulo opum spiritu pauperem esse, qui se earum administratorem esse sentit & profitetur ex animo, non dominum: qui hoc pauperum, hoc Christi ærarium esse seriò cogitat, qui in unas Ecclesiæ & pauperum necessitates illud expendit. *Nisi quia fortasse paupertatem Christi in nobis spiritualiter divitiarum contempta, & humilitas sancta restaurat. Neque enim requiritur à nobis divitiarum indigentia, sed contemptus. Divitiæ, inquit, si affluant, nolite cor apponere. Non dixit, Ne affluant, sed ne cor apponatur. Porro cor prohibuit apponere, sed non manum. Profectò Propheta in omni affluentia divitiarum pauperem se prædicabat & egenum. Possumus itaque licitè divitias possidere, si tamen earum nos non reputaverimus dominos, sed ministros; si intellexerimus patrimonium pauperum erogandum.* Furti denique reos agit Arnulphus eos, qui reditibus Beneficiorum suorum non adsunt pauperibus, sed in suas animi libidines abutuntur.

Vix mihi tempero, quin hic repetam, quæ refert Adamus Canonicus Bremensis de Archiepiscopo Bremensi Unuano, & de effuso ab eo opulentissimæ Ecclesiæ suæ ærario, ut Borealium regionum Reges ad Ecclesiam alliceret, utque fidem Christi & amplexarentur ipsi, & à suis coli haud ægrè ferrent. Affirmat Adamus exemplo eum usum esse Beati Ansgarii antecessoris sui, & antiquissimi Episcopi Scytharum. Hinc ediscimus non profusiones ipsas patrimonii Christi in vitio esse, sed causam: & illas & hanc in laude tunc fore, cum gloriæ Christi ancillabantur. En ejus Historici verba: *Unuanus Episcopus ferulam suscepit ab Henrico Imperatore, pallium à Papa Benedicto. Cum esset nobilissimus, atque nobilem ac sufficientem liberalitati suæ sortitus est Episcopatum; in quo & suam posset ostendere magnitudinem, & necessitati semel Ecclesiæ prodesse. Quare thesaurum Ecclesiæ diu sollicitèque collectum, & quasi minùs necessarium, si intra parietes clauderetur, ipse ad commodum suæ legationis ita curavit expendere, ut ferocissimos Aquilonis Reges hilaritate suorum munerum, ad omnia, quæ voluit benignos obedientesque haberet. In qua re non multum ut arbitror peccavit; quia seminavit carnalia, ut meteret spiritalia. Quin imò largitio ejus in novella gentium conversione utilissima videbatur, neque adeo nocuit Ecclesiæ, quæ præcedentium diligentia Patrum erat opulentissima. Credo enim eum sequutum Sancti Ansgarii exemplum, & cujusdam in Ecclesiastica historia Theotini Scytharum Episcopi: quorum alter legitur incredulos Reges donis placasse, alter verò Barbaros natura feroces, epistolis muneribusque mansuefecisse laudatur.*

X. Inopino infortunio jacturam passus Jacobus Cardinalis Papiensis permagnæ partis proventuum suorum Ecclesiasticorum, doloris inde suscepti aculeos obtundebat elegantissimis Epistolis ad Cardinalem Bessarionem exaratis, quibus edisserebat, quantum emolumenti ab eo detrimento cepisset. Inde enim addidicisse se, ut ne magnopere posthac laboraret de comparanda Principum gratia, quæ tam levi, & nulla sæpè causa excutitur. Ut proventus sacros meliùs collocaret, nec iis ditaret proximos. Ut modico apparatu & famulitio contentus degeret, & Ecclesiæ reditus tractaret, ut hostias Deo oblatas ad altaris templique cultum, & ad alimenta pauperum. Usu profano rerum sacrarum iram & vindictam cælestem succendi, ut iis merito exuamur. Ut denique pluris faceret modicam familiam & tranquillam, quàm tumultuosa servorum & stipatorum agmina. *Sum admonitus dispensanda justiùs esse, quæ nobis proveniunt ex altari. Sanguini, & carni non ita profusè indulgendum. In comitatu quoque alendo comparandoque ornatu domestico tam multa non insumenda. Bona hæc nostra altaribus attributa pretia peccatorum esse, quibus redimi animas dantium pia cura oporteat, & instaurari domum orationis, & egenos vagosque in domos nostras induci. Quæ cum non fiant, irasci graviter Deum & sæpè hunc exitum negligentibus dare, quem in meipso sum proximè expertus, ut videlicet administrata malè, etiam suo permissu dilabantur deterius. Mihi jam satis sit vivere vitam quietiorem certè & minus habentem molestiæ. Non enim possunt grandes familiares non oneri esse, atque animum pluribus occupare. Ep. 92.*

XI. Encomium funebre B. Antonini Archiepiscopi Florentini legere est in Commentariis historicis Pii II. Papæ Virtutibus ibi ejus cæteris cumulatissimus quidam splendor affunditur singulari charitate & largitate in pauperes. Annuos semper proventus in pauperes erogavit; proximis nulla se affuit nisi valde egenis: suppellectili usus est testacea, vitreaque; & cum vivere desiit, in Palatio non reliquit nisi mulum, quo vehebatur, & vilissimam supellectilem. *Proventus Ecclesiæ inter Christi pauperes distribuit; in cognatos & affines suos, nisi admodum inopes essent, nihil contulit; vitreis ac fictilibus tantum vasis est usus; familiam, quæ parva illi fuit, contentari modico voluit, & ad Philosophiæ leges vivere. Mortuo nobile funus ex publico ductum, in domo nihil repertum est præter mulam, quo insidere solitus erat, & vilem suppellectilem; cætera manus pauperum asportavere. L. 2.*

Beato Laurentio Justiniano primo Venetiarum Patriarchæ non fuit nisi quinque servorum familia; esse sibi tamen ipse numerosissimam jocans venditabat, nimirùm pauperum. Parietes nullis unquam vestivit aulæis. Frugali semper usus est mensa, quam nulla res magis, quàm electio condiret. Vitrea erat, vel testacea suppellex. Aut lectitabat,

aut

aut scriptitabat sine intermissione, nec libros tamen unquam habuit proprios. *Bell. die 8. Janu. c.5. 50.*

Si paulò altiùs cursum reflectamus, docebit nos Thomas Cantipratensis Mauricium Rotomagensem Archiepiscopum Oeconomo suo præcepisse, ut ex duodecim millibus librarum annuarum, qui tum temporis pinguissimus erat reditus, duo terve millia servaret ad familiæ suæ expensas, reliqua in pauperes spargerentur, quorum ipsemet provisor erat. *Dicebat autem Oeconomis, cum annuus reditus sua Diœcesis ad duodecim librarum millia computarent, duo aut tria millia ad strictissimum victum nostra familia conservetis, in reliquis omnibus nihil habeo. Pauperum enim sunt, & in pauperes dispensate. L.2. c.8. n.2.*

Agit & idem alibi Cantipratensis de gregali suo Ordinis Dominicani, qui Pœnitentiarius primo Pontificis Romani, postea Episcopus Bosniæ creatus est: cui cum essent octo millia marcarum annui reditûs, nec sibi, nec familiæ sumptus faciebat nisi tenuissimos ut ne equum quidem aleret, sed asellum, qui libros & sacram suppellectilem suam vectaret. Parochias suas perlustrabat pedibus, comitantibus fratribus Ordinis sui, multisque eleemosynis rigabat Verbi divini, quam disseminabat, doctrinam. *L.2. c.57. n.55.*

XII. Non committendum verò, ut prætereat nos illaudatus B. Malachias Archiepiscopus Armachanus in Hibernia Beatus Bernardus ejus vitæ scriptor hoc illum ornavit testimonio; Nihil unquam proprii possedisse, ne tum quidem cum Episcopus fuit; nullos mensæ ejus proventus assignatos, nullas certas ædes; Episcopatum ejus cursum fuisse nusquam intermissum visitandi, prædicandique, cum de Evangelio victitaret, vel opere manum, in Ecclesiis noctes duceret. Ita vitam instituerat Archiepiscopus, idemque Apostolicæ Sedis Legatus. *A die primo conversionis sua usque ad extremum vita sine proprio vixit. Non servos, non ancillas, non villas, non viculos, non denique quidquam reditum Ecclesiasticorum sæculariumve vel in ipso habuit Episcopatu. Mensa Episcopali nihil prorsus constitutum, vel assignatum unde Episcopus viveret. Nec enim vel domum propriam habuit. Erat autem pene incunctanter circuiens Parochias omnes, Evangelio serviens & de Evangelio vivens, sicut constituit eum Dominus. Nisi quod frequentiùs ipsum Evangelium sine sumptu ponens, de laboribus suis suorumque ferebat, unde se & alios, qui secum laborabant in opere ministerii sustentabat. Porro si interdum quiescere oportebat, & in sacris hoc faciebat locis, qua ipse per Hiberniam sparserat universam. Cum exiret ad prædicandum, cum peditibus pedes & ipse ibat, Episcopus & Legatus.*

His exemplis saltem admiratione, & ipsa audiendi ac recolendi delectatione honor habetur. Operæ pretium est, ut & imitatione. At contrà Bernardus mox Episcopis sui ævi succenset iis, qui non tantùm non inhærebant vestigiis Beati Malachiæ, quem nec Beatus Antonius Florentiæ, aut Laurentius Justinianus Venetiarum Archiepiscopi nisi longo ex intervallo sequebantur: sed qui diversam planè semitam terebant ut in adversam partem contendere viderentur. *Illi aut non Evangelizantes manducant, aut evangelizant ut manducent; Malachias imitans Paulum manducat, ut evangelizet. Illi fastum & quæstum æstimant pietatem, Malachias hæreditate vendicat sibi opus & onus. Illi felices se putant, si dilataverint terminos suos, Malachias in dilatanda charitate gloriatur. Illi congregant in horrea & dolea replent, unde onerent mensas: Malachias colligit in deserta & solitudines, unde impleat cœlos. Illi cum accipiant decimas, & primitias, & oblationes, insuper & de Cæsaris beneficio telonia, & tributa & alios reditus infinitos; solliciti sunt nihilominus quid manducent & quid bibant; Malachias nihil horum habens, multos tamen locupletat de promptuario fidei. Illi à pauperibus exigunt, quod dent divitibus, iste sollicitus divites pro pauperibus sustentandis. Illi marsupia vacuant subditorum, iste, pro peccatis rerum altaria cumulat votis. Illi alta Palatia erigunt, turresque mœnia ad cœlos levant, Malachias non habens ubi caput reclinet, opus facit Evangelista. Illi equos ascendunt cum turba hominum, gratis manducantium panem, & non suum; Malachias septus sanctorum fratrum collegio, pedes circumit, panes portans Angelorum, quibus satiet animas esurientes. O virum Apostolicum!*

Eæ sunt artes mirabiles providentiæ amantissimæ & omnipotentissimæ Dei, ut ruentibus in præceps moribus objiciat virtutes pene inaccessas aliorum, & difficillimè imitabiles, quò cæteris vel incutiatur pudor, vel addatur animus, calcaria subjiciantur. Non eos mordet Bernardus, qui non assequuntur elimatissimam illam formam virtutis absolutissimæ, sed qui adversis vestigiis ab ea recedunt; qui nec Episcopatus capessunt, nec Ecclesiasticas dignitates ullas, nisi lenocinante opum & honorum spe; qui sine fine, sine modo ulteriora semper captant incrementa; qui solicitè anxièque coacervant, non quibus necessitates naturæ sedentur sed quò titillatæ cupiditates magis magisque exardescant. Quibus decimæ oblationes, feuda, dominia suæ Ecclesiæ, pabula sunt, & irritamenta avaritiæ non pauperum solatia, non refrigeria charitatis. Qui denique ædes extruunt sumptuosas, & ingentem alunt servorum comitatum de patrimonio pauperum, quo pauperes ipsi fraudati passim intereunt.

XIII. Quod de Beato Malachia dixi, ad Beatum Carolum Mediolanensem Archiepiscopum trahi potest. Miraculo penè potiùs ille fuit, quàm exemplo, virtutum Episcopalium splendore incredibili. Illum Deus orbi Christiano ostendit, lumen micantissimum excutiendo veterno complurium Prælatorum, ut vel tanto lumine cumulatissimæ perfectionis sacerdotalis à diuturno utcumque somno excitarentur. Refert Giossanus, adolescentulum adhuc à parente suo obtinuisse administrationem Abbatiæ suæ, quò juxta canonicas institutiones ejus expenderet proventus, tanquam portionis *Patrimonii Christi, cujus depositum sibi creditum esset?* nec sineret sacros hos proventus profanari, si cæteris hæreditariis bonis permiscerentur. Cum Archiepiscopus jam esset Mediolanensis, & eum Pius IV. Pontifex Romæ remoraretur, *incredibili largitate in pauperes erogabat, tum Romæ, tum locis aliis, proventus suos Ecclesiasticos potissimum Mediolani, pauperibus levandis, & Ecclesia ejus explendis necessitatibus, ut nihil eorum redituum ad illum Romam perferretur. Sericas abjecit vestes; & quidquid fastum aut pompam sapiebat. Nobiles suæ familiæ omnes, laicosque dimisit, Clericis tantum retentis, præter pauculos laicos, qui ad viliora quædam ablegabantur obsequia, quibus nolebat ille Clericos sordescere. Giossan. l.2. c.2. 10.* Ubi Mediolanum profectus est, nihil ornamentorum in palatium passus est inferri, nihil aureæ, nihil argenteæ supellectilis, sed testaceæ, nempe Faventinæ, à quo non abhorrebat mensæ ejus frugalitas. *Neminem familiæ suæ cooptari patiebatur, quin Clericatum profiteretur, &c. Ut familia summi Pontifices ejus semper retinentissima fuit moris antiquissimi, laudatissimique, ut omnes prorsus vel Clerici sint, vel in veste saltem Clericali. L.2. c.3.* Instrumentum domesticum quod Romæ habuerat opulentissimum, id Mediolanum comportari fecit, ubi & parte ejus aliqua Ecclesiam suam donavit Metropolitanam,

reli-

reliquam diſtrahi fecit, pauperibus impartiendam. *In Concilio Provinciali Mediolanenſi conſtitui fecit, ut Epiſcopi omnes Concilio Provinciæ rationes referrent expenſorum Eccleſiæ ſuæ fructuum ac redituum, cui mandato primus omnium ipſe obtemperavit. In eam rem in unoquoque Concilio delegabantur duo Cleri authoritatis & experientia ſpectatiſſima, ut inquirerent in adminiſtrationem Diœceſeon totius Provinciæ, qui & de eo referrent ad Congregationem Epiſcoporum. Quæ certè ex inſtitutione nemo facilè dixerit quantum emolumenti in Provinciam redundarit, tam ex incredibili in pauperes largitionum copia, &c. L.1. c.28.*

Cum illum aliò properantem Senenſis Epiſcopus epulo excepiſſet ſplendidiſſimo, non potuit Carolus non dolorem prodere ſuum, menſa exiliit ante finem ut itineri ſe daret, quanquam parum propitio cœlo nec enim velle ſe dixit altero ejuſmodi epulo cauſam dare, tanto pauperum damno. *Pauperibus enim neceſſe eſt Epiſcopos reſidua omnia dilargiri, ubi ſuis ipſi neceſſitatibus conſuluere. L.7. c.1.* Quod ad veſtes ſuperiores attinet à decoro non recedebat, at interiorum quidquid erat veſtium, viliſſimum id omne erat. Priores enim illas donabat Cardinalatui, *quo ſepoſito nihil ſe à mendicis diſcrepare volebat. L.8. c.16.* Non ſine convitio repudiavit mendicus veſtem, quam nuperrimè Carolus exuerat. Nihil aulæorum, nihil tabularum exquiſitiorum in Palatio ſuo admiſit, tum Mediolani, tum Romæ, *cum magnopere illum delectarent nudi & albeates parietes.* Gentilitia ſuæ ſtirpis ſtemmata abradi, vel aſportari fecit, iiſque ſubrogari imagines Virginis Deiparæ, & Beati Ambroſii. *Vaſis ſacris, quibus donabat Eccleſias, vel qui ſuis ipſius uſibus parabatur, vetuit inculpi ſui ſuæve gentis ullam memoriam; cujuſmodi ſicubi deprehenderet, protinus ſummovebat; decreto Synodali edito, quo & aliis id prohibebatur, ut quod indecorum videretur, vaniſſimamque ſpiraret ſui oſtentationem, ac ſuperbiam: ut ei uſui ſerviiſſe non ſere poſſint, niſi quibus obtuſa ſit mentis acies.* In urbe Mediolani pedes ſemper ingrediebatur, etiam pluvio, aut minus commodo tempore, nec comitatum ſibi hærere ſinebat. Proventuum omnium rationes diligentiſſimè ſibi fieri jubebat, *cum eos tripartito diviſiſſet, ut prima pars familiæ cederet, & ſecunda pauperibus & hoſpitibus impenderetur, tertia Eccleſiæ ſtructuris & ornamentis. Omnium verò deſcriptionem & cenſum fieri volebat, ut in Conciliis Provincialibus rationes faceret Coepiſcopis tanquam rerum non ſuarum, ſed quarum ſibi Deus adminiſtrationem commendaſſet. L.8. c.23.*

Cum Oecooomos augendæ rei Epiſcopatûs cupidior eſſet, iis etiam contractibus, qui quamvis liciti eſſent, minus tamen omnibus probarentur: illum Carolus tanta verborum acerbitate caſtigavit, ut animi mœrore contabeſcens, non multò poſt vita abierit. *Ubi de temporali re quapiam ſua controverſia fiebat, jacturam facere, quam litigare malebat. Cum propè eſſet, ut Rota ſecundùm illum pronunciaret in cauſa Abbatiæ, cujus annui reditus erant duodecim millium Philippæorum, jure omni ſuo ceſſit Cardinali, quocumque litigabatur. Vetabat omnino, ne ingens unquam pecuniæ copia in arca ſervaretur; id enim Epiſcopo dedecori eſſe; ut qui in ære alieno eſſe potius debeat, quam pecunias ultra modum congerere. L.8. c.25.* Cum Oriæ principatus ex ejus patrimonio avito diſtractus fuiſſet quadraginta millibus Philippæorum, ne pecuniam quidem illam tantam ſibi repræſentari voluit, niſi eo temporis puncto, quo id neceſſe erat, ne aliàs irritus foret contractus, & totam protinus juſſit aſportari eam ſummam, atque in pauperes erogari. Cui mandata erat cura ejus diſtributionis, quadraginta duorum millium diſtributionem faciendam inopinus deſcripſit. Quo errore ad Carolum relato, voluit ille duo illa millia additítia accumulari ex fundo quopiam alio. *L.8. c.27. 28.*

Cum in hortis verſaretur Epiſcopi Viglebanenſis, ſubmonuit illum neſcio quis, ejuſmodi hortos ei inſtruendos eſſe. Ille excepit. *Sacra Biblia hortos eſſe Epiſcopi* longe pulcherrimos. Cum juxta Viterbium in ſplendidiſſimo verſaretur Palatio Cardinalis Gambaræ, non potuit ſibi imperare, quin eum moneret, *Multò conſultius factûrum fuiſſe, ſi quod Monialium Cœnobium extruxiſſet ea pecunia, quæ in id Palatium fuerat abſumpta. Vigevano.* Per literas & deſtinato nuntio interpellatus ab Epiſcopo quopiam, ut Abbatiam vacantem Epiſcopatui ſuo valde tenui uniri exoraret à Summo Pontifice: reſcripſit illi Carolus anteceſſorum ejus aliquos fuiſſe, qui ſanctitate claruiſſent, cum nihilo pinguiores reditus obtinuiſſent; id in votis potiſſimum fuiſſe B. Auguſtino, ut eximeret ſibi Deus ejiceretque animo concupiſcentiam divitiarum, ut ſaluti animæ inimiciſſimam illam Abbatiam fundatam fuiſſe ad utilitates quaſpiam alias, quas nefas eſſet intercipi denique ſatius fuiſſe, ut ſexaginta Philippæos, quibus nuntium muneratus fuerat, pauperibus erogaret.

Divendito veteri inſtromento domeſtico, & triginta millibus Philippæorum inde collectis, hæc ſtatim in pauperes effudit. Effudit & ſimiliter viginti illa millia, quæ ſibi à fratris conjuge legata fuerant. Cum in annuis proventibus ſuis computaſſet antea octoginta, vel centum Philippæorum millia, ex Beneficiis, Penſionibus, Legationibus, ſeu Provinciarum Præfecturis, & ex Patrimonio, omnia ea abjecit, præter viginti millia, quæ retinuit; eumque admonerent aliqui potuiſſe ea omnia retineri, & in pios uſus conferri, eo potiſſimum tempore, quo peſtilentia Mediolanum populante ſexaginta, aut ſeptuaginta pauperum millia aleoda ei erant; Reſponſum ab eo eſt, *Non fore ut unquam ſe pœniteret tantum humeris ſuis excuſſiſſe onus; arduum enim eſſe quid, & periculi plenum, Chriſti patrimonii adminiſtrationem, cujus expenſi rationes ſummo & auſteriſſimo judici reddenda ſint.* Addebat porrò *contentum eſſe debere Epiſcopum titulo ſuæ Eccleſiæ cui ut ſponſæ dicare ſe & adglutinare deberet.* Ea denique fuit ejus in pauperes charitas, *ut ad ſummas ſeſe ipſe anguſtias compegerit, victu & veſtitu contentus viliſſimo, pane & aqua victitans, ſtramina cubans culcitra, veſte quali pauperes teguntur, tum ipſius amore paupertatis, tum ut largius pauperibus erogaret.* Extremis teſtamenti ſui tabulis hæredes ſcripſit pauperes Majoris Xenodochii Mediolanenſis.

His & exemplis & regulis ſanctiſſimis frugalitatis, modeſtiæ, pœnitentiæ, & amore caſtiſſimo obſervatæ Evangelicæ paupertatis, videre mihi videor Lectores mirum in modum ſtupefactos. Sed non minore illi, reor, adminiſtratione percellerentur, ſi hic ego enarrare adgrederer, quantum auri; argentique effuderit Carolus in conſtruendis, dotandis, decorandis Eccleſiis, Collegiis Xenodochiis, Monaſteriis, Seminariis, & ſexcentis aliis illuſtrioribus monumentis monificentiæ ejus, & uſus ſanctiſſimi tum Eccleſiaſticorum proventuum, tum patrimonii ipſius ſui. Pervolutandus eſt Gioſſani luculentiſſimus de Caroli vita Commentarius, ut videas, & ſtupeas Archiepiſcopum nobilitate, dignitate, fide, gratia & authoritate longè præcellentiſſimum, qui omnia pene ſibi negaret ipſi, quò profunderet in egenos: qui hinc ſibi gloriam hinc gaudium hinc opes cumulatiſſimas affluere ſentiret, geſtiretque, ſi pauperem, ſi frugalem, ſi modeſtiſſimam vitam ageret, percimoniæque ſuæ fructibus innumerabiles Eccleſias, pauperesque foveret. *L.8. c.25.*

XIV. In ipsis Episcopatus sui primordiis Ximenius Archiepiscopus Toletanus, omnia prorsus repudiavit majoris pretii instrumenta aulæa, supellectilia aurea, & argentea; pedibus ingressus est, vel asino vectus; proventuum Ecclesiasticorum dimidiam partem pauperibus impertivit, insigna palam circumgestavit paupertatis suæ prioris in Franciscani Ordinis professione: donec his modum ponere compulere illum & literæ Alexandri VI. Papę & gravissimæ expensæ belli Granatensis adversus Mauros, denique Præfecturæ & Administrationes publicæ, quarum ei sarcina ingesta est, & in quibus necesse fuit nonnullo etiam exterioris pompæ præsidio claudicaturam aliàs authoritatem suam tueri. *Gomec. l.5.* Nec tamen cum ei necessitati servire cogeretur, abstinere potuit ab edendis nonnunquam illustribus quibusdam documentis suæ in pauperes & in paupertatem ipsam proclivitatis. Cum annulum Mercator Indus adamante pulcherrimo, & quinque millium nummorum obtulisset; respondit Ximenius, Multò consultius fore eo pretio levare & solari quinque millia militum ægrorum, distributis in singulos totidem Philippæis. *L.2.* Non omnem à mensa & domo sua magnificentiam ablegandam sibi duxerat, quod ita expedire videretur, ut honos & reverentia constaret integra & illibata publicis Regiisque Præfecturis, quibus vestitus erat. At interiores ejus vestes, lectus & instrumentum privatum idem prorsus erat, atque cum Franciscanis adhuc Cœnobiis abditus ageret. *L.7.* Ita vir incomparabilis ea conjugavit, quæ nulla ratione posse sociari videbantur. *Qui personam publicam sustinent, uti non possunt plebejo vestitu & apparatu. Nam purpuræ splendore & suppellectilis lauta copia majestas quædam conciliatur, qua homines in officio continentur. Sed Ximenius quamvis istis in usum, quem diximus uteretur, interiores vestes, & lecti, quo indormiebat stragula semper ex præscripto instituti Franciscani habuit. Vita itaque tristioris perpetuò cultor, & rusticitati, quàm deliciis propior semper fuit. Hisp. Illus. Tom.1. pag.942. 949. 975. 1137.*

XV. Evolvenda sunt jam nobis postremæ hujus ætatis Concilia, an & ipsa his exemplis consentiant. Diximus jam à Concilio Tridentino renovatos, & pristino vigori suo redintegratos fuisse Canones antiquos omnes Conciliorum, renovata & Decreta Pontificum, de extirpandis funditus superfluis omnibus in veste, supellectili, mensa Beneficiariorum. En ipsa Concilii verba: *Statuit Sancta Synodus, ut quæ aliàs à summis Pontificibus & sacris Conciliis de Clericorum vita, & honestate, cultu doctrinaque retinenda; ac simul de luxu, comessationibus, necnon sæcularibus negotiis fugiendis, copiosè ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis vel majoribus Ordinarii arbitrio imponendis observentur. Sess.22. c.1.*

Specialiter verò prisca authoritas restituta est Canonum Concilii Carthaginensis IV. quibus honesta frugalitas indicitur mensæ, supellectili, instrumento domestico, ut in se ipsis exhibeant Antistites formam velut quandam eximiam normamque mediocritatis, abstinentiæque, quam Diœceseos Clerici omnes consectentur. *In primis ita mores suos omnes componant, ut ab eis reliqui frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac quæ nos tantopere commendat Deo, sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi non solùm jubet ut Episcopi modesta supellectili & mensa ac frugali victu contenti sint; verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota domo caveant, ne quid appareat quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat. Sess.25. c.1.* His porrò Tridentinis Decretis non Episcopi constringuntur soli, sed Clerici prorsus omnes, adeoque & Cardinales ipsi. *Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solùm quibuscumque Beneficia Ecclesiastica tam Regularia, quàm Sæcularia obtinentibus pro gradûs sui conditione observari, sed & ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit.*

XVI. In Concilio I. Mediolanensi prohibitæ sunt Episcopi sericæ vestes, panni pretiosiores, quidquid aromatis & pulveris est odorati unguentique, calcaria & fræna auro oblita, Ephippia qualiacumque, nisi ex corio, vel lana. *In vestitu sericum non adhibeat, non pretiosis pellibus utatur, unguenta ne sumat, neve alias odorum suavitates consectetur. Sit annulo Episcopali contentus. Ne mula, aut equo Episcopali stragulum, & ornamentum ex vellito, aut serico, sed ex corio factum aut lana adhibebit. Ephippiis aut calcaribus aut frænis inauratis non utetur. Cap.17. 18. 19. 20.* Aurea rursus ibidem proscripta est, & argentea supellex, præter cochlearia. Serica, aulæa, elegantiæ tabellarum, picturæ & operis cujuscumque pretiosioris, similiter ablegatæ sunt. Duas tantum cameras aulæis vestiri indultum est, alteram infirmis, alteram visitationibus excipiendis. *In ejus supellectili nihil aureum, nihil argenteum sit, præter levissima ac tenuissima quædam instrumenta, ad cibum ori admovendum comparata. Nihil auro argentove ornatum, nihil sericum, aut serico distinctum, non colorum varietas, non aulæa, aut tapetia, nihil acu pictum, nihil variè textum, nihil studiosius elaboratum. Denique non pluris sit artificium, aut manupretium, quàm rei necessitas postulet. In ædibus duo tantùm loca vestiri possint, quæ attributa sint Episcopo, alter ejus valetudinis causa, alter eorum gratia, qui ad Episcopum conveniunt.* Procul amandandum est ex hoc Concilio, quidquid est superfluæ pompæ & exquisitioris elegantiæ in equis, ædibus, picturis: *Equos ne alat nisi necessarios, domesticam omnem luxuriam, in ædificiis extruendis magnificentiam, picturas, inania ornamenta ac delicias excludat.* Lector mensę adhibendus, & ea colenda parcimonia est, ut rarò, & propter hospites tantùm tertium ferculum adjiciatur. Proscribenda omninò vina exquisitiora, bellaria, & id genus alia gulæ irritamenta. *Ut aliquid consuetudini & hospitum stomacho indulgeamus, tertium ad summum simplicis obsonii ferculum tantùm apponi liceat, etiam quorumvis hospitum causa. Bellaria, placentæ, omniaque saccaro artificiosè condita cæteraque escarum lenocinia, exquisita etiam vinorum genera prohibentur.* Numerus familiarium & servorum pro modo necessitatis Prę latis, ut utilitatis Ecclesiæ diffiniendus est. Eos porrò quantum fas erit, Clericos esse optatissimum fuerit; non auri, non argenti, non serici ornatu qualicumque illis concesso: *Familiæ numerus is tantummodo sit, quo simul & Ecclesiæ utilitati, & Episcopi necessitati consulatur. Eum autem vehementer hortatur, ut in familia quamplurimos possit, habeat Clericos, qui nonnisi Clericali vestitu utantur; sericum, aurum, & argentum colorumque varietatem omnino excludentes.*

In Concilio IV. Mediolanensi anno 1576. placuit hortari Beneficiarios & Parochos etiam tenuiores, ut decerpant aliquid necessarii etiam cultus sui, quod Ecclesiarum decorationi, & alimentis pauperum largiantur. *Exemplo sanctorum vos paupertate, sobrietate ac parcimonia ita agite, ut non modò à supervacaneorum rerum usibus abstinentes, sed vestro etiam defraudantes victu, Ecclesias vestras & altaria exornetis, sarta tecta habeatis, sacra supellectili instruatis; alienis item necessitatibus subveniatis, & pauperibus opitulemini. Cap.7.* At divites Beneficiarii jussi sunt sumptibus parcere domesticis, ut quod sibi detraxerint, Ecclesiis confe-

rant decorandis, & levandis egenis: cum ita statuat Ambrosius, ea voluotate ditatas fuisse à fidelibus Ecclesias, quò pauperes alerentur: ideoque præcepto charitatis injuriam fieri, si quo necessario subsidio pauperes frustrentur. *Qui verò uberiores Esslesiastisos reditus habetis, Ecclesias magnificentius exornate, Christi visceribus substautiam Ecclesiasticam erogote, pauperibus scilicet, peregrinis, viduis, pupillis, agrotis, in vincula sonjectis, captivis, quibus egentibus & esurientibus, sum subvenire possitis, si alimenta nessesaria denegatis, violata charitatis rei estis in conspectu Domini. Memento eius quod à Sanctissimo Patre Ambrosio scriptum est, sua fideles eo animo obtulisse Ecclesia ministris, ut per eorum manus, quorum fidei atque integritati summa omaia tribuebaut, ad pauperes pervenirent.*

XVII. Concilium Toletanum anno 1565. ornamentis quibuslibet aureis Episcopos interdixit, nisi ad Altaris cultum; damnavit & epulas opiparas; quòd illustretur Episcopatus splendore & puritate virtutum, non sæculari sumptu & pompa. *Episcoporum siquidem authoritas aon his delitiis, vanisque splsudidioribus, sed fide ac vita meritis quarenda est.* Can. 3. 23. Fercula ipsa mensæ hoc Concilio oræfinita sunt, jussique Beoeficiarii omnes, ut iisdem Episcopalis abstinentiæ legibus morem gererent. Concilium Burdigalense anno 1583. promulgavit rursum, *Cap.* 16., decreta omnia Tridentina, quibus configitur luxus Episcoporum mensę, supellectilis & comitatûs. Anno 1585. placuit pręterea Concilio Aquensi confirmari & publicari Decreta omnia superiùs laudata Concilii I. Mediolanensis.

XVIII. Finem faciemus huic capiti, addita ad calcem doctrina præstantissimi Cardinalis pręstantissimi & Archiepiscopi, superlectitandis ad mensam Sanctorum vitis, gestisque. Cum Archiepiscopus Rotomagensis à Bellarmino Cardinali & Archiepiscopo Capuano flagitasset compendiariam quandam institutionem de virtutibus & officiis Episcoporum: eam illi proposuit Bellarminus, quàm ipsemet proposuerat sibi formam toto illo triennio quo Archiepiscopatum administraverat Capuanum. Caput erat lectio jugis & commentatio Vitarum earum Sanctissimorum olim Episcoporum, quas Surius compilavit, Sanctorum Ambrosii, Martini, Augustini, Germani Altisiodorensis, Antonini Florentini, Laurentii Justiniani Patriarchæ Venetiarum. De manibus nunquam deponebat Bellarminus vitarum ejusmodi libros, ex his mensæ suæ longè plurima & suavissima condimenta aspergebat. *Sanctorum Episcoporum vitas semper pra manibus habebam, & perpetuò in mensa men erat aliquod Surii volumen apertum, ut ordine percurrerem vitas Sanctorum Episcoporum, Ambrosii, &c.*

De nefario & perverso usu rerum Ecclesiæ, proventuumque sacrorum.

CAPUT XLII. *P.* 2. *l.* 4. *c.* 10.

De usu illicito & nefando proventuum Ecclesiasticorum. De venatione, Choreis, Comœdiis, sæculo Ecclesiæ VI. VII. & VIII.

I. II. III. Conciliis venatione Clericos omnes interdixerunt.

IV. Clericos prorsus omnes omni n rcent venatione & aucupio.

V. Ne publisis quidem venationibus adesse fas erat.

VI. VII. VIII. IX. Omni Chorearum genere summoventur Clersci à Patribus & Concilsis & Patribus.

X. Non eo tantùm, cui fuligo quadam adhuc idololatria oblata erat.

XI. De Choreis ingenuorum impuberum, dum literariis ludis vacant.

XII. XIII. Clericis & Monachis venatio speciàliùs prohibetur.

XIV. Sancti Patres in venationes destomachautur.

XV. Spectaculorum publicorum aditus intercluditur Clerisis & Monachis. Sanctissimus Episcopus Thomas sapieatissima dispeusatione illis semper interfuit.

XVI. Tarasii Patriarcha mirabiles praceptiones, quàm alieni debeant esse Clerici à saculi cupiditatibus & voluptatibus omnibus.

XVII. Spectacula publica paulatim auferunt Christiani Imperatores, iisque Clerici per Leges & Canones semper abiguntur.

XVIII. XIX. XX. Contiauata series Conciliorum & Patrum, qui Clericos summoveri jubent à spectaculis, choreis, epulis, voluptatibus publicis.

I. Cum hactenus copiosè persecuti simus, quos in usus religiosos proventus sacri Beneficiorum funderentur, jam operæ pretium est de usu eorum perverso dici in venationes & spectacula, in ludos, in arma. Quod ad venationes attinet, vetiti sunt in Concilio Agathensi Episcopi, Presbyteri & Diaconi canes alere, aut aves, intentata contumacibus suspensione, aut etiam depositione. *Episcopis Presbyteris, Diaconibus, canes ad venandum, aut accipitres habere non liceat. Quod si quis talium personarum in hoc voluntate detectus fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus se à communione suspendat, Presbyter duobus mensibus se abstineat, Diaconus verò ab omni officio vel communione cessabit.* Can. 55. Quem totidem verbis Canonem Concilium Epaonense firmavit. *Can.* 4.

II. Suam venandi insanam cupiditatem eo colore fucabant & obumbrabant quidam Episcopi, quòd fida caoum custodia egerent ædes suæ. At contrà Concilium Matisconense II. ingerebat, Episcopales ædes omnibus patere debere jure & officio hospitalitatis, nec canibus objiciendos hospites; unam esse tutissimam & consentaneam ædium Episcopalium custodiam, orationem & psalmodiam, cui cum canibus & avibus omnino non convenit. *Volumus, quod Episcopalis domus, qua ad hoc Deo favente instituta est, ut sine personarum acceptione omnes in hospitalitate recipiat, Canones non habeat, ne forte qui in ea miseriarum suarum levamen habere confidunt, dum infestorum canum morsibus laniantur, detrimentum versa vice suorum sustineant corporum. Custodienda est igitur Episcopalis habitatio hymnis, non latratibus, operibus bonis, non morsibus venenosis. Ubi igitur Dei est assiduitas cantilena, monstrum est & dedecoris nota, canes ibi, vel accipitres habitare.* Can. 13.

III. Percontatus est B. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus Zachariam Pontificem, quo sibi modo versandum esset cum Episcopis, venationi & bello deditis. *Sunt tamen ebriosi, & injurosi, vel venatores, & qui pugnant in exercitu armati, & effundunt propria manu sanguinem hominum.* Epist. 1. Hinc probabile est Bonifacium hujus authoritate Pontificis venationes explosisse, in Concilio quod coegit: *Venationes & sylvaticas vagationes cum canibus, & ne accipitres & falcones habeant, prohibemus.* Epist. 105. Quæ eadem prohibitio totidem ver-

verbis iterata legitor in Concilio Liptineosi, cui Bonifacius prçfuit: quin & latiùs manat; *Omnibus servis Dei. Can.1.* Quo Clerici, Monachique circumscribuntur. In Concilio Suessionensi Clerici universim bis arcentur voluptatibus. *Et omnes Clerici fornicationem non faciant, nec habitum laicorum portent, nec apud canes venationes faciant, nec accipitres portent. Can.3.*

IV. Certè his Canooibus frequentissimè prohibetur venatio tumultuosa & clamosa, ad quam canes avesque adhibentur, ut quç frequentior sit & alienior à modestia & professione Cleri. Sed inficiari oemo potest, quin absolutè venationes probibeantur. *Sunt venatores, &c. Probibuimus venationes, &c.* Nusquam intermittenda illa ex Pauli Apostoli dictatis oratio, qua Clericos occupatissimos esse decet, cuicumque omnino repugnat venationi.

V. Concilio Trullano prohibiti sunt non modò Clerici, sed Laici ipsi conspectu ipso venationum publicarum, quæ in Amphiteatris edebantur. Prohibuit & omnia hæc Synodus spectacula publica, Comœdias, Choreas, aliàs exauthorandis Clericis; Laicis à communione semovendis. *Omnino probibet hac sancta & universalis Synodus eos qui dicuntur, mimos & eorum spectacula: deinde venationum quoque spectationes, atque in scena saltationes fieri. Si quis autem præsentem Canonem contempserit, & se alicui eorum, quæ sunt vetita, dederit, si sit quidem Clericus, deponatur; si verò laicus segregetur. Can.51.* Enormitas pœnæ sceleris enormitatem prodit. Denique si vel conspectu ipso arcentur Clerici publicarum venationum, quin ipsimet à venatu funditus arceantur?

VI. Quoad Choreas, eas sive publicè, sive privatim sustulit hoc Concilium. *Sed & publicas mulierum saltationes, multam noxam exitiumque afferentes, tolli volumus: quin etiam eas, quæ nomine eorum, qui falsò apud Gentiles dii nominati sunt, vel nomine virorum ac mulierum fiant, saltationes ac mysteria more antiquo & à vita Christianorum alieno, amandamus & expellimus. Si sint Clerici, deponi jubemus; si verò laici, segregari. Can.62.*

Unde patet ea pœna Clericos implicari, quod & ipsi ei se flagitio innecterent quandoque. Denique profanam & superstitiosam damnat, abolerique jubet hæc Synodus consuetudinem, in Noviluniis accendendi per vicos ignes, & transiliendi. *Qui in Noviluniis à quibusdam ante suas officinas & domus accendantur rogos, supra quos etiam antiqua consuetudine salire ineptè ac desilire solent, jubemus deinceps cessare. Can.65.*

VII. Qui has intemperantiùs amabant choreas, eas illi obumbrare & dissimulare voluerunt fuco pietatis, dicandis iis in Sanctorum venerationem, & celebrandis profanis his saltationibus ad fores Ecclesiarum, à quarum illæ legibus & Sanctimonia sunt proculdubio alienissimæ. Unde & ad eas eliminandas authoritatem Regiam interponendam sibi duxit Concilium III. Toletanum. *Can.23. Exterminanda est omnino irreligiosa consuetudo, quam vulgò per sanctorum solemnitates agere consuevit; ut populi, qui debent officia divina attendere, saltationibus & turpibus invigilent canticis, non solùm sibi nocentes, sed & religiosorum officiis perstrepentes. Hoc enim ut ab omni Hispania depellatur, Sacerdotum ac Judicum à Concilio sancto curæ committatur.* Constitutionis Regiæ hæc sunt verba: *Quod balimantia & turpes cantici probibendi sunt à Sanctorum solemnitatibus.*

VIII. Jam inde ab Augustini ætate proscriptæ fuerant hæ saltationes. *Isti infelices & miseri homines, qui balationes & saltationes ante ipsas Basilicas Sanctorum exercere non metuunt, nec erubescunt, Christiani ad Ecclesiam veniunt, Pagani de Ecclesia revertuntur. Quia ista balandi consuetudo de Paganorum observatione remansit. De Tempore Serm.215.* Nec me fallit Augustini non esse hunc Sermonem. Ideo ejus certissimo hoc testimonio easdem insanias validissimè configemus. *Notum est omnibus, nugaces & turpes saltationes ab Episcopis solere compesci.* Sic ille contra Parmenianum. *L.3. c.ult.* Episcopos addit malle addici se igni à persecutoribus, quàm ad has cogi saltationes.

IX. Videtur porro Augustinus alludere ad Canonem Concilii Africani, quo vetaotur saltationes utpote quæ famulentur liceotiæ & impudicitiæ, quanquam fucus illis quidam obducatur colendorum festis diebus Sanctorum. *Quibus diebus etiam quod pudoris est dicere, saltationes sceleratissimas per vicos atque plateas exerceant, ut Matronalis honor, & innumerabilium fœminarum pudor devotè venientium ad sacratissimum diem, injuriis lascivientibus appetatur, ut etiam ipsius sanctæ Religionis pene fugiatur accessus. Cod. Can. Eccl. Afric. Can.60.*

X. Nec reliquias tantùm idololatriæ sordes, quæ his inhæserant voluptatibus publicis, & saltationibus; sed ipsam insectabantur licentiam, libidinem, impudicitiam execrabantur Sancti Patres, ab illis avelli difficillimam. Ita perspicuè Augustinus: *Notum est omnibus nugaces & turpes saltationes solere ab Episcopis compesci.* Explosæ sunt in Conciliis & saltationes eæ, quæ ad Ecclesiæ valvas fiebant in venerationem Sanctorum. Exponens Ambrosius hæc Evangelii verba, *Cantavimus vobis, & non saltastis*, docet non à oobis desiderari modulatas corporis jactationes, cum ne juvenes quidem satis addeceat saltatio, incendendis potiùs cupiditatibus accommodatissima; sed longè aliam esse virtutum choream, quam præmonstrabat mystica illa Davidis ante Arcam saltatio. *Cavendum, ne quis vulgari quadam sermonis hujus deceptus interpretatione, putet nobis saltationis lubrica histrionicos motus & scenæ deliramenta mandari, hæc etiam in adolescentula ætate vitiosa sunt. Sed saltationem eam mandavit, qua saltavit David ante Arcam Domini. Non ergo illa delitiarum comes atque luxuriæ saltatio prædicatur, &c. De Pœnit. L.2. c.6.*

XI. Nec otiosa forsan erit hçc excursio, si recurrat animo, quàm non pauci & Clerici & Regulares, non satis forsan perpensis his Ecclesiæ sanctissimis legibus, publicos etiamnunc ludos exhiberi curent, per ingenuos nobilesque adolesceotulos, quibus & choreæ & spectacula quædam iotertexontur. Et omnino mihi quidem persuasissimum, integram & illibatam constare inooxiæ huic juventuti suam & animi & corporis pudicitiam inter has oblectationes. Sed etsi oon excutitur, concutitur nonnunquam pudor & castimonia, & ultra ætatem gliscit nonnonquam nequitia. Denique quorsum artus intaminatos hactenus fingere, & frangere ad eos modos, motusque, quibus non eadem forsan inhærebit semper innocentia? *Si saltationes, balationes* toties à Sanctis Patribus & à Conciliis proscriptæ sunt: cur ad eas, ad earum saltem præludia duces erunt quodammodo, qui doces, qui magistri sunt ad pietatem? An satis ionoxia possunt esse noxiæ artis, & voluntatis tyrocinia qualiacumque?

XII. Ut ab hoc diverticulo in viam nos referamus, ad venationes iterum revocanda oratio est. Liber Pœnitentialis Gregorii Papæ III. Clericis, qui venationem exercuerint, annum unum pœnitentiæ indicit, Diaconis biennium, triennium Presbyteris. *Siquis Clericus venationes exercuerit, unum annum pœniteat, Diaconus duos, Presbyter tres.* A'B. Bonifacio Summi Pontificis Legato gradu ex-

trusus est Servillion Episcopus Moguntinus, Synodico judicio, quòd bello cæcidisset, & venatus esset. Ita author vitæ Bonifacii.

XIII. Regula B. Ferreoli ad Monachos suos, illius nempe Uceticensis (Uzés.) Episcopi, venationes & aucupia prohibet, ut sæcularem prorsus oblectationem, qua anima extra seipsam spargitur, & evagatur, & dum prædam captat, præda ipsa fit. *Inter cæteras mnadi delectationes noverit sibi Monachus venationem exercere prohibitum, &c. cum ferre potiùs debeat, vitia pro bestiis esse mactanda, &c. bonum ergo vitasua cursum cursibus vanis perire judicet, &c. Ne postponent Monachum, ferarum & ipse captione capiatur; & sæcularibus desideriis irretitus, venator agrestium bestiarum, adversarii & ipse fiat venatio.* Cap.34. Hæc erat pernecessaria institutio Monachis, qui ferè sylvas incolebant, & quorum labores, rusticasque operas feræ plerumque depopulabantur. Non vetat Ferreolus, quin in eas immittant canes, à quibus abigantur, non ut capiantur; quod qui semel sæculi voluptatibus renunciarunt, iis deliciæ omnes ab uno summo Deo sperandæ, & irrigandæ sint. *Sed soli Deo vacandum congaudeat, quem expetit.* Perspicuum est harum rationum paria esse momenta adversùs Clericos.

XIV. Ante Hieronymum adverterat Ambrosius, duos tantum in scripturis commemorari venatores, Nemrodum, & Esaii, qui ambo impiorum & reproborum personam circumferunt. *Denique nullum invenimus, in divinarum serie Scripturarum, de venatoribus justum.* *Amb. in Psal.*118. *Oct.*8. *D.*86. *n.* 15. De venatoribus publicis in Amphiteatro agit Augustinus, eum in illis ait ipsum placere & præmiis donari flagitium. *Qui venatoribus donant, quare donant? Hoc in illo amant, in quo nequissimus est.* *In Ps.* 102.

XV. Venationibus privatis non rarò ad publicas feræ subministrabantur, plerumque in Amphitheatro. Sanxere constantissimè Concilia, ut ne unquam Clerici spectaculis & voluptatibus his publicis præsto essent, sive equorum curruumque certaminibus in Circo, sive ludis scenicis in Theatro. Accipe verba ipsa Trullanæ Synodi. *Can.*24. 51. *Ne sui liceat eorum, qui in Sacerdotali ordine enumerantur, vel Monachorum, in equorum curriculis subsistere, vel scenicos ludos sustinere.* Et sanctissimus tamen & eruditissimus Thomas Apameæ Episcopus, ut Persarum Regis iram molliret, ejusque gratiæ suavius illaberetur, mira & ut spero laudatissima dispensatione cum ipso interfuit certamini equorum in Circo. Sic enim Evagrius: *L.*4. *c.*24. *Thomas vir non doctrina modo, sed rectè factis etiam facilè præstantissimus. Qui fortè aut eum Cosroe certamen equorum in Circo spectare, licet hoc Ecclesiæ Canon vetaret, neutiquam recusavit. Quod propterea ab eo factum est, ut omnibus modis Cosrois furorem molliret mitigaretque.*

XVI. Ingruente extrema ea necessitate demulcendæ iræ efferati tyranni & victoria ipsa sua insanientis, sapientissimus Præsul detrahendum censuit tum quidem aliquid de asperitate Canonum. At nullo ejusmodi necessitatis telo adactos Thomas non minus acerbè insectatus esset Clericos id genus voluptatibus indulgentes, quàm Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus, qui Clericos omnes absterruit effugavitque à spectaculis & curriculis equorum in Hippodromio, ut ad graviora se sanctioraque in Scripturis spectacula conferrent; abduxit & à Musicæ certaminibus auscultandis eos, qui aures vocesque suas sacris concentibus dedicassent; denique à deliciis omnibus sensibilibus publicè cum plebe aucupandis & degustandis avocavit, ut cœlesti suavitate veritatis & charitatis abundantius recreari se à Deo promererentur. *Multos itaque ex iis qui erant in sacris, qui equorum certaminibus mirandum in modum delectabantur, repressit, & ut se domi continerent, cum hæc fierent, sibique & divinis Scripturis attenderent, admonuit; & ut nullam turpem & ab honestate alienam auditionem omnino admitterent, Davidicis verò fidibus portam aperirent, & iis magis delectarentur, persuasit, &c. Omnem vero rerum suavium odoratum, qui mortem attrahit, admittere dehortabatur; eum verò, qui conservabat suaveolentiam Apostolicam, festinatim ad odorem unguentorum Christi maximè attrahere adhortabatur, &c. Tarasii vitu apud Surium die* 25. *Februar.* Hinc illud exsistit Clericos sui status perfectionis non incuriosos, eas demum sensuum voluptates delibare posse, quibus fraudare sese non possunt, nisi & naturæ necessitatibus servire abnuant. Aliàs enim illi, ut sese, ita & sensus suos omnes divinis canticis & deliciis consecrarunt. Sed & ipsas fidelium oblationes Deo semet & Christo consecratas, hoc est res omnes & proventus Ecclesiæ, in profanas delicias & superfluitates absumi piaculare est.

XVII. Gladiatorum ludos Constantinus & Constantius prohibuerunt, ut liquet ex legibus Codicis Theodosiani. Sed ea tandem cruentissima certamina funditus sustulit Honorius Imperator, postquam Telemachus Monachus à Gladiatoribus occisus est, quos in Romano Stadio certantes divellere & deterrere à pugna tentabat. *Theodoret. L.*5. *c.*26. Abolita sunt & exterminata à Theodosio Juniore hominum cum belluis certamina, uno hoc verbo, quod in Amphitheatro pronunciatum ab eo est, Exhorrescere se cruenta spectacula. Qua pollet vi & authoritate una pii Imperatoris vox. Aures hic adhibendæ Socrati. *L.*7. *c.*22. *Annon habetis cognitum, nos ita assuefactos esse, ut nulla crudelia spectacula contemplari possimus. Qua cum populus ex ejus ore audisset, de reliquo à crudelibus spectaculis abstinere didicit.* Vigebant adhuc Circenses & scenici Ludi. Cum Circenses priùs deperisset Valentinianus Junior, illos ipsemet postea ferè oblitteravit, ut in ejus Funere author est Ambrosius. *Ferebatur Valentinianus primo Circensibus delectari. Sic illud abstersit, ut ne solemnibus quidem principum natalibus, vel Imperialis honoris gratia Circenses putaret esse celebrandos.* Episcopos, Presbyteros & Diaconos ejecerat Justinianus ex omnibus spectaculis, quòd eorum sensus uni Deo dicari, & quo uno deliciari castissimè debeant. *Ut scilicet ipsis sensoria omnia instrumenta pura fiant; & consecrentur Deo.* *Cod. l.*1 *Tit.*4. *c.*34. Eo confirmabatur Canon Concilii Carthaginensis III. ubi præfati Patres non nesciri quàm alienos esse deceat fideles omnes à spectaculis, iis interdixerant Clericos & filios Clericorum. *Ut filii Episcoporum, vel Clericorum spectacula sæcularia non exhibeant, sed nec spectent, quandoquidem à spectaculo & omnes laici prohibeantur. Semper enim Christianis omnibus hoc interdictum est, ut ubi blasphemi sunt, non accedant.* *Can.*55.

In Concilio etiam Africano spectacula in genere damnata fuerunt, interpellatique Imperatores, ut ne unquam ea Festis & Dominicis diebus actitarentur: & ne ad ea fideles cogerentur, cum cogi quemquam nefas sit ad ea, quæ divinis Legibus adversantur. *Nec oportere etiam quenquam Christianorum ad hæc cogi spectacula, maximè quia in his exercendis, quæ contra præcepta Dei sunt, nulla persecutionis necessitas à quoquam adhibenda est.* *Can.*15. 61.

XVIII. Jamdiu ante Laodiceni Concilii Patres à nuptiis fidelium saltationes exploserant, fideles omnes absterruerant à spectaculis quibuscumque. *Quod non oportet Christianos ad nuptias euntes ballare vel saltare. Sed castè cœnare, vel prandere,* *sicut*

ficut competit Christianis, &c. Non oportet Sacerdotes aut Clericos quibuscumque spectaculis in scenis aut nuptiis interesse. Can.53. 54.

XIX. In Concilio denique Agathensi vetiti fuerant omnes Clerici, non nuptiarum tantum conviviis interesse, sed conventibus prorsus omnibus, ubi & cantatur & saltatur tam intemperanter & impudicè, ut his contaminentur oculi, sensusque alii, mysteriorum sanctimoniæ sacri. *Ubi amatoria cantantur, & turpia, aut obscœni motus corporum choris & saltibus efferuntur; ne auditus & obtutus sacris Mysteriis deputati, turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur.* Can.39. Verba eadem ipsa sunt Venetici Concilii. Can.11. paulò antè habiti in Armorica Provincia.

XX. Eadem omnino præceptione Clericos omnes imbuerat B. Isidorus Hispalensis Episcopus, ut à sæculi voluptatibus diligentissimè aufugerent, & ne mundi pompis aut spectaculis unquam interessent. *His lege Patrum cavetur, ut à vulgari vita seclusi, à mundi voluptatibus sese abstineant, nec spectaculis, nec pompis intersint, convivia publica fugiant, privata non tantum pudica, sed & sobria colant.* De Eccles. Offic. l.2. c.2. Cassiodorus ita stylum suum, linguamque Theodorico Regi commodavit, ut & ipse spectacula etiam dum ederet, detestaretur. *Spectaculum expellens gravissimos mores, evacuator honesti, &c. Hæc nos fovemus, necessitate populorum, &c. Expedit interdum desipere, ut possimus populi desiderata gaudia continere.* Baron. an.509.n.5. 523.n.1. 2.

CAPUT XLIII. *P.2. l.4. c.11.*

De ludis & voluptatibus parum consentaneis Clerico cuicumque, per eadem mediæ ætatis sæcula.

I. Leges Imperatoriæ, quibus summoventur Clerici venatione, saltationibus, spectaculis, aleis; imò ne ejusmodi ludorum spectatores, aut utcumque participes sint.

II. Varii Canones ad proscribendos ludos.

III. Exempla ad hoc ipsum.

IV. An aliqui innocui sint ludi, nec Monialibus prohibiti.

V. Discrimen ludorum damnabilium & tolerandorum.

I. UT saltationibus, venatu, spectaculisque sæcularibus interdictum est Clericis, ita & ludis. Canones, ut videtur, confirmat Justinianus, cum alea arcebat Clericos, immo & locis, ac conventibus iis quomodocumque præsentes esse, ubi his ludis aut spectaculis publicis vacatur. *Interdicimus sanctissimis Episcopis & Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, & Lectoribus, & omnibus aliis cujuslibet ordinis venerabilis collegii aut schematis constitutis ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes esse, aut inspectores fieri, aut ad quodlibet spectaculum, spectandi gratia venire. Si quis autem ex his in hoc deliquerit, jubemus hunc tribus annis, à venerabili ministerio prohiberi, & in Monasterium redigi.* Cod. l.1. De Episc. & Cle. L.17. Novel.123. c.10. Suspendi ad triennium, & in Monasterium detrudi ad pœnitentiam, ejusmodi pœnæ sunt, quibus in leves culpas non animadverteretur. Alia lege Justinianus executionem legis hujus Episcopis delegavit, data copia ut opem & tuitionem accerserent Præsidium Provinciæ. *Quæ de alea, sive ut vocant, cottis, ac de eorum prohibitione à nobis sancita sunt, ea liceat Deo amicissimis Episcopis, & perscrutari, & cohibere, si fiant, & flagitiosos per clarissimos Præsides Provinciarum, & Patres defensoresque civitatum ad modestiam reducere.* Cod. l.1. De Episc. audien. L.25. Illa autem in hanc rem potissima est Constitutio ejusdem Principis, qua vicem primùm dolet nonnullorum ex Presbyteris & Clericis, adeoque & ex Episcopis, qui sese his contaminabant ludis, quibus ne Laicos quidem illigari fas est, aut ad legis adversantis sibi ludibrium, ludentium spectatores & participes fiebant. *Præter communem rerum fidem, ex Presbyteris & Diaconis, nam eo amplius dicere erubescimus, nempe Episcopos, non verentur, alii quidem per se ipsos, tubos seu tesseras contractare, & adeo pudendum, atque ipsis etiam laicis à nobis interdictum spectaculum participari; & alii verò talem ludum non recusant, sed vel communicant facientibus, aut sedent peccatores, &c. Polluunt suas manus, & oculos, & aures, sic damnatis & prohibitis ludis.* Ibid. l.34. Vetat ergo Princeps ne his se prophanis ludis spectaculisque quicumque Clerici commaculent, itemque ne equorum certaminibus, ne scenicis ludis, aut venationibus ferarum, id ipsi cum profiteantur, & in se recipiant, avocare fideles omnes ab istiusmodi pompis & vanissimis oblectamentis. *Ipsi prædicant, ut abrenuntient adversarii dæmonis cultui, & omnibus pompis ejus, quarum non minima pars talia spectacula fiunt.* In Nomocanonem Joannis Antiocheni & Photii congestæ sunt Leges istæ omnes Imperatoriæ. *Tit.9. c.27.*

II. Trullanum Concilium excommunicatione innodavit Laicos, Clericos depositione, si qui ludis his prohibitis vacarent. *Nullum omnino sive Clericum, sive laicum ab hoc deinceps tempore, alea ludere. Si quis autem hoc deinceps facere deprehensus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur: si laicus segregetur.* Can.50. Ita renovabantur Apostolici Canones, Can. 42. 43., qui easdem intentaverant pœnas Clericis, Laicisque, eadem ludorum damnabilium voluptate detentis. Laicos solos his minis perculerant Patres Concilii Eliberitani, quòd in Clericos ne caderet quidem suspicio rei tam absurdæ. *Si quis fidelis alea, id est, tabula luserit, placuit eum abstinere; & si emendatus cessaverit, post annum poterit communione conciliari.* Can.78. Denique tanta invidiæ flamma in hos ludos ruperat, ut aleæ amatores impatientissimè ferrent Aleatores se dici, & aliud nescio quid nominis subrogarent, quo non eadem sibi inureretur infamia. Ita enim Ammianus Marcellinus de Romana nobilitate verba faciens: *Quidam ex his licet, rari, Aleatorum vocabulum declinant, ideoque se volunt appellari Tesserarios. Inter quos tantum differt, quantum inter fures & latrones.* L.28. c.1.

III. Supersunt in historicis Eusebii monumentis excerpta quædam ex elegantissimis olim Apollonii opusculis adversùs Montanistas, ubi vir summus convellit insanos antiquissimæ Ecclesiarum doctrinæ adversarios, qui perversissimè Prophetarum sibi nomen & gloriam sumebant, cum vitæ pravitate doctrinam ipsi suam infamarent, voluptatique, tesseris, & usuræ studerent. En ipsa Apollonii verba; *Dic mihi. Tingitne capillos Propheta? An stibio oculos linit, an studet ornari, an tabula ludit & tesseris, an pecuniam locat fœnori?* L.5. c.18.

Erat certè Synesio exploratissimum, quàm abhorrere deberent Clerici omnes à ludis, cum hac etiam ratione muniret se adversùs electores suos, & Episcopales infulas detrectaret, quòd abstinere ludo non posset, cum Episcopus debeat ab his voluptatibus alienissimus esse, nec alias captare, quàm cœlestium Scripturarum oblationes. *Scis eo cum à libris oculos avocavi, in omne ludorum genus esse propensum. At Episcopum divinum esse hominem opor-*

oportet, utpote qui ab omni ludo, peræquè ac Deus ipse; alienus & inexorabilis esse debeut, &c. Ut & ad mæstitiam sit compositus, & ad nullam voluptatem confringi atque emolliri possit. Hieron. De Script. Eccl. in Apol. Ep. 105.

Narrat Gregorius Turonensis Sanctimoniales quasdam Sanctæ Radegundis Pictaviensis, Abbatissæ suæ tum culpas alias ingessisse, tum quòd *ad tabulas lusisset. L. 10. c. 16.* Purgabat se Abbatissa, quod lusisset superstite Beata Radegunde, in quam adeo ea culpa resiliret; porro ejusmodi lusum nec Canonicis Regulis, nec Regula ipsa sua vetari; parituram se tamen Episcoporum mandato. *Respondit, Etsi lusisset vivente domina Radegunde, se minùs culpa respiceret; tamen nec in Regula per scripturam prohiberi, nec in Canonibus retulit: sed ad jussionem Episcoporum repromisit cervice se inflexa per pœnitentiam quidquid juberetur implere.*

IV. Propè abest à vero hunc tabularum ludum longè alium esse ab eo, quem Leges & Canones explosere. Honesta ea erat animi relaxatio, maximè inter Moniales, quæ eo se ludo oblectabant brevissimo quodam temporis intervallo, ad reficiendas animi vires; cum ludus illæ aleæ & tesserarum, quem procul amandari jubent Canones & Leges, animi perturbationes ciere soleat, & cupiditates inflammare, tum victoriæ, tum lucri, unde plerumque jurgia, contentiones & dispendia proficiscantur. Eorum detestatur nobilis Historicus Cornelius Tacitus insaniam incredibilem, qui eo ludo perdita substantia sua omni, corpus denique & libertatem suam addicebant, quo fiebat ut & victores victoriæ suæ puderet; eoque ut se exolverent, per commercia in longinquas gentes eos distraherent. Sic enim ille de Moribus Germanorum *Tanta lucrandi perdendique temeritate, ut cum omnia defecerint, extremo ac novissimo jactu de libertate & de corpore contendant. Victus voluntariam servitutem adit, &c. Servos conditionis hujus per commercia tradunt, ut se quoque pudore victoria exolvant. Cap. 24.*

V. His flagrantissimis ludendi cupiditatibus, lucrandi, perdendi, his rei omnium pretiosissimæ, temporis dissipationibus, his mortalium calamitatibus, & ruinis familiarum obviam ibant leges, aleæ & aleatoribus jure merito infestissimæ. Audiendus hìc Clemens Alexandrinus: *Jam verò prohibendus quoque est tesserarum ludus, & præterea ex talorum ludo lucri studium, quod nonnulli acriter sequuntur: Talia enim inconsideratus luxuriæ amor otiosis oblectamina suppeditat. In cunsu enim est desidia. Pædag. l. 3. c. 11.* Alias inficiari nemo cordatus potest, quin & piis & religiosis sua sint honesta, furtimque quodammodo delibanda oblectamenta, & laxamenta animi, ut de B. Joanne Apostolo & Evangelista narrat Cassianus.

CAPUT XLIV. *P. 2. l. 4. c. 12.*

Militia & armis Clerici prohibiti, per eadem media sæcula VI. VII. & VIII.

I. II. Quæ Concilia à militia & armis Clericos deterruerint.

III. Ut in Exercitu Sacramenta administrarent Episcopi, Presbyterique.

IV. Mirabilia Episcoporum exempla, qui exercitibus & castris intervenerunt.

V. Gregorius Magnus & Stephanus III. non multum dissimilem secuti sunt rationem.

VI. VII. In Hispania & in Oriente valebant utique eadem Leges.

VIII. IX. Basilii Canones in eandem rem, & Concilii Cabilonensis.

X. XI. XII. Quæ Athanasii, quæ Chrysostomi sententia.

XIII. Singularia quædam exempla, ubi Clerici, ubi Episcopi, etiam sanctitate conspicui militaribus interfuere expeditionibus, semoti tamen ab acie, ut armati quidem.

I. SUperest ut pauca aliqua perstringamus de bello, & de armis, & de sacrorum in ea redituum impendiis. Cum Sacerdotium Christianum pacem & charitatem spiret, & præ se ferat, hinc dilucidum fit non aliis Clericos armis cingendos esse, quam spiritalibus, utpote quibus paci & tranquillitati Christianæ longius latiusque propagandæ militatur. Ideo & Concilium Matisconense I. in carcerem menstruum contrudit, & vitam interim pane & aqua tolerare jubet Clericos eos, qui deprehensi fuerint indecenti cum veste & armis. *Si Clericus aut cum indecenti veste, aut cum armis inventus, à seniore ita coerceatur, ut triginta dierum inclusione detentus, aqua tantum & modico pane diebus sustentetur. Can. 5.*

II. Succensentem supra audivimus Bonifacium Archiepiscopum in Epistola ad Zachariam Papam data Episcopis iis, qui *pugnabant in exercitu armati & effundebant propria manu sanguinem hominum.* Ei malo medicinam fecit Concilium Liptinense, vetitis Clericis, Monachisque, ne arma unquam induerent, aut pugnarent, vel exercitibus intervenirent, nisi paucissimi illi numero Episcopi quorum est in castris Principibus, Ducibus, & militi ipsi Sacramenta erogare. *Servis Dei per omnia armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum, & in hostem pergere omnino prohibuimus, nisi illis tantum, qui propter divinum mysterium, Missarum scilicet solemnia adimplenda, & Sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi sunt; id est, unum vel duos Episcopos, cum Capellanis & Presbyteris eorum Princeps secum habeat. Et unusquisque Præfectus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus indicare pœnitentiam possit. Can. 2.* Ejus Canonis hanc summam fecit Bonifacius in Epistola quadam: *Interdiximus servis Dei ne pomputico habitu, vel sagis vel armis utantur.*

III. Habes hic unum & alterum Episcopum, cum Presbyteris suis, Principi in exercitu affixum habes Presbyteros quasi Eleemosynarius Castrorum cuique militum Cohorti addictos; qui uni tamen spiritali militiæ, & sacrarum functionum ministerio vacent. Idem præcipit Abbatibus Concilium Suessionense, *Can. 3.*, eodem propè tempore habitum, ut se militaribus muniis subducerent, quanquam certos militum cuneos jam tenerentur suo sumptu Regiis Exercitibus adgregare, ut alibi dictum est prolixius. *Et Abbates legitimi hostem non faciunt, nisi tantùm homines eorum transmittant.* Legitimi dicuntur hic Abbates, qui Regulares erant, cum eidem Cœnobio esset & Commendatarius Abbas laicus & miles, cui Regularis Abbas ductandum commeodabat militum cuneum, Abbatiæ sumptu sustentandum.

IV. Ubi Gregorius Turonensis duorum illorum commemorat facinora Præsulum, qui semel iterumque exauthorati fuere, armis quoque illos & militia delectatos declarat, quio & prœliis cædibusque cruentatos fuisse. *Fuerunt in hoc prælio Sidonius & Sagittarius fratres, atque Episcopi, qui non cruce cælesti muniti, sed galea aut lorica sæculari armati, multos manibus propriis, quod pejus est, interfecisse referuntur L. 4. c. 43.*

Ducem se quidem Christiano exercitui præstitit

B.

B. Germanus Altisiodorensis Episcopus in Britannia majore, sed eo tantum fine & consilio, ut cælestis militiæ opem imploraret adversùs Pictos & Scotos, Barbaricas gentes, qui mox prostrati fugatique sunt. *Cum Germanus ipse dux belli factus, non clangore tubæ, sed clamore Alleluja, totius exercitus voce ad sydera levata, hostem immanem in fugam vertit.* Sic Ado in Chronico, qui non ita præclaro encomio prosequitur Episcopum alium, qui Gallicanum ductabat exercitum adversùs Suevos, nec affuit tantùm, sed præfuit prælio cruentissimo. *Aucpot Episcopus sæcularis conversationis vir, duxit exercitum Francorum contra Viltarium in Suevos, ubi gravissima cædes facta est anno Domini* 712. Idem narrat & Beda de B. Germano, atque modò Gregorius Turonensis, sola illum oratione armatum congressumque fuisse cum hoste non nescium hanc militiam à Christo & Apostolis dedicatam fuisse. *Itaque Apostolicis ducibus Christus militabat in Castris.* L. 1. c. 20.

At longè admirabilius est, quod idem alibi Beda memorat de certamine inter duos Britannorum Reges inito, quorum alteri præter militem aderat tam innumerabilis multitudo eorum, qui solis decertarent precibus, ac præsertim Monachorum celeberrimi Cœnobii Bancoriensis, ut eorum interfecti sint mille & ducenti, cum qui defensor eis datus fuerat, primus fugam arripuisset. *Extinctos in ea pugna ferunt, de iis, qui ad orandum venerant, viros circiter mille ducentos, & solum quinquaginta fuga lapsos.* L. 2. c. 2. Narrat idem alibi *L. 3. c. 18.* Anglos Orientales numero impares hostium exercitui, advolasse ad Monasterium, ubi Sigebertus Rex administrato aliquandiu Regno, editisque tum sapientiæ & pietatis documentis, regno corruptibili se abdicaverat, quo incorruptibili potiretur: illum vi allata abripuisse, ea spe fore, ut vel ipso ejus conspectu, animi convalescerent, militibusque invicta quædam fortitudo aspiraretur, at Sigebertum præsentis, quam præteriti sui status & propositi tenaciorem constantissimè & armis, & acie abstinuisse, animique magnitudinem præclarius ostentasse cadendo, quàm occidendo. *Illo nolente ac contradicente, invitum de Monasterio eruentes duxerant in certamen, sperantes minùs animos militum trepidare, minus præsente duce quondam strenuissimo & eximio, posse de fuga meditari. Sed ipse professionis sua non immemor, dum optimo esset vallatus exercitu, non nisi virgam tamen habere in manu voluit occisusque est unà cum Rege Egrico, casus, sive dispersus exercitus.*

V. Alienissimo se quoque animo à cruentis his expeditionibus tum testatus est esse Gregorius Magnus, cum verbis suis moneri voluit Mauritium Imperatorem, in sua potestate fuisse, ut internecione delerentur omnes Longobardi, qui Ecclesiæ & Imperio bellum indixerant. Sed non eum esse se, qui cujusquam fundendo sanguini, aut cædi operam suam interponeret, vel authoritatem accommodaret. *Unum est, quod breviter suggeras serenissimis dominis nostris, quia si ego servus eorum in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione divisa esset. Sed quia Deum timeo, in morte cujuslibet hominis me miscere formido. Joan. Diac. L. 4. c. 64. Greg. Reg. L. 7. Ep. 1.* Fungebatur tamen officio Gregorius, & strenuè instabat, ut Imperatorius exercitus incursationes Longobardorum in Romanorum fines compesceret. Contra autem Stephanus III. & reliqui Pontifices Romani ejus ævi adversùs eosdem Longobardos appellavere Galliæ Regum tuitionem, & arma victricia, in quibus experiebantur inexpugnabile esse Ecclesiæ Romanæ munimentum. Ita enim ille ad Reges Galliæ. *Peto vos, ne pereamus, nequando dicant gentes, quæ in cuncto orbe terrarum sunt, Ubi est fiducia Romanorum, quam post Deum in Regibus, & in gente Francorum habebant. Epist. 3.* Ut non dubitaverat Gregorius Imperatorios exercitus excitare se posse ad propulsandos Longobardos; ita ne ambigere quidem potuit Stephanus III. quin cessante Imperatoria militia, posset adversùs eosdem hostes auxiliares invocare cohortes Regum Francorum. Itaque specie magis, quàm re utriusque Pontificis consilia, & rationes dissidebant.

VI. In Concilio Ilerdensi biennii suspensio & pœnitentia constituta est in Clericos, qui manus Sanguini Christi distribuendo sacras, humano fuso cruore inquinarent. *De his Clericis, qui in obsessionis necessitate positi fuerint; id statutum est, ut qui altario ministrant, & Christi Sanguinem tradunt, vel vasa sacro officio deputata contrectant, ut ab omni humano sanguine, etiam hostili abstineant. Quod si in hoc inciderint, duobus annis tam officio, quàm Communione priventur. Can. 1.* In Concilio Toletano IV. *Can 45.* exauthorantur, & pœnitentiæ mancipantur in Cœnobio quopiam, qui Clerici cum essent, plebe ad seditionem concitata, ipsi ad arma convolassent.

VII. Fuit & illud Orientalibus Episcopis perspectissimum, blandissimè conciliandam esse professionis suæ humanitatem & indulgentiam cum ea charitate & tuitione, quam populis suis deberent, & civitatibus ab hoste circumvallatis. Theodoretus Canonum consultissimus, affirmat, *L. 2. c. 30.*, sanctissimum illum Nisibis Episcopum Jacobum, & Episcopum pariter, & Præfectum, ac defensorem se egisse, exercitusque ducem ejus Civitatis, quę Imperii in finibus, & veluti certum propugnaculum esset. Cum eam obsidionem cinxisset Persarum Rex, murosque magnam partem evertisset, flumine coercito, & post liberius effuso, sanctissimus Præsul muros alios restaurari fecit, novisque machinis excitatis, hostes omnino ab obsidione repulit. *Divinus ille vir Jacobus, sua precationis virtute, non solùm militum, aliorumque incolarum confirmavit animos, verùm etiam murum denuò extruxit, & machinis oppositis hostes irruentes repulit.* Sed scitè & verè illud observat Theodoretus, convenienter Canonum statutis, pugnasse Jacobum, vicisse, Persas fugasse, ab Ecclesia non discedentem, ad mœnia nec accedentem, uno, eoque invictissimo orationis præsidio. *Quas res perfecit, non accedendo ad mœnia, sed intus in sacrosancto Templo Deum precibus enixè sollicitando.*

VIII. Fidelibus qui hostilem prælio sanguinem fudissent, suadebat Basilius, ut triennium totum Sacro Christi Corporis epulo se abstinerent: & fatebatur tamen nihil illis hactenus pœnarum indictum fuisse, cum manus & arma defensione patrię & castitatis consecrassent. *Cædes in bellis factas patres pro cædibus non reputavere, ut mihi videtur, ignoscentes, iis, qui pro pudicitia & pietate decertant. Epist. ad Amphi. c. 13.* Addit Balsamon ejus Basilii Canonis usum exolevisse: aliàs enim totum vitæ cursum milites peracturos, beatæ hujus communionis exortes; at cum voluisset Phocas Imperator Martyrum albo inscribi, qui in bello milites ferro cecidissent, hoc Basilii Canone munisse se Episcopos, & ejus postulata refutasse. Addit denique idem Balsamon, complusculos Presbyteros, & ex Episcopis unum jussu Imperatoris venisse in conspectum Concilii, quod arma gestassent, pugnassentque cum hoste: tumque Episcopos Concilii varias in sententias isse: aliis convenienter huic Canoni eos orbantibus omni prorsus sacro ministerio; aliis sæcularis, quàm Ecclesiasticæ militiæ amantioribus, eoque censentibus his etiam laudes ingerendas. Adeo Canones isti tum in desuetudinem, & in contemptum venerant.

IX.

IX. Nec Basilii tantum Canone, sed & Calchedonensi, gravissimæ decernebantur hæ pœnæ, in Clericatûs transfugas, vel Cœnobiorum, qui sæculari se vel dignitatum, vel armorum militiæ adscribi ambibant. *Eos, qui in Clero semel ordinati sunt & itidem Monachos, statuimus nec ad militarem expeditionem, nec ad sæcularem dignitatem posse venire. Qui autem hæc audent & non pœnitentia ducti ad id revertuntur, quod propter Deum prius elegerant, anathematizari. Can.7.* Qui idem Canon inter Apostolicos locum habet. *Can.93.*

X. In Nomocanonem suum contulit Photius Leges omnes, quibus Clerici & Beneficiarii abdicantur, qui se militiæ implicuerint. *Tit.9. c.32.* His Legibus priscis posteriores alias adjicit Balsamon.

XI. Risit Athanasius ludificationes Episcoporum Arianorum, qui Romano ne Concilio interesse cogerentur, cum illud Julius Papa ipsorum postulatis obsecundans indixisset, Persicum bellum prætexebant. At contra declarat Athanasius, non esse quod se Episcopi bellicis tumultibus interponant. *Caussificationem interim turpem fingentes, se ob bella Persarum venire non posse. Sed in ea re nihil veri. Metus enim conscientiæ eos expediebat. Quid enim negotii Episcopis cum bello. Epist. ad Solitar.*

XII. Declarat & illud Chrysostomus, arma Sacerdotum, nimirum preces, non paulò invictiora esse, & terribiliora, quàm ipsa militum tela: cum subito ebulliente lepra percusserit Deus Regem ferocientem, & sacerdotales monitiones fastidientem. *Nam sacerdotis est arguere, non movere arma, non clypeum tractare, &c. Ut intelligatis Sacerdotium Regno majus esse. Hom.4. in verba Isaiæ, Vidi Dominum.*

XIII. In confesso tamen est, incidisse eas temporum difficultates, ea discrimina, ut necessario Clerici ipsi arma corripuerint, & corripi fecerint ad patriæ religionis tuitionem, ne hiscentibus quidem Episcopis, aut insimulantibus tam necessariam publicæ salutis defensionem. Cum Barbari copias Romanas in fugam vertissent, Parochi classicum cecinere, rusticisque Parochiarum suarum adgregatis hostem victoria sua insanientem effugarunt. Synesius, ut alibi à nobis memoratum est, præerat illius tum Provinciæ Metropoli, idemque non defensionem tantum paravit, sed & encomium cecinit eorum, qui pro patriæ & Ecclesiæ incolumitate in tantum se discrimen conjecerant. *Plurima Auxiditarum sacerdotibus bona contingant, qui cum milites in montium se latebras abdidissent, suumque ipsi sanguinem custodire vellent, rusticam plebem convocantes, statim ab ipsis sacris recta ad hostes duxerunt, fusisque ad Deum precibus, trophæum erexerunt. Epist.122.* Rusticos quidem suos hi Parochi in aciem eduxerunt, in tuitionem regionis è militibus proditæ; sed ipsi sanè pugna abstinuere, & ne arma quidem attigere. Id perspicuè notat Synesius, cum Parochos una hac induit cura & sollicitudine, coogregandi rusticos, educendi in aciem, pugnandi non aliter, quam precibus ad Deum ingeminatis. Id ipsum & alibi disertius ille affirmat, cum Diaconum commendat, qui strenuitatem miram ostentabat, cum inermis tamen esset, unde nec irruentem in se unum ex hostibus probè armatum potuit, nisi lapide percutiendo, propulsare, quod fecit teste Synesio, quasi pugno illum cecidisset. *Hic ille est, qui Princeps armatum militem inermis excepit, quem quominus lapide temporis illiso ferit, non ut eum jaceret, sed ut quasi pugnis infestis insiliret.* Arrepto certè militis ejus gladio, plures ille alios confodit, sed is suis & prælii æstus, & victoriæ ardor, qui transversum illum egit, ultra eos justi moderaminis limites, quos sibi ipse præscripsisset. Judæos Alexandria expulit B. Cyrillus Alexandrinus Episcopus, teste Socrate, *L.7. c.13.*, eo milite, quem ipse collegisset, & Præfecto Oreste adeo non ferente suppetias, ut palam adversaretur, quod jam dudum ad se traxissent Episcopi Alexandrini maximam partem ejus potestatis, quam Imperatorii Ministri solent explicare. Marcellus Apameæ sanctissimus Episcopus sub Imperatore Theodosio Idolorum templa diruere adgressus est, eoque ex Sozomeno militem ipsemet & Gladiatores adduxit. *Certior factus in Aulone templum esse amplissimum, militibus aliquot ac gladiatoribus assumptis, adversùs illud contendebat. L.7. c.15.* At Marcellus ne ad sui quidem defensionem tum armis sese ullis munierat. Itaque in eum seorsim subductum impetum fecere Gentiles, ejusque sanguine ruinas collabentis templa sui conspersere. Ejus ut Martyriis memoria in sacris tabulis colitur.

CAPUT XLV. *P.3. l.4. c.9.*

Voluptates & pompæ sæculi, & insanæ expensæ Clericis prohibentur, venatio, comœdia, arma, pugnæ, tabernæ, sub Imperio Caroli Magni ejus stirpis.

I. Clericos Concilia arcent ludis, venationibus, scenicis ludis.

II. His Conciliis consentiunt Capitularia Regum.

III. In hæc stomachatur Joans, & in Proceres, Nobilesque, qui suo venandi jure utuntur impotentius.

IV. Musica certamina Clericis prohibita, nisi ad Psalmorum concentum.

V. Canones iidem in Oriente vigebant.

VI. Aditus Clericis interclusus ad spectacula. Ubi salus periclitatur, molliores Canonum interpretationes explodendæ sunt.

VII. Ne Clerici armati ingrediantur.

VIII. De eodem. Nec laici sacris mysteriis armati intererant.

IX. Vetitus aditus ad Tabernas.

IX. De expensis ad commoda publica.

I. PRoscripsere à Clero sacri Canones molliores omnes & effæminatas voluptates, pompasque ludicras sæculi, ludos, comœdias, venationes, quidquid est denique, quod sensus fascinare, & corda inficere ac vitiare possit. Ita enim Concilium III. Turonense. *Can.7. Ab omnibus quæcumque ad aurium, & ad oculorum pertinent illecebris, unde vigor animi emolliri posse credatur, quod de aliquibus generibus musicorum, aliisque nonnullis rebus sentiri potest Dei Sacerdotes abstinere debent. Quia per aurium oculorumque illecebras vitiorum turba ad animam ingredi solet. Histrionum quoque turpium, & obscœnorum insolentias jocorum & ipsi animo effugere, cæterisque Sacerdotibus effugienda prædicare debent.* Et proximo mox Canone: *Sacerdotibus non expedit sæcularibus & turpibus quibuslibet interesse jocis. Venationes quoque ferarum, vel avium minimè sectentur.* A' quibus non recedebat Concilium Cabilonense II. ut non è Clero tantùm; sed & laicis si fieri posset, ejicerentur periculosissimæ venationum & scenicorum ludorum voluptates. *Ab omnibus oculorum auriumque illecebris Sacerdotes abstinere debent; & canum, accipitrum, falconum, vel cæterarum hujusmodi rerum*

cu-

curam parvipendere; histrionum sive scurronum, & turpium sive obscœnorum jocorum insolentiam, non solùm ipsi respuant, verùm etiam fidelibus respuenda perensfeant. Can.9.

II. Episcopos, Abbates & Abbatissas avocaverat Carolus Magnus ipse ab expensis illis incredibilibus hominum in venationes & aucupia insanientium. *Ut Episcopi & Abbates, & Abbatissæ, cuplas (seu copulas) canum non habeant, nec falcones, nec accipitres, nec joculatores.* Conc. Gall. Tom.2. p.157. Concilium Moguntinum Comœdias & aleas proscripsit. *Jocum sæcularem diligere, aleas amare.* Can.54. Triennii suspensione mulctati fuerant Clerici Comœdiæ & aleæ sectatores. *Si quis Clericus ad tabulas ludat, vel spectaculis attendat, per tres annos à sacro ministerio prohibeatur, & si dignam pœnitentiam fecerit, reconcilietur.* Addit.3. c.27.

III. Laicos ipsos iniquo patiebatur animo Jonas Aurelianensis Episcopus, si expendere mallent opes suas in canes, quàm in pauperes; in aves, quàm in membra Christi. *Existunt complures, qui ob amorem canum, & diversissimas venationes, quibus miserabiliter insistunt, & pauperum curam quodammodo negligunt.* De instit. laicali l.2. c.23. Quanto ergo ille æstu excanduisset in Beneficiarios, qui commendata sibi pauperum patrimonia, his esurientibus subtrahunt, ut in canes effundant.

Sed eò vehementissimè justissimèque effervescit Jonas, quòd impotentiùs sæviùsque Magnates suo venationum abutantur jure, cui fori, quàm poli leges consonantiores utique sunt. *Miserabilis sanè & valde deflenda res est, quando, pro feris, quas cura hominum non aluit, sed Deus in commune mortalibus ad utendum concessit, pauperes à potentioribus spoliantur, flagellantur, ergastulis detruduntur, & multa alia patiuntur. Hoc enim qui faciunt, lege mundi se facere justè posse contendunt; quos convenio, ut justo libramine decernant, utrum lex mundi legem evacuare Christi debeat, necne?* Et inferius: *Quis igitur neget, contra regulam Christianitatis fieri, cum propter unius hominis delicias, tot pauperes Christi diversissimis injuriis afficiuntur? Quod ita multifariè fit, ut vix explicari queat. Palpent & promittant talia facientibus impunitatem, qui volunt & audent. Ego verò neminem palpare, imò securum super hac re reddere audeo, quòd hæc impunè ullo pacto facere possit.* Ibidem.

IV. Acerbissimè invehebantur Concilii Forojuliensis Patres sub Patriarcha Paulino, in Musicæ concentus, vocumque suavitates, ac mollities, fides & alia id genus voluptatum sensibilium irritamenta; concessis tamen, adeoque & vehementer commendatis modulationibus suavissimis Psalmorum & Canticorum cælestis Hierosolymæ. *Placuit, ut eas prorsus inuadanas dignitates, quas sæculares viri, vel Principes terræ exercere solent; in venationibus scilicet, vel in canticis sæcularibus, aut in resoluta, & immoderata lætitia, in lyris, & tibiis, & in similibus lusibus, nullus sub Ecclesiastico Canone constitutus, ob inanis lætitiæ fluxum, audeat fastu superbiæ tumidus quandoque præsumendo abuti; nisi fortè si in hymnis & Canticis spiritualibus delectatur, de sacris videlicet Scripturarum voluminibus dignè honestèque compositis utatur.* Can.8.

V. Ab his nimirum voluptatum fomitibus, spectaculis, scenicis ludis, hippodromii certaminibus Tarasius Patriarcha Constantinopolitanum suum Clerum abstraxit, propositis ex adverso spectaculis aliis, & voluptatibus castioribus, in sacrorum Codicum frequenti lectione, Psalmorumque nocturno & diurno concentu. *Multos ex iis qui erant in sacris, qui equorum certaminibus mirum in modum delectabantur, repressit, & ut se domi continerent, eam hæc fierent sibique & divinæ Scripturis attenderent, admonuit; & ut nullam turpem & ab honestate alienam auditionem admitterent; Davidicis verò fidibus portam aperirent, iisque magis delectarentur, quàm indecoris & inhonestis canticis, quæ canantur cum tympanis & tibiis, persuasit.* Surius die 25. Febru. c.36.

Nomocanoni Photii, Tit.9. c.27., inscriptæ sunt Novellæ omnes Justiniani, quæ triennio suspendunt Beneficio privant, pœnitentiæ addicunt, inteotata etiamni resipiscant degradatione, Episcopos Clericosque aleatores, eorumque socios & participes, spectaculorum & venationum publicarum amatores. Addit & Balsamon in Basilicis easdem leges vigere.

Qui posthac alea non abstinerent, eos Trullanum Concilium Clericos quidem exauctoraverat, communione depulerat Laicos: vetuerat & omnino quomodocumque exhiberi Comedias, venationes, & cætera spectacula, Clericis sacro gradu. Laicis communione dejectis, nisi his nuntium remitterent exitialibus oblectamentis. His addit Balsamon visum esse quibusdam, cursus equorum non prohiberi, ea moderatione qua suo ævo fiebant: uti nec venationes leporum: quanquam confiteretur canonicis Constitutionibus damnari spectacula venationum, ubi homines cum feris congrediebantur: ludos scenicos, saltationes, Histrionum ludibria. Addit rursum Balsamon, quò proclivior esset horum observantia Canonum, operam dedisse Imperatores, ut ludi complures alii excogitarentur, quibus modica quædam plebi oblectamenta pararentur, summoto intemperantium & effrenatarum voluptatum periculo. *Propter horum autem Canonum pœnas videntur excogitati esse ludi Imperatorii, Contopactes, Maro, Achilles, Octoechus, & cæteri; ut qui spectantibus non dissolutionem, nimiamque lætitiam & indecorum risum moverent.*

Alio Canone, Can.62., ejusdem Concilii damnatis reliquiis quibusdam Gentilitiorum Bacchanalium, necnon & mulierum saltationibus, mutationibus vestium, personisque alieni sexûs veste indutis, comicis, tragicisque per urbis vicos actionibus, impiis Bacchi invocationibus, dum uvas calcarent vindemialibus feriis; indicta à Concilio pœna degradationis in Clericos, excommunicationis in Laicos. Tunc verò Balsamon addit scitissimè damnari eo Canone actiones omnes scenicas & fabulas, ac spectacula, quæ ab ipso Clero agerentur in majore Ecclesia Constantinopolitana, à temporibus Patriarchæ Theophilacti, Natalitiis potissimum festis Christi & Epiphaniorum diebus. Adjicit autem Imperialibus quoque legibus proscribi has sacrarum rerum contaminationes, simulatasque personas Clericorum & Monachorum, necnon & vestium sacrarum profanas usurpationes. Si quibus verò in ejusmodi fabularum actionibus Clerici sæcularium vestes ipsimet induant, vel militum, vel Monachorum, si belluarum formas sibi asciscant, incassum se eos tueri temporis & consuetudinis diuturnitate; nec enim consuetudinem posse unquam præscribi adversùs leges Divinas.

VI. Cum denique specialiùs vetuerit Trullanum Concilium, Can.14., ne Clerici vel Monachi intersint equorum curriculis; & scenicis ludis; multum operæ ponit Balsamon in elucidanda confirmandaque eorum sententia, qui his oblectationibus publicis in præsentiarum patrocinabantur, quòd non jam id vitii habeant hæc spectacula, cujus contemplatione olim meritissimò explodebantur. Sugillat tamen ipse quidem mollem & effæminatam hanc interpretationem, nec scenicos tantùm ludos damnat, à quo ne illi quidem dissentiebant, sed & ipsos equorum cursus addita etiam illa præstantissima regula, ad gustum, & ingenium præstan-

tissimorum olim Episcoporum accomodatissima. Nunquam molliori & remisso sensu donandos esse Canones, sed solidiori, & tutiori, atque ad æternam salutem magis conducibili. *Plures autem, & qui sunt paulo religiosiores, quibus ipse quoque assentior, hac non sibi sufficere putavere, dicentes debere Canones, ad id quod est animæ utilius, exponi: non ad id quod est liberius, ac dissolutius, & magis ut ita dicam indifferens.* Leo Philosophus Imperator triennii pœnitentiam in Monasterio indixit Clericis, qui alea lusissent; quo si rursus flagitio se obligarent, discingi & deponi voluit. *Const.87.*

VII. Accedo jam ad prohibita Clericis arma. In quam rem egregia est Adriani I. Papæ Epistola ad Carolum Magnum, quem interpellabat, ut ne sineret posthac Episcopos & Presbyteros armatos ingredi, & exercitibus militari eo ornatu præsto esse: sed orationi, & fidelium institutioni instare. *Conc. Gall. Tom.2. p.94. 152. 232. &c.* Presbyteros, Diaconosque Carolus Magnus vetuit armis cingi, etiam dum itineri sese committerent, divina hortatus ut potius tuitione confiderent. *Omnibus dicendum est Presbyteris & Diaconis, ut arma non portent, sed magis confidant in defensione Dei, quàm in armis.* Deprompsimus alibi ejus Constitutionem, ut ne Episcopi, Clericive alii castrorum suorum armis succingerentur ullis, sed toti essent in ministerii sui sacris muniis obeundis juxta Pontificum mandatum. *Capital. l.1. c.70. Et l.6. c.285.286. L.7. c.91. 92. 93. 103. 104.* Concilio quoque Moguntino videntur excussa fuisse Clericis omnibus tela, & arma prorsus omnia, & quocumque demum loco ac tempore. *Nos autem, qui reliquimus sæculum, id modis omnibus servare volumus, ut arma spiritalia habeamus, sæcularia dimittamus. Laicis verò, qui apud nos sunt, arma portare non præjudicemus, quia antiquus mos est, & ad nos usque pervenit. Can.17.* Tum blanditi sunt sibi Clerici quidam, quod paganorum saltem sanguinem fundere non prohiberentur, quam tergiversationem ipsa rursum Capitularia exclusere. *Ut Sacerdotes neque Christianorum, neque Paganorum sanguinem fundant. L.7. c.02.*

Nec eo se limite continnere Capitularia. Exauthorati sunt, adeoque & laici ipsa communione spoliati, hoc est ad pœnitentiam ablegati Canonicam, Episcopi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi, qui militiæ arma bellica gestassent. *Si quis Episcopus, Presbyter, Diaconus, aut Subdiaconus ad bellum processerit, & arma bellica indutus fuerit ad belligerandum, ab omni officio deponatur, in tantum, nec laicam Communionem habeat. L.6. c.61.* Alibi pœnitentiæ in Monasterio degendæ vinculo constringuntur, qui populari quapiam furente seditione, arma induerint: *Ut Clerici, qui in quacumque seditione, arma volentes præsumpserint, reperti, amisso Ordinis sui gradu, in Monasterio pœnitentiæ contradantur. L.2. c.248.*

VIII. Ne illud quidem prætermittendum, quod ibidem præcipitur, ne laici ipsi arma gestantes sacris Mysteriis intersint; si secus faxint, Episcopus arbitratu suo pœnam decernat. *Sacrificia matutina Missarum, sive vespertina, ne quis cum armis pertinentibus ad bellorum usum expectet. Quod qui fecerit, in Sacerdotis potestate consistat, quali eum districtione debeat castigare. L.7. c.202.*


Innovata est in Concilio Meldensi anno 845. depositionis sententia in Clericos omnes, qui armati incederent. *Arma militaria non sumant, nec armati incedant. Can.37.* At Herardus Turonensis Archiepiscopus exauthoratis, & pœnitentiæ in carcere degendæ mancipatis iis, qui tumultuante plebe prosilierint ad arma, eos demum gradu depellit, qui casu quocumque alio arma arripuerint. *Ut Clerici in quacumque seditione arma detulerint, post depositionem, gravi pœnitentia in carcere detrudantur. Aliter si armis, sagis, vel sabeis usi fuerint, deponantur. Cap.113.*

Quod verò *Dominicam hastam* gestasse manu describitur in ipsa acie juxta Ottonem III. Imperatorem Beatus Bernardus Episcopus Hildeshemensis; simillimum veri est ab authore hujus vitæ apud Surium, sacram illam hastam, sive Crucem delineari, qua mundi salus parta est. Unde & postea in enarranda pompa illa sacra, qua Henricus Imperator augustæ dignitatis diademate redimitus est, eadem ipsa vox crucem manifestissimè designat. *Regimen & regiam potestatem cum Dominica hasta illi tradiderunt.* Quo indigitari planum est vel Crucem, vel sacrum quodvis aliud instrumentum. *Surius die 20. Nov. c.21. 32.*

Nec ab his dissidebat Orientalium disciplina. Nomocanoni Photius suo illigavit, *Tit.9. c.32.*, Canones, Legesque omnes, quibus depositionis pœna decernitur in Clericos & Monachos omnes, qui in castris, vel in acie arma gestarent; si semel autem depositi rursus eodem se piaculo commacularent, militia ablegabantur, & in viles sordidasque deprimebantur Curialium classes.

IX. Ad calcem hujus Capitis obiter perstringemus Conciliorum statuta & Imperatorum, quibus septus est & interclusus Clericis Monachisque aditus in tabernas, sive cauponas, pastus, potusve causa. In eam rem in usum & vigorem pristinum revocavit Carolus Magnus statuta Concilii Laodiceni & Africani: *In Concilio Laodicensi, nec non & in Africano præcipitur, ut Monachi & Clerici tabernas non ingrediantur, edendi, vel bibendi causa. Conc. Gall. Tom.2. p.136. Cap. l.5. c.14.* Idem vetuere & Francofordiense, ac Remense Concilia. *Conc.10. Can.26.* Eadem lege Parochos astringit Theodulphus in Capitulari, quanquam non vetet eos invitatos accedere ad prandium patrisfamilias alicujus, quem ipsi vicissim carnali pasti cibo, speciali recreabunt alimento. *Oportet enim, ut si quando quilibet fidelium carnalibus vos reficit epulis, à vobis reficiatur epulis spiritualibus. Cap.13.* Hincmarus verò Remensis Archiepiscopus, ut obsequentiores haberet suis hujusmodi mandatis Parochos suos, interminatus est, fore, ut rusticis aliquando tandem annueret, quod illi jamdiu extundere sibi nitebantur, ut eorum equos, vel pallia auferrent, ubi in popinis diversantes deprehendissent. *Tom.1. p.718.*

X. Confutati satis superque jam sunt, qui suspicabantur malè perdi, & preter Canonum scita collocari eas proventuum Ecclesiæ expensas, quibus consuleretur publicis Civitatis & Reipublicæ necessitatibus, commodisque. Probationibus & exemplis, quibus hunc supra obtrivimus errorem, hic juvat illud addere, quod pene nos effugerat Aldrici Cenomanensis Episcopi, qui magnis sanè sumptibus Aquæductum sitienti & aridæ civitati suæ induxit. *Omnibus qui antè aqua valdè indigebant, nec eam nisi per magnum laborem catenus habere poterant, sufficientem auxiliante Domino habere fecit.* Ita Discipuli ejus in Actis diligentissimè à se exaratis. *Balaz. Miscel. Tom.3. p.6.* Eam largitatem non absurdè, si voles, publicam & perpetuam interpretabere eleemosynam.



CA-

CAPUT XLVI. *P.4. l.4. c.13.*

De usu præpostero proventuum Ecclesiasticorum in ludos, & venationes. De popinis, Comœdiis, armis, quibus Clericis interdicuntur, post annum Christi millesimum.

I. Scachorum, sive Regum ludus in Episcopis improbatus à Petro Damiani.

II. Quæ Concilia Clericos avocarint à quibuscumque ludis, etiam scachorum.

III. Rursus Concilia in ludos sævientia, temperatius tamen.

IV. In eandem sententiam Decreta Concilii Tridentini, & Mediolanensium Conciliorum.

V. Decreta Conciliorum Galliæ.

VI. Concilii Mexicani clementiora quædam Decreta.

VII. Rursus Concilia, & Reges in ludos.

VIII. Quæ Concilia, quæ Synodi Diœcesana venatione Clericos interdixerint.

IX. Censurarum fulmina in Clericos venatores.

X. Est ubi Cardinalis Papiensis venationi patrocinium paret. Vel binc rursus damnatur venatio.

XI. Aditu popinarum arcentur Clerici.

XII. Spectaculis & ludis scenicis Clericos ejecere etiam Concilia. Modicè ferenda quædam visa sunt Conciliis Toletanis.

XIII. Rursum Concilia, quæ Clericos ablegarunt à saltationibus, Comœdiis, pugnis taurorum, & spectaculis quibuscumque.

XIV. Arma gestare prohibiti Clerici.

XV. Hic prohibebantur etiam tum Clerici, cum privata flagrabant bella, & expeditiones sacræ.

XVI. Molliuntur nonnihil hæc Decreta. Cur Torneamenta Clericis prohibita. Cur Borda dicerentur.

XVII. Cautiones B. Caroli, ut armis accincti itinera emetiantur.

I. PErversum substantiæ Ecclesiasticæ usum à ludis ordiemur, & à Petro Damiani, qui seipsum cum Episcopo Florentino narrat aliquandiu iter fecisse. Accidit autem ut semel advesperascente die divellerentur, & Episcopus cum reliqua turba in publico diversorio hospitaretur, Petrus in ædes Parochi secederet. Postero die certior factus est Petrus Episcopum scachis lusisse, & vicisse. Iocunctanter advolavit, minasque & reprehensionem quibusdam aspersit lætitiæ, mordacisque risus blandimentis. Episcopo profitente, præsto se esse purgando facinori suo, vel subeundæ, quam dictasset, pœnitentiæ; tum Petrum laudatissima & sibi familiari libertate exprobrare, quod sæculari & illicito ludo contaminasset linguam, quæ immortalem parturiret ad aras & divinam Victimam; manusque conspurcasset, quibus illa æterno Parenti & Deo offerretur. *Rectene, inquit erat officii vespere in scachorum vanitate colludere? & manum Dominici Corporis oblatricem, linguam inter Deum & populum mediatricem, sacrilegi ludrici contaminationis fœdare?*

Addidit Petrus Canonicis decretis sacro gradu & culmine deturbari Episcopos aleatores, alea autem implicari ludos eos omnes, qui non disparem important mentis & cordis alienationem à cœlestium contemplatione, parem temporis jacturam, non dissimiles pravi exempli ruinas. *Præsertim cum canonica decernat authoritas, ut aleatores Episcopi deponantur.* Adesse sibi voluit Episcopus, prolato discrimine aleæ, & scachorum; nec satis equidem comperi, an satis in eo argumenti haberet, ut magnopere causæ confideret. Sed cum tam gravis immineret adversarius, expeditius certè fuit, ut errasse se fateretur; & impositas à Petro pœnitentiæ leges subiret. Jussus est ter Psalterium recitare, duodecim pauperum lavere pedes, singulis singulos largiri nummos, ut gemino hoc charitatis & pietatis officio maculas elueret, quæ ex eo ludo manibus & linguæ inhæserant. *Præcepi ut ter Psalterium meditando percurreret, ac duodecim pauperum pedes sub totidem numismatum erogatione, eorumque recreatione erogaret.* Hæc Petrus in Epistola ad Alexandrum II. Papam, ubi contestatur furere quidem non rarò aleatores, ac scachorum collusores insanire, gestientis impetu quodam & exultantis lætitiæ, quo præsentes laici maximè meritò offenduntur. *Nam ut turpiores attexantur ineptiæ, pudore suffundor, videlicet venatus, aucupium, alearum insuper furia, vel scachorum, quæ nimirum de toto quidem Sacerdote exhibent mimum, sed præcipuè oculos, manus & linguam, quasi mimum verum simul efficiunt. Leg. 1. Epist. 10.* Hæc meritò Petrus de ludentibus ipsis, ludi hujus insania percitis, & ridiculos interim mimos agentibus. Laicis ipsis irascitur Petrus Blesensis, qui ejusmodi dediti sunt ludis: *Alea siquidem perjurii, furti, sacrilegii mater est. Ideo filium instruens, Fuge aleam, dixit Cato. Ludum tesserarum & alea legitur Attalus Asiaticus invenisse, quem longè melius est ignorare, quàm scire. Ep. 74.*

II. Concilium Lateranense IV. anno 1215. his similiter ludis Clericos abegit. *Clerici ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.* Qui Canon radiat in recentissimis Decretalium libris, quibus hodiernum regitur jus Canonicum. *L. 3. Tit. 1. c. 15.* Idem rursus vetatur in Synodicis Odonis Episcopi Parisiensis Constitutionibus. *Prohibetur penitus universis Sacerdotibus ludere, cum decis, & spectaculis interesse, & choreis assistere. Cap. 8. n. 13.* Concilium Parisiense anni 1212. idem vetuit. *Part. 4. c. 4. Omnes ludos ad talos & aleas eis firmiter interdicimus.* Concilium Albigense anni 1254. ab his non recedit: *Statuimus insuper antiquos Canones innovando, ut Clerici in sacris Ordinibus constituti, & qui Beneficiis Ecclesiasticis sustentantur, ad aleas & taxillos ludant. Can. 48.* Concilium Biterrense anni 1255. aliquando etiam dilucidius, unde & asseverantissimè pronunciavit ludum scachorum comprehendi superius memoratis prohibitionibus. *Præterea prohibemus districtiùs, quod nullus omnino ad taxillos ludat sive aleis, sive scachis. Scholas autem deciorum prohibemus, & prohiberi omnino volumus, & tenentes eas districtiùs puniantur. Fabrica autem deciorum prohibeatur ubique. Cap. 24.* Constitutio illa quidem est B. Ludovici Regis anno 1254. qua laici pariter ipsi constringuntur. Sed nemini non persuasissimum est multò arctiùs vinciri Clericos ea lege, quæ sæcularibus ludibriis & nugamentis interdicat; cumque Constitutiones istæ Regiæ in Concilio Biterrensi promulgatæ fuerint, posse eas pro Concilii statutis haberi. Eadem fibula Clericos coercuit Concilium Salisburgense anni 1420. *Ad aleas autem & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint, nec ludos tales in domibus suis exercere permittant. Cap. 4.* Concilium Toletanum anno 1473. pecuniariam irrogavit mulctam Clericis, ad prohibitos hosce ludos rursum declinantibus. *Ludum taxillorum publicè & occultè Clericis prohibemus. Can. 11.*

III. Prisci omnes Canones in hos ludos tum indecoros, tum exitiales innovati sunt à Concilio Senonensi anni 1485. *Act. 2. c. 8.* Quod ad aleatores

res enim spectat, nihil indulgentiæ ibi admissum, quio acerbius in eos sævitum est, qui publici potissimum essent aleatores. Quod ad scachos attioet, latrunculos, & id genus alios ludos, communione ejici jussi, qui publicè luderent, & longinqua consuetudine ei insaniæ servirent. Qui verò rariùs, nec publicè luderent, satis pœnarum eos visum est daturos, si arbitrio Episcopi modicè mulctarentur, quoties luderent. Denique prudentiæ Episcoporum eos commisit castigaodos, qui sacrati cum sint Clerici, publicè pila luderent, indusinlis amicti, frequentique se ea oblectatione recreareot. *Sacerdotes & alios in sacris Ordinibus constitutos ad taxillos publicè aut consuetudinariè ludere non veventes, per suspensiones ad tempus ab officio & à Beneficio, per excommunicationem in locis publicis sapiùs promulgandam & aliàs debitè & rigidè coercendo. Alios verò non sic publicos, nec consuetudinarios, per applicationem unius libra cera, vel aliàs arbitrariè puniendo. Aleatores verò, seu ad aleas ludentes, præsertim illos, qui in publicis locis, in ostiis & operatoriis laicorum, in scandalum status Ecclesiastici ludere non verentur; aut qui ad palmam, seu ad pilam in camisia & aliàs inhonestè, inverecundè, publicè & consuetudinariè ludere non verecundantur, aut formidaut, Ordinarii, ad quos spectat, sapiùs commoneant, & contemptores suarum monitionum sic pœnis legitimis coerceant, quod ceteris cedere valeant ad exemplum.* Archiepiscopus Dublinensis in Constitutionibus suis Provincialibus anno 1518. mulctam indixit Clericis, quoties pila pedali luderent. *Clerici ambo ludentes ad pilam pedalem, solvant toties quoties quadraginta denarios Ordinario, & quadraginta denarios reparationi Ecclesia, ubi talis ludus exercetur.*

IV. Concilii Tridentini eadem inclementia in ludos istiusmodi omnes. *Ab illicitis venationibus, aucupiis, choreis, tabernis lusibusque abstineant. Sess.24. c.12.* Sed cum excipi posset, non prohiberi hic nisi lusus illicitos, *Ab illicitis lusibus abstineant*, luculentissimè Concilium I. Mediolanense delectum habuit ludorum, quibus fas, quibus nefas esset Clerico se oblectare. Saltationes, scachos, latrunculos, aleas vetat. *Clericalis ordinis hominibus omni genere saltationis, & ludi, præsertim verò alea & tesserarum, ac talorum interdicimus. Can.25.* Prohibentur & mallei lignei, follesque, sive pilæ majores. *Prohibemus etiam globos, qui malleis ligneis impelluntur; item follis ludum, idest, pila majoris.* Vetantur & his interesse ludis Clerici, vel domum illis suam commodare: *Non solùm ludere vetamus, sed eos ludorum spectatores esse nolumus, aut quemquam ludentem in adibus suis permittere.* Pila minore colludere non vetat, aliisque simillimis, si modò valetudini serviatur, & exercitando corpori, dum ne publicè id fiat, & ne pro pecunia, vel re qualibet alia, quæ pecunia æstimetur. *Si autem valetudinis interdum causa, parva pila, aut alio non indecoro ejusmodi exercitationis genere uti contigerit, ne publicè id faciant, nec pecunia intercedat in ludo, nec quidquam quod facilè pecunia æstimari possit.*

V. In Concilio Remensi anno 1583. compendiosius promulgatum est illud ipsum decretum Concilii Mediolanensis; additumque, si ludo perdat Clericus partem aliquam suorum redituum, alendis pauperibus dicatorum; restituere teneri eum, ad quem id lucri rediit, & gravi pœna feriendum Beneficiarium ipsum, ut qui res Ecclesiæ dilapidet. *Ab alea, venatione & omni ludorum genere Ecclesiasticis personis interdicto & indecoro, prorsus abstineant, nec unquam aliis, quàm honestis recreationibus sese exerceant, nulla ducti sordidi lucri cupiditate. Quod si cum injuria Ordinis Ecclesiastici deinceps quisquam Ecclesia bona, quibus pauperes ali oportuit, in ejusmodi lusus profudisse convictus sit; & qui quæstum facit, rem pauperum malè partam restituere, & qui jacturam passus est, tanquam sacri patrimonii dilapidator, graves pœnas exolvere cogantur. De Clericis in genere n.6.* Concilium Burdigalense ejusdem anni 1583. brevius easdem leges præscripsit, additque, vel potiùs expressit eum ludum vulgatissimum, qui à chartis nomen assecutus est. *Ab alea, tesseris, chartis, & quovis alio vetito & indecoro ludo, tum privatim, tum publicè penitus abstineant. Cap.11.* Concilium Bituricense anni 1584. id ipsum statuit, implicato & chartarum ludo: *Aleam, tesseras, chartas, omnes ludos vetitos, comessationes ac inverecunda convivia, mercatus ac nundinationes, tabernas ac diversoria praterquam in itinere devitent, pracipuè verò ab omni quæstu, qui usuram redoleat, abhorreant. Tit. 25. c.7.* Nec ab his discrepat Concilium Aquense anno 1585. *Ne pagellis pictis, aut alea, aliove hujusmodi ludi genere ludant, aut ludentes spectent. De vita & hon. Cler.*

VI. Concilium Mexicanum anno 1585. ita pronuntiavit, Beneficiariis à ludo ingentia imminere discrimina, ob patrimonii pauperum exitialem dissipationem. *Cujusvis generis ludus quibusvis hominibus maximo nocumento est, Clericis præsertim, quibus ratione Clericalis officii, in sanctè & laudabiliter agendo tempus terendum esset, ab eisque reditus Ecclesiastici piis operibus essent impendendi. L.5. Tit.5.* Tum verò damnantur à Concilio ludi *alea, tesserarum, talorum*, quos jam Edicta Regia exulare jusserunt. Vetantur & ibidem Clerici pila, vel globulis ligneis ludere publicè, vel cum sæcularibus etiam privatim. *Publicè pila ludere prohibetur, & privatim quoque cum sæcularibus, vel coram sæcularibus personis, globos ligneos publicè ludendo ne impellant sub pœnis statutis.* Scachi, vel consimiles alii non vetantur, dum privatim ludatur, nec cum fœminis, nec intercedente pecunia. *Scachis aut aliis ludis permissis ne ludant in locis publicis, &c. Si autem in occulto ludos illicitos hujusmodi exercuerint, numerosa pecunia in eis non intercedat. Aliter enim pro qualitate excessus corrigentur.* Denique cum hoc Concilio sinatur Clerici animum laxare modestioribus quibusdam ludis, extra tempora Quadragesimæ & Adventus, vetatur ultra duo pondo ne pecunia intercedat. *Recreandi animi causa extra tempus Adventus & quadragesima ludi liciti Clericis permittantur, summa duorum pondo tantùm intercedente, dummodo id rarò sine scandalo & cum personis honestis fiat.* De austeritate priorum Canonum remisit hoc Concilium, idque bifariam, concesso ut scachis luderetur, & proposita victori pecunia, dumtaxat modica. Ab utroque hoc blandimento abhorruerant priora Concilia. Viderint peritiores, an non hæc indulgentia ex eo profecta sit, quòd scachi in Hispania longè tritissimi & usitatissimi sunt, nec vel tetrica ibi pietas ab his abhorret, unde neque in offensionem incurrunt, vel Clerici ipsi, cum eo ludo animum recreant. Quoad pecuniam verò, cum in Provincia & civitate Mexicana habitum sit hoc Concilium, nemo nescit, eam ibi esse auri, argentique tam incredibilem copiam, ut quæ hic designatur summa, pro nihilo reputetur.

VII. In Concilio Avenionensi anno 1594. prohibitum est alea & pagellis pictis ludi. *Ludos prohibitos non exerceant, taxillorum videlicet, & pagellarum. Cap.32.* Idem decretum est in Concilio Narbonensi anni 1609. *Non ludant aleis, tesseris, chartis, aut alio ludo prohibito, vel indecoro præsertim publicè, ut illorum in omnibus nota modestia promptiores vos reddat ad liberè in hoc peccantes arguendum. Cap.41.*

Confirmat Nangius in vita Sancti Ludovici Regis,

gis, quod de vetitis diximus ab eo variis ludis. Io genere etiam prohibuere Ferdinandus & Isabella in Hispania aleas & chartas. Porrò Marinæus Siculus qui hæc narrat, longam pertexit seriem calamitatum & perversitatum, io quas præcipites acti suot ludendi intemperantia, & effræni cupiditate Laici complures, Clerici, adeoque & Prælati. *Probibuerunt & ludos, alea præcipuè, atque chartarum, ex quibus multa quotidie malorum genera assecebantur.* L.19.

VIII. Venationibns, Comœdiis & popinis itidem propemodum Canones omnes succeosent. Hinc adducti sumus, ut hæc in unum Caput omnia compingeremus. Coneilium Trecenso anni 1128. venatione Equitibus Templi interdixit, quacumque demum arte insidiæ feris statuantur, avibus, canibus, sagittis, equis. *Quod nullus hactenus avem cum ave accipere audeat. Cum homine talia operante cum accipitre, vel alia ave nullus frater remanens hoc principali causa eo præsumat. Præcipimus omni fratri professo, nec cum illo, qui hoc fecerit ideo pergat, nisi gratia eum custodiendi à periculo gentili: nec cum cane sit ausus clamare, vel garrulare, nec equum suum cupiditate accipiendi feram pungat.* Cap.46. 47. Video Regulares fuisse hos Equites, sed Equites certè erant, ferrum & arma tractabant, atque adeo nec majori eis fuissent dedecori venationes, quàm Clericis. At adeo non tamen venari permittuotur, ut & venatoribus se adjungere & eo ludrico pasci prohibeantur. Cælestinus III. Papa Lincolniensem Episcopum & Prælatos duos inferiores delegavit, qui inquirereot in Archiepiscopum Eboracensem, qui delatus fuerat Sedi Apostolicæ, tanquam venationibus insana quadam cupiditate addictus. *Undecim Abbatum Præmonstratensis Ordinis testimonio manifestè declarare videntur, quod Eboracensis Archiepiscopus, sacramento injuncti sibi officii vilipendens, venatione, aucupio, & aliis militaribus curis inutiliter occupatur.* Epist.5.

Coneilium Parisiense anno 1212. aves, canes, venationes Clericis omoino aufert. *Prohibemus etiam universis Clericis Beneficiatis, ne canes, aut aves habeant ad venandum, vel aucupandum; aut venationi sive aucupationi inserviant.* Part.2. c.3. Specialiùs verò his deterrentur ludicris Episcopi: *Prohibemus etiam ne venatione sylvatica, sive aucupio, vel aucellatione in personis propriis utantur.* Part.4. c.4. Anoo 1214. Concilium ad Montem Pessulum vetuit, ne Beneficiarii domi alerent venaticos canes, & ne comites se venantibus nisi rarissimè adderent, ut eo se spectaculo oblectarent, ita ut ne tum quidem ipsi aves propria manu portarent. *Aves venatorias ne habeant in propria domo. Et si aliquando exeat cum laicis ad venandum gratia spatiandi, quod rarò fieri expedit, propria manu hujusmodi aves non portet.* Can.7. 14. Canonici verò Regulares & Monachi à venatione procul amandati suot. *Abbates, Priores, Monachi, & Canonici Regulares, venationes, & negotiationes prorsus devitent.* Can.15. Innocentius Papa III. idem universim Clericis omnibus prohibuit: *Venationem & aucupationem universis Clericis interdicimus, unde nec canes, nec aves ad aucupandum habere præsumant.* In titulo Decretalium *De Clerico venatore*, Episcopis, Presbyteris, Diaconis interdicitur similiter, ne canes venatorios, ne aves prædatrices domi alant, ne venatum ipsi ooquam pergant. Idem & ad Monachos porrigitur.

Delinimenti aliquid excogitavit B. Raimundus de Penna-forti, à quo ne Pootifices quidem, ut suspicor, suprà laudati alieni fuissent; cum usus retium, quo per illum fas est Clericis aliquando laxare animum, non tam venatio sit, quàm tranquilla & honesta quædam mentis remissio; dum ea sit relaxatio, & animi defatigati recreatio; atque brevis & necessaria sit. *Et hoc de venatione saltuosa, id est, quæ fit cum clamore, canibus & avibus, & armis, quæ etiam prohibita est Clericis. Ponere autem laqueum, vel rete plumè & in silentio non prohibetur, etiam Clericis; dum divinum officium non negligatur.* Raimundi Summa. l.3. pag. 346. Non Abbatibus tantùm & Monachis, sed & eorum servis venationes, canes, avesque aufert Clementis V. Decretum; *In Clemen.* L.3. Tom.10. c.1.; nisi sylvæ illis sint, & venandi jus extra septa Monasteriorum; ac ne tum quidem Mooachis interesse aut spectare fas est. In Concilio Albigensi anno 1254. Beneficiariis & Clericis majoribus omnibus prohibitum est, ne canibus, avibus & venationibus studerent. *Cum canibus & avibus non venetur.* Can.50. Concilium Nannetense anni 1264. præcepit Episcopis pœnas sumere de Clericis venationi deditis, præsertim verò de Presbyteris, quorum reprehensibilior licentia est, & in plurium offensionem iocurrit. *Quia nullum venatorem invenimus sanctum, præcipimus ut Prælati sollicitè sint & intenti in puniendo Clericos venatores, & præcipuè Presbyteros & Religiosos, de quibus majus scandalum generatur.*

Constitutiones Syoodales Salisburgenses anni 1420. aves, canesque summoveot omnes à Clericis, & quamcumque venationem intercludunt. *Venationi quoque cum canibus, necnon aucupationibus cum falconibus, nisis, aut hujusmodi volucribus, Clerici omnino non insistant, nec canes tales venaticos, aut aves in domibus teneant, aut secum per viam ducant.* Can.4.

Concilium Senonense anni 1528. antiquo vigori reddidit Canones Concilii Aurelianensis IV. à Gratiano io Decreto corrasos, & in ipsam Decretalium compilationem conjectos sub Titulo jam laudato *De Clerico venatore*. At suspensionem vel excommunicatiooem his Canonibus sancitam, vetuit Senonense hoc Concilium promulgari, nisi adversùs Clericos, qui sæpiùs commoniti, à profanis illis voluptatibus ooo abstinerent. *Contra Clericos venatores, vel negotiis sæcularibus implicitos, si à venandi negotiandive consuetudine moniti non desistant, ad pœnam Aurelianensis Concilii & alterius Lateranensis procedetur.* Can.26.

Concilium Tridentinum paucissimis verbis rem expedivit. *Sess.24. c.12. Ab illicitis venationibus aucupiisque abstineant.* Sed renovatis antiquis omnibus Sanctionibus caoonicis de restituenda ac repurganda Cleri disciplina, revixisse ibi visi suot Canones prisci omnes, quos suprà commemoravimus. Concilium I. Mediolaoense plura noo dixit. *Cap. 25. A venatione abstinebunt.* Nec plura habet Concilium Remense: *A ludo, venatione, &c. abstineant.* De Cler. in gen. n.6. Concilium Aquilejeose aono 1596. cum observasset infinitam qoandam discrepantiam inter orationis & Scripturæ sacræ castas & tranquillas delitias Clericis adprimè consentaneas, & tumultuosas canum equorumque discursationes, & insatiatum venandi pruritum: subdit mox & aliam rationem, non paulò invictiorem, quò horrori meritò sit hæc insania, quòd citra sacrilegam & immanem quandam credulitatem non possit panis alendis pauperibus addictus, canibus dari. *Consequitur autem, ut panis, qui miserorum pauperum victui sufficeret; panis, inquam de reditibus Ecclesiasticis collectus, quod est patrimonium Christi, ad bestiarum cibum indignè transferatur; cujus criminis ratio districtè in die Domini reddetur.* Cap.11.

IX. Si cui vacuum est, apud Matthæum Paris ad annum 1240. legere est jus venandi vendicatum, confirmatumque Abbati Sant-Albanensi in Anglia, adversùs eos Nobiles, qui ejusmodi aliquando licentia olim ab Abbatibus impetrata, nunc adver-

sùs

tius Abbates ipsos abutebantur. Sed nec venationes ex intra septa Monasterii fiebant, nec iis Abbates aut Monachi aderant, quando eorum vel servi, vel amici in eorum vivario venabantur. Episcopum Parisiensem Romano itineri se committentem Ivo Carnotensis Episcopus Urbano II. Papæ per literas commendavit, quibus perhonorifico primùm testimonio juvenem hunc Præsulem ornabat; tum orabat, ut illum ad Ecclesiæ regimen remitteret sapientia & gravitate instructiorem, à venatu, & aliis juventæ voluptatibus alieniorem, orationi attentiorem & lectioni, cum hoc instrumento ornati Præsules Roma redire debeant. *Quatenus ex disciplina vestra correctior, ex gravitate vestra nobis reddatur gravior; videlicet ut studium venandi & alia juvenibus desideria in se comprimat, studiosius solito orationi & lectioni incumbat. Ep.56.*

Ad Valterum Roffensem in Anglia Episcopum vehementissimas literas dedit Petrus Blesensis, quò eum ab insano quodam absterreret venationis studio, quo fervebat, vir jam octoginta annorum ætatem agens. A' Pontifice jam & à purpuratis Patribus affirmabat pronunciatam in illum esse atrociorem sententiam, sed satius illis tandem visum esse, Legato in Angliam adventanti mandare, ut in ejus vitam & mores inquireret, & eam sententiam intonaret. *Jam in vos dominus Papa & Cardinales gravissimæ animadversionis sententiam promulgassent; sed Legato, qui in proximo venturus est, & rei inquisitionem & executionem sententiæ commiserunt. Non decet, amantissime Pater, virum octogenarium se talibus immiscere, nedum Episcopum, quem nec etiam juventus à talibus excusaret.* Subjicit exemplum junioris Episcopi, cui nil juventa profuit, ne suspensionis & excommunicationis telo configeretur à Nicolao Papa, quòd à venatione non sibi temperaret. *Legimus quia Nicolaus Papa suspensionis & excommunicationis sententiam in Lanfredum Episcopum ferri censuit, quia venaticam artem exercebat, licet ille excusabilior esset beneficio juventutis.* Perscripsit & idem Petrus Blesensis ad Archidiaconum Salisberiensem, si aves canesque ovibus Christi anteponere non desisteret, fore ut ipse aliquando non inter oves Christi, sed inter hædos numeraretur ultimo illo iræ ultricis die. *Ep.61.*

X. Venationis defensionem & patrocinium aggressus Jacobus Cardinalis Papiensis, *Ep.48.*, tam arctis eam circumscripsit limitibus, ut vel sic damnasse magis illam, & oppressisse, quàm defensitasse videatur. Aculeato nescio quo verbo illum confixerat Atrebatensis Cardinalis in Consistorio, ob ejus nimium venandi studium. Dimisso Consistorio non sibi defuit Jacobus apud Cardinales, ut ejus criminationis invidiam à se abstergeret. Ne sibi quidem Episcopos & Parochos videri tutò & honestè posse venationi vacare, cum laxando animo non desint eis oblectamenta alia complura, nec verò possint sine plebis suæ offendiculo venationibus indulgere. *Severius admonam venationem, ne qui admonenda plebi est constitutus, reprehensibilis ipse in ejus oculis videatur.* Sed non posse se illis interdicere Cardinales, quibus nulla incumbit animarum salutis procuratio. *Plebem Cardinalis non curat, præcepta quotidiana Parochianis non dat, nullum ministerium sacrorum, se populo exhibet.* Unum esse, quo destineantur Cardinales officium consilio suo Pontificibus adesse; eo perfunctis unam superesse orationem & lectionem, qua occupentur, qua sese oblectent; in hæc si totos se immergant, nec aliis exercitationibus animum levent, corpus fatigent, brevi labefactatum iri valetudinem. Venatione eos & recreare animum, & subigere corpus, in sylvas abduci, longè disjungi à contubernio & contagio mortalium, eoque secessu morum innocentiam munire. *Cardinalem autem cum dignitatis amplitudo domi contineat, cum reclusus vel meditetur, vel legat cum seipsum adeuntibus præbeat, cum otio ipso valetudinem labefactet, cum denique in faciem populi nihil nisi serium & grave ostendere debeat, quis non indulgeat in tanta severitate vitæ aliquando, ut procul ab omni turba se in nemoribus & sylvis cum domesticis sine injuria cujusquam oblectet, valetudini serviens, ad opus officii sui novior & fortior redeat.* Contestatur autem Jacobus, se dum floreret juventus, vehementi venandi studio arsisse; ubi primum in Cardinalem Collegium cooptatus fuit, illo prorsus abstinuisse, quandiu per valetudinem licuit. At postea irruentibus ægritudinibus complusculis, hortantibus etiam medicis, ut morborum pestes illas à se propulsaret, id sibi indulsisse, ut venatu nonnunquam animum, corpusque reficeret, complurium aliorum imitatione Cardinalium, quorum virtutum & ingentium meritorum splendor ac fama obscurari non potuit eo venationis laxamento. *Ego quamdiu valetudo mea incolumis mansit, & jugum laboris potuit ferre, licet ab adolescentia venatio fuerit grata, ea tamen semper abstinui. Huc verò una cum Pontifice & vobis remittendi animi gratia commigrans, sentiensque mille morbos vehementius solito insurgere, non privato instituto, sed medicorum consilio, non quærenda voluptatis causa, sed redimendæ valetudinis, hunc exercendi corporis laborem accepi. In quo etiamsi necessarium non haberem causam, aliorum me tamen Cardinalium possem tueri exemplo, quorum cum virtus & fides & in publicis rebus diligentia probata sit nobis, ab hoc tamen solatii & recreationis genere non abhorrent.*

Non statim probatur Jacobi sententia, etsi accuratius edisseratur. Non is ego sum, qui obnitar Censoribus illis indeflexis, qui venationem ne his quidem causis satis purgari & emaculari posse existimant. Sunt nævi certè aliqui, quos obruit quidam virtutum nitor eximius, quibuscum coaluere, & quarum tuitioni ipsimet famulari videntur. Sed nævi tamen sunt, & quidem tantò magis conspicui, quantò dignitas eorum eminentior est, qui illis inficiuntur. Quantacumque sylvæ densitate occultari non potest dignitas eminentissima, orbi universo veneranda, & ex qua præsumptum omnibus, animoque præceptum est, non posse nisi illustria virtutum exempla proficisci. Novum est, & nec fando, nec audiendo usurpatum, unam esse venationem, qua corporis ægritudines occupentur, vel discutiantur. Denique studio & curæ esse debet non minus charitas & ædificatio, quàm corporis integra valetudo, illis potissimum, qui in ipso sessitant Ecclesiæ universalis fastigio.

XI. Paucis expediam quod ad popinas attinet Clericis occlusas, nisi dum longum iter emetiuntur. Disertè id prohibent Libri Decretalium, allegata authoritate Concilii Lateranensis IV. sub Innocentio III. *Et tabernas prorsus evitent, nisi fortè causa necessitatis in itinere constituti. L.3. Tit.1. c.15.* Salisburgense Concilium anno 1274. unius diei suspensione mulctavit ejus decreti violatores; ita ut eo die jejunaretur, & pane solo & aqua vita toleraretur. Biduo pœna eadem protrahebatur, si prohibitis etiam lusibus indulsissent. Qui sæpiùs in his peccabant, exuebantur Beneficiis, aut si Beneficio carerent, arbitratu Episcopi pœnas dabant. Singulari animadversione dignum mihi visum est hoc statutum, propter illas medicinales pœnas, quas æquum est augurari censuris Ecclesiasticis implicatas semper fuisse, etsi rarius exprimerentur. Erant enim Canonum censuræ non pœnæ tantùm, sed & medicinæ. In suspensionibus, depositionibus, excommunicationibus fuisset, quo vindicta scelerum, quo exemplum & in po-

ste-

sterum terror ostenderetur, non cura vulnerum, quibus animæ sauciatæ fuissent; nisi conglutinatæ fuissent illis hujusmodi pœnitentiæ variæ, quibus maceratur caro, ut anima convalescat. *Clericus non viator in sacris Ordinibus constitutus, aut Monachus, vel Canonicus Regularis, si tabernam intraverit sine causa, ab officio sit suspensus, donec unum diem in pane & aqua jejunet. Si ibidem luserit ad aleas, vel taxillos, ab officio sit suspensus, donec duos dies in pane & aqua jejunet, &c. Can.12.* Posterioribus tum Conciliis, tum Synodalibus Constitutionibus complurimis innovata sunt hæc decreta, & affixa eis pena suspensionis.

XII. In supra delibatis Conciliis, Canonicisque statutis proscripta fuere spectacula, comœdiæ, saltationes. Hinc Concilium I. Mediolanense; *Clerici personati non incedent. Choreas privatas, aut publicas non agent, nec spectabunt. Fabulis, comœdiis, & bastiludiis, aliisve profanis & inanibus spectaculis non intererunt.* Sæpius jam inculcata, & centies ingeminanda est ratio hujus Decreti, non his sæcularibus oblectamentis contaminari debere aures, oculosque, Mysteriorum sanctitati jam dedicatos. *Ne aures & oculi sacris officiis addicti, ludicris & impuris actionibus sermonibusque distracti polluantur.* Vetuit Concilium Mediolanense III. diebus solennibus Patronorum Ecclesiæ Cœlitum lusus, scenicas voluptates, & choreas celebrari, quod his ludicris adeo non excitetur pietas, ut tota potius extinguatur. *Acta Eccles. Mediol. p.19. 46.* Concilio Toletano anni 1566. etsi maximè cuperet, non tamen per vetustissimas Hispaniæ consuetudines licuit eidem austeriori suffragari disciplinæ. Damnati sunt tamen in hoc Concilio scenici ludi, qui in Ecclesia ipsa die puerorum Innocentium sacro exhibebantur, non sine gravi fidelium offensione. *Prohibet Sancta Synodus in posterum turpem illum abusum, quo die Innocentium intra Ecclesiam theatrales quidam ludi edi publicè consuevere, magna cum Ordinis Ecclesiastici ignominia, necnon & divinæ Majestatis offensa; quippe qui Christianorum oculos, quos oportet ad spiritualia provocari, ab his ad peccandi libidinem avertant. Can.11.*

Idem prohibuerat Concilium Basileense, anno 1435. cujus Decretum Pragmaticæ sanctioni Gallicanæ fuerat illigatum. Mox idem Concilium vetat ne in Templis exhibeantur, & inter ipsa maxime Mysteriorum solemnia, lusus, spectacula, choreæ, quæ exhiberi solent festis quibusdam diebus, præeunte examine & approbatione Episcopi. *Spectacula verò, ludi quicumque, & chorea, quæ alioqui præmisso examine, permittente Ordinario, non alias, in aliquot solemnitatibus, ac processionibus agenda sint, nullo modo dum divina officia vel celebrantur, vel dicuntur, intra Ecclesiam ipsam agi permittantur; cum hec divina officia perturbare soleant & sanctitudinem illam interrumpere, quam domum Dei decere David divino spiritu docuit.* Tum verò Episcopis instant Patres hujus Concilii, & eorum Vicariis Generalibus, ne ea exhiberi sinant, ex quibus convellatur potius, quàm roboretur pietas fidelium. *Caveant Episcopi & eorum Vicarii, ne dum solemnitatis divinæ causa ludos aliquot & spectacula edi publicè permittere velint, eas permittant, quæ vel in minimo Christianam Religionem offendant, vel spectantium animos in pravos mores quoquomodo inducere valeant.* Vetat Concilium, ne scenicos patiantur Episcopi ludos agi, nisi argumenta eorum pia sint, & religioni accommodata. *Decernit Sancta Synodus, non alios ludos, non alia spectacula ab Episcopo permittenda fore, quàm quæ ad pietatem spectantium animos movere, à pravis moribus deterrere possint.* Prohibetur hic denique, ne Beneficiarii, Clerici ve sacrati, personati unquam ingrediantur, aut fabulam ipsi agant in his ludis. Non paulò intolerabilior erat Hispaniæ mos, ubi Deo vovebantur & cœlitibus Taurorum certamina, hisque absurdissimis votis juramenti solemnitas accedebat. Ejusmodi sive vota, sive sacramenta in irritum mittunt hujus Concilii Patres: *Can.26.* oratione enim potius & religiosi secessus otio Deum & Sanctos coli: & quocumque demum obtentu hæ edantur pugnæ Taurorum, iis summoventur Clerici majores & Beneficiarii omnes.

XIII. In Concilio Burdigalensi anni 1585. promulgatum est idem ipsum Decretum Concilii I. Mediolanensis. *Clerici nunquam personati incedant, neque comœdias, fabulas, choreas, vel quid aliud ludicrum ex iis, quæ ab histrionibus exhibentur, agant, vel spectent. Ne visus & obtutus sacris Mysteriis dicati, turpium spectaculorum contagione polluantur. Can.12.* Audi & Concilium Bituricense anni 1584. *Nunquam personati sint; mimis, choreis ac saltationibus agendis atque spectandis abstineant. Tit.15. c.6.* Et Aquense anni 1585. *Ne personati unquam incedant, neve comœdiarum, aut chorearum, aut profani ullius spectaculi actores sint, vel spectatores. Tit. de vita & hon. Cleric.* Concilium Mexicanum anni 1585. à Pio V. commemorat, *L.3. Tit.5.*, prohibitas fuisse ludicras taurorum pugnas, & excommunicationis fulmen intentatum Rebuspublicis, & Principibus, qui earum copiam facerent, denique Beneficiariis ipsis, & majoribus Clericis, qui interessent. Concessit postea ut ea edi possent certamina Gregorius XIII. dummodo ut ne diebus Festis, atque ut omni animi contentione caverent Magistratus, ne quid humani sanguinis funderetur. Absolvit quoque idem Pontifex hujusmodi censuris, tum sæculares, tum Equites Ordinum militarium, qui necdum sacro Ordine quopiam initiati essent. His Pontificum Rescriptis in medium allatis, Concilium hocce Mexicanum Majorum Ordinum Clericos & Beneficiarios vetat his interesse Taurorum pugnis, subjiciendos alioqui iis pœnis, quas & hæc Brevia Apostolica intorquent, & intorquebunt præterea Episcopi judicio & arbitratu suo. Tum denique idem statuit quod Concilium Mediolanense I. idem decrevit & Concilium Avenionense anni 1594. *Choreis, comœdiis, aliisve profanis spectaculis non intersint. Can. 32.* In Concilio Aquilejensi anno 1596. Constitutio edita est; fusior & enodatior, in omnes eas voluptates, & insanas delicias, quibus Clericatus majestas mirum in modum deturpatur. *Ad spectacula comœdiarum, sive ad bancos circulatorum & buffonum in plateis, qui aliis exemplum esse debent maturitatis & prudentiæ, accedere & assistere Clericos non decet. A chorearum spectatione item Clerici abstineant. Saltationem verò privatam & publicam, quod est intemperatissima temeritatis genus, nulla ratione committant, nisi gravioris correctionis virgam experiri affectent. Personatum incedere Clericum, turpe, vanum, periculosum, non ferendum. Non enim ad bonum habitus Clericalis depositio; sæpissimè ad malum, vel inchoandum, vel consummandum. Can.11.*

Fateor affuisse Torneamentis Cardinalem Ximenium, sive ludicris militum & simulatis pugnis, sed gravem ille necessitatem excusavit comitandi Regis, qui tum ægritudine afflictus esset, & eo egeret oblectamento. *Sic regem morbo afflictum oblectare curavimus. Gomes. l.5. vita ejus.* Poterit uti Ximenius exemplo S. Thomæ præstantissimi Apameæ Episcopi, de quo nos suprà, & qui *licèt hoc vetaret Ecclesiæ Canon; ut Cosroie furorem molliret, certamen equorum in Circo spectare non recusavit*, referente Evagrio.

XIV. Unum restat, ut de Armis dicamus, quibus

bus discincti, prohibitique fuot Clerici Conciliis & Canonum statutis iisdem, quæ hoc jam capite perstricta sunt. Jam olim Petrus Damiani dolere sibi vehementer affirmabat, quòd jam tum Clerici aut muniri se, aut decorari gestirent aliis telis, quàm quibus error & scelus debellatur. *Arma petius, arma corripimus, vibrantia telis tela conferimus, & non verbo, sed ferro contra nostri Ordinis Regulam dimicamus. Epist.15.* Incendebat Bernardus Episcopum & Capitulum Trecensis Ecclesiæ adversùs Subdiaconum, qui arma induerat, & uxorem duxerat. *Nec Clerici est pugnare armis militaribus; nec Subdiaconi uxorem ducere. Ep.203.*

In Concilio Salingestadiensi prohibiti sunt Laici ipsi anno 1022. ne armati Ecclesias inirent, in quas tum quidem nisi Regum ensis non inferebatur. *Decretum est etiam, ut nemo gladium in Ecclesiam portet, Reguli tantùm excepto. Can.8.* Vides quàm non finerentur tunc Clerici arma tractare, aut indui, cum & Laicis ipsis ea excuterentur, ubi templa inibant. Ne tum quidem cum maximè privata bella fervebant, & nemo non injurias sibi illatas armis suo nutu ulciscebatur; ne tum quidem, inquam, Clericis & Monachis fas erat armari, quare & illis & eorum comitibus omnes vim & manus abstinebant. Teste Glabro circa annum 1031. ita pluribus cautum est Conciliis *Clericis similiter omnibus, Monachis & Sanctimonialibus, at si quis cum eis per regionem pergeret nullam vim ab aliquo pateretur. L.4. c.5.* Suo suprà loco discrepatum est de militia, cui Clerici ipsi pene implicabantur: quosque usus erat armatas cohortes ad Regios deducere Exercitus; sed non unquam illis per sacras Ecclesiæ leges concessum est, aut pugnare ipsos, aut vel armis accingi. Si quis in has leges committat, eum Concilium Turonense anni 1060. Beneficio & Clericatu expunxit. *Quicumque Clericorum deinceps in armis militaverint, & Beneficium & consortium Clericorum amittant. Can.7.* Ubi Villelmus Nothus Neustriæ Dux Angliæ Regnum suæ ditioni adjecit, copiis ejus permixti deprehensi sunt Clerici, quibus Episcopi Neustriæ mox canonicam dictavere pœnitentiam, quòd arma induissent, & in acie manus conseruissent. *De Clericis, qui pugnaverunt, aut pugnandi gratia armati fuerunt, quia pugnasse eis illicitum erat, secundùm instituta Canonum acsi in patria sua pugnassent, pœniteant. Conc. Gen. To.10.p.352.*

In recensendis Exercitus ducibus ad sacram expeditionem, Urbanus II. antesignanum omnibus & principem proponit Aniciensem Episcopum: *Hinc Podiensis Episcopus belli dux, & Raymundus S. Ægidii Comes, inde Hugo Magnus Philippi Francorum Regis frater, &c. Epist.16.* Prælati alii, Clericique magno numero copiis Crucis vexillo insignitis comites se adglomeravere, sed non aliis quisquam eorum armis cinctus fuit, quàm spiritalibus. Unde & idem Urbanus II. in Concilio Claromontano, ubi classicum ipse cecinit ad bellum id sacrum, *Ne aliquis Clericus arma deferat. Cap.4.* Utriusque militiæ discrimen expressit Concilium Londinense anno 1138. accommodatè ad decretum Papæ Nicolai, qui eas vetat promiscuè haberi. Ut nusquam enim militi aptari possunt sacra munia Sacerdotum, vel ornamenta; ita nec consentire quidem unquam possunt ministris Altarium sive arma, sive prælia militantium. *His subjungimus authoritatem Nicolai Papæ, dicentis, Cum discreti sunt milites Christi à militibus sæculi, non convenit militem Ecclesiæ sæculo militare, quia per ..... ad effusionem sanguinis necesse sit pervenire. Denique sicut turpe est Laicum Missas facere, Sacramenta corporis & sanguinis Christi conficere; ita ridiculum & inconveniens est Clericum arma sustollere, & ad bella procedere. Can.13.*

Scitè omnino Bernardus *ducem & principem militiæ* electum se fuisse certior factus, & ad Romanum Pontificem perscribens, atque id oneris constantissimè detrectans, profitebatur, ut vires suppeterent, ne fingi quidem posse quidquam à sua professione alienius. *Quid tam remotum à professione mea, etiam si vires suppeterent, etiam si peritia non deesset. Baronius an.1146.* Concilium Londinense anno 1175. exauthorandos decrevit Clericos, qui in publicum armati prodirent. *Quicumque ex Clero videatur esse, arma non sumant, nec armati incedant, sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus & religioso habitu præbeant. Quod si contempserint, tanquam sacrorum Canonum contemptores & Ecclesiasticæ authoritatis profanatores, proprii gradus amissione mulctentur; quia non possunt simul Deo & sæculo militare. Can.11.*

XV. Inseri hic & inculcari juvabit duo quædam vel tria, quæ non perfunctoriè sunt perpendenda. 1. Hæ personabant undique tum maximè Ecclesiasticæ leges in Clericos armorum gestandorum cupidos, eo tempore, quo bella plusquam civilia sæviebant, grassante privatorum licentia in congressiones, cædes, incendia. 2. Eo etiam tempore, quo Episcopi & Abbates Regibus milites suppeditabant, nonnunquam & ipsi ductabant, in castris aderant. 3. Eo denique tempore, quo ardebant sacra Palæstinæ bella. His utcumque causis color aliquis & fucus oblini potuisset armandis impunè Clericis. Et ne tum quidem tamen laxarunt Pontifices Romani & Concilia eam veterum Canonum constantiam, qua funditus Clerici armis includebantur.

XVI. Mirabile forsan videbitur, quòd in Odonis Parisiensis Episcopi Constitutionibus Parochi, Clericique prohibeantur cultros gestare cuspide sua armatos. *Prohibetur districtè, ne Sacerdotes cultellum portent, cum cuspide, nec Clerici coram. Can.40.* Idem prohibuit Concilium Biterrense anno 1233. Clericis omnibus, addito etiam eo, ut ne quis enses, lanceas, vel quæcumque jacula gestaret, nisi forsan belli tempore. *Districtius inhibemus, ne aliqui Clerici, qui volunt gaudere privilegio Clericali, cultellos acutos, enses, vel lanceas deferre præsumant; vel armis impugnativis, quibus vis infertur, non utantur, nisi fortè tempore guerræ. Can.53.* Permitti videntur hoc Canone arma, quæ tueantur nos; vetari, quæ alios impetant: quin & hæc etiam belli tempore annui. Tunc nimirum jam illud invaluerat etiam inter Clericos posse vim vi repelli, eo propriæ tutelæ moderamine, ut etiam cadente adversario nihil irregularitatis incurreretur. Itaque videri possunt hoc Canone permitti Clerici iis armis accingi, quibus non impetant ipsi quidem, sed impetiti perniciem à se amoliantur. Porro grassatores amoliri vix dabatur, nisi iis etiam armis, quibus cruor funderetur: hinc expugnatum tandem & illud est, ut bellico tempore cujuslibet generis arma gestare Clerici sinerentur.

Sed illud præteriri nefas est, id eo loco & tempore laxari, quo impatientissimè cruentissimèque Albigenses hæretici Clericorum sanguinem sitiebant; eosque passim impunè contrucidabant. In Concilio Albigensi prohibita sunt Clericis Torneamenta, seu ludrica pugnarum imitamenta, semper insana, cruenta nonnunquam. Mirum est in ea quoque Clericos insanisse, quæ damnari oportuerit legibus Ecclesiasticis; ut audaciæ & furori occurreretur, & infinitis propemodum impensis. Præterquam quod probrosum erat & insolentissimum, Clericos scuto & lancea prætentis pugnare, quod tum vernaculè *biordare* dicebant, cum id nominis ipsi Torneamento adjiceretur. Audiendus Canon ipse ejus Concilii anno 1254. habiti. *Trepidare quoque,*

quod

quod vulgariter dicitur biordare, cum scuto & lancea, aliquis Clericus non publicè attentet, quia ex his multa dissolutionis, lascivia & scandali materia generatur. Can.51. Detestabilius aliquid in Concilio Laudunensi explosum est, cum Clerici armis induti sicariis & latronibus permixti, nullia non se cruentarent facinoribus. Declarat Concilium arma gestare Clericos vetari humanis divinisque legibus, ut ne ad defensionem quidem propriam iis abuti queant. *Cum Clericis divini & humani juris authoritate armorum usus sit omnino prohibitus, ita ut eis etiam pro justitia ad defensionem, aut vindictam nullatenus sit permissus, &c.* Can.4.

His Concilii hujus verbis pene addubitare cogimur, an ea doctrina, quæ Clericos sinit vim vi repellere, & occidere, si non aliter possint suæ ipsorum vitæ consulere, jam maria transisset, & in Anglia usu recepta esset. Nec te moveat Canones quandoque alios aliis discrepare, cum in ipsam Ecclesiæ disciplinam tot vices allapsæ sint, tot irrepserint novitates, perinde ut locorum & temporum sive opportunitas suadebat, sive cogebat necessitas. Concilium Budense anno 1279. bellicis negotiis Clericos eliminat, nisi ad patriæ defensionem, quo ipso tempore tamen pugna abstinebunt ipsi quidem. *Nec bellicis actibus se implicent, aut involvant, nisi fortè pro Ecclesiarum suarum & patria defensione, non ad impugnandum, vel propulsandum, sed ad defensionem tantùm, si necessitas eum compellat; & tunc in propriis personis non pugnent.* Can.7. Et hoc ipso mox tamen Concilio permittuntur Clerici enses circumferre, quando intuta & infesta sunt itinera. Ne verò assentari sibi ipsi possint inanis necessitatis & periculi imagine, nec tunc arma gerant, nisi permittente Episcopo. *Districtè præcipimus, ne Sacerdotes, vel Clerici in quovis ordine constituti, gladium vel cultellum, quod vulgariter dicitur bord portent, nisi eis manifesti timoris causa ingruerit; nec tunc absque licentia Prælatorum portent.* Can.11.

Duo hic scrupuli eximuntur; nempe qui cultri tandem essent, quos cum cuspide gestare Clerici vetabantur. Gladii nimirum illi erant, qui vernaculo idiomate cultelli dicuntur. (Coutelas.) Hinc etiam elucet cur qui in Torneamentis depugnabant, biordare dicerentur. Sive Saxonica enim, sive Germanica lingua cultri in Torneamentis usitatissimi, *bordi* nomine donabantur. *Cultellum quod vulgariter dicitur Bord.* In Synodo Bajocensi anno 1300. prohibentur majores illi cultelli cum cuspide, nisi temporibus & locis illis, quæ hostili incursione infestentur. *Districtè præcipitur, ne Sacerdotes magnum cultellum portent cum cuspide, nec Clerici, Sacerdotes, vel alii, in sacris Ordinibus constituti, nisi justa causa timoris.* Can.55.

Postquam Clemens V. suum illud Decretum promulgavit, quo irregularitatis formidine absolvuntur Clerici, qui adgressores peremerint, dum id unum volunt, id unum connituntur, ne ipsimet interimantur, nemo deinceps dubitavit, quin possent Clerici arma gestare accommodata propulsandis & inferendis plagis, ubi eorum vitæ justum periculum imminebat.

Verùm uti non eo unquam, quo ceptum est gradu hæret remissio juris, concessis semel armis ad repugnandum, non multò post eò quoque ventum est, ut & ad oppugnandum indulgerentur. Additum, ut id fieret furente bello, & ubi aliquid ingrueret periculi; placuit, ut & cum assensu Episcopi id fieret, ut arbiter ipse esset, an tanti esset periculum. Hæ cautiones non multò post exoleverunt. De assensu Episcopi minus laboratum est. Postremò intermissa quoque mentio belli, aut periculi ejus, à quo meritò cavendum esset. Concilium Moguntinum anno 1549. *Nulla arma induant, nisi itinerantes.* Can.74. Concilium Narbonense anno 1551. *Nec ensem, nec pugionem, nec aliud armorum genus secum gestent, nisi propter itineris necessitatem.* Can.20. Nec secus Concilium Narbonense anno 1609. Can.41. Concilium Aquilejense anno 1596. *Arma Clericorum sunt lacryma & orationes, non enses, alterius forma, vel materia arma. Per civitates & loca, in quibus habitant, si quis Clericorum extra itineris faciendi necessitatem insolenter arma cujuscumque generis detulerit, eum damnandum statuimus quarta parte fructuum suorum Beneficiorum.*

XVII. Beatus Carolus Archiepiscopus Mediolanensis, quo aspirante & connitente revixisse videbatur prisca Ecclesiæ disciplina, duas illas in usum & vigorem revocavit conditiones, quibus Clerici arma ferre permissi fuerant, ut eo loco & tempore id auderent, quo justum periculum immineret, & ne, sine Episcopi examine & permissione. Eo statutum Concilii I. Mediolanensis ad familiares Episcoporum. *Familiares ejus arma ne ferant, nisi in itinere, vel necessitatis causa, idque Episcopi arbitratu.* Illud quoque cavetur, ut scripto detur ea permissio, & ne Clericis unquam concedantur ballistæ, seu ignitorum globulorum jaculationes. *Clericorum arma sunt orationes & lacryma. Idcirco edicimus, ne arma cujusvis generis ad offensionem, vel etiam ad defensionem ferant, exceptis cultellis ad domesticum vita usum accommodatis, nisi fortè extra civitatem suspectis locis aliter eis faciendum sit. Quod si Episcopus probabili justaque de causa id eis permittendum esse judicaverit, tunc scripto impetrata venia ipsis uti liceat; non tamen publicè, nisi rei aut facti necessitas postulet. Omnino balista, hastis & sclopeto, telis aliisque hujus generis instrumentis ipsis interdicimus.* Acta Eccl. Mediol. pag.17. 19. His se accommodavere Patres Concilii Mediolanensis anno 1585. *Arma ne ferant, nisi itineris longioris causa, atque ea tamen breviora ac facultate ab Ordinario impetrata.* Paulò prolixiùs rem enucleavit Concilium Mexicanum ejusdem anni, accommodatè etiam ad Statuta Beati Caroli. *L.3. T.5.*

Ubi verò tradit Tridentinum Concilium, qui vim vi repellendo quempiam occiderint, ne ipsimet necei dederentur, eis quodammodo deberi dispensationem ad Ordines & ad Beneficia: *Si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur; quam ob causam etiam ad sacrorum Ordinum & Altaris ministerium, & Beneficia quæcumque & dignitates, jure quodammodo dispensatio debeatur.* Sess.14. c.7. Hinc jure inferes, eo necessariam adhuc esse dispensationem, quanquam pene necessariò etiam concedendam, quòd non omnia priscæ Canonum authoritatis vestigia obliterata sint, qui nempe ante sæculi duodecimi exitum non sinebant omnino Clericos arma gestare, ne ad repellendum quidem percussorem, & vim vi repellendam. Id quoque observavit Fagnanus, deberi quasi jure ex sacræ Congregationis Concilii responso dispensationem, cum quis tuenda parentis vita percussorem occidit, quanquam tum certissimè contracta sit irregularitas. *L.5. Decret. part.2. pag.272.*



De Hospitalitate.

CAPUT XLVII. *P.2. l.4. c.9.*

De Hospitalitate ante annum Christi octingentesimum.

I. De hospitalitate priorum quinque sæculorum Ecclesiæ.

II. Concilium Matisconense vult Episcoporum exemplis inflammescere laicos ad hospitalitatem. Gregorius II. Bonifacium monet, ne Episcopos minus bene morigeratos mensa excludat, sed ansam inde capiat eos ad bonam frugem compellendi.

III. Negat Avitus Episcopos ullos Episcopis extraneos esse posse.

IV. V. Mira B. Eligii hospitalitas, nec non & B. Cæsarii ad excipiendos Clericos & Laicos.

VI. De B. Domnolo.

VII. VIII. De B. Gregorio Papa.

IX. Gregorii vehementes hortationes ad Episcopos urgendos ad hospitalitatem.

X. Stupenda Ecclesiæ Romanæ hospitalitas.

XI. Regalis Monasticis hospitalitas commendatur. Regula Sancti Benedicti.

XII. Religiosa hospitum exceptio.

XIII. Regula B. Aureliani hospites exclusit. Cur.

XIV. XV. XVI. Varia observantur in hospitalitate Hispanicarum Ecclesiarum.

XVII. De Ecclesia Anglicana.

XVIII. De Ecclesia Alexandrina.

XIX. Popina Clericis interclusa in Oriente & Occidente.

XX. Rarissima erant olim Taberna diversoria. Hinc communior tunc hospitalitas.

I. TAnta habet momenta hospitalitas in institutione Clericalis vitæ, & in usu regendo facultatum Ecclesiæ temporalium, ut non immeritò seposuerimus ei hanc specialem dissertationem. Non pauca jam de ea delibata sunt superius, in exequendis frugalibus expensis proventuum Ecclesiasticorum. Alendis pauperibus expensas fuisse res Ecclesiæ author est Tertullianus. *Apol. c.39. Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, non potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque.* Quæ Agapæ dicebantur, re etiam magis, quàm nomine charitatis epulæ erant. *Inopes quoque refrigerio isto juvamus.* In justis etiam causis non ducendorum conjugum Paganorum, hanc ille non tacet, quod Christianis fœminis jam interclusa foret hospitalitas. *Si peregrè frater adveniat, quod aliena in domo hospitium. L.2. ad uxorem.* Hæc ad laicos spectabant, à quibus nonnunquam Episcopi excipi vetabant fidei & pacis Ecclesiæ adversarios. Expostulabat Firmilianus non alia ratione Stephanum Papam Episcopos aliquos hospitii jure arcuisse. *Præciperet fraternitati universæ, nequis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solùm pax & communio, sed & tectum & hospitium negaretur. Epist.75. Apud. Cypr.* Conciliis Gangrensi, *Can.27.28.*, & Laodiceno probabantur, *Can.11.*, adhuc Agapæ, ceu charitatis & hospitalitatis publicæ convivia, ad pauperum maximè solatia, dum ne amplius in Ecclesia fierent. Concilium Carthaginense III. non abhorruit ab his epulis in Ecclesia inter Clericos celebrandis propter hospites. *Ut nulli Episcopi, vel Clerici in Ecclesia conviventur, nisi fortè transeuntes hospitiorum necessitate illi reficiantur. Can.30.* Nam peregrinantes Episcopi apud Episcopos cujusque loci hospitabantur. Inde querelæ Chrysostomi de Theophilo Alexandrino Episcopo ad Innocentium Papam, quod Constantinopolim profectus, non ad Episcopales ædes suas divertisset, ubi parata & instructa erant omnia. *Erant enim diversoria, & alia omnia, quæ oportebat bene instructa. Socrat. l.7. cap.4. 11. 13. Sozom. l.8. c.9.* Ex quo dilucidum est, quanquam Chrysostomus reprehenderetur; quòd solus cibum sumeret, invitatos tamen ab illo fuisse ad mensam & hospitium Episcopos, eos saltem, quos singularis commendabat præstantia dignitatis. Ea enim cæteris copia Constantinopolim confluebant, ut vix aut nec vix potuissent omnes uno tecto excipi. Invitatus est & Epiphanius, ut apud illum diversaretur, qui & ipse abnuit, jam Theophili partibus devinctus. Tritum est illud Spiridionis Episcopi, cum tempore jejunii non habuit domi, quo foveret hospitem, ne panem quidem, nisi carnes porcinas. *Sozom. l.5. c.11.* Hinc illud conjicitur omnes prorsus hospites exceptos fuisse. Diximus alibi Augustini mensæ carnes semper illatas fuisse propter hospites, quanquam ipse quidem cum suis leguminibus tantum vesceretur. Si Clericos autem laicosque hospitii humanitas complectebatur, multò magis Episcopos, quos inter ea erat mutuæ communionis tessera. Huc pertinebat, quod Theophilus & Epiphanius à Chrysostomo invitabantur, huc spectabat, quod & illi recusarunt. Piè ostentabat Athanasius quod Julii Papæ communione & prandio exceptus fuisset. *Communione & Agape digni habiti sumus. Apol.2.* Author est Nazianzenus Julianum Apostatam Ecclesiæ mores & decus æmulantem, paria hospitalitatis jura & Xenodochia inter Gentiles instituere voluisse. *Orat.1. in Jul.* At nusquam superstitio religionem perversâ & distortâ hac imitatione assequetur. In Agapas tandem ea irrepsit licentia & temulentia, quæ illas desinente sæculo IV. aboleri coegit. Illis abolendis insudarunt Ambrosius & Augustinus, quos nemo nescit hospitalitatis fuisse studiosissimos. *Baron. an.391. n.39.* Nempe frugi erant & modestæ horum Epulæ. Nec prætereundum quod narrat Sidonius Apollinaris de Episcopo sui ævi Sanctissimo, qui invitus aula ad Episcopatum abreptus est. *Humanitas ipsa sic benigna, quam frugi; nec ita carnibus abundans, quàm leguminibus. Certè si quid in cibo unctius, non sibi, sed hospitibus. L.4. Ep. 24.* Cæteris Beneficiariis pro suo cuique modulo hospitalitas commendabatur. Illos Constantius exoneraverat Metatûs jure, quo Officiales Imperii excipi necesse erat. *Neque hospites reciperetis. Baron. an.464. n.29. Cod. Theod. De Episcop. & Cler. leg.8.*

II. Commendata est à Concilio Matisconensi II. hospitalitas, tum Episcopis, tum Clericis omnibus, ut non præconio tantùm, sed exemplo maximè eorum fideles excitarentur ad Christum ipsum in hospitibus excipiendum, & ad morigerandum Apostolo vehementissimè cohortanti ad hæc religiosæ humanitatis officia. *Sectatores hospitalitatis esse, non solùm Dominus Jesus admonet, cum se dicit in hospite receptum fuisse, sed etiam ejus Apostolus omnibus pene suis præceptis. Propterea oportet unumquemque nostrûm, non solùm semetipsum ad hoc opus hortari, sed etiam omnium fidelium mentes, ut possint apud Deum misericordiæ operibus pro nostris peccatis intercedere, & nos ei per puram hospitalitatem reconciliare. Si quis ergo nostrûm non admonuerit, aut exemplum exhortationis suæ ipse priùs opere non comprobarit, indignationem proculdubio incurret Domini majestatis. Prædicetur hoc nostræ mediocritatis statutum in auribus omnium Christianorum. Can.11.*

Ger-

Germanicæ parens & conditor Ecclesiæ Bonifacius Gregotium II. Papam consuluit, an contubernio & mensæ suæ ascisccndi sibi essent Episcopi illi, & Presbyteri, quorum mores Ordini & digniti sacræ immaniter dessentirent. Rescripsit Pontifex gravissimis objurgationibus castigandos esse hos sacri Ordinis sui contaminatores, congressu tamen & mensa eos nequaquam abstinendos. Nimirum usuvenite oon rarò, ut qui increpationibus non frangantur, molliantur suavitate & lenocinio humanitatis, qua convivia condiuntur. Denique author illi fuit Gregorius, ut eadem arte & indulgentia demereri & conciliare sibi studeret Optimates, quorum opera & consensione expeditiot lætiorque fututus esset cursus Apostolicatum suarum functiooum. *Veruntamen collocutionem & mensam communem cum eis agere non recuses. Plerumque enim contigit, ut quos correctio disciplinæ tardos facit ad percipiendam veritatis normam, conviviorum sedulitas, & admonitio blanda ad viam perducat justitiæ. Idipsum autem & illis Proceribus, qui tibi adjutorium præstant, observare debetis.*

III. Cæsareo Arelatensi Archiepiscopo per Epistolas Avitus Viennensis Archiepiscopus commendavit Maximianum Episcopum, quem regionis suę populatio, & necessitas quætendi medici in Gallias venire compulerat. Oculorum enim gravi valetudine afflictabatur. Ita statuebat Avitus nihil attinere, Episcopo Episcopi ærumnas exponere; nec enim quamvis longioquæ regionis Episcopus, & diutius patria extorris, Episcopis aliis, Catholicisque Provinciis alienus & hospes videri potest. *Nihil dicendum de peregrinationis labore suscepi, quia quantalibet vel temporum longitudine, vel itineris vastitate genitalis patriæ linquat habitaculum, peregrinus Sacerdos dici non potest, ubi Catholica reperiri Ecclesia potest. Epist.9.*

IV. In recensendis B. Eligii Episcopalibus virtutibus hospitalitatem illustri elogio ornavit B Audoenus: *Hospitalitate præcipuus.* Præter ægrotos, quibus ipse medicabatur, aliosque, quibus panem, vestes, pecuniam erogabat, duodecim quotidie mensæ suæ adhibebat, aquam infundebat manibus, ministrabat, ut plurimum unà accumbebat. Sed illud potissimum stupet Audoenus, quod semel exorsus hæe pietatis munia fungi, nunquam desiit, nunquam intermisit. *Ita fateor nunquam vidi studium fervere, nusquam in Galliis hujusmodi opera taliter à quoquam audivi expleri. Posset enim quis vel raro arripere; sed vix aut difficilè perpetuo tenere. Hic verò quod semel proposuit, perpetuo retinuit: quod primum Deo vovit, nullis mundi negotiis obligavit: quod in principio arripuit, ad finem usque perduxit. L.2. c.2.*

V. Redeo ad Cæsarium, cui non minus, quàm Avito persuasissimum erat, non Episcopos tantùm, sed Clericos quoslibet ousquam extraneos, nusquam peregrinos videri debere, quo demum cumque loco peregrinentur, dum Clericus modò ibi sit aliquis. Immortalis Agni mensa communis illis est cum Clero loci. Episcopi mensa communis & illis potiori jure erit, quàm sæcularibus, quos inde nec Cæsarius ipse excludit. *In domo quidem Ecclesiæ suæ, sicut illo præsente, ita absente, convivium semper præparatum est Clericis, sive quibuscumque advenientibus. Nullus illo superstite, tanquam ad extraneam civitatem, sed tanquam ad propriam domum Arelate venit. Vita ejus L.1. c.31.* Nec ambigi potest, quio hac hospitum mensa personaret sacra lectio, cum Cæsarii discipulus & vitæ ejus Scriptor affirmet, prandia ejus, cœnasque spiritalibus semper lectionis sacræ epulis abundasse, ut utriusque hominis epulo lætitia conduplicaretur. *Ad prandium verò & ad cœnam mensa sua sine cessatione quotidie legebatur, ut uterque interior exteriorque homo satiatus refectione duplici lætaretur.* Nihil est verò quod mirari magis lubeat, quàm immensum & inexhaustum charitatis Episcopalis Ærarium Cæsarii, quo Civitas & Ædes Episcopi Arelatensis, patria, diversorium, & mensa communis jam videtetur esse tam Clericorum omnium, quàm sæcularium. *Nullus illo superstite tanquam ad extraneam civitatem, sed tanquam ad propriam domum Arelate venit.*

VI. Domnolus Episcopus Cenomanensis, quem laudibus celebravit Gregorius Turonensis, mensam & ipse suam tum lectione, tum invitatione pauperum consecrabat, quo non corpori tantùm suo necessarium ingereret cibum, sed & animæ cœlestes exhiberet escas, Christumque ipsum pasceret in membris suis. Ecclesiam Sancti Juliani in civitate Cenomanensi, Clerumque ejus decoravit accersitis quinquaginta Monachis, quos & necessaria communivit facultatum copia ad hospites excipiendos. Cum custodes muris urbis diligentissimè & portis assiderent, & pauperes non rarò excluderentur, Xenodochium etiam extra muros exædificavit, juri subjecit & ditioni Episcoporum Cenomanensium, ubi & viginti Monachos constituit cum Abbate suo ut hospites exciperent, & Regulæ Monasticæ vitam accomodatent. *Vita ejus apud Sur. die 16. Maii.*

VII. Pauperibus omnibus, & peregrinis Romam adventantibus quotidie missitabat Gregotius Magnus necessaria quæque vitę adjumenta. *Pauperibus verò & advenis, qui pro conditione temporum Romam influxerant, quotidiana stipendia ministrabat.* Hæc Joannes Diaconus in ejus vita. *L.2. c.19.* Quos Longobardorum populationes & furor cogebant Romam confugere, immensæ charitatis ejus materno quodam sinu excipiebantur. Peregrinos semper mensæ adhibebat, aquam infundebat ipse, & in eis Christum ipsum semel excepit, peregrini habitu & specie vestitum. *Tanta hospitalitatis Gregorius in ipso etiam Patriarchio permansit, ut exceptis his, quos tam per diversas regiones, quàm Roma quoque Longobardorum perfidiæ gladios fugientes, Ecclesiastica stipe misericorditer nutriebat; ad mensam quoque suam quotidie peregrinos quoslibet invitaret. Inter quos die quadam unus accessit, in cujus manibus dum ipse ex humilitatis ministerio aquam fundere vellet, &c.* Cum Sacellarius ejus jussus esset aliquando duodecim pauperes accersere ad mensam tredecim conspecti sunt; tertiumdecimum ipsemet perscrutatus, ipsius ab ore edidicit, Angelicorum agminum unum ad se devolasse, ut illum hoc nuncio exhilararet, Petri in sedem à Deo vocatum illum fuisse, quod Petrum sectatus esset, in distribuendia Ecclesiæ in pauperum alimenta facultatibus. *Quia hæc hilari animo tribuisti, destinavit te Dominus successorem atque Vicarium Apostolorum Principis Petri, cujus & virtutem imitatus es, dum substantiam offerentium divideret prout cuique opus erat.*

VIII. Meosæ & alimentis pauperum Præfectum delegaverat Gregorius, eumque ut confidentius eorum utilitatibus, largiusque prospiceret, voluerat uni Deo rationes suas reddere. Quam in rem ejusmodi charta illum munitum voluit. *Quia igitur te Joannem religioso intentionis tuæ studio provocati, mensis pauperum & exhibendæ Diaconię elegimus præponendum, nequa tibi ex hac administratione nascatur dubietas, hac te munitione prospeximus fulciendum, constituentes ut de hoc, quod ad mensas pauperum, vel Diaconiæ exhibitionem percepisti, sive subinde perceperis erogandum, nulli unquam hominum quolibet modo vel ingenio, cogaris ponere rationem, vel aliquam debeas molestiam sustinere. L.9. Ep.24.* Hujus Provisoris pauperum fidem diu expertus Gregorius, non injuria judieavit liberalius illum pauperibus auffuturum, si administrationis suę ratiocinia ad unum Deum referret.

IX. Imminehat aliis quoque Episcopis Gregorius, ut illos ad hæc sollicitudinis temporalis exercitamenta urgeret. Cum Marianum Ravennatem Archiepiscopum Romam invitavit, ut Medicis se committeret, exitiali morbo procurando; hortatus est, ut subrogaret sibi Ravennæ, tum qui vicem suam in sacris functionibus obiret, tum qui hospitibus excipiendis præesset. *Et ideo videtur mihi, ut ordinata illic Ecclesie, vel qui Missarum solemnia explere valeant, & qui Episcopii curam gerere, hospitalitatemque & susceptiones possint exhibere, &c. L.9. Ep.28.* Cum ad Anconæ civitatis Episcopatum acciretur Archidiaconus quidam, hoc illum rejiciebat Gregorius argumento, quòd amicorum neminem unquam epulo excepisset. *Adjicientes etiam ita illum tenacem existere, ut domum ejus amicus ad charitatem nunquam introeat.* Nihil attinet hic repetere, quod suprà diximus de reprehenso Episcopo alio, qui Gregorio suam rerum Ecclesiæ dilapidationem, & lautiora convivia excusabat necessitate explicandæ hospitalitatis,

Nec segnius Abbates Sanctissimus Pontifex extimulabat ad hospitalitatem sectandam, Volebat proventuum copiæ respondere largitiones has pias, ære alieno tamen priùs si quo tenerentur persoluto. *De hospitalitate esto sollicitus. Quantum potes, pauperibus largire. Ita tamen ut serves, quod Floriano restitui debeat, L.2. Ep.3.* Nec in præteritis dimittendum, quod idem alibi tradit Gregorius receptissimum fuisse in aliqua urbe, ut peregrini & hospites omnes à civibus cibo & tecto recrearentur, Ejus tandem rei tædio affectos pepigisse cum Episcopo, ut assignatis ei fundis, unus ipse totius hospitalitatis curas & expensas sustineret, *Indicavit vir clarissimus, hanc olim ibi consuetudinem convenisse, ut diversis supervenientibus, cives ejusdem civitatis de proprio impensas impenderent. De qua re cum quererentur affligi, hoc illis cum Theodoro quondam Episcopo convenisse, ut in Ecclesia ejus certa portione substantia sua donatione conscriberetur, & hoc in se onus susciperet; atque securis eis redditis, ipse de Ecclesia quidquid esset necessarium erogaret. L.8. e.20.* Cum postea verò experiendo exploratum fuisset fundos illos tantis expensis impares esse, approbatum est à Gregorio, ut illis urbi restitutis Episcopus ea cura absolveretur, civitas ipsa rursum pristinam exereret hospitalitatem, Hinc liquet 1. Civibus quandoque ipsis totam incubuisse hospitalitatem. 2. Eo illos onere levari se voluisse, adsignatis Episcopo idoneis fundis. 3. Hæc Xenodochia & Hospitalia à Laicis dotata & administrata, ab ipsismet Episcoporum juri & ditioni fuisse subjecta,

X. Hæc porrò effusissima largitas & hospitalitas in quoslibet prorsus mortales sedem & domicilium fixisse suum videbatur tanquam in patrio quodam solo, in Ecclesia Romana. Ideo & invictissimus ille Martyr B. Martinus Papa, percunctantibus Judicibus Imperatoriis, Eccur & quî Patriarcha Pyrrhus Romæ exceptus fuisset; fidentissimè respondit, In magna ignoratione Romanæ Ecclesiæ versari eos, qui nescirent, omnes ibi indiscriminatim, & ærumnosissimos quosque, cum suis excipi prolixissimè, ut non necessitati tantùm prospectum sit, sed & deliciis. Ita enim Martinus ipse in Collectaneis Anastasii Bibliothecarii, *Vos nescitis Ecclesiam Romanam? Dico enim vobis, quia quisquis venit illuc miserabilis homo hospitari, omnia ad usum prabentur ei, & nullum immunem fuit domus Sanctus Petrus repellit venientium illuc; sed panis mundissimus, & vina diversa dantur, non solùm ei, sed & hominibus ejus pertinentia. Si ergo in miserabilibus hominibus hæc fiunt, quò venit etiam honorabilis sicut Episcopus, qualem sumptum habet suscipere. Baron. an.645. n.16.* Facili conjectura augu-raberis, quàm lautè ibi exciperentur Episcopi, cum & in obscurioris sortis mortales tantum humanitatis effunderetur,

XI. Ad eam forsan charitatis & beneficientiæ normam B. Benedictus Regulam suam conformavit, ubi præcipi Abbatis mensæ adbiberi hospites & peregrinos omnes, non divites tantùm, qui carnalibus oculis arrident, sed pauperes potissimùm, in quibus oculatior fides Christum intuetur. *Omnes supervenientes hospites tanquam Christus suscipiantur. Omnibus congruus honor exhibeatur, maximè tamen domesticis fidei & peregrinis; pauperum & peregrinorum maximè susceptio omni cura sollicitè exhibeatur; quia in ipsis magis Christus suscipitur. Nam divitum terror ipse sibi exigit honorem. Mensa Abbatis cum hospitibus & peregrinis sit semper. Cap.53. 56.*

XII. Quæ in divites etiam dimanabat hospitalitas, nihil illa sæcularis pompæ aut luxus præ se ferebat. Impensior erat ædificandi, quàm pascendi cura: ab oratione principium, tum spiritalis succedebat lectio. *Suscepti hospites ducantur ad orationem, legantur coram hospite lex divina, ut ædificetur, & post hæc omnis ei exhibeatur humanitas. Ibidem.* Vel ipse conspectus exercitationum & macerationum Cœnobii Regulæ strictioris, ad bonam frugem revocare poterat homines sæculi ludibriis fascinatos. Denique Ecclesiarum largitiones hujusmodi in viros locupletes, non vicem tantùm aliquam beneficii præstabant iis, qui dona passim & oblationes in Clerum congererent; sed & nova hac illecebra eosdem invitabant, ut plura in dies Ecclesiæ, ut communi omnium altrici & parenti amantissimæ pauperum divitumque largirentur.

XIII. Nec omnes tamen Regulæ, vel omnia Cœnobia æquè studuerunt hospitalitati. Aureliani Regula Monachos absolvisse videtur ea, sive necessitate, sive consuetudine, quò liberiùs & tranquilliùs uni lectioni, uni se devoverent orationi. *Quia indesinenter sanctam charitatem vestram charitati & lectioni insistere, & soli Deo vacare volumus, ideo vos ab hac præparatione, aut inquietudine liberos esse præcipimus. Cap.58.* Sed illud animadverti necesse est, hoc caput ad Arelatensis civitatis spectare Monasterium, & cives ipsos maximè excludi ab eorum mensa & hospitio. *De hac civitate.* In promptu est ratio. Nec enim jam hospites sunt, aut peregrini, sed cives. Æquius etiam erat ab Episcopo & Clero civitatis, quàm à Monachis hospitalitatem ibi exerceri. Longè aliter res habet ruri.

XIV. Nullis cancellis finit Isidorus Hispalensis Episcopus circumscribi hospitalitatem Episcopalem. Ejus ædes jubet hospitium esse, & obvium omnibus charitatis diversorium. Laici enim charitati abundè est, si duos tresve hospites mensa sua impertiat; at nisi omnibus indiscriminatim pateat domus & mensa Episcopi, non satis ille spei respondet & expectationi hominum, *In quo etiam hospitalitatis itu erit præcipua, ut omnes cum benignitate & charitate suscipiat. Si enim omnes fideles illud Evangelicum audire desiderant, Hospes fui, & suscepistis me, quantò magis Episcopus, cujus diversorium cunctorum debet esse receptaculum? Laicus enim unum, aut duos suscipiens, implevit hospitalitatis officium; Episcopus, si non omnes susceperit, inhumanus est, De Offic. Eccl. l.2. c.5.* Quæ ille ex Hieronymo mutuatus est.

XV. De hospitali Episcoporum mensa verba faciebat, ut apparet, Concilium Toletanum, cum edicebat ibi perlegi divinas Scripturas, quò superflui conticescerent sermones, & diviniori esca mens reficeretur. *In omni sacerdotali convivio lectio Scripturarum divinarum misceatur. per hoc enim & animæ ædificantur in bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur. Can.7.*

XVI.

XVI. Effusiori & inconsiderato hospitalitatis usu Hispaniæ Monasteria à tramite deviaverant, cum Concilium Cæsaraugustanum III. vetuit in posterum, ne sæculares ibi hospitarentur, exceptis pauperibus, & iis, quos probatissima virtus ac religio polliceretur silentio & otio sacro Cœnobiorum nihil officere, vel obstrepere posse. *Nullus deinceps sæcularium, seu potestativè, seu ex permissu Abbatis intra claustra Monasteriorum hospitandi, vel commorandi habeat receptaculum; excepto, quos vita probabiles, egenos, aut paupertate depressos inspectio praviderit Abbatis; quos & suscipere benevola voluntate in Monasteriis, & alendos eleemosynis modis omnibus sancimus.* Can.3. Plusculum hic aliquid advertere est, quàm perfunctoriam & brevem hospitalitatem. Conceditur enim Abbatibus, ut in Monasteriis commorari sinant viros eos, quos vel pietas præstantior, vel necessitas commendabit, eisque vitæ præsidia omnia subministrent.

XVII. In Concilio Angliæ à celeberrimo illo Theodoro Cantuariensi Præsule convocato, vetitum est, ne Episcopi, vel Clerici peregrini ullis se interponant sacerdotalibus functionibus, nisi assentiente Episcopo, apud quem hospitantur. *Ut Episcopi atque Clerici peregrini contenti sint hospitalitatis munere oblato, nullique eorum liceat ullum officium sacerdotale, absque permissu Episcopi, in cujus Parochia esse cognoscitur, agere.* Beda l.4.c.5.

XVIII. Nec pluribus opus est, quàm nomine ipso & opinione Joannis Eleemosynarii Patriarchæ Alexandrini, ut omnes intelligant, qua ille exuberantia charitatis & munificentiæ incumberet in hospitalitatem. Unde & Monasterium seorsim ad id exædificavit, ut Monachi in eos omnes prorsus promiscuè exciperentur. *Hospitio recipiebat Monachos, & bonos æstimatos, & malos. Et ædificabat mox Xenodochium seorsum, & appellavit hoc Xenodochium omnium Monachorum.* Cap.23.

XIX. Vetuit Concilium Trullanum, ne cauponæ in ambitu Ecclesiarum extruerentur, vel venalia ibi prostarent esculenta, vel poculenta quælibet; scilicet ut ne cælestis Patris domus, domus fieret negotiationis. *Quod non oportet intra sacros ambitus cauponariam officinam, vel ciborum species proponere; vel alias venditiones facere, suam venerationem Ecclesiis servantes.* Can.76. Nec minùs expressè ibidem probibetur, ne cauponariam faciant Clerici, cum ne cauponas quidem inire per Apostolicos Canones eis liceat. *Nulli licere Clerico cauponariam habere tabernam. Si enim in cauponam ingredi non est permissum, quantò magis aliis in ea ministrare, & ea, quæ non licet ipsi tractare.* Can.9. Canone Apostolico summoventur Clerici communione, qui in cauponis esitarint, nisi dum iter faciunt. *Si Clericus in caupona comedens inveniatur, excommunicetur, nisi in pandochio, in via, in necessitate.* Can. Apost.54. Aditu ipso eos excluserat Canon Laodicenus. Can.24. Carthaginensis III. Concilii decreto renovatus est Canon Apostolicus: *Clerici edendi vel bibendi causa non ingrediantur tabernas nisi hospitii causa necesse sit.* Can.27.

XX. Finem imponam huic capiti observatione ea, quæ plurimum habeat momenti, ut intelligatur quid tandem causæ fuerit, quamobrem tam enixè commendaretur hospitalitas, non Clericis tantùm sed & Laicis. Necdum scilicet tam frequentes tum erant, quàm postea fuerunt cauponæ diversoriæ, & quàm sunt etiam nunc in iis Provinciis & Regnis, ubi Imperium, Religio, artes, scientiæ, leges sedem sibi & domicilium in Europa constituisse videntur. Eodem enim ferè locum etiam nunc res sunt in Asia, Africaque, atque erant in vetustiore orbe: unde & qui regiones ibi peragrant, cauponas & hospitia ipsi sibi sua coguntur quodammodo circumgestare, & sub dio noctes traducere, & tantum non castra metari. Narrat Gregorius Turonensis, L.6. c.45., ut Chilperici Regis filia in Hispania proficiscens ad regias ibi nuptias, octavo milliari Gallicano à Lutetia castra cum comitatu suo metata sit, & noctem duxerit sub tentorio. Tentoria quoque figebat in longinquo itinere emetiendo Lupentius Sancti Privati Abbas in Gabalis. Quod tum utique non infrequens erat. L.6. c.37.

CAPUT XLVIII. *P.3. l.4. c.8.*

De hospitalitate & frugalitate Episcoporum & omnium Beneficiariorum temporibus Caroli Magni.

I. Conciliorum Decreta de frugali & hospitali Episcoporum & Abbatum mensa.

II. Rursus Decreta Conciliorum. Hospitalitate pauperibus potissimum consulebatur. Frugalitati mensæ lectio accedebat.

III. Communi Monachorum Refectorio excipiebantur hospites in Cœnobiis.

IV. Hospitalitas Episcopis & Abbatibus à Carolo Magno commendatur.

V. Jure metatûs & gisti levata Cœnobia, ut largius hospites exciperent.

VI. Parochis ipsis lex indicebatur hospitalitatis.

VII. Nec deerat jurisdictionis aliquantulum ad id necessarium.

VIII. Capitula Canonicorum à fundamentis excitant, dotantque Xenodochia, ad hospites suscipiendos.

IX. Quanquam hospitalitas pauperibus lubentiùs impenderetur, permanabat tamen illa etiam in divites.

X. De hospitalitate apud Græcos.

XI. De lectione in mensa, etiam Imperatorum.

XII. De hospitalitate à Laicis etiam explicanda.

I. FRugalitate & hospitalitate ornatur vita omnium in commune fidelium; at Episcopis & Beneficiariis, ut fideles sint dispensatores, ne nefarii sint dissipatores rerum Ecclesiæ, lex aliquantò strictior incumbit, ut pauperes semper convivas habeant, vel tam parcè ipsi vescantur, ut constet hanc esse pauperum mensam. Ita decrevit Concilium II. Remense anno 813. *Ut Episcopi & Abbates ante se joca turpia facere non permittant, sed pauperes & indigentes secum ad mensam habeant, & lectio divina ibi personet, &c. Episcopi & Dei ministri non debent commessationibus & vinolentiis nimiis incumbere, &c. Moderatè cibum & necessarium potum sumant.* Can.7. 18. Et Concilium III. Turonense: *Episcopum non oportet nimium profusis incumbere conviviis, sed parco & moderato contentus sit cibo. Et quandiu convivatur, potiùs sacra lectio ante mensam ejus recitetur, quàm otiosa à susurronibus resonent verba.* Et Canone sequenti: *Peregrini ut pauperes conviva sint Episcoporum, cum quibus non solùm corporali, sed spiritali reficiantur alimento.* Can.5. 6.

Canonicis his præceptionibus quatuor inculcantur munia, sibi valde finitima. 1. Frugalitati dicata sit mensa, ut quæ patrimonii pauperum sumptu instruatur. 2. Ut ad eam pauperes invitentur, & quidem quasi jure quodam suo. 3. Ut hospites & peregrini etiam vocentur, quod in eis Christus pascatur. Ait enim ipsemet, *Hospes fui*. 4. Spiritalis lectio ibi frequentetur, quod à frugali epulo alienum non est.

II. Episcopis potissimum commendata est hospitalitas à Concilio Parisiensi VI. anno 829. allegata & Christi authoritate, qui hospitum personam ipse sibi induit: & Apostoli Pauli, qui Episcopalium virtutum choro hospitalitatem ascripsit; & denique Hieronymi, qui Laicorum hospitalitatem aliquo usque manare vult; at Episcoporum charitatem nullo prorsus concludi termino. Ubi adverte authoritate hac tota pauperes ab hospitibus non disjungi, & ad pauperum maximè solatia inculcari hospitalitatem. Unde & Concilium Turonense. *peregrini & pauperes convivæ sint Episcoporum.* *Can.*14. Sed ecce ipsamet Concilii VI. Parisiensis verba: *Cum ergo hospitalitas in tremendi examinis die ab æterno Judice sit commemoranda; qui dicturus est, Hospes fui, & non collegistis me, & ob id ab omnibus Christianis summopere sit sectanda; multò magis tamen, vigilantiusque ab his, qui dictis & exemplis ad vitam æternam alios ducatum præbere debent, postposita avaritiæ peste, & alia qualibet occasione, est prorsus exequenda. Ab Apostolo quippe inter cætera virtutum præconia, quæ Episcopo inesse debent, hospitalitas etiam habenda prædicatur; Episcopi namque domus, ut B. Hieronymus scribit, omnium communis debet esse hospitium,* &c. Et in Concilio rursus Aquisgranensi II. Anno 836. cum in desuetudinem abiret Episcoporum & Abbatum hospitalitas, innovatus est Canon Apostolicus, *Can.*1., jussique Episcopi, ut mensæ semper suæ pauperes adhiberent. *Decernit Apostolus, Hospitalitatem esse sectandam ab Episcopo, quam, in pluribus comperimus locis neglectam. Ideoque placet ut deinceps in singulis civitatibus & Monasteriis, juxta modum rerum hospitalitas ordinetur advenientium. Et placuit omnibus Episcopis, ut quocumque sit loco Episcopus, coram se aggreget pauperes semper ad refectionem. Can.*3.

III. Communi in Refectorio hospites cum Abbate & Monachis reficiebantur, copiosiùs quidem illi certè, sed tamen facta etiam Abbati copia, ut hospitum contemplatione lautius & Monachis aliquid exhiberetur. Ita quæ vulgò dicitur Camera charitatis, & mensa peculiaris illa Abbatis, à communi Refectorio disjuncta, aut necdum usu invaluerat, aut ejus hic usus aboletur. Audi ipsum statutum Conventûs generalis Abbatum apud Aquisgranum anno 817. *Ut Abbas vel quispiam fratrum ut ad portam Monasterii cum hospitibus non reficiantur. In refectorio autem omnem eis humanitatem manducandi & bibendi exhibeat. Ipse tamen ea cibi potusque mensura contentus sit, quam reliqui fratres suscipiunt. Si verò propter hospitem voluerit ad solitam mensuram fratribus sibique augere aliquid, in sua maneat potestate. Cap.*27.

IV. Præcepit & Carolus Magnus in Capitularibus, ut Episcopi & Abbates hospitio & mensa exciperent hospites, peregrinos & pauperes, cum fefellerint aliquando Sancti Angeli, hospitum vultum & speciem induti, quò charitati honorem haberent. *Et hoc nobis competens & venerabile videtur, ut hospites, peregrini & pauperes, susceptiones regulares & canonicas per loca diversa habeant. Apostolus hospitalitatem laudans dixit, Per hanc quidam placuerunt Deo Angelis hospitio susceptis. Capitul. l.*1. *c.*75.

V. Diximus proprio alibi loco, hanc tandem Monasteria immunitatem esse assecuta, ut ne jam metatuum juri subessent; nec amplius Episcopi, Comites & Magnates alii ad Cœnobia diverterent cum comitatu, & quodammodo pabularentur, ubi totum pauperum & vulgi fidelium levamento & hospitalitati addictum fuerat. Frustulum hic in suam privilegii, quo Marinus Papa Solemniacensem Abbatiam donavit. *Ut nullus Episcoporum, seu Comitum mansionaticum ibi, vel paratas, vel stationes requirere, seu exigere præsumat. Sed liceat servis Dei hospitalitatis benevolentiam, prout eis libuerit, cunctis fidelibus impendere. Conc. Tom.*3. *pag.*521.

VI. Nec verè Parochis ruris intepescere fas est in hospitalitate pro facultatum modulo exhibenda. Vide ut illis faces subjiciat Herardus Archiepiscopus Turonensis in Capitulari. *Ut hospitalitatem ante omnia diligant,* &c. *Ut Presbyteri & Clerici ante se joca turpia fieri non permittant, sed pauperes & indigentes ad mensas secum habeant, & legatur eis lectio.* C.18. 108, Idem præscripsit & Hincmarus Parochis suis, quos & monitos voluit sedulam hanc in pauperes potissimum curam & charitatem conferendam esse. *Ut curam hospitum maximè pauperum, atque debilium, orphanorum quoque, atque peregrinorum habeat, hosque ad prandium suum quotidie juxta possibilitatem convocet, eisque hospitium competenter tribuat. Hincmar. Tom.*1. *pag.*712. *c.*9. 10. *Regino. Baluz. pag.*24. 604 612.

VII. Carlomannus Rex filius Ludovici Balbi Constitutionem edidit, qua Parochos omnes impelleret, ad istud & charitatis & justitiæ munus, quo vis & authoritas illis inde major accresceret, & quo fideles omnes stimularent ad eandem humanitatem hospitibus impendendam; quin & legitima eos armavit jurisdictione in omnia, quæ hospitibus venduntur, ut pretium ipsi rei cujusque indicerent, si gravari & divexari cernerent hospites à Parochianis suis. *Volumus ut Presbyteri, qui bonum exemplum omnibus ostendere debent, hospitales existant,* &c. *Placuit nobis ut Presbyteri suos Parochianos admoneant, ut & ipsi hospitales existant, & nulli iter facienti mansionaticum denegent, Et ut omnis occasio rapinæ tollatur, nihil carius vendatur transeuntibus, nisi sicut in mercato accipiunt. Quod si carius vendere voluerint, ad Presbyterum hoc transeuntes referant, & illius jussu cum humanitate eis vendant. Capit. Car. Calv. pag.*471.

VIII. His tot tantisque testimoniis perspicuum est, mensam domumquo propriam Episcoporum, Abbatum & Parochorum, communem eamdem fuisse peregrinorum, hospitum, & transeuntium: totque fuisse sacra charitatis diversoria, ad excipiendos omnis generis hospites, quot erant Parochiæ, Monasteria & Episcopatus. Collegia Regularia, maximè verò Canonicorum expeditius postea duxere, ut sua intra septa, vel non procul, domum peculiarem hospitibus extruerent, eique unum è suis præficerent, adjudicata ei parte non modica redituum fundorumque suorum, præter decimas omnium Ecclesiæ agrorum, oblationum, redituumque cæterorum, quæ fere hospitalibus his domibus addicebantur. Hinc tot Xenodochia juxta Cathedrales Ecclesias sita, consecrata potissimum suscipiendis hospitibus & peregrinis. Exemplo suo prævivit Crodogangus Metensis Episcopus, quod & Statuto confirmavit Regulæ suæ intexto, cui postea authoritas accessit & promulgatio Concilii Aquisgranensis. *Evangelicis atque Apostolicis instruimur documentis in colligendis hospitibus. Hospes fui & collegistis me. Proinde oportet ut Prælati Ecclesiæ, præcedentium Patrum exempla sectantes, aliquod præparent receptaculum, ubi pauperes colligantur, & de rebus Ecclesiæ tantum ibidem deputent; unde sumptus necessarios juxta possibilitatem rerum habere valeant, exceptis decimis, quæ de Ecclesiæ villis ibidem consequuntur. Sed & Canonici tam de frugibus, quàm etiam de omnibus eleemosynarum oblationibus in usus pauperum decimas libentissimè ad ipsum conferant hospitale. Regula. Crodegan. c.*45. *Concil. Aquisg. c.*141.

Nec verò decimæ modò fundorum omnium & proventuum Monasterii, vel Capituli Xenodochio ad-

adjudicabantur; sed terrarum etiam laicis in Beneficium, sive in fundum concessarum. Ita declaratum à Carolo Calvo. *Spicil. Tom.2. pag.590. Anno 864. Præcipimus quoque, ut ex reliquis omnibus facultatibus Monasterii, quæ vel dominico jure, vel Beneficiorum consuetudine detinentur, decimæ hospitalibus divitum vel pauperum, sicut olim statutum est, ad integrum conserventur.* Eo sensu capienda hæc verba, ut *Facultates, quæ Dominico jure detinentur*, eæ sint, quæ dominus ipse suo unius juri & dominio servavit; at quæ ita exprimuntur, *vel Beneficiorum consuetudine*, eæ sint, quas Abbas; vel quivis dominus alius in feudum dedit vassallis suis, qui jam obligabantur iis vinculis & obsequiis, quæ *Consuetudines* dicebantur.

IX. Minimè verò nos prætervolabit, quod in eadem observatur Constitutione Caroli Calvi; quanquam propensius hospitalitas pauperes complectatur, non tamen abjici divites, dum ea sint animi moderatione & pietate, ut frugalitati acquiescant Ecclesiæ, quę parens cum sit nutrixque pauperum, eorum patrimonium sobriè & parcè dispensat. Diu Beatus Udalricus carnibus abstinuit, quamvis convivis semper inferri juberet. *Multis temporibus carne abstinuit; sed tamen aliis cum eo manducantibus abundanter donavit. Surius die 4. Jul. c.3.4.* Ejus mensæ primum ferculum statim totum in pauperes erogabatur, præter complures mutilos, truncos, & desperatis quibusdam morbis constrictos, quos præsens ipse refici quotidie curabat. Nemini unquam denegatus cibus; hospite velut Christo ipso suscipiendo exhilarabatur. In Imperatoris Ministros ipsos, charitatis suæ rivulos diffundebat. *Hospites autem cum ad eum devenissent, tripudio, & tanta hilaritate vultus & animi suscepti sunt, & in omnibus procurati, veluti in eis optimè conveniebat; sciens in eis Christum se suscepisse, illo dicente: Hospes fui & suscepistis me. Vassalli autem Imperatoris ab eo pergentes, vel ad eum tendentes, in tantum sunt opulentati, &c.* Multa adnotat hujus vitæ Scriptor memorabilia ejus epuli, quod die Paschæ instruebat sanctissimus hic Episcopus, ubi cum tres mensæ essent apparatæ & epulis refertæ, media *Matricularis*, hoc est pauperibus addicta erat.

X. Orientalium Episcoporum in sectanda hospitalitate summum studium & decus illustravit Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus. Frumentis quoquoversum distribuendis novum ab illo Josepho suo ævo repræsentatum affirmat author vitæ ejus, mensæ ejus plerosque missus ad pauperum flatim recreandam famem deferri solitos fuisse; denique extructum ab eo Xenodochium, hospitibus & peregrinis suscipiendis. *Sua mensa obsonia in frusta comminuens, ad accipiendos eos, esurirbant, in diee eis parabat suavivium. Abunde hujus rei sunt testes in hodiernum diem, definita receptacula eorum causa, qui hospitio accipiebantur, & pauperum nostrorum fratrum. Surius die 25. Febru.* In VIII. Concilio Generali vetitum est, aut distrahi, aut utcumque alienari vasa sacra, vel Reliquiarum Thecas, nisi ut sacri Canones ferunt, ad redimendos captivos: *excepta causa ab antiquis Canonibus ordinata, videlicet in redemptionem captivorum. Can.15.* Ibidem denique sancitum est, proventus Ecclesiarum expendi non posse, nisi ad reparationes Ecclesiarum pauperumque & peregrinorum alimenta. *Ecclesiasticos reditus ad propriam Ecclesiæ utilitatem, & ob escam pauperum, & peregrinorum sustentationem esse decernimus.*

XI. Pauca rursum hic addemus de lectione pia ad mensam, ut inde ad laicorum hospitalitatem delabamur. Et de lectione, & de omnibus supra constitutis de hospitalitate pulcherrimum editum est à Concilio Papiensi decretum anno 850. *Placet Episcopum moderatis epulis contentum esse, suosque convivas ad comedendum & ad potandum non urgere; quin potius semper se sobrietatis præbeat exemplum. Adsint peregrini, & pauperes, & debiles, &c. Recitetur sacra lectio, subsequatur vivæ vocis exhortatio, &c. Cap 3.* Præcepit Hincmarus Parochis suis, ut conviviis etiam laicorum ubi interessent, sacræ lectionis aliquid intertexi curarent. *Aliquis de illorum Clericis aliquid de sacra Lectione legat. Tom.2. pag.714.*

Nec id mirum accidet nobis, si recurrat animo Carolus Magnus, cui *comedenti ministrabant Duces & Tyranni, vel Reges diversarum gentium*. Authore Sangallensi Monacho: & qui tamen legi tum sibi jubebat non monumenta tantùm historica priscorum Regum, sed commentarios etiam Sancti Augustini & illos maximè, quos de Civitate Dei scripsit. *Inter cœnandum aliquod acroama, aut Lectorem audiebat. Legebantur ei historiæ & antiquorum Regum gesta; delectabatur & libris Sancti Augustini, præcipuèque his, qui de Civitate Dei prætitulati sunt. Du Chesne Tom.2. pag.102. 112.* Refert & Luitprandus in Legatione sua Constantinopolitana, Nicephoro Imperatori solemne id fuisse, ut homiliæ Sanctorum Patrum ad mensam ejus lectitarentur. Cum aliàs autem Nicephorus in teterrima quæque flagitia projectissimus esset, hinc jure colligitur, id illum factitasse more priscorum Imperatorum, ut epulantibus sanctorum Patrum scripta prælegerentur.

XII. Venio ad hospitalitatem, à laicis frequentatam, ut inde intelligas, quantò Clerici & Beneficiarii, quantò patrimonii pauperum dispensatores ad eandem illis præstandam humanitatem essent obligatiores. Parochis suis commendabat Theodulphus Aurelianensis Episcopus, Parochianos suos ut omnes incitarent, ad peregrinos omnes gratis tecto & mensa excipiendos, cum non Clericos solos, sed laicos omnes fideles compellaverit Christus his verbis, *Hospes eram & collegistis me*: cumque barbarorum ea sit inhumanitas & sævitia propria, hospites non admittere, nisi emuncta pecunia, vel pecuniæ exorta promissione. *Admonendi sunt, ut hospitalitatem diligant, & nulli hospitium præbere detrectent. Et si cui forte hospitium præstiterint, nullam ab eo mercedem accipiant, nisi fortè ille, qui à te recipitur, sponte sua aliquid det. Nam ille modus hospitalitatis non modò humanus, sed crudelis est, quo nunquam hospes in domum recipitur, nisi prius dandi hospitii merces componetur; & quod Dominus agere jussit, pro perceptione regni cœlestis, pro acquisitione terrenarum rerum agatur. Cap.25.* Nec ab his dissidet Jonas Episcopus Aurelianensis in Institutione sua Laicali. *L.2. c.29.* Id observatum est quidem à Sangallensi Monacho de Ludovico Pio, valde delectatum illum fuisse erogandis propria mano eleemosynis; affectatius illum balneis usum quolibet Sabbato, etsi minus egeret, ut ea occasione vestes suas omnes minusculis Ministris suis erogaret, excepto baltheo & ense. Sed satius est eum Thegano advertere, nunquam illum mensæ accumbere cœpisse, nisi prius eleemosynas quotidianas distribuisset, & quocumque demum loco versaretur, Xenodochia secum habuisse. *Quotidie ante cibum eleemosynarum largitionem exhibuit, & ubicumque erat, Xenodochia secum habebat. Du Chesne. Tom.2. pag.135. 279.* Integra apud Reginonem superest Formula Inquisitionum Episcopalium per singulas Parochias, dum illas Præsul visitaret. Illud in primis ibi eminet caput, *Si aliquis est, qui peregrino, aut viatori hospitium contradixit. L.2. c.5. n.72. L.1. c.14. L.2. c.14.* Hospitalitatis effigiem sanè pulcherrimam expinxit nobis B. Odilo in vita Beati Gerardi Comitis, & lectionis ibi usitatissimæ ad mensam, etiam ubi hospites intervenieбant.

CAPUT XLIX. P.4. l.4.c.14.

De Hospitalitate post annum Christi millesimum.

I. In Conciliis universim commendatur hospitalitas, sed in pauperes maximè, & in Monachos.

II. Uberiores illa in Canonicos distributiones, ad hospitalitatem dirigebantur. Fercula Monachorum & Hospitum copiosiora eodem collimabant.

III. Episcopi curabant, ut in locandis Beneficiorum agris fundisque omnibus, Villicis superesset, quo hospites susciperentur. Alia Conciliorum decreta.

IV. Statuta nuperrimorum Conciliorum.

V. Falberti & Hildeberti egregia aliqua de hospitalitate.

VI. Petri Damiani, & Petri Blesensis sententia. Cur aliqua Italiæ Cœnobia hospitalitatem intermiserint.

VII. Petri Cluniacensis Abbatis mirabile hospitalitatis studium.

VIII. Ut Concilia, ut Sancti Patres effricuerint invidiam, qua hospitalitati aspergebatur ex ea, quæ inde manabat otii Monastici & secessus perturbatione, nec non & ex substantiæ Ecclesiasticę in divites dilapidatione.

IX. De mira & singulari quorundam Monasteriorum hospitalitate. Dionysii Carthusiani doctrina.

X. Admiranda B. Caroli hospitalitas in Clericos, Laicosque, in pauperes, divitesque, Magnates ipsos. His, ejus domus Officina, & Schola evaserat omnium virtutum.

I. IN commune olim hospitalitas fidelibus omnibus inculcabatur, unde & eam Gregorius VII. Bohemis nuperrimè Christo adgregatis diligentissimè commendabat. *Eleemosynis atque hospitalitati devotè insistite. L.2. Ep.72.* Eleemosynis certè potest & hospitalitas annumerari, ut hic à Pontifice insinuatur, utque apertius declaratur à Concilio Parisiensi anno 1212. Regulares commonefaciente, ut hospitio excipiant non amicos solùm, vel divites, sed pauperes, & hos quoque propensiùs. *In hospitalitate quoque exhibenda, non tantùm potentibus & familiaribus, sed pauperibus & magis indigentibus secundùm uniuscujusque conditionem & loci facultatem præcipimus, ut in necessariis adhibendis curam adhibeant. Part.2. Can.5.* Non prohibetur hic, quin in amicos & locupletes exporrigatur hospitalitas, sed in egenos eam lubentius & liberalius effundi præcipitur. Concilium Turonense anno 1236. Abbates & Priores admonitos voluit ut hospitalitati studerent enixius, maximè in Monachos, qui omnia abjecerunt, quo se ad Christi vitam effingerent. *Injungimus Abbatibus & Prioribus, ut hospitalitatem exhibeant, sicut decet, & maximè Religiosis, qui nudi nudum secuti, propter Christum propria dimiserunt. Can.24.* Vorcestrensis Synodus anno 1240. hospitalitatem commendavit Clericis omnibus, ac præsertim Monachis; admonuitque, ut in suscipiendis, abigendisque hospitibus, ne spei obsequerentur, ne timore carnali agerentur ullo. *Præcipimus etiam ut omnes Clerici & maximè Religiosi sectentur hospitalitatem. Illos autem hospitio potissimè recipiant, quibus sive receptis, sive repulsis, nihil se speret, vel timeat, illum recipiens, vel repellens, ab homine retributionis vel molestiæ recepturum. Can.32.* Ita Jubent sacri Codices, bonum sectemur, uno eo stimulo, ut inenarrabiles in nos Dei largitiones pro modulo nostro adumbremus; veræ illius fœlicitatis æmulatores simus, cui dare suavius lętiusque est, quàm accipere; denique in hospitibus Christum suscipiamus, quod tum verè fit, cum ii suscipiuntur, quorum suscipiendorum non alia causa, non alia illecebra est, qua afficiamur, quàm ipse.

II. Concilium Coloniense anno 1260. quarundam Ecclesiarum usum damnavit, quarum distributiones tritico fiebant, jussitque ut pane fierent. Ea verò ratione utebatur Concilium, quòd Canonici distributum sibi frumentum distraherent, pecuniam in marsupium suum inferrent, pauperes & hospites excluderent tecto, cum ubi magna quotidie distributionum panis copia donabantur, non possent eos ferè non in pauperes, vel in hospites elargiri. *Cum verò sint quædam Ecclesiæ carentes pistrino communi, quod multùm utique reprobamus; super hoc ita præcipimus, quod in omnibus Ecclesiis Collegiatis habeatur commune pistrinum, & panis ibi præbendalis distribuatur, postquam unusquisque cum modio, sive maldro annonam panis præbendalis recipiat ad vendendum. Ex hac namque venditione perit hospitalitas in Ecclesiis, cum in ipsis pauci, vel nullò reperiantur panem suum in domibus recipientes claustralibus, vel egenis inde eleemosynam tribuentes. Can.11.* Ex hoc Canone perspicuè vides, quò pertinerent exuberantes illæ distributiones esculentorum, quæ Constitutionibus præscribebantur Canonicorum ac Monachorum. Largius dabatur, quod & liberalius ipsi darent; dabatur quod diutius servari, aut accumulari non posset, ut incunctanter id ipsi largirentur. Vetuit etiam hoc Concilium, ne aliter hospitalitas, quàm in commune exerceretur opera Hospitalarii, quem Abbas ipse designasset. Necdum enim Monachi res Monasterii inter se partiti erant. Quæ residua tamen erant omnia in Refectorio post Monachorum refectionem, in pauperes statim effundebantur, uti & reliquiarum quidquid fuerat in mensa hospitum. Idque in causa erat, ut paulò abundantiùs Monachorum hospitumque mensæ epulæ inferrentur, ubi necessitati fecissent illi satis, superesset quod charitas in alios refunderet. *Statuimus quod nullus Monachorum hospites per se recipiat, nisi Hospitalarius Monasterii, vel alter, cui Abbas eos commiserit recipiendos. Item statuimus quod debita eleemosyna & consueta, tum de refectorio, quàm hospitali fideliter pauperibus erogetur. Can.13. 14.* Proximo Canone jubetur in pauperes etiam dispensari, quidquid reliquiarum ex ægrotantium valetudinario & mensa effertur.

III. Provinciæ Turonensis Concilium apud Redones habitum anno 1273. in genere pronuntiavit bona Ecclesiæ omnia pauperum esse, Beneficiariorum ædes & res hospitibus pauperibusque communes esse debere. *Verùm quia quidquid habent Clerici, pauperum est, domus eorum omnibus debent esse communes prorsus quam indecens videretur, si de bonis Ecclesiasticis Christi pauperibus hospitalitas negaretur. Can.2.* Tum jubet Concilium, ne conducantur, sive ad firmam dentur unquam Ecclesię Parochiales, nisi commonito Episcopo, qui jubeat villicis & conductoribus dimitti idonea hospitum subsidia. *Idcirco statuimus, quod nulla Parochialis Ecclesia concedatur ad firmam, nisi juxta Diœcesani loci arbitrium firmario tanta portio relinquatur, quòd Christi pauperibus valeat condecens hospitalitas exhiberi. Et ad id Rectores Ecclesiarum per Episcopos proprios compellantur.* De Parochiis hoc Canone agitur illis, in quibus non residebant Parochi; aliàs Parochos ipsos cogebat Episcopus hospitalitatis munia strenuè explere. Concilium Lambethanum Provinciæ Cantuariensis anno 1281. Parochos jubet in Ecclesiis suis non residentes, dare operam Oeconomos habere, qui necessitatibus satisfa-

faciant pauperum Parochiæ, hospitum & concionatorum. *Statuimus, ut Rectores, qui in Ecclesiis suis residentiam non faciunt corporalem, nec Vicarios habent, per Oeconomos suos hospitalitatis gratiam exhibeant, juxta quod sufficiunt Ecclesiæ facultates, adeo ut Parochianorum pauperum saltem necessitati subveniatur extremæ, & ut qui ibidem transeuntes prædicant verbum Dei, recipiant necessaria corporis alimenta. Can.11.*

IV. In Concilio Ravennate anni 1286. cum Archiepiscopus Bonifacius Beneficiarios ejus Provinciæ hortatos esset, ut in pauperes effluere finerent rivulos quosdam superfluæ ejus opulentiæ, quæ ædes & mensæ eorum redundabant; unius anni indulgentias illis concessit, qui pauperes aliquot alerent pro copia facultatum, dierum autem quadraginta iis, qui eos veste donarent. *De pœnitentiis injunctis unius anni indulgentiam habent. Can.2.* Ab Archiepiscopo Remensi Roberto de Courtenai in Concilio Provinciali apud Compendium decretum est anno 1304. ne plures quàm duo missus mensæ exhiberentur præter jurulentum illum prævinmque cibum, qui potui propior est, unde & illi vernaculum nomen: si supervenirent viri quidam spectabiliores, intermedium aliquod ferculum adjiceretur; quibus tamen legibus supersederi posset, ubi Reges, Duces, Barones exciperentur. *Personæ Ecclesiasticæ in singulis conviviis sint contentæ potagio & duobus ferculis sine fraude, nisi magnitudo personarum supervenientium aliud requirat, & tunc cum prædictis poterunt uti aliquo ferculo intermedio; ita quod, si in conviviis hujusmodi Reges, Duces, Comites, Barones, aut alios excellentes contigerit interesse, præsenti statuto minimè sint astrictæ. Can.5.*

V. In Concilio Palentino Hispaniæ anno 1322. pronunciatum est cum omnes Beneficiarii, atque præ cæteris Parochi suscipiendorum hospitum lege obligentur: *Hospitalitatem, quam ex pietatis officio de jure à Clericis, & maximè Ecclesiarum Rectoribus impertiri convenit transeuntibus, observari volentes. Can.13.* Parochorum esse officii, ut Regulares & pauperes peregrinantes excipiant, nisi propria sit domus aliqua ad id instructa. *Nisi ad hoc sit domus aliqua specialiter deputata.* Tumque etiam providentiæ erit Parochorum, ne qua re necessaria destituantur hæc hospitia charitatis. Concilium Bituricense anni 1528. præcepit, ut cum legitima etiam dispensatione suis Ecclesiis abessent Parochi, per Vicarios nihilo segnius accuratò hospitalitatem exhiberi juberent. *Teneantur sic per se, vel per suos Vicarios procedere, ut debita hospitalitas & pauperum subventio observentur. Can.30.* Idem constituit & Narbonense Concilium anni 1551. Concilium Mediolanense I. anno 1565. Tridentini vestigiis & decretis insistens, Beneficiarios omnes ad hospitalitatem cohortatur, Episcopos in primis, quibus eam commendatissimam esse voluit Apostolus, ad illud potissimum monet, ne cupidiùs divites invitent, cum ex adverso & Concilia & Patres res & proventus Ecclesiæ omnes pauperibus potissimùm addixerint. *Sacra Tridentina Synodi decretum secuti, monemus omnes, quicumque Beneficia Ecclesiastica obtinent, ut hospitalitatem benignè exerceant, memores Christum Dominum in hospitibus recipi, à quo recipientur ipsi in æterna tabernacula. Hoc autem hospitalitatis officium eò magis Episcopis excolendum est, quòd illis eam virtutem Apostolus in primis amplectendam proposuit. In hospitalitate autem non his habeatur delectus personarum, ut divites potissimum invitentur, qui cum fœnore reddant, quod acceperint; sed cum Ecclesiasticarum personarum domum nemini, quantum per facultates licuerit, clausam esse deceat, profectò illis maximè patere debet, qui Dei voce, Sanctorum Patrum cohortationibus & exemplis, sacrorum Conciliorum præcepto & authoritate commendati sunt. Cap.23.*

Concilium Aquense anno 1585. voluit ut Episcopi tecto exciperent Episcopos, civitate, qua ipsi resident, iter molientes. *Tit. De Episcopis.* In Concilio Mechliniensi anno 1570. placuit ut Monachi locum haberent sepositum ad excipiendos hospites, consanguineos maximè Monachorum: aut ut mensæ adhiberentur Abbatis, frugali illi quidem, & sacro lectione conditæ. Voluit ut & hospitium esset instructum consanguineis & proximis Monialium, quo eis non pateret aditus, nisi ad cratem ferream cellæ colloquiorum. *Tit. de Regularibus.*

VI. Res Ecclesiæ suæ temporales eo maximè nomine B. Fulbertus pessumdatas & dilapsas dolebat, quòd ita succisi sibi essent nervi, hospitalitatis, & uberioris eleemosynarum largitionis. *Ut officium hospitalitatis & eleemosynæ, sicut mea interest, administrare non possem. Epist.90.* Luculentissima est Hildeberti Epistola ad Moniales, vel potiùs contra Moniales, qui Carnotensem Episcopum tecto excluserant, quem noctis, itinerisque necessitas compulerat ad earum Cœnobium divertere. Illud statim probro dat, non Episcopum, sed seclusum ab illis fuisse Christum: *Exclusistis Christum, oblitæ pariter & bonum hospitalitatis, & præmium.* Exclusum & abactum Pastorem, quem allicere debueraot. *Exclusus est, qui ut diverteret ad vos, non invitandus tantùm fuit, sed etiam trahendus.* Non posse ab eis inopiam prætexi, cum abundarent earum Ecclesiæ argenteis aureisque vasis sacris, quæ vænire præstabilius fuerat, quàm Episcopum ita illiberaliter & inhumanè haberi. *Fortasse paupertate repulsam excusatis; sed non modicum auri circa altare rutilabat, sed plurimum resplendebat argenti, sed supererant ornamenta, quæ meliùs exponerentur ad usuram, quàm Præsul ad imbrem. Ep.65.*

VI. Laudibus in cœlum extulit Petrus Damiani Monasteria quædam Italiæ, quæ hospitalitate excluserant sua locupletes & Magnates, Abbatis mensam everterant, Abbatibus ad communem accedentibus mensam, & ne tamen germana hospitalitas interciperetur, tribus semper pauperibus juxta ipsum Abbatem epulari dabatur. *Nonnulla in nostris partibus Monasteria præclaram nuper institutionis normam sibimet indiderunt, ut præter cætera pietatis opera, etiam tres pauperes cum privata mensa juxta se semper Abbas habeat, eisque singulis mensuram cibi, quam quivis habet frater, apponat. Nam cum Regularis norma præcipiat, ut Abbatis mensa semper sit cum hospitibus, hoc modo noviter utrumque completur, ut & Abbatis mensa non superbis sæculi, sed sanctis hospitibus pareat, & ipse conversi fratribus non emittat. L.55. Ep.14.*

Illud quoque moris inoleverat in his sanctitatis strictioris Monasteriis, ut quotannis in pauperes erogarentur decimæ redituum omnium cujuscumque demum generis: *Enimvero ut copiosiora in pauperes alimenta proveniant, dantur in Monasteriis & Eremis decimæ quorumque proventuum.* Quid verò causæ fuerit, quamobrem in illis Italiæ Cœnobiis hospitalitas oblitteraretur, docebit nos Epistola quædam, Petri Blesensis Epistolis intertexta. Est porro Epistola ea Abbatis cujusdam, qui consilium ceperat abdicandæ Abbatiæ suæ, quo ejus declinaret sollicitudines, & serviles propemodum obligationes, verbi causa hospitalitatis, qua id consequuntur Cœnobia, ut Crucifixi Christi patrimonium depascantur divites, dum pauperes fames infestat. *Quid de hospitalitate dicam, quæ meritò hostilitas potiùs, quàm hospitalitas censeretur. Christus enim causam ei non præstat, sed inanis gloria obtenditur. Divitibus quidem in hospitio cum honore & reverentia susceptis, in omni opulentia delicia apponuntur*

tar de patrimonio Crucifixi; Chriſtus autem ſemel olim Crucifixus in ligno, foris in pauperibus ſuis Crucifigitur & torquetur in luto. Ep.102. Sua ad eam Epiſtolam reſponſione conſultiſſimè id cavit monuitque Petrus Bleſenſis, nec abdicandam Cœnobii adminiſtrationem, nec intermittendam hoſpitalitatem, ſed utramque ex caſtiſſimæ charitatis fine & lege temperandam, circumcidendum luxum, reliqua vitia amputanda.

VII. Sanctiſſimè hoſpitalitatem colebat Petrus Cluniacenſis Abbas; & inde piam illuſtremque aucupabatur laudem in datis ad Epiſcopum literis, quòd Cœnobium Cluniacenſe veluti ærarium eſſet publicum Chriſtiani orbis, quo pauci inſerebant, unde innumerabilis multitudo hauriebat. *Videores Cluniacenſium velut totius Chriſtianæ Reipublicæ ærarium eſſe, de quo omnes hauriunt, quod pene exhauriant, in quo rari pauca injiciunt, de quo plures multa accipiunt. L.4. Ep.8.* Conqueſtus eſt aliquando ad B. Bernardum idem Petrus, quòd Cluniacenſes à Ciſtercienſibus hoſpitio excluderentur, quo non poſſent non vehementer & jure offendi ſæculares ipſi. *Tollatur tantum non ingrediendi ſcandalum, ſi pro more apud veſtros conſtituto hoſpitium.* Conteſtatur in Cluniacenſium Monaſteriis ſuſceptos ſemper fuiſſe Ciſtercienſes, dummodo reſtituatur hoſpitalitas, aſſentiri ſe non illubenter, ut pari auſteritate accipiantur Cluniacenſes, atque Ciſtercienſes: quanquam communi utriſque B. Benedicti Regula ſanciantur, ut humaniſſimè hoſpites excipiantur. *Omnis ei exhibeatur humanitas. L.6. Ep.4.* Qui vitam ſanctiſſimi hujus Abbatis Petri ſcriptis mandavit, is magnificè prorſus declarat, ut eſſet tunc Cluniacenſe Cœnobium, diverſorium commune omnium Epiſcoporum, Abbatum, Clericorum, Monachorum, Nobilium, ruſticorum, Chriſtiani denique orbis, & cujuſvis ſortis hominum. *Fecerat ea charitatis virtute Monaſterium ſuum præ cunctis Monaſteriis Franciæ totius commune univerſorum hoſpitium, & velut generale abſque ullius exceptione cunctorum aſylum; Epiſcoporum, Abbatum, nobilium etiam Laicorum quotidianus concurſus, Monachorum & Clericorum agmina, pauperumque nunquam deeſſe poterat turba; domos univerſas, hoſpitia cuncta aſſiduè pene replebat. Suſcipiebantur alacriter omnes. Bibl. Clun. p.596. 1308.*

VIII. Tam effuſa nulliuſque patiens limitis charitas & hoſpitalitas Cluniacenſium id ſibi ſuo quaſi jure vindicabat, ut & ipſis aditus pateret ad mutuæ hoſpitia humanitatis. Sed Lectores ipſos operæ pretium eſt conniti aliquantulum, ut ſinum pandant ac dilatent ingenii pectoriſque ſui, quo effuſiſſimam hanc charitatis, & hoſpitalitatis, & largitionum copiam, vim, amplitudinem, perinde ut res poſtulat, ſatis mirari, amplexarique poſſint, & exoſculari. Video, nec diſſimulo, duo hic eſſe quæ meritò ſint extimeſcenda, ſilentii, & ſeceſsûs, & arrecti jugiter ad Deum animi perturbationem, ac rurſum patrimonii Chriſti in luxum & delitias abliguritionem. Ne in hos ſcopulos hinc & hinc imminentes impingeretur, laudabat ſuprà Petrus Damiani receptiſſimum uſum aliquot Monaſteriorum, quo exploſa erat publica hoſpitalitas. Malebat is Abbas, ad quem paulò antè reſcribebat Petrus Bleſenſis, abire munere & regimine Cœnobii ſui, quàm ut diutiùs ea jactaretur ſollicitudinum in ſuſcipiendis hoſpitibus tempeſtate, & ſacrorum proventuum dilapidatione cruciaretur. Adde & Chryſoſtomum ipſum olim ab hoſpitalitate aliquando ceſſaſſe. Sed hæc utcumque laudabilia, facta certè ſunt, non jura: exempla, non leges; exceptiones denique ſunt, quibus generali nihil derogari poteſt regulæ hoſpitalitatis à Paulo promulgatæ, priùs à Chriſto ſancitæ, à Conciliis, Patribus, Præſulibuſque antiquiſſimis, ſanctiſſimiſque confirmatæ & longiſſimo uſu roboratæ, ingenti pietatis fructu, frugalitate, charitate. Pauperes primas tenebant, non ejiciebantur divites; Epiſcopi, Clerici, Monachi, Laici, Nobiles, Optimates excipiebantur ea humanitate, cui tam nulli objici poſſent limites, quàm nec charitati, onde illa profluebat. Si quis hoc ſcrupulo torqueatur, patrimonium pauperum in epulas divitum effundi non debuiſſe; perpendat ille ſecum ſeriò, quàm nec ipſe poſſit, niſi ineptum ſe videri velit, diſcedere à ſententia tot ſuprà laudatorum Conciliorum, Antiſtitumque magni nominis, qui charitatis hoc hoſpitio divites nunquam excluſere, quin & adſcivere, dum ne pauperes excluderentur. Hujus mirabilis diſciplinæ ſons non alius eſt, quàm humanitas charitaſque Eccleſiæ, quæ non poteſt non, ſin minùs aſſequi, certè ſequi & æmulari ſponſi ſui Chriſti infinitam munificentiam, & largitionum fontem inexhauſtum. Parens illa eſt amantiſſima pauperum, divitumque; nec poteſt non eos uno omnes ſuo conſovere & geſtare ſinu. Accepit illa, accipitque indeſinenter divitum dona ad alendos pauperes; ut jam minimè conſentaneum ſit, ut menſæ ſuæ adhibeat pauperes, & divites ea ablegat, qui his eam dapibus inſtruxere. Cum paſcit illa divites, nempe refundit in eos parciſſimè aliquid eorum, quæ illi largo ubere ſibi infuderunt. Hi quidem quos nunc illa paſcit divites, nihil illi forſan antè impertierunt; ſed majores eorum, ſed divites alii & impertiere, & impertiunt etiamnunc abundantiſſimè. Quid præclarius autem, aut ad Eccleſiæ gloriam illuſtrius, quàm his documentis orbs terrarum approbare, quantò compendioſius ſit dare, quàm accipere. Denique ad largiendum inflammandi ſunt divites ipſi Eccleſiæ in eos largitionibus: & impartito illis pauperum patrimonio invitandi, ut divites ipſi patrimonio ſuo pauperes juveut. Hoſpitalitas Eccleſiæ in pauperes, horum corporalibus ſuccurrit anguſtiis. At hoſpitalitas Eccleſiæ in divites illecebra eſt, qua Religioni magis magiſque adglutinentur, quo ad frequentanda piis ſeceſſus loca illiciantur, quin his veluti ſanctitatis Seminariis frugalitatem perdiſcant, cæteraſque virtutes, quarum domicilia, & veluti gymnaſia quædam ſunt Epiſcoporum, Abbatum & cæterorum Beneficiariorum ædes. Quæ nominis ſui vim & naturam retinet, quæ originis ſuæ ſaporem ſervat hoſpitalitas, non ea ſæcularium contubernio religioſas domos turbat, commaculatque; ſed ſæculares ipſos inſuefacit mirari, & quantum poſſunt imitari religioſam illam quietem, pietatem, & cœleſtis converſationis quandam initiationem. Hoſpitalitas vera & germana non crucis patrimonium diſſipat in delicias divitum; ſed frugali & honeſto divitum paſtu, hos addocet, ſumptibus ipſos quidem parcere, & tanto liberalius pauperibus erogare ſuperflua. Quantocumque numero Beneficiarii privatis vitiis ſuis hoſpitalitatem depravent, maculas quidem illi turpes inurent ſibi ipſis, non hoſpitalitati, non ejus pulcherrimis & illibatis legibus, non ex his efflorescenti Eccleſiarum & Chriſtiani nominis gloriæ. Si vix enim, aut nec vix poteſt non ingenti perfundi animus admiratione & gaudio, ubi Petri Venerabilis celebratur illud Encomium, & Cluniacenſis ejus Abbatiæ, quæ inexhauſti inſtar erat ærarii, & exuberantiſſimæ in omnem Eccleſiam charitatis fiſcus: quantò æquius eſt ea exhilarari lætitia, & laude florere Eccleſiam Catholicam, quæ parens eſt & nutrix omnium Dei filiorum, ſuorumque?

IX. Pauca ſuperſunt quæ perſtringam de hoſpitalitate Cluniacenſi, ubi Petrus Venerabilis ait quotidie paſci ſolitos fuiſſe tres pauperes peregrinos, poſt aquam pedibus manibuſque eorum infuſam; Abbatem porro in Refectorio communi cum Monachis & cum hoſpitibus reſici ſolitum, ne

rur-

rursus si sejungeretur ut priùs Abbatis mensa, sumptuosæ ibi rursum epulæ instaurarentur. *Bibl. Clun. p.672. 673. 1474.* Ea duo imminutata & innovata in Italiæ quibusdam Monasteriis gratulabatur superius Petrus Damiani. In Statutis sub Hugone V. Cluniacensi Abbate conscriptis observatum est, decrescere & pessum ire Monasteria Ordinis, quòd in eis contemptui esset hospitalitas, ex qua incrementa olim incredibilia quędam proficiscebantur. *Cum oculata fide hac de causa loca religiosa crevisse videamus, erubescendum nobis est, quod hanc minus honestè observamus, & occasione, qua creverunt, modo decrescunt. Statuimus ergo ut Religiosę Persona, seculares, & pauperes singuli suis modis secundum facultatem locorum benignè recipiantur & exhibeantur honestè.* Commemorata est à Willelmo Malmesburiensi fundatio Reddingensis in Anglia Abbatiæ ab Henrico I. Rege, Tamisin inter & Kenetam, ubi frequentissima erat via, & ubi Cluniacenses Monachi, à Rege ibi constituti, sumptuosissimam exercebant hospitalitatem, ut multò plura in hospites, quàm in collegium unniversum Monachorum expenderentur. *Hoc esse Cœnobium inter duo flumina Kenetam & Tamisin constituit, loco ubi omnium pene itinerantium ad populosiores urbes Angliæ possit esse diversorium, posuitque ibi Monachos Cluniacenses, qui sunt hodie præclarum sanctitatis exemplum, hospitalitatis indefessæ & dulcis indicium. Videas ibi, quod non alibi, ut plus hospites totis horis venientes, quam inhabitantes insumant. Pag.162.* Hujus enimverò Reddingensis Abbatiæ tumultuosissimam hospitalitatem impatientissimè ferebat Abbas ille, quem supra diximus Petri Blesensis Epistola delinitum fuisse. Et huic ipsi tamen hospitalitati, suo ut vides testimonio suffragatur Willelmus Malmesburiensis. Quin & eo videtur consilio hoc Cœnobium à Rege extructum & dotatum in loco, hospitibus & peregrinis frequentissimo, quo tam largæ hospitalitati locus esset.

Fuere & antiquissima olim Cœnobia, quæ incredibilem hanc hospitalitatem Cluniacensibus præmonstrasse videri possint. Ejusmodi fuit Monasterium celebratissimi illius Theodosii, tot Monasteriorum quondam parentis, qui peregrinos prorsus omnes nemine excepto excipiebat. Contigit ut uno die centum amplius mensæ extruerentur. Ita ejus Cœnobio, velut communi hospitio omne hominum genus utebatur: *Si quis eum dixerit communem portum, & communem medicinæ officinam, communem domum, commune penu, rectè dixerit & congruenter veritati. Boll. die 11. Janu. c.7.*

Erat & illa peculiaris ratio hospitalitatis, cum insignibus Benefactoribus locus aliquis proprius in communi Refectorio addicebatur, licèt absentibus, cum tamen acsi affuissent, dapes inferrentur, & mox efferrentur, in pauperes distribuendæ. Exempla ejus rei non pauca conferri huc possent. Unum depromam Alfonsi Hispaniarum Regis. Ejusmodi grati & memoris animi testimonio sanctus Hugo Cluniacensis Abbas signatam voluit suam & Ordini pietatem in tam munificum Regem. *Statuimus ut prebendam quotidianam habeat in Refectorio ad majorem mensam, quasi si nobiscum epulaturus sederet, quæ uni pauperum Christi semper tribuatur pro salute animæ ejus, tam in vita, quàm in morte. Spicil. Tom.6. pag.447. 627.* Ubi & illud adverte, etsi mortali stadio hoc emigrassent hi tot Beneficiorum authores, ab ea hospitalitate, & grati animi significatione destitum non esse. Ita miro charitatis ingenio ultra vitam patebat hospitalitas, absentibus quoque impendebatur, & in pauperes destuebat quidquid rerum Ecclesiæ videbatur divitibus efferri.

Nec Dionysio Cartusiano displicuit hospitalitas in divites, dum id fieret rarius, & sinceræ pietatis instinctu, ad eos Deo lucrandos, vel ad muniendam eorum benevolentia & tuitione Ecclesiam. Aliàs enim rerum Deo Sacrarum propbana ea foret dissipatio. *Bona Ecclesiastica specialiter patrimonia pauperum nuncupantur. Unde nullatenus licet ea in vana & seculari hospitalitate consumere cum divitibus potentibus, talibusve propinquis. Non tamen illicitum est talibus interdum, seu raro ex pia causa, ad honestam amicitiam confovendam, aut propter aliam rationem decentem hospitalitatem rationabilem exhibere. Con. pluval. Benef. c.16.*

X. Finem faciemus dicendi de hospitalitate, ubi ejus specimen numeris omnibus absolutissimum delineaverimus in Beato Carolo Mediolanensi Archiepiscopo, qui non injuria ea ipsa ornari posset à nobis laude, qua Rievallensis Abbas B. Eduardum Angliæ Regem prosequutus est: *Thesaurus ejus totius orbis respublica videbatur, pauperum commune ærarium, quoniam Rex totum quod habebat non suum estimans esse, sed omnium. &c. Scrip. Ant. Angl. pag.376.* Erat ex Giossano, *L.8. c.26.*, domus Beati Caroli obvia semper & patens *non pauperibus tantùm, sed & peregrinis & advenis, cujuscumque regionis & sortis. Apud illum diversabantur Cardinales, Episcopi, Prælati omnes, eorumque Vicarii & Procuratores, qui Mediolano iter faciebant. Tam prolixa eos Carolus humanitate excipiebat, ut animi sui penetralia lubentes ei panderent, & quid edoceri se cuperent, ita ut totos cum eo menses demorarentur, ab eoque adsciscerentur comites in perlustrandis Parochiis, in celebrandis Congregationibus, & Synodis.* Quid oro te, vel animo fingi, aut optari potest ejusmodi hospitalitate vel magis Regium, vel magis Episcopale? Nonne domus hæc erat religionis totius Clericalis, & sacrarum disciplinarum officina? Ita temperanda, ita administranda erat hospitalitas, ex Ecclesiæ legibus, ex Pauli documentis, ex Ambrosii, Augustini, cæterorumque Ecclesiæ præstantissimorum Antistitum institutis. *Ita ut in tam eximiam scholam frequentes advolarent Episcopi & Prælati. Quibus Carolus, si moras cum eo non traherent, egerent, liberalius largiebatur equos pecuniamque, ad iter expediendum.*

Hactenus de Clericis hospitio Caroli excipi solitis. Mox idem Giossanus de laicis, quibus, & Magnatibus potissimum sanctissimus Præsul pias struebat insidias, ut eos irretiret hospitalitatis suæ blanditiis, & in eo virtutum gymnasio necessariis ad æternam salutem præceptionibus & exercitationibus informaret. *Ausam aucupabatur Principes & Optimates seculares suas in ædes abducendi, ac retinendi, ut ad resipiscentiam & ad æternæ salutis cogitationes illos impelleret; hunc fructum hospitalitatis suæ lubentissimè capiens, ut non corporalibus tantùm, sed & spiritualibus necessitatibus succurreret; non monitis salutaribus, non exemplis hospitibus suis deesset, procuranda salutis præsidia omnibus commonstraret; quæ ille in omnes, sed in Principes maximè, & in Magnates apud eum diversantes charitate æstuabat. Inter eos fuit Andreas Battorius, Stephani Poloniæ Regis nepos; qui ad eum bis divertit, cum comitatu suo amplius quinquaginta equorum, & compluribus aliis; præter quam, quod tum Carolus nonnullos semper Equites & Nobiles Mediolanenses invitabat, quo horum colloquiis & confabulationibus Principes hospites oblectaret, denique perinde ut eorum dignitas postulabat, mensa & hospitii magnificentia omnium in se oculos Carolus convertebat.*

Non vana spe ducor, fore, ut qui non omnino assentiebantur iis, quæ à nobis hoc capite dicta sunt de Ecclesiastica hospitalite, ejusque munificentia, etiam in divites, Proceres & Principes: hi

fal-


saltem Caroli exemplis expognentur, & intelligaot aliquando tandem, posse Præsules à luxu & affectu quolibet humano alienissimos, & à sæculi pomparum iosaoia, sumptuosiorem tamen hospitalitatem Optimatibus & Principibus exhibere, eoque lenocinio abuti, ot in eorum pectora iostillent fidei lumina & virtutum amorem. Si regeras tam rara esse hæc hospitalitatis miracula, quàm rarum est Carolos, aut Caroli virtutibus finitimos Præsules orbi affulgere: reponam & ego, oihil magnum & arduum esse, quod noo idem rarum sit; Episcoporum esse; ut ad ardua & summa conteodant: denique ut arduum sit Caroli virtutes assequi, at proclive esse ad eas accedere. Nobis certè propositum non fuit hospitalitatem, ejusque muuificentiam ornare, nisi his accommodata legibus esset. Alioqui non illa jam erit Ecclesiastica hospitalitas, quam Paulus Episcopis commendavit.

Nec omitteodum quod idem Scriptor prodidit, Regios ministros io suspicionem venisse, ne quid fraudis interveniret io tam incredibili esculentorum copia, quæ Mediolanum invehebatur, in Episcopale Palatium, nec ad portas civitatis vel teruncius solvebatur. Hæc illis excussa facilè suspicio est, at incussa simul admiratio, ubi ratiociniorum libris sibi repræsentatis, viderunt unius oon amplius mensis spatio treceotos hospites susceptos fuisse. Diffidebant Caroli ministri, posse tantas diutiùs expensas sustineri. Placuir deliberari. At Carolus tandem ipse diffiniit, nihil recidi aur minus posse: *prohibendu enim sibi, aut coarctandu hospitalitate, infringi gloriam & coronam potissimùm, qua Deo se & hominibus commendari confideret.* Denique adeo non decerpsit quidquam de pristina muniticeotia, ut extremo vitæ suæ anno statuerir, omoes prorsus Clericos, qui Mediolano commearent, excipere suis in ædibus, ut hæc sibi Synodus esset perpetua; otque eos exemplo suo acueret ad hospitalitatem sectandam.

Hoc rursus Giossanus prodidit, *L.8.c.11.*, memorandum cum primis, nec omnino alienum à proposito hic nostro. Affuisse scilicet Carolum oonnunquam nuptiis, & oupiialibus conviviis, ut sumptibus moderareiur, or frugalitati omoia accommodari satageret, uique caverer, ne quid ibi impudenter fieret, aut flagitiosè. Lectione totum epulum condiri voluisse, tum deinde babita concione perdocuisse rationem celebrandarum Christiano ritu ouptiarum.

F I N I S.

IN VI-



IN VIRI DOCTISSIMI

LUDOVICI THOMASSINI

OPUS DE ECCLESIÆ DISCIPLINA VETERI, ET NOVA CIRCA BENEFICIA

JOANNIS DOMINICI MANSI,

Clerici Regularis Congregationis Matris Dei, Lucensis,

ANIMADVERSIONES.



VIR supra invidiam doctissimus THOMASSINUS, cum in aliis editis Operibus utilem Ecclesiæ operam contulisset, in his de Disciplina Voluminibus etiam necessariam impendit. Cum enim Ecclesiæ Disciplina recta Beneficiorum collatione & administratione maximè contineatur, nemo planè non videt, quàm unico ad eam rem fuerit momento, si Conciliorum Decreta omnia, si Virorum sanctitate æquè, ac doctrinâ insignium dogmata atque exempla, variis temporum rerumque vicissitudinibus accommodata, teneantur. Eo semel aperto itinere latèque deducto, facilius est non aberrasse. Validum etiam ex ea Veteris & Novæ Disciplinæ concordiâ pro asserendâ Ecclesiæ nostræ Fide adversus Heterodoxos deducitur argumentum; quippe quòd tam exactè illibatèque servatus disciplinæ tenor, de fidei deposito sanctè, atque integrè custodito testimonium ferat apertissimum. Quæ cum ita se habeant, audaciam meam excusabunt Lectores, si ad eximium hoc summi viri Opus Animadversiones hasce addendas, quò magis magisque perficeretur, suscepi. Si pro voto res mihi successerit, audacem fuisse juvat; si conantem eventus fefellerit, tam magnis ausis excidisse præclarum est. Hæc de me: nunc de scriptiunculis hisce meis pauca. Congestis à Thomassino nihil addendum duxi, nisi cùm fortè vel singulare aliquid, vel singularis Provinciæ disciplina promenda esset. Exempla tamen, si quæ suppetebant, quinque priorum sæculorum, quanquam alioqui eandem, quam Author constituerat, Disciplinam probarent, in medium adduxisse duxi opportunum, quibus in tantâ temporum caligine lux magis magisque rebus affunderetur. Ita pariter factum est in asserendo Clericorum Cœlibatu, sicut in Horarum Canonicarum privatâ recitatione, in quos ambos Disciplinæ articulos ea omnia congessi, quæ suppetebant: juvat enim adversarios, qui ratione nolunt, strue argumentorum oppressisse potiùs, quàm oppugnasse. Italiæ Disciplinam luculentiùs exponere mearum esse partium duxi. Tandem si quid errasse Thomassinum deprehendi, sedulò corrigere aggressus sum. For-

ſan & ego, in erratis emendandis, erravi; ſed ejus rei veniam ab æquis Lectoribus mereor; quippe qui magnis abſtractus curis, nec ſatis emendare ea, quæ ſcripſi, ſicut neque ad exitum uſque ſuſceptum hoc Opus perducere, valui. Habeant interim Eruditi laborem meum in priorem Diſciplinæ Tomum, & ſi deinde conſilium probaſſe ſignificaverint, reliqua, ad commodius mihi tempus reſervata, expectent.

IN PRIO-

IN PRIOREM DISCIPLINÆ TOMUM.

AD

LIBRUM PRIMUM

ANIMADVERSIONES.

AD Cap.2. num.3. Primum quidem ex Epistola ad Smyrnenses testimonium ex genuino desumptum est. Sed alterum, quod subjicit ex eadem Epistola Thomassinus, nusquam in genuinis Ignatii Epistolis legitur. Testimonium ex Epistola ad Magnesianos ex interpolato descriptum, ita redditur in genuino: *Quemadmodum Dominus sine Patre nihil fecit, ipsi unitus existens, ita neque vos sine Episcopo & Presbyteris aliquid operemini*. Epistola genuina ad Trallianos ita legit in Græco: *Revereantur Episcopum, ut qui est figura Patris &c.* Lectionem tamen Thomassini servat antiqua Versio ex genuino desumpta.

Ad Cap.3. num.5. Bene est! præclarè est! Romano olim Metropolitæ Italia parebat universa. Vide quàm egregiè è Thomassini sententia adstruitur opinio quondam mea in controversiâ nuper agitatâ occasione Concilii Romani sub Benedicto XIII. celebrati. Innovantur in eo Concilii Tridentini decreta, quibus jubentur Episcopi Sanctæ Sedi immediatè subjecti Metropolitanum vicinum aliquem sibi eligere, cujus Provinciali Synodo interesse teneantur. Legesis Concil. Rom. *tit.9. cap.2.* Hujus Synodalis decreti mandato Episcopi omnes, qui ad Metropolitanam Romani Pontificis Diœcesim non pertinerent, unum sibi elegerunt Metropolitanum. Lucensis Episcopus, qui nullâ tunc Archiepiscopi dignitate decorabatur, singulari Romani Pontificis privilegio nuper obtentâ, negabat ad se decretum illud spectare; quippe qui intra Diœcesis Metropolitæ Romani fines constitutus esset. Variis jus illud doctorum Virorum scriptis propugnatum est, variis assertum argumentis. Illud efficacissimum præ cæteris arbitrabar, quod tamen, sive prorsus neglectum, sive minus inculcatum querebar. Ita ergò mecum ipse reputabam: Metropolica Romani Pontificis authoritas longè latèque per universam Italiam & Insulas adjacentes olim porrecta, amplissimo suæ potestatis sinu ea omnia complectebatur continebatque, quæ deinde in varios divisa Metropolitanos, ex una Metropoli plures constituit. Temporis enim successu ex amplissima Provincia corrasa est Archiepiscopi Ravennatensis & Mediolanensis priùs constituta Metropolis. Post hanc aliæ deinum, & aliæ, quibus singulis de Pontificia Romani Metropolitæ ditione aliquid assignatum est; ita ut tandem eò res devenerit, ut subductâ Sardiniâ, Corsicâ, Siciliâ, ad quas olim Pontificis Metropolitica Diœcesis porrigebatur, è continenti etiam Italiæ ingenti sanè portione corrasa, Innocentii III. ætate brevissimis contracta finibus, tota fermè intra Capuanam & Pisanam contineretur. *Cap. sua nobis. De offic. Vicar.* Fermè inquam, tota continebatur; neque enim ita definitam credo Provinciam Romanam à Pontifice Summo, ut quidquid extra eos fines situm esse convinceretur, id continuò exclusum à Metropoli Pontif. Romani voluerit. Neque enim in decretali illa Pontifex definiendos susceperat Provinciæ suæ terminos, sed veluti per transitum, & aliò spectans, illos, jam definitos alioqui certòque constitutos, indicat. Cum enim de literis quibusdam à Pontificis constituto in Urbe Vicario ageretur, directè quidem ad interrogationem respondet, dein verò addit: *Præsertim cum ipse moratur in sua Provincia speciali, videlicet inter Capuanam Provinciam & Pisanam*. Quis porrò credat, ad alia intentum spectantemque Pontificem rem tanti momenti, quasi per transcursum, definire voluisse? Præsertim cum non longè ab ejus ætate in Concilio generali Lateranensi III. sub Alexandro III. Papa ann.1179. Guillelmus Episcopus Lucensis inter Provinciæ Romanæ Episcopos subscripsisse legatur; Lucensis verò Diœcesis constitutos ab Innocentio limites pro majori sui portione transcendat? Idem pariter de Episcopatu Lucensi, intra Romanam Provinciam sito, demonstrant Notitiæ plures Patriarchatuum ejusdem vel etiam inferioris ætatis, quas ea Geographia Sacra Caroli à S. Paulo laudat Vir, non religiosæ tantum vitæ professione, sed & amicitiâ mihi conjunctissimus P. Sebastianus Pauli in sua Dissertatione pro insigni Ecclesia Lucana, editâ ann.1725. Satis itaque demonstratum arbitror Innocentii III. verba commodâ illâ interpretatione deliniri oportere; nimirum maximam Provinciæ Romanæ portionem inter Capuanam & Pisanam contineri; quamvis alioqui nonnullæ, à reliquo hoc avulsæ tractu, Diœceses hinc inde dispergerentur, ad eandem Provinciam pertinentes. Quemadmodum temporalis Romani Pontificis ditio inter maria Adriaticum, & Etruscum, Tusciam, Mutinensem Venetamque ditionem, Neapolitanumque Regnum sita rectissimè constitueretur; quamvis à reliquo ejus regionis tractu avulsa quædam loca eundem Romanum Pontificem Dominum agnoscant. Sed quænam Diœceses illæ, quæ extra Capuanam & Pisanam sitæ, ad Romanum Metropolitanum pertinent? Non aliæ profectò censendæ sunt, quàm quæ longo sæculorum tractu nulli unquam Metropolitano parêre coactæ, de jure illo, quod olim per universam Italiam Metropolita Romanus sibi vindicaverat, nihil in se decedere permiserunt. Non unus quidem per Italiam Episcopus exemptionis privilegio ab inferio-

rum Metropolitanorum jure subductus, Romano Antistiti tanquam Metropolitæ subditur; sed aliud est ab ea Metropoli, ad quam de jure Episcopatus illi pertinerent, privilegio eximi, ut ad Romanum accederent; aliud, jure quodam proprio & avitâ veluti prærogativâ ad eam Provinciam, tanquam de illa portionem quandam, pertinere. Eligant illæ sibi alium à Romano Pontifice Metropolitanum, quæ ad alium, si omne submoveatur privilegium, spectant; quæ verò non privilegio, sed jure quodam proprio ad Romanam Metropolim pertinent, ut quid alium sibi Metropolitam quærent? Si quis autem omnes excutiat publicas privatasque tabulas, nulli unquam Metropolitano paruisse Lucenses Episcopos deprehendet; quemadmodum & à Viro doctissimo supra laudato dudum est demonstratum, & à nobis etiam, si res exigeret, nullo negocio demonstraretur. Hæc ego quidem tunc cum maximè disputationes ea de re ferverent. Nunc verò alius Ecclesiæ nostræ status. Namque tantâ animi contentione agitata controversia ita demum terminata est, ut factâ privilegiorum insigni accessione, quæ priùs pro asserendo veteris Metropolitani sui jure certabat, ipsa tandem Metropolis vel saltem Archiepiscopalis efficeretur. Extant Pontificia ea de re diplomata ad calcem Operis de Dispensationibus Matrimonialibus, Philippi de Justis, Lucæ nuper recusi. *pag.60.*

Ad Cap.3. num.10. Quanquam Archiepiscopi titulus Africanis illis Patribus esset invidiosus, nec tamen inusitatus prorsus erat in Africa, nec inauditus. Tertullianus, secundi seculi Scriptor, Episcopi cujusdam præposteram indulgentiam, ut ipse quidem, Montanisticam sectam jam professus, interpretatur, suggillans, habet: *Pontifex Maximus & Episcopus, Episcoporum dicit &c.* Scio equidem plures cum Pamelio in eum Tertulliani locum de Pudic. *cap.1.* suspicari, hæc ab Authore de Zephyrino Pontifice Romano usurpari. Sed hanc eorum conjecturam uti futilem, & nullo subnixam fundamento parvi faciendam, alii Viri docti meritò arbitrantur, rati non minus hæc de quodam Episcopo Africano, puta Carthaginiensi, quàm de Romano scribi potuisse. Quin & multò verosimilius Carthaginiensis Præsul spectatus est; Afer nempe Metropolitanus ab Afro & in Africa scribente Authore. Vide Tillemontium in Historia Ecclesiast. ad vitam ejusdem Tertulliani.

Ad Cap.4. num.1. Vetustissimus omnium, quotquot hic afferuntur, laudari poterat Tertullianus in lib. de Pudic. cap.21. qui Episcopum quendam, uti quidem credimus, Carthaginiensem, ita compellat. *Exhibe nunc Apostolice mihi prophetica oracula &c.* Ibid. pariter cap.13. eundem Præsulem hoc titulo designat. *Quantis potes misericordia illecebris bonus Pastor & benedictus Papa concionaris.*

Ad Cap.4. n.10. Vix me temperare possum, quin ad summam hanc Pontificis Romani supra cæteros Episcopos tum Occidentis, tum Orientis, dignitatem potestatemque asserendam, exscribam Pagani cujusdam Scriptoris locum. Ammianus Marcellinus post narratam Athanasii damnationem, quam ab Episcopis Occidentis & Orientis extorsit Constantius Imperator, prosequitur, Imperatorem, quamvis vota sua omnia impletum iri ab Episcopis intellexisset, non acquievisse tamen, sed: *Auctoritate quoque*, hæc sunt historici illius Pagani verba, *qua potiores æternæ urbis Episcopi firmari desiderio nitebatur ardenti.* Persuasum ergo per eam ætatem apud omnes tenebatur, æternæ Urbis Episcopos authoritate sua omnibus Orientis & Occidentis Episcopis præstitisse.

Ad Cap.5. num.44. Authores mediæ & infimæ ætatis, hanc Constantini donationem ratam habentes & firmam, longo ordine deducit doctissimus Pamelius in notis ad lib. Tertull. de Pudic. cap.1. qui inter Græcos, ejus scripti fidem admittentes, laudat pariter Chalcondylam in Annalibus Turcarum, sicut etiam Latinorum quamplures. Sed & his cæterisque ab Authore adductis, alterum mihi ejus donationis testem adjungere liceat ex Chronico Farfensi *tom.2. part.2. Rer Italic.* Narrat ibi Author occasione controversiæ cujusdam Abbatem Farfensem inter & Oddonem militem agitatæ, Advocatum militis in medium adduxisse privilegium Constantini Imperatoris, B. Silvestro concessum, per quod censebat omnem Italiam cunctaque occidentalia loca B. Petri & Pontificum ejus juri per omnia subjicienda &c. Pertinent hæc ad ann.1104. circiter.

Ad Cap.7. num.6. Sublestæ esse fidei hunc Eutychium Alexandrinum Patriarcham decimi sæculi scriptorem Ecclesiæ suæ vetustissimas origines referentem, pluribus demonstrat Pearsonius in Vindiciis Ignatii *cap.* 11. ejusque negligentiam inscitiam, anachronismos pluribus redarguit. Ecquis enim ferat scriptorem adeo hebetem crassumque, qui post consignatum Marci Evangelistæ martyrium Alexandriæ primo Neronis anno, referat nihilominus tempore Neronis Petrum scripsisse Evangelium Marci dictante Marco in Urbe Roma? Quis ferat anilem illam fabellam de Papæ nomine ab Alexandrinis Præsuli suo tributo, quòd scilicet æquum duxissent Patriarcham Papæ nomine, id est, ut ipse quidem imperitè reddit, Avi appellare; cum ab Episcopis Abba seu Pater appellaretur? Oportet enim, dicebant, *vocare nos Patriarcham Papam i. e. Avum, cum sit Pater Patrum.* Apage commenta.

Ad cap.8. num.6. Vexatissimam hanc controversiam tractans Bacchinius in singulari Dissertatione de Ecclesiasticæ Hierarchiæ originibus, Mutinæ anno 1703. edita, novam hanc invexit, & pluribus conjecturis firmavit hypothesim. Semel, ait ille, admissis in Ecclesia Gentilibus, nova constituta est Ecclesiæ forma. Cœperat enim Ecclesia ex Judæis tantum coalescere; accesserunt deinde Gentiles; ita tamen accesserunt, ut potior semper Judæorum ratio haberetur. Quare suarum esse partium duxerant illi primi Ecclesiarum conditores, ut, quandoquidem migrandum esset ad Gentes, apud illas potissimæ constituerentur Ecclesiæ, apud quas potissimum esset jus Hebræorum. Res autem Judæorum nullibi magis, quàm apud Alexandrinos florebant; eo scilicet tempore, quo Claudii decreto Ethnarcha Synedria & Synagogæ Genti restituta sunt. Post Alexandriam frequentissimi erant Antiochiæ Judæi; quare secundum ab Alexandria locum in politia Ecclesiastica obtinet Antiochia. Ejus rei argumenta & conjecturas apud illum legas.

Ad Cap.15. num.7. Adversus vetera omnia præjudicia, adversus Latinorum omnium clamores victoriæ palmam concedimus Thomassino, concedimus & Leoni Allatio strenuè adeò Græcæ Ecclesiæ orthodoxiam propugnantibus. Non arbitror tamen laturos iniquiùs Lectores, si modò argumenta promamus, quæ Græcam Ecclesiam, Constantinopolitanam maximè, hæresis damnare videntur, quò factâ illorum cum monumentis à Thomassino deductis collatione, & rei veritas magis magisque elucescat, & aliqua ab eodem Thomassino oscitantiùs dicta emendentur. Michaelis Cerularii Patriarchæ Constantinopolitani tempore ita Latinorum dogma de processione Filii à Spiritu S. à Patriarcha illo, universâque sub ipso Ecclesiâ repudiatum est, ut illud asserentes Latinos hæreseos, & blasphemiæ reos agerent, altè clamantes: *Nec ut illi ex Patre & Filio Spiritum S. O improbi Dæmonis machina! Sed ex Patre dicimus procedere.* Tum plura evomunt in Latinos contrarii dogmatis assertores. Tandem latam ab Humberto Silvæ Candidæ Summi Pontificis Legato & S. R. E. Cardinali excom-

communicationem indignè traduxerunt, spretamque atque exsufflatam flammia veluti blasphemam publico edicto dederunt. Ita legas apud Allatium diss. 5. de lib. Eccles. Græcorum, qui publicum eâ de re in tabulas relatum instrumentum vulgavit. Fateor ego quidem in typo excommunicationis ab eodem Humberto adversus Græcos ita ad leniendam invidiam sententiam illam attemperari. *Notum sit præ omnibus gloriosis Imperatoribus, Clero &c. nos hic agnovisse, quod maximè lætamur, bonam, & maximum, quod afflictim dolemus, malum. Nam quod pertinet ad columnas Imperii, virosque ab iisdem cohonestatos, & cives sapientes, maximè omnium Christiana ac orthodoxa Urbs est. Quod ad Michaelem, qui Patriarchatu abutitur, & illius insipientiæ socios & consortes, in medio illius plurima hæreseon zizania quotidie disseminantur.* Hæc, inquam, à Legato minuendæ invidiæ gratiâ dicta esse ne dubitaverim quidem; nam, ut in eodem scripto legimus, Imperator decreto actutum suo præcepit: *Chartula illa post anathema dictam & Consiliariis, & iis, qui publicarunt aut scripserunt, aut rem ut gesta est* (sunt ejus edicti verba), *vel tenuiter callent, coram omnibus comburatur.* Sanè ab orthodoxo Imperatore nunquam commissum fuisset, ut excommunicationis in hæreticos typus publico incendio damnaretur. Scriptam pariter memorat idem Allatius venenatam in Romanam Sedem Epistolam à Michaele Anchialio, qui *post Lucam* ait, *Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuit*. Extat apud eundem fragmentum Epistolæ Germani Patriarchæ Nicæni, qui sub Joanne Duca sactis præerat, tantumque fovebat in Latinos odium, quantum ejusdem Epistolæ testimonio proditur. Hæc planè omnia & alia hujus generis plura non satis consonant cum iis, quæ pro excusandis ab omni hæresis suspicione Græcis afferuntur. Quamquam enim aliud planè sit implacabile in Latinos odium fovisse Græcos; aliud adversus Fidei & Religionis dogma admisisse; vix tamen credimus, eos, quos idem ac Cerularium adversus Latinos spiritus animabat, illius pariter in Religione impietatis hæredes non fuisse, cui concipiendæ retinendæque ansam omnem idem in Latinos odium præbuerat. Minùs autem recta fides in Episcopis, in universam profectò subjectam illis Ecclesiam labem invehebat. Nec minùs perpetuæ eorum consensioni cum Latinis, in iis, quæ ad fidem pertinent, repugnare videntur ea, quæ ab Innocentio III. in Lateranensi Concilio cap. 4. notantur: *Licet Græcos in diebus nostris ad obedientiam Sedis Apostolicæ revertentes fovere ac honorare velimus, &c. in his tamen illis deferre nec volumus nec debemus, quæ periculum generant animarum.* Narrat deinde Pontifex in tantam audaciam venisse antehac Græcos, ut baptizatos à Latinis, & ipsi baptizare ausu temerario præsumerent; *& adhuc*, ait, *quidam agere hoc non verentur.* Ex his Innocentii verbis plura deducenda sunt. I. Græcos antehac nullum habuisse cum Romana Ecclesia consensum, non in rebus disciplinæ tantùm, sed nec in Fide; cum rebaptizationis improbatum jam dogma admitterent. II. Non hunc tantùm unius vel alterius, sed universæ Gentis errorem fuisse; distinguit enim Pontifex Græcos, antequam jugum Apostolicæ sedis subirent, & post compositam cum Latinis pacem; illos verò, dicit, ex Latina Ecclesia venientes rebaptizasse; hos verò non omnes quidem impium illum retinuisse morem, sed quosdam tantummodò refractarios & immorigeros. III. Illud in Latinos odium surculus fuisse videtur & propago illius dissensionis, quæ Latinos inter & Græcos cœpit sub Cerulario; sub eo autem Patriarcha fidem Ecclesiæ Græcæ labefactatam fuisse, jam supra demonstravimus. Idem ipse Pontifex in Epist. ad Episcopos Abbates ceterosque in cruce signatorum exercitu, postquam gaudium suum de occupata à Christianis Constantinopoli expressisset, deinde errorem Græcorum de Spiritu Sancto à Patre tantùm, & non a Filio, procedente confutandum aggreditur. Quod ille certè ad commodius aliud tempus distulisset, si error ille non omnium quidem, sed paucorum tantùm fuisset. Quid, quod Latinorum Apologistæ adversus Græcos, sicut Græcorum adversus Latinos, non tam de Mysteriorum confectione in azymo, quàm etiam de processione Spiritus Sancti à Patre & Filio defendere ac impugnare sententiam nituntur? Quod argumento est apertissimo non minùs obtinuisse passim apud Græcos, ut confectioni mysteriorum in azymo, quàm ut processioni Spiritus Sancti à Filio repugnarent. Sed firmiora alia argumenta promenda sunt. Postquam Latinis Constantinopoli potitis, Græci Nicæam se recepissent, Germanum sibi Patriarcham constituerunt. Ille datis ad Gregorium IX. literis, pro unione utriusque Ecclesiæ sollicitum habere animum significavit. Misit actutum Gregorius Apocrisiarios suos, viros doctos, qui Græcos ad unitatem Ecclesiæ reducerent. Eò se conferentes Pontificis Legati nihil habuerunt antiquius, quàm ut luculentam de processione Spiritus Sancti à Patre & Filio confessionem Græcis subscribendam proponerent. Huic definitioni contrariam confessionem opposuit Pseudosynodus Græcorum, ejusque fragmentum ex Codice Lambeciano in extrema ora tomo 7. Concil. Harduin. col. 149. laudatur. Constat insuper ex Raynaldo *ad ann.* 1233. *num.* 13. Græcos, post varias cum Latinis illis Apocrisiariis verborum contentiones, id tantùm veluti supremum pacis temperamentum proposuisse, ut ex duobus, quæ Græcam Ecclesiam à latina abalienaverant, processione nempè Spiritus S. à Patre & Filio ab ipsis Latinis assertâ, & necessitate mysteriorum in azymo alterutrum Latini Græcis concederent, alterutrum Græci vicissim Latinis. Fateor ego quidem Græculos illos, qui Nicæam concesserant, ignobiles fuisse transfugas, qui sanè longissimè aberant, quin Græcam Constantinopolitanam Ecclesiam repræsentare crederentur; sed & Græculi tamen illi, odio in Latinos nihil remisso, Constantinopoli tandem ejusque Patriarchali Sede potiti sunt. Nunquam eorum dogmata Concilio aliquo Græcorum indicto publicè ejurata sunt; nunquam à cæterorum Græcorum communione hæresum illarum impii assertores prohibiti. Tandem in Concilio Florentino Marcus ille Ephesius, qui totius Ecclesiæ Græcæ nomine Græcorum sententias adversus Latinos tuebatur, omni verborum atque argumentorum nisu demonstrare conatus est, Spiritum S. à Patre quidem, non item à Filio, procedere.

Hæc sunt quæ Latinos Apologistas adversus Græcos tanquam hæreticos vel minùs recta de fide sentientes animabant. Fateamur tamen oportet, non omnes æquè Græcos, qui procedentem ex Patre Filioque Spiritum S. negabant, hæresis notâ inurendos fuisse. Reipsa enim fatebantur Patri Filioque originem suam Spiritum debere, sed de voce *procedere* disceptabant, contendentes hanc Spiritus S. à Patre Filioque originem processionis nomine exprimi nequaquam debuisse. Sed si eo nomine Græcos ab omni immunes hæresi absolvamus, alio simul nomine damnarentur; quippè qui recta pariter & minus recta sentientes æquè omnes amplissimo Ecclesiæ suæ sinu complecterentur, communione illos cum cæteris admitterent, nullo Concilio, nulla Constitutione damnarent, perindè ac de re in medio posita nulliusque ad fidem momenti ageretur. Suspiciosa planè sunt ista, & veteribus Latinorum adversus Græcos præjudiciis fovendis aptissima.

Ad

Ad Cap.21. num.6. In tota hac Patriarcharum Gradensium, & Aquilejensium Dissertatione laviora quædam ex Ughellio tom.5. Ital. Sacr. col.26. Nov. Edit. animadvertenda sunt. Inter Eliam Gradensem Patriarcham & Severum medius intercessit Probinus. Porrò Elias à Pelagio II. Pontifice ann.570. obtinuit ut Patriarchalis sedes & titulus Aquilejâ Gradum transferretur. Post Severum in Gradensem Patriarcham renunciatur Candidianus, à quo secessione factâ, tres Episcopi ad Joannem Patriarcham Aquilejensem Metropolitam concesserunt. Hæc Ughellius ex M. S. quodam Codice Biblioi. Barberinæ, sæculi, quantùm conjicimus, undecimi; ex quo supplenda venit series Patriarcharum hic ab Authore delibata; tum & corrigitur illud, quod ipsi §. *Ita diversis, &c.* paulo oscitantius excidit; nimirum post translatum à Longobardis Aquilejensem Patriarchatum relictum fuisse Gradi Episcopum, qui deinde in Patriarcham transierit. Namque relictus Gradi Præsul ab ipso exordio Patriarchæ titulum habuit. Cæterum ea, quæ de Gradensi & Aquilejensi Patriarchatu infra cap.23. adnotantur, ab Authore ita supplenda sunt ex Diplomatibus nuper in recentissima Ughellii editione vulgatis.

Fortunatus Patriarcha Aquilejensis, qui cathedram illam ascenderat circa ann.630. eripi sibi Gradensem Diœcesim ferens impatienter, sedem illam invasit; sed brevi rejectus, ad propria redire coactus est. Per hæc tempora Honorius I. datis ad Episcopos Venetiarum & Istriæ literis, monuit, ut rejecto Fortunato in Gradensem Patriarcham Primogenium Subdiaconum, & Regionarium Apostolicæ Sedis reciperent. Quieta post hæc omnia aliquanto temporis spatio manserunt, donec ann. 707. Severus Aquilejensis à Gregorio II. per epistolam admonitus est, ut Diœcesi suâ contentus, à Gradensis Patriarchæ juribus invadendis abstineret; cujus rei certiores fecit idem Gregorius Donatum Patriarcham Gradensem, Marcellum Ducem atque universos Venetiarum & Istriæ populos. Sub Gregorio III. ann.735. Synodus Romæ celebrata est, in qua utriusque Patriarchæ jura definita sunt. Extat etiam apud Dandulum Epistola ejusdem Gregorii ad Callistum Aquilejensem, qua Patriarcham monet, ut Gradensi jura omnia restituat. Ann.766. Jaonnes Gradensis Episcopus opem Stephani IV. Romani Pontificis imploravit, ut in Episcopos Istriæ pristinum sibi jus assereretur. Excusso enim ab illis omni Metropolitanorum jugo, mutua se ordinatione consecrabant. Joannem solatus est per Epistolam Stephanus; aliisque datis literis ad Episcopos refractarios, monuit, ne quid contra ordinem tentarent. Sed illi, ait Dandulus, *resipiscere noluerunt*. Per eadem tempora Joannes Episcopus Aquilejensis Longobardorum arma in Gradenses vertit, & Episcopos Istriæ in suas partes trahere adnisus est, ut habet Oldoinus in additionibus ad Hadrianum I. Adversus hunc Joannem expeditta à Venetis legatio, quam, defuncto interim Stephano, Adrianus excepit. Anno 814. Maxentius Aquilejensem Diœcesim administrabat, nec à Gradensi & suffraganeis Istriæ abstinuit. Interim Fortunatus Gradensis eodem anno celebri totius Istriæ conventui Caroli Magni jussu celebrato interfuit; qua occasione jus Episcopi Gradensis in Episcopos & populum Istriæ agnitum est & assertum. Cum tamen semper ab Aquilejensibus omnia miscerentur, visum est Eugenio II. ann.826. hortante maximè Lothario Imperatore, Mantuanum Concilium indicere. Discussâ tunc utriusque Patriarchæ causâ, sententia Aquilejensi adjudicata est, cui tota simul Gradensis Insula attributa; ac tandem Venerius ejus Patriarcha depositus. Animis non despondit Venerius, sed Concilii Mantuani suspectam sententiam rejiciens, Pontificis Romani opem adversus Aquilejensis potentiam imploravit. Accurrit illico Gregorius, ut ab incepto Maxentius Aquilejensis abstineret injungens; *sed desistere noluit*, ait Dandulus in Chronic. immo *repetito sæculari subsidio, antedictos Episcopos ad sibi Metropolitano debitam subjectionem exhibendam in totum coegit*. His motus Sergius II. Gregorii successor, datis ad Andream Aquilejensem literis ann.844. causam ad suum tribunal advocavit. Quid à Pontifice præstitum sit, indicat Joannes XIX. Papa, qui in diplomate suo infra laudando, Sergium Pontificem Gradensi Patriarchæ favisse testatur. Post hæc Ludovicus II. anno 10. Imperii Indict.5. Kalend. Novemb. Diplomate suo amplissimo *Patriarchalem* seu *Metropolitanensem* authoritatem in ordinandis regendisque Istriæ Episcopis & Ecclesiis Theutimaro Aquilejensi (Hindelmarium appellat Ughellius) vindicavit; asserens id antea eidem Episcopo adjudicatum tam Concilii Mantuani quam Gregorii IV. sententiâ. Sub Valperio Aquilejensi ann.880. pacta conventa inter ipsum & Ursum Venetiarum Ducem sancita sunt, abstinendi nempè utrimque ab injuriis; ne quid scilicet Veneti in Aquilejensem, ac vicissim Aquilojensis in Gradensem tentarent. Nec tamen propterea Aquilejensis quidquam de suo jure remisit; quare ann.967. Romæ coram Joanne Papa & Othone II. Imperatore causa utriusque Ecclesiæ ventilata est, atque Gradensi Patriarchæ jus super Venetam Metropolim assertum. Post hæc omnia grande illud intercessit dissidium inter Popponem Aquilejensem & Ursum Gradensem. Extorsit per fraudem Poppo amplissimum pro jure Ecclesiæ suæ à Joanne XIX. Diploma datum ann. 4. Pontificatus ipsius Indict.10. (11. legendum). Verùm non diu post idem Pontifex fraude intellectâ, priori revocata Constitutione, novâ aliâ sancivit, nemini deinceps fas esse *Ursum Patriarcham ac successores ejus de prædicto Patriarchatu Gradensi sive de rebus ac possessionibus ejus inquietare ac molestare*. Pertinent hæc ad ann.1020. Aquilejensis ad assuetas artes refugiens, novum extorsit privilegium à Romano Pontifice, fortasse à Silvestro III. Pontifice. Sed frustrà ille, nam Benedictus IX. novo & amplissimo decreto ann.1043. circiter, jura Gradensis etiam atque etiam confirmavit. Hæc de controversia inter duos Patriarchas ex Ughell. tom. 5. deprompta, lucem afferunt his, quæ à Thomassino in hoc capite congeruntur.

Quędam modò de Gradensis & Aquilejensis Patriarchæ ditione delibanda sunt. Parebant olim Episcopo Aquilejensi, cum adhuc integer maneret Patriarchatus, Veneta universa Metropolis, Istria & Insula, quam vocant, Gradus. Post factam in duos Patriarchatus divisionem, Gradensis in totum ęstuariæ Venetæ tractum, tum & Istriam, spiritualis Imperii sui jura porrexit. Totas Venetæ regionis continens Aquilejensi parebat. Subdebatur etiam Aquilejensi Carinthiæ portio non modica, non cis Dravum tantùm, sed & ultra; quemadmodum è charta quadam Arnulphi datâ ann.892. vel circiter, apertissimè constat; in qua tamen de amplissimo illo in eam Provinciam jure aliquid Aquilejensi concedendum fuit pro pace cum Episcopo Salisburgensi, qui jus sibi pariter in eam Provinciam vindicaverat. Statuit enim Carolus Magnus, litibus inter utrumque Præsulem definiendis, Dravum amnem mediam eam Provinciam intersecantem, utriusque ditionis fines distinguere. Porrò id sibi jus ex vetustissima ætate vindicasse Aquilejensem prodit Carolus Magnus in suo Diplomate, dato ann.811. apud Ughell. *tom.5. col.37.* nov. Edit. Denique ann.1180. Henrici Gradensis munere maxima Istriæ Episcopatuum portio Aquilejensis Patriarchæ juribus accessit. Datæ sunt Henrici lite-

ræ ann. 1180. eâque prævià concessione Alexander III. Apostolica authoritate jus illud ratum esse voluit & firmum. Gradensis autem vicissim pristino jure super Istriam exspoliatus, ab Adriano IV. primatum obtinuit super Jadertinam Provinciam: *Primatum ei super Jadertinum Archiepiscopatum & Episcopatus ipsius Apostolica authoritate concedimus*. Quare falli Thomassinum constat, qui assertam tantùm, non concessam primò potestatem super Jadertinam Metropolim ab Adriano testatur. Fucum illi fecit alterum ejusdem Adriani diploma paulò post primum illud datum, ann. nempè Pontificatus ipsius I. quo prima omnia rata habuit asseruitque. Accessit sequenti anno alterum Gradensi Præsuli decus, in Provinciam scilicet Ragusinam, ultro se subdente Michaele Ragusinorum Archiepiscopo. Neque hæc satis, namque an. 1157. ab eodem Adriano IV. præesse jussus est Episcopis, Constantinopoli aliisque Imperii illius Urbibus à Venetis frequentatis, ab eodem Præsule Gradensi consecrandis. Hæc de Provincia utriusque Patriarchæ delibavimus ex nova Edit. Ughell. *tom.* 5. Ad temporale dominium quod spectat, præter ea, quæ à Thomassino afferuntur, juvat etiam animadvertisse, Carniolæ Marchiam universam Henrici IV. Germani Regis munere ann. 1077. in jus ac potestatem Aquileiensis Ecclesiæ concessisse. Vide novam Edit. Ughell. *tom. 5. col. 57. & 59.*

Ad Cap. 25. n. 4. Paulò aliter hierarchiam Ruthenicam ordinat Augustinus Liber Baro de Mayerberg, qui in eas regiones à Leopoldo I. Imperatore ann. 1665. ablegatus, *Iter* suum unà cum statutis Moschoviticis, à se Latinitate donatis, vulgavit. Narrat ille *pag. 26.* Itineris, Hieremiam quendam Patriarcham CP. vana spe ac Moschovitarum precibus inductum, id tandem concessisse, ut Ruschorum Patriarcha plane à Constantinopolitani jurisdictione immunis haberetur. Consecratus est proinde ab illo anno Domini 1588. Jobus in Patriarcham Russorum & Moschicæ. Eo Patriarcha à Demetrio quodam sede dejecto, Ignatius *Romanæ fidei homo* substitutus est ann. 1605. quo pariter amoto, Hermogenes Cassanensis Metropolita assumptus. Huic autem Russorum Patriarchæ parent ultra quatuor Metropolitas, octo, non septem, Archiepiscopi, & duo, non unus tantum, Episcopi. *Præter hos Ecclesiasticos*, ait idem Author, *numerant Moschovitæ Kiovensem Metropolitam* (hodie tamen regio Polonis subditur) *Smolocensem Archiepiscopum* (manet in ditione Czaris) ac *Micislaviensem & Polociuenses Episcopos*.

Ad Cap. 28. Altius repetendam esse Episcoporum Titulariorum originem facilè suspicor; siquidem cum Beveregio in Cod. Canonum Ecclesiæ primitivæ *cap. 11. num. 10.* ponamus insignium Ecclesiarum Apostolos fundatores alios secundarios in iis Ecclesiis constituisse Episcopos, qui quoad ipsi præsentes essent Apostoli, ab Episcopali potestate exercenda abstinentes, ita se haberent, veluti si solo titulo Episcopatum gererent. Autumat pariter Seldenus apud Abrahamum Ecchellensem in *Entychio vindicato*, Apostolos & Evangelistas ipsos, ob prærogativæ sacræ amplitudinem, Episcopatum gessisse nulli peculiari Ecclesiæ addictum. Id autem sibi reprobandum ita aggreditur Ecchellensis, ut simul ostendat, plures in eadem Ecclesia constitutos Episcopos, & dum unus præesset, interim cæteri abstinerent, post Patriarchæ obitum, ut suo ordine elevarentur, expectantes. Scitum profecto est quid de SS. Lino, Cleto, & Clemente in Episcopos Romæ ordinatis ab Apostolo Petro & Paulo, dum adhuc Romanam Cathedram ipse Petrus teneret, scripserit S. Epiphanius *hæres. 27.* aliique apud Pearson. in Opero Chronolog. Diss. 2. cap. 3. Animadvertisse etiam juvat, modò pariter apud Græcos obtinere, ut Constantinopolitanus Patriarcha titulares Episcopos nominet in veteres Græciæ Ecclesias, quarum hodie nomen tantùm superest, teste Ricaut. *in Histor. de præsenti statu Ecclesiarum Græcæ & Armeniæ*.

Ad Cap. 33. num. 13. Pontificia hæc in Episcopum Ticinensem collata authoritas, vocandi nempe Metropolitas Mediolanensem & Ravennatensem ad Concilium, apertissimè etiam convincitur ex Epistola 241. ejusdem Joannis VIII. Papæ, in qua ita scribit ad Ticinensem illum Episcopum: *Vide ne alicujus decipiaris instinctu, fortasse quæ minimè credimus, pro parte Mediolanensis Archiepiscopi; quoniam specialiter noster es, & manualis, & quia de nullius, nisi nostra, ditione consistis, ut Epistolam, quam suffraganeis Episcopis, Ravennati Ecclesiæ, Paulo Placentino, & item Paulo Regiensi, atque Landuino Mutinensi cum celeritate mittere procuretis, ut statuto die Papiam veniant, quatenus de Sanctarum Dei Ecclesiarum communi atque universali salute tractare valeamus.* Ex quibus Pontificis verbis non futili conjectura arguimus, novæ huic dignitati Episcopi Ticinensis restitisse Archiepiscopum Mediolanensem. Colligimus etiam privilegium illud, vocandi nempe Episcopos ad Concilium, in Ticinensem collatum fuisse ante celebratum Papiæ Concilium; suspicamur enim Pontificem ad Ticinense Concilium venturum mandatis onerasse Episcopum illum, ut Apostolica authoritate Episcopos ad Concilium invitaret. Hoc Præsulis Ticinensis Privilegium ratum habuisse videtur Honorius III. scripto ad Fulconem Episcopum Papiensem diplomate Pontificatus sui anno 1. Postquam enim privilegia omnia à Decessoribus suis Pontificibus Ticinensibus concessa rata esse jussisset, adjecit insuper: *Concedimus ut in Synodalium celebratione conventuum, tam tu, quàm successores tui ad sinistrum Romani Pontificis latus primum sessionis locum perpetualiter habeatis.* Hinc etiam intelliges studio partium aliquanto abreptum fuisse Muratorium Anecdoct. tom. 1. cum in Dissert. de antiq. jure Mediol. Arch. cap. 7. Epistolam illam 130. à Thomassino laudatam in dubium revocarit: *Nisi eadem Epistola in Apocryphis sit recensenda.*

Ad Cap. 36. num. 4. Quæ de controversia Cantuariensis Primatus cum Eboracensi narrantur, ex Collectione Epistolarum ad S. Thomam Cantuariensem pertinentium publici juris factâ à Cl. Christiano Lupo Bruxellis 1682. supplenda sunt. Legitur ibi Epistola num. 168. à Joanne Sarisberiensi scripta, in qua disertissimè testatur, dignitatem Primatus super universam Angliam Cantuariensi Præsuli à Pontifice assertam fuisse; quemadmodum pariter ex ejusdem Alexandri III. Epistola ad Thomam Cantuariensem apud Harduin. Collect. Concil. tom. 6. part. 2. intelligitur. *Prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Paschalis & Eugenii Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, tam tibi, quàm legitimis tuis successoribus Cantuariensis Ecclesiæ primatum ita planè concedimus, sicut à Lanfranco, Anselmo aliisque ipsorum Prædecessoribus constat fuisse possessum.* Subdit verò idem Sarisberiensis Archiepiscopo Eboracensi injunctum, ut eum agnoscat *Primatem suum exhibitione obedientiæ. Idem est Legatus totius Angliæ, excepto Episcopatu Eboracensi, qui ideo interim huic nostræ jurisdictioni subtrahitur, quia Archiepiscopus Eboracensis legatus est Scotiæ, nec solet Ecclesia Romana alicujus Ecclesiam Legati tempore legationis indulta alteri Legato subjicere ratione legationis, sed subtrahit quidem, si alio jure subjecta est.*

Ad Cap. 37. num. 5. Pisanæ dignitatis historia ita paulò exactiùs retexenda est. Gregorius VII.

ann.

ann.1077. Landulfo Episcopo Pisano ejusque successoribus vicariam operam suam commisit in Corsica Insula, ut *vigilanti studio Episcopos, Cleros & populos doceret;* laboraret insuper, ut eandem Insulam à jure & dominio Sanctæ R.E. subtractam, ad dominium ejusdem revocaret. Tandem in præmium operæ sedulò præstandæ proveotus quosdam illi & successoribus assignat, ita tamen, ait, ut *artes & quaque anita loca acquirenda, in potestate nostra & successorum nostrorum permaneant.* Extant autem literæ Regest. *l.6. Epist.*12. Secundùm hæc Urbanus II. datis Beneventi literis anno 1091. locationis donationisque jure eandem Insulam in potestatem Episcoporum Pisanorum transtulit, eâ conditione, ut annuum vectigal Romanæ Ecclesiæ solverent. Insequenti anno expeditis Anagnæ literis, Daibertus Episcopus Pisanus ejusque successores in Archiepiscopos Corsicæ ab eodem Pontifice renuociantur. Cum tamen multas ex nova illa Pisanorum Antistitum Dignitate conciri turbas instigantibus Januensibus nosset, nihil ex ea concessinne datum quoad consecrationem Episcoporum Corsicæ voluit, sed Præsules illos, *sicut moris fuerat, suis manibus consecravit*, teste Callisto II. in Epistola ad Coepiscopos per Insulam Corsicæ apud *Ughell. Ital. Sacr. tom.4. in Episcopos Januens. col.*1180. *Vet. Edit.* Eandem dignitatem Pisano Antistiti asseruit Gelasius II. ann.1118. Cathedram illam tenente Petro; sed & is deinde Pontifex, verba sunt Callisti in eodem diplomate, *eandem Pisanorum & Januensium perturbationem prospiciens, privilegium illud annullavit.* Petro fatis functo, & secundo ab illo electo Rogerio, Callistus II. Romanus Pontifex, studio pacis Pisanos inter & Januenses componendæ, Antistiti Pisano Metropolitæ dignitatem ademit, abrogavitque jus illud, quo præficiendorum in Corsica Insula Episcoporum pollebat. Sed non ita multò post Honorius II. & dignitatem & jus omne pristinum restituit, literis suis in Laterano datis ann.1126. Successit Innocentius II., qui diplomate suo ad Balduinum Archiepiscopum Pisanum signato ann. 1138. concessit, seu potiùs ratum habuit, jus Pisani Antistitis *super duos Episcopatus in Gallurensi judicatu* nempe super Galtelinensem & Civitatensem. adjecit & Populoniensem; tum addidit: *Vosque Primatus honore super Turritanam Provinciam declaramus. Legationem quoque Sardiniæ, à Prædecessore nostro Papa Urbano Prædecessoribus tuis concessam, tibi tuisque successoribus roboramus:* & post pauca: *Et crucem, vexillum scilicet Dominicum, per subjectas vobis Provincias portandi tibi tuisque successoribus licentiam damus; pallii quoque usum fraternitati tuæ concedimus, ut videlicet eo secundum consuetudinem Pisanæ Ecclesiæ perfruaris, & in consecratione trium Episcoporum in Corsica, Aleriensis scilicet & Adjacensis, & Sagonensis ac prædictorum duorum in Sardinia & Populoniensis Episcopi, quorum Metropolitanus existis &c.* Porro Turrita tertia erat Sardiniæ Provincia. Ex hac Innocentii Constitutione intelligimus, Pisanum Antistitem primatus jure super Turritanam seu Torrensem Provinciam; Metropolitico verò super Corsicæ Episcopatus duos duosque etiam Sardiniæ, ac tandem Populoniæ adeptum fuisse; accessione illi facta legationis Pontificiæ super universam Sardiniam. Intelligimus insuper hujus legationis dignitate insignitos fuisse Pisanos jam inde ab Urbano II. cujus rei nulla extant, sive in ipsius Urbani, sive aliorum succedentium, Pontificum diplomatibus vestigia. Idem privilegium ratum habuit Eugenius III an.1146. tum & Adrianus IV. 1157. Alexander III. 1169. Idem Alexander III. 1176. primatum Sardiniæ, nempe Turritanæ Provinciæ, Præsuli Pisano asseruit; quod etiam præstitum legimus apud Ughell. à Lucio III. sicut & ab Urbano III. ann.1186. à Cælestino III. ann.1191. Tandem Innocentius III. nova sua Constitutione Decessorum omnium indulta confirmavit, ac potissimum Primatus honorem Turritanæ Provinciæ, quod iterum in eadem Constitutione repetit. *Super Turritanam verò Provinciam dignitatem Primatus, sicut à Prædecessoribus nostris Ecclesiæ Pisanæ concessum est, habeatis.* Addit deinde: *Legationem quoque Sardiniæ à Prædecessore nostro Papa Urbano Prædecessoribus tuis concessam, in perpetuum confirmamus.* Concedit insuper facultatem ferendi crucem per subjectas illi Provincias, & per spatium illud Volaterranensis Episcopatus, quo de *Pisano Archiepiscopatu ad Populoniensem transitur.* Concludit tandem: *Tibi tuisque successoribus Primatum super Calaritanam & Arborensem provinciam datum concedimus.* Datæ sunt literæ in Laterano ann.1198. Quid autem possent ea potestate aucti Pisani Antistites, declarat Honorius III. Innocentii successor in sua ad Episcopum Turritanum Epistola, scribens: *Cùm certis temporibus authoritate nostra legationis officium in Sardinia valeat exercere, fraternitati tuæ mandamus, quatenus cum terram ipsam visitaverit, quamdiu in eadem Provincia fuerit, ei tanquam Legato Sedis Apostolicæ intendas; absenti tamen, vel alio tempore venienti non teneberis authoritate legationis aliquatenus respondere; authoritate verò Primatus non plus potest in Provincia Turritana, quàm Primatibus universis concedunt Canonicæ sanctiones.* Habemus itaque ex his, Pisanum Antistitem Metropolitani jure subjectos habuisse tres in Corsica Episcopos, Aleriensem, Adjacensem & Sagonensem, duos in Sardinia, Galtelinensem & Civitatensem, alterum insuper Episcopatum extra illas Provincias situm, nempe Populoniensem. Ultra hæc, legationem gerebat Pontificiam per universam Sardiniam, & Primatum item, non super Provinciam Turritanam tantum, sed & super Sardiniam universam. Hæc quidem ex collatione Pontificiarum Constitutionum collegisse nobis videmur; cæterum nec silere nec diffiteri audemus, illa quæ de primatu Pisani Antistitis super unam tantum Torrensem in Sardinia Provinciam, in literis Pontificum ante Innocentium III. exprimuntur, vix ac ne vix quidem convenire posse cum iis, quæ ipse Innocentius & deinde Honorius III. ann.1218. scripsit ad Archiepiscopos, Episcopos & nobiles viros Turritanos & Gallurienses Judices: *Cum quidam Prædecessores nostri Pisanis Archiepiscopis contulerint in Turritana, Arborensi & Callaritana provinciis Primatus, & in Sardinia legationis honorem &c.* Quod idem de Primatu super tres illas Provincias & legationem per Sardiniam repetit idem Pontifex in literis ad Capitulum, Clerum & Populum Pisanum. Quare fateamur oportet, ea, quæ de Primatu super Turritanam Provinciam à Summis Pontificibus concessa sunt, de universa Sardinia exponenda esse juxta receptam & ab Innocentio III. primùm, deinde ab Honorio III. probatam interpretationem. Eodem pariter Turritanæ Provinciæ nomine universam Sardiniam censeri in literis Innocentii III. postremæ Conciliorum Collectioni Concilio Lateranensi IV. præfixis, vix ambigimus. Cum enim Pontifex ad generale Concilium intra biennium celebrandum singularum Provinciarum Antistites per Epistolam invitaret, singulas Italiæ & Insularum Provincias, Siciliam, Pisanam, cæterasque nomine exprimit; de Sardinia verò nihil legitur, sed tantùm *in eodem modo* (nempe, invitamus Episcopos) *per Turritanam.* Perinde igitur habebatur Turritanam dicere ac Sardiniam; quare in superiori Epistola idem Pontifex subsidia petens pro sacra adversus Saracenos expeditione, Turritanam silet, Sardi-

niam

niam exprimit. *Eodem modo per Sardiniam*. Concil. Hardoin. tom. 7. col. 6. Ex hac eadem interpretatione factum credo, ut cum Innocentius II. diplomate suo supra laudato Primatum super Turritanam Pisano Præsuli concessisset, Bernardus Guido tamen & Pandulfus Pisanus gestorum quorumdam Pontificum Scriptores disertè asserere non dubitaverint, Primatum super universam Sardiniam ab eodem Pontifice concessum fuisse. Lege Ital. Rer. *tom.3. pag.*433.

Ad Cap.39. n.7. Inter tot doctissimos Viros conjecturam nostram super hunc canonem 17. Calchedonensis proferre vix audemus. An fortè Concilii Patres in eo Decreto cudendo præ oculis habuerunt agitatam inter Episcopum Antiochiæ & Jerosolymæ de jorisdictione controversiam? Cum illi Hierarchiæ politiam ordinandam suscepissent, statuissentque quid facto opus esset, cum novam aliquam Metropolim Imperatoris edicto institui contingeret; occurrebat aliud, quod à Patribus ejusdem Concilii perpetuâ constitutione sanciretur; nimirum, cum vetus aliqua Metropolis, quæ temporis alicujus spatio excisa jacuerit, iterum repararetur, innovareturque, quod factum spectabatur in Urbe Jerosolyma, quæ ad Constantini usque ætatem excisa & inglorta, deinde in pristinam dignitatem splendoremque venisset. Quid igitur cum illa vel cum aliis similibus, siquæ fortè deinceps restitui contigisset, quid, inquam, servandum fuerat? Anne vetus illi Provincia lege postliminii restituenda? Opportunum Patribus visum est ejus Urbis Episcopos ditionem suam ad normam civilis politiæ atque distributionis Parœciarum redigere, ut Episcopi illius jurisdictio tam latè pateret in Ecclesiastica dispositione, quantùm in civili Urbis illius ditio porrigebatur. Ita proinde sacro approbante Concilio decretum est. *Si qua Civitas authoritate Imperiali novata est, uni si protinus innovetur, civiles dispositiones & publicas Ecclesiarum quoque Parochialium ordo subsequatur*. Meam hanc conjecturam confirmat Canon 12. ejusdem Concilii, qui pariter editus videtur occasione controversiæ in eadem Synodo agitatæ inter Episcopos Nicomediensem & Nicænum. Itaque sicut posterioris hujus disceptationis occasione canonem edidisse Patribus visum est; ita pariter in causa Hierosolymitanæ Metropolis factum esse non immeritò suspicaremur.

Ad Cap.41. num.12. Non abs re hìc adnotandum arbitror, Græcorum Patriarchas eâ, quâ semper tenebantur, authoritatis suæ prorogandæ ambitione, id sibi aliquando usurpasse, ut oblato Archiepiscopi titulo, Episcopos alienæ ditionis in suas partes adducerent. Accipe ejus rei documentum illustre ex Joanne Diacono in Chronic. Episcop. Neapolit. Rer. Italic. Scriptor. *tom.1. par.2. col.*307. *Sergius, dum à Græcorum Pontifice Archiepiscopatum nancisceretur, ab Antistite Romano correptus, veniam impetravit*. Porrò Sergius ille Neapolitanam Cathedram tenuit sub Gregorio II. & III. & Zacharia; quare ad sæculum octavum pertinebat.

Ad Cap.42. num.1. Ex eodem Emeritensi Concilio intelligimus, obtinuisse in Hispania, ut Metropolitani Comprovinciales Episcopos invitarent compellerentque ad se venire, unà secum Festum Nativitatis Domini & Paschæ celebraturos. Canon. 6. Id ipsum injungit Episcopis Toletanum XIII. Canon.8. addens etiam Festum Pentecostes: & reluctantes venire Episcopos inurit excommunicatione. Id etiam alicubi in Italia servatum legimus. Honorius III. scriptis ad Salutiarum Episcopum literis, absolvit illum ab onere parendi coram Metropolitano singulis annis die Cœnæ Domini; quamvis, ait idem, *Metropolitanus non speciali privilegio, sed ex usurpatione potiùs hoc obtinuisse hactenus videatur*. Raynal. *ad ann.*1217. Hæc omnia planè demonstrant, devinctissimos fuisse ejus ætatis erga Metropolitas suos suffraganeos Episcopos. Sicut enim singuli Sacerdotes in obsequii argumentom singulis annis ad Ecclesiam Cathedralem convenire tenebantur; ita pariter & comprovinciales Episcopi ad Metropolim; quasi scilicet idem esset in suffraganeos jus Metropolitæ, ac Episcopi in Clericos.

Legimus etiam apud Ughell. *tom.8. col.*345. *nov. Edit.* Episcopum S. Agathæ Gothorum, Urbis inter Neapolim & Beneventum constitutę, à Metropolitano suo Archiepiscopo Beneventano jussum, quinquies per annum ad sedem Matricem venire, videlicet Pentecoste, Festo S. Bartholomæi Apostoli, SS. Apost. Petri & Pauli, *in consecratione* Archiepiscopatûs (sic) in ordinatione Episcoporum.

Ad Cap.42. n.1. Quædam hic animadvertenda ex Concilio Ovetensi. Concil. Harduin. tom.6. part.1. cap.4. *Qua quidem sedes* [Ovetensis] *Metropolitana, ex Lucensi Sede Archiepiscopali est translata. Lucensis namque Sedes, priùs Metropolitana, Braccharæ deinde fuit subdita. Braccharâ verò à Gentilibus destructâ, Lucensis Sedes in Concilio sancto Ovetensi Archiepiscopo pro est subdita*. Celebratum est Concilium ann.873. Rectiùs autem deductam ex illo habes historiam Metropoleon, quam Thomassinus ex conjecturis assequi conatur. Lucensis ergo Sedes Braccharensi concessit; sicut & Bracchara in Ovetensi Concilio Metropolitæ Ovetensi parêre jussa est.

Ad Cap.43. num.1 Obtinuisse pariter in Italia, ut Metropolitæ bis in anno suffraganeos ad Synodum vocarent, vel saltem vocare potuissent, intelligimus ex Concilio Romano sub Nicolao I. adversus Joannis VIII. Archiepiscopi Ravennatis tyrannidem celebratum. Cautum est in illo, ne Ravennatensis Præsul plus aliquid à subjectis sibi Episcopis exigere audeat, quàm quod *cæteri Episcopi per Liguriam, Venetiam, atque Istriam suis Metropolitanis exhibere probantur*; nimirum, ut bis in anno ad Concilium vocati veniant, neque ultra 15. dies Ravennæ detineri possint inviti. Extat Concilium à Bacchino vulgatum tom.2. Rer. Italic. Script. pag. 204. Colligitur etiam ex eodem Concilio Formataa dari consuevisse à Metropolitano Episcopis, quoties extra Provinciam etiam *ad Limina Apostolorum amplectenda*, vel ad Sedem Apostolicam pergere voluissent. Queruntur enim Episcopi, ab eo se Archiepiscopo detineri, quominus iter illud inirent.

Ad Cap.45. num.3. Nullum non movit lapidem Placentina Ecclesia, ut à jurisdictione se Metropolitæ Ravennatis subduceret. Stephano IV. Romano Pontifice regnante contigerat, ut eodem simul temporis intervallo Ravennæ Metropolis, simulque ejus suffraganea Placentina Diœcesis, suo utraque Pastore viduarentur. Opportunam nacti occasionem Placentini, Pontificem supplices convenerunt, rogantes, ut quandoquidem propter Italici Regni tumultus & procellas periculum esset in mora, ipse per se, qua pollebat authoritate, electum Episcopum consecraret. Æqua postulasse visi sunt. Quare Pontifex Antistitem initiavit, statimque cùm Ravennæ datus esset novus Antistes, illum de omnibus fecit certiorem, professus. *Cum proprius Metropolitanus deesset, satis ut eis rogati providimus consecrare Episcopum*. Inde sibi juris aliquid accessisse rati Placentini, de eximendo se à Metropolitani potestate seriò agere cœperunt. Nec frustra diu laboratum; nam Joannes ille Calaber, qui ad Placentinam Sedem ascendit ann.989. immodicâ, qua in summos honores rapiebatur, ambitione, supremam Archiepiscopi dignitatem à Joanne XVI. impetravit. Mox tandem cùm injuriâ id factum Gregorius V. animadverteret, Decessoris sui eâ de re infecta omnia esse jussit. Neque hìc quieverunt Pla-

Placentini. Extant Eugenii III. literæ ad Moysem Ravennatem Archiepiscopum, quibus & se confirmasse Episcopum Placentinum facit certiorem, simulque monet, ut de controversia illa, Metropolitici nempè juris sui cum Placentinis, coram se disceptaturus certâ die, & loco veniat. Scripsit per eam occasionem ad eundem Eugenium Petrus Venerabilis, Placentinorum causam Pontifici commendans: *Probamus*, ait, *innumeris testibus, Placentinorum electum à multis retrò saculis à summo & universali Præsule, non ab alio consecratum*. Porrò id factum suspicor, quòd Archiepiscopi Ravennatenses plures impio schismate ab Ecclesia Romana descivissent; quare facilè Placentini à Summo Pontifice munus illud consecrationis impetraverint. Discussâ igitur à Pontifice causâ, victus excessit Placentinus, jussusque consecrationem à Ravennate petere; qua de re expeditæ sunt ab Eugenio ipso ad Moysem Ravennatem Archiepiscopum literæ. Impatienter id tulisse Placentinos ex eo intelligimus, quòd non diu post Eugenius literis suis ad Moysem Ravennatensem, Joannem Placentinum Episcopum etiam atque etiam commendaverit: quippè *qui pro Sedis Apostolica obedientia & restitutione Ravennatensi Ecclesia, immensis periculis esset expositus*. Non diu post Adrianus IV. munus consecrandi Placentinos Episcopos ad Romanum Pontificem revocavit; quemadmodum ex consecratione à se uno præstita Hugonis in Episcopum Placentinum, apertè satis intelligitur. Extant literæ eâ de re Adriani IV. ad Placentinos apud Ughell. *tom.2. col.270. Vet. Edit.* Adrianum excepit Alexander III. qui assertis Metropolitæ Ravennatensi suffraganeis Bononiæ & Parmæ, de Placentino siluit; quod apertissimo est documento, ait Campi in Histor. Eccles. Placentinæ *tom.2. pag.32.* Ecclesiam Placentinam à Metropolitani Ravennatis potestate immunem habitam fuisse. In subscriptionibus etiam Concilii Lateranensis III. Theobaldus Placentinus inter Præsules Romanæ Provinciæ recensetur. Harduin. Concil. *tom.6. part.2. col.2056.*

Totam banc historiam latiùs deduxisse visum est, quò illustri hoc disciplinæ Italicæ exemplo demonstraretur, in Italia, non secùs ac in cæteris Christiani Orbis Provinciis, id semper effecisse Pontifices, ut quàm minimò de Metropolitanorum juribus labefactaretur. Luculentiùs etiam expositas in illo habes causas imminutæ tandem in Ecclesia Placentina Ravennatensis Præsulis potestatis, quod illustrandis iis, quæ à Thomassino infra disputantur, multum arbitror collaturum.

Ad Cap.47. Ad superiorem ætatem pertinent illæ veteres formulæ ex Hincmaro apud Harduinum relatæ tom.5. col.1442. in quibus tota Gallicanarum ordinationum in Concilio, prævio examine, & canonicâ discussione, disciplina exponitur. Apud Italos idem erat jus, quod apud alias regiones, initiandorum suffraganeorum Metropolitis. Callistus II. in Epistola ad Coepiscopos Corsicæ, jus Metropoliticum in Episcopos Corsicæ sublatum Pisanis ab Urbano II., à quo primùm obtinuerant, demonstraturus, in se eundem Pontificem recepisse Episcoporum ejus regionis ordinationes testatur. Extant literæ apud Ughell. Ital. Sacr. *tom.4. col.1180. Vet. Edit.* Ita pariter Eugenius III. ad Moysem Ravennatensem Metropolitam scribit, se, bonâ quidem ejus veniâ, confirmasse electum Placentinum, à consecratione tamen abstinuisse. Vide Ughell. *tom.2. col.266. Vet. Edit.* Hunc morem petendi confirmationem à Romano Pontifice in electione suffraganeorum Episcoporum, quamquam alioqui consecratio à Metropolitano peteretur, obtinuisse non semel in Italia facilè crediderim. Id enim probant literæ Eugenii III. mox laudatæ. Sed nihil opus est probationibus in re prorsus explorata. Illud novum & inauditum, quod à Joanne XV. an.993. Pontificatûs 8. Indict.7. concessum legimus apud Ughell. in Salernit. *tom.7. col.376. nov. Edit.* Hæc itaque ille ad Grimaldum Salernitanum Archiepiscopum: *Non habeant potestatem successores nostri in cunctis vestris Episcopatibus, quos vobis subjecerunt, deinceps in perpetuum aliquem Episcopum consecrare, quod jam vobis concessum est.* Idem quoque privilegium Michaeli Grimaldo successori novo diplomate asseruit Sergius Pontifex Rom. ann.1012. Ibid. col.377. Hisce tamen nihil aliud insinuatum crediderim, quàm ut ordinationes Episcoporum antehac à Romanis Pontificibus præstitæ, permissæ denique Salernitanis Archiepiscopis censerentur; ratâ semper & firmâ manente summâ illâ Romani Pontificis authoritate, qua Episcoporum omnes revocare ad se ordinationes valuissent.

Petebatur etiam interdum à Metropolitanis confirmatio privilegiorum et jurium, quæ Clerici in Diœcesi suffraganeorum obtinebant. Consulerat sese Galterius Ravennatensis Metropolita Regium Lepidi; ut suffraganei Episcopi ejus Urbis consecrationem celebraret; rogatusque ab Ogerio Archipresbytero & Achille Archidiacono, Reginæ Cathedralis Canonicis, privilegia illorum, & jura, dato ann.1140. diplomate, confirmavit. Ejus privilegii chartam legas apud Ughel. Ital. sacr. *tom.2. col.290. nov. Edit.* Gebeardus Archiepiscopus Ravennas omnium primus adscripsit chartæ donationis factæ à Joanne II. Cæsenatensi Episcopo anno 1042. Clericis Diœcesis suæ communis vitæ professionem sectantibus. Simili exemplo Gothofredus Aquilejensis Patriarcha, quæcumque suffraganeus suus Concordiensis Episcopus concesserat Canonicis in commune viventibus, ab ipso Diœcesano Episcopo rogatus, firma & rata diplomate suo esse præcepit. Ughel. *tom.5. col.333. nov. Edit.*

Ad Cap.48. Hisce omnibus causis labefactatæ Metropolitanorum potestatis ab Authore recensitis, hæc addenda succurrunt: nimirum, studio pacis componendæ factum esse non rarò, ut Pontifices inviti ad avocandas ad se ordinationes Episcoporum adducerentur. Ita ab Urbano II. cum Episcopis Corsicæ præstitum esse, ut Januenses tumultuantes sedaret, supra ex literis Callisti animadvertimus. Innuimus etiam & de Placentinis, qui manu Ravennatis Archiepiscopi consecratum Joannem Antistitem adeo malè exceperunt, ut exulem diuque jactatum dignitate cedere coegerint. Ne itaque reliquos Episcopos discrimini exponeret Adrianus IV. ipse per se successorem Hugonem ordinavit, cujus denique exemplum reliqui Pontifices secuti sunt. Vide Campi Hist. Placen. tom.2. pag.1.

Ad Cap.48. num.13. Non suffraganeos tantùm, sed exemptos pariter Episcopos ad Concilium Provinciale propinquioris alicujus Metropolitæ convenire Tridentinum injungit. Quamvis enim rata illis omnia exemptionis privilegia esse jubeat, seriò tamen monet injungitque, ut aliquem vicinum Metropolitanum semel eligant, cujus Synodo Provinciali cum aliis interesse debeant, *& quæ ibi ordinata fuerint, observent, ac observari faciant. Trident. sess.24. de refor. cap.2.* Sancitam hanc semel in Tridentino disciplinam innovavit confirmavitque Concilium Provinciale Romanum nuper sub SS. D. N. Benedicto XIII. celebratum.

Extat apud Ughell. *tom.1. in Eugubinis* solemnis protestatio, qua Tridentini jussioni de eligendo Metropolitano, cujus Synodo intersit, ita se obsequuturum ejus Urbis Episcopus profitetur, ut nihil inde exemptionis suæ privilegio derogatum voluerit. *tom.1. col.933.*

Ad Cap.49. Hujus capitis exempla occurrunt pari-

riter in Italia; namque ann.881. duplex Episcopus Capuanam Ecclesiam regebat, Landonulfus nempe & Landulfus, quos cùm ambos Joannes VIII. Episcopos consecrasset, *cunctum Episcopatum aqua portione inter se dividi pracepit*, ait Erchempertus in Auctuar. ad Hist. Pauli Diaconi. *Rer. Italic. Script. tom.2. pag.*248. Ita pariter & Marsorum Ecclesia duplicem Episcopum à Leone IX. confirmatum diu toleravit, donec à Victore II. deinde à Stephano X. factum sit, ut ad unum Ecclesia rediret. Ughel. *tom.1. in Marsis col.*890. Episcopatus Reatini duo Antistites subscripti leguntur decreto Nicolai II. ann.1059. in Harduin. Collect. *tom.6. part.1. pag.*1067. *Atto Episcopus Reatensis, Girardus Episcopus Reatinus*. Nihil verò moror duplices illos Episcopos, quos geminos una Episcopalis cathedra conjungebat; sed alterum Romanæ communionis Clerus & populi, alterum schismatici præficiebant. Hujus bicipitis Episcopatûs exempla occurrunt tum apud alios, cum pariter apud Authorem coævum vitæ S. Anselmi, qui Lucensem Cathedram sæculo Christi undecimo tenebat.

Ad Cap. 49. num. 4. Charta privilegii à Stephano III. Papâ anno Pontificatûs sui primo concessi, scripta legitur per manum Anastasii primi Episcopi Diœcesanorum S. Sedis Apostolicę, Rer. Italic. Script. tom.2. par.2. 191. Fallor? an hæc primi throni & senioris Episcopi speciem quandam in Diœcesi Romani Pontificis exhibent?

Certè Pandulfus Pisanus in vita Gelasii II. hunc post Papam Primatum asseruit obtinuisse Petrum Portuensem Episcopum; cum tamen alioqui constet, Portuensi sedi prærogativam nullam in ea re fuisse. *Venerabilis P. D. Petrus Portuensis Episcopus, qui Primatum post Papam longa jam diu tempora detinuerat*.

Aliud exemplum ejusdem primæ sedis in Provinciis Italiæ exhibet monumentum quoddam celebris cujusdam conventûs sub auspiciis Caroli Magni, vulgatum in recentissima Editiones. Ughell. *tom.5. col.*1127. En illud: *Primus omnium permae Polensis dixit*. Habes hìc Primatem Patriarchæ sive Metropolitano subjectum, quam prærogativam obtinuisse Polanum, sedis dignitate, an quòd ordinatione esset anterior, quemadmodum in Africa, incertum. Facilè tamen hanc honoris dignitatem obtinuisse illum crediderim, quòd inter Episcopos Istriæ senior ordinatione haberetur, non etenim semper Polanus primos omnium subscribit, uti plurimis documentis apud Ughellium demonstratur.

Ad Cap.51. De Papæ nomine multa & egregiè disputat Cl. Abraham Ecchellensis par.2. Operis adversus Seldenum. Porrò apud Latinos necdum sęculo nono obtinuisse, ut titulus ille honoria & prærogativę uni Romano Pontifici cederet, ex S. Eulogio Cordubensi, qui floruit circa ann.850. demonstrat Baronius. Apud Gręcos Orientalesque non diu tantùm obtinuit, sed modò etiam receptum est, ut Alexandrinus Patriarcha singulari suæ Cathedræ prærogativâ Papæ titulo decoraretur. Metrophanes Patriarcha Alexandrinus in novissimâ Synodo, Hierosolymę adversus Calvinistas celebrata ann.1672. ita subscriptus in Græco legitur. *Metrophanes Dei miseratione Papa & Patriarcha magna Urbis Alexandria*. Concil. Harduin. *tom.11. col.*219. Abyssini etiamnunc unicum, quem agnoscunt, Episcopum suum Papas appellant, uti animadvertit Pagi in Critica Baronii *ad ann.*445.

Ad Cap.52. Confirmant in eam rem verba Archelai Episcopi Mesopotamię in Disputatione sua cum Manete, cujus disputationis acta magno eruditionis Ecclesiasticę bono ferè integra vulgavit vir Cl. Laurentius Zacchagnius Romę an.1698. Ita porrò Episcopus ille sanctus, qui sęculo tertio Ecclesię florebat: *Sed optimus Architectus ei fundamentum nostrum, id est Ecclesia, Paulus posuit, & legem tradidit, ordinatis Ministris & Presbyteris & Episcopis in ea, describens per loca singula quomodo & qualiter oporteat Ministros Dei, quales & qualiter fieri Presbyteros, quales esse debeant qui Episcopatum desiderant*. Porrò ministrorum nomine gradus omnes Clericorum infra Presbyteros designari Zacchagnius in suis adnotationibus ad hunc locum autumavit. Sed quando, rogo, Paulus leges tradidit inferioribus Clericis? Sed nec Diaconis aliquid unquam præscripsit. Pateor: sed cum tres illi Superiores Clericorum gradus uno interdum Episcopi nomine designatos apud veteres constet, & ipso Thomassinus supra cap.51. num.10. ex Chrysostomo demonstret, potuit inde Archelaus, quæ ab Apostolo pro Episcopis & Presbyteria sancita sunt, de Ministris seu Diaconis pariter interpretari. Quis autem eredat tantum sanctitatis apparatum à Diaconis exegisse Paulum, juxta Archelai interpretationem, si nonnisi ad temporale aliquod ministerium Diaconi destinarentur?

Cum in eodem Cap.52. Author ex Hieronymo aliisque demonstret, Episcopos non discrepasse tantùm à reliquis Presbyteris honoris prærogativâ, sed & Sacerdotii pariter dignitate, accipe insignem S. Hilarii eâ de re locum in sermone de S. Honorato. Cum enim S. Pręsul viri illius sancti excelsum sanctitatis culmen, quod merus adhuc sacerdos, nondum Episcopus, attigerat, pluribus commendaret, factum esse ait, ut coram illo *nullam Sacerdotii distantiam, nullum nominis privilegium Episcopatus agnosceret*. Distat ergo Episcopus à Presbyteris oon hooore tantùm, sed & plurimo Sacerdotii intervallo.

Ad Cap.57. num.4. Quæ hìc de exemptione Episcopi Atebatensis à potestate schismatici Metropolitani ex Gregorio Magno afferuntur, in mentem revocant simile in Italia exemplum, de subductis nempe à ditione Metropolitæ Ravennatis Parmæ, Placentiæ, Regii, Mutinę, Bononię Episcopatibus, in penam scilicet denegatæ à Metropolita in Romanum Pontificem obedientiæ. Testatur enim Cencius Camerarius apud Baronium ad an.1116.n.35. in Concilio Guastallensi statutum fuisse, *ut Emilia tota cum suis Urbibus nunquam ulteriùs Ravennatensi Meteopoli subjaceret*. Hæc enim Metropolis per annos jam penè 100. adversus Sedem Apostolicam cervicem erexerat.

Ad Cap.58. num.10. Cum in duobus hisce capitibus Author differendum suscipiat de novorum Episcopatuum erectione, restitutione, unione &c. Nonnulla hìc addenda censeo, quæ Italiæ disciplinam eâ in re demonstrent. Uniones istæ, erectiones, divisiones, extinctiones Episcopatuum nullibi frequentiùs, quàm in Italia spectantur. Cum enim variis subjecta casibus regio varias subire mutationes cogeretur, quas in civili politia vicissitudines, easdem pariter & in Ecclesiastica experta est. Interdum Episcopali Cathedræ supprimendæ causa erant Urbes, quæ olim frequentissimæ, deinde raro essent habitatore desertæ. Sæpe junctum cum adversariis S. R. E. fœdus piaculare fuit. Singulare afferam exemplum Episcopatus Alexandrini. Alexander III. novam Alexandriæ Episcopalem cathedram constituit. Huic deinde Aquensem Episcopatum, tanquam minùs populosum univit. Dilatam ejus Pontificiæ sanctionis executionem Innocentius III. urgendam censuit. Mox tamen Alexandrinos, partibus inimicorum Ecclesiæ faventes, idem Innocentius concesso honore privandos atque Ecclesiam Aquensi Episcopo subdendam censuit. Resipiscentes deinde Gregorius IX. in pristinum restituit. Tandem Innocentius VII. ann.1406. duos Epi-

Episcopatus iterum, incertum quâ de causâ, sejunxit. Vide Ughell. Ital. Sacr. *tom.4. in Alexandrinæ*. Ita pariter ex Urbe Foropompilii Sedes Episcopalis in pœnam excussæ Pontificiæ dominationis Bertinorum translata est sub Innocentio VI. dein verò pristinus honor Urbi restitutus est, ejusque Episcopus utramque Diœcesim Foropompilii & Bertinori junctim administravit. Ughel. *tom.2. in Foropompil.* Id autem præstabant interdum Pontifices, non adhibito tantùm consilio & assensu Metropolitanorum, quibus Episcopatus illi, sive conjungendi, sive supprimendi parebant; sed & illorum curæ totum opus committebant. Innocentius III. Emonensis & Justinianopolitani Episcopatuum unionem Aquilejensi Patriarchæ, cui subdebantur, commisit; sicut & jungendi Alexandrinum & Aquensem Archipresbytero Mediolanensi mandatum injunxit. Raynal. ad ann.1206. Sæpe tamen ipse in se Pontifex, ne consulto quidem, immo & invito aliquando Metropolitano, opus illud sumebat. Urbanus II. ann.1092. Cavense Cœnobium invito reclamanteque Alfano Salernitano Archiepiscopo, *qui minai Ecclesiæ suæ jura clamitabat*, à jurisdictione ejusdem Episcopi exemit, exemptumque deinde Bonifacius IX. in Episcopalem Sedem erexit. Ughell. *tom.5. in Cavensi. col.610.* Idem in erectione Cortoniensis Episcopatûs à Joanne XXII. ann.1326. ejus Pontificis IX. factum legimus. Oppidum ille Cortonæ ad Urbis, & Episcopatûs honorem evexit, ab omni priùs Ecclesiastica & temporali Aretini Episcopi jurisdictione subtractum. Principum assensus, in erectione maximè novorum Episcopatuum, sæpè requisitus est, ut etiam Thomassinus adductis exemplis observat. Ne tamen adeò inviolatè eas leges à Pontificibus servatas credas, quin sępiùs eos fines transgredi sibi licere arbitrarentur. Eugenius IV. diù apud optimates Venetę Reipublicæ egit, ut in translationem Patriarchatûs Gradensis in Urbem suam consentirent: sed repugnantibus illis, tandem Pontifex, summâ illâ, quâ tanquam rerum sacrarum arbiter pręstabat, authoritate, ipse per se translatum Patriarchatum illum renunciavit. Lege Vitam Sancti Laurentii Justiniani *cap.8.*

Ad Cap.60. num.4. Vetustius aliud ejusdem delegationis exemplum suppeditat Opusculum de fundatione Monasterii Nonantulani in agro Mutinensi. Rer. Italic. Scriptor. *tom.1. par.2. pag.189.* Legitur in eo diploma Stephani III. Papę, datum an.753. seu ann.2. ejusdem Stephani, quo inter cętera eidem concessa privilegia, hęc precipuè in rem nostram habemus: *Et quoniam nobiscum aderat SS. Confrater noster Sergius, Sanctæ Ravenatis Ecclesiæ Archiepiscopus, commendavimus ipsum Venerabilem Abbatem, sub regimine suò nostra vice gubernandam omni tempore, si tantùm ab Abbate fuerit invitatus.* Joannes XIX. diplomate suo, dato 16. Kalen. Januar. indict.10. jurisdictioni Episcopi Sylvæ Candidę subjecit Presbyteros & Clericos Ecclesię S. Adalberti & Paulini, sicut Ecclesię Sancti Benedicti, quas Ecclesias positas memorat intra civitatem Romanam. *Illos autem*, ait, *ita subjectos vobis esse volumus, ut per omnia vestris rationabilibus obsecundent mandatis, ut quomodo vobis placet ordinare, secundùm decet, regere, informare & emendare nostra Apostolica authoritate in perpetuum liceat.* *Ughell. tom.1. col.97.*

Tandem Lucium III. quem primum hujus delegationis authorem laudat Thomassinus, vetustate superat diploma Adriani IV. signatum ann.1156. quo in Anselmum Astensem Præsulem Pontificiam authoritatem confert super Monasterium B. Mariæ in loco Caramagnæ situm, & *sub Apostolica Sedis*, ait, *defensione ac dispositione consistens.* Jubet autem, ut nova hac potestate fultus, collapsas ejusdem Monasterii res spirituales & temporales restituat; quod & antea à Callisto II. eidem Episcopo injunctum memorat. Ughel. in Asten. *tom.4. col.365.*

Ad Cap.60. num.9. Multò vetustiora ejus moris exempla legas in charta quadam donationis factæ Monasterio Sancti Petri de Landelina ab Anselmo Episcopo Nucerino simul & Fulginatensi ann. 1074. Indict.7. *Ego Anselmus Dei gratia, non meis meritis, Fulginalis & Nucerina Ecclesia ex concessione D. Papæ, & totius Romanæ Ecclesiæ consensu ibidem toto tempore vitæ meæ ordinatus &c.* Insuetâ hac per eam ætatem observantiæ significatione singulare privilegium sibi concessum Præsul ille repensavit, quo nimirum duabus simul Diœcesibus præesse à Pontifice jussus est. Vide Ughell. in Fulginat. *col.696. nov. Edit.*

Huic etiam mox invehendæ consuetudini fili exemplo prælusit Albericus Præpositus Monasterii Atinensis ann.1155. qui in patentibus literis suis se subscribebat: *Dei gratia & Abbatis Casinensis*; à quo, inquit Author Chronic. Atinensis, *Præpositus eligebatur Atinensis*. Rer. Italic. *tom.7. col.009.*

Hæc scripseram; cum inter legendum occurrit testamentum Sancti Amati Nuscani Episcopi, ex originali ab Ughellio *tom.7. col.533.* descriptum, in cujus fronte hæc legas: *Ego Amatus Apostolica Sedis gratia Episcopus.* Datum est autem instrumentum anno 1093., quare vetustissimum est, quotquot unquam afferri possint, hujus, quam modò tractandam suscepimus, rei documentum. Est autem Nuscum Hirpinorum civitas in ulteriore Principatu, oppidò exigua.

AD



AD SECUNDUM DISCIPLINÆ LIBRUM

ANIMADVERSIONES.

PART. 1. Lib.2. cap.2. num.7. Juvat & conjecturam meam de canone isto Calchedonensis protulisse. Ordinabantur igitur, quantùm ego arbitror, Presbyteri, ordinabantur & Chorepiscopi; ita tamen ut Chorepiscoporum ordinatio idem reapse ac Sacerdotalis esset. Alii ita ordinabantur in Presbyteros, ut merum Sacerdotale munus implerent; alii verò in Presbyteros ita initiabantur, ut simul & semel Sacerdotes essent & Chorepiscopi. Quare utrumque illum gradum distinxit Concilium, & Presbyterorum nempè, & Presbyterorum, qui simul in Chorepiscopos adlegerentur. Hinc scrupuli omnes Thomassini evelluntur; eccur Chorepiscoporum ordinatio manuum impositione, non secùs ac ordinatio Presbyterorum præstaretur? Ideo enim Chorepiscopi manuum impositione, perinde ac Presbyteri, inaugurabantur, quòd Chorepiscopi meri essent Presbyteri, munere tantùm, non ordinatione à cæteris Sacerdotibus distincti.

Ad Cap.2. num.10. Quæ in Alexandrina Diœcesi obtinet politia, eadem fermè apud Abyssinos spectatur. Vastissimam enim Diœcesim illam unicus administrat Episcopus, quem Papam appellant. Subiecta ille omnia moderatur per *Comos*, *i. e.* Archipresbyteros seu Præpositos, à quibus tamen neque ordinationes, neque Episcopalium munerum quidquam præstatur. Vide Pagium in Critic. Baronii ad ann.445.

Chorepiscopos nullos fuisse in Italia, ex iis, quæ ibidem ab Authore congeruntur, non immeritò quis arbitretur; nulla enim de Chorepiscopis Italiæ ibidem mentio occurrit. Verùm rara licèt, nonnulla tamen suppetunt Chorepiscoporum Italiæ documenta. En locupletissimum ex charta quadam Fortunati Gradensis in nupera Ughelli editione *tom.5. col.*1102. vulgatâ, ad initium sæculi noni pertinente. *Dedi ibi argentum libras decem in manum Agno Chorepiscopo, & omnem consuetudinem de S. Ecclesia sic prandet, sicut Archipresbyter aut Diaconus.*

Ad Cap.5. & 6. Quæ hìc ab Authore adstruuntur, de Archipresbyteris ruralibus cum Decanis, seu cum Rectoribus Plebium confundendis, eadem pariter & in Italiâ obtinuisse constat. Unum alterumque ejus rei documentum promam. In privilegio Lamberti Imperatoris pro Ecclesia Placentina ann.891. *Plebs ejusdem Episcopatus sacrata, quæ regitur per Leonem Archipresbyterum.* In altero privilegio duorum Regum Hugonis & Lotarii pro Abbatia de Tolla in Placentina ditione sitâ, dato ann.936. *Neque à quibusdam ejusdem Episcopatus Plebium Archipresbyteris decima exigatur.*

Addit demum Author, sæculo tandem decimotertio, & deinceps, de immodica illa Archipresbyterorum jurisdictione plurimum decerptum. Verissimè ille quidem. Synodus Claramontana ann. 1268. nihil ultra Archipresbyteris concedit, quàm ut de *notoriis summariè inquirant; & si quod scandalum generet ibidem in populo sive Clero, si non potuerunt corrigere, referant Episcopo vel Officiali.* Cæterùm nec authoritatem exercere, nec interdicti vel suspensionis sententiam ferre permittuntur, neque ad suum tribunal appellare. Lege cap.8. ejusdem Synodi.

Denique animadvertisse libet, in Diœcesi nostra Lucana ex præscripto primùm Illustrissimi & Reverendissimi Alexandri Guidiccioni, deinde Eminentissimi Julii Spinulæ Lucensium Episcoporum, Parochos quosdam rurales in singulis Plebibus arbitrio Episcopi destinari, (Priores Classium appellant) quorum est in universo Plebis illius tractu munus, quod Archipresbyteri olim, obire. Jubentur enim in Regulis seu Constitutionibus eâ de re vulgatis Lucæ ann.1588. primùm, deindè iterum ann. 1679. Priores illi semel in anno saltem subiectas sibi Ecclesias visitare, inspecturi, num omnia, quæ ad disciplinam, ritus, sacrosque cultus, ac tandem Synodalium decretorum observantiam pertinent, ritè administrentur serventurque; scandala omnia & crimina, si quid valeant, curent submovenda; sin minùs, ad Episcopum referant. Parêre recusantes Sacerdotes & Clericos constitutis in Synodo pœnis, quin & arbitrariis etiam, usque ad quatuor aureorum multam cogere permittuntur. Ac tandem si quid in datis & acceptis controversiæ apud Ecclesiasticos versetur, de illa summariè cognoscere ac judicium ferre, Prioribus illis datum est. En Veterum Archipresbyterorum specimen.

Ad Cap.7. num.9. Si quæ fides habeatur Eutychio Alexandriæ Patriarchæ, Sæculi decimi, Scriptori cæteroqui, nequid gravius dicam, ipso fatente Salmasio apud Petavium Theolog. Dogmat. *tom.4. pag.151. Edit.* Amstelod. 1700. minùs exacto, præclarum ejus disciplinæ documentum in insigni Alexandrina Ecclesia exhibetur. Duodecim è toto Clero Presbyteri seligebantur, penes quos summa erat post Patriarcham in tota Provincia authoritas. Defuncto Patriarchâ, primus ordine ex illis Presbyteris ad Episcopalem cathedram ascendebat; deinde eo decedente, succedebat secundus, post hæc tertius, suo singuli ordine; semper tamen duodecim virorum collegio, aliis atque aliis adlectis, perseverante. Hæc tamen dubiæ sunt fidei; illud certum. Meletius in Thebaide Episcopus, schismate deinde, cui se Authorem ducemque præbuit, insignis, Vicarius fuerat Petri Alexandrini Patriarchæ. Hujus rei assertorem habeo S. Epiphanium Hæres.68. *Videbatur autem*, Meletius, *præeminere inter Episcopos Ægypti, ut qui secundum locum habebat post Petrum in Archiepiscopatu; veluti adjuvandi ejus gratia sub ipso existens, & sub ipso Ecclesiastica curans.* Quo Sancti Epiphanii testimonio novum Vicariorum genus proditur; non enim Presbyteri tantùm, sed Episcopi etiam ad munus illud assumebantur; cujus rei nos recentioris etiam ætatis exemplum proferre possumus. Marcus de Tetano, si vera prodit Ughellius

lius

lius *tom.2. in Foropopiliensibus col.650.* ex Aprutino Monopolitanus Episcopus renunciatus 18. Kalen. Januar.1405. Vicarii tamen munus Episcopo Florentino ann.1417. gessisse legitur.

Vicariorum nomen ante sæculum decimum tertium innotuisse intelligimus ex literis Cælestini III. anno primo ejus Pontificatûs datis ad Joannem Gradensem Patriarcham. Meminit ibi Pontifex suffraganeorum quorumdam, *qui Vicarios suos ad exigendas decimas transmittere non formidarent*. Fortè tamen Vicariorum ibi nomen aliud designat, quàm quod nostrâ ætate usurpatur. Ughell. *tom.5. col.1133.* Luculentius aliud Vicariorum Generalium ante idem sæculum documentum accipio ex eodem Ughellio in Bergomensibus *tom.4. col.457.* Recitat ille sententiam Robaldi Mediolanensis Archiepiscopi super controversiâ Canonicorum Sancti Alexandri in Urbe Bergomensi Mediolanensis Archiepiscopi suffraganeâ, datam an.1141. qua decernitur, ut Pœnitentiales per Diaconum Ecclesiæ B. Vincentii Archidiacono tradantur; per Archidiaconum verò Episcopo vel ejus Vicario repræsentandi. Est igitur juxta hanc chartam Vicarii tribunal unum idemque cum Episcopali; utrumque verò ab Archidiaconi judicio distinctum.

Obtinebat olim in Diœcesi Mediolanensi, ut Archiepiscopi è Provincia sua secedentes, Vicarios interim suos rebus Episcopalibus administrandis in ea relinquerent; Vicarios autem non meros Sacerdotes, sed Episcopos constituebant. Anselmus IV. qui Cathedram illam tenebat an.1098. expeditionem Hierosolymitanam initurus *habuit consilium statuendi sibi Vicarium, hominem multarum artium*. Hunc igitur virum ad Savonensem Episcopatum simul evectum, Vicarium Diœcesi suæ administrandæ præfecit: *Ordinatus est autem Episcopus & Archiepiscopi Vicarius*. Post ejus Anselmi obitum Vicarius ille Episcopus, qui Grossulanus appellabatur, ad Cathedram Archiepiscopalem ascendit; mox verò exulare coactus, Vicarium sui muneris constituit Aldericum Laudunensem Episcopum. Lege Landulphum Junior. Hist. Mediol. *cap.17. Rer. Italic. tom.5. pag.487.*

Juvat hîc etiam animadvertisse, S. Ambrosium, si quæ fides habeatur Landulpho Seniori Histor. Mediolan. *lib.1. cap.3. Rer. Ital. tom.4. pag.601.* Vicarii Episcopalis authoritatem ferè omnem contulisse in Primicerium, qui *quasi Coepiscopus*, ait Landulphus, *circa omnes in crimine laborantes potestatem accepit*. Sed Historico sæculi undecimi de rebus vetustissimis asserenti quis credat? Multò certior est testis disciplinæ, quæ suo atque proximioribus ipsi sæculis obtinebat: *Demum Subepiscopus usque modo & Primicerius vocatur*. Singularis ergo circa sæculum decimum atque undecimum vigebat in Diœcesi Mediolanensi disciplina, ut nimirum Episcopi vices non Archidiaconus vel Archipresbyter, sed distinctus ab ipsis Primicerios expleret. Quare Vicarius apud Mediolanenses, sin minus nomine, munere certè & potestate, diu ante quàm apud reliquas Christiani Orbis Diœceses audiretur, innotuit.

Ad Cap. 10. num.5. Ante Concilium Lateranense III. ann.1179. celebratum, munus docendi grammaticam Clericis Canonicis, in quibusdam Diœcesibus commissum legitur. Raynaldi Grammatici & Clerici mentio occurrit in charta confirmationis omnium bonorum in favorem Monasterii S. Bartholomæi de Carpineto à Grimaldo Episcopo Pennensi ann 1133. Hunc enim Raynaldum inter Canonicos adlegendum ex eo discimus, quòd cum Archipresbytero, Archidiacono cæterisque Canonicis donationi assentiatur. Sed & multo his omnibus documentis vetustior est charta Dionysii Episcopi Placentini an.1055., cui inter cæteros Canonicos subscribit: *Eriprandus Subdiaconus & Magister Scholarum*. Vide Campi Hist. Placent. *tom.1. in Regestr.* Rolandus Clericus & Prior Scholæ subscribit instrumento Joannis Episcopi Senensis, signato ann.1056. An verò Prior ille Scholæ præfuisse credendus sit scholæ Cantorum, vel docendis Clericis, incertum. Documentum hoc ex Benvolento acceptum vulgavit Editor nuperus Ughell. in Senensibus *tom.3. col.539.*

De Theologo verò Canonico accipe quid edicat D. N. Benedictus XIII. Jubet ille constitutione suâ ad omnes Italiæ & Insularum adjacentium Episcopos datâ ann.1725. quam laudat & refert Concilium Romanum novissimum *tit.1. cap.6. & 7.* si quam fortè Cathedralem Ecclesiam Theologali præbendâ vel prorsus destitutam, vel minoribus instructam proventibus esse contigerit, actutum provideri, vel beneficiorum unione, aut aliâ demum ratione ita proventibus ampliari, ut labori par fructus (60. aureos Romanæ monetæ assignat) respondeat. Cæterum de re tota ita censet. *Si nullus adhuc in Clero sæculari Theologus extiterit, qui Theologali illa præbenda investiatur, doctus aliquis Regularis provideatur*, qui & fructus interim percipiat, & munus interpretandæ S. Scripturæ exequatur. Quadraginta saltem quotannis lectiones S. Scripturæ publicè in Ecclesia exponat Theologus; qua in re ingenio minus, quàm perspicuæ, exactæ, & ad captum Auditorum accommodæ methodo serviat. Hæc Pontifex, sanctissimè ille quidem, & ad veterem disciplinam appositè. Quæ etenim de præbenda Theologali docto alicui Religioso assignandâ, qua tandiu fruatur, donec interpretandæ Scripturæ munus obierit, sancita sunt, adstipulatorem habent Concilii Lateranensis illud à Thomassino laudatum lib.1. cap.10. num.1. *Non propter hoc efficiatur Canonicus, sed tantum reditus ipsius percipiat, quandiu perstiterit in docendo, &c.*

Ad Cap.10. num.5. Antequam Pœnitentiarios suos Episcopi per universam Diœcesim constituerent, confessionum excipiendarum munus non Archipresbyteris tantùm, sed & Archidiaconis fuisse commissum ex eo primùm intelligimus, quòd Archidiaconi officii pastoralis non in una Diœcesi coadjutores haberentur. Ad hæc, exemplis quibusdam eâ de re instruimur. Legitur in Thesauro Anecdotorum PP. Martene & Durand, tom.1. col.255. narratio quædam de sceleribus Alberici Presbyteri ann.1090. in qua mentio occurrit Archidiaconi, ut *consuetudinis est*, Redonensem Parochiam obeuntis, cui Fulgeriacensis populus obviam factus *confessionem & pœnitentiam peccatorum suorum*, quam à tribus quatuorve annis intermiserat, efflagitavit: nolue rat enim Alberico Parocho suo, turpem quæstum eâ de re exigenti, peccata sua in confessione aperire.

Multò ante Lateranense IV. obtinuisse in Italia Presbyteros Pœnitentiarios demonstrat insigne Ecclesiæ nostræ Lucanæ monumentum. Res gestas S. Anselmi Lucani Episcopi, qui undecimo sæculo florebat, scriptis mandavit Lucensis quidam eruditus Presbyter, qui in fine Operis hæc de se prodit. *Ego B. peccator Presbyter suus* (nempè Anselmi) *in pœnitentia*. Quid est, rogo, *in Pœnitentia*, nisi Presbyter, cui sacerdotis Pœnitentiarii munus commissum est? Vide Wadding. in commentariis S. Anselmi.

Ad Pœnitentiarium Romanum quod attinet, quamquam nulla vetustiora documenta, quàm quæ à Thomassino hîc afferuntur, legentibus nobis occurrerint, vetustiorem tamen sæculo Christi millesimo ideo arbitramur, quòd solerent olim diu ante illam ætatem frequentissimæ criminosorum peregrinationes Romam haberi, uti inter alios testatur

statur Anastasius Bibliothecarius in vita Nicolai I. ann.858. *Diversarum gentium, quæ ubique pro sceleribus Apostolica limina propriis expetebant, divinitus attendens &c.*

Quo testimonio liquet frequentissimas per eam ætatem pœnitentium turmas Romam confluxisse, quos omnes vix ac ne vix quidem Pontificis auribus exceptos in confessione credimus. Quapropter unus fortè aliquis destinatus erat à Pontifice vir doctus, qui ejus in ea re munere fungeretur. An id Archidiacono commissum? Vix credo; namque ad majora illos electos demonstrant frequentissimæ legationes Hildebrandi olim S. R. E. Archidiaconi, deinde Romani Pontificis sub Gregorii VII. appellatione.

Cęterum quando primùm munus illud Pœnitentiarii S.E.R.Cardinalibus committeretur, ut ingenuè fatear, mihi adhuc inexploratum. Certè B. Nicolaus Albergatos, qui sub Martino V. florebat, ab eodem Pontifice Summi Pœnitentiarii dignitatem obtinuit, uti legitur in ejus vita apud Bollandistas *ad diem 9. Maji.* Vestutiorem alium mihi reperire non licuit.

Observat Cardinalis Pictaviensis, qui etiam Pręnestinus dicebatur, in suo tractatu pro indictione Concilii in schismate Pontificum. Thesaur. Anecdotorum tom.2. col.1193. suâ etiam ætate, anno nempe 1400. circiter obtinuisse, ut præter majorem Pœnitentiarium, alii essent Romæ minores Pœnitentiarii, qui omnes, ait, *habent potestatem absolvendi ab omnibus peccatis, etiam reservatis, ratione officii sui, licèt Romani Pontifices aliquod de aliquibus, licèt parcissimis interdicat eis.*

Mira sunt ea, quæ de Abbatissarum audaciâ, sacerdotalia munera sibi usurpantium, animadvertit Thomassinus hìc cap.12. num.17. sed multò etiam ampliùs mirere, recentioris etiam ætatis Abbatissas aliquas nondum ad sanitatem rediisse; vetatur enim in Statutis generalibus Ordinis Cisterciensis ann.1228. num.6. *Confessiones non recipiant Abbatissæ.* Anecdot. tom 4. col.348.

Ad Cap.13. num.5. Casus, qui Pontifici Romano absolvendi reservantur, non unius rationis esse omnes observat S. Antoninus Summ. *tom.3. tit.17. de Secret. Confessarii.* Alia enim atrocitate & enormitate suâ hanc speciatim animadversionem exigere censeri possunt; alia verò & criminis & anathematis vinculo obstrictos ad Romanos Pontificea absolvendos reos ablegant. Ad priorem classem quod attinet, *Ego*, ait ille, *adhuc non legi esse aliquod peccatum præcisè ita enorme, à quo non possit absolvere Episcopus subditum, dum tamen non habeat sententiam aliquam annexam. Quamvis autem possint absolvere, quod mittunt aliquando, bene faciunt.* Nullum enim crimen ætate S. Antonini, sæculo nempe decimoquinto, immanitate suâ grande Episcopalis authoritatis pondus superabat. Quare si forte Episcopi scelerum illorum reos ad Pontificem remittebant, id ipsi dispensationis arbitrio, non authoritatis Pontificiæ imperio coacti prętabant. Ad hanc classem referre juvat exempla omnia, quæ à Thomassino hìc referruntur, quibus adde Italicæ Disciplinę alterum ex Synodica quadam Gotifredi Aquilerensis Patriarchæ apud Ughell. tom.5. in Aquilejen. col.74. Synodus enim sub Præsule illo coacta an.1184. decernit, ut violatores Ecclesiarum & Cœmeteriorum, incendiarii, & qui in Cleros manus injicerent violentas, si ad Ecclesiæ satisfactionem venire disponerent, ante omnia pro viribus & secundùm Episcopi sui arbitrium damnum reparare niterentor, dein *cum Episcopi sui licentia sedem adirent Apostolicam.* Hæc porro crimina, quæ posterioribus deinde sæculis anathemate inusta, Romano Pontifici necessariò reservata sunt, anterioribus sęculis solo Episcoporum arbitrio ad eundem Pontificem remittebantur. Cum verò Pontifices anathematis censurâ crimen seu criminosum aliquem plecterent, ex veteri tunc disciplina receptum erat, ejus tollendi anathematis potestatem penès unum Romanum Pontificem manere. Erat pluribus Conciliorum canonibus constitutum, ut excommunicatio ab eodem remitteretur Episcopo, à quo primùm lata fuisset. Vide præter cætera canonem 5. Nicæni I. Summus autem Pontifex præter eam, quam super universam Ecclesiam sibi vindicabat, authoritatem, solebat Patriarchico jure universos subjectarum sibi Metropoleon Fideles ita submissos habere, ut reos non infrequenter latis censuris, sibique reservatis, puniret. Hujus rei documentum, ut à notis abstineam, exhibet Pseudo-Synodus Photiana, nuper in Collectione Harduini, Concil. tom.6. p.1. col.207. vulgata, in qua Legati Pontificii Conciliari decreto sanciri postulant, ne Bulgaros, à Romano Pontifice excommunicatione interdum inustos, Patriarcha Constantinopolitanus unquam pro suo jure absolvere auderet. Acre enim agitabatur dissidium inter Patriarcham Romanum & Constantinopolitanum de jure super Metropolim Bulgariæ. Ita pariter Gaufridus Andegavensis Episcopus profitetur; *Ecclesiam Mazracensem, quia eam Apostolicâ auctoritate excommunicatam audivimus, absolvere nec possumus, nec debemus.* Thes. Anecdot. *tom.4. col.123.* Ex hoc igitur vetustissimo Romani Pontificis jure factum erat, ut quos in alienis Episcopatibus excommunicatione plecteret Romanus Pontifex, nemo alius Episcoporum sibi absolvendos usurparet. Unum erat, quod in eâ disciplinâ servabatur; nimirum neque excommunicationis reos omnes continuò ad Romani Pontificis judicium depelli, nisi fortè criminis illius scelus non occultum, sed palam & in apertum venisset. Occulta enim crimina excommunicatione à Romano Pontifice inusta, ad Episcopos remittebantur. Publica verò nemo alius nisi Pontifex dimittebat. Ita prodit Concilium Trevirense ann.1238. can.1. *Cum autem ipsi incendiarii absolvi non possint post publicationem, nisi à Papa, nos expensis & laboribus volentes parcere, statuimus, ut ante denunciationem hoc ipsis intimetur; videlicet, quòd nisi satisfecerint, ad Papam oportoat eos laborare, ut sic territi, ad satisfactionem inducantur. Idem de violatoribus & fractoribus Ecclesiarum & Monasteriorum.* Thesaur. Anecdot. Martene, & Durand *tom.4. col.184.*

Quot verò sunt crimina reservationi Pontificiæ subjecta? accipe quid edicant ad illustrationem doctrinæ à Thomassino constitutæ, quid, inquam, edicant plura Concilia nuper in eisdem Anecdotia *tom.4.* vulgata. Concilium incerti loci *tom.4. col.159. c.19. Sunt tria, in quibus nullus habet potestatem absolvendi, nisi D. Papa, vel ejus Vicarius, scilicet, injectio manuum in Clericos vel quosque Religiosos, incendia, Symonia. Nihilominus, talium rei remittendi sunt ad Episcopum.* Nimirum, ut judicio suo determinet, num occulta sint vel aperta crimina; & si occulta, num velit ad Pontificem remitti. Pertinent hæc, ni fallor, ad sæculum 13. Antiqua statuta Ecclesiæ Eduensis, sęculi pariter 13. totidem verbis eadem repetunt. Sed & ante illa omnia legimus in vita Gregorii VII. *cap.79.* eos, qui adversùs Romanum Pontificem cum Henrico Rege conjurarunt, missis ad Apostolicam Sedem nunciis, *epithemium* (impositionem) *pœnitentiæ postulasse. Quibus*, addit Author ejus vitæ, *gremium S. Ecclesiæ* Pontifex *aperuit.* In Pontificem ergo conjurasse, crimen habebatur, nonnisi abeodem Pontifice dimittendum.

Quærit hìc Thomassinus *num.* 11. quandonam cœperint mandata absolvendi à Romanis Pontificibus dari, ne pro absolutione casuum sontes Ro-

niam

mam petere cogerentur. Quod illi inexploratum, mihi certè non liquet; sed consuevisse sæculo 13. mandata illa à Pontificibus dari, demonstrat statutum antiquum Ecclesiæ Eduensis ejusdem sæculi can.31. quo singulis sacerdotibus interdicitur facultas à criminibus Pontificiis absolvendi, *nisi de mandato Papæ*, Anecdot. *tom.4. col.471.* Canon iste, sicut & alii plures, recurrit totidem verbis in Concilio incerti loci *ibid. col.158.*

Ad Cap.14. n.5. Referuntur in Anecdotis Concilia plura, in quibus id ipsum, quod Thomassinus subodoratus est, animadvertitur; nimirum casus Episcopales promiscuè cum Papalibus in Synodis quibosdam ideò referri, ut moneantur Confessarii omnes promiscuè pœnitentes ad Episcopum remittere, absolvendos ab ipsis, siquidem possint, remittendos verò ad Pontificem, si facultate destitutos se noverint; idipsum, inquam, disertè promunt Statuta Synodalia Ecclesiarum Cadurcensis, Ruthenensis & Tutelensis ann.1269. in quibus Pontificalibus & Episcopalibus promiscuè recitatis, ad casus quosdam Papales hæc luculenter addita legimus. *Ut ipse Episcopus absolvat, si potest, vel ad superiorem remittat.* Anecdot. PP. Martene, & Durand tom.4. col.692.

In plerisque Diœcesibus nihil certi constitutum fuisse de casibus Episcopis reservatis credimus; sed quæcumque graviora in Confessione Sacerdotes audirent, hæc remittere ad Episcopos jubebantur. Quare si quæ crimina certis in Conciliis designata sunt, hæc exempli loco adducta credimus, non ut intra illa tantùm crimina Episcopalis reservatio determinaretur. Liquet id apertissimè ex Constitutionibus Ecclesiæ Leodiensis *ann.1287. canon.11. Sacerdotes Episcopo reservent majora peccata, ut puta homicidia, sacrilegia, incendia, &c.* Vides hìc crimina exempli loco tantummodò designari, ut noscant scilicet Sacerdotes eorum exemplo, quos absolvere, quos verò criminosos ad Episcopos remittere jubeantur. Hinc factum credo, ut cum Episcopalium casuum reservatio in incertum vagans, Sacerdotes dubios & in ambiguo relinqueret, factum, inquam, credo, ut tandem Episcopi reservandorum sibi criminum catalogum in suis Synodis dare maluerint. Et cum olim longè plura, quàm nostrâ ætate, remitterentur crimina, longos propterea illorum catalogos struxerunt Episcopi, ut legas in Synodis Ecclesiarum Cadurcensis, Ruthenensis, & Tutelensis ann.1289. & aliis pluribus, in Anecdotis *tom.4.* Occurrit olim nobis parvus quidam Libellus, in quo longo pariter ordine recensebantur casus Episcopales hujus nostræ Diœcesis Lucanæ, jussu Reverendissimi D. Alexandri Guidiccioni Senioris Episcopi ejusdem Diœcesis ann. 1549. vulgati. Ex Concilio Tridentino primùm factum est, ut ex immensâ illâ casuum reservatorum strue, pauca quædam, sed graviora, seligerentur, cæteris omnibus Confessariorum judicio remissis.

Ad Cap.15. num.1. Indulgentia omnium, quoquot unquam occurrant, vetustissima legitur in sacramentario Romano, ante sæculum nonum scripto, apud Mabillonium Musæi Italici part.1. in hæc verba: *Mense Junio die 22. SS. Martyrum mille 480. quorum vigilia cum silentio & jejunio est celebranda, & consuetum est pro illo ano die annum dimittere in pœnitentiâ.*

Quæ verò ex Baronio observat Thomassinus, nimirum ante bella Palęstinæ sacra, Pontifices nunquam ampliorem indulgentiam, quàm unius anni, concessisse, cum nonnullis exemplis, quę inter legendum offendimus, prorsus non congruunt. Legitur apud Ughell. *tom.5. in Aquilejensibus, col.50. & 51. nov. Edit.* vetus quædam inscriptio, posita à Poppone Aquilejensi Patriarchâ anno 1031. in qua consecratum à se Templum in honorem B. Mariæ Virginis testatur; addit deinde: *Ob cujus solemnitatem Romanus Summus Pontifex Joannes Papa XIX. gratiâ Apostolicâ concessit indulgentiam 100. annorum & 100. dierum singulis annis, omnibus verè pœnitentibus & confessis dictam Aquilejensem Ecclesiam visitantibus causâ devotionis, et in Festo Martyrum Hermachi & Fortunati, & per octavas eorum singulis diebus 18. ann. & totidem quadragenaram. Item dicti Cardinales* (nempe qui consecranti Ecclesiam Patriarchæ adfuturi Româ venerant) *authoritate Apostolicâ ob reverentiam S. Quirini Martyris, qui ejus corpus portaverunt de urbe, & ob reverentiam B. Marci Papæ, & Confessoris, cujus etiam corpus de urbe portaverunt, concesserunt indulgentiam 10. annorum & 10. quadragenarum.* Hæc indulgentia, de cujus sinceritate recentiores Ughellii Editores nihil dubitant, ad nos verò judicium de illâ ferre, utpotè quibus & marmoris & scriptionis forma est inexplorata, non spectat; hæc, inquam, indulgentia, prętcrquamquod evidentissimè demonstrat, Pontifices largiores, quàm per unicum annum, concessisse indulgentias, illud etiam probat, quod infrà à nobis demonstrabitur, earum indulgentiarum vim non in eo tantùm spectari, ut canonicas pœnitentias sontibus remittant, sed simul etiam cum pœnitentiis inferre pœnarum spiritualium & alterius vitæ dimissionem. Quorsum enim alioqui 100. annorum indulgentia concederetur, cum nemo uspiam ad tam longam pœnitentiam damnatus legatur? Etsi enim aliqui ad pœnitentiam toto vitæ tractu prorogandam in quibusdam Conciliis adacti sint, id tamen per eam ætatem jam ferè desiisse consensuros Eruditos facilè credo. Præterquamquod pœnitentiam quamcumque post commissum crimen toto vitę decursu agendam, multò breviorem semper fuisse arbitror, quam ut 100. annis duraret. Quamobrem 100. annorum indulgentia eò referenda est, ut tantum de spiritualibus criminum pœnis dimittat, quantum canonicâ pœnitentiâ 100. annorum remitteretur. Sed fusiùs infrà: modò verò ad propositum de indulgentiis, ultra annum prorogatis, regrediamur.

Urbanus II. ann.1092. hanc indulgentiam in dedicatione Ecclesiæ Abbatię Cavensis, quam dedicationem ipse solemni ritu pręstitit, concessisse legitur. Decrevit itaque perpetuâ sanctione, ut die 4. & 5. Septembris, nec non diebus Cœnæ Dominicæ, & Passionis Jesu Christi, indulgentiam illam visitantes Ecclesiam Fideles consequerentur, quæ euntes ad S. Jacobum Compostellanum manebat. Cæteris verò anni diebus ad ipsam Basilicam religiosè accedentes, quatuor annorum & totidem quadragenarum indulgentiâ donavit. Adjecit insuper effecitque, ut Bruno Signinus Episcopus sacellum Abbatis eâdem die solemni ritu consecrans, septem annorum & totidem quadragenarum indulgentiam concederet. Recitat ejus Indulgentiæ diploma Baronius ad an.1092. ejusque mentio extat in M. S. Cavensi. *Rer. Ital. tom.6. col.237.*

Reliquum est, ut de indulgentiarum vi & efficaciâ luculentiùs disseramus, cum Thomassinus non satis eâ de re egerit. Ex his enim, quæ toto capite 25. disputat congeritque, satis obscurè potissimum earum effectum insinuat, remittendi nempe non canonicas tantùm pœnas, sed & spirituales, debitamque in Purgatorio ultionem pro criminibus condonandi. Hoc igitur authoritate vetustissimorum Theologorum primò demonstramus. S. Thomas in *4. distin.2. quæst.1. art.3.* ita disertè mentem suam prodit: *Quidam dicunt, quòd indulgentia non valeat ad absolvendum à reatu pœnę, quam quis in Purgatorio secundùm judicium Dei meretur. Sed hæc opinio non videtur vera.* Florebat S. Thomas sæculo 13. Durandus incuntis sæculi 14. Theologus, hoc

ipsum

ipſum totidem penè verbis expreſſit. Non diſſentit Riccardus de Mediavilla, abſolutiſſimus ejus ætatis Theologus. Prætereo cæteros recentiores, quibus ſanè unam hanc ſtetiſſe ſententiam dubitavetit nemo. Quare unanimi Theologorum jam inde à quinque ſęculis aſſertio probat, indulgentias non eò tantùm valère, ut de pœnitentiis canonicis remittant, ſed de ſpiritualibus etiam pœnis plurimum condonent.

Aliud ejus rei argumentum promo ex vetuſtiſſimo more indulgentias pro defunctis concedendi. Demonſtrat Lucas Tudenſis, qui ann. 1240. florebat, in ſuo Opere contra Albigenſes, fruſtra Hæreticos dictitare, indulgentias nihil habere in mortuos efficacię: *Contra eos, qui dicunt indulgentiis Prælatorum in nullo ſublevari animas defunctorum*. Hunc titulum pręfigit capiti 8. lib. 2. in quo adversùs Hęreticos veritatem illam demonſtrandam, adductis è Dialogis S. Gregorii argumentis, aggreditur. An ille intentum evincat, adductis S. illius Doctoris teſtimoniis, in examen revocare non eſt noſtri inſtituti: ſatis habemus demonſtraſſe, vetuſtiſſimi ejus Doctoris teſtimonio morem obtinuiſſe in Eccleſiâ, ut indulgentię à Pręlatis pro animabus Purgatorii concederentur. Sed & multò luculentiùs eâ de re diſſerit S. Thomas in 4. diſtin. 45. quęſt. 2. art. 3. aſſerens: *Si indulgentia ſub hac formâ fiat: Quicumque fecerit hoc vel illud, ipſe & Pater ejus, vel quicumque ei adjunctus, in Purgatorio detentus, tantum de indulgentia habebit: talis indulgentia non ſolùm vivo, ſed etiam mortuo proderit*. Hactenus ille, quibus non obſcutè inſinuatur, Indulgentiarum vim, non ad pœnitentiam tantùm canonicam, ſed etiam ad remittendas alterius vitæ pœnas ſpectare.

Tertiò tandem hanc ipſam veritatem probo ex verbis Chronici Monaſterii Caſaurienſis in Aprutio, Rer. Italic. *tom. 2. part. 2. col. 872.* de Indulgentiâ ab Urbano II. conceſſâ. *Prædicavit remiſſionem peccatorum, & vice ſibi traditâ à Deo, omnibus dedit, quicumque ad Inſulam tenderent, & Civitatem, & terram tranſmarinam, quę à Saracenis poſſidebatur, liberarent. Adjiciens & hoc, ut quiſquam in viâ ſive in pugnâ pro Chriſto moreretur, in numero Martyrum, abſolutus ab omnibus peccatis ſuis, computaretur*. Quid, rogo, eſt omnia peccata dimittere Apoſtolicâ authoritate, & in numero Martyrum recenſeri; niſi indulgentiâ aliquâ pleniſſimè donati, qua non pœnę tantùm canonicę, ſed pœnę omnes alterius vitę ita remitterentur, ut mortalis corporis laqueis exuti ſpiritus, actutum in ſuperna evolarent? Concedit ergo Pontifex indulgentias, quibus pœnę omnes alterius vitę abſolvuntur. Poſt hęc ſcripta, incidimus in Paralipomena P. Papebrochii ad Conatum in Catalog. Romanor. Pontiſ. pag. 69. in quibus revocare nititur in dubium veritatem Cavenſis illius Indulgentiæ, quam ab Urbano II. conceſſam ex M. S. Cœnobii Cavenſis, immò è Diplomate Urbani à Baronio ad an. 1092. producto, ſupra laudavimus. Ejus unicum argumentum ex eo petitur, quòd de indulgentiâ Compoſtellanâ agentes, illam, ut longiùs, à Calliſto II. qui poſt Urbanum ſacris præfuit, repetendam ducunt. Sed hoc argumentum, ut vera fatear, tanti habendum non eſt, ut diplomatis hujus ſinceritatem, traditione fulltam Cavenſis Monaſterii, ut ex M. S. ejus Cœnobii, à nobis laudato, conſtat, in dubium revocet. Potuit enim Calliſtus II. indulgentiam Compoſtellanam, antea à deceſſoribus ſuis conceſſam, prorogaſſe; ejuſque prorogationis documento ſervato, utpote quod omnium inſtar fuiſſet, vetuſtiora omnia ſitu & neglectu facilè intereiderunt.

Ad Cap. 16. num. 1. Luculentiſſimum & veluti domeſticum, nec minùs illuſtre publicæ pœnitentiæ documentum hic præterire ducerem religioni. Bonifacius, inſignis ille in Italiâ Comes, Matildi filiâ inſignior, qua nos Lucenſes cive gloriari Florentinius in eruditiſſimo Opere docuit; Bonifacius, inquam, criminum quorumdam, ac maximè pretio non ſemel divenditæ Eccleſiaſticæ dignitatis, reus, publicâ hac pœnitentiâ inflictâ à Guidone Abbate Pompoſiani Cœnobii in Ferrarienſi agro ſcelera ſceluit.

Ante Dei Matris altare flagellat amarè
Verberibus dudum....
Hoc pro peccato multis aliiſque patrato
Vovit adhuc votum......
Scilicet ad cultum Chriſti, ſanctumque ſepulchrum,
De propè debebat quod pergere, ſi ſibi cedat
Vita ſalus tantùm vel ad unum pleniter annum.

Hæc Donizo, in Opere Poetico de vita Matildis, Italic. Rer. Script. *tom. 5. pag. 357.*

Domeſtico exemplo domeſticam authoritatem liceat adnectere; quamquam enim nihil ex eâ ſingularius & Thomaſſino intactum demonſtratur; hanc tamen ab æquis Lectoribus veniam expoſcimus, ut quoties opportuna ſeſe præbuerit occaſio patrię diſciplinæ monumenta proferendi, ei, qua in Patriam tenemur, charitati permittant. Si enim Gallo Authori Gallicanam ubique diſciplinam ingerere ultrò concedunt, cur & Lucenſi, Lucenſis quandoque meminiſſe, non dabitur? Præſertim cum Eccleſiæ Lucenſis illud fuerit in Italiâ decus & honos, ut inter inſignes ejus Provinciæ Eccleſias & vetuſtate, & ſanctitate ſuâ locum obtinere non immeritò poſſit. In Conſtitutionibus igitur Eccleſiæ Lucenſis ſub Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Alexandro Guidiccionio Seniori, Epiſcopo Lucano, editis ann. 1571. *cap. 46. pag. 54.* hæc de publicâ criminum pœnitentiâ legas. *Cum juxta canonicas ſanctiones peccata graviora, quæ vulgata ſcandalizant totumque commovent populum, ut hominum ſcelera cohibeantur, ſolemni ſint pœnitentiâ caſtiganda, ſtatuimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus omnibus Sacerdotibus noſtræ Diœceſis, ut ſimilibus publicè delinquentibus Laicis publicam pœnitentiam injungant, modeſtè tamen & pro modo culpæ, maturaque conſideratione perſonarum, ſexus, ætatis atque delicti habitâ. Reſervantes nihilominus nobis authoritatem genus hoc publicæ pœnitentiæ in aliud ſecretum, quando magis ita expedire judicabimus, commutandi.* Ita ad mentem Concilii Tridentini conſtituit vigilantiſſimus Epiſcopus. Brevì tamen intelligens, & experimento probans, gravem illam ſarcinam minùs ferre valuiſſe Sacerdotes illos, quibus Confeſſiones excipiendi munus impoſitum erat, rurſus editis iiſdem Conſtitutionibus, decretum illud totum de publicâ pœnitentiâ delevit. Lege Conſtitutiones Eccleſiæ Lucenſis an. 1584. *conſtit. 51.*

Ad Cap. 17. num. 1. Vetuſtius aliud Archidiaconorum monumentum ſuppeditat Prudentius in Libro Periſtephanon, carmine de S. Laurentio *v. 37.* qui anno Chriſti 258. in vivis agebat. Ita enim de illo canit.

Hic primus è ſeptem viris,
Qui ſtant ad aram proximi,
Levita ſublimis gradu,
Et cæteris præſtantior:
Clauſtris ſacrorum præerat,
Cœleſtis arcanum domus
Fidis gubernans clavibus,
Votaſque diſpenſans opes.

His verbis ſimul demonſtratur munus Archidiaconi, ſervandi nempè Euchariſtiam, quare paulò infra, *v. 347.* ab eodem Scriptore appellatur *Myſteriarches*, & Eccleſiæ proventus diſtribuendi. Eſt autem Euchariſtiæ ſervandæ munus altius profectò & ſublimius, quàm res temporales Eccleſiæ tantùm diſpenſare. Sileant ergo Heterodoxi, neque Diaconos

conos ad hoc tantùm primitùs destinatos, ut res Ecclesiæ temporales curarent, improbè calumnientur. Sed hæc fusiùs à Thomassino infrà, *cap.29.*

Ad Cap.19. Aliud Archidiaconorum munus exhibet Concilium Ovetense in Hispaniâ ann.873. celebratum. Decernit enim cap.3. ut Archidiaconi probati nominis eligantur, *qui per Monasteria & Parochitanas Ecclesias eundo, bis in anno concilia celebrent, gregi Domini prædicationis semina ministrent; ipsaque Monasteria sive Ecclesias ita disponant, quatenus nobis* (Episcopis) *fideliter rationem reddant.* Selecti igitur ad id munus Archidiaconi qui per universas Hispaniæ regiones discurrentes, cum collectis in unum Clericis & Monachis Concilia celebrabant, quid optimum factu communi sententiâ decernentes; totius deinde rei gestæ Episcopo ejusdem regionis, vel proximiori fortè alteri reddentes rationem. Quę quidem necessaria erat tunc temporis per Hispanias politia, cùm Maurorum infestatione suis desertę Pastoribus oves, à dimissis per Provincias Archidiaconis pascendę fuerunt.

Ad Cap.20. num.1. Archidiaconos in Italiâ sæpè Archipresbyteris præcessisse, non rarò etiam Archidiaconis Archipresbyteros, legas passim in subscriptionibus Episcopalium Constitutionum apud Ughellium. Archipresbyter ante Archidiaconum subscribit chartæ Ildeberti seu Aldiberti Episcopi Patavini, datæ anno 965. seu potiùs 955. Vicissim ante Archipresbyterum nomen Pacifici Archidiaconi apparet in alterâ chartâ Ruraldi Episcopi Veronensis, anno 814. Rursus Stephanus Archipresbyter primas tenet ante Romaldum in documento Rodulphi Episcopi Vicentini, signato 975. Rainulphus Beneventanus Archidiaconus statim post Henricum Archiepiscopum, itidem Beneventanum, adeoque ante Primicerium & Archipresbyterum, subscriptus legitur in chartâ ejusdem Henrici anno 1157. Eandem pariter disciplinam spectes in Placentinis; in chartâ namque Dionysii Episcopi apud Campium, datâ anno 1055. Raynaldus Archidiaconus non infra Archipresbyterum tantùm, sed & infra Sacerdotes omnes, & supra Diaconos constituitur. Ex quo vides variam obtinuisse ejus rei apud varias Ecclesias disciplinam. Quare mirari subit, cur has vices variis temporum vicissitudinibus attribuere Thomassino succurrerit, & non potiùs varianti eâ in re variarum Ecclesiarum disciplinæ. Sicut enim apud alias alię erant in Capitulo dignitates, nam & Decanus in nonnullis inter primores dignitates constituitur, in aliis verò ad inferiores rejicitur; ità pariter & cum Archipresbyteris & Archidiaconis factum est; nimirum apud alias Ecclesias pręfuisse Archipresbyteros, apud alias verò Archidiaconis primas cessisse Sedes.

Non unum olim fuisse Archidiaconum inter S. R. E. Cardinales collegisse mihi visus sum ex vitâ Stephani IX. Papæ, qui Romanam Cathedram ascendit an.1057 ita enim de illo Cardinalis Aragonius, qui anno 1356. florebat, & supplementum digessit ad Pontificale ex Actis Manuscriptis Summorum Pontificum, à Bibliothecariis singulis descriptis, uti credit Muratorius Rer. Ital. *t.3. pag.274.* *Evolutis paucis diebus, cum infirmitas vehementiùs cresceret, Episcopos, Presbyteros, & Archidiaconos Cardinales ante se vocavit.* Facilè tamen Archidiaconorum Cardinalium nomine Diaconos appellavit, qui Cardinalitiâ dignitate insignes, veluti principes cæterorum Diaconorum, adeoque & Archidiaconi viderentur. Quamquam autem verissimè animadverterit Thomassinus, sequioribus sęculis de immodicâ illâ Archidiacororum dignitate plurimùm decessisse, non tamen hæc, usque adeo certâ disciplinâ obtinuisse, credenda sunt, quin in Ecclesiis nonnullis pristina omnia jura Archidiaconis manerent asserta. In Statutis Synodalibus Ecclesię Leodiensis anno 1287. toto capite 14. innovantur vetera omnia Archidiaconorum jura, visitandi nempè Ecclesias, Presbyteris, Decanis omnibus ruralibus pręsidendi, instituendi in Beneficiis Ecclesiarum sibi commissarum, excommunicatione tandem atque interdicto in reos animadvertendi. Anecdot. PP. Martene & Durand *tom.4. col.856.*

Ad Cap.21. num.1. &c. Quæ tanto eruditionis molimine demonstrare nititur Thomassinus, nullos scilicet constitutos fuisse Parochos per dispositos in Diœcesi agros ante sæculum quartum, insigni argumento, ex veteri monumento recèns producto à viro eruditissimo Laurentio Zacchagno Vaticanæ Bibliothecę jam Præfecto, convelluntur. Inter vetusta Authorum Ecclesiasticorum scripta edidit ille Disputationem Archelai Episcopi Mesopotamiæ adversùs Manetem, detestabilis illius hæresis authorem, quæ tantùm deinde subsequentibus sæculis invaluit, quantùm in corruptissimo Mundo licentiam prævalere par erat. Ex Actis igitur ejus Disputationis liquet, Manetem victum & veluti castris exutum ab Archelao Episcopo Mesopotamiæ, proficere se posse quidquam in eâ orbe desperantem, clam fugâ dilapsum, *in quendam vicum longè ab urbe, qui vocabatur Diodori*, secessisse. Erat autem, sicut in iisdem Actis legitur, *Presbyter loci illius, nomine & ipse Diodorus, mitis & quietus.* En igitur certi vici pagique Presbyter, nempe Parochus; neque enim Presbyteri nomine designari hìc Episcopum aliquem suspiceris, cùm ejus scripti Author Episcopum, nonnisi consueto Episcopi nomine, designare soleat, & nunquam Archelaum nisi Episcopum appellarit. Cujus autem Diœcesis vicus ille haberetur ex eo constat, quòd Diodorus ibidem ad Archelaum, veluti ad Episcopum suum, scribat, & vicissim Archelaus, in mutuis ad ipsum literis, filii titulo virum compellarit, quod Episcopum erga subjectum sibi Presbyterum maximè decet. Parochi verò ejus loci munere functum Dionysium, satis illis Actorum verbis designatur: *Presbyter loci illius.* Acta sunt hæc ann.277. ut ex accuratâ ejusdem Zacchagnii discussione liquet.

Hisce autem semel constitutis, Parochos scilicet prioribus Ecclesiæ sæculis, quamvis raros alioqui, in agris, & vicis non defuisse, id continuò evincitur, per illos sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ administrari consuevisse; quemadmodum satis demonstrat Thomassinus cap.23. num.2. §. *Postquam autem.* Sed & Baptismum consuevisse à Presbyteris administrari, ex hoc etiam argumento docemur, quòd in Constitutionibus Apostolicis lib.8. cap.28. solis Diaconis Baptismi administratio interdicitur. Si enim Diaconus non baptizat, utique id præstant Sacerdotes, quibus nihil eâ de re interdictum ibidem legitur.

Ad Cap.23. num.8. Minùs eruditis salivam hìc facit Thomassinus, turbas commemorans occasione canonis Arausicani agitatas. Ne igitur hiantes corvos dimittamus, accipe brevem ejus rei historiam. Ediderat Jacobus Sirmundus in suâ Collectione Gallicanorum Conciliorum hunc canonem in hæc verba conceptum: *Nullus ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine chrismate usquam debere progredi, quia inter nos placuit semel in Baptismate chrismari. De eo autem, qui in Baptismate, quacumque necessitate faciente, non chrismatus fuerit, in confirmatione Sacerdos commonebitur; nam inter nos chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est. Non ut præjudicans quidquam dico; sed ut non necessaria habeatur chrismatio repetita.* Quibus verbis designatur, unam esse eandemque unctionem, sive quæ à ministris simul cum Baptismate, sive quæ ab Episcopo in Confirmatione præstaretur.

Ex

Ex quo illud evincebatur, Sacerdotes ministros esse Baptismi, perinde ac Confirmationis. Adversùs Sirmundum insurgens Petrus Aurelius, seu Abbas ille insignis de *S. Cyran*, Galliæ Theologus, vulgatam illuc usque lectionem defendens, tuebatur, postrema capitis verba ita, remotâ negatione, legi oportere; *Non ut prajuditans quicquam dico, sed ut necessaria habeatur chrismatio repetita*. Quæ in hunc modum reformata senteotia, contrarium planè sensum reddit, demonstrans, duas esse, & planè diversas, unctiones, quæ in Baptismo, quæque in Confirmatione præstantur. Laudat in eodem capite Thomassinus testimonium quoddam Dionysii ex libro Hierarchiæ Ecclesiasticæ, *ex quo* inquit, *intelligere possumus consuetudines Græcæ Ecclesiæ, ejusdem* Dionysii ætate obtinentes. Sed quænam ejus Scriptoris ætas? vetustissima oppidò, si vetera prejudicia sectemur, quæ hunc Dionysium ipsissimum tenent Areopagitam, ad Christiana sacra ab Apostolo Paulo translatum. Sed ut vera fatear, abrogata est hodie inter viros doctos hactenus recepta opinio, atque hunc Scriptorem alii paolò ante ann. 330. consignant, alii verò revocant ad quintum sæculum. Vide Joan. Albertum Fabricium, Biblioth. Græc. *tom. 5. pag. 4.*

Ad Cap. 26. *Trahi tamen possunt &c.* Concilium Rotomagense non Parochis tantùm, sed & Sacerdotibus omnibus excommunicandi potestatem indulsisse videtur; nam canone 58. ita decernit: *Prohibemus, ne Sacerdotes in generali excommunicent, nisi pro furtis & deperditis in eadem Parochiâ, & tunc trinâ vocatione præmissâ.* Sed hæc facilè de Parochis intelligenda sunt, quibus injungitur, ne unquam, nisi in casibus ibidem expressis, excommunicationis telum in viros aliquos incertos jaciant. Præscribuntur etiam in eodem canone ferendæ excommunicationes leges, quæ in canonibus à Thomassino laudatis desiderantur. Celebratum est idem Concilium ann. 1232. Anecdot. PP. Martene & Durand tom. 4. col. 180.

Ad Cap. 27. Ad Monachos, qui Parochiales Ecclesias possident, pertinere credo Diploma illud Lucii II. ad Alberonem (Albertum appellat Ughellius) Regii Lepidi Episcopum, datum ann. 1144. *Sancimus, ut in Parochialibus Ecclesiis, quas tenent Monachi in tuo Episcopatu, vestro assensu Presbyteros collocent, qui si idonei fuerint, à vobis animarum curam suscipiant, & de Plebis quidem cura vobis rationem reddant; Monachis verò pro rebus temporalibus debitam subjectionem exhibeant, salvâ in omnibus Apostolicæ Sedis reverentiâ.* Utraque ergo administratio Vicariis hisce commissa erat, rerum scilicet temporalium & spiritualium Parœciæ: huius rationem ad Episcopum, illius ad Monachos referebant.

Vicarios ad nutum amovibiles legimus in diplomate Benedicti Luceriæ Saracenorum [Lucerda de' Sarraceni] Episcopi, in favorem Monasterii S. Sophiæ, in Diœcesi, ni fallor, Beneventanâ constituti, dato anno 1009. Concedit enim Præsul Abbati ejusdem Monasterii, ut certas Ecclesias aliquas ipsi per se teneant, proventibus earum perceptis, nec non Rectores cæterosque Ecclesiasticos ordines in ipsis *Ecclesiis ordinent, & illos*, ait, *pro vestrâ libertate vestroque libero arbitrio amovere, & alios in eundem locum substituere seu mittere, sine qualibet meâ vel meorum contradictione possitis.* Ughell. tom 8. col. 218.

Documentum hoc Vicariæ temporariæ seu arbitrariæ ideò exhibendum duxi, quòd vetustissimum sit omnium, quotquot unquam ejus generis apud Thomassinum occurrant.

Cæterùm de Vicariis sive temporariis sive perpetuis Canones longè plures in variis Synodis digesti leguntur in Thesaur. Anecdot. PP. Martene & Durand tom. 4. veluti canon 30. in Statutis Synodalibus Ecclesiæ Argentinensis, ann. 1425. quo prohibentur Parochi quicumque, vel præbendam aliquam possidentes, ne de cætero Vicariam aliquam recipiant, & retineant, cum hujusmodi præbendâ vel Ecclesiâ. Subsequenti canone cautum est, ne Presbyteri duas recipiant Vicarias, ac tandem in canone 32. omnis removendorum Vicariorum occasio tollitur, nisi probatâ coram Judice causâ. In Statutis Synodalibus Ecclesiæ Trecorensis ann. 1334. residentia injungitur Vicariis, omni eâ de re facultate revocatâ, si quæ antea concessa fuisset. Statutorum Ecclesiæ Eduensis, sæculi, ni fallor, 13. Canon 69. in hæc verba concipitur: *De Vicariis præcipitur, ut de aliâ Diœcesi Vicarii non admittantur*; & canone 70. mandatis onerantur Curati, ne unquam committant, ut dimissis propriis, Vicarii fiant alieni. Statuta Ecclesiæ Leodiensis ann. 1287. canonem 25. & 26. tit. 11. pro Vicariis impenduot; cavent enim ne aliquis admittatur in Vicarium, nisi juratus sine diminutione stipendii se Vicariatum adire.

Ad Cap. 28. n. 7. Non patuit Italia violentiæ usurpatorum? Falleris, doctissime Thomassine. Author Chronici Farfensis sæpiùs & diù conqueritur contra iniquos illos prædones, qui ditissimæ illius Abbatiæ bona plurima diripuerunt. Lege Rer. Ital. tom. 2. part. 2. col. 447. Lege pariter eâ de re decretum Othonis III. Imperatoris, cui præfixus titulus: *De rescindendis injustis rerum Ecclesiasticarum alienationibus*, emissum Ticini in Synodo in eodem Farfensi Chron. pag. 496. relatum, & à Labbeo tom. 9. Concill. insertum. Lege ibidem col. 549. pariter Hugonis Farfensis Abbatis relationem *de diminutione recentiori Monasterii sui, circiter annum* 1014. Nec aliò spectat Memoriale, quod vocant, Bertrandi Aquilejensis Patriarchæ apud Ughell. in Aquilejensibus tom. 5. col. 99. &c. Querelas eâ de re suas non supprimit Author Chronici Novalicensis, *Rer. Ital. tom. 2. part. 2. col. 737. & col. 757.* sicut & Author Chronici Casauriensis col. 870. & 886. Quid Author Chronici Vulturnensis? nonne ejus unus est cum cæteris illis omnibus adversùs sacrilegos illos usurpatores clamor? Lege Historiam illam Rer. Ital. tom. 2. part. 2. col 834. &c. Quæ cum ita sint, aliam planè debuit inire rationem Thomassinus, si demonstrare voluisset, ecquid causæ fuerit, cur in Italiâ beneficia indiscriminatim Laicis æquè ac Clericis ad firmam traderentur? Certè tamen & apud Italos aliquando observatum est, ut res Ecclesiasticas Clerici potiùs, quàm Laici administrarent. Felix IV. in Constitutione ad Ecclesiæ Ravennatis Clericos cavet, *ne sæcularis conversationis hominibus Ecclesiastici juris prædia vel urbana vel rustica dentur administranda. Quibus verò cum sæcularis conversationis hominibus nullam necessitatem rei familiaris tolerantibus, Ecclesiastici juris prædia, vel urbana, vel rustica data sunt, Episcopi sollicitudine, per eos, quibus jusserit, Clericos, ad dominium revocet Ecclesia, nec deinceps, præter causam superiùs comprehensam, dare præsumat.* Insigne hoc antiquitatis Ecclesiasticæ monumentum servavit Agnellus in suo Pontificali Episcoporum Ravennatensium, publici juris facto à Cl. Bacchinio, & nuper *tom. 2. Rer. Ital.* recuso, *pag. 96.*

Ad Cap. 29. num. 4. Vetustior Hieronymo Tertullianus hanc eandem potestatem conferendi Baptismatis Diaconis, non secùs ac Presbyteris, asseruit in Tract. de Baptismo cap. 17. *Dandi quidem Baptismum habet jus summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi authoritate, propter Ecclesiæ honorem.*

Observat hìc Author ad num.16. munus publicas conciones habendi è suggestu, apud Diaconos non ita frequenter primis Ecclesiæ sæculis obtinuisse. Quare si fortè Diaconi Fideles ad Martyrium fortiter subeundum hortati leguntur, nunquam tamen è sacro suggestu verba fecisse ad populos primis illis sæculis constat. Minùs tamen ego dictis illius fidem habere cogor exemplo, quod ipse quidem adducit, S. Vincentii Diaconi. Ex Actis enim genuinis inclyti illius Martyris discimus, S. Valerium Cesaraugustanum Episcopum, quòd impeditioris esset linguæ, minùs valentem concionandi munus præstare, vices suas Sancto illi Diacono commisisse. *Quoniam idem Episcopus impeditioris linguę dignoscitur, tradito doctrinę ministerio Venerabili Vincentio, ipse orationi insistebat.* Quis, rogo, non videat, traditam Diacono concionandi potestatem, atque id egisse Vincentium in Hispaniâ, quod solerent Episcopi; publicis nempe concionibus populum instruentes, atque ad virtutem informantes?

Post hæc scripta, incidimus in vitam Sergii Ravennatensis Episcopi, circà medium sæculi octavi, descriptam ab Agnello Pontifical. *p. 2. pag.172.* Rer. Ital. *tom.2. p.1.* ex cujus lectione intelligimus, ad eam usque ætatem mansisse in eâ Ecclesiâ veterem illam totius Ecclesiæ disciplinam, ut Diaconorum numerus brevior esset, & in frequentior. *Ex illo die cœperunt Levitę multiplicare.* Legimus etiam apud Landulphum Seniorem Hist. Mediol. *lib. 1. cap.5.* Rer. Ital. *tom.4. pag.65.* institutum in Ecclesiâ Mediolanensi à S. Ambrosio septemplicem Diaconorum numerum, uti in Ecclesiâ Romanâ obtinebat.

Ad Cap.30. n.2. Mirari subit, cur Author noster Epistolam ad Antiochenos tanquam Ignatii Martyris genuinam tantâ confidentiâ laudet? Ecquis enim nostræ ætatis Criticus ignoret, verissimum esse illud Cl. Fabricii Bibliot. Græc. *lib.5.* judicium, *Epistolam ad Antiochenos, sicut & ad Tarsenses, toti primævę antiquitati inauditas fuisse?* Quare aliud Authori quærendum fuerat sincerius documentum, quò de vetustate minorum Ordinum Clericorum instrueremur. Animadvertendum est etiam, apud Authorem in sententiâ laudatæ Epistolæ ad Antiochenos omissam esse vocem *Confessores*. Ita enim concepta est in Editione Coteleriana: *Saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas, Confessores.* Porrò Fossores, de quibus hìc apud Pseudo-Ignatium, & ex illo Thomassinus, ita è Cœmeteriis expressos exhibet Cl. Boldettus in suo Opere: *Osservazioni sopra i Cimiterj de' Martiri, tom 2. in fogl. Rom. 1720.* Vir pingitur strictâ quadam tunicâ tectus, quæ ad genua tantùm demittitur; in extremâ fermè tunicæ orâ geminæ hinc & inde appictæ Cruces, sicut & in dextero humero alia ejusdem formæ spectatur. Inscripta est tabulæ seu imagini hæc epigraphe: *Diogenes Fossor in pace depositus octavo Kal. Octobris.*

Ad Cap.32. num.8. Alterum Oblationarii munus accipe ex Authore Relationis de translat. S. Sebastiani apud Bolland. ad diem 20. Jan. *Oblationario vocato, cujus munus erat, ex Romanâ consuetudine, aperire sepulchrum.* Pertinent hæc ad annum 814. In suâ ergo potestate habebant Oblationarii Martyrum sepulchra, ut nonnisi ab illis clauderentur recluderenturque.

Ad Cap.33. num.3. Ipse tamen Innocentius, qui statuisse dicitur, ut Subdiaconus in Episcopum eligi liberè valeat; ipse, inquam, Innocentius irritam declaravit electionem Archidiaconi cujusdam Remensis in Archiepiscopum ejusdem Provinciæ, ex eo potissimùm titulo, quòd electus ille Subdiaconatûs tantùm ordine initiatus esset. Nefas autem esse dicebat, Subdiaconum in Episcopum eligere, non impetratâ eâ de re Metropolitani dispensatione, vel Romani Pontificis, si electus ipse ad Metropoliticam aliquam Cathedram fuerat assumendus. Data est Epistola in Laterano 2. Nonas Julii ann.7. Pontificatûs ipsius, & refert Ughell. in Prenestinis, *tom.1. col.204. nov. Edit.*

Ad Cap.34. Probat hoc idem, quod ab Authore demonstratum est, illustre ex Italo Sacerdote petitum exemplum. Epiphanius Ticinensis Episcopus an.466. renunciatus, Ecclesiasticę militię tyrocinia in ipsa Lectoris ordinatione posuit. Ita enim de illo Ennodius, qui gestorum ipsius historiam literis consignavit: *Cœlestis militia tyrocinium orditurus, Lectoris Ecclesiastici suscepit officium.*

Ejusdem etiam Epiphanii documento fulcitur tradita à Thomassino subsequenti Capite doctrina; nimirum, quinque prioribus Ecclesię seculis non omnes simul minores Ordines in unum eundemque virum congestos fuisse. Nam Epiphanius primò Lector initiatus, statim ad Subdiaconum, deindè ad duos reliquos majores ordines transivit. Et quanquam nihil de collato viro huic eximio Sacerdotii ordine in narratione Ennodii legatur; (refert enim, post susceptum Diaconatum, opportuno deinde tempore in Episcopum ordinatum fuisse) omissum tamen Sacerdotalem illum ordinem ne suspicamur quidem. Potuit enim Epiphanius simul ac in Episcopum renunciatus fuerat, Presbyteratu primùm, deinde Episcopatu initiari.

Ad Cap.37. num.2. Verissimè Author demonstrat, toto saltem seculo 4. verticis abrasi morem nondum apud Clericos obtinuisse; id enim sub oculos ipsos exhibent picturatę quędam tabulę apud Boldettum, in sępiùs laudato Opere de Romanis Cœmeteriis, in quo spectandas prębet Icones aliquas SS. Petri & Pauli, & aliorum Apostolorum, quorum ad vivum dissecta coma, nunquam tamen abraso vertice, hiulcatur. Quę si vera fuerint, uti ne ambigendi quidem ullus est locus, vide quid censeas de picturâ illâ ab Arrighio tom.1. Rom. Subterr. è Cœmeterio Priscillę productâ S. Pontificem Pium I. exhibente, cujus Clericalis tonsura coronam refert à Monachis nostrę ętatis non dissimilem: superiorem enim verticis partem abrasam ambit capillorum circulus, quem deinde pressiùs ad cutem dissecti inferiores crines excipiunt. Hanc ipsam picturatam tabulam exhibet Cl. Blanchinius in Notis ad vitam S. Pii. tom.2. Anastasii Bibliot. Edit. Rom. pag.128. exhibet, inquam, veluti genuinam, quod in viro docto, & quidem nostrę ętatis, mirere.

Et quoniam ex picturatis tabulis in rem pręsentem exhibuimus documenta, musivi operis Ecclesię S. Sabinę Romę, ad ætatem S. Cœlestini I. Papę, anno nempè 424. circiter, pertinentis, meminisse juvat. In tabulâ opus illum repręsentante apud Ciampinum Vet. Monum. *tom.1 tab.48.* duos viros stantes aspicias, quorum utriusque verticem abrasum inferior coma, in coronę morem resecta, circumdat.

Ad Cap.38. num.13. Cùm Anglorum disciplina satis ex iis, quæ hìc ab Authore animadvertuntur, appareat, juvat modò eam, quę apud Hibernos seculo 8. vigebat, ex canone quodam Collectionis Hibernicę, eodem seculo digestę, sub oculis exhibuisse. Ita ergo legas eum canonem, relatum Anecdot. *tom.4. col.5. Patricius ait: Quicumque Clericus ab Ostiario usque ad Sacerdotem, si non more Romano tonsus fuerit, condemnabitur.*

Ad num.13. Aliter hanc Scoticam vel Simonis Magi coronam describit Cl. Mabillonius Pręfat.1. in sæc.3. Benedictinum pag.08. ita enim habet. *Scotis mos erat anteriorem capitis partem capillis nudare, ab aure ad aurem posteriori intonsâ. Unde*

Si-

Simoniaca eorum tonsura dicebatur, qualis scilicet Simoni Mago aliisque hominibus calvis spontè nascitur.

Ad Cap. 39. numer. 10. Græcorum disciplinam probari facilè credo ex insigni illo musivo opere annorum 547. circiter, quod Ravennę spectatur, exhibeturque, non à Ciampino tantùm Vet. Monument. tom. 2. cap. 9. sed etiam à Duchangio, Alemanno, aliisque. Refert autem imaginem Justiniani Cęsaris, cujus sinistrum latus tegunt tres viri Ecclesiasticis vestibus induti; ita tamen, ut primi vestis casulam exhibeat, duorum verò subsequentium dalmaticam. Tres illi verticem gerunt abrasum, quem deinde coma ambit, ex anteriori parte in coronę modum dissecta, ad aures verò, & in occipite aliquantò longiùs excurrens. Græcorum, inquam, disciplinam referre viros illos crediderim; quanquam enim Ravennates Clericos exhiberi Ciampinius aliique suspicentur, summa tamen erat Ravennatensis Ecclesię cum Grecâ affinitas, & consensio, ut ex Pontificali Agnelli Ravennatis liquet.

Ad Cap. 40. num. 2. Quanquam ad recentiorem ætatem pertinent, ea quæ nos tradere aggredimur, disciplinam tamen exponunt hìc à Thomassino illustratam. In Dialogo inter Cluniacensem Monachum & Cisterciensem, ab Authore sæculi duodecimi scripto, Anecdot. *tom. 5. col. 1647.* ita eâ de se differitur. *Mihi videtur, quòd Monachi ante fiant Clerici, quàm Monachi; quia antequam faciant professionem Monachi, accipiunt Clericale signum, scilicet coronam, per eandem sacerdotalem benedictionem & eodem modo, quo cæteri Clerici.* Paria fermè differit Hugo Archiepiscopus Rotbomagensis, ejusdem sæculi scriptor, Dialog. *lib. 6. in Anecdot. tom. 5. Cum enim*, ait, *quis suscipitur ad Monachatum, si laicus est, primò sacratur in Clericum.* Duo hìc habes in rem pręsentem animadvertenda; primò Monachorum coronam & tonsuram nihil à Clericali distingui; secundò Monachos, cum à Superiore Monasterii in Monachum attonderentur, perinde habitos, ac si Clericalem tonsuram recepissent. Quare non tonsuram ab Episcopo, sed cæteros ordines exposcebant. Ex quo magis magisque illustrantur ea, quæ habet Thomassinus cap. 41. num. 5. Ne tamen credas, Monachalem tonsuram, quæcumque tandem esset, cum Clericali confundendam; nam in eodem Dialogo Cluniacensem inter & Cisterciensem disertissimè exprimitur, quænam tonsura Monastica Clericalis haberetur, quæ verò Monachum non Clericum redderet. *Omnis coronatus per Sacerdotalem benedictionem, est Clericus*, ait, Cisterciensis: cui respondens Cluniacensis. *Quare dixisti coronati Monachi? Sunt modò alii Monachi quàm coronati?* Cisterciensis: *Quos nos modò appellamus Fratres, proculdubio Monachi Cœnobita sunt, quia sunt Fratres habitantes in unum.* En ergo Monachi, ac proinde attonsi, qui tamen nec clericali tonsurâ, nec coronâ insigniuntur.

Ad Cap. 45. num. 1. Radendæ barbæ mos potuit quidem apud nonnullas Ecclesias sæculo undecimo obtinuisse; sed non æquè apud omnes receptum, probat monumentum quoddam genuinum apud Papebrochium ad *tom. 18.* Act. SS. in Exegesi Episcoporum Mediolanensium *pag. 74.* Exhibetur in eo imago Heriberti Archiepiscopi Mediolanensis, qui ann. 1046. sacris pręerat, barbatum præseferens Præsulem, & pallio decoratum.

Vetustum pariter monumentum, quod in Conatu Romanorum Pontificum exhibet idem Papebrochius *pag. 74.* sub oculis ipsis exponit, Romanos etiam Pontifices hujus disciplinæ, radendæ barbæ non usque adeò tenaces fuisse, quin pro arbitrio recedendum sibi ab illâ ducerent. Clementis V., qui obiit ann. 1314. simulacrum barbatum super ejus tumulum jacens marmorea Icon repræsentat.

Cæterùm ad barbas Romanorum Pontificum quòd spectat, sub Clemente VII. egisse plures apud Pontificem, ut tolleretur promissioris barbæ, quę apud Clericos tunc temporis obtinebat, abusus, Pierius Valerianus in Dissertatione suâ pro barbis Sacerdotum testatur. Neque id semel factum narrat, sed & iterum; quamvis postea, sive ejusdem Pierii Dissertatione permotus Pontifex, sive reclamantibus undique Ecclesiasticis, nihil innovandum censuerit. Ita enim Dissertationem illam suam exorditur vir in paucis disertissimus: *Admonuisti nos, vir sanctissime*, (Hippolyte Cardinalis Medices) *ut, quoniam nonnulli haud postremæ authoritatis viri iterum tentant, apud Summum Pontificem Concilii cujusdam legem suscitare, &c.*

Juvat etiam supplementi loco, iis, quæ à Thomassino adducta sunt, adjecisse canonem 10. Statutorum Synodalium Ecclesiæ Leodiensis an. 1287. quo scilicet anathemati devoventur Clerici, qui ab alieno Episcopo tonsurâ initiati, eandem tonsuram, non impetratâ ab Episcopo suo veniâ, deferre auderent. *Excommunicamus omnes illos, qui tonsuram Clericalem, ab alieno Episcopo sine nostrâ licentiâ susceptam, deferre præsumpserint, vel radi fecerint, nostrâ licentiâ super hoc non obtentâ, etiamsi ab excommunicatione, quam ob hoc incurrerint, fuerint absoluti.* Thesaur. Anecdot. *tom. 4. col. 843. can. 10.*

Ad Cap. 43. num. 2. Dissertationi huic viri Doctissimi, in plura capita dissectæ, totum simul spicilegium nostrum hìc adjecisse visum est. Præstat enim, quæcumque addenda & animadvertenda sunt, sub unum veluti conspectum exhibere, quàm in plura dissectis adnotationibus Lectorem distrahere. Eruditè admodum & verè animadversum credo ab Authore, civiles Clericorum vestes prioribus quinque Ecclesiæ, sæculis modestiâ tantùm, non formâ, à cæteris laicorum vestibus discrepasse. In hanc rem non negativum tantùm, ut ajunt, argumentum, sed penè ad sensum profero ex sæpiùs laudatâ disputatione Archelai Episcopi Mesopotamiæ cum Manete Manichæorum authore. Cum enim Archelaus plenam de Heretico victoriam retulisset, *tunc*, ut legitur in Actis, *Marcellus* (vir erat clarissimus ejus Urbis) *assurgens, & stolâ exuens, circumdat Archelaum.* Vides itaque sæcularem Marcelli stolam in vestem Archelai Episcopi translatam? Vides etiam stolam non fasciam quandam retulisse, ut posterioribus deinde sæculis, sed vestis cujusdam genus, quæ virum instar pallii circumdaret? Quanquam, ut vera fatear, stolam hìc pro veste usurpare facilè potest.

Fasciæ cujusdam è collo ante pectus per utrumque humerum defluentis, quemamodum solent nostræ ætatis Sacerdotes, in tabulis quibusdam spectare licet apud Boldettum de sacris Cœmeteriis, præcipuè *lib. 2. cap. 4. pag. 377. 378.* Exhibent autem plerumque monumenta illa Virgines quasdam fœminas, seu tenerâ ætate vitâ functas, seu velatas, quæ fasciâ è collo per utrumque humerum ante pectus fluente decorantur.

Porrò vestes Clericorum sacras prioribus Ecclesiæ sæculis à cęteris usu civili obtinentibus, non formâ, sed destinatione quadam fuisse distinctas, tum credimus Thomassino, variis id documentis evincenti, tum maximè ex hoc veluti negativo intelligimus argumento, quòd in Actis Procons. Carthagine in causâ Donatistarum recitatis, quibus omnia narrantur à Traditoribus Episcopis in manus Gentilium è thesauris Ecclesiæ prodita, memorantur cum cæteris vasa, urcei, & calices ad usum sacrificii destinati, cum quibus & vestes quædam communes ac rusticanæ aliæ recensitæ sunt; quas proinde ve-

stes

stes in usum sacrificii & pauperum destinatas fuisse facilè suspicor.

Quæ verò apud Thomassinum cap.47.n.6. præcipit Braccharense Concilium, utì Diaconi stolam gerant supra tunicam, confirmant veteres quædam picturæ in Chronico Vulturnensis Monasterii relatæ, Rer. Italic. *tom.1. par.2. pag.325. & 428.* Spectare illic licet Diaconos stolâ è sinistro humero, non quidem transverso pectore sub dextro latere decussatâ, ut solent nostrâ ætate Diaconi, sed liberè ex eodem humero defluente, & ad imam ferè tunicam porrectâ. Cæterùm morem illum apud omnes Ecclesias usu receptum non fuisse, & Concilii illius PP. non obscurè profitentur, & vetus illa Ravennatensis pictura, suprà à nobis producta, in qua Justinianus cum Maximiano Episcopo Ravennatensi, ac Diaconis quibusdam exhibetur, satis demonstrat. Diaconi enim illic dalmaticâ induuntur, sed orarii seu stolæ nullum apparet vestigium, quòd scilicet sub Dalmaticâ celetur. Jam verò accipe, quid de sacris Clericorum vestibus differat Author brevis expositionis veteris Gallicanæ Liturgiæ, quem dimidio sæculi sexti recentiorem non autumant Editores Thesaur. Anecdot. *tom.5. col. 95.* *Albis vestibus in Pascha induetur ... pricintio autem vestimenti candidi, quod Sacerdos baptizaturus praecingitur in signa S. Joannis agetur: Casala, quam amphibalum vocant, quod Sacerdos induetur, tota unita, per Moysem legiferum instituta primitus demonstratur. Jussit ergo Dominus fieri dissimilatum vestimentum, ut talem sacerdus induerit, quale indus populus non auderetur. Ideo sine manicas, quia Sacerdus potiùs benedicit, quàm ministrat. Ideo unita prinsecus, non scissa, non aperta, quia multa sunt pictura sacra secreta misteria. Manualia verò, idest manicas, induere Sacerdotibus mos est, instar armillarum, quas Regum vel Sacerdotum brachia constringebantur. Ideo autem en quolibet pretioso vellore, non metalli duritiâ extaat, vel ut omnes communiter Saccedotes etiam minoris dignitatis in sęculo, faciliùs inveniant, Vestimentum parvulorum, quod non sit in alio uso, nisi ad frequentandum sacrificium, vel significat, quod non graventur manus nostra bonoribus saeculi, sed circamdentur subtilita exercitia mandatorum Dei* (Quid hoc vestimentum? an mappulæ, de quibus Thomassinus hìc num.1.) *Probibet autem manica tonica*, (fortè manicata tunica) *ne appareat vile vestimentum, aut quocumque indignum tactum fordium super divina sacrificia, quo manus immolantes discurrunt.*

Albas verò, quas Levita utuntur, ideo statuerunt Patres, quia in vestimento tincto non sic apparet citò macula, quomodo in albo. Sirico aut vellere fistur, (ornatus) *quia Dominus Sacerdotibus ideo exinde babere indumenta mandavit, ut eorum vestis spem resurrectionis ostenderet* [Sacerdotes hìc Diaconos appellat, quod ab Oprato etiam factum constat]. *Alba autem non constringitur cingalo, sed suspensa tegit Levita corpusculum. Stola, quam super alba Diaconus induit, significat subtilitatis intelligentiam. In quadragesima verò humilitate non utetur.* Ex hoc insigni vetustatis monumeoto discimus, obtinuisse jam tune in usu sacrorum, ut certus quidam vestium color observaretur. Quæ verò habet Author de ornamentis pretiosis, à Sacerdote sacra operante adhibitis, illustrantur ex testamento S. Theodori Studitæ apud Tollium Insign. Itiner. Italic. *pag.287.* *Non multitiam vestimentum ac sumptuosum* (Gręcè pretiosum) *excepto Sacrificio.* Florebat Theodorus sæculo octavo exeunte.

Dalmaticas in usu non Diaconorum tantùm, sed & in usu sacro Episcoporum obtinuisse, demonstrant insuper ea, quæ narrat Author vitæ S. Salvii Episcopi & Martyris, qui prope Valencenas in Belgio sæculo octavo florebat, Author, inquam, coęvus apud Bollandistas *tom.5. Junii pag.199.* *Hora tertia ingressus sacrarium, deinde induit se Dalmaticâ & sacris vestibus, & procedens de sacrario, cœpit celebrare Missarum solemnia.*

Inter ornamenta sacra noni sæculi, à Thomassino recensita, addendi sunt calcei pretiosi, quorum occurrit mentio in Actis S. Svvithunii Episcopi Ultoniæ in Anglia, qui florebat ann.862. Ita enim de illo Author vitæ genuinus: *Apparuit quadam nocte venerabili cuidam Matronę, Sacerdotalibus indutus vestibus, nec non sandalibus pulcherrimis calceatus. Act. SS. tom.1. Julii pag.333.*

Ad Græcos quod spectat, credo falli Thomassinum, qui polystaurium Gręcorum idem esse censet cum pallio Episcopali. Ex adductâ enim Balsamonis authoritate hìc *cap.49. num.9.* certum est, polystaurium & saccum Episcopis non concedi; cum interim, eodem Thomassino affirmante, Græcis omnibus Episcopis omophorium dari in ipsâ eorum consecratione constet. Quare meliùs apud Macrum in Hierolexico, polystaurium genus esse casulę disseminatis crucibus contextæ, asseritur.

Restat nunc, ut aliquid de iisdem vestibus Clericalibus juxtà Italicam disciplinam post annum Christi millesimum afferamus in medium. Bonfilius Senensis Episcopus in suis Constitutionibus ann. 1232. hæc de vestibus illis pręscribit. *Statuimus, quòd omnes Pralati & Sacerdotes in officiis in eundo per Civitatem, babeant & deferant suprana indumenta clausa.* Idem statuit *de servitoribus in Plebibus, in Canonicis, & in Capellis Civitatis; quibus pariter injungit, ut tonsuram deferant Clericalem, & quando serviunt altari, videlicet cum legunt Epistolas, offerunt calicem,* (idest oblationes suas conferunt, quę in calicem recipiebantur) *& dant incensum, babeant cappam vel cottam. Cappam item vel cottam vel camisiam vel gharnellum* pręscribit, *sub pœnâ lati intedicti, iisdem servitoribus in Missis & in vesperis, quando fuit ibi populus solemniter.* Addit insuper: *Alii babeant vestimenta superiora clausa cum pellibus affiblatis, et deportent tam in Ecclesia, quàm in Claustro & Refectorio, & ad legendam Epistolam, vel lectionem, vel ad serviendum Altari in Plebibus, Canonicis, vel Capellis Civitatis, nisi sic tonsuratus in cappâ vel cottâ nullus accedat.* Benevolientus in nov. edit. Ughell. *tom.2. col.556.* Aegidius Patriarcha Gradensis in suâ Provinciali Synodo ann.1296. canon.16. decrevit, *ut omnes babentes personatum, Plebani, Canonici & alii in sacris Ordinibus constituti, bonesta & clausa desuper deferant indumenta, nimiâ brevitate vel longitudine non notanda, sericis viridibus exteriùs, & glaucis interiùs & exteriùs non utantur. Zupellos mora ... vel alios manicas consub. annulos, botonos de quacumque materia ex... vel de quocumque metallo, laicales mantellos, infulas, vel almutias portari penitùs probibemus.* Ughell. *tom.5. col. 1142.* Visum est ex Italicis Conciliis hęc adjecisse, tum quòd vetustiora sint, quàm quæ à Thomassino ex Ravennatensibus Conciliis, ad sęculum decimum quartum spectantibus afferantur, tum etiam quòd variarum Italię Ecclesiarum mores ostendunt. Reliquum est, ut modò carptim libemus quędam, à Thomassino vel omissa, vel minùs luculenter illustrata.

Author Dialogi inter Cisterciensem & Cluniacensem, singularem quandam Cluniacensium disciplinam prodit; obtinuisse nimirum apud illos, ut Monachi nullo Clericali ordine insigniti, Sacerdotibus res sacras operantibus albis induti ministrarent. Eam rem, quòd nova esset prorsus, & inusitata, vitio iisdem Cluniacensibus vertit Cisterciensis ille, qui cum Cluniacensi in eodem Dialogo disputat. *In hoc valdè reprehensibilis est consuetudo vestra, quòd Laici Monachi albas induunt contra praeceptum canonicum.* Huic ita Cluniacensis reponit: *Propterea quadam Monasteria nostra babent albas non*

sa-

ſacratas, quas Laici Monachi noſtri induant. Theſaur. Anecdot. *tom.5. col.1627.* His verbis & ſingularis eâ ętate mor, albas à Laicis deferendi aperitur, & ſimul etiam inſinuatur obtinuiſſe jam, ut addictę ſacris uſibus veſtes ritu peculiari conſecrarentur. Quid enim ſacrarum albarum à non ſacris diſcrimen inſinuat? Pertinent hęc ad ann.1160. circiter. De colore ſacrorum indumentorum habes vetuſtum Cavenſis Monaſterii ann.1288. inventarium, quo inter cęteras recenſentur pluviales nigri, rubei, viridis, & albi coloris. Rer. Italic. *tom.7. col.951.* Qui non obſcuro documento intelligimus, quàm remotam antiquitatem noſtra eâ in re diſciplina vendicet.

Congeſtis hîc à Thomaſſino ſupplendum aliquid ducimus de thyarâ Romani Pontificis. Inſulas illas Bonifacius VIII. omnium primus duplici coronâ diſtinctas voluit, ut ex fide vetuſtarum tabularum Bollandiſtæ in Conatu Romanorum Pontificum demonſtrant ad vitam ejuſdem Pontificis. Tertiam alteram deinde adjecit Urbanus V. nullum enim vetus monumentum, certum alioqui & ſincerum, ante illum Pontificem huc uſque paruit, quod majorem hujus ornamenti vetuſtatem evincat. Memoratur etiam inter Sacerdotalia Romani Pontificis inſignia ſingularis balthei genus, quod ita deſcribit Pandulphus Piſanus in vitâ Paſchalis II. *Clamide coccineâ induitur à Patribus & tyarâ capiti ejus impoſitâ, comitante turbâ ad Baſilicam Salvatoris adducitur. Equo deſcendit, locaturque in ſede, quæ ibi eſt, deinde in Patriarchali, aſcendenſque palatium, ad duas curules devenit. Hîc baltheo accingitur, cum ſeptem ex eo pendentibus clavibus, ſeptemque ſigillis.* Rer. Ital *tom.3. pag.354.*

Juriſdictionis inſigne fuiſſe ſtolam negant vetera plura documenta apud Thomaſſinum *cap.40. n.10.* Demonſtrant tamen alia, tum apud eundem Authorem hîc, cum vetuſtius aliud apud Ughellium in Epiſcopis Sylvæ Candidæ, *tom.1.* In Concilio enim Romæ habito ſub Joanne XIX. poſt decretam Epiſcopo S. Rufinæ, nempè Sylvæ Candidæ, tertiam partem redditiuum omnium Eccleſiarum Galeriæ, Epiſcopus Portuenſis eo illum jure inveſtivit; *tum accepta Diaconorum ſtola* anathema adversùs ſacrilegos illarum uſurpatores pronunciavit. Monumentum illud accepiſſe profitetur Ughellius ex regiſtro Gregorii IX. quare ſi fortè de ſinceritate ipſius quis dubitaverit, ejus tamen ætatis, qua fabricatum eſt, morem luculentiſſimè probat.

Hîc denique adnotaſſe juvat, longè à verò aberraſſe Ricobaldum Ferrarienſem in Hiſtoriâ Imperatorum, quam Pomarium inſcripſit, nuper à Cl. Eccardo vulgatâ, & paucis ab hinc menſibus recusâ Rer. Italic. *tom.9. col. 115.* Narrat nimirum ille ſæculi decimitertii exeuntis ſcriptor, ſub Ludovico Pio primùm Epiſcopos & Clericos, veſtes exquiſitas & auro tectas aliaque ornamenta ſæcularia deponere cœpiſſe. Quàm bellè profectò hæc recentiſſimi Scriptoris authoritas ſingularis, cum tot veterum documentorum teſtimoniis à Thomaſſino allatis congruit!

Ad Cap.53. n.4. & cap.55. n.11. S. Gregorio Magno vetuſtius cenſetur à Ciampino Muſivum illud Opus, quod in Eccleſia S. Vitalis Ravennæ conſpicitur. Exhibetur in eo Eccleſius Epiſcopus Ravennatenſis, quem renunciatum Epiſcopum circa ann.524. demonſtrat Bacchinius, pallium referens circa humerum convolutum, laxatoque anteriùs ſinu, unâ extremitate ſuâ à dextero latere fluens. Tranſierat ergo in faſciam pallium aliquandiu ante S. Gregorium Magnum; ſive enim ipſe ſe pingendum Eccleſius curaverit, ut Ciampinius ſuſpicatur; ſive deceſſoris ſui expreſſam in eodem Templo imaginem voluerit Maximianus, qui Ravennatem cathedram tenere cœpit ann.566. ſemper tamen S. Gregorio M. qui anno 590. florebat, vetuſtius eſt monumentum. Idem multò validius probaret Felicis III. quem IV. dicunt, vermiculati Operis imago, Pontificis illius pallium in faſciam redactum exprimens, niſi recens reſtitutum opus ſuppoſitionis argumentum minùs credulis exhiberet. Vide utriuſque tabulam apud Ciampinium, Vet. Monum. *cap.7. & 9. tom.2.* ſicut & Rer. Italic. *tom.2.* eandem Eccleſii cum alia Maximiani imagines, eo, quo ſupra diximus, modo palliatas repræſentat Bacchinius.

Ad Cap.56. n.6. Utique Patriarchas Gręcos pallio ornaſſe potuerunt Imperatores, cum & Latinos aliquando Epiſcopos Eccleſiaſtico illo ornamento decoraſſe legantur. De Maximiano Ravennatenſi Epiſcopo an. 566. hæc habet in ejus vitâ Agnellus, in Pontificali part.2. *Contigit eo tempore, ut moreretur Victor Epiſcopus hujus Civitatis Ravennæ, & euntes Cives Ravennates, Sacerdotes, cum univerſâ plebe ad Imperatorem* (nempè ad Juſtinianum) *pallium poſtulantes ad electionem. Qui excogitato conſilio, juſſit conſecrari B. Maximianum Polenſem Diaconum Epiſcopum à Vigilio Papâ, in civitate Patras apud Achajam, & dato pallio Ravennam miſit.* Negat Bacchinius in obſervationibus ad hunc Agnelli locum his verbis ſignificari, pallium ab Imperatore datum fuiſſe; ſed præſtitum tantùm credit ab Imperatore aſſenſum, ut à Pontifice obtineretur. Videant tamen doctiores, de viri alioqui eruditiſſimi interpretatione quid ſentiant. A me ſanè, ſi authoritas viri, non tamen neceſſitas aſſenſum extorqueret. Potuit enim pallium ita ab Imperatoribus tradi, ut ejus tamen uſus tum ab obtentâ Pontificis conſecratione, tum pariter ab ejus aſſenſu penderet. Uno verbo; dabat Imperator pallium, authoritas tota à conſecratione Romani Pontificis, & ab ejus aſſenſu petebatur. An id jure fieret, in præſentiarum non contendo; factum ſuſpicor. Neque enim potiore jure in manus Imperatoris pallium remittebatur, quod factum interdum ab Epiſcopis legimus apud Thomaſſinum, ac ab ejuſdem Imperatoris manibus obtineretur.

Ad Cap.57. num.8. Aſſerebatur etiam per pallium jus Archiepiſcopi, ut ab eo loco deinde per alterius fraudes dimoveri minùs facilè poſſet. Cum Gualterius Trojanus Epiſcopus, & Regni Siciliæ Cancellarius Panormitanum Archiepiſcopatum, ad quem nuper alter aſſumptus erat, affectaret, Innocentius III. ut ambitioni illius omnem aditum præcluderet, electo jam Archiepiſcopo, pallium deſtinavit; *ne*, inquit Author vitæ ejuſdem Pontificis à Baluzio vulgatæ, *in ejus locum alteriùs Cancellarius aſpiraret.* Rer. Italic. *tom.3. pag.499.*

Quid quòd ne nomen quidem Archiepiſcopi in publicis literis uſurpare ante pallium obtentum fas erat? Inter cętera crimina, quorum reus Henricus Trevirenſis Archiepiſcopus ab Urbano IV. agebatur, hoc pariter exprobrat ejus ſucceſſor Clemens IV. Epiſt.570. datâ an.1267. *Pallio non obtento, in ſuis literis Archiepiſcopum ſe nominare præſumens.* Theſ. Anecdot. *tom.2. col.549.*

Ad Cap.57. Vetuſtiſſimus omnium, quotquot unquam legerim, baculi Epiſcopalis meminit Sanctus Gaudentius, quem ad Brixienſem cathedram ann.387. aſcendiſſe Recentiores Critici tenent apud Cl. Galeardum in editione Operum Sancti Gaudentii Patavii ano.1720. Ita enim habet ſermone 5. in fine: *Si quis eſt Apoſtolicus, & per Jeſum magnus factus* (Epiſcopus ſcilicet) *ac potens, non jam propter ſe baculum portat, ſed propter eos, quibus dici neceſſe eſt. Quid vultis: in virga veniam ad vos, an in charitate?* Et infra, baculum illum vocat *baculum correptionis*.

Sed & vetuſtior Gaudentio Gregorius Nazianzenus Theologus, in Epigrammate quodam de Grego-

gorio patre suo, *litui pastoralis* meminit. Carmen illud legas in Anecdot. Græcis Muratorii epigram. 80. Porrò *lituum* reddit Cl. Muratorius pro *syringa*, quod in Græco legitur.

Ad Cap.58. num.6. & cap.59. num.1. Non ab Anastasio III. tantùm, sed jam inde ab Hormisda, initio nempè sęculi sexti, privilegium illud singulare Crucis pręferendę utendique pallio, repetunt Ticinenses apud Ughellium in Ticinensibus *tom.2.* Sed commentum illud egregiè explosit Cl. Muratorius Anecdot. *tom.1. pag.*224. Recitat etiam Ughellius luculentum quoddam diploma Joannis VIII. quo inter singularia plura Ticinensibus collata, copia facta est Crucis, quocumque maximè voluerint, præferendę; sed hujus diplomatis fidem, pręter inusitata, quę continet, privilegia, insuetæ pariter quædam loquendi formulæ, ut illa, *A coronato magno Imperatore &c.* suspiciosam faciunt; ne quid dicam de erroneâ Indictionis nota aliisque, quę ultro legentibus occurrunt. Fruebantur tamen quodam pręferendę Crucis privilegio Ticinenses sub initium sęculi undecimi; scribit enim Landulphus Senior, ejus sęculi scriptor, historię Mediolanensis *lib.2. cap.*21. Heribertum, qui Episcopalem Mediolanensem Cathedram paulò post initium sæculum undecimum tenebat, inspecto Episcopo Papiensi, Crucem ante se Metropolitico quodam fastu præferente, graviùs eâ de re indoluisse; quod sanè, nisi mea me fallit conjectura, demonstrat, tum primò id fieri ceptum, nullo antea exemplo, à Papiensibus. Quare veluti nova molientis reum illum Mediolanensis expostulavit. Nisi fortè arbitremur, ad superius sæculum privilegium illud revocandum, nempè ad Adrianum III. indoluisse autem Mediolanensem Præsulem, quòd ad ingratæ rei conspectum, injuriæ Mediolanensibus illatæ memoria refricaretur.

Quandoquidem de Cruce Episcopis singulari privilegio præferendâ hìc sermo incidit, crimen profectò inexpiabile adversùs illam, qua in Patriam nostram tenemur, charitatem committeremus, si eximii Lucensis, olim Episcopi, privilegii memoria omitteretur. Accipe quid eâ de re scribat Ptolemæus Lucensis in Annalibus, author fide magis quàm eloquio clarus. Ita ergo ille ad annum 1070. *Dictus Summus Pontifex*, nempe Alexander II. *dignificavit Episcopum Lucensem Cruce coram Episcopo præferenda, sicut & coram Primate*. Hoc idem privilegium deinde ratum habuerunt Paschalis II. sicut & Callistus II. mansitque ad nostram usque ætatem, cùm Benedicto XIII. nunc feliciter regnanti visum fuit, ut cui omnia jam inde à tot sæculis Archiepiscopi decora accesserant, in illo pariter Archiepiscopi nomen ipsum non desideraretur.

Ad Cap.59. num.6. Singulare prorsus datum est privilegium Antistiti Pisano, totiusque Sardiniæ Primati. Neque enim per subiectas tantùm sibi Primatûs jure Provincias Crucem præferendi liberam obtinebat facultatem, sed & per totum tractum, qui Pisanam Diœcesim à Populoniensi Episcopatu sibi subjecto disterminat, jus illud prorogare, datis ab Innocentio III. literis permissus est. Vide quæ de Primatu Pisani Antistitis supra disseruimus.

Hoc eodem in capite num.8. obtinuisse tandem sub Gregorio IX. autumat Thomassinus, ut omnium Metropolitanorum insigne Crucis prælatio haberetur; qua in re falli illum, ex Epistolâ Clementis IV. ad Bertrandum Arelatensem Archiepiscopum datâ, ann.1267. intelligimus. Ita enim ad illum Pontifex. *Licèt deferendæ Crucis dignitas solis Romanis Pontificibus convenire noscatur, dignum tamen duximus, ut Arelatensem Ecclesiam Apostolicæ dignitatis participem faciamus. Quare ad tui & ipsius Ecclesiæ decoris augmentum, tam tibi, quàm tuis successoribus in perpetuum faciendi coram vobis deferri Crucem per Arelatensem provinciam, ex præsenti privilegio, plenâ præsentium authoritate concedimus facultatem.* Si ergo ann.1267. præferendæ Crucis honor singularis habebatur Romani Pontificis prærogativa, quomodo fieri poterat, ut sub Gregorio IX. ann. videlicet 1227. circiter, ad omnes latè Archiepiscopos extenderetur? Hanc Epistolam legas Thesaur. Anecdot. *tom.2. col.*521.

Ad Cap.60. De Clericorum Cœlibatu agente Thomassino, operę pretium nos facturos arbitramur, si quæ ab illo omissa animadvertimus, in unum congesta locum afferemus in medium. Cùm autem summi momenti, & omni molimine ab hęreticis impugnatus, disciplinæ articulus propugnandus sit, juvat ingentem testium, veluti instructorum ad pugnam militum, exercitum adversùs illos duxisse, quò, si non armorum genere & pugnatorum strenuitate, saltem numero terreantur. S. Cyprianus omnium primus de continentia Clericorum subobscurè aliquid tradidisse visus est, cum adversùs Diaconum, Virginis cujusdam vitiatæ reum, invehens, ejus crimen vel ex eo maximè detestatur, quòd ab eo commissum fuerit, *qui integritati & continentiæ pręesse debebat*. Epist. ad Pompejan. Quid est *præesse* continentiæ, nisi virginem se & alios illibatos servare? Fortè etiam Cypriano vetustior censendus est Author Operis de singularitate Clericorum, quem alii Cyprianum ipsum credunt; certè tempore sedatæ in Christianos persecutionis vetustior. Clericorum cœlibatum ita ille propagandum aggreditur, ut Nicænorum canonum sanctionibus præludens, negaverit, fas esse Clericis ullam cum mulieribus habere consuetudinem, nisi fortè arcto necessitudinis agnationisque vinculo cum illis cojungerentur. Insuper non obscurè testatur, Clericos sui temporis *Ecclesiæ*, ut ait, *ordinatione* continentiæ legibus teneri, quod apertissimè, ut cætera omittam, produnt hæc ejus verba de Clericis. *Cum videant de Christianis plerosque, maritos pariter & uxores continentiam destinantes, domicilia singularia magis eligere, ut consensu communium votorum sine imitatione præsentia, & concordantiæ secessu, valeant obtinere; & Eunuchi nostri non durant sine fœminæ sodalitate dormire?* Quid, rogo, Eunuchorum nomine Clerici designantur, nisi quia conjugium illis Dei præcepto interdicitur, quod naturę & necessitatis lege Eunuchis prohibetur?

In vitâ S. Hyppatii, qui nempe vir sanctus florebat ann. 447. ejusque gesta Author coęvus Gręcè descripsit apud Bollandistas ad diem 17. Junii, plura in rem pręsentem non contemnenda narrantur. Legimus enim ejusdem vitæ cap.5. Causidicum quendam à Viro sanctissimo baptizatum, cum deinde Sacerdotio consecratus fuisset, conjugem suam sororis loco in posterum habuisse. Sermo est etiam ibidem de Lectore Ecclesiæ Apostolorum, prope Monasterium sitę, qui uxorem duxerit. Pertinent hęc omnia ad disciplinam priorum sęculorum.

Nunc verò ad ea, quæ à Thomassino à cap.62. tractantur. In Collectione Hibernensium Canonum, sæculo 8. digestâ, hæc habes *col.*5. Anecdot. *tom.*4. *Patricius ait: Quicumque Clericus ab Ostiario usque ad Sacerdotem sine tunicâ femorali visus fuerit, qua turpitudinem vestis non tegat, & nuditatem; si non more Romano tonsus fuerit; & uxor si non velato capite ambulaverit, pariter condemnabuntur, & ab Ecclesiâ separabuntur*. Velatas incedere Clericorum uxores nihil est aliud, quantùm sapio, nisi ad castitatem palam profitendam adigere.

Ad leges Ludovici II. Imperatoris additamentum quoddam vulgarunt Palatini Socii, Rer. Italic.

lic. *t.1.p.2. pag.160.* in cujus capite 3. hæc legas: *Ut nullus Ecclesiasticus fœminam secum habere præsumat. Si Presbyter fuerit, Diaconus, aut Episcopus, ab ordine deponatur. Si Clericus, nudus ad palum vapulatur; & fœmina, quæ ei consenserit, similiter vapuletur.* Capite verò sequenti jubet: *Ne Clerici ullam aliam retineant apud se mulierem, quàm quæ in Nicænâ Synodo permittitur.*

Concilium Ansanum [oppidum est non incelebre ad Ararim fluvium, quatuor leucis à Lugduno] ann.990. celebratum, canon.5. decernit: *Est decretum à SS. Patribus in Concilio, & Catholicis Episcopis, ut Sacerdotes se ab uxoribus abstineant; sin autem in Ecclesiis sacrum mysterium non faciant, & ipsas Ecclesias, quas possident, perdant.* Thesaur. Anecdot. *tom.4. col.76.* Porrò Concilium illud à Patribus hìc designatum, idem ipsum esse credo cum altero illo, de quo Carolus Magnus in Capitularibus apud Thomassinum hìc *cap 64. num.3.*

Nunc verò aliqua afferamus in medium, ad sæculum Christi undecimum & deinceps pertinentia. Concilium Turonense ann.1060. can.6. sancivit: *Si quis Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, aut Subdiaconorum, post cognitum interdictum Domini nostri Papæ Nicolai, mulieris sujusliber carnali detentus copulâ, à ministerio & beneficio Altaris non cessavit, sive deinceps cognoscens prælibatum Apostolicæ Sedis interdictum, aut mulierem, aut ministerium Ecclesiasticum beneficio non statim deseruerit, nullam restitutionis in pristino gradu veniam sibi reservassi cognoscat.* Quibus Concilii verbis duo in rem præsentem opportuna intelligimus: nimirum Ecclesiasticorum continentiam, non illius tantùm Concilii, sed, quod majus est, Pontificiâ etiam authoritate firmari; authoritate, inquam, Nicolai II. Papæ, qui eas leges Mediolanensi Clero constituit, ut infrà. Quę verò hìc cap.65. num.5. ex Gregorio VII. adducuntur, illustrant Epistolæ ejusdem Pontificis, relatæ à Paulo Bernriedensi in ejus Pontificis Vitâ cap.36. Scripsit Pontifex ad Ottonem Constantiensem Episcopum, sicut ad Moguntinum Archiepiscopum, literis, acriter invectus est adversùs Clericos, Ecclesiasticarum legum, & maximè S. Leonis, & S. Gregorii contemptores, illud etiam atque etiam inculcans, Ecclesiasticâ lege *Sacerdotibus, Levitis, & Subdiaconis vincula conjugalia omnino esse prohibita.* Neque his contentus, novis literis ad *Clericos & Laicos in Regno Teutonicorum*, nempe Germanico, *constitutos*, omni curâ adnitendum ipsis præcipit, ne *Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi mulieribus commisceantur.* His itaque per literas constitutis, novam accedere authoritatem generalis Synodi à se coactæ suffragio curavit, de quo tum idem Paulus, tum Hugo Flaviacensis in Chronico Virduensi *tom.2.* Biblioth. nov. Labbeanæ. Neque in Germaniâ tantùm, sed etiam in Italiâ, effrænata per hæc tempora Clericorum libido turbas moliebatur. Clerus Mediolanensis, pessundatis jam continentiæ legibus, palàm admittere connubia non verebatur. Ad eam urbem S. Petrus Damiani & Anselmus de Badagio, ex Mediolanensi Cive Lucensis Episcopus, à Nicolao II. missi, id tandem, & authoritate suâ, & in rebus tractandis dexteritate effecerunt, ut Vido Mediolanensis Episcopus, simulque universus populus, sacramento se palam adegerint, præstituros se, ut neque *Presbytero, neque Diacono, neque Subdiacono fœminam suo gradu simul habere permitterent.* Totam hanc historiam literis prodit ipse idem Petrus Damianus, scriptis ad Hildeprandum Archidiaconum, qui deinde Gregorius VII. fuit. Invehitur eâ occasione graviùs adversus Mediolanenses Arnulphus, historiæ Mediolanensis scriptor, & schismaticus *lib.3. cap.13.* proditumque ab illis Cathedræ suæ honorem, ut Romanis cederent, conqueritur. Meminit subinde Synodi cujusdam Romanæ sub Nicolao II. quò vocatus Archiepiscopus Mediolanensis, ire compulsus est. In eo Concilio, Mediolanensis dictis Pontificiis obsequens, in Apostolicam gratiam rediit. Nec tamen Mediolani à tumultu cessatum; sed perseverantibus adhuc incontinentium Clericorum conatibus, novi subindè & novi ab Alexandro II. Papâ Legati, ad eas componendas, missi sunt. Perducta res est usque ad Gregorium VII. qui in Romanâ Synodo, de qua supra, & Gotefredum in cathedram Mediolanensem intrusum, & concubinarios Clericos anathemate perculit. Lege eâ de re Arnulphum *lib.4. cap.4.* Rer. Ital. *tom.4. pag.36.*

Posset in eam rem longus recentiorum Conciliorum catalogus instrui, ex Thesauro novo Anecdotorum *tom.4.* Sed cùm his, quæ huc usque attulimus, unà cum cęteris à Thomassino uberrimè congestis, lucis satis superque tractatui de continentiâ Clericorum affundatur, cętera omnia libenter omisimus, id solum adjecisse in calce hujus nostræ animadversionis contenti; nimirum Archiepiscopum Spalatensem ann.1267. Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos, qui in sacris Ordinibus uxores duxissent, abstinere ab illis jussos, ab officio & beneficio suspendisse; sicut & Diaconos ante Ordines in Matrimonio conjunctos, suspensos ab officio & beneficio manere in conjugio permisisse. Qua de re lege Lucii historiam Dalmatiæ, *pag.81.*

Ad Cap.67. Quæ de S. Euthymio Abbate narrat Thomassinus, paolò apertiùs exponit genuinus Vitę Author, non à Surio interpolatus, quem Thomassinus lègit, sed integrâ fide à Bollando ad diem 20. Januar. relatus. Legimus ergo apud illum, Virum hunc sanctum tribus tantùm annis natum, & inter Christi fideles baptismo, & inter Lectores cooptatione adlectum. Cum verò anno ætatis 29. in Abbatem renunciatus esset, jam tum sacerdotio pariter fungebatur, ut ex lectione ejusdem historiæ cap.2. intelligimus.

Ad disciplinam toto hoc capite illustratam pertinent ea, quę Viri doctissimi P. Sacchinius in vitâ S. Paulini, & Chiffletius in suo *Paulino illustrato*, de eodem S. Paulino observarunt, nimirum virum sanctum provectiori jam ætate baptizatum, anno scilicet 389. intra quatuor deinde annorum spatium per Clericales gradus ad Sacerdotium ascendisse.

Ad Cap.69. Eas leges de Ordinandorum ætate positas variè aliquantò sæculo nono in Italiâ servatas his exemplis docemur. Pacificus Archidiaconus Veronensis, ut in ejus Epitaphio, Veronæ posito, & ab Ughellio in Veronensibus *tom.5. col.* 710. relato legimus, 53. lustra & annos tres, nempe 68. annos *vixit*, è quibus 43. annos in Archidiaconatu duxerat. His ergo Archidiaconatûs annis à reliquis subductis, remanent 25. ætatis, quo tempore Archidiaconatum inivit. Porro ætas illa cum legibus à Justiniano constitutis quadrat. Congruunt ergo ista legibus: modò exempla promamus, quæ à legibus istis aberrant. De Anastasio Neapolitano Episcopo, qui eodem sæculo florebat, hæc tradit Author vitę genuinus, Rer. Italic. *tom.2. par.2. Præfatus Venerabilis vir ante Episcopatum vixit annis 18. in Episcopatu sedit annis 22.* Profectò in hac viri sancti ordinatione immane quantùm à legibus aberratum est. Sed nunquam planè meliori causâ aberratum.

Ad Cap.70. num.4. Ad disciplinam Italicam pertinent ea, quæ in Soranis narrant Ughellius. Cum Squillacensis Ecclesiæ Clerus communi assensu Benvenutum quendam in Episcopum renunciasset, ne tamen ille à Pontifice admitteretur, obstitit ætas.

Quare ejus Ecclesiæ regimen eidem electo commissum est, donec canonicâ ætate expletâ, novâ præmissâ electione, Episcopatum assequeretur. Vide Epistol. Gregorii IX. ad Episcopum Soranum. Succurrunt etiam nonnulla in Thesaur. Anecdot. *tom.* 4. quæ recentium horum sæculorum disciplinam illustrent. In additamentis ad Statuta Synodalia Ecclesiarum Cadurcensis, Ruthenensis, & Tutelensis, sæculi, ni fallor, 14. præscriptum legas, col. 718. *Declaramus, quod in 18. ann. potest quis, nisi sit aliud canonicum, quod obsistat, ad Subdiaconatûs, & in 20. ad Diaconatûs, & in 25. ad Presbyteratûs ordines promoveri.* Post constitutas verò à Concilio Tridentino singulis ordinibus ætates, ea quoque in Galliis disciplina invaluit; ita tamen ut non rarò ab illâ recederetur; legimus enim in articulis Reformationis Parisiensis, à septem Episcopis editis an. 1586. *articul.* 65. *Quo in genere quia peccatum est frequentiùs,* (peccatum nempe fuerat non servatâ Tridentini lege) *omnem curam ac diligentiam ponant, tum Examinatores, tam verò etiam Episcopus, ne ulla fraus fiat, errorve committatur. Quòd si quis promotus ante legitimam ætatem fuerit, eò usque à Divinis suspensus maneat, quoad opportunam à Sede Apostolicâ dispensationem obtinuerit. Anecdot. tom.* 4. *col.* 1201.

Ad Cap. 71. & seqq. Et hîc pariter juvat uno narrationis tenore ea omnia comprehendere, quæ de recitatione Divinorum Officiorum addenda Thomassino succurrunt. De recitatione igitur horarum Canonicarum luculentius aliquid, quàm in textibus ab Authore laudatis, *cap.* 73. *num.* 1. & 74. *num.* 3. tradit ipse Tertullianus in uberiore Opusculo de Oratione, à Cl. Muratorio vulgato, Anecdot. *tom.* 3. *pag.* 9. Ita ergo ille cap. 25. *De tempore non erit otiosa extrinsecus observatio, etiam horarum quarundam; istarum, dico, communium, quæ dies interspatia signant, Tertia, Sexta, Nona, quas solemniores in Scripturis invenire est.... Exceptis utique legitimis orationibus, quæ sine ullâ admonitione debentur ingressu lucis & noctis.* Et cap. 27. num. 1. *Diligentiores in orando subjungere orationibus Alleluja solent, & hoc genus Psalmos, quorum clausulis respondeant, qui simul sunt.* Et cap. ult. *Itaque nunquam inermes incedamus. Die stationis, noctem vigilia meminerimus.* Hæc simul omnia in unum colligere visum est, è quibus plura in rem præsentem opportuna eruantur. Primò enim intelligimus non Tertiæ, Sextæ, & Nonæ tantùm meminisse Tertullianum, sed & Officii vespertini pariter & matutini, quas priores horas S. Scripturæ authoritate constitutas, duas verò, quas secundo loco commemorat, legum Ecclesiasticarum sanctione præceptas testatur. Illud deinde *Diligentiores in orando*, Psalmodiæ usum in ædibus privatis non obscurè designat; secus enim, si de publicâ tantùm ageretur, quomodo diligentiores tantùm hoc genus laudis decantarent, & non cæteri omnes, cum simul omnes convenirent? Falli autem puto Cl. Muratorium, qui in animadversionibus ad hunc Tertulliani locum, deducit ex eâ sententiâ ritum alternis canendi in Ecclesiâ. Præterquam enim quòd de oratione in ædibus privatis sermonem esse ibidem conjicimus, vix aliud insinuari verbis illis arbitramur, quàm post decantatum ab uno ex iis, qui simul conveniebant in oratione, Psalmum, omnes uno concentu vel Alleluia vel doxologiam ingeminasse; vel saltem uno vel duobus Psalmum modulantibus, adstantes cæteros identidem antiphonæ interpositione pausationem injunxisse. Demonstrat tandem Tertullianus, postremâ illâ, quam laudavimus, sententiâ pia Fidelium studia, quibus ad matutina & nocturna officia aureâ illâ Ecclesiæ ætate rapiebantur. Modò verò ad alia stylum convertamus.

Diù multumque hæsi suspensus, num luculentum alioqui & illustre pro recitatione Canonicarum horarum documentum producerem. Vicit tamen apud me authoritas Clarissimorum virorum, qui pia & erudita Bollandi studia non imparis & pietatis & doctrinæ famâ prosequuntur: quibus historiam aliquam Sanctorum probantibus, lex cæteris omnibus obsequendi imponitur. Eorum igitur authoritati deferemus. Acta S. Febroniæ Virginis & Ascetriæ *Monacha* Sibapoli, seu Nisibi in Mesopotamiâ, Græcè à Thomaide, sanctæ illius Virginis Magistrâ, scripta, & à PP. Bollandistis ad diem 25. Junii è Ms. Vaticano, Græcè vulgata; Acta, inquam, clarissimæ illius Virginis & inclytæ Martyris sub Diocletiano demonstrant, Divini Officii necessitatem Monachis utriusque sexûs impositam. Ita enim de regulâ Monialibus illis à Platonide, religiosâ quadam Diaconissâ, constitutâ legimus. *Feriâ quoque sextâ nullis sororum licebat quidquam operari, sed in Oratorio congregatæ manebant, post expletum Psalmodiæ cursum, librum accipiebat Platonis,* (qui nempe fœminæ illius religiosæ fuerat) *divinasque Scripturas ex eo perlegebat Sororibus usque ad horam nonam.* Quo loco hîc Psalmodiæ cursum reddunt Interpretes, Græcus habet, *Psalmodiæ canonem*, quod sanè apertissimè Canonicis sanctionibus præscriptas horas illas demonstrat. Sermo est etiam in fine illius Opusculi de precibus matutinis; mentio etiam occurrit *temporis Nonæ*, quod adesse sentiens Briene (mater erat illius Asceterii) *Febronia*, inquit, *adest tempus Orationis: veniet ipsa filia nobiscum assistens.* Habes ergo ex præclarissimo hoc vetustatis monumento confirmatam sententiam de præcepto horarum Canonicarum, omnibus Deo speciali religione devotis imposito. Quid enim nisi præceptum inculcant verba illa: *Psalmodiæ canonem?* Idem pariter de privatâ recitatione priscis illis temporibus familiari collegisse mihi videor ex Epistolâ S. Paulini Nolani apud Bollandistas ad diem 22. Junii; extremos enim agens spiritus Vir ille Sanctus, & de pristinâ illâ consuetudine Officium recitandi nihil volens remissum, Clericos suos omnes assistere lecto, & horarum Canonicarum pensum exsolvere jussit. Nec minùs apertè psallendi privatim Canonicas horas exemplum & consuetudinem probant Acta S. Hyppatii (ann. 445. florebat). Ita enim Author Synchronus *cap.* 5. *In Quadragesima alternis tantùm diebus reficiebatur, concludens se, & psallens Matutinum, Tertiam, Sextam, Nonam, Lucernariam, quæque ad primum somnum, quæque ad mediam noctem decurri soleat Officia, secundum quod scriptum: Septies in diem laudem dixi tibi.* Monumentum hoc primum esse credo, in quo apertissimè singulæ canonici Officii horæ distinguantur. Quare & sedulò adnotandum & maximo in pretio habendum esse arbitror. Nunc verò ad disciplinam subsequentium sæculorum illustrandam accedamus.

Ad privati officii recitationem sæculis Carolum Magnum præcedentibus pertinet exemplum S. Silvini Episcopi Alciacii in Belgio. Cùm extremos spiritus ageret vir sanctus, *non tamen*, ait Author coævus, *à celebratione Missarum & cantu Psalmorum* (utique privato quia in ægrotantis conclavi) *cessatum est. Quantò magis infirmitate corporis aegebat, tanto magìs ad laudes sui Conditoris ecticebat.... Sed ille non infestus appropinquare diem depositionis suæ, quotidie ante eum missarum solemnia celebrabantur, & Psalmorum cantus audiebantur.* Loculentius aliquid exprimitur in Collectione canonum pœnitentialium Gildæ, quam post Collectionem canonum Hibernensium sæculo octavo digestam, exhibent Editores Thesauri Anecdot. *tom.* 4. *col.* 8. Ita ergo legas canonem 15. *Si Monachus excitatus veniat post missam*, (dimissionem scilicet factam ab Officio divino) *quidquid cantaverunt recitet ex ordine Fratres.*

Ad

Ad ætatem Caroli Magni & deinceps, congestis à Thomassino addenda occurrunt ea, quæ de Ambrosiano Officio narrat Landulphus senior historię Mediolanensis *lib.2. cap.12.* Scribebat Landulphus sęculo Christi 11. quę autem ab illo narratur de Ambrosiano Officio historia, sub Carolo Magno, Romanam Cathedram tenente Adriano I. contigit. Nec tamen omnia integrâ fide ab illo memoriæ prodita credimus, quemadmodum & ante nos Cardinali Bona in Opere de rebus Liturgicis persuasum fuerat; sed nec abjicienda omnia, ex eo non obscurè conjicimus, quòd laborasse Carolum Magnum, ut ad Romanum ritum Italorum Officia reducerentur, plures apud Thomassinum hìc cap.80. *num.*4. asseverant. Narrat igitur Landulphus, in Romanâ Synodo sub Adriano diu multumque disceptatum fuisse de Ambrosiano Officio ad Romanum reformando. Cum inter. partes non convenisset, visum est tandem omnia Divino judicio, ut moris erat ejus ætatis, remittere. Quare utriusque Officii, Ambrosiani nempe & Romani, Codex pluribus sigillis munitus super Altare depositus est, obseratisque non segniter Ecclesiæ foribus, & jejuniis, & precibus divinum aliquod prodigium extorquere totius Concilii Patres adnitebantur. Nec frustra illi, nam apertis subito miraculo Ecclesiæ foribus, primò utriusque libri sigilla intacta sese obtulerunt; sed statim illis subito fragore disruptis, uterque Codex ita medios expansus est, ut neutra pars alteram folio superaret. Eo indicio uterque ritus æquè à Deo probari creditus, suo uterque juri permissus est.

Hæc de Clericis: nunc de Sæcularium Italorum studio in frequentandis Divinis Officiis aliqua promamus. Author anonymus Chronici Salernitani, qui Opus suum ab anno 760. usque ad 960. prosecutus est, res gestas narrans Bernardi Salernitani Præsulis, qui sęculo nono florebat, cap.83. de Diacono quodam scribit, qui cum nocte intempestâ *Nocturnum sonasset, utecque sexus in Ecclesiâ convènit*. Rer. Italic. *tom.2. part.2.* Author Vitæ S. Athanasii Episcopi Neapolitani, qui cum sæculo nono componitur, hæc narrat de Neapolitanis: *In qua urbe Laici simul cum Clericis assiduè Græcè Latinèque communi prece psallunt Deo, debitumque persolvunt jugiter Officium.* Tandem de Bonifacio Tusciæ Comite, & Matildis Comitissæ patre hæc habet Donizo cap.14.

Psallebant Capellani reverenter
Horas nocturnas sibi quotidieque diurnas.

Nec à religione Parentis pia filia Matildis recessit, de qua idem Donizo cap.20.

Tempore nocturno studiosa atque diurno
Est sacris Psalmis atque Officiis venerandis.

Restat modò aliqua ad recentiora sæcola pertinentia proferamus in medium; sed priùs appositè ad ea, quę Thomassinus ad cap.83. num.6. narrat, prætereundum non esse censeo, Ratherium, qui ineunte sæculo undecimo florebat, non ter, sed quater subjectos sibi populos ad communionem adegisse. Ita enim Parochos suos instruit: *Quater in anno, idest Natali Domini, & Cœnâ Domini, Paschate, & Pentecoste omnes fideles ad communionem Corporis & Sanguinis Domini accedere admonete.*

Post Concilium Lateranense plura occurrunt in Thesauro Anecdot. Conciliorum decreta, quę publicam privatamque recitationem horarum Canonicarum Clericis injungant. Non longè ab ejus Concilii tempore Statuta Synodalia Ecclesiæ Constantiensis cap.24. decernunt: *Præcipimus, sicut præceptum in Concilio Lateranensi, ut Sacerdotes Officium tam diurnum quàm nocturnum distinctè & apertè, non syncopando, quantùm Deus dederit, celebrent, & devotè, & hoc in Ecclesiis ad hoc deputatis, nisi propter necessitatem. Nullus etiam audeat aliquo ensu celebrare, donec canonicas Matutinas & Primam cantaverit; & qualibet die horas canonicas dicent.* Anecdot. *tom.*4. col.807. In statutis Synodalibus Ecclesiarum Cadurcensis, Ruthenensis, & Tutelensis ann.1289. hęc pariter injunguntur: *Clerici quoque qui stipendiis Ecclesiasticis sustentantur, & qui non habent beneficium Ecclesiæ, sunt tamen in sacris Ordinibus constituti, debent quotidie dicere per septem horas Divinum Officium, nocturnum pariter & diurnum, prout dicitur communiter in Ecclesiâ Cadurcensi, vel Ruthenensi, vel Tutelensi, & in Breviariis continetur; scilicet Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completorium, nisi infirmitatis necessitas excusaret, & non cum syncopâ, sed distinctè, & cum intentione sollicitâ & devotâ, laudes istis temporibus Creatori nostro super judicia sua justitia referendo; & si per competentes horas dicta non fuerint, tamen postea persolvantur. Item in Ecclesiis sunt dicenda.* Hæc habuimus, quæ de Divinis Officiis congestis uberiùs à Thomassino, non ad necessitatem, sed ad ornamentum adjungeremus. Cæterùm ex duobus hisce postremis canonibus lucis aliquid affunditur iis, quæ Thomassinus ipse cap.76. num.5. &c. demonstrat; nimirum, Clericos omnes Divini Officii pensum simul in Ecclesiâ solvere consuevisse.

Si quis modò quærat, quid sit Breviarium Cardinalis Quingonii, quod Thomassinus cap.84. num.14. *non paulò brevius Romano Breviario* dixit, brevem ejus historiam ex pręfat. ejus Breviarii ab Authore præfixâ accipiat. Franciscus Quingonius S.R.E. Cardinalis, tit. S. Crucis in Jerusalem, Clemente VII. hortante, ad reformandum Breviarium Romanum se conferens, rem totam ita disposuit, ut singulæ Officii horę tribus tantùm Psalmis, *anius longitudine cum alterius brevitate compensatâ*, constarent. Accedebant Matutino tres lectiones, quarum postrema vitam Sancti, cujus fortè eâ die festum celebrandum erat, singulari tum brevitate tum & fide contextam, complectebatur. Extat apud me ejus Exemplar impressum in 8. Lugduni 1566. Huic verò S. Pius V. in Bullâ ante Breviarium Romanum excusâ, authoritatem detraxit; quòd scilicet plus nimiò Clericorum irreligiosam desidiam fovere videretur.

Ad Cap.89. num.10. Illustre disciplinæ Italicę priorum quinque sęculorum documentum, in iis, quę ad hospitalitatem pertinent, nequaquam hìc prętereundum duxi. S. Paulinus in Natali 12. publici juris facto à Cl. Muratorio Anecdot. *tom.1. pag.*55. Ecclesię Nolanę hospitalitatem ita describit:

Dispositi trino per longa sedilia sæta
Obstrupere senes, inopum miserabile vulgus,
Et socio cana residentes agmine Matres.

Tria ergo hominum genera misericordię & charitatis sinu fovebat pia Mater Ecclesia Nolana; senes scilicet, pauperes, & viduas, cujus pium exemplum cęteras Italię Ecclesias sequutas fuisse non dubito.

Ad Cap.92. num.13. Christianorum sepulchra ita extra Ecclesiam constituta fuisse, ut intra tamen ejus ambitum continerentur, demonstrat Cl. Muratorius Anecdot. *tom.1. pag.*186. Dispositæ enim per latera Templi cellulæ, portas habebant intra ipsum Templum patentes, ut solent Capellæ secundùm Basilicæ laterales naves dispositæ. Docent id apertissimè hæc S. Paulini carmina, è Natali 11. ab eodem vulgato:

Cellula de multis, quæ per latera undique magnis
Adposita tectis, præbent secreta sepultis
Hospitia. . . . .

Porrò ad eas cellas aditum ex interiori Templo patuisse insinuat idem S. Paulinus, furem describens, qui in Templo clausus, intra lateralis cellæ adyta irrepsit:

Harum unâ fur abditur, atque abî mane
Claustra patere videt, reseratâ prosilit aulâ.

Uno hoc testimonio tam apertè intentum convincitur, ut ab iis, quæ Muratorius in hanc eandem rem congerit, arbitret abstinendum, ex eo maximè, quòd facili negocio illa omnia possent eludi, cum nec unum quidem ex illis probet, cellarum sepulchralium fores intra Ecclesiam patuisse.

Cautum tamen non rarò legimus, ne omnium promiscuè cadavera intra Ecclesias inferrentur; sed ejus sepulchra selectis taotùm viris, uti Episcopis, Clericis &c. reservabantur. Faciunt in eam rem versus ab Ecclesio Episcopo Ravennatensi in atrio Ecclesiæ S. Vitalis, à se constructæ, positi, sub initium sæculi sexti. Agnell. Pontif. *part.2.*

Hoc quoque perpetuâ mandavit lege tenendum,
His nulli liceat condere membra locis.
Sed quod Pontificum constant monumenta priorum,
Fas ibî sit tantùm ponere, sed similes.

Idem pariter lege constitutum habebant Cistercienses: *Nullus præter Regem, sive Reginam, sive Archiepiscopos & Episcopos in nostris sepeliantur Ecclesiis.* Statuta gener. Ord. Cisterc. anni 1152. Anecdot. *tom.* 4. *col.*1245. Recentiora sunt ista quidem, fateor; sed ex veteri Ecclesiæ disciplinâ recepta non immeritò arbitramur.

Ad Cap.95. num.5. Duo ad præsens caput addidisse opportunum. Primùm scilicet, Ecclesias Baptismales inter eas fuisse, quæ singulari jure Episcopis subderentur. Cum enim duo essent Ecclesiarum genera; aliæ quæ sub tuitione, patrocinio & curâ Principum sæcularium; aliæ verò quæ sub Episcoporum censerentur, ut Thomassinus ipse infra *lib.*3. *cap.*35. observat; Ecclesias Baptismales ab Episcopi jurisdictione avellere minimè per Canones licebat. Docet id non obscurè charta quædam judicii de Ecclesiâ Baptismali S. Felicis in Diœcesi Beneventanâ an 839. quam legas in Chronico Vulturnensis prope Capuam Monasterii, Rer. Italic. *tom.*2. *part.*2. *pag.*388. Legimus ibi, diù & acriter coram Sichardo Principe Beneventano inter Patronos Episcopi Beneventani, & Monasterii Vulturnensis disceptatum fuisse de jure ejusdem Ecclesiæ S. Felicis. Contendebant Episcopalium partium propugnatores, *quòd & Canones sic continere videntur, quòd Ecclesia, quæ lavacrum Baptismi ædificatum habuerit, semper sub dominio Episcopi subjacere debeat.* Non jus quidem, sed factum negabant Monasterii Patroni, adductis testibus demonstrantes, ex veteri, & ab Ecclesiæ illius conditione receptâ consuetudine obtinuisse, ut Ecclesia illa ad Principem, *ad Palatium*, spectaret.

Alterum, quod disciplinam Italicam protsùs affinem demonstrat illi, quam Thomassinus hîc *n.*6. illustrat, offert diploma Paschalis I. ad Petronacium Ravennatem Archiepiscopum, datum ann. 819. Cavet enim Pontifex, ne quis *corruptum, aut cadentem Templum renovare, aut ædificare temptaverit, nisi priùs per solitam benedictionem*, ait, *paterna sanctitati vestra, Sancta & venerabilis Crux ibi figatur.* Nemini ergo licebat Ecclesiam quamcumque, sive novam construere, sive veterem reparare, nisi datâ prius ab Episcopo facultate, & loco per Crucis erectionem ab eodem Episcopo consecrato.

Ad Cap.98. num.7. Defensores, non unum, sed plures numerabat Ecclesia Ravennatensis inter Minorum Ordinum Clerum adlectos; quemadmodum ex Constitutione Felicis IV. paulò scilicet post initum sæculum sextum, intelligimus. Hanc Constitutionem refert Agnellus in Pontificali Ravennat. *part.* 2. Rer. Italic. *tom.* 2. *pag.* 97. cui post Lectores subscripta leguntur nomina *Mariai Defensoris, Majorani Notarii Defensoris, Hermolai Primicerii Defensoris.* Quæ verò hîc habet Thomassinus de S. Gregorio, id potissimùm curante, ne nisi Clericis Defensoris munus committeretur, illustrat maximè charta quædam relata in Chronico Farfensi Rer. Italic. *tom.*2. *part.*2. *col.*642. *Iterum ostendit pars Oddonis B. Gregorii dispositionem, qui per partes Italiæ, locis nominatis, ordinaverat Defensores, sive ministros, ut patrimonium videlicet suum vel B. Petri Apostoli Ecclesiæ honestissimè & rectissimè ac fidelissimè non divitibus, sed pauperibus indigentibus dispensarent; quos etiam non Laicos, sed Clericos consuit esse debere, sub divini præcepti interdictione.* Hæc tamen vetustiora non sunt sæculo undecimo; quare ad fidem valeant, quam possunt, & merentur.

Ad Cap.98. num.13. &c. Honoratissimos fuisse in Ecclesiâ Latinâ Vicedominos, atque munus illud viris dignissimis committi consuevisse, ex eo discimus, quòd ad Synodum sub Tharasio Patriarchâ Constantinopoli celebrandam missus legatur ab Adriano Papa *Petrus Vicedominus Ecclesiæ & P. Hegumenus, viri honorabiles & omni virtute adornati.* Hist. Miscellę *lib.*23. Rer. Italic. *tom.* 1. *part.* 1. *pag.* 167. Inde verò, quantùm arbitror, intelligimus, munus illud à Clericis gestum fuisse; nunquam enim Laicos ad Synodum Adrianus misisset. Idem de Clericis Vicedomini munus gerentibus demonstrat instrumentum quoddam Cambii inter Ludovicum II Imperatorem, & Episcopum Pinnensem in Aprutio, signatum ann. 872. in Addit. ad Chronic. Casauriense, Rer. Italic. *tom.*2. *part.*2. *col.*938. Huic enim chartæ subscriptus legitur post Episcopum *Gisepertus Presbyter, & Vicedominus, deìn Andreas Archipresbyter.*

Ad Cap.101. num.14. Syncellos suos inter aulæ summas dignitates habuisse Græcos Imperatores, demonstrasse non est hujus loci. Prætereundum tamen non arbitror, titulum illum Syncelli Augustalis, non Laicis taotùm, sed & Ecclesiasticis, iisque Italis ad honorem concessum in vetustis monumentis reperiri. Author Synchronus vitæ S. Nicolai Tranensis, ad sæculum undecimum vel duodecimum pertinens, opusculum illud suum Archiepiscopo Tranensi nuncupans, *Miracula*, ait, *Nicolai Peregrini... quibus Archiepiscopatûs & Syncellatûs tui beata floruerunt tempora*; & infra *n.*41. eundem Præsulem appellat *Archiepiscopum Tranensem & Augustalem Syncellum.* Lege Acta SS. *tom* 19. *pag.*244. Eandem Protosyncelli dignitatem sibi vindicat Theodorus Scyllacensis (Squillaci) in Calabriâ ulteriori Episcopus, in instrumento, quod Græcum simul & Latinum extare in Chartulario S. Epiphanii de Bosco Cœnobii Carthusiensis affirmat Ughellius in Scyllacensibus *tom.*8. *col.*425. *novæ Edit. Theodorus miseratione divinâ Scyllacis Episcopus, Protosyncellus Mesimerius &c.* Scribitur diploma in favorem S. Brunonis Carthusianorum Patriarchæ, ann. 1090. indict. 13. Crediderim tamen, hanc Syncellatûs dignitatem non fuisse omnium Scyllacensium Episcoporum insigne, sed peculiarem quemdam Theodori, viri è Græciâ oriundi, titulum.

Ad Cap.103. num.3. Gregorium Magnum ætate superat Primicerii nomen in Ecclesiâ Latinâ. Legitur enim in Constitutione Felicis IV. pro Ravennatibus, relatâ ab Agnello *part.*2. Pontificalis in vitâ S. Ecclesii, Rer. Italic. *tom.* 2. *pag.* 95. legitur, inquam, post Subdiaconos, Acolytos, Lectores, & Notarios, *Hermolaus Primicerius, Defensor.* Inde facilis est conjectura, Primicerios Ravennatenses inferiores fuisse & dignitatis & muneris, tum à Primiceriis Hispaniæ, tum à Primiceriis Notariorum Ecclesiæ Romanæ, quos inferioribus Clericis præfuisse Thomassinus suspicatur.

Ad hos Primiceros Hispaniæ magis accedebant Primicerii Ecclesiæ Mediolanensis, de quibus in Chronico Landulphi Senioris *cap.*3. Rer. Italic. *tom.*

tom.4. pag.65. Receptum enim narrat idem Author jam inde à S. Ambrosio Episcopo, ut Primicerius in Ecclesiâ Mediolanensi constitueretur, *qui quasi Coepiscopus, circa omnes in crimine laborantes potestatem haberet, ut, quod Episcopus implere per se non posset, Coepiscopus, qui Primicerius vocabatur, circa illos implere curiosè studeret.* Florebat Landulphus sæculo Christi 11. ejusque testimonio intelligimus, Primicerii hujus munus non multùm à Generali Vicario nostræ ætatis ablusisse. Nec ego tamen crediderim, receptam hanc disciplinam ab ipso S. Ambrosio authore, quamquam & vetustissimam esse ultrò concedam.

Sed nec unus tantùm erat in Ecclesiâ Mediolanensi Primicerius; apparet enim, tum ex ipsius Landulphi testimonio, cum ex aliis vetustis monumentis, plures fuisse alios in inferioribus Clericorum gradibus. *Primicerius Lectorum* legitur in Opusc. de situ Civitatis Mediolani, sæculo 10. vel fortè etiam 9. scripto, Rer. Italic. *tom.1. part.2. pag.219.* Chartæ Valperti Archiepiscopi Mediolanensis sub ann.963. subscribit *Arnaldus Primicerius Subdiaconorum, & Lanfrancus Subdiaconus, primicerius Notariorum. Primicerius Decumanorum*, legitur in instrumento Ariberti Mediolanensis Archiepiscopi ann.1034.

Ultra Primicerios occurrit etiam, rarò tamen, in vetustis monumentis nomen Archiprimicerii, quod potissimùm usurpatum legas in Chartâ Anselmi Archiepiscopi Neapolitani, datâ ann.1213. apud Ughell. *tom.6. col. 105. nov. Edit.* Post Archipresbyterum enim & Archidiaconum, subscriptus ibi legitur *Dauferius Archiprimicerius Ecclesiæ Neapolitanæ.*

Cum in hoc uno eodemque capite agat Thomassinus de Sacellariis, Mansionariis, aliisque minorum Clericorum officiis, accipe nunc pauca, quæ congestis ab illo addenda succurrunt. Sacellarii nomen aliud planè, quàm Æditunm designare, tum allata ab Authore argumenta, tum etiam hoc non obscurum planè demonstrat. Narrat Author hist. Miscellæ, *lib.23.* Rer. Italic. *tom.1. par.1. pag.167.* missum ab Irene Imperatrice in Longobardiam adversùs Carolum Magnum *Joannem Sacellarium & Logothetam*; & infra *pag.171.* meminit *Leonis Patricii Eunuchi, & Sacellarii Synopeos.* Quis, rogo, credat viros sæculares, Eunuchos, & belli Duces, Ædituì munus egisse? Quæ hìc num.15. habet Thomassinus de Mansionariis, vera sunt, si disciplinam medii ævi spectes; nam post annum Christi millesimum, hæc de illis narrat Cardinalis Aragonius, seu alius quicumque scriptor Actorum Pontificum Romanorum, cujus opus in suâ Collectione Cardinalis Aragonius inseruit. Rer. Italic. *tom.3. pag.313. Hic* (Gregorius VII.) *liberavit ab illicitâ occupatione sexaginta Mansionariorum B. Petri Ecclesiam, qui in universa Oratoria, seu Ministeria ipsius Ecclesiæ præter majus Altare quadam violentiâ detinebantur. Erant Cives Romani uxorati, seu concubinarii, barbâ rasi & mythrati, mentientes oratoribus, & præcipuè multitudini rusticanæ Lombardorum, asserentes se Cardinales Presbyteros esse &c.* Erant ergo viri sæculares, qui vel singulari aliquo privilegio, vel usurpatione quadam, insignia sibi Cardinalitia vindicaverant.

Ad Cap.104. Sæpè mecum ipse reputavi, ecquid fuerit in causâ, cur Clerici ex inferioribus Clericatûs muneribus ad superiora, uti ex Lectoribus ad Acolytos, Subdiaconos, &c. transgressi, inferiorum, per quos transierant, graduum titulum nullum retinerent; nemo enim unquam se Acolytum, & Subdiaconum, Lectorem & Acolytum inscripsit; cum interim ex Notario Subdiaconus, vel etiam Diaconus ordinatus, pristinum tamen Notarii nomen retineret. Hanc ejus rei causam commentus sum. Cùm infima Clericorum munia minorem exigerent peritiam, plures suppetere poterant, à quibus commodè præstarentur. Quare ad superiores gradus evecti, inferiora, quibus anteà fungebantur, officia in humeros inferiorum Clericorum demittebant. Non ita planè à Notariis factum. Quòd enim gererent munus arduum nec omnibus pronum; ideo ad superiora evecti, cogebantur tamen & pristinum Notarii officium retinere; quare legitur non semel: *Diaconus & Notarius, Subdiaconus & Notarius &c.*

Ad num.13. addidisse juvat, in Ecclesiâ Ravennatensi obtinuisse, ut Presbyteri ad Officia Divina per Notarium, innuente Archiepiscopo, invitarentur. *Misit Pontifex* (Theodorus, qui sæculo septimo florebat) *Notarium, juxta consuetudinem, ut vocaret Sacerdotes.* Agnellus in Pontifical. *part.2. pag.152.* Rer. Italic. *tom.2. part.1.*

Ad Cap.105. num.4. Nisi Authoris nostri verba male hìc interpretor, Scriniarios cum Notariis confudisse visus est; sed utrumque illud munus reapse distinguendum apertissimè demonstrat Diploma quoddam confirmationis bonorum Abbatiæ Farfensis in Sabinis, scriptum à *Benedicto Regionario, Notario & Scriniario S. R. E.* Rer. Italic. *tom.2. part.2. col.558.* Extat etiam apud Ughell. in Beneventanis *tom 8. col.72. nov. Edit.* Gregorii V. diploma datum ann.998. scriptum per manum *Antonii Notarii Scriniarii S. R. & A. E. &c.* Unicum hoc credo documentum superesse Pontificiæ Bullæ ejus ætatis, quam nec Diaconus nec Cardinalis scripserit. Sed hæc parerga. Scriniarii ego nomine idem significari arbitror, ac apud nos Archivii Præfectum; quod sanè munus non quidem multùm, sed aliquantò tamen, à Notario discrepat.

Ad num.2. ejusdem capitis animadvertas velim, Archicancellarii titulum pluribus interdum ad honorem concessum reperiri. Ita in Aulâ Caroli Magni suus erat Archicancellarius, cum interim ipse Carolus post ann.778. hoc privilegium Cassinensi Abbati contulisset, ut tradit Anonymus in Epit. Chronic. Cassinens. Rer. Italic. *tom.2. part.2. pag.365. ut Cassinensis Cœnobii Archimandrita, Romani Imperii Archicancellarius, & Magister Capellanus, & Princeps pacis (per ipsum enim transire habebat, si quis rebellans Principum, Imperatori reconciliaretur) in perpetuum esset.*

Ad num.13. Fallitur profectò vir doctus, asserens nullum fuisse in Ecclesiis aliis Bibliothecarium, unâ exceptâ Romanâ & Constantinopolitanâ: vel uno hoc, quod subjicimus, exemplo, discat se, quamvis sine controversiâ eruditissimum, non omnia tamen habuisse explorata. Recitat Ughell. *tom.8. col.74.* in Beneventanis diploma quoddam Alphani III. qui cathedram illam tenebat ann.1012. illud autem datum legitur *à Magnifico Pocone Diacono & Bibliothecario nostro* [Beneventano]. Habebat ergo etiam Beneventana Ecclesia suos Bibliothecarios, quod in tantâ Bibliothecariorum penuriâ, quantam Thomassinus observat, decus est insignis illius Ecclesiæ non exiguum. Neque in transcursu desinam hìc adnotare, in eo diplomate mentionem occurrere unius panis *bucellata*, quam vocem modò Lucenses nostri retinent, designantes genus quoddam panis saccaro & quibusdam admixtis suavibus liquoribus confecti, qui amplioris coronæ similem figuram refert.

Ad Cap.106. num.3. Archicancellariorum munus quin gestum fuerit ab Episcopis, ex iis quæ congerit Thomassinus, nemo prudens dubitaverit. Sed admiratione pariter & animadversione dignum est, minorum etiam Cancellariorum munus in Aulâ Principum ab Episcopis gestum fuisse; quemadmodum ex chartâ præcepti Berengarii Imperatoris, pro libertate Monasterii Casauriensis, scriptâ ann.917.

intelligimus; subscribit enim huic instrumento *Joannes Episcopus & Cancellarius, ad vicem Ardingii Episcopi & Archicancellarii*. Relatum est hoc documentum in Chronico Casauriensi, Rer. Italic. *tom.2. part.2. col.824.*

Ad num.12. notat, Episcopos in Diplomatibus Pontificiis subscripsisse ut Bibliothecarios tantùm, non ut Cancellarios; cum interim Diaconi & tamquam Bibliothecarii & Cancellarii diplomatibus illis nomen suum subjecissent. Non desunt tamen documenta, quibus Diaconi Cardinales, nullum præseferentes Cancellarii titulum, sed solùm Bibliothecarii munere fungentes, subscripserint. Ita privilegium Callisti II. pro Monachis Casauriensibus, *ibid. col.882.* legitur datum *Laterani per manus Grisogoni S. R. E. Diaconi Cardinalis Bibliothecarii.* Diploma Paschalis II. apud Ughell. in Laudensibus *tom.4. col.658.* munitum est nomine *Joannis S. R. E. Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarii.*

Ad num.15. Bibliothecarii in Ecclesiâ Romanâ munus ab Episcopis gestum pluribus ante Stephanum VI. annis, probant invictissimè Acta quædam disceptationis coram Legatis Ludovici Pii Imperatoris, inter Gregorium IV. Romanum Pontificem, & Ingoaldum Abbatem Farsensem an.829. Legimus enim ibi: *Leo Episcopus & Bibliothecarius S. R. E.* Rer. Ital. *tom.2. part.2. col.375.*

Ad Cap.107. num.16. Non apud Pontificem tantùm, sed & apud Orientis Imperatores, suos interdum missitabat Apocrisiarios Ravennas Archiepiscopus. Legimus in Diplomate Paschalis I. dato anno 819. directum à Damiano Archiepiscopo Ravennatensi ad Leonem Imperatorem Constantinopolitanum, *Epiphanium quendam religiosum, Notarium, & Sermarium, & Apocrisiarium.* Ubi vides munus illud Apocrisiarii, ita à Diaconis præstari consuevisse, ut interdum etiam ab aliis inferiorum Ordinum Clericis, ut hìc ab Epiphanio, gereretur.

Erant etiam Neapolitanis Episcopis sui quandoque Apocrisiarii, quemadmodum inter cætera de Athanasio Archiepiscopo Neapolitano legimus apud Anonymum Salernitanum ad ann.884. Chronic. *cap.*132. Rer. Italic. *tom.2. par.2. col.271. His diebus Athanasius Præsul Neapolitanus, missis Apocrisariis in Siciliam Agarenis ad radicem montis Vesuvii residentibus &c.* Legitur etiam in vita S. Athanasii senioris, qui ann.872. vitæ cursum absolvit, missum ab eodem Præsule Apocrisarium ad Ludovicum II. Imperatorem. Rer. Italic. *tom.2. part.2. col.1045.*

Ad Cap.110. num.8. Repetenda sunt in præsenti ea, quæ supra, de privilegiis à Carolo Magno Abbati Cassinensi concessis, ann.778. ex Anastasio, vel alio Anonymo in Epitome Chronicorum Cassinensium, attigimus. Is ergo Abbas, facto sibi ab eodem Rege privilegio, *Magister Capellanus* renunciatus est; tum & datum illi, ut in omni conventu Episcoporum & Archiepiscoporum, & superiorem omnibus sui ordinis sedem habens, primus sententiam proferret.

Ad num.7. Non solis Angliæ Regibus, sed & aliis etiam Regibus & Imperatoribus, è stirpe Caroli Magni prognatis, suos fuisse Archicapellanos asserit Thomassinus. Quid, si etiam alienos ab eo genere Reges Archicapellanos vel Episcopos in Aulâ suâ habuisse demonstravero? S. Dunstanus, qui sæculo decimo florebat, ad Aulam Regis Angliæ Eadgari vocatus, *omnium electione ordinatus ad Episcopum*, ait author coævus in ejus vitâ cap.5. *eatenus maximè, quò Regali præsentia, propter provida prudentiarum suarum consilia, jugiter adesset.* Acta SS. ad diem 19. Maji.

Sui pariter erant Archicapellani in Aulâ summorum Antistitum. Ejus rei unicum proferimus, ex Aulâ Mediolanensium Episcoporum, exemplum. Landulphus junior de se ipso narrat, Hist. Mediolan. *cap.35.* Rer. Italic. *tom.5. pag.509.* selectum se fuisse ab Anselmo, cum primùm cathedram illam ascenderet, anno scilicet 1126. *ut præesset suis Capellanis.*

Ad Cap.112. num.6. Dignum etiam animadversione censeo, non Regum tantùm & Magnatum, sed Abbatum Regularium Capellanos in vetustis historiis occurrere. In vitâ venerabilis Petri Cavensis Abbatis, ab Authore coævo scriptâ, & in *tom.6.* Rer. Italic. *col.218.* vulgatâ, hæc legas. *Quia longum est cuncta stylo percurrere, cùm in Claustro Cluniacensi quinquennium, atque in Capellâ Abbatis triennium complevisset, &c.* Et infrà, *col.226. Joannes Diaconus ejus Capellanus*, (nempe ejusdem Petri Abbatis) *hujusmodi visionem vidit &c.* Florebat Sanctus Petrus anno 1123. Pariter in vitâ S. Petri Prioris Juliacensis in Campaniâ Gallicâ, qui in vivis agebat ann.1036. nomen occurrit *Vinnutii Capellani* ejusdem B. Petri. Acta SS. *tom.4. Junii pag.603.*

Ad Cap.113. num.4. Pandulphi Pisani de electione Gelasii II. in Pontificem verba, alium planè referre sensum credo ac Thomassino probetur. Autumat enim ille Episcopos Cardinales nullum aliud obtinuisse in electione Pontificis jus, quàm ut electum approbarent, & manuum impositione consecrarent. Verùm hæc de Cardinalibus Episcopis minùs vera esse, neque à Pandulpho id dictum unquam suspicor. His ergo Pandulphi verbis nihil aliud designabatur, ut credo, quàm quòd Archiepiscopi & Episcopi plures, qui, juxta ejusdem Pandulphi testimonium, ad eligendum Pontificem convenerant, nec tamen è Cardinalium Episcoporum numero habebantur, nullam aliam in tali electione haberent authoritatem, quàm ut electionem ab Episcopis, Cardinalibus, cæterisque ad quos spectabat, ritè factam adprobarent. De his Episcopis sermonem pariter credo esse in decreto electionis Gregorii VII. à Paulo Bernriedensi in ejus Pontificis vitâ *cap.27.* relato. *Nos S. R. Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Cardinales Clerici, Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, præsentibus Venerabilibus Episcopis, Abbatibus, Clericis, & Monachis consentientibus, eligimus nobis, &c.* Qui, rogo, sunt Episcopi, qui electioni à Cardinalibus factæ assensum præbent, nisi Episcopi illi, qui extra Cardinalium Episcoporum numerum, Romæ fortè eâ occasione præsentes aderant? Certum est enim alioqui & indubitatum, Cardinales Episcopos in electionem Romani Pontificis, sicut & Cardinales cæteros, suffragio suo convenisse; quod ultra testimonium S. Petri Damiani, hìc apud Thomassinum *num.2.* relatum, convincit pariter authoritas ejusdem Pandulphi Pisani, ita loquentes inducentis ad Paschalem II. in ipsâ sui electione Patres, Cardinales, & Episcopos, & Diaconos: *Ecce te in Pastorem nos divinitus hìc congregati in nomine Domini eligimus & confirmamus.* Idem pariter demonstrat decretum electionis Gregorii X. relatum à Campio in historiâ Ecclesiasticâ Placentinâ *tom.2. in Regest.* ad ann.1271.

Ad ea quæ Thomassinus congerit ad *num.6.* hæc ego arbitror addenda, quamvis alioqui ad Cardinalium purpuram non pertineant. Circa finem sæculi tertiidecimi eò provexerant Cardinales gradûs sui prærogativam, ut cadere se dignitate arbitrarentur, si Episcopatûs infulas admitterent. Ita colligo ex Jacobo de Varagine, qui in historiâ suâ Januensi, nunc primùm Rer. Italic. *tom.9.* excusâ, postquam narravit Syrum quendam Cardinalem in Episcopum Januensem ab Innocentio II. renunciatum fuisse, addit: *Nec alicui incredibile videatur, quòd aliquis Cardinalis sit factus Episcopus Januæ, quia legimus, plures alibi similiter factum fuisse; etenim Cardinales eo tempore non erant in tanto culmine, sicut modò cernuntur, sed qui-*

libet

libet Episcopus praferebatur cuilibet Presbytero, vel Diacono Cardinali. Cur Jacobus Lectorum admirationem præoccupandam censet, nisi quòd ætate suâ planè novum esset & insuetum, ut Cardinalis in Episcopum se eligi consentiret? Porrò Jacobus in Archiepiscopum Jauensem assumptus est ano.1292.

Faciunt in rem præsentem ea quæ legimus in vitâ Bartholomæi de Martyribus, Braccharensis Archiepiscopi, Gallicè excusâ Parisiis 1664. Dignitatis suæ prærogativam eo in culmine constituerant Cardinales, ut cum ipsi coram Pontifice de re aliquâ deliberatum venirent, si fortè Episcopos ad eam rem aliquos adesse contingeret, sedere coram se non paterentur; sed assidentibus Cardinalibus, stabant Episcopi. Irrogatam dignitati Episcopali injuriam iniquiùs ferens Archiepiscopus, qua apud Pontificem Pium IV. valebat gratiâ, tum & doctrinâ, ac eloquentiâ singulari obtinuit, ut veteri consuetudine abolitâ, sedendi inter cæteros Cardinales prærogativa Episcopis restitueretur, *lib.2. cap.22.*

Ad Cap.114. num.6. §. *Finem.* Non inania suspicatus crediderim, hanc Fuldensis Abbatis proximè ad Moguntinum Archiepiscopum supra cæteros omnes Episcopos sedendi prærogativam inde repetendam fuisse, quòd, cùm ex Fuldensibus, alternis vicibus, Archiepiscopi ad Ecclesiam Moguntinam assumerentur, fieret inde, ut Episcopi è Fuldensibus assumpti, fratribus suis eo sessionis honore gratificarentur. Lege vitam S. Bonifacii Martyris, tum & S. Bardonii ad diem 10. Junii.

Ad Cap.116. num.6. Quamvis posterioribus sæculis rarissimè occurrat, ut Subdiaconi Cardinalium titulo decorentur, occurrit tamen quandoque sæculis etiam multò, quàm quæ à Thomassino afferuntur, recentioribus. Abbas Constantinus Cajetanus in Gelasianis suis, diploma laudat Innocentii II. ad Balduinum Pisanum Archiepiscopum, datum ann. 1138. cui inter plures Subdiaconos, nullo peculiari titulo insignitos, duo pariter subscribunt Subdiaconi & Cardinales: *Gerardus S. Palatii Cardinalis Subdiaconus; Presbyter S. Palatii Subdiaconus.*

AD

AD LIBRUM TERTIUM

ANIMADVERSIONES.

LIB.3. Cap.2. numer.2. Nullas fuisse Congregationes Clericorum, Monachorum, & Virginum sacrarum, grassante persecutione, & asserit Thomassinus, & ego quidem huc usque firmâ persuasione tenebam. Sed vetus præjudicium exuere nos cogit vita, nunc primùm publici juris facta è Vaticano Mſ. S. Feboniæ Virginis & Martyris, quæ sub Diocletiano Sibapoli, seu Nisibi in Mesopotamiâ, certavit. Discimus enim ex ejus lectione, constituta tunc temporis, sub Diocletiano nempe, Asceteria puellarum, sicut & virorum cœnobia; neque in desertis tantùm locisque ab hominum cognitione remotia, sed in mediâ urbium frequentiâ: *Erat ibi Monasterium fœminarum circiter quinquaginta, inibi sese exercentium, quibus praerat quædam, nomine Bryene, discipula olim cujusdam Platonidis, ante ipsam functa Diaconatûs officio, cujus regulam & traditiones usque ad illud tempus præclarè servabant*. Nec destitutas fuisse sanctimoniales illas habitu quodam religioso, ex eo apertissimè convincitur, quòd *cap.3. num.20.* referatur Thomais (Sanctimonialis erat S. Feboniæ Magistra) *assumpto sæculari habitu*, processisse ad spectaculum martyrii. Nova sunt hæc, fateor, & suspicionia plenissima; sed Acta illa, tum Authoris in scribendo ingenuus quidam candor & simplicitas, tum judicium Cll. Bollandistarum, ad diem 25. Junii abundè ab omni suppositionis crimine vindicant, & absolvunt.

Ad Cap.3. num.14. Quam ex Socrate narrat Thomassinus S. Athanasii historiam, plures ex doctissimis Criticorum inter fabellas, vel saltem dubias, rejiciunt; ejus tamen veritatem defendit Cl. Pagius in Critica Baronii ad ann 311. quare non est, cur fides detrahatur argumento Thomassini, ex eadem narratione deducto.

Ad Cap.7. num.7. §. *Rursum*. Hæc Ignatii verba ex interpolatâ ejus Epistolâ deprompta sunt; nihil enim tale in genuinâ ad Trallianos legitur. Sed eandem vim habet hæc sententia ex genuino deducta: *Qui sine Episcopo & Presbytero & Diaconis quidpiam agit, is non est mundus in conscientiâ*. Jubet enim vir Sanctus nihil agi inconsulto Episcopo, ejusque consilio. Ita pariter, quam laudat Author hìc num.14. Epistola Ignatii ad Antiochenos non interpolata tantùm est, sed & prorsus conficta, utì viris doctissimis compertum est.

Ad cap.8. num.5. In sæpiùs laudatâ Felicis IV. ad Ravennates Constitutione, apud Agnellum in Pontificali, Rer. Italic. *tom.2 part.1. pag.95.* hoc idem injungitur de Clericis, quibus prædia urbana vel rusticana concessa sunt; ita tamen, ut si quid ad honestam eorum sustentationem ex eorum proventibus super esset, Ecclesiæ refunderent. *Si qui verò de Clero prædia urbana vel rustica ad Ecclesiam pertinentia detinet, eisdem libellis sub justâ pensionis æstimatione factis, statuimus collocanda, hac ratione, quod in quo modis suis soleat accipere, ipsi retineant; quod superest, Ecclesiasticis inferant compendiis profuturum*.

Exciderant nonnulla, quæ ex eadem constitutione Felicis IV. suppetunt ad illustranda ea quæ Thomassinus hìc num.2. §. *Certè nec Decanos &c.* constituit. In eâ enim Decanorum nomen inter minores Clericos Ecclesiæ Ravennatensis occurrit; quo censet post Duchangium Bacchinius, ibidem Clericos designari, quorum munus esset, Sacerdotes ad accipiendas sportulas advocare nominatim. Nec tamen propterea magnopere falli Thomassinus censendus est, asserens nullos eâ ætate fuisse in Capitulis Decanos, constitutos. Decanorum enim nomen tunc non summæ in Capitulo dignitatis erat titulus, sed officii, quod à minoris Cleri ordinibus præstaretur; apud Thomassinum verò sermo est de Decanis, summas in Capitulo dignitates implentibus. Animadvertisse etiam juvat, ad supplendum Thomassinum hìc num.11. in eâdem Constitutione valdè infrequentem apparere Clericorum Ravennatensium numerum; cùm novem tantummodò adnumerentur Presbyteri, undecim Diaconi, quinque Subdiaconi, undecim Acolyti, duodecim Lectores, & rarior etiam cæterorum Clericorum turba.

Ex eâdem Agnelli Pontificali historiâ intelligimus, obtinuisse pariter in Ecclesiâ Ravennatensi disciplinam illam, quàm ex Concilio Arverno adstruit Thomassinus hìc num.3. *ut præcipuas anni solemnitates nonnisi cum Episcopo agat*. Ravennatensis Ecclesiæ Clerus à S. Theodoro ejus Ecclesiæ Episcopo, circa ann 677. desciscens, cum ab Episcopo de more ad agenda secum Missarum solemnia die Natalis Domini invitaretur, recusarunt omnes, secedentesque in Ecclesiam S. Apollinaris, ita sese continuerunt, ut nemo tamen ibi solemne ejus diei officium celebrare auderet, sed effusi omnes in lacrymas rogabant S. Apollinarem, ut, quandoquidem Pastore, qui Missam caneret, destituebantur, ipse cœlitùs delapsus sacro munere fungi dignaretur. Rer. Ital. tom.2. part.2. pag.152.

Ad Cap.9. nom.9. &c. Ad illustrandam Italicam disciplinam operę pretium est animadvertisse, plures, quæ per Italiam spectabantur, Canonicorum communis vitæ institutum sectantes Congregationes, Concilio Aquisgranensi vetustiores non esse, nec altiùs, quantùm arbitror, quàm à regulâ in eo Concilio præscriptâ, repetendas. Nec me fugit, gentiles meos Lucenses ex veteri receptum traditione tenere, institutam fuisse Lucæ Congregationem Canonicorum S. Frigidiani jam inde ab ipso S. Frigidiano authore, qui paulò post initium sæculi sexti Lucensem Cathedram tenebat.

Sed

Sed ut Patriæ meæ decora mihi unicè cordi fuerint, nunquam tamen committam, ut veritas in animadversionibus hisce meis dispendium patiatur. Vetus est hæc traditio, nec tamen vera, utpote nullo fulta satis veteri documento Sed si fides hujus traditionis nutat, nihilò certè firmior est alterius per Italiam Ecclesiæ traditio, si quæ fuerit, quæ altiorem Congregationibus Clericorum suis vetustatem attribuat. Lege, si placet, Ughellium, apud quem nullam invenies vetustiorem Congregationem, quàm post ann. 830. nempe Concilio Aquisgranensi recentiorem. Ad publica documenta quod spectat, hanc disciplinam in Concilio Ticinensi ann. 876. canon. 10. constitutam legimus. *Ut Episcopi in Civitatibus suis proximum Ecclesiæ claustrum instituant, in quo ipsi cum Clero, secundùm Canonicam regulam, Deo militent*. Rer. Italic. *to.2. par.2. col.153.*

Ad Cap.10. num.3. Quamquam in pluribus Ecclesiis post annum Christi millesimum ea dudum disciplina invaluerat, ut suffragii jure in Capitulis nonnisi Sacerdotes, Diaconi, ac tandem Subdiaconi potirentur; in aliis tamen alia diu stetit disciplina; cujus rei plura suppetunt argumenta in vetustissimis Italiæ documentis. Unum seligam præ cæteris, quod recentissimum sit, nec minus luculentum. Electiones Episcoporum penes Capitula Ecclesiæ Cathedralis in Italiâ diutius manserunt. Quare quicumque in Capitulo jure suffragii uteretur, illius erat pariter electioni Episcoporum, à Capitularibus factæ, subscribere. Porrò in electione Jacobi de Pignaculo in Episcopum Placentinum factâ ann.1258. cujus decretum refert Campi in historiâ Placentinâ, subscribit *Gulielmus de S. Laurentio, Exorcista & Canonicus*. Historiæ Placentinæ *tom.2. pag.*404.

Ad Cap.10. num.3. Hæc Clericalium Congregationum distinctio nullibi luculentius in Italiâ apparuit, quàm in nostrâ Lucensi Ecclesiâ. Geminæ ibi florebant Clericorum Congregationes; alia nempe, quæ ex Cathedralis Ecclesiæ Canonicis collecta erat; alia verò, quæ Canonicorum S. Frigidiani, ex Templo, cujus servitiis erant addicti, appellabatur. Porrò S. Frigidiani Canonici paupertatis voto obstricti, Monachorum ritus sectabantur, uti ex Diplomate Paschalis II. apud Pennottum constat. Qui verò in Cathedrali collectus erat Clericorum cœtus, ita commune vitæ institutum servabant, ut simul beneficia & præbendas Ecclesiasticas privatim singuli possiderent; eâ tamen lege, ut si fortè ad aliam illos Ecclesiam transferri, vel vitâ cedere contingeret, beneficia illa & præbendæ in universæ Congregationis commodum cederent. Juvat in eam rem ex schedis meis Epistolam quandam Paschalis II. ad Ringerium Episcopum Lucensem producere.

P. Episcopus, servus servorum Dei, Venerabilibus Fratribus, & Coepiscopo, & Canonicis Lucanæ Ecclesiæ, salutem, & Apostolicam benedictionem. Sanctæ in Christo memoriæ Leonem [IX.] *Apostolicæ Sedis Episcopum decrevisse audivimus, ut si quis de vestris Ecclesiæ Canonicis in communitate viventibus Ecclesiâ excessisset, omnia* (ejus) *Ecclesiastica bona in usum Fratrum communiter viventium conferrentur. Quod in aliis etiam Ecclesiis à Romanis Pontificibus statutum agnoscimus. Unde miramur, quod, Confratre vestro Ildebrando in Rosellanam Ecclesiam translato, prabenda ei & totum Ecclesię beneficium, quod tenuerat, in privatos usus cesserit*, & Apostolicæ Sedis authoritate contemptâ, *canonicè degentium Fratrum communio tanto augmento fraudata sit. Te præsertim, carissime frater, R. delictum hoc imponitur, qui Apostolicę sedis Decreta irrefragabiliter custodire, & subditos Clericos ad hujus vitæ bonum .... in unos debueras invitare. Pręcipimus ergo, ut omne illud Ildeprandi, nunc Rosellani Episcopi, beneficium in communia redigatur. Qui verò obedire contempserint, Apostolicę Sedis judicio puniantur. Dat. Later. 11. Id. Octobris.*

Possidebant ergo privatim singuli è cœtu Canonici beneficia, ita tamen ut Ecclesiasticos eorum proventus in communem omnium usum conferre juberentur. De domesticis singulorum facultatibus, nihil tale sancitum erat. En interim è Ms. Codice Bibliothecæ Cathedralis Lucanæ voti, quo se Canonici obstringebant, exemplar. *Ego promitto stabilitatem in hoc loco, ad obedientiam Dei & B. Martini, & Episcopi R. qui nunc est, & eorum qui canonicè successuri sunt; & promitto, bona Ecclesię, & quę per officium Ecclesiasticum acquisiero, in communi sine fraude habere, & Pręposito obedire Canonicè ordinato. Hoc fecerunt in S. Donato Martinus Presbyter, & Henricus, & Mascardus.* Probant hæc apertissimè insignis Ecclesiæ nostræ disciplinam, quam ad aliarum per Italiam Ecclesiarum normam expressam fuisse non ambigo.

Superest modò ut expendamus, num Canonici illi, in cœtum collecti, ita genus quoddam Monasticæ professionis sectati fuerint, ut simul etiam clausuram, quam vocant, monasticam, omni præcluso fœminis aditu in sua claustra, servarent. Nihil eâ de re promit Thomassinus, fortè quòd documentis destitueretur: nobis unum suppetit ex insigni eâdem Bibliothecâ, quæ nobis quondam singulari viri humanissimi beneficio patuit. En igitur ex eâdem Bibliothecâ decretum, quo cavetur, ne muliebre cadaver ullum in sepulchra intra claustrum inferatur; unde faciliùs conjectura ducitur, viventibus fœminis nefas fuisse pedem in sacra loca inferre, quæ ne tangere quidem defuncta illarum cadavera permittebantur. *Breve recordationis qualiter actum est intus Claustro Sancti Martini, in presentiâ honor. horum quorum nomina inferiùs apparebunt. Magister Ung. urci & p. Tolomeum Custos, & Mag. Hermannum Primicerium. Magi precibus interveniebus .... & .... promissionibus Cenami .... Canonicorum, de consensu & voluntate sociorum suorum .... concesserunt suprascripto Cenamio, & permiserunt sepelire uxorem suam intus in sepultura sua, quam habet in Claustro Sancti Martini & suo speciali amore erga eorum ..... receperunt tali modo, ut nunquam aliqua alia fæmina ipsum sset Dominum possit & debeat ibi sepelire, & p Gesan. p Lambertus Thomus Diaconus Lambertus Bulgarin. Subdiaconi. Ann.1195. Kal. Julii.*

E' Canonicis S. Frigdiani coloniæ per universam Italiam celebres deductæ sunt, cum Clericos ad Congregationum suarum mores reformandos Episcoporum quisque ex illâ advocarent. Lege eâ de re Pennottum in Historiâ Canonicorum Regularium.

Juvat hîc pariter coronidis loco duo quædam addidisse, ad Italicam disciplinam spectantia. In Constitutionibus D. Cœlestini Presbyteri Cardinalis Legati in Lombardiam, editis circa ann.1287. hæc in rem præsentem decernuntur. *De vitâ & honestate Clericorum statuimus, ut in omnibus Conventualibus Ecclesiis, nisi magnâ necessitate coacti, ab Episcopo approbatâ, hoc non possint, vivant Clerici in communi. Alioquin tertia pars redditaum sequestretur ad minus, dividenda singulis diebus inter eos tantùm, qui interfuerunt Divinis Officiis, & pro hospitibus recipiendis & eleemosynis largiendis*. Rer. Italic. *tom.8. col.*1066.

Quæ de Congregatione Canonicorum S. Euphemię in Insulâ Comensi à Litigerio Episcopo constitutâ ann.1032. ex institutionis diplomate apud Ughel-

lium *tom.5. col.286.* legimus, singularia sunt adeò, ut ea non recitasse pigeret. Jussit Episcopus, Canonicos ejus Ecclesiæ in unum Religiosum cœtum coalescere. Sed cùm novum illud Clericorum Monasterium minùs congruis instructum esse proventibus animadverteret, coire tantùm coegit *duabus quadragesimis in anno*; & si quidem sumptus ad eos alendos suppeterent, *si fieri posset, Dominicis ac Festis diebus*.

Ad Cap.12. num.1. Si Actorum S. Febroniæ veritas constet, Monachorum institutum, alicubi saltem, altiorem habuit originem, quàm ut à S. Antonio repeteretur. Vix enim ambigimus, quin Monachi illi, quorum greges urbem Nisibim in Mesopotamiâ frequentasse ex Actis illis discimus, ab alio & vetustiori, quàm à S. Antonio, authore repetendi sint. Furente Diocletiani persecutione, Monachi illi in eremo primùm, ut facilè credimus, instituti, ad urbes transierant, cùm S. Antonii institutum vix per ea tempora in eremo inciperet. Vivere enim desiit vir sanctus sub medium illius sæculi, cujus exordia Diocletiani persecutio funestavit. Scio quidem, hoc uno argumento fidem ejusdem scripti in dubium revocari posse, utpote quia refragatores habet S. Hieronymum, cæterosque Patres, vitæ Monasticæ exordia Paulo & Antonio referentes. Sed fortè in concordiam hæc Patrum testimonia cum Actis S. Febroniæ revocari possunt, si statuamus Monachos illos, de quibus in Actis, in solâ Mesopotamiâ ità constitisse, ut nullos deinde haberent Instituti sui successores, cùm interim Antonii Sectatores longè latèque per orbem propagati, sectam illam invexerint, quæ parem cum orbe exitum subitura est.

Iis, quæ hìc Thomassinus ad num.14. adversùs Monasticam S. Gregorii Nazianzeni Vitam comminiscitur, vereor ne aliquid dubitationis affundat illud quod de se ipso canit Gregorius in Anecdot. Cl. Muratorii tom.5. Carmine 51. in Epitaphio Eupraxii Pontificis.

Hujus sacra Provincia Eupraxium Pontificem
Magna tellus Arianzea complector,
Gregorii amicum, ætate parem ac Synoditam:
Propterea tumulum etiam vicinum consecutus est.

Synoditæ nomen non alium quàm Monachum designare, Muratorius in Notis ad eundem locum animadvertit.

Ad Cap.13. num.14. Quinto sæculo vel citiùs, Monasteria in urbibus construi cœperunt. Narrat enim genuinus Author vitæ S. Hyppatii, quam legas ad diem 17. Junii, apud Bollandistas *pag.311.* in Urbe Constantinopoli sancti Viri ætate (obiit ann. 443.) Monasterium quoddam à magno Isaacio constructum spectari, *cui*, ait, *successit S. Dalmatius;* qui nempe Viri Sancti ambo Sacerdotium cum Monasticâ vitâ conjunxerant. Quare circa finem sæculi quarti cœperant tam Monachorum greges urbes frequentare. Porrò S. Hyppatius Monachum profitebatur, simulque Sacerdotii munere fungebatur in Thraciâ.

Ad Cap.17. num.8. Illustri pariter ex Italiâ exemplo, quanquam ad sæculum 11. pertinente, intelligimus, quàm fuerint veteris canonicæ disciplinæ erga sontes in Pœnitentiæ sacramento Itali Monachorum sanctissimi observantiores. Guido Pomposiani Cœnobii in Ferrariensi agro Abbas, cum Bonifacium Tusciæ insignem Regulum in Confessione exciperet, ad expiationem criminum suorum coegit publicam flagellationem ante Aram Dei Genitricis subire, tum & ad peregrinationem in loca sancta voto se intrà annum solvendo obstringere. Nonne hæc veteris disciplinę rigorem præseferunt?

Nunc verò aliqua promamus, quæ ad constitutam à S. Bonifacio Germaniæ Apostolo disciplinam, de qua Thomassinus hìc num.17. pertinent. Observat ille, invectum à Viro illo sancto morem, ut in omnibus Bojariæ Ecclesiis alternis vicibus è Monachis Episcopi assumerentur. Idem in reverentiam ejusdem Viri sancti concessum à Regibus Germaniæ fuisse pro Archiepiscopatu Moguntino, testatur Author genuinus vitæ S. Brandonii Archiepiscopi Moguntini apud Bolland. *ad diem 10. Junii pag.302.* Tradit ille, veterum Regum privilegio constitutum fuisse, ut alteruis vicibus Monachus è Fuldâ aliquis in Antistitem Moguntinum eligeretur. Cujus rei memoriam, quòd fortè Monachi in abdicandis dignitatibus, quàm in procurandis, essent studiosiores, penè jam extinctam, ex Electoribus aliquis, cum de præficiendo Episcopo Moguntino ageretur, revocavit. Tum, ait idem Author, *consulta privilegia eadem loquebantur, & priorum Regum in hoc consensum testabantur.*

Ad Cap.18. Non possum me temperare, quin aurea Hugonis Archiepiscopi Rotomagensis sæculo 12. de conjunctione Monastici & Clericalis instituti verba, ex Dialogi ipsius *lib.6.* in Anecdot. *tom.5. col.971.* transcribam: *Scias, quia nemo fit Monachus, nisi ante fuerit Clericus. Cum enim quis suscipitur ad Monachatum, si Laicus est, benedictione Catholicâ primò sacratur in Clericum. Non potest sanè fieri Monachus, nisi fuerit ante Dominum secutus. Fit itaque Clericus, non ut ibi tantùm remaneat, sed ut eo gradu ad altiora transeat. Ut ergo fiat Monachus, primò Apostolicam perfectionem profitetur; quòd videlicet relictis omnibus, & se ipsum abnegans, Christum obediendo sequatur. Datâ verò professione, tum à Patre spirituali ut mundo moriens exuitur, & sacramento novitatis Christi, id est, colobio cum benedictione Christi vestitur; ubi Clericalis ordo non deponitur, sed religione monachicâ cumulatur.* Idem insinuat Author Dialogi inter Cluniacensem, & Cisterciensem, scripti circa medium sæculi 12. totus est enim in probando, Clericarum Monachis ita non deberi ex indulgentiâ, *ut potiùs per indulgentiam negetur.* Anecdot. *tom.5. col.1626.*

Ad Cap.20. num.1. Ad sententiam Authoris firmandam nihil aptius conferri posse censeo, quàm si ea proferantur in medium, quæ Author Dialogi inter Cluniacensem & Cisterciensem, agens adversùs Canonicos Regulares Præmonstratenses, disputat. *Appellantur illi fallaciter & absurdè Regulares Canonici, quia nequaquam Canonici sunt. Illam enim regulam professi non sunt, quæ de Canonibus excerpta, & collecta est,* (nempe Concilii Aquisgranensis) *cujus professores propriè dicuntur Canonici, scilicet Clerici in Matricibus Ecclesiis constituti, quibus licet proprium habere. Unde quoddam Capitulum ejus Regulæ sic incipit. Quamvis Canonicis liceat proprias habere mansiones &c. Qui ordo non erat in Ecclesiâ tempore Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Gregorii, Isidori. Hinc est quòd isti scriptores sancti in omnibus scriptis suis Canonicorum nullam faciunt mentionem. Quia hic ordo primùm cœpit sub Ludovico Pio Imperatore, qui collegit Synodum quandam Episcoporum, in qua Synodo, ipso Imperatore faciente, constituta est Regula Canonicorum: quod scriptor ejusdem Regulæ insinuat, in quibusdam Capitulis dicens: Placuit sacro Conventui &c.* Anecdot. *tom.5. col.1618.*

Ad Cap.23. num.4. Quandoquidem de Monachis Sarabaitis sermo incidit, habeant Eruditi Epistolam quandam Monachorum Lucensium ad Henricum, quem potissimùm, incertum, tertium facilè suspicor.

Henrico Dei gratiâ Imperatori, semper Augusto. I. ca. por. & omnes eidem Congregationis Fratres debitam orationem in Domino.

Me-

Meminimus vestra Majestatis, qua olim nobis legationem mittens, quòd pro eâ Dominum precemur, oravit. Quod nostra fraternitas assiduè egit. Itaque meminisse debet vestra Celsitudo, quod fuit, quod erat, meminisse quod fuisti, aliquando parvus, sed & divinâ dispensante clementiâ factus es magnus. Unde rogamus, ut quanto major es, tanto humilies te in omnibus, ut coram Domino invenias gratiam, ne, quod absit, in te fiat sermo, quod Profetico ore prolatus est, dicens: Dejecisti eos dum allevarentur. Scriptura dicit, quia Dominus esurientes humiles implevit bonis, & superbos divites dimisit inanes. Hinc ad Saul dixit Dominus: Cum esses parvulus in oculis tuis, caput (sic) te constitui in tribubus Israel; ac si apertè diceret, magnus fuisti mihi, quia despectus tibi. Sed nunc quia magnus tibi es, factus es despectus mihi; quod ..... tradidit, cùm Regal sui potentiam coram Archam fœderis Domini despiceret, dixit: Ludam & vilior fiam plusquàm factus sum, & ero humilis in oculis meis. Etenim Nabuchodonosor Rex, quia erectis superbiæ cornibus plusquam hominem esse putavit, more ferino nemorosa prata per septem annos lustravit. David verò, quia se in omnibus humiliavit, prophetiæ secreta rimavit. Unde scito, te esse Sanctæ Ecclesiæ filium, & protectorem, in qua prælatus es, ne, quod absit, ut destruas, sed ut à perversis hominibus ejusque subversoribus omnibus viribus munias; ita duntaxat, ut quos illa convertere suâ prædicatione nequiverit, gladio premas. Igitur notum sit vestræ potentiæ celsitudini, nostrum in finibus Monasterium esse, quod cognomento Sextus vocatur, in quo degunt quidam ex pessimo genere Farabaitarum, qui nullâ regulâ approbatâ experientia Magistrè, sicut aurum fornacis, sunt in plumbi naturâ molliti; adhuc operibus servantes sæculo fidem, mentiri Domino per tonsuram noscuntur. Quibus pro lege est desideriorum voluptas, & quod nefas est, dicere, etiam fœminarum sunt amatores. Quos cum ejusdem Cœnobii Pater corriperet, &, ut à tantis malis cessarent, imperaret, conati sunt de ejus morte tractare. Quod cùm ei compertum fuisset, Romanæ Sedis Antistitem petiit, & quid de tantis malis judicaret, inquisivit. Qui protinus ei præcepit, ut nostræ Congregationis Monachos acciperet, eosque in præfato Monasterio in præsentiâ Episcopi, ad cujus Diœcesem pertinet locus ille, cæterorumque bonorum hominum, Domino servituros disponeret. Hos autem, qui juxta S. Benedicti Regulam obedire nollent, foras expelleret; præterea, qui hujusmodi rei contradictor extiterit, perpetuo anathemate subjugavit. His autem patratis, venit quidam Artinisius nomine, qui dixit se à vestro magnitudinis solio missum esse, qui seductis populis, nefandam seditionem commovit, & acceptâ pecuniâ nostros Cœnobitas, unà cum prædicti Monasterii Patre, foras expulit, & scismaticos intromisit. Et ut verius dicam, Dominum dejecit, & Diabolum introduxit. Quid plura? Abbas namque in tali exilio defunctus est. Unde Apostolica Sedes valdè tristatur. Quapropter rogamus vestram regalissimam nobilitatem, ut quodquod Sancta Ecclesia offendit, emendare non differat, ne, quod absit, dum se stare putaverit, irrecuperabiliter corruat. Sed agnito Creatore suo, cujus imperio cuncta subsistunt elementa, semper quod placitum est, perficiat; quatenus nunc & semper in Regno perpetuo feliciter gaudeat. Amen.

Ad Cap. 25. numer. 6. Bellè cum his quadrat magnificus ille titulus Abbatis Cassinensis, quem ex Imperatorum privilegio collatum promit Cajetanus in Gelasianis suis. *Patriarcha sacræ Religionis, Abbas Sacri Monasterii Cassinensis, Dux & Princeps omnium Abbatum & Religiosorum, Vicecancellarius Sacri Imperii per Italiam, Cancellarius Regnorum utriusque Siciliæ, Hierusalem, & Hungariæ, Comes & Rector Campaniæ, Terræ Laboris, Maritimæque Provinciæ, Vice-Imperator, & Princeps Pacis.* Hos tamen meros fuisse honoris titulos, quibus nihil juris Abbati Cassinensi super religiosas sive Italiæ sive Galliæ Abbatias conferretur, nullus dubito. Quare nihil illi commune cum Præsulibus illis, qui nostrâ ætate universis Ordinibus Regularibus singuli singulis præsunt. Cæterùm hanc prerogativam super omnes Abbates in consessibus assidendi, atque primam inter illos ferendi sententiam, non à Victore II. primò repetendam credimus, quod tamen insinuare videtur Thomassinus *cap. 28. num. 6.* sed jam inde à Carolo Magno accersit Anastasius Bibliothecarius, vel alius quicumque Autbor Epitomes Historiæ Cassinensis. Rer. Italic. *tom. 2. part. 1. pag. 365.*

Juvat etiam ad *num. 1.* hujus capitis animadvertisse, Regulas S. Columbani, S. Basilii, aliorumque veterum Patrum, regnante Carolo Magno, non ita oblivione traditas fuisse, quin tamen in nonnullis Galliæ Cœnobiis observarentur. Promo verba ex diplomate Caroli Magni ann. 774. relato in Chron. Farfensi Rer. Ital. *t. 2. p. 2. col. 350. Cetera Monasteria Lirinensium, Agaunensium, & Luxoviensium, ubi prisca Patrum Basilii, Benedicti, Columbani, vel ceterorum Patrum Regula custodiri videtur.*

Ad Cap. 28. Animadversiones suas ad disciplinam toto hoc capite illustratam addit Cl. Saxius in Epistolâ ad Cl. Muratorium nuper vulgatâ in Præfat. ad Synod. Pergam. ann. 1311. *pag. 542.* Ita verò ille. *Quod peculiari adnotatione dignum mihi videtur, id est, colligi ex hoc Concilio, quòd intactus adhuc in Metropoli nostrâ mos ille priscus vigeret, ut Regulares Familię ordinario jure Episcopis subjicerentur. Cl. enim Thomassinus in Aureo Opere, de antiquâ & novâ Ecclesię disciplinâ part. 1. lib. 3. cap. 28., testimonia congerens ad hanc firmandam superiorum temporum praxim, non ultra sęculum decimum tertium progreditur. At in Mediolanensi Provinciâ subsequente etiam sæculo perdurasse docet Synodus: in qua non modò de celebrando Conventuali Sacro, Divinis peragendis Officiis, honestoque habitu gerendo in Regularium æquè ac sęcularium Collegiatis Ecclesiis, de inviolato servando Monasteriorum, ac reliqui Cleri patrimonio prędiisque, statutæ pœnæ indiscriminatim decernuntur; sed ea etiam indicuntur, quę interiorem Claustri disciplinam spectant. Pręcipitur enim peculiari rubricâ* „ ut cujuslibet Monasterii, domûs & Ecclesiæ Regularis Collegiatæ Pręlatus personaliter
„ per se ipsum, aut per alium cum suis Fratribus, & Conventus cum eo, & quęlibet Abbatissa, Priorissa, vel Ministra loci religiosi,
„ ubi Abbatissa non fuerit, cum suis Monialibus
„ & Sororibus bis ad minus in septimanâ, tempore Quadragesimæ & Adventûs, reliquo verò
„ tempore saltem semel in hebdomadâ, pro culpis
„ & excessibus Capitulum in loco debito celebrare studeant conventualiter, &c. „ *In Prælatos verò seu Prælatas Provinciæ id negligentes, ac subditos contumaces, per Antistitem, vel ejus Curiam fore acriter procedendum jubet, atque interim voces eorum dormitare declarat. Seriùs itaque in Ecclesiâ nostrâ invaluisse privilegia Exemptionis Regularium, credendum est.*

Ad num. 6. ejusdem capitis §. *Adiri &c.* Adde, si placet, inter Monasteria, quæ ad Cluniacenses accesserunt, insigne unum in Italiâ, nempe Cavense, cui Cluniacensem reformationem inferre Ven. Petrus Abbas inani primò, deinde felici operâ conatus est, ut ex ejus vitâ, Rer. Italic. *tom. 6.* intelligimus. Verùm non diu post Cœnobium illud ex Cluniacensibus ad Cassinenses secessit, ut constat ex Chronico Cavensi, Rer. Italic. tom. 7. col. 955. Adde & Abbatias S. Ægidii, S. Bertini, & S. Benedicti super Padum in Italiâ, quas

quas Honorius II. datis ad Cluniacenses literis, anno 1124. reformandas illis & regendas commisit. Anecdot. *tom* 1. *col.*353. Adde tandem insignem Abbatiam Farfensem, in agro Sabinensi constitutam, quam Hugo Abbas Farfensis reformationi Cluniacensi ita subjecit ann.998. ut ipse pariter Dignitate suâ se in manu S. Odilonis Cluniacensis Abbatis demitteret, nec nisi ab illis jussus resumeret. Chroniç. Farfens. *tom.*2. Rer. Ital. *part.*2. *col.*547. *&c.*

Ad num.8. ejusdem capitis. Quamquam scitè admodum observet Thomassinus, Cluniacenses omnes, quòd Monasticam professionem in Cluniacensi Monasterio emitterent, de privilegiis eidem Cœnobio concessis participasse; fateri tamen cogimur, ab ipsis Ordinis ipsius crepundiis plura fuisse Monasteria, quæ omne privilegium repudiare, vel saltem aliquâ ex parte renunciare cogerentur. In Concilio quodam Massiliensi anni 1102. dissidium quoddam Cluniacenses inter & Episcopum Æduensem super Ordinis privilegiis ita compositum est, ut Cistercienses de privilegiis suis aliquid remittere cogerentur. *Fratres verò Vizeliacenses* (Abbatia est in Diœcesi Æduensi) *sacros ordines ab ipso* (Episcopo Æduensi) *suscipiant ...., Quod si eos ordinare renuerit, à quolibet alio Episcopo canonicè ordinato ordinabuntur. Presbyteri quoque, qui eidem Abbatiæ deserviunt, chrisma largiatur absque ullâ contradictione.* Anecdot. *tom.*4. *col.*126.

Quid Cistercienses? Illos sanè animo fuisse à privilegiis omnibus alieno, pluribus demonstrare nititur Thomassinus, hìc num.9. Cujus tamen opinionem ità suscipimus, ut non omnia quidem Cluniacensium privilegia, sed ex illis nihilominus aliquam portionem ad Cistercienses translatam fuisse autumemus. Excusum est in novâ S. Bernardi editione, ex Parisiensi anni 1719. adornatâ, Venetiis 1726. privilegium Innocentii II. datum ad S. Bernardum anno 1131. quo cavetur, *ne quis unquam Archiepiscopus aut Episcopus Abbatem aliquem Cisterciensis Ordinis, nisi pro fide, ad Concilium vel Synodum venire compellat.* Negat insuper fas esse Archiepiscopis vel Episcopis Monachum aliquem *post factam in Cœnobiis* Cisterciensibus *professionem, sine gratiâ S. Abbatis Bernardi licentiâ suscipere, aut susceptum retinere.* Obsequiis igitur Episcoporum ita manebant addicti Cistercienses, ut aliquo simul admisso exemptionis privilegio, eam à se excuterent subjectionis servitutem, qua veteres olim Monachi in Episcopos tenebantur.

Ad Cap.30. num.9. Ante Zachariam Pontificem qui ann.741. sacris præerat, nullam uspiam Abbatiam Romano Pontifici reservatam ejusque juri unicè subjectam fuisse asserit Thomassinus. Quid, si nos vetustius aliud privilegium è monumentis Italiæ proferamus? Joannes VII. anno 706. privilegium concessit Abbatiæ Farfensi in Italiâ, cujus hæc sunt verba, deprompta è diplomate ejusdem Pontificis in vetusto Chronico ejusdem Abbatiæ nuper vulgato, Rer. Italic. *tom.*2. *part.*2. *col.*332. *Interdicentes omnibus, sive Episcopi sint, sive Presbyteri &c. ut nullum sibi jus aliquod, vel susceptionis usum in eo præsumat defendere. Si verò quoquo tempore religiosum Abbatem de hac vitâ migrare contigerit, quem ibidem posita Congregatio de se ipsis, vel ubi ubi meliorem invenerint, eligentes, ad dandam ei orationem rogatus atque vocatus adveniat Reverendissimus Episcopus, eumque, dum ipsi voluerint, exhortentur, & post hujusmodi orationem authoritate Principis Apostolorum à Pontifice, qui pro tempore fuerit, Abbatiæ firmitatem hinc percipiat. Si verò Presbyterum vel Diaconum sibi desiderat eadem religiosa Congregatio consecrari, eligentes quem ad hoc aptum de se ipsis, vel ex exteris invenerint, qui primi sunt, ad Reverendissimum Episcopum, qui vicinus est, unanimi voto perducant, ut & illo requisitus regulariter quæque ad disciplinam Sacrorum Canonum, & Ecclesiasticam traditionem in Presbytero vel Diacono facienda conspiciant, si irreprehensibilem & aptum invenerit, hac authoritate, invocato Dei nomine, solemnem Orationem faciens, Presbyterum consecret. Nullam tamen ex hoc in eos ditionem habere cognoscat, neque licentiam habeat ad observationem publicæ Ecclesiæ suæ eum compellere, & de Monasterii mansione subtrahere.* Agitur hìc de Abbatiâ in Territorio Sabinensi, adeoque sub Romani Pontificis ditione.

Paucis post Zachariam Pontificem annis, nempe sub Stephano II. qui post Zachariam Sacris præfuit anno 752. Monasterium S. Mariæ ad Vulturnum in Provinciâ Capuanâ, diplomate ab eodem Stephano impetrato, obtinuit, ut nemo unquam *in præfato venerabili Monasterio ditionem quamlibet ac authoritatem, præter Apostolicam Sedem, sibi vindicaret. Integrum esset Abbati, quemcumque mallet, Episcopum ad initiandos Clericos suos atque Sacerdotes convenire.*

Duo hæc exempla Monasticorum privilegiorum ex Italicis monumentis produxisse visum est, quorum primum vetustate suâ longè superat Fuldense illud; alterum verò, non disparis cum Fuldensi antiquitatis, eâ est amplitudine, ut novo prorsus & ad id usque insueto exemplo, Monachos nec in Ordinibus quidem, & in Chrismate, Diœcesano Episcopo subdat.

Neque hìc omittendum censeo singulare prorsus privilegium, quod vetustissimum esse ejus generis arbitror, collatum Sanctimonialibus Monasterii Sancti Sixti Placentiæ ab Angilbergâ Ludovici II. Imperatoris conjuge conditi. Adrianus III. anno 885. diplomate suo concessit, ut Clericos, ex supremis tabulis ejusdem Angilbergæ, ejusdem Monasterii servitiis addictos, consecrare ac promovere cuicumque Episcopo, quem Abbatissa designaret, jus integrum esset. Datum etiam eidem Abbatissæ, ut Chrisma & Ecclesiarum suarum Consecrationem à quocumque maluisset Episcopo peteret, ita tamen, *ut si aliquando ad hoc fortè rogabitur Placentinus Episcopus, in prædicto Cœnobio & Xenodochio cujusque ipsorum, nullum se noverit amodò & deinceps jus potestatis habere, neque etiam ad missas celebrandas juxta Patrum instituta, nisi invitatus, adveniat.* Quæ tandem Angilberga supremis tabulis suis disposuerat, nimirum ut consecrandæ Abbatissæ facultas penès Archiepiscopum Mediolanensem esset, quod literis suis Joannes VIII. deinde confirmaverat, ipse pariter Adrianus ratum esse voluit & firmum. Huic profectò singulari per eam ætatem puellaribus Cœnobiis privilegio non modicè contulisse credendum est tum & Imperatricis, quæ Monasterium condiderat, voluntatem, cùm maximè Episcoporum assensum, à quibus in Concilio collectis eâ de re suffragium petiisse idem Pontifex testatur.

Ad Cap.35. num.1. Exempla duplicis hujus generis Monasteriorum vel Ecclesiarum, quorum alia Regalia haberentur, alia ad Episcopum spectarent, ex Italiâ subjicere opportunum censui. Id ergo apertissimè demonstratur ex chartâ quadam judicii super controversiâ cujusdam Ecclesiæ S. Felicis in Beneventanâ Diœcesi. Contendebat Archipresbyter Beneventanus, Ecclesiam illam, utpote Baptismalem, sub dominio Episcopi retinendam. Monachi vicissim Regiam esse tuebantur, defendentes, *quòd Ecclesia S. Felicis tantùm Palatio obaudivit, nam nihil ad Episcopum quandoque obedientiam habuit.* Res secundùm Monachos cessit. Lege Chronicon Vulturnense sub ann.839. Rer. Italic. *tom.*2. *part.*2. *pag.*389. Idem pariter observes

in

in Chronico Farfensi, Rer. Italic. *tom.2. part.2. col.503.* in quo scilicet interrogatus Farfensis Monasterii Abbas probavit, Monasterium suum eodem jure censeri, quo cetera Monasteria Regni Francorum: *Modò scio certò, idem Monasterium semper fuit sub tuitione Regum, defenditque propterea, se minimè ad Ecclesiam pertinere, exceptâ consecratione.* Acta sunt hæc circa ann.998. sub Gregorio V. Quo exemplo illud etiam exploratum habemus, Abbatias etiam, quæ ab omni Episcoporum jurisdictione Pontificum privilegio efficerentur immunes, non tamen continuò in jus Ecclesiæ Romanæ transisse.

Porrò Imperiales hasce Abbatias, sicut & Ecclesias, suo juri commissas, invisuros atque ad rectos sanctimoniæ tramites reducturos, missos legimus à Ludovico Pio Viros sanctissimos æquè ac doctissimos, Benedictum Aniaoensem Abbatem Benedictioum, Concordiâ Regularium digestâ notissimum & Helisacharum Presbyterum, qui pluribus Cœnobiis præfuerat, quemadmodum testem omni exceptione majorem habemus Ermoldum Nigellum in Carmine Elegiaco de rebus gestis Ludovici Pii, nuper vulgato Rer. Italic. *tom.1. part.2.*

Ad Cap.37. num.5. Leguntur apud Ughellium in Salernitanis *tom.7. col.393. nov. Edit.* literæ ejusdem Urbani II. quibus concessa à se privilegia Abbatiæ Cavensi revocat, utpute quæ imprudenti & privilegiorum Salernitani Antistitis inscio Pontifici exciderint. Sed literas illas suspicionis arguit Lucentius in notis ad eundem Ughellium, cujus argumentis illud etiam non leve adjungendum est, quòd in commemoratione atque revocatione expressâ eorundem privilegiorum, omnium maximum omittatur. Quid illud? Omnibus eidem Monasterio subjectis Clericis copiam factam, ut requisito priùs Episcopo Diœcesano, & nolente, à quocumque Episcopo Ordinibus initiari possent. Imò in literis illis ementitis contrarium aliquid exprimitur; nam iisdem Clericis impositum fuisse legitur, ut in Ordinibus recipiendis Salernitanum Episcopum convenirent, *si Catholicus esset, & nostrum*, verba sunt ejusdem Diplomatis, *Successorumque nostrorum gratiam haberet; alioqui præfato Abbati liceret, à quocumque vellet Episcopo prædicta recipere.*

Addendum est etiam ad dicta hìc per Thomassinum, ideò se Alphanum Episcopum Salernitanum à Concilio subtraxisse, quòd, ut fama erat, cœlitùs admonitus, locique religione territus, nihil adversùs eam committere ausus fuisset. Hæc legas apud Authorem Relationis de Consecratione Monasterii SS. Trinitatis Cavensis, Rer. Italic. *tom.6. col.237.* qui tamen Scriptor in eo est emendandus, quòd hæc omnia tribuat Alphano I. ex Cavensi Monacho ad Salernitanam Cathedram assumpto, cùm re ipsâ pertineant ad Alphanum II. qui, Urbano II. Papâ anno 1092. Cavense Templum dedicante, Salernitanam Diœcesim administrabat.

Ad num.3. ejusdem capitis, animadversione dignum censeo, eundem Leonem IX. concessisse Monachis Cœnobii Septimiani, ut Monasterium *ab omni læsione sive molestiâ Episcopi esset immune; quin & ordinationes Presbyterorum cæterorumque Clericorum in eodem Monasterio à quolibet Catholico Episcopo tribui pariter & obtineri potuissent.* Adjecit insuper: *Præter ab Apostolico, nec judicetur, nec ad Synodum Abbas vocetur, sicut nec ab alio consecrationem accipit.* Extat privilegium apud Ughell. Ital. Sac. *col.9. nov. Edit. tom.3.* Id datum à Pontifice Monachis Septimianis rogante Gerardo Episcopo Florentino, censet Ughellius ibidem; incertum tamen, cujus monumenti fide nitatur. Cæterùm Gregorius VII. ann.1078. idem privilegium veluti in ordinem redacturus, *ita confirmavit, ut ordinationes ab alio peti vetuerit, quàm ab Episcopo*, ad cujus Diœcesim Monasterium spectaret; si deesset Episcopus, tunc integrum esse volebat Monachis, quem maximè vellent Episcopum Catholicum convenire.

Ad Cap.39. num.1. Diu ante Viennense Concilium institerunt apud Pontificem Cistercienses, ut à vexationibus Episcoporum & Clericorum in tuto reciperentur. In Statutis Generalibus ejusdem Ordinis ann.1205. num.12. edicitur: *Domino Cistercii committitur, ut Domino Papa scribat super professionibus Abbatum, & privilegiis servandis.* Antea verò in statutis ann.1192. injungitur: *Episcopo Eliensi scribatur, quatenus libertatem nostri Ordinis diligat, & ab aliorum pressuris custodiat & defendat.* Præterea alia ejusdem generis statuta, quibus inculcatur, ut Abbates, quibus id committitur munus, pro asserendis Ordinis privilegiis iterum atque iterum instent. Anecdot. *tom.4.* Juvat tamen retulisse singulare statutum ann.1274. *Cum Sanctissimus Pater Summus Pontifex* (Gregorius X.) *hoc anno generale Concilium Lugduno duxerit celebrandum pro bono statu universalis Ecclesiæ Dei, & ob hoc oportuerit Dominum Cisterciensem, & aliquos Coabbates suos ad hoc specialiter vocatos, nomine totius Ordinis magnas expensas facere, tum propter dictum Concilium, tum propter defensionem libertatum Ordinis in eodem Concilio, quas libertates major pars Prælatorum ibidem existentium totis viribus impugnabant, &c. col.1442.*

Ad Cap.41. num.19. In tantâ Episcoporum, qui Monasteriis præessent, caritate, unum aliquod in Italiâ exemplum reperire satis superque haberi posse arbitror. Bobiensis Monasterii (Urbs est Bobium Ducatûs Mediolanensis in Apenninis montibus constituta) rebus accisis, prompto aliquo auxilio visum est succurrere. Omnium opportunissimum censuerunt, si Episcopum aliquem ad tempus Abbatiæ & oppidi, quod eidem Abbatiæ subdebatur, rebus curandis præficeretur, qui authoritate suâ violentos invasores coerceret, disciplinam restitueret, & quietem, atque omnibus tandem compositis, vel ipse munere suo se demitteret, vel saltem post ipsum nemo alius succederet. Res tamen minùs cessit pro voto; nam Episcopi res suas curarunt potiùs quàm Monasterii, atque è temporaneo in perpetuum redegerunt Episcopatum; neque his contenti, *de Abbatia Episcopatum vel canonicam instituere conati sunt;* quemadmodum ejus Cœnobii Monachi, datis ad Fridericum Imperatorem literis, ante annum 1155. deplorant potiùs quam narrent. Vide Ughell. in Bobiensibus *t.4. col.929. nov. Edit. Modò idem est, ait Ughellius, in Monasterio Abbas & in Civitate Episcopus.*

Ad Cap.42. num.5. Stipendiis Ecclesiæ viduas pariter & Virgines vixisse quamvis ex Epistolâ S. Cornelii probet Thomassinus, luculentius tamen eâ de re testimonium affert Prudentius in hymno de S. Laurentio, quem ita loquentem inducit.

Gemmas corusci luminis,
Ornatur hoc Templum quibus,
Cernis sacratas Virgines,
Miraris intactas unus,
Primique post damnum thori
Ignis secundi nescias.

Quibus verbis satis demonstratur, univiras tantùm viduas Ecclesiæ stipendiis detineri consuevisse, non solùm Basilii temporibus, cujus testimonium laudat Thomassinus, sed à primis etiam Ecclesiæ crepundiis.

Ad Cap.43. num.5. Exemplum illustre tacitæ hujus Monasticæ professionis, cui viduæ apud Italos, assumpto sacro velamine atque habitu religioso, obstringebantur, exhibet Auctarium Chronici Casauriensis (Abbatia est in Aprutio) Rer. Italic.

tom.2.

tom.2. part.2. Mulier quædam viro orbata, Episcopo se sistens, *vestem & velumen S. Dei Genitricis Mariæ super se induit, & eam velatam vidi*, ait idem Episcopus, coram Regio Judice ferens testimonium. Dein verò religiosi propositi pertæsa, viro palàm nupsit. Incestum illud conjugium Imperialis Advocatus ad tribunal Henrici Comitis, qui ad judicium residebat, deferens, *ad partem Palatii* pertinere contendebat tum mulierem ipsam, cùm bona ejus omnia. Accusatione per idoneos testes probatâ, causa illi adjudicata est. Ex hac historiâ plura in rem nostram deducuntur. 1. Coram Episcopo velari viduas consuevisse, suis ipsas, non Episcopi, manibus; vel saltem velatas & religioso habitu indutas, Episcopo probandas vel in religioso proposito asserendas sese repræsentare. 2. Post assumptum velum statim verè professæ censebantur, earumque, si quas deinde conciliassent, nuptiæ, tamquam incestæ, rescindebantur. 3. Bonorum suorum omnium, etiam post umbratilem hanc professionem, jus totum & possessionem retinebant. Pertinent hæc ad ann.874.

Ad easdem mulieres pertinet capit.17. quod legitur in additamento 2. ad leges Ludovici II. nuper vulgato Rer. Italic. *tom.1. part.2. Fœminæ, quæ habitum religiosum, aut velamen obtentu Religionis susceperit ...... potentes viros sociare non permittatur; sed eligens, aut in Monasterio regulariter vivat, aut in domibus suis cœptum habitum observet. Contra autem inventa, providentiâ Episcopi emendetur.*

Ad Cap.44. num.1. & 6. Libet iterum repetere quæ sæpè sæpiùs à nobis supra animadversa sunt. Si Actorum S. Febroniæ veritas constet, ardua enim multa continent, in multis corrigendus est Thomassinus. Instituti monastici apud fœminas parens & Magistra Platonis quædam Diaconissa statuenda est, quæ Monasterium S. Febroniæ, pluribus, ut quidem intelligimus, ante Martyrium S. Virginis annis, erexit pariter & instituit. Habebant sanctimoniales illæ Oratorium suum, planè à Templo cœterorum fidelium diversum, quò statis diebus coeuntes Sorores, divinis lectionibus instituebantur. Nova sunt hæc, fateor, & inaudita, sed fidem penès Authorem relinquimus. Est etiam aliud quod mirere; nimirum ab infantiâ puellas in eodem Asceterio institui consuevisse, quæ anticipato quodam clausuræ genere detinebantur. Præerat universo cætui fœmina quædam, Diaconissæ Ecclesiastico ordine initiata, quam magnæ Dominæ appellatione distinguebant. Tandem singulare est, Virgines sacras tam inde ab eâ ætate monastico habitu, à sæculari diverso, distingui consuevisse.

Ad Cap.47. num.10. Diaconissarum nomen & ordo sæculo octavo manebat adhuc in Italiâ; nam Sergius Archiepiscopus Ravennas, qui obiit anno 770. ad Episcopalem Cathedram assumptus, Euphimiam uxorem suam *Diaconissam consecravit*; quod de consecratione solemni, eâ ætate nondum abolitâ apud Italos, interpretamur. Sed multò etiam recentius Diaconissarum in Italiâ exemplum suppeditat Chronicon Farfense, Rer. Italic. *tom.2. part.2. pag.524.* ubi legitur ad ann. circiter 1015. *Domella Religiosa Diacona antiquis temporibus* Monasterio Farfensi bona quędam sua contulisse.

Ad Cap.48. num.8. Quæ hic ab Authore scitè animadvertuntur, nimirum ætate S. Bernardi veterem adhuc morem obtinuisse, ut Religionis habitus tum primò assumeretur, cùm regularis vitæ professio instituenda esset, confirmat non obscurè Hugo Rotomagensis Archiepiscopus in libro 6. *Dialog.* in Thesaur. Anecdot. *tom.5. col.972.* his verbis: *Tanta authoritatis est vestis Monachica, cum benedictione Patris Spiritualis accepta, ut semel adita deponi ulterius pro sacramenti reverentia nullo modo queat.* Cave tamen credas, Tyrones sub ipsum Religionis ingressum, genere quodam religiosæ vestis per eam ætatem à cæteris sæcularibus minimè distingui consuevisse. Id enim intelligimus ex Landulpho Juniori historiæ Mediolan. *cap.41.* Rer. Italic. *tom.5. pag.513.* cujus verba de Novitiis Cisterciensibus, quam Religionem S. Bernardus per eam ætatem profitebatur, Puricellus in Monumen. Basil. Ambros. *num.368.* interpretatur: *Statutâ itaque die, non solùm suffraganei, sed quamplures parè induti rudi & incaltâ lanâ, & rasi insolitâ rasurâ cucurrerunt.* Petitum hoc credimus ex vetustissimo Monachorum Græcorum more, uti legimus in vitâ Simeonis Sali, à Leontio Neapoleos Cypri Episcopo coævo descriptâ, apud Bollandistas *tom.5. Julii pag.142. Nicon Abbas adducto forfice illos totondit, & exutis eorum vestibus, induit eos aliis ad commiserationem quidem, sed simul ad sanctimoniam accommodatis.* Addit demum Author: *Posterâ ergo die, quæ erat Sancta Dominica, dare illis volebat Sanctam habitum*, nempè habitum Religionis, quo monasticæ professionis genere in Sancto proposito firmarentur.

Ad Cap.50. n.10. Semel & iterum monui, neque iterum desistam, Ignatii Epistolam ad Antiochenos putidum esse commentum, indignam proinde, ut hìc à Thomassino laudetur.

Ad Cap.54. num.6. Jus novum condidisse Carolum Magnum, cùm prohibet puellas in Monasterio institui, quæ à religioso vitæ proposito suscipiendo essent alienæ, probatur invictissimè ex Actis genuinis SS. Bovæ & Dodæ, quæ Remis in Galliâ sæculo Christi septimo florebant, apud Bollandistas *ad diem 24. Aprilis.* Cum S. Doda Regalis viri nuptiis jam inde à teneris annis destinata esset; eam liberaliter educandam tradidit Avunculus ejus S. Bovæ Abbatissæ, apud quam sacras & prophanas literas, sicut & civilis vitæ officia, in Monasterio disceret, *quatenus Deum Christum per divinas* (scientias) *cognosceret; per humanas verò, cui pacta fuerat, deserviret Marito.*

Ad Cap.55. Quamquam superfluum reputari potuisset, inter tot Conciliorum & Monachorum Statuta, variam professioni Regulari ætatem præscribentia, aliquid adjecisse; juvat tamen attulisse in medium canonem 51. Concilii Rotomagensis ann. 1231. cùm rariora afferat Thomassinus in eam rem Concilia. Ita ergo conceptus est. *Aliquâ necessariâ causâ moti infra annum 18. aliquem in Monachum recipi prohibemus.* Juvat pariter statutum ex antiquis Consuetudinibus Canonicorum Regularium cap.25. retulisse. *Statuimus quoque nos ultrà pueros infra annos maturos, non admissuros, neque ad scolarem disciplinam, neque ad conversionem, donec omnium moderatrix Dei Sapientia, concesserit aliqua nobis Religionis loca.* Gemina hæc legas Thesaur. Anecdot. *tom.4. col.182. & 1226.* Annos maturos facilè designare credimus ætatem duodeviginti annorum, vel circiter, à Conciliis pro Religionis habitu suscipiendo definitam. Annos 18. pariter antiqua statuta Archimonasterii Rotomagensis S. Audoeni præscribunt *col.1206.* Ad Cistercienses quod attinet, diu ante annum 1196. veterem disciplinam immutaverant, recipiendi novitios quindecim annorum ætatis. Legimus enim in Statutis Generalibus ejusdem Ordinis ann.1152. n.28. *Non debet Novitius recipi, nisi decem & octo annos habeat.* Anecdot. *tom.4. col.1248.*

Ad Cap.62. num.3. Liceat mihi ex innumeris, quæ apud Ughellium suppetunt, privilegiis ab Episcopis Cœnobiis Religiosorum concessis, unum aliquod ex Italiâ seligere, tamquam præ cæteris singulare. Hugo Firmanus Episcopus hoc privilegio donavit sanctimoniales Ordinis S. Benedicti ejusdem urbis Firmanæ. *Liceat vobis Clericos Lai-*

cos

eos & mulieres, è sæculo fugientes, liberè & absolutè in Monasterio vestro ad conversionem & Monachatum recipere, & eos easque sine contradictione aliquâ retinere. Chartam exhibet Ughellius cum adscriptione ann. 1216. Ex hoc autem monumento duo colliguntur, nimirum uni eidemque Abbatissæ duplex subesse Monasterium, mulierum nempè & virorum, quod infra in eodem privilegio panditur. Secundò, de suo jure interdum remittere Episcopos consuevisse, quoad licentiam à Clericis, Monasticæ vitæ propositum suscepturis, postulandam impetrandamque.

Cæterùm iis, quæ hac Episcoporum licentiâ destituebantur, Monasteriis, nunquam ad se venientes Clericos admittere sine Episcopi licentiâ fas erat. Unum proferam apertissimum documentum ex Actis S. Eberardi Archiepiscopi Salisburgensis, ab Authore coævo descriptis, apud Acta SS. *tom. 4. Junii pag. 262.* Cùm vir Sanctus, Capitulo Ecclesiæ Cathedralis adscriptus, sese clam subducens, in Monasterium aufugisset, Capituli Præpositus re intellectâ, *Fratrem reddi imperat, magis quàm rogat.* Non ergo poterant Clerici, absque impetratâ à Præpositis facultate, Monachum profiteri. Florebat vir Sanctus circa annum 1164.

Ad Cap. 65. n. 2. Vetustissimorum inter Monachos Decanorum ita munera describit vetus monumentum ineuntis sæculi octavi. *Antiquitùs nemo pergebat ad altum, exceptis his, quos Decanos dicimus, at si cogitationibus quis fluctuaret, illos consolaretur alloquiis.* Et infrà. *Unaquaque decuria cum suo parente pergebat ad mensam, quibus per singulas hebdomadas vicissim ministrabant.* Chronic. Novalicensis Monasterii in subalpinis *cap. 2.* Rer. Italic. *tom. 2. part. 2. col. 700.*

Cave autem, Lector, suspiceris, Decanos [quod insinuare videtur Thomassinus *cap. 66. num. 14.*] ex Monasteriis in Capitulum Clericorum tum primò irrepsisse, cùm Clericorum cœtus in unam vitæ communis societatem coire ceperunt. In sæpiùs laudatâ Constitutione Felicis IV. ad Ravennates in Pontificali Agnelli *part. 2.* Rer. Italic. *tom. 2. pag. 97.* duo in Clero recensentur Decani, inter minorum Clericorum gradus adlecti. Censet autem Ducangius ex Græco quodam Codice Allatiano, Decanorum munus id in Clero fuisse, ut Sacerdotes ad sportulas suscipiendas advocarent. Ex quo vides Decanorum inferioris ævi gloriam obscuram planè originem habuisse.

F I N I S.



I N-

INDEX LOCUPLETISSIMUS

rerum tribus hisce Tomis contentarum.

Numeri Romani I. II. III. Partes vel Tomos designant : numeri Arabici Librum, Caput, & cujusque Capitis numeros.

Acri-

de-

Ar-

illi

De Beneficiis in Curia vacantibus.

Quid potestatis Regibus in Beneficiorum negotio.

Quibus Beneficia conferri possint aut debeant.

Quibus olim collata vel permissa.

erant

erant olim Beneficia ac non conjugatorum, iisque cœpere tum excludi, cum jam Beneficia non ut olim sportulis & distributionibus, sed terris constare cœperunt: sic enim timendum fuisset ne Beneficia evaderent hæreditaria; II. l.1. c.84. n. 14.

An extraneis.

Decretis Cælestini Papæ, Capitularibus Caroli Magni, & Legibus Codicis cuique Ecclesiæ non præficiebentur ordinebanturve nisi qui ejus cives essent quoad fieri poterat, II. l.1. c.86. n. 15. c.103. n.9. Id ut sensim mututum, *Ibid.* Contendebant Romani Pontifices Clericos Romanos nulli Ecclesiæ esse extreneos, *Ibid.* & n.6. §. *Philippum*. Variæ variorum Regnorum querelæ quòd Romani Clerici sua invaderent Beneficia, n.6. Gallicani Cleri Generalia anno 1408. Comitia decreto suo extraneis omnibus aditum Beneficiorum suorum inhibent. Firmat id Carolns VII. suo anni 1431. Edicto. Atque is est usus hodiernus, c. 103. n.6. §. *Philippum*. n.7. & 8. Istorumce decretorum rationes, n.7. Idem an.1393. decretum fuerat in Hispanie, et paulò post revocatum: sed is tamen ejus impræsentiarum est osus à Caroli V. Edictis, n.10.

Digniori conferenda.

Nonnisi dignos, & inter dignos digniores eligi, nominerı, præsentari, institui Beneficiarios debere; probatur S. Gregorii aliorumque tum Latinorum, tum Græcorum Patrum testimoniis, II. l.1. c.37. c.38. c.30. c.40. Digniores non idem prorsus est hac sanctiores, sed idem ac Ecclesiæ ipsi utiliores ob certas alias cum sanctitate dotes ac conditiones; quibus fit ut quis minùs sanctus quàm elter, eo possit esse utilior, c.37. n.5. 6. 8. c.40. n.5. 8. §. *Excussam* & §. *Idem*, & n.12. §. *Zimmnius*, & c.104. n.8. Etsi eadem lege eligendi digniorem constringitur Patronus laicus; non potest tamen Episcopus eum rejicere, quem Parochum ille elegerit, modò sit dignus. At Episcopus ipse à Pio V. ita constringitur lege digniorem eligendi Parochum, ut si digniori alium prætulerit licèt dignum, posset dignior ille ad Metropolitanum appellare, aut si cum Metropolitano res ei sit, ad Episcopum viciniorem tanquam Papæ Delegatum, vel ad Papam ipsum, II. l.1. c.40. n. 4. Lex & necessites iste digniorem semper enteponendi valet non in Episcopetibus solùm ac Parochiis, sed in minoribus etiam Beneficiis ac enimerum curem annexam haud habentibus, II. l.1. c.40. n.2. 3. 8. §. *Idem* & n.9. Edixerat Synodus IV. Lateran. ut si quis jam admonitus pergeret Beneficia indignis conferre, potestate privaretur ea in posterum conferendi, in aliumque senctiùs ipsa usurum transferretur isthæc potestas, II. l.3. c.57. n.6. Exempla seu Romanorum Pontificum, seu Episcoporum, seu Principum Beneficia piè & secundùm hanc digniores assumendi legem dispensantium, II. l.1. c.40. n.11. 12. 13. 16. & l.2. c.34. n.2. Edictum Ludovici XIII. hoic legi consentaneum, II. l.1. c. 40. n.13. Leges Concilii Tridentini eò pertinentes, n.15. Beneficium intuitu cogitationis conferre, id simoniæ genus est, III. l.1. c.71. n.17. Lites quæ super Beneficio instituuntur, hominem non eo reddunt indignum. II. l.1. c.40. n.14. Quid Galli ad Synodum Tridentinem Legeti optaverint, & quàm votorum eorum, licèt egregiè piorum, difficilis fuisset executio, c.53. n.14.

Quæ Beneficiis ætas idonea.

Is sæculo 12. serpebat abusus, ut pueris & adhuc impuberibus adolescentibus Dignitates Ecclesiasticæ & Præbendæ cooferrentur, I. l.2. c.70. n.2. §. *Est luculentissima*, & n.3. Ea erat mali bujus origo, tum quòd vellent Episcopi gratiam parentibus suis prçstare, vel ab Optimatibus gratiam ioire; iste eorum filiis conferendo, n.2. §. *Vuillelmus*, & n.4. §. *Sæculum* XIII. tum quòd quandiu ætatem virilem & necesseriam nondum essent affecuti infantes isti, reditus Beneficiorum illis concessorum in suos usus Episcopi illi converterent, n.2. §. *Vuillelmus*. Edicit Alexander III. neminem deinceps ante ennum ætatis 14. Personatu alicujus Ecclesiæ donandum; sique fiat eo ipso privatum illo iri, I. l.2. c.70. n.3. §. *Sed*. Stetuta varia Conciliorum sæculi 12. 13. & 14. de varia variis Beneficiis idonee ætete & conditione, n.2. 3. 4. 5. Statuit Tridentina Synodus, ne eui Beneficium obtingeret nisi annos nato 14. nec Dignitates animarum curam exercentes nisi annos nato 25. nec Dignitates aliæ abique enimarum cura, sive in Cathedralibus, sive in Collegialibus Ecclesiis, nisi annos 22. & quidem completos, c.70. n.7. & n.8. §. *Ex Concilii*, usque ad §. *Pensionibus*. Si temen dignitatibus istis vel functione vel consuetudine vel peculiari statu Presbyteratus ordo esset annexus, cujusmodi sunt hodie Abbatiæ, Decenatus, Præposituræ, Archipresbyteratus, anous quoque ætatis 25. esset necessarius, n.8. §. *Ex Concilii*, & §. *Ad Dignitates*. In Gallie verò ad Prioretus simplices & ad Canonicatus Cathedrales requiritur annus ætatis 14. & quidem completus: sufficit autem decimus ad Collegiales Canonicatus, n.8. §. *Ætas* & §. *Capellas*. Quibusnam Beneficiis Presbyteratum intra annum postulantibus eacidatur ipso facto, si intra annum non sit habitus? §. *Gradum* ante, num.10. Si quis Perochiam sibi collatam acceperit, non eo consilio ut Presbyter intra annum fiat, sed ut eo aono reditus Beneficii colligat, is ed fructuum restitutionem ex Ausciensi an.1300. Concilio tenetur, I. l.2. c.70. n.4. §. *Denique*.

De Beneficiorum pluralitate.

De ea per priora 5. Ecclesiç sæcule, II. l.3. c.1. toto.

Non poteret quis per priora illa sæcula habere plura Beneficia; tum quia Beneficiarius quisque tenebatur residere, & Ordinis sui functiones obire; tum quia nonnisi distributionibus & sportulis, quasi harumce functionum fructibus constabet Beneficium; tum quie bone Ecclesiæ omnia tunc in commune possidebantur, c.1. n.1. 2. 3. 4. tum adhuc quia vetebant Canones Calchedonenses inscribi quem duabus Ecclesiis, tum quia cum Beneficium esset Ordini ipsi illigatum, nullus absolutè ordinabatur, sed Ecclesiæ elicui & functionibus in ea obeundis mancipabatur, c.1. numer.10. 11. 12. 13. & c.4. n.7. Exempla duorum vel trium Episcopetuum à singulis Episcopis, etiam ex Concilii Ephesini & S. Basilii essensu hebitorum, quæ tamen nihil faciunt ad hodiernam Beneficiorum pluralitetem, II. l.3. c. 5. n.8. 9. 14. 15. 16.

De eadem pluralitate ab anno 500. ad 800. II. l.3. c.2. toto.

Per illud tempus eitt saltem usque ed annum 700. nondum fuisse Beneficiorum pluralitati locum probatur; tum ex eo quòd si quando Clerico cuipiam Abbatia dabatur regenda, ejusque titulo iste potiebatur, illico excidebat à redituum & distributionom prioris Ecclesiæ suæ consueta portione, c.2. n.3. Tum ex eo quòd ab illa similiter excidebat, qui alia quapiam Ecclesia seu Perochia seu Beneficio simpliei, ut videlicet Martyrum Basilica, donabatur, n.4. Tum ex eo quòd si quis aliquo, ut tunc aliquando fiebat, Ecclesiæ egello jure usufructuario donatus,

ad

fi-

Beneficiorum firma, locationesve fundorum ad Ecclesiam pertinentium.

Beneficiorum distinctio.

Beneficiarius.

&

terat

tu

Chorepiscopi.

Chorus.

Christus.

Chronicum Arabicum.

S. Chrysostomus.

Or-

Tu-

Commendæ,

bantur tum in Commendam, c.15. n.14. Excusatur Alcuinus qui Abbatias quinque habebat in Commendam, & Carolus Magnus, à quo partem earum habuerat, II. l.3. c.3. n.7. §. *Qua*.

De Commendis Laicorum eadem Caroli Magni & Regia ejus familia ætate, II. l.3. c.16. 17. 18.

Ut sub Carolo Martello olim, ita & sub Pipino perrexerunt Laici invadere Cœnobia Abbatiasve, Xenodochia, &c. c.16. n.10. Perrexerunt & sub Carolo Magno, adeo ut nec sibi temperarent à Sanctimonialium Abbatiis, ipsaque Ecclesiæ bona ipsi inter hæredes suos partirentur, c.16. n.3. 4. Cui malo non aliter occurrere potuit, quàm statuendo an.803. ex Episcoporum, Leonisque etiam III. consilio, ut ista bona nonnisi sub precario habere permitterentur, c.16. n.7. Molliùs adhuc agere necesse habuit Ludovicus Pius cum istis aut similibus invasoribus Laicis, nempè jubendo an.823. subscribentibus etiam Episcopis & Comitibus, aut Laici illi bonis hujusmodi hactenus habitis piè uterentur, nec alia jam invaderent, sed immo protegerent, II. l.3. c.16. n.9. §. *Anno*. Sed & ipsi Carolus Magnus & Ludovicus Pius etsi ægrè & inviti, Laicis tamen Abbatias etiam & res Cathedralium aliarumve Ecclesiarum commendavere, num.5. Quanquam tum in hæc, tum in invasa alia revocanda quoad potuerunt incubuere, n.6. 7. 9. Abbatias & quidem etiam Monialium Carolus Calvus Laicis commendavit, II. l.3. c.17. n.1. Querelæ Conciliorum his temporibus habitorum, c.17. n.1. 3. 4. 5. 6. Dat & ipse Deo pœnas, n.1. §. *Quantas*. Eadem audent ejus successores, n.12. Episcopatus etiam à Laicis occupati, adeo ut eorum unus cum conjuge sua in Episcopali sede per annos sex & ampliùs sederit, n.7. 12. Afflavit hac eadem ætate Germaniam & Italiam hæc eadem pestis Commendarum Laicis traditarum, II. l.3. c.18. n.1. 2. 3. Egregium Ottonis I. Imperatoris exemplum, à quo Abbatiam petebat Comes quidam, cujus opera videbatur ei maximè tum necessaria, n.5. Vastavit & eadem pestis Orientem, ubi ab Iconoclastarum tempore Episcopatus & Abbatiæ cœpere Laicis dari, ejectis scilicet è domibus suis Episcopis & Abbatibus orthodoxis, n.3. Vetat sub anathemate Synodus VII. Generalis fundos Ecclesiæ donari vel permitti Principibus ab Episcopis & Abbatibus, n.3. Alia itidem causa Monasteriorum ibidem à Laicis invasorum, n.5. §. *Simillimum*. Viri Monialium & fœminæ Monachorum Monasteriis ibidem præficiebantur, n.5. §. *Alia*.

De Commendis Episcopatuum, Abbatiarum, Prioratuum, Parochiarum ab anno 1000. usque ad 1300. II. l.3. c.19.

Hugo Capetius & Robertus Reges cum ipsi Abbatiam aliquandiu possedissent, omnes omnino Abbatias Regularitati & Regularibus restituere, c.19. n.1. Nec medio undecimo sæculo Clericus poterat ad Abbatiam aspirare, ni vitam vellet Monasticam amplecti, n.2. Cœpere tamen exeunte illo eodem seculo, seu sub Gregorio VII. Commendatarii Abbates fieri iterum ex Clericis; nempè has ipse permisit Episcopis & Cardinalibus, n.3. At ut uni dabantur Ecclesiæ necessitati vel utilitati Commendæ istiusmodi, ita erant & rarissimæ, n.4. Occurrunt & duodecimo sæculo exempla Abbatiarum Episcopis commendatarum, *ibid.* Sæculo decimo tertio non facilè occurrunt Commendæ Episcopatuum aut Abbatiarum: occurrunt verò creberrimè Prioratuum, Parochiarum & inferiorum Beneficiorum, II. l.3. c.19. n.5. Salmuriense an.1253. Concilium non indignatur commendari Clericis Prioratus, dum pristinum retineant in iis numerum Monachorum. Alterum Salmuriense an.1276. Concilium patitur ut dentur Clericis Prioratus, modò ne ii sint qui duobus Monachis præter Priorem alendis sufficiant, n.5. Omnes prorsus Parochiarum Commendas proscripsit Lugdunense II. an.1274. Concilium, nec revixere nisi post annum 1300. Nullæ quoque tunc vel paucissimæ commendabantur Abbatiæ aut Episcopales Ecclesiæ, c.19. n.9.

De Commendis Clericorum post annum millesimum trecentesimum. II. l.3. c.20.

Januam ergo rursus aperuit Commendis Clemens V. & haud habita ratione necessitatis Episcopatus & Abbatias commendavit. Sed morbo tribus post adeptum Pontificatum annis, & ex morbo pœnitentia correptus, eas omnes revocavit, ne iis quidem exceptis, quibus Cardinales donaverat, l.3. c.20. n.1. 2. Ex successoribus ejus alii Commendas effusissimè largiti sunt, alii ab iis fuerunt alienissimi; ita ut tamen in illa Commendarum revocatione Cardinales semper exciperentur, n.3. 4. Quomodo erga eas affecta fuerint Concilia Pisanum, Constantiense, Basileense, & Pragmatica Sanctio, n.5. 6. Querelæ Cardinalis Papiensis contra Commendas, cum ei tamen præter Episcopatum suum Papiensem duæ essent Abbatiæ commendatæ, II. l.3. c.20. n.7. Quid Leo X. & Concilium V. Lateranense an. 1514. statuerint circa Commendas, n.8. In Concordato quod cum Francisco I. Rege iniit, statutum est ut ne Rex nominaret ab Abbatias & Prioratus verè electivos, nisi Religiosum ejusdem Ordinis, & quidem annos 23. natum, nullâ alioqui futura Regis nominatione, n.9. Concilium Tridentinum non id putavit à se finiendum, quod se de Commendis testabatur optatissimum habere. Poposcit itaque solùm à Pontifice, ut in Regularibus jam commendatis Cœnobiis designaretur quispiam ejusdem Ordinis qui eorum præesset administrationi; in iis verò quæ posthac vacaverint, ne nominet nisi Regulares peritiores & sanctiores: illorum autem Monasteriorum quæ capita sunt Ordinum, sancivit non alios futuros Abbates, quàm Regulares, II. l.3. c.20. n.10. 11. Aliud ejus Decretum super Commendis, n.12. Prohibuit prorsus ne quis cum Episcopatu in Titulum, haberet alium in Commendam, n.13. Dispensatur Romæ hac in parte cum Episcopis Germaniæ, ut videlicet Catholicam Religionem contra hæresim consilio, opibus & authoritate tueantur, *ibid.* Monita præclara Concilii Rotomagensis ad Commendatarios, n.15. Decreta Conciliorum Remensis, Turonensis & Aquensis: item Comitiorum Generalium & Regum Galliæ, c.20. n.16. 17. Alia nonnulla observanda, n.18. 19. 20. Quid occasionem dedit Abbatiarum Commendis, n.20. Quomodo se gerere debeant Commendatarii, n.15. 20. §. *Nec* & §. *Alterum*.

De Commendis Laicorum post annum millesimum, II. l.3. c.25.

Occupabant laici prædia, feuda, & fundos Ecclesiæ sustentandis Clericis destinata, partim quæ ipsi aut eorum Majores invasissent; partim quæ ipsis Episcopi aut Abbates tradidissent, eos sibi fidei & hominii sacramento adstringentes, & adsciscentes eos sibi in Patronos & defensores, c.21. n.2. 3. 4. Sed ex iis nonnulli Abbatias, Archidiaconatus, Parochias, Præposituras &c. cum prædiis quæ iis erant affixa, occupabant, n.2. §. *Qui*. Id mali per Galliam, Hispaniam, Angliam & Italiam grassabatur, c.21. n.2. 3. 4. 5. In laicis Parochiarum Commendis permodicus erat veris ipsis Parochis proventus, n.6. Excommunicationum terrore adigendi fuere ad Eccle-

siias

Crux

lia

Ar-

baat

De Episcopis.

Episcoporum officium, dignitas, institutio.

Eun-

De Episcoporum electionibus.

tæ

In

suam

tur,

Fun-

dum

mo-

se

decreta, c.57. n.4. Quarundam hac in re dispensationum exempla, sed partim rara, partim necessaria, partim justa, c.58. n.8. ad n.14. Erant tum quædam peccata minus gravia, quæ in Clericis non depositione, sed alicujus temporis suspensione plectebantur, II. l.1. c.59. n.2. 8. 13. Qui nullorum illorum conscii peccatorum canonicorum, pœnitentiam obibant, nullam contrahebant irregularitatem, c.57. n.3. 6. Etsi verò Clericis ob peccata sua depositis, nulla spes erat reditus in functiones suas, Gregorius tamen Presbyteris pœnitentia strenuè functis concedebat, non ut pristinas quidem obirent, sed tamen ut Monasteria regerent, Abbatesve crearentur, c.59. n.5.

Sub Imperio Caroli Magni & stirpis ejus.

Ea sub illo Imperio perrexit vigere disciplina, quæ peccatorum pœnitentiæ publicæ obnoxiorum reos vetabat tum ad Clerum admitti, tum in Clero tolerari, tum ad Clerum revocari post quamcumque pœnitentiam, sive occulta illa fuissent sive publica, II. l.1. c.60. n.1. 2. 4. 7. 9. Sed quòd tunc mortalia ferè omnia pœnitentiæ publicæ subjecta essent, res difficilior evaserat: cœpereque in primis Hincmarus & Rabanus irregularitatem illam solis peccatis publicis affricare, excepto homicidio, quod licet occultum ab ea non fuit exemptum, c.60. n.5. 6. Alii tamen adhuc communiter perrexere priorem illam retinere disciplinam, quâ in irregularitatum negotio non habebatur ratio, publicumne fuisset peccatum an occultum: fuitque isthæc communior usque ad sæculi decimi exitum, n.7. 10. 11. & 12. §. *Quanquam*. Jubetur adhuc in Triburiensi an.895. Concilio deponi seu Presbyter seu Diaconus qui vim vi repellendo occideret, n.12.

Post annum millesimum.

Nonnulla adhuc illius ætatis initio vestigia pristinæ severitatis, reos capitalium criminum à Clericatu arcentis, II. l.1. c.61. n.1. Occasione tamen incredibilis illius incontinentium ac simoniacorum Clericorum multitudinis totum tunc Occidentem fœdantis, remissum tandem est de antiqua severitate, & id per gradus, *ibid.* & n.2. Primò enim sub Clemente II. Nicolao II. & Alexandro II. restituti sunt post actam pœnitentiam gradibus suis Clerici tum incontinentes tum etiam simoniaci, non ex eo quidem simoniacorum genere qui pretio sibi parassent ordines, sed ex iis qui ab Episcopis simoniacis ordinati fuerant; ita ut tamen rursus ejiciendi essent, si rursus similia peccarent, II. l.1. c.61. n.2. 3. Secundò non ita multò post restituti sunt etiam ordinibus suis in Concilio Romano, sed ob summam Ecclesiæ necessitatem, nec nisi post longam pœnitentiam, qui post priorem pœnitentiam sua repetierant flagitia: nec verò seu istis seu prioribus illis ad superiores ordines accessus patebat, n.4. 6. 7. Tertiò Clericis concessum est, & jam antea fuerat ab aliquibus Episcopis concessum, ut etiam ad ulteriores promoveri possent ordines, actâ tamen priùs pœnitentiâ, & modò ne publica fuissent peccata, II. l.1. c.61. num.8. ad n.14. Quanquam & id iis consilii dabatur ne facta sibi illa ad ulteriores ordines assurgendi potestate uterentur, n.13. 14. Quin & id adhuc consilii illis insusurrabatur & maximè inculcabatur, ut Monasticam amplecterentur vitam, & labores ejus pœnitentiæ ergo ad vitæ usque finem subirent, num.13. & 15. §. *Non referam*. Quartò tandem de illa quoque remissum est disciplina quæ aut peractam prorsus aut ex parte saltem actam pœnitentiam adeo districtè exigebat, num.13. 14. 15. Episcopi semper effusiores fuere in dandis superioribus illis dispensationibus quàm Romani ipsi Pontifices, sive hanc dispensandi potestatem à Romano Pontifice accepissent, sive eam nondum ipse sibi reservasset, n.7. 9. 11. 12. Fueruntque illæ adeo pervagatæ, ut tandem in jus commune traductæ sint, num.7. Nihilominus tum publicæ ipsi cujuscunque peccati pœnitentiæ, tum homicidio ipsi licet etiam occulto alligata semper mansit irregularitas: adeo ut nec qui illam obierat, nec qui istud admiserat, posset aut ad Clericatum promoveri, aut in Clericatu manere, aut ad eum revocari, II. l.1. c.61. num.6. 7. 9. 10. 11. 12. Quarundam tamen hac etiam in re dispensationum exempla, num.14. §. *Publicam*. In Oriente etiamnum iis omnibus, licet occultis: hæret irregularitas peccatis, quibus olim publica pœnitentia indicebatur, II. l.1. c.60. n.12. §. *Quanquam*.

Irregularitas Hæreticorum & Schismaticorum.

Per prima quinque sæcula.

Vetuit Eliberina Synodus venientes ab hæresi vel promoveri ad Clerum, vel in Clero remanere: tisque fuit deinceps usus Ecclesiæ, II. l.1. c.62. num 4. 5. Facilè tamen cum iis dispensabatur, qui vel præ simplicitate sibi passi fuerant illudi, vel ab ea in quam impegerant hæresi, pedem statim retulerant. Multa horum exempla, num.9. 10. Alia item in primis Nestorii, Eutychetis & Pelagii sectatoribus, num.12. Etsi cum aliis difficiliùs dispensabatur, dispensavit tamen primò Miltiades Papa cum Donatistis, eos, exauthorato uno Donato, recipiens cum ordinibus quos extra Ecclesiam susceperant, II. l.1. c.62. num.2. Cum Novatianis postea Concilium Nicænum, num.3. Immo & cum Paulianistis, eos jubens rebaptizari quidem, sed & iis illos permittens ordinibus iterum initiari, quos apud suos habuissent, si haud iis erant indigni, *ibid.* Cum Donatistarum infantibus dispensari petierunt Episcopi Africani à Siricio Papa & Episcopo Mediolanensi, num.8. Idem postea super Donatistarum Clericis ad Ecclesiam redire volentibus petierunt ab Anastasio PP. & Episcopis Italiæ, n.2. 6. Vulnus id erat disciplinæ, sed ipso ejus fructu compensabatur, num.1. 2. Ad Diaconatum & supra vetabat Concilium III. Carthaginense promoveri quemquam antequam omnes domus suæ Christianos Catholicos fecisset, num.24.

Sexto 7. & 8. sæculis.

Dispensatio cum Schismaticis, II. l.1. c.63. n.1. Cum Nestorianis & Eutychianis, n.2. 3. Cum Arianis tunc primum, n.3. 4. 5. 6. Cum Monothelitis, n.9. Quare faciliùs super hæresi quàm super aliis peccatis dispensabatur ab Ecclesia, c.62. n.1.

Sub Imperio Caroli Magni & ejus familiæ.

Dispensatio cum Iconoclastis, II. l.1. c.63. num.9. c.64. n.1. Græci etsi habent irregulares eos qui ab habita semel recta fide in hæresim labuntur: quos tamen ex avita hæresi venientes in Ecclesiam recipiunt eorum baptisma repetendo, aut Chrismate eos inungendo, illos patiuntur ordinari; si jam verò apud suos ordinati fuerant, eosdem iteratò donant ordinibus, quasi antea invalidis & nullis, c.64. n.2. Complura ab iis rebaptizantur hæreticorum genera, ac proinde nullam iis magis quàm Paganis ipsis recens baptismo lustratis illigant irregularitatem, n.2.

Post annum millesimum.

Dispensatio cum Clericis ab hæresi redeuntibus, item & cum Schismaticis, II. l.1. c.65. n.1. 5. Declaravit Innocentius IV. eos quorum mater vel pater vivusque in hæresi mortui fuerint, irregulares fore ad Beneficia: id quod Rota ann. 1598.

stituit & obiit, I. l.1. c.108. n.5. Complurarum genera, tum exempla Legationum Episcopis aliisve per prima quinque Ecclesiæ sæcula quaquaversum à Romanis Pontificibus Liberio, Zosimo, Leone, Gelasio commissarum, I. l.2. c.117. n.1. 2. 3. 4. 6. 8. 10. 13. Unam ex his à Zosimo in Mauritaniam suscepit & executus est Augustinus, n.2. Talem à Damaso in Orientem decerni Basilius optavit, n.9. Hanc jam in Romano Pontifice authoritatem Sardicense Concilium agnoverat, n.10. De his Delegationibus injuriâ conqueruntur apud Cælestinum Africani, I. l.2. c.117. n.11. & c.118. n.15. Quando non extraordinaria & plena, sed ordinaria & arctata erat Delegatio, qui eam obibat, non in primo, sed in secundo, aut etiam aliquanto inferiori loco sedebat in Conciliis, c.117. n.8. 11. Aliquando ad ea etiam legabatur Episcopus, quæ ipsius alioqui erant, nec ejus superabant potestatem; tumque fiebat ei authoritatis accumulatio; n.5.

Varia Legationum in omnes Orbis partes à Clodovei temporibus exempla, I. l.2. c.118. Hæ ut prosperè cederent, curabat Gregorius, ut tum à Regibus, tum ab Episcopis eas ipse rogaretur decernendas, c.118. n.1. 2. 3. 4. Ita factitabatur ab aliis Pontificibus Romanis, vixque ullus ab iis mittebatur Legatus, nisi vel præviis precibus, vel prævio consensu Principum & Episcoporum, n.6. 8. 9. 16. Episcopus Arelatensis erat instar perpetui & ordinarii in Galliis Legati, n.3. 6. Inter varias Romanorum Pontificum ad Generalia Concilia Legationes, nulla splendidior, iisque Pontificibus honorificentior, quàm quæ ab iis ad VI. Concilium Generale decreta fuit, n.15.

Post annum Christi millesimum longè frequentiores adhuc fruere Legationes Romanorum Pontificum, eò quòd simonia & incontinentia per totum ferè Clerum Occidentis grassaretur, I. l.2. c.119. n.1. Et quòd tum temporis jam cœpissent Romani Pontifices dare mandata & Reservationes Beneficiorum Ecclesiastici Patronatûs. Eodem jure usi sunt Legati; adeo ut etiam nondum vacantia reservarent sibi Beneficia, II. l.1. c.52. n.3. 5. & 7. Idque jam in jus commune transierat Innocentii III. tempore, n.7. Solis porro Legatis à latere jus illud convenit Beneficia conferendi, n.3. Et quidem ea solum quæ sunt Ecclesiastici Patronatûs, n.4. Querelæ S. Bernardi, Anglorum & Germanorum adversûs Legatos, II. l.1. c.32. n.1. 4. 5. Aliæ adhuc Bernardi querelæ, III. l.1. c.71. n.9. Laudes è contra ab eo Legatis aliis impensæ, n.8. Legatorum quorundam avaritia, violentia, cupido, quarum adhuc exempla nonnulla referuntur, & quæ in Anglia præsertim sese exeruere, præstiterunt, ut tandem Anglorum Reges id obtinuerint privilegii, ut nullus iis deinceps Legatus nisi ipso Rege petente mitteretur, I. l.2. c.119. n.2. 3. 4. Transiit postmodum id privilegii & ad alios Reges, n.5. 6. 7. Eò utitur Gallia, ubi & præterea quod jam antea solebant Hispani, facultates Legatorum & Nuntiorum à Magistratu ipso examinantur: id quod temporibus Ludovici XI. cœptum est, num.6. 7. 8. Aliæ super Legatis cautiones Galliæ II. l.1. c.32. n.6. Nonnullis Regibus credita est Apostolicæ Sedis Legatio, I. l.2. c.119. n.3. Honores qui Legatis à Pluribus Regibus habiti sunt, n.9. Perstringuntur quæ sunt jure novo facultates Legatorum: sunt autem earum pleræque jam obsoletæ, n.10. Origo Legationum ordinariorum, II. l.3. c.39. n.10. Legationes obedientiæ, seu quibus fidem ac obedientiam suam Romano Pontifici novo profitentur, sæculo undecimo videntur inductæ, *ibid.* §. *Quod*. Legatio Avenionensis cœpta quando Romani Pontifices qui Avenione sederunt, cœpere Romam regredi, prondeque sub Gregorio XI. Videlicet eorum erat Avenionensis & Venaissinus Comitatus, eumque à Joanna Regina emerant. II. l.1. c.32. n.8.

Legationum genus aliud.

Legationes obiri possunt item ab Episcopis pro privatarum suarum Ecclesiarum vel vicinarum necessitatibus, pro privatorum etiam quandoque hominum ærumnis, pro universalis Ecclesiæ utilitatibus, pro Imperio &c. Plurima exempla susceptarum hujusmodi Legationum à sanctissimis Episcopis per prima quinque Ecclesiæ sæcula. II. l.3. c.36. Observationes in illas Legationes, eod. c.36. n.12. & 13. Alia item exempla seu Episcoporum, seu etiam Romanorum Pontificum Legationes suscipientium pro Ecclesiæ utilitatibus, & pro rebus etiam quandoque temporalibus, c.37. n.14. 15. De iisdem sub Imperio Caroli Magni, c.38. num. 10. §. *Quanquam*, & n.11. De iisdem rursus ab anno 1000. c.39. n.8. 9. 10.

Liberatus.

Exponitur Liberati locus de Episcopi Alexandrini vel creatione vel installatione, I. l.1. c.53. n.6. 7.

Libertati.

De libertis Ecclesiæ, III. l.2. c.25. n.10. c.42. num.3. 5.

Lingua.

Slavis nuper conversis Joannes VIII. concessit, ut Officia & Missam lingua sua celebrarent, modò Evangelium Latina antè quàm illa legeretur lingua, I. l.2. c.82. n.1. Cur non id passim Ecclesia concedat, n.2. Sua utuntur Syri & Armeni, n.10.

Linteamina.

Corporalia jubet Salmuriense Concilium ablui à Presbytero vel Diacono indutis sacris vestibus lineis, linteaminaque sanctis altaribus sacrata non elui, nisi à pia virgine, aut honestissimis moribus matrona, I. l.2. c.6. n.2.

Lites, v. adhuc tit. *Clerici*, §. *Clericis qua illicita.*

Perfectus quisquis est, non litigat unquam, ne sua quidem ut repetat, II. l.3. c.102. n.14. 17. c.103. n.16. Nunquam tamen suasit Clericis vel Monachis Gregorius, ut res suas temporales sinerent potius eripi & perire, quàm ut eas judicio defenderent, c.104. n.5. 6. Lites iis licitas existimarunt Anselmus, Petrus Abbas Cluniacensis, Gratianus, S. Thomas, S. Bonaventura, & Joannes XXII. Papa, c.111. n.1. 4. 7. 12. Alii optarunt, ut nequidem sibi ablata repeterent Monachi, vel nonnisi coram arbitris, vel tandem Episcopum commonefacerent, aut rem totam ejus arbitrio permitterent finiendam. Fusè hæc exemplis illustrantur, eod. c.111. num.1. 3. & *seqq.* Statuit omnino Concilium IV. Carthaginense, ut Episcopus ne provocatus quidem litiget pro rebus transitoriis, III. l.1. c.16. num.3. Idem Concilium monet Laicos ut in litibus suis Episcopos adeant, non autem Judices sæculares: plectantur verò excommunicatione si judices adeant alterius fidei, II. l.3. c.101. num.15. Lites qui componebat Ambrosius, n.8. 9. 10.

Literæ humaniores.

Multa de iis II. l.1. c.92. V. adhuc tit. *Schola*. [illegible]am Episcopum dedeceat earum studium, I[illegible] c.89. n.4. c.92. n.8. c.95. n.4. Origeni [illegible]cuere, c.92. n.1. Eas in junioribus tanqu[illegible] ex necessitate tolerabat Hieronymus, n.[illegible]6. Se iis in institutum gemuit Augustinus, n.[illegible]1. Sua tamen illis est utilitas.

tum

ba-

ra-

rare vel acta publica, vel privata Episcoporum mandata, vel eorum etiam conciones, I. l.2. c.104. n.1. 10. In Notariorum statione ponebant plerumque pueri vel adolescentuli tyrocinium Clericatûs. n.5. Eorum non erat alicubi Pastoralem Episcopi baculum gestare, n.53. In Oriente Diaconi ut plurimum, in Oriente verò ut plurimùm Subdiaconi aut inferiores Clerici obibant Notariorum munus, n.1. §. *Constitutum*, n.3. 7. 12. 23. Maxima quæque iis negotia commisere S. Leo & S. Gregorius: immo & vices suas in Ephesina illa Synodo, quæ in pseudo-synodum versa est, uni eorum Leo demandavit, I. l.2. c.104. n.1. 7. 8. 10. 21. In Officiis Imperatoriæ domûs summa erat Notariorum dignitas, adeo ut Imperatoribus essent etiam à Secretis, num.14. Tempore Caroli Magni, is qui primus erat inter Notarios Ecclesiæ, dicebatur Protonotarius & Archinotarius, I. l.2. c.105. n.3. Ab eo tempore Clericis ut plurimùm credebatur Notariatus Regum nostrorum, c.106. n.3. Sæculo 14. & 15. iidem satis communiter erant Notarii Apostolici simul & Notarii Imperiales, & ex iis etiam Presbyteri, n.4. Sæculo 16. similiter iidem occurrunt Apostolici & Imperiales Notarii, n.5. Quomodo Laicis aperta est ad Notariatum via? *ibid.* Ex quo Laici cœpere Notariorum officia obire, diu nonnisi Nobilibus patuit ad ea aditus, v.9. Concilium Tridentinum Episcopis facit potestatem Notarios examinandi, & illos ad id delegat, n.6. 7. Protonotarius olim in Aula Romana supra Episcopos sedebat, idque tandem Pius II. correxit, I. l.2. c.114. n.4.

Notarii Episcoporum.

Quid eis fas aut nefas sit vel fuerit olim exigere aut accipere in negotio suo Ordinum, seu Beneficiorum, seu aliorum, III. l.5. c.62. Ex Notarii soi emolumentis quidquam accipere Episcopi à Concilio Trident. vetantur. Ejusque decretum Comitia Cleri Gallicani an.1655. omnibus Regni Episcopis commendavere. Ita quoque Tolosanum an.1590. vetuit Concilium; ita Congregatio Concilii Tridentini, eod. c.62. numer.7. 8. 9.

Novales.

Novalium decimas Gregorius VII. solvi jubet, III. l.1. c.9. n.4. Sic & Elboracense an.1194. Concilium, n.6. Et Campiniacense an.1260. n.10. Jure communi decimæ Novalium pertinent ad Parochos, ni aliqua obstet exceptio, l.2. c.24. n.2.

Novitiatus.

Regula S. Benedicti & pleræque antiquiores, item & utriusque Ecclesiæ antiqua Concilia & Justiniani leges Novitiatum in veste laica percurrendum statuunt, atque is adhuc usus tempore S. Bernardi obtinebat in Occidente, I. l.3. c.48. n.8. In aliquibus tamen saltem locis Orientis jam tempore Trullanæ Synodi cum Monachi veste decurrebatur, c.25. n.12. Tempus illud volunt Justiniani leges esse triennii, Benedictus unius saltem anni, *ibid.* Gregorius triennium ut ex more memorat, c.45. n.11. c.53. n.7. Concilium V. Aurelianense per triennium probari vult puellas quæ in iis essent Monasteriis, unde potestat exiri, per annum verò quæ in iis unde exiri non poterat, c.45. n.3. Regulæ Sanctorum Cæsarii, Ferreoli, Fructuosi & aliæ non paucæ potestatem Abbati faciunt tempus Novitiatus vel producendi vel contrahendi, prout viderit expedire, I. l.3. c.48. n.8. Bernardus ipse unius solùm anni meminit, *ibid.* Et dudum ante eum Synodus Triburiensis, c.46. n.8 Finierat Honorius III. in quibus Monasteriis non differebant vestes Novitiorum & Professorum, Professos eo ipso censendos esse, quotquot uno amplius anno eas gestassent, c.48. n.4. Professionem Franciscanorum & Dominicanorum nullam esse voluit Alexander IV. quæ ante annum expletum emitteretur. Id Bonifacius VIII. ad omnem Mendicantium extendit, Concilium Tridentinum ad omnium prorsus Monachorum, sicut & Alexander III. ante præsatos illos Pontifices, I. l.3. c.48. n.5. §. *Ab eodem*, & n.7. Hinc cum Gregorius XIII. Calendarium Romanum reformans, dies decem ex anno 1582. amputasset, professiones in quibus decem isti dies pariter omissi sunt, nullæ esse declaratæ sunt, c.55. n.6.

Si is qui Novitii suscepit vestem, venit solum cum animo experiendi vires suas, seseve probandi; potestatem ei faciunt Gregorius IX. & Innocentius III. sæculum repetendi, I. l.3. c.48. n.4. 5. Si verò eam prorsus cum animo induit sæculum deserendi & Religionem amplectendi; etsi nullæ eum leges possunt ad professionem cogere, negant tamen posse cum tuta conscientia recedere iidem illi duo Pontifices, S. Raimundus de Pennafort, Alexander IV. Anselmus & Lanfrancus Cantuarienses Episcopi, Bonifacius VIII. Alexander III. & Statuta Charthusiensia Guigonis n.4. 5. 6. 7. Id solùm gratiæ ei concedunt Innocentius III. & Alexander III. laxionem ut possit Religionem ingredi si illa cujus vestem & Novitiatum suscepit, non videtur ejus viribus accomodata, n.5. & 7. Atque id quod de illo dictum est qui vestem hanc eo animo susceperat, de eo quoque dicendum videtur, qui Novitiatum olim in veste laica, ubi hæc gestabatur, illo eodem animo egisset; eo quod Deo qui ipsum vocavit, non possit inobedientem se gerere absque salutis suæ discrimine, n.8. 9. 10.

Nuptiæ, v. tit. *Matrimonium*.

Saltationem in Christianorum nuptiis Laodicena Synodus prohibet, III. l.3. c.42. num.18. Post nuptias initas jubentur fideles in Capitularibus Caroli Magni, in Capitularibus item Herardi Turonensis Episcopi biduo vel triduo castitatem servare, I. l.2. c.83. n.11. Græcis unius saltem diei continentia indicebatur, num.10. Ea tempore Balsamonis atque adeo 12. sæculo vigebat consuetudo, ut si triginta annos natus quisquam & bis conjugatus, & ex alterutra conjuge liberos habens, tertiam postea duceret, per quadriennium communione privaretur, n.10. Secundas aut etiam plures nuptias etsi non prohibuere Patres Latini, ab iis tamen valde dehortati sunt fideles, easque solùm ut indulgentiam suspexere, II. l.1. c.78. num.10. 18. 20. 22. Iis quidem nuptiis Græci pœnitentiam imposuere, at illa non nuptiis ipsis affricabatur, sed innucentiæ ipsi cujus erant illæ remedium, n.22. 23. Andegavense an.1448. Concilium illas fieri vetuit; insultationes & intemperias quæ à plebecula fieri solent adversùs eos qui secunda ineunt connugia, II. l.1. c.83. num.6. Nuptiis ac nuptialibus conviviis interrerat nonnunquam S. Carolus Boromæus, ut tum eorum sumptibus moderaretur, tum caveret ne quid peccaretur, III. l.3. c.49. n.10. §. *Hac*.

O

Obedientia.

Jubetur à Concilio XII. Toletano quicumque ad sacros Ordines accedunt, obedientiam in ordinatione sua profiteri, sed citra juramentum, II. l.2. c.44. n.5. Reprehenduntur in Concilio II. Cabilonensi an.813. Episcopi qui juramentum istud exigebant ab iis quos ordinabant, c.45. n.1. Id quod & nonnulli factitabant Longobardiæ Episcopi, n.2. Obedientiam similiter Metropolitano suo profitebantur Episcopi sub Imperio Ca-

Ordines.

Sy-

Cleri quàm plebis partes, n.33. n.7. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 16. tum summa authoritas penes ipsum esset Episcopum Cleri populique judicia trutinantem, II. l.1. c.33. n.6. 8. 10. 16. l.2. c.1. n.8. Immo sexto jam sæculo tota penes unum erat Episcopum electio Presbyterorum, atque adeo & inferiorum Clericorum: nisi quòd populus poterat ordinationi intercedere, si quæ nota sibi esset hominis irregularitas, II. l.1. c.34. n.10. 11. Ordinatoris Episcopi Ministris summa pecuniæ nec modica solvebatur in Oriente tempore Justiniani ab eo qui ordinabatur sive Episcopus sive Clericus, III. l.1. c.56. n.3. 4. Ipsi item Ordinatori Episcopo tempore Isaaci Comneni Imperatoris aureus unus ab eo solvebatur qui Clericos vel Lector fiebat, tres ab eo qui Diaconi, tres item ab eo qui Presbyter, c.59. n.5. Ordinari *per saltum* dicebatur olim non is modo qui aliquem Ordinem superiorem inferiori alio prætermisso suscipiebat, quæ hodierna est vocis illius significatio, sed & is qui statuta non decurrebat Ordinum interstitia, I. l.2. c.36. n.6. 7. Quæ illicitæ solum olim erant Ordinationes nec tamen invalidæ, dici nihilominus solebant irritæ & nullæ: & quare? II. l.1. c.65. n.6. Frequenter primis sæculis vis inferebatur viris pietate conspicuis, ut ordinarentur, I. l.2. c.36. n.15. 19. II. l.2. c.2. n.11. 12. 13. 14. 15. Validæ hæ habebantur, & quare? II. l.2. c.2. n.12. 23. Non tamen si homo intelligeretur prorsus repugnare, n.16. Prohibitæ sunt tandem istiusmodi Ordinationes, *ibid.* Cogi tamen posse ad sacros Ordines ab Episcopo Beneficiarios, non eos solum quorum Beneficio alligatus sit Ordo sacer, sed & alios ubi postulat necessitas, plura abhinc sæculo duodecimo declaravere Concilia, II. l.1. c.87. n.14. 15. Exempla Ordinationum hominibus etiam incogitantibus impensarum, I. l.2. c.36. n.14. Nullum in Oriente præfixum est anni tempus Ordinibus celebrandis. In Occidente verò etsi jam S. Leonis tempore quatuor erant anni tempora, nondum iis tamen affixæ erant Ordinationes, sed qualibet die Dominica, id est, tum vespertino Sabbathi tempore, tum matutino Dominicæ, jejunio totius Sabbathi eò usque protracto conferri poterant. At inter Leonis & Gelasii Pontificatum, quod singulis fiebat Sabbatis, fieri cœpit in Occidente solis solùm quatuor Temporum Sabbatis, vespere scilicet, aut diei Dominicæ matutino tempore perducto, ut dictum est, eò usque Sabbati jejunio II. l.1. c.87. n.13. l.2. c.12. n.11. 12. Possunt tamen aliis etiam temporibus Ordines minores conferri, immo & adhuc Gelasii tempore Subdiaconatus ita conferebatur, II. l.1. c.87. n.13. At ad sacros Ordines alio tempore celebrandos solus dispensare potest Romanus Pontifex, n.9.

A quo quis Episcopo debeat ordinari.

Sardicensis Synodus edicit, ut nullus Episcopus laicum ordinet alterius Episcopi: idque firmatur etiam in Concilio I. Carthaginensi à Grato Carthaginensi Episcopo, qui Synodo illi adfuerat, II. l.1. c.1. n.1. Concilia tamen alia & Romani Pontifices per prima octo sæcula, seu in Occidente, seu in Oriente, non tam cavebant, ut ab aliquo Episcopo non ordinetur laicus alienus, quàm ne ab eo Clericus alienus ordinetur, c.1. n.1. 7. c.3. n.1. 2. 5. Immo hanc Concilia potestatem alieni laici ordinandi liberam Episcopo faciunt, & exempla firmant, c.1. n.2. 5. 8. 9. c.2. n.1. 2. 3. 5. Cum verò quis laicum quempiam, seu suum, seu alienum ordinaverat, jam fiebat ille istius Episcopi Clericus, nec ab alio deinceps poterat ordinari: ut proinde per prima illa octo sæcula ordinatione magis quàm origine & domicilio Clerici Episcopo astringerentur, II. l.1. c.1. n.1. 2. 5. 7. c.2. n.7. c.3. n.1. 2. 5. c.4. n.2. Nisi quis ab illo fuisset ordinatus invitus, ac in ordinatione sua contestatus fuisset nolle se Ecclesiæ Episcopi illius addici, tunc enim liber sibi manebat, c.2. n.5. 6. Sed & si quis ab uno jam ordinatus Episcopo, ab alio deinceps ordinabatur, aut ab alio recipiebatur, poterat semper à primo illo repeti, c.1. n.2. c.2. n.7. c.3. n.1. 3. c.4. n.8. 14. §. *Fortunatus*. Pœnasque dabat Episcopus ipse posterior, qui eum in Ecclesia sua promoverat, c.3. n.1. 3. c.19. n.2. Quin nec alicujus Episcopi Clericus ab alia Ecclesia in Episcopum electus poterat ab inviti illius Episcopi sui Ecclesia recedere, Ecclesiæ illius adeundæ causâ, II. l.1. c.4. n.14. c.20. n.3. 4.

Qui dictus est fuisse per prima octo sæcula usus totius Ecclesiæ, is per totum Caroli Magni & ejus stirpis Imperium perseveravit: nec vel origine vel Baptismo vel domicilio, sed ordinatione sua Clerici subjiciebantur Episcopo, II. l.1. c.5. n.1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 10. 11. 12. Quod si ab uno quis ordinatus Episcopo, ab altero jam ordinabatur vel suscipiebatur, pœnas quoque dabat secundus iste Episcopus, c.5. n.1. 2. 3. Nec in Episcopum quidem ab aliqua Ecclesia electus Clericus poterat eam adire absque ejus Episcopi assensu à quo Clericus fuerat ordinatus, c.5. n.5. Perseveravitque ad annum usque millesimum usus ille, quo subjiciebantur Episcopo Clerici non ratione vel originis, vel baptismi, vel domicilii, sed ordinationis, II. l.1. c.5. n.6. 12. Nonnulla tamen nono jam sæculo occurrunt exempla & statuta, quibus ratio habebatur originis & baptismi, sed ea rara sunt, nec admodum in usu fuere statuta hujusmodi, c.5. n.7. 8.

Ab anno jam millesimo in Ordinibus conferendis cœpta est non amplius haberi ratio prioris ordinationis, sed originis, II. l.1. c.7. n.1. 2. 3. Addit Clemens IV. vel *Beneficii*, seu loci in quo quis Beneficiatus existat, c.7. n.4. Addit adhuc Bonifacius VIII. & alii, vel *domicilii*, *ibid.* Et quidem decennale sit illud domicilium exigit Concilium IV. Mediolanense, id quod & aliis deinceps placuit: nisi quod Tridentino Concilio sufficit, si quis per triennium sit cum Episcopo commoratus, II. l.1. 7. n.7. Tribus istis titulis ordinationis, Beneficii & domicilii additur ex Jure communi & locus ipse baptismi, si quis scilicet alibi natus, alibi baptizatus sit, n.10. Statuta Congregationis Concilii Tridentini super Episcopo à quo quis possit ordinari, n.6. Etsi verò è quatuor istis titulis possit quis eum quem voluerit eligere: Comitia tamen Generalia Cleri Gallicani an.1655. ut omnia prævertantur mala, omnes Galliæ Episcopos hortata sunt, tum ne esset cuique nisi unus Episcopus, à quo posset ordinari, tum ne alius quilibet ordinaret Episcopus, quàm ex Diœcesi sua oriundos, II. l.1. c.7. n.11. Pari nihilominus videtur hodierna Galliæ Jurisprudentia, ut Canonici Cathedralium & Parochi possint à Beneficii sui Episcopo ordinari, c.7. n.5. §. *In*. Cum ante Concilium Tridentinum posset Abbas Monachos suos Ordinibus & Dimissoriis indicta causa, & propter occulta crimina frustrare, non autem suos Episcopus Clericos nisi propter publica scelera: potestatem tandem illud fecit Episcopo Clericos suos & Ordinibus & Dimissoriis indicta frustrandi causa. Ex quo sequitur, ut si quos nolit ordinare, non possint isti ad superius Tribunal provocare, II. l.1. c.8. n.5. 6. §. *Ideo*, & §. *Hinc*. Si tamen non de meris agitur Ordinibus, sed de homine qui Beneficium aut Ecclesiasticam obtinet dignitatem, huic si Ordines aut Dimisso-

Pref.

pre-

Partitio.

o 2 sedi-

Pœ-

pu-

Prædicator.

Prælati.

ad

annos 800. exhibuere Principibus sacramenta fidelitatis, c.47. n.8. Prima Gallorum Episcoporum fides non jurata quidem sed promissa Carolo Magno memoratur in Concilio III. Turonensi, II. l.2. c.48. n.4. Sed clare Sacramentum fidelitatis exegit ab Episcopis & aliis Ordinis Ecclesiastici Ludovicus Pius, & quare? n.4. 5. nec in ipsa eorum Ordinatione, sed, ut par est credere, in ipsis Regni Comitiis, n.6. Præstabatur istud super Evangelia, Crucem, vel Sanctorum Reliquias, sive cum sacramenti aut juramenti voce, sive sine ea illud efferrent, n.13. Etsi verò istorum fidelitatis Sacramentorum non desint exempla sub Carolo Calvo, sub eo tamen impetraverunt Episcopi, instante maximè Hincmaro, ut ab iis sola deinceps promissio fidelitatis exigeretur, quanquam interim sive à Laicis sive etiam ab Abbatibus juramentum ipsum eliceretur, II. l.2. c.48. n.7. 8. 9. 10. 12. 13. Jam tamen sub postremis Carolinæ Familiæ Principibus sacramenta fidelitatis rursum ab Episcopis Gallis exigi cœpere, n.12. In Italia non populus modo sed & Clerus & Episcopi tum temporis, immo & nono ipso jam sæculo Sacramentum fidelitatis Imperatoribus exhibuere: quin & illud quoque Romani ipsi Pontifices leguntur emisisse, quanquam se sponte illud emittere profiterentur, II. l.2. c.48. n.14. 15. Innocentius III. in Concilio IV. Lateranensi vetuit à Clericis impendi fidelitatis Sacramentum Laicis, nisi ab iis temporalia seu Beneficia seu feuda accepissent, c.49. n.6. Sacramento Regibus nostris reddendo jam obnoxii erant omnes prorsus Galliarum Episcopi tempore Caroli VII. æque ac modo, n.7. §. *Conquestus*, & n.8. *Jam postea*.

De Sacramento seu Metropolitano seu Papa ab Episcopis exhibito, II. *l.2.* c.44. 45. 46. v. tit. *Obedientia*, & tit. *Papa*, §. penult. *Sacramentum Obedientiæ* &c.

Nullum adhuc ab Episcopis factum fuerat seu Papæ seu Metropolitano sacramentum vel fidei vel obedientiæ ante annum 450. quanquam tum ipsi tum Metropolitani quique in Ordinatione sua fidei confessionem edebant, & servandos à se Canones promittebant, II. l.2. c.44. n.1. Primus omnium Anastasius Thessalonicensis Archiepiscopus & Sedis Apostolicæ in Illyrico Orientali Vicarius exegit non sacramentum quidem, sed promissionem obedientiæ ab Attico Epiri metropolitano, quo de ipsum S. Leo Papa reprehendit, *ibid.* Post hæc nulla istius promissionis exigendæ mentio extat ante Concilium XI. Toletanum, in quo generatim edicitur deinceps exigenda in singulorum ordinatione, erga eum qui sibi præemineat. De Romano tamen Pontifice nullum ibi verbum, II. l.2. c.44. n.5. 6. Ex eo tempore nulla quæ huc pertineant, occurrunt exempla ante S. Bonifacium Germaniæ Apostolum, n.7.8. Ipse verò tum in Ordinatione sua Gregorio II. Papæ juramentum solemne edidit servandæ fidei, & exhibendæ Romanis Pontificibus obedientiæ: tum in Gallicano postmodum Concilio illud idem juramentum ab Episcopis omnibus elicuit, & cum ipsis iteratò præstitit, n.10. 12. Nec id tamen videntur istorum Episcoporum successores id factitasse, n.13. Illud jam omnes præstant Episcopi, II. l.2. c.46. n.12.

In caussis difficilioribus mittebantur rei, etiam ab Episcopis, ad sepulchrum S. Felicis Martyris ut se jurejurando purgarent, II. l.1. c.15. n.19. Ad sepulchrum S. Martini sacramentum exigit quoque Gregorius Turonensis ab infido quodam Presbytero, II. l.2. c.44. n.8. §. *Æquatora*.

Sacrificium Eucharistiæ, v. tit. *Missa*, & tit. *Communio*.

Fundationes pro sacrificio Eucharistiæ III. l.1. c.71. n.6. §. *Non*. Sacrificium Eucharistiæ primis Ecclesiæ sæculis pro omnibus in commune fidelibus offerebatur, nemine suam inde meritorum portionem imminutam credente, III. l.1. c.71. n.8. At Pipini & Caroli Magni tempore cœperunt fideles singuli Presbytero cuipiam suam privatim stipem erogare, ut Sacrificii fructum exuberantem in se suosque derivarent, *ibid.* Nec credebat tamen seu Crodogangus, seu Valafridus Strabo decerpi quidquam cuilibet, etsi pro Missa sua Presbyter plura perciperet stipendia, n.9. Nec postea quoque Arnulphus Lexoviensis, c.72. n.5. Negat quoque Gersonius vel tantillum fraudari eos qui peculiares sibi Missas deposcunt, etsi Sacerdos plura simul stipendia conjungat, c.73. n.7. Contrà sentiebat Archiepiscopus Cantuariensis in suis anni 1281. Constitutionibus, c.72. n.5. Damnatur in Constantiensi Concilio is Vuiclefi error speciales orationes uni applicatas non plus ei prodesse quàm generales, c.73. n.7. Certissimum est fructuosiores cuique fore plures Missas quàm unam, easque item quæ pro ipso specialiter celebrantur, quàm quæ promiscue pro omnibus; ut proinde tot iterari debeant Missæ, quot accepta sunt stipendia, eod. n.7. §. *Quanquam*. Plura simul salaria conjungi vetantur, III. l.1. c.73. n.4. §. *Stipulari*. Quam districtè præcipiant Cardinales Congregationis Concilii Trident. tum numerum Missarum celebrari, quem præscripsit is qui stipendium dedit, tum nullam lucri partem ab eo decerpi, qui Missas sibi traditas committit aliis celebrandas, n.6.

Sacrista qui & Græcis *Scevophylax*.

Is erat qui sacrorum erat vasorum custos. Id muneris in Oriente solis committebatur Presbyteris, I. l.2. c.103. n.11. 14. De Sacrista adhuc, I. l.3. c.70. n.8. §. *Qui Sacrista*.

Salisburgensis Ecclesia, v. Ind. Geograph.

Salonius Ebredunensis & Sagittarius Vapincensis Episcopi.

Horum flagitia & condemnatio, II. l.1. c.58. n.11.

Saltatio.

Saltatione Clericis interdicitur per omnia Ecclesiæ sæcula, III.l.3.c.42. n.6. 7. 8. 9. 10.18. c.46. n.4. 12. 13. Saltationum etiam eos spectatores esse vetant Bituricense an.1584. Aquense an.1585. Aquilejense an.1594. Concilia: sed & privatorum etiam saltationum Concilium I. Mediolanense sub S. Carolo Borromæo, c.46. n.12. 13.

Saltationem in Christianorum nuptiis Concilium Laodicenum prohibet, III. l.3. c.42. n.18.

Saltationes factæ ad fores Ecclesiarum & in venerationem Sanctorum à quinto etiam & sexto sæculo, eæque à Conciliis & Patribus prohibitæ, III. l.3. c.42. n.7. 8. 9. Saltationes in Sanctorum solemnitatibus, & quidem intra Ecclesiam, patitur, quanquam ægrè, Concilium Basileense, sed cum quibus conditionibus, c.46. n.12.

San-Dionysianum Monasterium, v. Indic. Geograph.

Sanct-Andreana Ecclesia, v. Indic. Geograph.

Sarraceni.

Quàm infesti olim toti orbi Christiano, & quàm necessario iis erat expeditiones sacras occurrendum, III. l.1. c.44. n.2.4.

Schisma trium Capitulorum.

In illud abripiuntur Longobardi: illud postea ejurat eum tribus Episcopis Severus Aquilejensis Episcopus, Grado, Ravennam ab Imperatoris Exarcho adductus. At ut vi illud ejuraverant, ipsum libertati suæ redditi resorpserunt. Illud tamen non ita multò post Regionis illius Episcopi omnes lubenter dimisere, tribus illis aut 4. admodum exceptis, I. l.1. c.22. n.5. & 6. Sed & Aquilejensis ipse Antistes resipuit quoque tandem, c.22. n.2.

bus

seu

Ste-

Testamenta.

Testamenta primum generatim.

ſciplina, eædem ubique leges, hoc uno excepto capite ultimo, de addicendis ipſi Eccleſiæ bonis Epiſcopi qui eorum cenſum prætermiſiſſet: eędem, inquam, ubique leges obtinuere ab anno milleſimo ad annum trecenteſimum ſupra milleſimum, III. l.2. c.47. toto. Quam nec tamen iſti diſciplinæ contraria ſit libertas illa, quę cum cœpta eſt dari Beneficiariis teſtandi de mobilibus ſuis, c.47. n.4. 7. 10. Eadem adhuc diſciplina eędemque leges obtinuere ab anno 1300. ad annum 1400. ſcilicet ut cognati nullatenus ſuccederent Beneficiariis in bona quę ex Eccleſię proventibus proveniſſent, III. l.2. c.48. n.1. 2. At poſt annum 1400. cœptę ſunt in Gallia hęreditates à cognatis Beneficiariorum, ſeu teſtamento, ſeu ab inteſtato adiri. Quę iſtius novi uſûs cauſa eſſe potuit? n.3. 4. Cummunior tamen etiam tum is erat Gallię uſus, ut Beneficiarii ſucceſſio ſucceſſori reſervaretur, n.5. 6. Iſque in aliis quoque perennabat Regnis, n.7. Sęculo autem decimo-ſexto latiùs ſerpſit, vehementiuſque convaluit ille uſus, ut ſeu teſtamento, ſeu ab inteſtato cognati poſſent adire Beneficiariorum ſucceſſiones, n.8. Nec tamen iſti liberi ſunt à lege diſpenſandi bona iſta ſecundum ipſorum naturam, id eſt, ea in pios uſus & in pauperes expendendi, n.4. §. *Sed*, n.5. §. *Non*, n.7. §. *Probationem*, num.8. 9. Ab anno 1474. permiſere Pontifices Romani Clericis qui Romę vel ruri vicino vellent ſedem figere, legare proximis ſuis Beneficiariorum ſuorum acquiſitiones, n.10.

De teſtamentis Epiſcoporum qui olim fuere Monachi vel Abbates.

Dum quis ex Monacho vel Abbate fiebat Epiſcopus, ſi tum nova quæpiam ex cognatis obtingebat ei hæreditas, illa ut antè debuiſſet Cœnobio accreſcere, jam ejuſdem Epiſcopi accreſcebat Eccleſiæ: nec ab eo poterat illa cognatis teſtamento tranſmitti, ſicuti nec quæ ex Eccleſię ei obtingebant, cum è contra hæreditatem ſibi obvenientem poſſent alii Epiſcopi cognatis teſtamento tranſmittere, III. l.2. c.49. n.8. 10. Is autem modo uſus inolevit, ut etiam cognati Epiſcoporum ex Monachis factorum ſuccedant, ſeu teſtamento, ſeu ab inteſtato, in eorum bona proventibus Eccleſiaſticis parta, n.11. Neceſſitas quę iſtis incumbit hęredibus bona iſta piè expendendi, facit ut poſterior ille uſus ſit in ſpeciem ferè ſolùm à priori diverſus, n.10.

De teſtamentis & bonis Monachorum.

Monachi olim & ad hęc uſque ferè tempora poterant parentum cognatorumque ſucceſſiones excipere, v. tit. *Monachi*. §. penult. *Monâchorum bona*. Ut autem hęc bona poterant adire, ita & de iis teſtari poterant, III. l.2. c.43. n.2.

De Teſtamentis iſtis uſque ad annum 500.

Hanc in Monachis teſtandi facultatem ſupponit ipſa Theodoſii Junioris Conſtitutio, qua decernit bona Monachorum inteſtatorum Cœnobio ipſi addictum iri, III. l.1. c.16. n.6. 8. Tali jam antea uſos facultate exhibet Hieronymus Hilarionem & Malchum Monachos, quorum ille quę poſt profeſſionem ſibi obtigerunt bona, diſtribuit fratribus ſuis & pauperibus, iſte pauperibus & Cœnobio, III. l.2. c.43. n.14.

Ab anno 500. *ad* 800.

Talem quoque in Monachis & Monialibus ſupponit Gregorius facultatem ſua cui vel teſtamento legandi, III. l.2. c.44. n.2. Talem ſibi facultatem eximebant qui ſeu Sancti Benedicti, ſeu Magiſtri Regulam profitebantur: iis enim poſt profeſſionem jam nihil poterat obtingere: utraque videlicet parentes adigebat ut filios ſuos vitę Monaſticæ traderent, omni ſpe futurę hęreditatis exuendos, ut iſti terrenum jam nihil cogitarent; & ad pollicendum fore ut, ſi aliquid unquam eorum contemplatione darent, id non eorum, ſed Monaſterii ſolius eſſet, III. l.1. c.21. n.8. 9. & l.2. c.43. n.7. Indulgentiores erant Regulę Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi, Tetradii Presbyteri nepotis uſus, & Aureliani Epiſcopi item Arelatenſis: ſi qui enim vitam amplecterentur Monaſticam, bonorum ſuorum nondum compotes, ſeu quod in vivis adhuc eſſent eorum parentes, ſeu quòd ipſi adhuc eſſent impuberes ſua iis debebat aliquando hæreditas obtingere; at qua habita teſtamentum ſtatim edere compellerentur, quo eam vel cui vellent, vel Monaſterio ipſi legarent, nihil ejus ibi ſervaturi, III. l.1. c.21. num.7. 10. & l.2. c.43. n.8.

In Oriente Juſtiniani legibus nemo poterat filium Monachum factum legitima portione exuere; ſi exueret, ea nihilominus iſti obtingeret, aut potius nomine ejus ipſi Monaſterio, cui ſic addiceretur, ut ſi iſte inde aliquando ſæculum repetiturus egrederetur, penes Monaſterium iſta ſemper foret hæreditas. Si parentes decedebant inteſtati, filius Monachus in ipſorum bona cum reliquis eorum filiis æqua portione ſuccedebat, aut ipſum potius ejus nomine Monaſterium, cujus ſimiliter illa ſemper eſſet portio, etiamſi iſte poſt profeſſionem abiret. Quiſquis Monachus efficiebatur, jubebatur ante ipſam profeſſionem ſuam teſtari, ut qui poſtea nec ſui nec rerum ſuarum compos eſſet futurus: ni faceret, omnia jam ejus poſt ipſius profeſſionem cederent Monaſterio, illius ejuſdem Monaſterii ſemper futura, etiamſi in aliud ipſe poſtea commigraret; Si cui erant liberi, nec ante profeſſionem ſuam teſtatus fuerat, jam poterat adhuc poſt profeſſionem ſuam teſtari, & ſua inter eos Cœnobium dividere; ita ut nec illos nec iſtud poſſet portione legitima fruſtrare; ſi inteſtatus iſte decederet, ſingulis ejus liberis ſua futura erat portio legitima, reliqua Monaſterio. Hæ erant Juſtiniani leges, III. l.2. c.43. n.9. 10. 11. 12. 13. c.45. n.6.

Sub Imperio Caroli Magni & ejus proſapia.

In Oriente vigebant adhuc eædem Juſtinianæ leges: ſuntque tum Baſilicis inſertæ tum in Photii Nomocanone, III. l.2. c.43. n.13. c.45. n.6. Extat & Leonis Sapientis Imperatoris Novella duplex. In prima ſtatuit, ut qui anno 16. vitam Monaſticam profitetur, poſſit jam ante illam profeſſionem ſuam teſtari: ſi verò anno decimo profiteantur, non poſſit teſtari antequam ad annum ætatis decimum-quintum pervenerit; ante quem ſi moriatur, tertia pars ſolùm bonorum ejus cedat cognatis ipſius, aliæ verò duæ Monaſterio; immo & totum Monaſterio ſi nulli ſint ei cognati, III. l.2. c.45. n.5. In ſecunda ſtatuit, ut quæcunque obtingunt jam Profeſſis bona ſive ex teſtamento cognatorum ſive ab inteſtato, ea poſſint cui voluerint diſtribuere, ſi dum profeſſi ſunt, aliquid Monaſterio contulerunt: alioqui tertiam ei conferant novæ iſtius ſucceſſionis partem, reliqua prout voluerint adminiſtraturi, num.7.

In Occidente Carolus Magnus in Capitularibus irrevocabiles eſſe vult donationes eorum, qui profitendo ſua omnia tradunt Monaſterio, III. l.2. c.45. num.5. Lex alia Capitularium ſtatuit ut ſi quis alterutrius ſexus antè profiteatur quam teſtatus fuerit, omnia ejus ſint Monaſterii, etiamſi liberos habeat, *ibid.* Id tamen, quòd duriuſculum haberi poſſit, ita videtur intelligendum ut ſua liberis illis non eximenda ſit tamen portio legitima; Monaſterioque ſolùm hic addicatur quidquid ultra iſtorum portionem legitimam poſ-

ſide-

fidebat ante professionem suam ipsorum parens Monachus Monialisve, III. l.1. c.23. n.5.

Post annum millesimum

Oxfordiense an.1222. Concilium Monachos vetat testamenta condere, ut qui se sitaque profitendo dedicaverint Deo, nec in dominium alienum quidquam transferre possint, qui nihil habent temporale suum, III. l.2. c.49. n.3. Innocentius III. uoi quidem Monacho testandi licentiam concedit, sed privilegio singulari, *ibid.* Vetat quidem etiam Prælatos Dertusense in Hispania an.1429. Concilium occupare bona, de quibus in morte statuerint Religiosi, queis secundum statuta vel laudabiles consuetudines permissum sit de bonis à Deo sibi collatis disponere, n.4. At his forte verbis non Monachos intelligit, sed Religiosos Hispaniæ Equites. Equitibus enim S. Jacobi tum Constitutionibus suis tum Sanctæ Sedis privilegio concessum est testari de bonis Ordinis ipsius quæ obtinebant, & de iis quæ acquisissent, n.6. Aut si Monachos intelligit, eos certè quibus fuerant Obedientiæ & Claustrales administrationes, quarum reditus possent ante obitum suum quibus vellent addicere, ex statutis & Constitutionibus quibusdam mollioribus Ordinis sui, quæ tunc visæ sunt tolerandæ, num.4.

De Testamentis Abbatum.

Videtur olim minore cum indulgentia actum erga Abbates quàm erga Monachos: præreptaque iis fuisse testandi facultas, III. l.2. c.40. n.1. 2. c.43. n.17. Abbati Probo fuit opus privilegio & dispensatione S. Gregorii, ut testamento legare posset ea quæ habuerat antequam Abbatis officio fungeretur, c.43. n.5. Videtur tamen Justinianus dedisse iis facultatem statuendi in morte de omnibus successionibus quæ ipsis post susceptam Abbatiæ administrationem jure cognationis usque ad quartum gradum obtingebant; cæteris ipsi eorum Monasterio prorsus addictis, c.40. n.1. 2. Plura tamen septimo & 8. sæculo occurrunt seu Abbatum seu Abbatissarum testamenta. Sed vel eo solum fine condita sunt ut firmarentur magis, quæ isti Abbates vel Abbatissæ Cœnobio suo relinquebant, vel ex Pontificia dispensatione condita sunt, vel necdum adeo obtinebat usus ille adeundarum dispensationum Pontificiarum, c.43. n.19. Forte denique pluribus in locis, quod patrimonii bona attinet, eadem erat Abbatibus quæ Monachis testandi facultas, n.19. Post annum etiam millesimum immo sæculo 12. Stephanus & Joannes Angliæ Reges Abbatibus pollicentur firma fore, quæcunque in morte distribuerint aut distribuenda statuerint: sed fine forsan non alio hæc ab iis condebantur testamenta quàm ne Magistratuum vel Principum aut Ministrorum prædationi pateret Ecclesiastica successio, c.49. n.2. Ut sit, cum pugnatum est ne Abbates, Beneficiariive alii seu Regulares seu Sæculares testamenta conderent, ut cum id illis concessum est, per inde erat, & eodem collimabatur, scilicet ut quæ sunt Ecclesiæ, nonnisi in pios usus impendantur, nec enim eos ab ista lege eximebat illa iis data testandi facultas, c.49. n.9.

Testes Synodales, v. *Synodales Testes*.

Thassilo.

Thassilo Bavariæ Dux perfidiæ in Carolum Magnum convictus cum filio suo, attondentur & in Gemeticense Monasterium includuntur, II. l.5. c.28. num.4.

Theodoretus.

Vitæ pars ejus maxima paucis collecta, III. l.3. c.37. num.1. 2.

Theologus & Theologia. v. *Studia.*

Constituit Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. an.1179. ut in Cathedralibus omnibus Ecclesiis aliquod addiceretur Beneficium Præceptori, qui gratis Clericos & pauperes doceret, I. l.2. c.10. n.1. Quòd autem Decretum istud non fuisset servatum, illud innovavit Innocentius III. in Concilio VI. Lateranensi an.1215. nisi quod de Metropolitana solùm Ecclesia id edixit; neque eo consilio, ut iste Canonicorum adoptaretur Collegio, sed ut quandiu docendi munus obiret, annuo Beneficii illius reditu sustentaretur, *ibid.* At Theologum quoque suum in singulis Cathedralibus esse voluit postea Synodus Basileensis. Sancitum idem est deinceps in Concilio V. Lateran. sub Leone X. an.1516. & Gallicanis Concordatis; ac præterea constitutum, ut jam verus Canonicus haberetur, non autem, ut antea, solùm stipendiarius & quasi conductitius, c.10. n.3. Firmavit ista Concilium Tridentinum, adeo ut jam inde titulum & locum habeat Theologus inter Canonicos: immo & ita fieri quoad posset in Collegialibus Ecclesiis voluit. Hunc tamen decrevit posse sua spoliari Præbenda, si suo bene non fungeretur officio, num.2. Quin & locum ei ante omnes Canonicos tribuit S. Carolus Borromæus, solisque eum Dignitatibus voluit cedere, n.4. Lectionibus ejus interesse tenentur Canonici aliique Cathedralis Ecclesiæ Presbyteri, pœnisque pecuniariis ad id cogi possunt, sicut & ille ad lectiones illas compelli potest, num.2. Plura de his, eod. num.2. Varia de his edicta Regia, num.4. Edixerat olim Honorius III. Innocentius III. successor ut Capitula Canonicos juniores ad Universitates frequentandas mitterent, residentiæque veniam fecerat tum Clericis studentibus tum Magistris Theologiam profitentibus, n.1.

Thesaurarius.

De Thesaurario, I. l.2. c.103. n.13. Successisse videtur Oeconomo, quo non ultra fuit opus in Capitulis, cum partitio mensæ communis bonorum facta est inter Canonicos, I. l.3. c.70. n.6.

Thessalonicensis Exarchatus, v. Ind. Geograp.

S. Thomas Aquinas.

Cum ab aliis impugnaretur ejus non ita pridem defuncti doctrina, ab aliis propugnaretur: pronuntiavit ex Doctorum omnium à se ea super re congregatorum assensu Stephanus II. Parisiensis Episcopus, posse eam citra fidei periculum & defendi & impugnari, II. l.1. c.101. n.4. Explicatur ejus sententia de dominio quod Clericis tribuere videtur in Beneficii sui proventus, III. l.2. c.46. n.7.

S. Thomas Cantuariensis.

Repugnat Regi suo volenti quo iste propter ipsorum crimina sua deposerat Clericos, Judicibus laicis permitti postea judicandos & puniendos, II. l.1. c.76. n.8. §. *In postremis*, & n.9.

Thus.

Cum thuribulis obviam processerunt Ephesinæ mulieres Episcopis Concilii Ephesini, à prima ejus Sessione redeuntibus, in qua damnatus fuerat Nestorius, I. l.2. c.58. num.7. Cum suffitibus similiter exceptus est Alexandriæ Athanasius cum in eam rediit, *ibid.*

Tironense Monasterium, v. Ind. Geograph.

Tituli.

Ecclesiæ antiquitus Tituli dictæ sunt, vel quòd ut solebant domus & agri fisco addici appenso velo in quo esset imago Principis: sic Ecclesiæ Deo, non quidem adhibito crucis signo, quod utique persecutiones statim commovisset, sed aliquo tamen signo fidelibus noto, addicebantur; vel potiùs quòd Presbyteri, penes quos earum erat

pituitæque abundantiori detergendis inserviebat c.45. n.12.13. Præter istiusmodi Clericorum vestes, Episcopi tum in Occidente, tum in Orienti Coronam Thiaramve aut Mitram Cydarimve, quæ promiscua erant nomina, gestabant in capite, n.5.6. Id quod ex illa fortè profectum erat aurea lamina, quam Joannes & Jacobus à Polycrate, Clemente Alexandrino, Eusebio, Epiphanio & Hieronymo dicuntur in fronte gestasse, n.2. 3. 4.

De eorundem vestibus sexto, septimo & octavo sæculis.

Sexto, septimo & octavo sæculis habitus etiam civilis Clericorum erat alius ab habitu Laicorum I. l.2. c.46. n.1. ad n.7. Illa autem diversitas in eo posita erat, quod Clerici veste oblonga & talari uterentur, Laici verò sagis vesteve breviore, profecta scilicet ex ipsa Barbarorum Borealium per Occidentem colluvie, qui breviores hujusmodi vestes gestabant, n.7. Purpureis tum Clerici vetabantur uti vestibus, n.2. Episcopus per eadem sæcula veste linea semper erat indutus, Monachus lanea semper, Presbyter linea cum ad plebem concionaretur, n 4. In Oriente verò per eadem sæcula alius quidem erat Clericorum habitus à Laicorum habito: adeo ut Clericos per hebdomadam suspendendos edicat Trullana Synodus, qui in Laicorum veste viderentur: at in ipsa habitûs unius, præ alterius modestia, non autem in unius, præ alterius longitudine diversitas hæc erat posita, cum non ita Barbari in Orientem exundassent, n.9. & 10.

Iisdem adhuc sæculis distinctæ magis erant sacræ vestes à communibus, quam antea; quòd licet fuissent illæ olim ex usû communi acceptæ, tum multa iis in dies adjiciebantur & inferebantur ornamenta, quibus à communibus Laicorum vestibus secernebantur, tum suarum ipsi Laici vestium communium formam mutabant, & peregrinas sibi afeiscebant; cum è contra communes suas Clerici minùs mutarent, easque quas ex usu communi in sacris assumpserant, retinerent semper, I. l.2. c.47. n.1.4. 5. Ecclesia Romana è suis vestibus aut ornamentis multa eum Ecclesiis aliis communicavit: Sic Gregorius aut ejus decessores cum Messinensis Ecclesiæ Diaconis Compagum, calceorum genus pretiosius, cum Ravennatis Ecclesiæ Diaconis Manipulos licet olim pituitæ solùm & sudori detergendis inservientes, cum Siciliæ Subdiaconis tunicas lineas, cum quibusdam Galliæ Episcopis & eorum Archidiaconis, immo Diaconis Dalmaticas, n.2. 3. 4. Multa de illorum sæculorum vestibus sacris toto illo c.47. Septimo sæculo in Hispania saltem nondum Albis utebantur Subdiaconi Clericique inferiores, nec Diaconi Dalmaticis. Diaconi Albis nonnisi in sacro ministerio utebantur, Episcopi verò & Presbyteri semper, etiam extra Sacra, domi, in urbe ruri, num. 7. Stolæ initio erant lineæ, & quæ earum forma? *ibid.* Multiplex Stolæ significatio mystica, n.9.

De Clericorum item vestibus, seu communibus, seu sacris, sub Imperio Caroli Magni.

Sub Imperio Caroli Magni, quod attinet communes civilesve Clericorum vestes, induebantur cappa, sive casula talari, ut & Monachi: nisi quod & cucullas isti habebant, quibus gerendis Clerici prohibebantur. Erant autem istæ cappæ, antica etiam parte consutæ, I. l.2.c.48. n.5. 2. His cappis Laici prohibebantur, licet honoratiores quique inter eos vestibus adhuc uterentur oblongis; nam cæteri è Laicis breviores assumpserant vestes, cottos vel mantillos dictas, n.2. Presbyteri stolam nunquam deponebant ac Albam, sive domi essent, sive ruri. Illa tamen Alba alia esse debebat ab ea qua in sacro Ministerio utebantur, n.3. De vestibus tum Monachorum tum Laicorum illius temporis plura illo, c.58. n.4. 5.

Vestes verò quæ sub ejusdem Caroli Magni & Regiæ ejus prosapiæ Imperio in sacris ministeriis adhibebantur, eæ quidem erant à communibus & civilibus distinctę, nec citra eas sacris operari fas erat, I. l.2. c.49. n.5. At & fuerant ipsæ antea communes & civiles, nec ab ipsis distinguebantur nisi magnificentia, splendore, iisve quæ ipsis ad ornatum intexebantur, n.1. 2.3. Immo nec defuere illis temporibus qui vestes illas ad usus etiam civiles adhibere pergerent: idque ne ultra fieret, necesse fuit ab Episcopis prohiberi, o.1. Sic alii vetant Presbyterum in ea alba qua in suos usus quotidie utitur, Missam cantare, præcipiuntur alii ut eam celebret cum amictu, alba, cingulo, fanone, manipulo, stola & casula, quæ nitida sint, & nullis aliis serviant usibus, *ibid.* Jam tum, ut modò fit, Diaconi certis diebus abstinebant in Missa Dalmaticis, & casula plicata utebantur, n.4. De Græcorum illa eadem Caroli Magni & posterorum ejus ætate vestibus sacris eod. c.49. n.6. *& seqq.*

De communi civilive Clericorum veste ab anno 1000. ad annum 1300.

Nulla tum temporis videtur fuisse Clericis necessitas assumendi coloris nigri, I. l.2. c.50. num.5. Immo in historia Abbatiæ S. Martini Tornacensis dicitur Monachorum habitus niger, Clericorum albus, n.9. §. *Eadem.* Edicunt solùm sæculorum illorum Concilia, tum ne plurimum sint colorum vestes Clericorum, tum ne splendidiorum: ac præsertim rubeas & virides iis inhibent, & quidem ipsis etiam Decanis, o.1. 2. 3. 4.9. Has tamen Episcopis gestare fas erat, num.4. Cum eos haud excepissent sæculi septimi Concilia, c.46. num.2. Edicunt item ne seu interioribus id est subtanis, seu exterioribus uterentur Clerici vestibus, quæ scissæ & apertæ essent sive à latere, sive ab anteriori aut posteriori parte, c.51. n.2. 3. 5. 6. 8. Edicunt quoque ne cappis manicis uterentur: & quidem ex Conciliis illis alia id universis inhibent Clericis, alia solis Presbyteris & Dignitatibus, & quidem in publicum procedentibus, n.2. 3. 4. 6. 9. Scissas verò & manicatas seu eum manicis pendulis vestes tam acriter interdicunt Clericis, quòd iis uterentur illi Laici qui oblongis adhuc utebantur vestibus: num.9. Alia cappas istas manicatas solum in Ecclesia, & inter sacra Ministeria prohibent, cum aliæ eas ubique antea proscripsissent, n.4. Jubentur ab iisdem illorum temporum Conciliis Presbyteri nunquam stolam deponere, ne in itinere quidem, I. l.2. c.50. num.1. Id quod argumento est stolam communiter non fuisse signum jurisdictionis, c.52. n.10. Jubentur in horum Conciliorum prioribus Clerici vestes habere oblongas & talares; in posterioribus, faltem ultra tibiarum medietatem productas, c.50. n.3. 7. Vestem lineam seu albam super cætera indumenta gestabant Clerici omnes quocunque in loco; & quidem ad terram usque pertingentem; postmodum eam in Ecclesia solùm retinuere, extra Ecclesiam verò soli Canonici Regulares, & ea quidem qua eos uti videmus brevitate, quæ enim jam sunt superpellicia, hæc olim erant albæ, c.50. n.4. 8. c.52. n.4. seu talaria erant superpellicia, c.52. n.4. Et exeunte decimo sexto sæculo ultra medias adhuc tibias illa propendebant, c.52. n.4. 5. Ea autem alibi erant manicata seu mani-

Episcopalis sarcinæ partem rejiceret, I. l.2. c.7. n.1. 2. Sic S. Basilius Episcopi Cæsariensis Vicarius fuit: sic patris sui Gregorii Episcopi Nazianzeni Sanctus ipse Gregorius Nazianzenus, tum dum adhuc Presbyter solùm erat, tum postquam Episcopali dignitate fuisset auctus: sic etiam Flaviani Episcopi Antiocheni Chrysostomus, tum adhuc Diaconus, tum postea Presbyter: sic Ambrosii Simplicianus, sic Valerii Hipponensis Episcopi Augustinus, c.7. n.2. 4. 5. 6. 7. Quo tempore cum adhuc soleret Episcopus omni per se sacerdotali ministerio defungi, Parochique Officialis, Pœnitentiarii, & Theologi munus obire, ista ergo quoque omnia obibant illi Episcoporum Vicarii Generales, n.8. Erant hi suorum plerumque Episcoporum successores, ni eos alia fortè Ecclesia ad Thronum suum raperet, c.7. n.9. 10. Claudianus Sancti Mamerti fratris sui Viennensis Episcopi Vicarius fuerit Generalis, n.11. 12. Nec tamen Vicarii isti Generales fuere his hodiernis nostris similes; nec nostrorum ullum est vestigium, sive in Gregorianis antiquisve Decretalibus, sive in Gratiani Decreto, c.8. n.1.

Prima quodammodo jaciuntur hodierni Vicariatûs Generalis fundamenta in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. illoque deinceps sæculo, scilicet decimo-tertio quaquaversum Vicarii Generales invaluere, cum id quod eorum postea fuit officium; esset antea penes Archidiaconum, I. l.2. c.8. n.1. 2. 4. 6. Quanquam tamen jam ante Innocentium etiam II. in aliquibus extabant Diœcesibus, sed videlicet paucis, n.3. In illis verò primis institutionis suæ temporibus tum qui erant Vicarii Generales; erant & Officiales; tum ut & modò, Vicariatus Generales illi meræ erant delegationes seu arbitrariæ & ab Episcopo revocabiles, num.5. Concilium VI. Mediolanum sub S. Carolo Borromæo præcepit, ut saltem Subdiaconi essent. Edixit Burdigalense anno sequenti, scilicet 1583. ut nonnisi ex Presbyteris adsumerentur, atque ita Regio quoque Edicto in Comitiis Blesensibus sancitum est, c.8. n.7. 9. Varia de Vicariis Generalibus statuta, n.7. De Pontisarensi Vicariatu in Gallia, n.10. Capitula vacante Sede possunt Vicarium Generalem eligere, modò intra octo dies ab Episcopi morte: possunt & eum postea revocare, modò alium ei intra octo dies sublegant, n.11. Ni intra diem octavum ab Episcopi morte Vicarium Generalem eligant, res devolvitur ad Metropolitanum, aut si iste defunctus sit, ad seniorem Provinciæ Episcopum. Etsi unum tantum iis permittat eligendum Tridentina Synodus, possunt & duos eligere secundùm responsa Congregationis ejusdem Concilii si ita fert ab omni memoria consuetudo loci, *ibid.*

De Vicariis Canonicorum.

Qui nempe eorum suppleant locum dum isti per se non possunt adesse, I. l.3. c.70. n.10. 11.

Vicarii Parochiarum.

Quidam duodecimo & decimo tertio sæculo Parochi in Anglia & in Gallia se in alia simul Parochia Vicarios fieri curabant: istiusque secundæ Parochiæ curam credebant cum modico proventu Presbytero qui Persona diceretur, reliquum Parochiæ proventum sibi vendicantes, I. l.2. c.27. n.1. 2. 3. 4. 5. Id proscribunt iisdem & sequentibus sæculis Angliæ & Galliæ Concilia, vetantque prorsus unius Ecclesiæ Parochum fieri in altera Vicarium, *ibid.*

Jubentur à Conciliis Episcopi Capitula & Monachi qui Parochias habent mensæ suæ unitas Vicarios in iis instituere perpetuos, I. l.2. c.17. n.4. 5. 6. 7. 9. II. l.1. c.18. n.1. 2. 6. 7. 8. 9. Ni certum intra tempus Capitula pareant & Monachi, jam id per se Episcopi præstare poterunt, I. l.2. c.27. n.5. 7. Eodem pertinentia Regia Ludovici XIII. & Ludovici XIV. Edicta quoad Ecclesias Abbatiis, Prioratibus, & Ecclesiis sive Cathedralibus sive Collegialibus unitas, n.12. Item & Ludovici XIV. cum Actis Cleri Gallicani, II. l.1. c.18. n.9. Idem præcipit Tridentina Synodus hac tamen cum exceptione, nisi Ordinariis quibus hanc delegat curam, utilitas Ecclesiæ contrarium persuadeat, I. l.2. c.27. n.10. Si tamen Parochiæ sint intra Capitulorum Ecclesias, possunt illa Vicarios revocabiles accersere, n.11. Unde in Monachis & Capitulis prior illa consuetudo Vicariorum ascisendorum qui ad nutum essent revocabiles? n.9. Nullos amat Ecclesia Vicarios non perpetuos, quippe mercenarios homines, n.6. 11. Quàm multis rationibus satius est Parochias non regi nisi à perpetuis, II. l.1. c.18. n.8. Etsi Parochi possunt justis de causis abesse à Parochia sua, non tamen Vicarii, I. l.2. c.27. n.3. §. *Synodus*. Salisburgense an. 1420. Concilium exauthorari vult Parochos, qui Vicarios congruam redituum Ecclesiæ portionem non assignant, n.7.

Vicedominus.

Vicedominus idem est qui & Major domus, I. l.2. c.98. n.12. 13. Ex dominorum more instituendi in familia sua Majorem quendam & Vicedominum, cui minores alii omnes in eadem familia debeant obedire; factum est ut Episcopi quoque in ædibus suis Episcopalibus Vicedominum & Majorem domûs instituerent, *ibid.* Ejus munus erat in Domesticos omnes excubare, hospitesque excipere, n.12. Volebat omnino Gregorius suum esse cuique Episcopo, ut ab hac utraque illa cura se eximeret, *ibid.* Curabat Vicedominus illam bonorum Ecclesiæ partem quæ, facta eorundem bonorum partitione in 4. partes, cesserat Episcopo, III. l.3. c.29. n.26. Legitur Vigilio Papæ fuisse Vicedominus qui erat Presbyter, I. l.2. c.98. n.12. Immo & Zachariæ ipsi Papæ Episcopus legitur fuisse Vicedominus, *ibid.* & n.13. Suique quoque erant Vicedomini Canonicis Abbatibus & Abbatissis tempore Caroli Magni, c.99. n.13. Probabilius est Vicedominos in Gallia fuisse Clericos, n.14. quanquam tamen & brevi cœperunt ex Laicis assumi, n.15. Eadem verò ætate è Clericis in Italia ut plurimum assumebantur, *ibid.* Iidem erant Vicedomini forsan ac qui Oeconomi, III. l.2. c.6. n.5. 18. De Vicedominis adhuc ætate Caroli Magni & stirpis ejus Regiæ, c.55. n.1. 2.

Victor III.

Quàm ægrè cessit ut summus Pontifex esset, II. l.2. c.59. n.5.

Vidua, I. l.3. c.41. 43. 50. 51. 52. *Vota*.

Stipendiis Ecclesiæ prioribus Ecclesiæ seculis alebantur; ideoque inscriptę Canoni Ecclesiæ, modò tamen fuissent univiræ, I. l.3. c.42. num.5. c.50. n.8. 9. 10. quanquam nec viduis aliis, si pauperes erant, deerat Ecclesia, c.42. n.6. Quàm ingens erat primarum illarum numerus, num.5. 6. Eas Paulus eligi jusserat nonnisi sexagenarias, quòd apud Gentiles res admodum rara esset castitas, c.50. n.4. Viduarum choro se adgregabant velum vestemque nigram sumentes, & hæc erat viduitatis seu castitatis professio? c.62. n.1. 5. Quòd quædam, etiam nobiles, in primo doloris æstu de mariti morte vestem illam præpropere sumerent, ac sopito dolore illo postea deponerent, jubet eas Concilium Parisiense sub Ludovico Pio deinceps triginta dies à defuncto conjuge expectare, quibus transactis aut iterum nu-

ab

FINIS.

INDEX GEOGRAPHICUS

Ecclesiarum, quarum in hoc toto Operæ fit mentio.

A

An-

Bar-

Barbara. Les nations barbares. Nationes à quibus Episcopos nactæ? I. l.1. c.25. n.4. c.54. n.2. 3. c.59. n.1. *& seqq.* Cur pauciores? c.55. n.5. 6. Quos mores invenerint? l.2. c.46. n.7.

Barcinonensis. Barcelone. Episcopatus quod jus sibi servet in Majoricensem? I. l.1. c.58. n.12.

Bavaris. La Baviere. quando & à quo tradita fides ac Metropolis? I. l.1. c.42. n.3. 4. Aliique Episcopatus? c.55. n.4.

Becensis. Le Bec. in Normannia Abbatiæ privilegia, I. l.3. c.38. n.8 Academiæ fundamenta, II. l.1. c.101. n.8. Qntum tamen ibi laboraretur manibus? III. l.3. c.15.

Belgii. La Flandre pais bas. tres Metropoles quando? I. l.1. c.45. n.18. Tredecim verò Episcopatus, *ibid.* & c.57. n.6. Totidem verisimiliter & Præpositurae, l.3. c.70. n.5. Quales tandem Canonicæ & Beguinæ? l.3. c.63. n.6. *& seqq.*

Bellicensis. Bellay en Bresse. in Bressa Episcopus, & major Ecclesiæ pars viram communem sibi restitui, quando impetrant? I. l.3. c.11. n.10. §. *Si.*

Belliloci. Beaulieu ad Loches. juxta Locas in Archiepiscopatu Turonensi Basilicæ dedicatio quomodo per Legatum Apostolicum peracta? I. l.1. c.6. n.2. 3. 4.

Bellovacensis. Beauvais. Ecclesię potestas temporalis, III. l.1. c.30. n.16. c.31. n.9. Xenodochium Ambianensi in quo conformatum? I. l.2. c.91. n.3. §. *Stephanus.* An Bellovaco ex Monasterio S. Quintini vita communis fluxerit? l.3. c.11. n.7. *& seqq.* De ejus immunitate, c.36. num.10. Necnon singulari societate inita cum Cathedrali, III. l.2. c.25. n.10. §. *Hac.*

Belnensis. Beaunes. in Burgundia Comitatûs Capella S. Martini à quibus pręsentanda vel conferenda? I. l.2. c.95. n.10.

Beneventana. Benevent. in regno Neapolitano Ecclesia quando & quomodo Archiepiscopatu aucta? I. l.1. c.45. n.3. Cur illius Abbatia S. Sophiæ Cassinensi subducta? l.3. c.39. n.3.

Berythus. Berythe. in Phœnicia quomodo & quandiu crevit in Metropolim, tum civilem, tum Ecclesiasticam? I. l.1. c.10. n.10. c.32. num.1. c.39. n.5. 6.

Betbleemi. Bethlehem. in Palestina qnale Xenodochium S. Hieronymi? I. l.2. c.89. n.13. Idemque Monasterium, non Parochia, l.3. c.28. n.11. In illud jurisdictio Episcopi Hierosolymitani, *ibid.* & n.13. Quænam verò disciplina in tribus ibidem Virginum Cœnobiis, c.44. num.6. 8. 9. 17.

Betbleemi tandem Episcopatus cur à Legato Pontificio erectus, & à Balduino Rege dotatus? l.1. c.26. num.2. c.58. num.15. Quare Ascalonem sibi vindicat? *ibid.* Unde in Comitiis Parisiensibus post omnes Episcopos sedit titularis Betbleemiticus? c.27. n.4.

Biterra. Beziers. in Narbonensi cur tertio loco, I. l.1. c.49. n.5. §. *Contendebat.* Quænam ibi Monasteria? l.3. c.24. n.5.

Bituricensis. Bourges. in Aquitania Archiepiscopus quando, cur, quomodo & quandiu dictus est Patriarcha seu Primas? I. l.1. c.21. n.8. c.22. n.5. 6. 7. c.32. n.1. 2. 5. c.33. n.1. 12. c.34. n.11. c.35. n.1. *& seqq.* c.41. n.13. c.44. n.1. 2. 3. An aliquando Rotomagensi subjectus? c.34. n.11. 14. An & Viennensi? c.35. n.10. 12. Ut ei se subjecerint vel subduxerint Narbonensis, Ausciensis & Burdegalensis? c.35. n.1. 2. 4. 5. c.45. n.18. Necnon & Aniciensis Episcopus? l.3. c.41. n.17. §. *Ex.*

De duplici jure Primatus Bituricensis, I. l.1. c.45. num.7. De ejus Metropoli, c.41. n.9. De pallio, l.2. c.56. n.9. De officiis, c.75. n.12. De Clericali Seminario, l.3. c.5. n.5. 6.

Blesensis. Blois. in Gallia Celtica Collegialis Ecclesia, octoginta olim Canonicorum Regularium, I. l.3. c.20. n.14. Contra sæculares defenditur, c.11. n.13. §.2.

Bobiensi. Bobi. in Longobardia Episcopatûs instituendi ratio & modus, I. l.1. c.58. num.10. §. *Quanquam*, l.2. c.38. num.1. Item & Monasterii, l.3. c.24. n.5.

Bohemia. La Boheme. Episcopatuum institutio quando & à quo? I. l.1. c.45. num.8. §. *In.* c.56. n.5. Ipsius Ducis privilegia, l.2. c.52. num.2. Interea mitra ornamentum regium à Pontifice Romano missum, *ibid.* & n.8. III. l.1. c.32. n.12.

Bononiensis. Boloigne à la mer en France. in Gallia Belgica Episcopatus quando de Teroanensi vendicatus? I. l.1. c.57. n.5. Xenodochium verò ex Monachis, l.2. c.91. n.1. l.3. c.37. num.7. §.3. Cur & quando Bononiensi Ecclesiæ cœpit à Regibus Francorum cor aureum offerri? III. l.1. c.32. num.14.

Bononia. Bologne la Grasse. in Æmilia Italiæ perantiquum Virginum Monasterium, I. l.3. c.44. n.5.

Bosnia. La Bosnie. Episcopatus à quo probibiti? I. l.1. c.58. n.9. §. *Denique.*

Bracc harensis. Brague. in Lusitania Primatia quoties Toletanæ & aliis opposita? I. l.1. c.38. n.6. *& seqq.* Quando primùm erecta? c.42. n.1. Aut restituta? c.45. n.14. Saltem quoad jus Crucis, l.2. c.59. n.6. 9. Tria olim ibi Monasteria, sine præiudicio Cathedralis fundata, l.3. c.16. num.3. Cathedrale autem Capitulum jurisdictionem cum Archiepiscopo partitum est, c.41. n.8. Vita communis Canonicorum tentata, c.11. §.2.

Brandeburgensis. Brandebourg. in Germania Cathedralis Capituli privilegium petente Marchione confirmatum, I. l.3. c.37. n.2. §.2.

Bremensis. Bremen. in Germania Episcopatus qua authoritate & forma erectus? I. l.1. c.56. num.5. 8. l.2. c.105. n.1. §. *Illud.* Necnon Congregatio ex Monachis & Canonicis, ad Canonicos redacta? l.3. c.19. n.8. De Primatu v. *Hamburgensis.*

Briocensis. S. Brien. in Armorica Ecclesiæ partitio cum Episcopo, III. l.2. c.55. n.23.

Britannia, v. *Anglia & Armorica.*

Brivatensis. Brionde. Abbatiæ jus in Capitulum Lesiniacense duodecim Canonicorum, I. l.3. c.9. num.14. Unde ibidem nobilitas stemmatis? II. l.1. c.104. n.10.

Bulgari. Les Bulgres. in Mysia suo muniuntur privilegio à Justiniano Imperatore, I. l.1. c.33. n.14. Nicolaum I. consulunt de Patriarchatibus, c.14. n.1. c.22. n.3. 4. Rescriptum accipiont de petendo Metropolitano, c.43. n.8. §. *Leo.* Monentur à Joanne VIII. ut se Romano quàm Constantinopolitano accenseri malint, c.14. n.3. Quid de eorum miserando casu, *ibid.* Quando restituta est apud eosdem Primatia Trinoviensis cum duobus Metropolitanis? c.16. n.5. §. *Denique.* c.23. num.7.

Buraburgensis. Buraburg. in Germania Episcopatus, qua autboritate creatus? I. l.1. c.55. n.5.

Burdigalensis. Bordeaux. in Aquitania Metropolita quando & quandiu Bituricensi Primati paruerit? I. l.1. c.35. n.1. *& seqq.* Necnon & Viennensi, num.10. An & aliquando Primas fuerit? n.6. 10. 12. c.44. n.1. *& seqq.* Quomodo & Metropolitam egerit? *ibid.* & c.48. n.3. §. *Si.*

Burgensis. Burgos. in Hispania Episcopatus cur ab Auca translatus sine Metropolita? I. l.3. c.41. num.17. §. *Ex.* Quatenus verò Abbatissa generalis Cisterciensium, & Capitulum generale quotannis Burgis institutum? c.68. n.12.

Burgoliensis. Bourgueil. Abbatiæ privilegium qua solemnitate datum? I. l.3. c.36. n.1. Mandatur Abbati restituendos esse Decanos ad redintegrandam regularitatem, c.70. n.5.

Car-

n.2.

Siæ

D

E

F

G

om-

ni

M

Ma

N

O

&

c.8.

T

V

Pleraque Abbatiæ, & aliæ particulares Ecclesiæ ad suas Diœceses seu Episcopatus revocata sunt.



